


FASTORUM CAMPILILIENSIUM LIBER I.

Complectens

Seculum Christi XIII. MONASTERII I.

Ab Anno MCCI. usque ad An. MCCC. in DECADES tributus,

Quarum quælibet

§. I.^mo Res Principum, & Patriæ, i.e. Austriacas: II.^do Res Ordinis Cisterciensis: III.^tio Res Campililii,

Quantas ubique congruere visum est, ut fieri potuit, curatè, brevitérque recenset,

Fide coævorum proborumque Scriptorum, item Diplomatum,

Peculiariter verò

Fr. ORTILONIS,



Unius è primis Monachis Campililiensibus,

Cujus

Libellus de Exordio Campililii hìc primùm vulgatur.







SECULI I.
Campililiensis, à Christo Nato XIII.
DECAS I.
Ab Anno MCCI. usque MCCX.
§. I.
Res Principum, & Patriæ.
Annus 1201.

I. SEculi à nato Salvatore Tertii decimi Anno primo in Sancta Sede Romana enituit *Innocentius* Papa III.us cùm annos ætatis non plures quam septem & triginta numerâsset, die 8. Januarii Ann. 1198. electus, consecratus verò die 22. Februarii: à qua die Annos Pontificatus numeravit, usus præterea in Literis suis Indictione Cæsarea, inchoante à die 24. Septembris. Imperium Romanum fluctuabat inter *Philippum* Sueviæ Ducem, Filium *Friderici* I. *Barbarossæ*, & Fratrem *Henrici* VI. *Asperi* Imperatorum, Patruum verò *Friderici* II. postea Imperatoris, & inter *Ottonem* Ducem Brunswicensem, Filium *Henrici Leonis*, quondam Bavariæ & Saxoniæ Ducis proscripti: qui ambo discordibus Principum votis An. 1198. electi fuêre. Metropolita Salisburgensis erat *Eberhardus II.* è Comitibus *de Truchsen*, ex Episcopo Brixinensi in Archiepiscopum electus An. 1200. Cathedram Patavienseṁ tenuit *Wolfgerus* jam inde ab An. 1191. Abbas Cistercii, totiusque Ordinis Generalis, fuerat *Guido II.* dictus *de Papa*, qui supremos nostratium Fasces jam An. 1190. capessiverat. Austriæ

Suprema utriusque Reipublicæ Capita sub ortum Campililii.

Stiriæque Ducatus feliciter gubernabat *Leopoldus VII.* cognomento *Honorificus*, sive *Gloriosus*, Principum Austriæ Babenbergicorum Dux IV.^tus^ Stiriæ II.^dus^ Stirpis autem suæ penultimus. Et hæc erant Magna illa Capita, quorum Clementia, Auctoritate, Protectione, Favoribus, Gratiisque Munificis, *Campus Liliorum* primum sub ortum suum, tenerámque infantiam, exceptus, lactatus, & sic institutus fuit, ut etiamnum, adspirante Ter Opt. Max. DEO, longævam ferat ætatem.

Cur *Innocentius* Papa *Philippi* Electionem ad Imperium rejecerit?

II. *Innocentium* Papam res duæ maximè solicitum habebant, discordia nimirum Imperii Romani, Terræque Sanctæ discrimen extremum. Imperio Caput unum procuraturus, *Philippi* causam rejiciendam putavit: primùm quidem, quòd esset ex avito persecutorum Ecclesiæ sanguine: deinde quòd electus à nonnullis, iisque paucis tantum, ut existimabat, fuisset, tum temporis, quo *Cœlestini* Papæ diris & sacra proscriptione innodatus erat propter detentionem lytri Anglici, ac Patrimonii Petri in Italia invasionem, & proinde Unctionem Regiam, tanquam inimicus Ecclesiæ, ingenti cum ausu ac temeritate recepisset, & hoc quidem à nullo Germano, sed planè peregrino Antistite Tarantasiensi, Absolutione sua, per Episcopum Sutrinum Legatúmque Apostolicum facta, sibi neutiquam patrocinante, quia non secundum formam Apostolicam, & citra solitum jusjurandum, grandi hujus Episcopi præsumtione, eidem in pensa fuit. *Philippus* tamen Rex multò meliore apud animum suum fiducia agebat, eò, quòd præcipuam solvendi Anathematis conditionem adimplesset, insignes captivos, quos Cæsar Frater è Sicilia in Germaniam adduxerat, libertati restituens, in cæteris verò Sanctæ Sedi Romanæ, excepta Regni abdicatione, devotum se & obsequentem pollicitus.

Hac in sententia perstitit, tametsi Principes Germaniæ, in quibus & *Leopoldus* Austriacus, eum per Oratores deprecarentur.

III. Papa autem in hoc minimè acquiescens, submisit in Germaniam Legatos: qui Principes Coloniæ convocabant, *Philippum* electione indignum pronunciârunt, eúmque, ac sibi adhærentes, anathemate feriebant: contrà verò *Ottonem* tanquam legitimum Romanorum Regem proclamatum, in consueta, Romanæ Ecclesiæ, summóque Pontifici dicenda Sacramenta adegerunt, Romanam ei Coronationem opportuno tempore impendendam Papæ nomine adpromittentes. Turbati hac decretoria de Regno Germaniæ disponendi methodo Principes, à *Philippo* stantes, iique tam Ecclesiastici, quàm Laici, quos inter Dux etiam noster *Leopoldus* nomen suum professus est, vicissim Oratores suos Romam direxerunt, præcipuo eorum *Eberhardo* Archiepiscopo Salisburgensi. Atque horum ex ore, scriptáque communi nomine Epistola, intellexit Pontifex, nequa-

nequaquam paucos, sed plurimos illi adhærere, quem ipse totis animis aversaretur. Quamvis porro Oratoribus omne humanissimi officii genus impenderet, jactam tamen aleam haud retraxit, sed, quoscunque demum posset è Principibus, Galliæ maximè Regem, à *Philippo* avocatos, *Ottoni* adjungere studuit. Sinistro autem id sanè eventu: quia *Philippus* aut nunquam Ecclesiæ tam molestus futurus erat, quàm *Otto*, vel saltem molestior esse vix poterat. Consimile quoque fatum hic Optimus Ecclesiæ Pater deinceps in *Friderico* II.do, contra *Ottonem* promoto, acerbè persensit.

IV. Sub Crucis Vexillo Galli multi, Itali, Flandríque congregati, Venetiis, ut naves pararent, longiùs morabantur, pecuniæ defectum non modicum subeuntes. Qua usi opportunitate Veneti, largis opibus collatis, eosdem induxerunt, ut sibi adversus Istros, Illyriósque piratas opem addicerent. Tandem ad Jaderæ quoque Urbis, quæ tunc ab Ungaris tenebatur, obsidionem illos permoverunt. Quo pacto, qui adversus paganos sub Crucem vocati, domo exierant, in itinere signa sua in Christianos exsplicârunt, magno *Innocentii* Papæ tædio, animóque in eos non parum acerbo. Cruce signati arma vertunt in Christianos irato Papa.

V. *Leopoldus* Dux, fidem faciente *Catalogo Abbat. Glunicens.* apud Cl. *Hier. Pez.* Scriptor. II c. 329. seq. Abbati *Rapotoni* Parochiam Vici *Diettach* indulsit, ipso vico cum juribus omnibus vicissim recepto, Cambiô Cœnobitis illis pergratô: qui & Patri ejus *Leopoldo* VI. Duci se complura & egregia beneficia debere fatentur. Seitenstetensi Cœnobio Dux noster, juxta Transumtum Diplomatis, subsignati *An. Dom. M. CC. I. Indictione IV.* mecúmque benevolè communicati per Clar. *Hieron. Pezium* insignem Fautorem meum, pariter favit, dum decîdit litem ejusdem cum *Ottone de Husekke* de transgressione terminorum Saltûs *Ibsitze*, causâ Monasterio adjudicatâ, & Adversariô ad renunciationem plenam litis compulsô. *Admontensi* Cœnobio contulit Capellam S. Martini in Ensthal apud Eich juxta fluvium Salzach jure pleno ac perpetuo, erga pactum, ut in eadem Capella ante Altare B. Virginis, & item ante alteram Aram S. Blasii, de proventibus donatis alerentur duo lumina, diu noctúque jugiter ardentia, *pro obtinenda sibi æternæ lucis & quietis gratia, inque memoriam æternam sui, ac Patris, omniúmque Parentum suorum, nec non Odoacris Stiriensium Ducis.* Diploma exhibuit Cl. *Bern. Pez.* Anecdot. III. Part. III. col. 769. ubi se scripsit *LIUPOLDI Magni utriusque Terræ* (nimirum Austriæ & Stiriæ) *Primi Ducis Filium.* Subsignatio habet: *Actum est in ipso Loco Admontensi Anno Incarn. Dom. MCCI.* *Zwetlensi* Monasterio complurium Ministerialium suorum, quos ex nomine Leopoldus Dux beneficus in Glunicenses: Admontenses: Zwetlenses:

mine laudat, collationes amplissimè confirmavit, plenam cæteris pariformiter donandi potestatem indulgens. Subscribitur: *Datum in Zwetel per manus Ulrici Notarii Anno Inc. Dom. 1201. Indict. IV. v. Kal. Januarii.* Conferantur *Annal. Zwetl.* I. p. 240.

Annus 1202.

Cruce signati proscribuntur à Papa; sed rursum solvuntur.

VI. CAptâ Jaderâ, & solo æquatâ, Victores anathemate Pontificio laborabant, partim, quòd Arma in Christianos converterent, partim, quòd Ungariæ Rex, cui Urbem eripuerant, ipse Crucem accepisset. Quoniam verò Veneti admodùm commodi erant, immo necessarii transvehendo in Palestinam Exercitui sacro, ac Præterea suggestum fuit Pontifici, Jaderam ab antiquo Venetis paruisse, vi tantùm ab Ungaris occupatam: diras ille suas primùm Cruce signatis, deinde & Venetis faciliùs remisit. *Philippo* autem Germaniæ Regi penitus placari noluit: cujus Comitia *Leopoldus* sequebatur. Hæc Babenbergæ agebantur, ubi simul Elevatio Sacri Corporis Divæ *Chunegundis*, quondam Imperatricis, & S. *Henrici II.* Imperatoris Virgineæ Conjugis, quam *Innocentius* Papa Anno superiore Sanctorum in Album retulerat, post initium Mensis Septembris celebrata fuit. Atque huic, præter *Philippum* Regem, sacrósque alios & Laicos Principes plurimos, quàm devotissimè adfuisse pariter *Leopoldum* nostrum, Cl. *Puschius* vult in Chronolog. Stir. Miraculo præterea præsenti muti cujusdam restituti maximoperè ait compunctum, incitatúmque, ut redux Anno sequenti, in adsito Pomeriis Græcensibus Colle, huic Divæ Sacellum erexerit.

Elevatio S. *Chunegundis* Babenbergæ:

Cui Dux *Leopoldus* construxit Sacellum.

Alexius Regius Juvenis Græcus fugit Romam: deinde ad *Philippum* Regem, in thronum Orientis restitui flagitans.

VII. Dum interim Occidentis Imperium inter Æmulos, Consiliis, & sociis, & armis sese inter decertantes fluctuaret, Pontifice totis viribus annitente, ut semel probatum *Ottonem* tueretur, à quo verò Principes quotidiè ampliùs avertebantur: Orientis quoque Monarchia sub tirannide miserè laborabat. Ibi quippe postremis elapsi Seculi Annis dominabatur *Isaacius Angelus*, quem Frater *Alexius* dejectum privavit oculis, unaque cum Filio *Alexio* captivum detinuit, liberiore tamen custodia, permissóque visitantium consortio. Quæ res, teste *Niceta* Annal. Libr. III. juveni *Alexio* copiam præbuit, conductis navibus elabendi. Primum perfugium Roma erat, & Pontifex: cui promissa ingentia fecerat de omni Oriente ad concordiam & Obedientiam Romanæ Ecclesiæ reducendo: de Viribus Græcorum cum Latino Cruce signatorum Exercitu conjungendis ad Palestinam revindicandam: de largitionibus ingentibus Papæ faciendis, si ejus ope Pater, & ipse, throno Orientis restitue-

ſtituerentur. Sed *Innocentio* ingratum erat, ſtatuiſſe Juvenem Græcum, implorare Germaniæ Principes, ac præ omnibus *Philippum* Regem, cui Soror ſua Conjux eſſet: quapropter hic in Literis ſuis ad *Innocentium* poſtea datis *Alexium* diſertè Levirum ſuum appellavit, ut videre licet apud *Rainaldum* Annal. Eccles. Tom. XIII. ad Ann. 1203. n. 29. p. 93. Ad hunc proinde etiam feſtinavit, Reginæ Sororis impenſiſſimis precibus vehementer adjutus. Quoniam autem *Philippo* Rivalis Imperii ſui *Otto* magnoperè gravis erat, non habuit, quam *Alexio* impenderet opem, niſi ut eum Principibus, ac præterea Cruceſignatorum Ducibus commendaret.

VIII. Nemo mihi Scriptorum commemorat, *Alexiusne* ſolus, an cum Comitibus, & fortè Propinquis aliquibus venerit in quibus & Stirpis Byzantinæ Auguſtæ Princeps aliqua Fœmina fuerit? Immo *Nicetæ* narrationem ſi premam, anguſto ejusdem fuga, & maximè ancipiti loco conſtiterat, dum eâ proditâ, *Alexius* tirannus, tum imperans, eundem confeſtim per Milites inſecutus eſt, navisque, qua vehebatur, tota perquiſita fuit, ipſo ſub congeſta arena, qua nautæ cymbam ſuam in fraudem oppleverant, deliteſcente. Sed hæc Relatio non excludit omnium neceſſariorum apud fugientem *Alexium* ſocietatem: cùm aliæ Perſonæ eidem Propinquæ, & liberæ, nulla captivitate detentæ, ex condicto fortè animi causâ prævię eum ad locum conferre ſe potuerint, quò ipſe ſolus perfugerat, tuta cum illis trireme ſecuro jam ex portu vaſto ſe æquori commiſſurus. Hoc ut ſuſpicer, in cauſa eſt, quòd nulla aliàs ratione aſſequi poſſim, unde Duci noſtro *Leopoldo* Græca Uxor ſua *Theodora*, quam anno altero duxit. Putem, illam cum *Alexio* veniſſe, ejus preces muliebri & efficaciſſimâ ſuada, cujus lachrymæ argumenta eſſent, promoturam. Neque enim eam in opinionem facilè adduci queo, ut credam, apud Conſtantinopolim adeò turbulentam Ducem noſtrum Oratoribus Hymeneum ſolicitâſſe: minùs ipſe Orientem tum quidem acceſſit. Authoritate porro penitus nulla ſuffulcior, ſi arbitrari liberet, in Aula *Philippi* apud Reginam Græcam aliquam Propinquarum ſuarum commoratam, Principi noſtro, priusquam *Alexius* superveniſſet, in thorum commendatam fuiſſe. Nihil hic luminis affert *Ortilo* noſter. Prædictis verò ex rationibus fidem omnino habendam eſſe cenſeo *Tabulis Cl. Neoburgenſibus*, itémque *Arenpeckio*, diſertè tradentibus, *THEODORAM Imperatoris Græcorum ALEXII Cognatam per eundem ALEXIUM deſponſatam fuiſſe LEOPOLDO*. Quod ego nequaquam de *Alexio* Tiranno, imperium per vim occupante, ſed de *Alexio* Juvene in Germaniam fugiente, poſtea Conſtantinopoli reſtituto, tametſi ſtatim occiſo,

Veroſimillimum eſt, cum eodem *Alexio* pariter veniſſe D. *Theodoram*: quæ poſtea nupſit *Leopoldo* Duci.

occiso, accipio. Nullus interim dubitem ex postea dicendis, Ducem nostrum inter eos, quibus *Philippus* Rex opem *Alexio* procurandam commendavit, haud postremum fuisse: quia egregiæ jam tum existimationis Princeps erat, Juveníque exuli ex Avia quoque sua *Theodora*, Conjuge *Henrici Jasomirgott*, Cognatus.

Hujus Benefacta in Admontenses: IX. Cæterùm Pietas *Leopoldi* in Ecclesias hoc anno otia non duxit. Docet námque Chronologus Stirensis paulò antè laudatus, eum elabente Vere, in florentissimo ad Montes Cœnobio Benedictino agentem, illud, obsecrante *Joanne* Abbate, singulari cum benevolentia in Tutelam admisisse. Seccovienses: Seccoviensi adhæc Præposito prolixam quoque Membranam, qua universam ei Fundationem clementissimè confirmavit, extradidisse, signatam *apud Admundiam An. Dom. Milles. Ducenter. Secundo IV. Non. Junii Indict. V. sub Burchardo Protonotario.* Initium est: *Quia Divinæ dispensationis providentia Gubernationem Stiriensis Principatus assecuti sumus pariter & adepti; dignum DEO Ministerium nos exhibere credimus, si post auctli nostri Culminis magnificentiam Religiosarum Ecclesiarum Domus bonorum temporalium devotis subsidiis, & Protectionis nostræ clypeo studuerimus ampliare.* S. Lambertinos. Excellent.^mus quoque D. Comes *Wurmbrandius* Collectan. Genealogicor. Cap. 65. p. 151. è Documentis S. Lambertinis Stiriæ allegat Privilegium, eidem Illustri Asceterio *Gratzii An.* 1202. *Indict. IV.* (emendandum V. quæ huic anno respondet) *Idibus Decembris* perbenignè indultum. Quantum quisque DEO favet, favet & sibi.

Annus 1203.

X. SOlvit hoc anno portubus Venetis Classe trecentarum propè navium Exercitus Cruce signatorum, diversis è nationibus collectus, totique Palestinæ expugnandæ par creditus. Antesignanus Sacer, communibus præcipuè Germanorum votis, electus erat *Martinus* Abbas Cisterciensis in Monasterio Parisino juxta Basileam, cui Crucis prædicandæ negotium ab *Innocentio* Papa antea pro Germania peculiariter fuit injunctum. Duces maximè illustres fuêre Marchio Montisferati *Bonifacius*, item *Balduinus* Flandriæ Comes, *Dandalus* Dux Venetorum, *Simón*que Comes Montfortius. Constantinopolis à Latinis capitur. Nutu Pontificis Alexandria petenda erat: sed *Philippi* Regis Romanorum partim jussu, Germanos quod spectabat, partim hortatu, & obsecratione, restituendi *Isaacii Angeli*, & Filii ejus juvenis *Alexii* causâ, Constantinopolis accedebatur. Captum hoc Consilium, quantumlibet reclamantibùs *Innocentii* Papæ, qui Classem comitabantur, Legatis,

Legatis, primùm: Quòd usu misero constaret, Græcorum perfidiam semper antehac Expeditionibus Latinorum plurimùm nocuisse; jam verò summam adesse opportunitatem, deinceps hæc damna, subactis Græcis, prævertendi, causa justissima militante, ut *Alexii* tiranni crimen plecteretur, quo *Isaacium* Fratrem non modò Regno dejecit, verùm etiam lumine oculorum, ac libertate privavit. Deinde, quòd Juvenem *Alexium* Sponsorem liberalissimum secum haberent Unionis Græcorum cum Romana Ecclesia faciendæ, præbendorum pro expeditione ingentium sumtuum, & numerosi præterea Exercitus Græci Latinis adjungendi. Quæ causæ ipsum tandem etiam Pontificem flexêre, ut occupatoribus Constantinopoleos delicti, & ausus, contra votum suum attentati, proniorem veniam indulgeret. Interim Græci haud imparati nostrorum adventum excepêre, sed majori numero, quàm animo, & virtute. Iterum quippe iterúmque cæsi, & fugati, intra octiduum Urbem suam dedêre. Restitutus *Isaacius* cum *Alexio* Filio: *Alexius* tirannus fugâ elapsus. Prolixè ista exposuit *Guntherus* Monachus Cisterciensis ex ore Abbatis sui *Martini* antè laudati, qui sacri exercitus Ductor fuerat, aliorúmque Obsidioni præsentium, in *Historia Constantinopolis à Latinis subactæ*: quam Tom. V. Antiquar. Lection. Celeberrimus *Henric. Canisius* S. J. ex MS. Ingolstadiensi vulgavit. Legitur hoc pariter apud *Nicetam* addentem: *Actum hoc est mense Julio Anno VI. MDCCXI.* videlicet ab Urbe Constantinopoli condita, sive, uti combinat *Raynaldus*, anno Chr. 1203.

XI. Hæc inter Dux noster *Leopoldus* consueto Pietatis in Sacras Ædes tramite pergens, Seitenstadio iterum gratiosus, Decimationes apud Sunilburch, jam diu eidem injustè ablatas, devota mente restituit, longam injuriam ad æquitatem revocare curans: præterea verò eidem cænobio à suis majoribus, vel à se dudum gratiosè collata, rursum contulit, ac confirmavit. Videlicet: Capellam apud *Rebegewe*, & *Fodrum*, quod de bonis ipsorum habere posset; item telonei libertatem, & facultatem, ut sui ministeriales Cænobio bona sua pro peccatis liberè donare, ac tradere possint. *Datum apud Newnburch Ann. Inc. Dom. M. CC. III. Indict. VI.* Transumptum est apud me favore *Peziano*. S. Cruci in Austria sua inferiori sylvulam juxta rivum Sattelbach, à Patre suo olim donatam, confirmavit *An. ab Inc. Dom. MCCIII. Indict. VI. Anno Ducatus in Austria V. Stiriæ IX. Datum in S. Cruce V. Kal. April. per manus* Hartungi *Notarii.* Chartam exhibuit Cl. *Bernard. Pez.* Cod. Dipl. P. II. n. CVI. p. 63. Insuper Canoniæ Regulari S. Nicolai Pataviæ extra muros Libertatem à Vectigalibus per Terras suas concessit *per manus* Danielis *Notarii apud Nuenburch Ann. Dom.*

Leopoldus Dux favit S. Cruci;

Item S. Nicolao Pataviensi.

Incarn. MCCIII. | *Ind. VI. Id. April. VII.* Harum Literarum integrum tenorem postea *Fridericus* II. Imp. Confirmationi suæ, apud Wiennam AN. 1237. mense Aprili datæ, inseruit: quam *Gewoldus* in Addit. ad *Hundium* Tom. II. p. 379. sq. evulgavit. Præcipuum verò Ducis nostri hoc anno negotium fuerant Nuptiæ suæ cum D. *Theodora* Græca: de cujus tamen Parente, Annóque Connubii initi inter scriptores haud undique convenit.

Præterea nupsit.

De Patre Conjugis ejus D. *Theodoræ* nihil exploratum.

XII. Patrem quod attinet, Chronica Patria, hoc dissimulato, hanc Dominam modò *Filiam*, modò *Neptem*, jam *Exneptem* appellant Regis Græcorum, aliàs *Cognatam*, aliàs *Amitam* juvenis *Alexii*. Cl. *Lambecius* in Diario Itin. Cellens. p. m. 15. *Ennichelii* Chronicon Rythmicum vernaculum in MS. Vindobonensi à se inspectum, tutissimè sibi sequendum censuit, ubi de Nuptiis *Leopoldi* Ducis ita legerat.

Ein Frawe er zu Kan (*zur Ehe*) nam,
Die von Tugent ein Pluem der Stam,
Und geporen aus Kriechnlant:
Der Frawn Vater waz (*war*) so genant,
Chunig EMANUEL.
Sie waz im lieb sam (*wie*) sein Sel.
Und waz gehaissen THEODORA.
Man hiez si ze Oesterreich herna
Nach dewscher Sprach GEDRAWT. &c.

Qua fretus authoritate Vir Celeberrimus, Tabellam Genealogicam subjunxit, in qua *Theodoræ* nostræ Parentem tribuit *Manuelem Comnenum* Græcorum Imperatorem, defunctum AN. 1180. Fratres *Andronicum*, & *Alexium* Comnenos, æquè post Patrem Augustos: Nepotem ex Fratre *Alexio* iterum *Augustum*, nimirum *Isaacium* Angelum: cui *Alexius*, in Germaniam profugus, Filius erat. Sed hæc accipere poterat ab *Ennichelio* eo tempore, quo Historiam Austriæ ingens adhuc caligo involverat: cujus Testis eâdem in Tabella ipse *Lambecius* exstitit, dum à latere *Theodoræ* Maritum ejus ita descripsit. *LEOPOLDUS Septimus hujus Nominis ex Suevica Comitum Babenbergensium Familia: qui in Ducatu quidem Austriæ successit Patri LEOPOLDO VI. An. 1193. In Ducatu autem Stiriæ Fratri Natumajori FRIDERICO Anno 1198.* Rectè è converso hæc acciderunt, Natumajore Filio Patrem in Austria, *Leopoldo* verò in Stiria eundem excipiente. Quem ergo domestica fefellerunt, fidem nobis in Græca Genealogia tutam facere nequit. Ego quæ-

quæstionem hanc de Patre *Theodoræ* in medio relinquo: sufficiat, refragante nemine, eandem Augusto Orientali Sanguine progenitam esse.

XIII. Nuptias factas esse idem *Lambecius* cum *Wichardo Polheimio* Archipræsule Salisburgensi in Chronico inedito statuit An. 1202. adstipulantibus Chronico *Zwetlensi* MS.[to] item *Australi* apud *Freberum*. Chronicon porro *Cl. Neoburgense*, & alterum in Inclito S. J. Collegio Neostadii, laudante Cl. *Puschio*, easdem bis notant, annis videlicet 1202. & 1203. Quod Chronologus iste Stiriacus refundit in complurium ejus ævi Historicorum consuetudinem, annum novum à Natali Domini inchoandi: & ideo Hymeneum istum An. 1202. sub ipsa Festa Natalitia Wiennæ splendore propè Augusto peractum existimat. Contrà autem non modò Chronica, *Mellicense*, *Garstense*, & *Augustanum*, cum *Sundhemio*, & *Arenpeckio*, hoc Connubium consignant in annum 1203. Sed etiam *Ortilo* noster ita disertè testatur. *Mcciij. Dum in Lilienveld fundamenta Templi, & Claustri ferventer ponerentur, Dux LEOPOLDUS in Wienne Dominam THEODORAM ex Græco Imperatorum Sanguine illustrissimam Conjugem accepit Regia pompa. Regem deinde* PHILIPPUM *præsentem secutus est.* Vel unus hic certissimè sinchronus Testis, omnium optimè conscius, nemini non fidem plenam æquissimè faciat. Cui bellè consonare videtur, quòd, narrante *Godefrido* Coloniensi, Rex *Philippus*, ob adversantium copiam, ab oppugnatione Landgravii Thuringiæ recedens, & Erfordiæ, ubi à Palatino Bohemóque obsidebatur, *nocte media cum paucis exiens* ad Orientales Marchiones *se contulerit, ut* auxiliis Contractis *quoquo pacto Milites inclusos liberaret.* Occasionem hìc videmus descensus *Philippi* Wiennam, & præstiti eidem in reditu à Duce *Leopoldo* Comitatus.

Nuptias factas esse An. 1203. constat jam ex Ortilone.

Annus 1204.

XIV. ET fatum quidem mox dicti *Philippi* Anno priore, propter aversum ab eo Regem Bohemiæ *Premislaum*, non minimùm claudicans, tantam *Ottoni* æmulo fiduciam præbuit, ut scriberet *Innocentio* Papæ, rem Adversarii sui proximè conclamatam fore: jam proinde id meditari *Eberhardum* Archiepiscopum Salisburgensem, cum suffraganeis omnibus Bavariæ Episcopis, Duces insuper Bavariæ, Austriæque cum provinciis suis, ut apud se gratiam quærerent. Neque defuit credulus Pontifex, hos omnes peculiaribus literis ad fidem *Ottonianam* solicitare. Verumtamen providi Principes ita se adversus *Ottonem*, cùm se illi fortuna arridere mentiretur, verbo factóve gesserunt, ut eum non planè respuerent, & ne Ponti-

Fortuna Philippi Regis.

tificem nimium offenderent. Opportunè interim in commodum *Philippi* gravia Bavariæ Principum dissidia & bella conquievêre, Milite, quo se invicem hucusque confecerant, in ejus Castra Goslariam adducto. Ibi dimicandum erat *Ottoni*: cùm ecce Frater ejus Germanus *Henricus*, minis *Philippi* conterritus, & à Fratre postulatione Brunswici fraudatus, Signa mutavit, fraternam aciem deserens, ut præter fugam jam nihil consilii *Ottoni* infelici superesset. *Philippus* contrà, hoc socio auctus, tantum viribus profecit, ut egregiè comparato exercitu Thuringiam subintrans, profligatô Bohemô, tam hunc, quàm Landgravium Thuringorum ad obsequia sua haberet. Quam fortunam ita pertimuit Elector quoque Coloniensis, quo uno scipione *Otto* hucusque firmissimè nitebatur, ut & ipse *Philippo* jurans, Regiam eidem Unctionem à se faciendam ultro polliceretur.

Constantinopoli pereunt novi Imperatores.

XV. Orientis Imperium gravius longè fulmen concussit. Nuper enim in solium per Cruce signatos iterum elatus *Isaacius*, cum *Alexio* Filio juvene, sublatus erat, ut lapsu graviore corrueret. Latini quippe, subdolè rogante Imperatore, extra Urbem suis in navibus demorati, ne inæqualitas morum dissidiu cum civibus pareret, fide bona collati auxilii promissam mercedem præstolabantur. At verò, quod ipse *Balduinus* Flandrensis Comes *Adolpho* Archiepiscopo Coloniensi perscripserat, Epistolà apud *Godefridum Coloniensem* legenda *Frikeri* Tom. I. p. m. 371. sqq. *ALEXIUS, cum Patre, Patriarcha, & mole Nobilium, in omnibus, quæ Adjutoribus suis promiserat, perjurus & mendax, tot incurrit perjuria, quot eisdem juramenta præstiterat.* Conabatur, fortè autem non tam sua, quàm *Alexii* cujusdam *Ducæ*, aliàs *Murzuphli* appellati, malitiâ, eam ipsam Classem, quæ ipsum advexerat, incendere. Quod cùm DEUS non permitteret, eùmque urgeret solutio, neque Græci in præstationes indictas consentirent: tumultus in Urbe gravissimus excitabatur, *Isaacio* sive præ timore exanimato, sive veneni potione sublato. *Alexium* Filium ejus *Murzuphlus* perfidia summâ noctu dormientem propriis manibus strangulavit, & clava ferrea caput ejus, costásque conquassans, propalavit in vulgus, eum è turri cecidisse, multísque nequiter compositis lachrymis ad Sepulchrum comitabatur. Tum ipse, alio adhuc æmulô sublato, imperium invadens, universam Urbem concitavit adversus Latinos, numerúmque turrium lapidearum plurimis novis ligneis interpositis geminavit.

Quam Urbem Latini summo cum discrimine iterum occupârunt.

XVI. Hærebat fortuna & salus Cruce signatorum saxum inter & vadum, dum hyems cursum prosequi vetaret, longiorem porro moram ad Urbem Annonæ penuria interdiceret, perpetua deinde è turribus in eos sagittarum excussio fieret, & muri propè litora ducti prohiberent, ne scalæ applicari, & obsidio

sidio suscipi posset. Egrediebantur etiam aliquando Græci ad conflictum: sed multa clade affecti, nunquam deinceps aperto Marte, quod unum nostri optâssent, decertabant. Tandem re ad extremum apud nostros vergente, temerè potiùs, quàm audacter, necessitate compulsi, ipsa Dominica Passionis assultum Urbis fecerunt: tota verò illa die nil nisi cæsi, ac repulsi, sequenti præter omnium spem Urbem conscenderunt. Tum cædes, ut prædæ modum nullum tenebant. Auri, argenti, vestium, rerumque omnium pretiosarum tam inæstimabilis copia reperta, quantam, ut iterum scripsit *Balduinus*, vix tota Latinitas possidere videbatur. *Murzuphlus* clam Urbe subsidio noctis effugit: nostri verò novi Imperii Domini, communibus votis eidem mox dicto *Balduino* Coronam Orientis in Dominica Jubilate imposuerunt. Hoc fatum Constantinopolis Chronographus *Cl. Neoburgensis* commemorans ad annum 1205. subjunxit. *Direptis opibus contigit, non parvam Dominicæ Crucis Portionem, cum aliis sacris Reliquiis, Duci Austriæ* LIUPOLDO *perferri.* Sic nihil ferè insigne agebatur in Mundo, in cujus communionem Austria non veniret. Cæleste hoc Donum à *Balduino* novo Augusto nostrum ad Ducem pervenisse, & nobis per hujus Clementiam cælitus destinatum esse, Decade altera ex *Ortilone* nostro docebo. Pervenerat autem citra dubium, tum, quia Græco extinctorum Imperatorum sanguini communicabat *Leopoldus*, tum etiam, quia Exercitui Latino, sacróque, Author & Hortator præcipuus fuerat, ad Expeditionem Constantinopolitanam magno animo aggrediendam.

Ibi *Balduinus* creatus novus Imperator Orientis: à quo *Leopoldo* Duci submissa Portio S. Crucis.

XVII. Superest porro alius adhuc paragraphus perhonorificus Historiæ *Leopoldinæ* pro anno præsenti ex *Ortilone*, dum scripsit. *MCCIV.* EMERICUS *Hungariæ Rex obiit.* ANDREAS *Frater debebat esse Tutor* LADISLAI *Filii ejus: sed ut Regem se gessit. Regina Mater* CONSTANTIA *cum Filiolo, & Corona Regia fugit ad* LIUPOLDUM *Ducem. Hic exules benignè recepit, & pro eorum favore arma paravit.* Consonat præter Chronicon *Cl. Neoburgense*, etiam diffusior nonnihil Chronographus *Admontensis* apud Cl. *Pezium* his verbis. *Regina Hungarorum,* HEIMERICI *Regis Vidua, secum habens quosdam Episcoporum, & Optimatum Hungaricorum, qui propter jusjurandum, quod Infantulo Regi juraverant, adhuc in parte ejus stabant, per vim occupatis portis, & custodiis terminorum Ungarici Regni versus* WIENN, *ducens secum Filium suum, cum thesauris & divitiis magnis, & comitatu copioso egressa est, & à* LIUPOLDO *Duce, de quo propter affinitatem plurimùm præsumebat, magnificè suscepta.* Quamquam autem Fuga ista Reginæ in Chronicis laudatis recenseatur AN. 1205. non tamen ideo id factum, quia hoc anno contigit: sed quia

Ipse Reginam Hungariæ cum Filiolo ad se confugientem peramanter suscepit.

Chronographis iſtis pro more placuit, Regis infantis mortem, quæ initio Anni 1205. evenerat, uno filo enarrare. Fallit ergo *Turoczii*, *Bonfinii*que Scriptorum Ungarorum calculus, dum *Emerici* Regis mortem quadriennio præoccupantes Anno 1200. alligârunt, ipſi interim confitentes, *Ladislaum* infantem, vivente Patre jam coronatum, à morte ejus paucis duntaxat menſibus ſuperfuiſſe. Exceptio interim ac Protectio Reginæ, tanquam Pietas inſigniter Hoſpitalis, egregium ſanè Laudum *Leopoldinarum* eſt caput.

Benefecit Admontenſibus: XVIII. Quibus addere decet nova quæpiam argumenta Pietatis in DEUM. Codex certè Diplomaticus Admontenſis apud Cl. *Bern. Pez.* Anecdot. Tom. III. Part. III. col. 770 ſqq. non unam redhibet chartam, licèt epocha deſtitutam, qua Dux noſter Cœnobium iſtud ab indebitis eorum exactionibus, qui Dominicalium erant Adminiſtratores, liberavit. Uti & Advocatiam hujus ejusdem Aſceterii ſuo nomine commiſit *Chunoni de Werfſen* quàm exactiſſimè, *ſed ſolius DEI reſpectu, ſuæque Dilectionis intuitu* gerendam. Tegernſeenſibus: Tegerſeenſibus quoque Cænobitis eundem hoc Anno 1204. Privilegium quoddam percommodum, gratiſ tamen certâ nullâ expreſsâ impendiſſe, apud *Hundium* Metrop. Salisb. Tom. III p. 269. lego. Teſtis mihi pariter eſt Perill. D. *Joan. Georg. Adamus L. B. de Hobeneck* in præclaro Opere Genealog. Hiſtor. de Inclit. Statib. Auſtr. Super. Part. I. p. 109. Dominum *Ottonem* Præpoſitum Antiquiſs. ac Celeberr. Canoniæ S. Floriani, *S. Floriani* à Duce noſtro haud unum Privilegium tuliſſe: quorum facilè præcipuum erat illa charta apud ſe exſtans in fide digno Tranſumto de dato Wiennæ XVII. Cal. Auguſt. MCCIV. Qua Aſceterio illi perpetuam Immunitatem Fori Judicialis, quam præſente Duce à Dominis de Volckersdorf præfatus Præpoſitus 350. libris Numorum redemerat, confirmavit. Cæterùm hoc pariter anno D. *Wolfgerus* egregius Præſul Patavienſis ad Patriarchatum Aquilegienſem electione ſubvectus, Cathedram ſuam D. *Popponi* Præpoſito Aquileienſi reliquit, ſed fortè demum anno ad eam aſcendenti. *(In margine: D. Poppo fit Epiſcopus Patavienſis.)*

Annus 1205.

Leopoldus Dux pro Ladislao infante Ungariæ Rege arma corripiens, hoc defuncto, ea ponit.

XIX. PRimus hìc *Ortilo* ſequentia verba facit. *MCCV. Dux LEOPOLDUS in bellum proceſſit adverſus ANDREAM Ungarum pro LADISLAO puero Rege. Sed hic, parato jam prelio, Wiennæ defunctus eſt: & ſic ANDREAS jam legitimus Rex erat. Dux LEOPOLDUS milites ex Hungaria reduxit, & attulit PHILIPPO Regi contra æmulum OTTONEM. Interea nata eſt ei Filia MARGARETA IV. Id. Aprilis.* Tria hìc docemur: 1.° Ducem noſtrum adverſus *Andream* Ungarum arma

mâ expediisse: 2.do Sublatâ bellorum causâ reduxisse militem, & adduxisse *Philippo* Regi: 3.tio accepisse Primogenitam Filiam *Margaretam.* Primum, alterúmque pariter docuêre Chronica, *Cl. Neoburgense*, & *Admontense*: tertium, tanquam rem quasi minoris momenti, neque facilè alteri, quàm diligentissimo Scriptori curatam & cognitam, uni *Ortiloni* debemus. Libet verò Chronographum *Admontensem* propria ex narratione audire. *Paucis transactis diebus* (ait ille) *LADEZLAUS infans moritur, corpúsque illius à Jaurino Episcopo Albam translatum, & in Sepulchro Regum Regio more tumulatum est. Sicque sedata est controversia ingens & grandis, quæ inter Ducem & ANDREAM Regem orta fuerat, pro repetenda tam Regina, quàm Thesauris, seu Corona, quam simul asportaverat, in tantum, ut contractis utrimque exercituum copiis inter se dimicaturi resiRerent. Post hæc LIUPOLDUS Dux Reginam liberalissimè habitam, & honoratam, cum obsequio Regali in Terram Nativitatis suæ Fratri suo, Hispaniarum* (lege Arragoniæ) *Regi, decenter transmisit.* Nascitur ei Filia *Margareta.*

XX. Nempe *Andreas*, magno gloriæ zelo à teneris actus, viventi Regi Fratri *Emerico* multis annis rivalis erat, eapropter An. 1199. regno pulsus, sed à *Leopoldo* Duce, ad quem confugerat, correptîs etiam in *Emericum*, hanc Hospitalitatis tesseram ulturum, armîs, propugnatus, Fratrique reconciliatus est. Ab hoc tamen postea custodiæ datus, & instante sibi morte non, ut optaverat, Successor, sed Filii infantis Tutor duntaxat, Regníque Administrator institutus fuit. Quod munus ita gessit, ut nemini obscurum esse sineret, se Regnum sibi potiùs, quàm Nepoti jam coronato stabilire. Quare Vidua Regia Mater tam vitæ, quàm Coronæ pro Filio solicita, hunc, & illam, cæterósque thesauros, una secum *Leopoldi* Austriaci Charitati & fidei credidit. Quid ageret *Andreas?* Vivente Rege infante sibi Regnum tutum non erat: Coronâ patriâ non ornatus, reverentiam subditorum & obedientiam sperare non poterat, cùm tanta sit Ungarorum in Sacrum Diadema suum Apostolicum Religio, ut neminem Regum, cui illud impositum non fuisset, sive legitimum, sive felicem arbitrarentur. Angebat insuper eundem præ omnibus, tam Regis, quàm Coronæ custodem nunc esse Ducem Austriacum: cujus cùm antea fortitudinem pro se exertam, quanta foret, oppidò comperisset, omnino malebat, amicum eum potiùs, quàm hostem habere. Arma nihilominus instruxit, eduxit militem, aleam, utcunque caderet, experturus. Sed Martem inopina mors Infantis Regis avertit. *Leopoldus* námque, qui non, nisi causis æquissimis provocatus, in arma prosiluisse alicubi legitur, Princeps, pacis quàm belli semper amantior, impuberis duntaxat Regis tutelam Causæ Ungaricæ amplior evolutio.

lam enſe acturus, hoc extincto, è veſtigio Gladium retraxit, *Andreæ* jam legitimo Regi thronum officiosè gratulatus eſt, nulláque interpoſitâ mora Regni Coronam extradidit. Ita optimi quique Principes agunt, qui uni Juſtitiæ, nequaquam verò privatis ſuisque commodis, enſe pio & Religioſo obſequuntur.

Conſtantiæ Reginæ *Leopoldus* iter commodum in patriam Arragoniam fecit.

XXI. Regina Vidua *Conſtantia*, perditô Filiolô, Pannoniam turbidam deteſtata, Ducis noſtri munifico & gratioſo obſequio, Patriam ſuam Arragoniam læta repetiit. *Petri* quippe II. Arragonum Regis Germana erat & Soror, paulò pòſt *Friderico* II. tunc Siciliæ Regi, deinde Imperatori, ſecundis votis jungenda. Quibus apud Illuſtriſſ. *Manriqueum* noſtrum Annal. Ciſterc. Tom. III. p. 494. n. 7. eximium teſtimonium perhibet *Zoritas* aliàs *Hieronymus Surita* in Indicib. Rer. Arragonicar. ad AN. 1208. ita notans. *CONSTANTIA Regina, Regis PETRI Soror, quæ EIMERICO Viro, Hungariæ Rege, vita functo, LEOPOLDI Auſtriæ Ducis ope, Principis, Propinguitatis vinculo Arragoniæ Domui adjuncti, ad Fratrem reverſa fuerat, adnitente SANCTIA Regina Parente, FRIDERICO Siciliæ Regi Cæſaraugustæ deſpondetur.*

Philippo Regi recens coronato ſuppetias Coloniam adduxit.

XXII. Dum autem prædicta agerentur in Auſtria, Rex *Philippus* teſte *Godefrido* Colonienſi, ad imminentia Epiphaniæ Solemnia cum pluribus Regni Principibus Aguisgrani conveniens, occurente ſibi Archiepiſcopo Colonienſi, poſt habitum cum Palatino Senatu Conſilium, ne Principes liberam ſuam Electionem ex veteri more inſtitutam deperderent, Regium Nomen & Coronam depoſuit, utque ab omnibus nova concordia eligeretur, iis precibus popoſcit, quas reſpui non poſſe ſecurus erat. Repetitis itaque auſpiciis Rex Germaniæ unanimi præſentium voto ſalutatus, unacum Conjuge Græca *Irene*, ſive *Maria*, ab *Adolpho* Colonienſi Archi-Antiſtite inunctus fuit, & coronatus. Verumtamen hoc facto ſuo Præſul infelix *Innocentii* Papæ ſummè indignantis præcordia tetigit, ita læſa, ut iras diráſque in eum eructarent, gradu ſuo dejectum, & *Brunone* contra ſe in Sedem Colonienſem ſuffecto. Agrippinates autem Cives nequaquam ad *Philippum* reverſi, ſed *Ottoni* fidem conſtanter ſervantes, irritârunt Regem noviter coronatum, ut collecto maximo exercitu Urbem aggrederetur. *Qua in Expeditione* (ait *Admontenſis* Chronologus) *LEUPOLDUS Auſtriæ Stiriæque Magnanimus Dux, copioſam & electam Militiam ducens* (quam nimirum paulò antè ex Hungaria reduxerat) *& non minus munificè quàm magnificè agens, Principibus aliis præſtantior, fortibùsque Geſtis famoſior, atque clarior exſtitit.* Quia verò Colonia Urbs admodum grandis, munita, & copia hominum opple-

oppleta, fortissimè restitit, neque res *Philippi* tunc ferebat, ut ante eandem longa cum prolixitate hæreret, aliis hostibûs occurentibûs, soluta fuit obsidio: Nissa tamen vicina in deditionem accepta.

XXIII. Vix interim ambigo, dum his in Castris cum Rege Dux noster versaretur, ad utrumque à *Balduino* novo Constantinopolis Imperatore Donaria Græca, potissimum Sacra venisse, & *Leopoldo* nostro S. Crucis palmarem ferè Portionem delatam fuisse. In hunc quippe annum omnia Chronica fortunam istam conjiciunt. Redux autem his è Castris Dux noster, inque Stiriam reversus, obvium habuit & gratulantem novum tunc Runæ Abbatem *Theodoricum*: cui supplicanti, uti fidem facit Cl. *Püschius*, Princeps in sacras Religiones, maximè Cisterciensem, undique clementissimus, chartam dedit, qua Runensibus ex Ferri-fodina sua tantum indulsit, quantum è follibus quatuor provenire poterat.

His in Castris videtur accepisse Particulam S. Crucis.

Clemens exstitit Runensibus.

XXIV. Non interim hìc omnino dissimulandum, sed vel verbulo deflendum est fatum *Balduini* Augusti mox dicti, modestissimi ac religiossimi Principis, vel hostium, i. e. scriptorum Græcorum, testimonio commendati, insignitérque laudati. Dum námque rebellem Adrianopolim ad officium reerdacturus illuc exercitum applicuisset, *Calo-Joannes* Wallachiæ vel Bulgarorum Regulus, incitatus à Græcis, grandi cum exercitu in eum movit. Cui cùm obviaturus, ab Urbe ordine non satis providè composito discederet, neque suos adhuc congregatos haberet, circumfusus ab hostibus, post acerrimam quidem pugnam, victus tamen, & captus est. Quid eidem à *Calo-Joanne* factum, in hanc diem tutò non constat: id verò certum, eum haud ampliùs apparuisse, ac mortem ejus, non item mortis genus, tutissimo nuncio Constantinopolim esse perlatam. Si *Nicetas Choniata* Scriptor Græcus audiendus, Tirannus præfatus eidem vivo tibias, & brachia, ferra præscindi, sicque mutilatum in vallem præcipitari jussit, ab avibus & feris devorandum. *Georgius* autem *Logotheta* æquè Græcus vult, eum capite plexum, ac postea cranium ejus exsiccatum, auróque & argento ornatum, *Calo-Joanni* pro poculo, è quo biberet, ad mensam serviisse. Utrumque crudelius multi habent, quàm ut credant in tam summum Principem fuisse commissum. Qui proinde existimant, *Balduinum* in carcere tam diu detentum, usquedum sine vi emoreretur. Constantinopoli novus Augustus Anno sequenti proclamatus fuit *Henricus* Frater *Balduini*. Conferatur *Raynaldus* ad hunc Annum.

Fatum dolendum Balduini Imperatoris Constantinopolitani.

Annus 1206.

Philippi Regis prospera sors.

XXV. PHilippus denuo ingenti cum exercitu inferiorem Germaniam invadens, obvium habuit æmulum *Ottonem:* quem verò in insidias pertraxit, ut hostibus circumfusus profligaretur, ac fugaretur, Oppidúmque aliquod vicinum ingressus, & ibi pariter à *Philippo* Victore circumdatus, ægerrimè cum tribus duntaxat sociis evaderet. Abinde Rex triumphator propè iterum ad Coloniam accedens, Montem propinguum cum exercitu cohibendorum Coloniensium ergò insedit. Qui, cùm periculum persensissent, ac præterea totum quasi Imperium *Philippo* devotum viderent, tandem & ipsi eidem conciliati, inque fidem recepti sunt. Sic ab omni ferè Geramania desertus *Otto*, despondit animum, cúmque Æmulo Colloquium instituit: cujus effectum Chronographi alii apud neminem vulgatum esse tradunt, alii, non plus de eo cognitum fuisse, quàm quòd ambo certas conditiones mutuò offerrent, quin tamen in easdem convenirent. Prospera porro *Philippi* sors animum ei addidit, per Oratores, ac Epistolam, pertentandi *Innocentium* Papam, cui nihil non obsequii digni spopondit, ut sibi eundem conciliaret. Pontifex verò & ipse, infortunio *Ottonis* solicitior redditus, primùm per Legatos armorum annuam quietem inter utrumque procurare studebat, quod reliquum erat, per otium hujus quietis actitaturus. Quam operam in his Dux noster interposuerit, nullibi reperi: qui si fortè *Philippo* Milites addiderit, ipsum tamen eidem adfuisse hoc anno, vix demum mihi persuadeo, cùm totum se novellæ suæ apud nos perficiendæ Fundationi impenderit, uti §. III. luculentè patebit. Inde nec *Ortilo* noster publicarum rerum à Duce nostro hoc anno gestarum quidquam commemoravit, præterquam quòd scripserit: *Mccvj. Hoc anno Dux LEOPOLDUS ex DEI gratia accepit duas Filias: Unam iterum secundum carnem, quia nata est ipsi AGNES XIV. Kal. Augusti: Alteram spiritalem, nimirum Monasterium suum &c.*

Leopoldo nascitur altera Filia, Agnes.

Devinxit ille sibi rursum Admontenses:

XXVI. Admontenses verò eum sibi denuo beneficum clementémque sensisse, liquet ex gemina ejusdem Charta, quæ est in *Cod. Dipl. Admont.* col. 771. sq. Primùm námque Religiosissimis his Cœnobitis, quotiescunque emendi causa ad forum Austriæ sive Stiriæ accederent, omne jus fori, ab Officialibus suis aliàs exigendum, integrè remisit. Deinde predium in Fustriz, quinque nimirum Mansus cum Molendino, eidem Cœnobio à D. *Elisabeta de Gutenberch* donatos, confirmavit, suámque in Tutelam recepit, subsignatâ chartâ *apud Admunt An. Inc. Dom. MCCVI. Indict. XII.* (legendum IX.) *in Vigilia Assumtionis B. MARIÆ.* Parem similiter ejusdem Dominæ Libera-

beralitatem erga inclitam Runam, cui ad votum Viri sui *Luitoldi* defuncti Alpes, quæ vocantur Necistal, recognovit, ac testamento confirmavit, Dux noster Charta sua ejusdem Anni, quam laudat Cl. *Puschius* Part. II. p. 138. gratam ratámque habebat. Tandem circa hunc pariter annum, uti calculum duxit Cl. *Hueberus* Archiv. Mellicens. p. 11. n. 2. D. *Hainricum de S. Vito* coram se in fidem adegit, ut Beneficia, quæ à Mellico haberet ad vitæ terminum, nullo unquam tempore alicui vel Propinquorum, vel Exterorum, ultra quàm ipse victurus esset, concederet, vel quocunque Genere obligationis obstringeret, sed omnia illico à morte ejus Monasterio remitterentur. Neque putem, Donationem Predii Gundramstorff, quam hoc anno, testibus *Annal. Zwetl.* Tom. I. p. 246. *Henricus Dux de Medlico* Patruus *Leopoldi* huic Cœnobio fecerat, absque Ducis nostri assensu evenisse. Cæterùm *Poppo* Pataviensis Ecclesiæ perbrevis Præsul, uti disertè adnotavit *Ortilo* noster, hoc quoque anno VII. Kal. Januarii, i. e. die 26. Decembris, obivit. Testimonium hoc, cùm fidem integerrimam utique promereatur, suffragium fert Catalogo *Tegernseensi*, *Schritovino*, ac *Hundio*, eandem *Popponi* decedenti epocham assignantibus: ad quos tamen hæsitaverat Cl. *Hansizius* Metrop. Laur. p. 350. Quamquam interim durationem Sedis hujus Antistitis ex *Ortilone* nostro conficere non liceat, cùm ejus ingressum subticuerit.

Runensis; Mellicensis; Zwetlensis. Decessit *Poppo* Episcopus Pataviensis.

Annus 1207.

XXVII. OTto anno superiore tam infelix, unicum adhuc præsidium Rerum suarum, tam vehementer collapsarum, ponebat in *Joanne* Angliæ Rege Avunculo suo, cui se noverat à Pontifice impensiùs commendatum. Quem proinde adivit, ex Anglia reversus cum triginta marcarum millibus juxta nonnullos, juxta alios verò solummodo cum millibus quinque. Papa interim *Innocentius*, cùm *Philippus* Rex, cui & belli fortuna, & Principes ferè omnes faverunt, se ipsi tam obsequentem & morigerum exhiberet, nullàque uspiam vi ad eum sibi inclinandum usus esset, quod animo præceperat, hoc anno executus, Legatis in Germaniam submissis eundem erga præscriptas conditiones ab excommunicatione absolvi curavit: deinde Concordiam integram ambos inter æmulos hac ratione perficere tentabat, ut alteruter eorum communi omnium, omnino Principum consensu eligeretur, à se confirmandus, ac coronandus. Et si, quod fore omnino existimabat, in *Philippum* Vota convenirent, ab eo petiit, ut *Ottonem*, locata eidem Filia sua *Beatrice*, sibi Generum faceret. Sed Colloquio gemino inter utrosque, præsentibus Legatis ac Principibus quibusdam,

Pontifex *Philippo* reconciliatur.

habito, adeò convenire nequibant, ut præter anni unius inducias ex *Ottone* impetrari nil posset. Conferatur *Raynaldus* h. a. Tom. XIII. n. 7. sqq. p. 154. Ubi pariter Commentum Chronographi *Urspergensis*, & Recentiorum ipsum sequentium, confutatum reperies, quasi Pontifex per Legatos apud *Philippum* egisset, ut Filiam suam *Richardo* Comiti, Nepoti *Innocentii*, desponsaret.

His ab actis *Leopoldus* vix abfuit.

XXVIII. Utrùm his Actis adfuerit, vel interfuerit Dux noster *Leopoldus*, nullo tuto testimonio liquet: tametsi, cùm unus de præcipuis Principibus esset, *Philippo*, uti propinguitate Generis, ita fide præ aliis conjunctior, opinari planè liceat, nihil magnum & grave Regem, sine consilio tam dediti sibi Ducis, decernere voluisse. Haud etiam absonum videtur, cùm Rex Legationem Romam destinâsset ad perficiendum plenæ concordiæ negotium: *Leopoldum* Ducem nostrum hac usum opportunitate, Nunciis Regiis pariter adjunxisse, qui peculiaria postulata sua Summo Ecclesiæ Pastori exponerent. Quamquam enim hic devotissimus Ecclesiæ Filius Regiis propè sumtibus Fundationem nostram perficeret: longè tamen adhuc magnificentius aliquid in DEI honorem animo ingenti versabat. Perpendens etenim Amplitudinem Diæcesis Pataviensis, cui ritè in spiritualibus curandæ unius Præsulis quantalibet industria sufficere vix demum posse videretur: in Urbe sua Vienna, tunc eximiè jam dilatata, hominibus referta, ac florente, novum Episcopatum fundare in animum suum induxit. Sedem porro ejus in Monasterio Scotorum constituere, Scotis verò Monasterium aliud per se construere proposuit.

Cogitabat Viennæ Episcopatum novum erigere.

Variæ super hoc Pontificis Epistolæ.

XXIX. Atque hæc Romæ per Nuncios *Leopoldi* diligenter exposita fuisse, irrefragabili documento sunt ipsæ Literæ *Innocentii* Pontificis, quas olim *Steph. Balluzius* in Collectan. Epistolar. hujus Papæ vulgavit. Quarum aliæ AN. 1207. datæ ad *Eberhardum* Archiep. Salisburgensem, à quo Pontifex de rei veritate exactiùs edoceri postulavit: Aliæ ad *Manegoldum* recentem tunc Pataviæ Episcopum post *Popponem* perscriptæ, quibus & hujus Præsulis hac de re sententiam exposcebat, simúlque eundem hortabatur, ut si Gregi Dominico diligentiùs curando novum Episcopatum utilem, ac fortè necessarium, in Domino judicaret, ne obniteretur, sed hortaretur potiùs Ducem, & adjuvaret. Tertias anno sequenti ad Legatos suos Cardinales in Germania demoratos Papa direxit, executionem saluberrimi operis eis injungens, si omnia illa, quæ pro tam grandi negotio promta esse deberent, expedita reperirent. Proposita Fa[illegible]is his nostris brevitas non sinit, ut prolixas has Literas integro hìc tenore adscribam, jubétque me Excerptis solummo-

tummodo, quamquam nec ipsis brevissimis, contentum esse, quibus tanti momenti molimen piissimi Ducis nostri liquidò exhibeatur. Epistolam Pontificis ad *Manegoldum* integrè ex *Baluzio* transcriptam redhibet Cl. *Hansizius* Metr. Laur. p. 352. Ubi, post exordium prolixius de æquitate dividendorum Episcopatuum, si Utilitas Dominici Gregis ita poposcerit, exemplis Scripturarum confirmata, deinceps Ducis nostri Postulata, Motiva, ac Proposita hunc in modum exponuntur.

XXX. „Dilectus itaque Filius Nobilis Vir Dux Austriæ „tam per literas proprias, quàm nuncium specialem, nostris „auribus intimavit, quòd Pataviensis Episcopatus Parochialibus „adeo limitibus est diffusus, quòd per unam quantumlibet „exercitam personam absque multarum animarum periculo „Pastorale circa singulas oves ab ipso nequeat officium exerceri. „Quod utique Venerabilis Frater noster Aquilejensis Patriarcha „(nimirum Wolfgerus) dum Pataviensi Ecclesiæ præsideret, „providè circumspiciens, in votis dicitur habuisse, felicis re„cordationis Cælestino Papæ Prædecessori nostro cum instan„tia supplicare, ut in provincia, seu potiùs provinciis tam dif„fusis, alium præter se Antistitem ordinaret: quibus, ut ex„pertus agnoverat, per unum immediatè Pastorem spiritualia „Sacramenta non posse congruè administrari: de quibus inter „cæteras partes Episcopatus ejusdem Austria maximum no„scitur sustinere defectum: quæ profectò in tantùm dicitur à „Sede Cathedrali distare, ut ad nonnullas Ecclesias, inibi con„stitutas vix infra sex dies à Cœna Domini perveniat novum „Chrisma. Consecrationes quoque Altarium, Confirmatio„nis Sacramentum, & Ordinationes nihilominus Clericorum, „nonnunquam tempore multo, sæpe verò perpetuò differun„tur, nisi per advenas fortassis Episcopos aliquotiens impen„dantur eisdem. Quódque gravius est: usque adeò, ut asse„ritur, ibi pestis invaluit hæreticæ pravitatis, ut passim in cau„las Dominicarum Ovium lupi rapaces irrumpant, dum per „Pastoris virgam, quæ specialiter super eis prævalet vigilare, „truculenta rabies eorundem ab ipsis sedulitatis officio non „arcetur.

Unius earum Excerptum.

„Unde considerans dictus Nobilis, messem multam per „Operarios paucos non posse commodè procurari, & ideo ro„gandum Dominum ejus esse, ut mittat operarios in eandem, „nobis humiliter supplicavit, ut necessitate pariter & utilitate „pensata, in Provincia sua, quæ quantò est à tua Sede remotior, „tantò solatio noscitur alterius Præsulis ampliùs indigere, spe„cialem ordinare Pastorem super Gregem Dominicum digna-

„remur: Locum congruentem designans, in quo decenter „constitui possit Ecclesia Cathedralis, Wiennam videlicet „Civitatem, quæ post Coloniam, una de melioribus Teutonici „Regni Urbibus esse dicitur, amœna flumine, situ prædita, ci- „vibus populosa, in qua dudum Episcopalis Sedes noscitur exsti- „tisse: sed per incursum exteræ Nationis, quæ tam illam, quàm „alias multas circumstantes provincias devastavit, primò Lau- „riacum, & inde Pataviam translata, pro levamine id petere, „vel appetere videatur: per quod potiùs onus tuum allevian- „dum intendit: *tertiam partem Austriæ, sive quartam consti- „tuendæ Diœcesis postulavit limitibus deputari*, villis & castris, „cum possessionibus universis, ac cæteris temporalibus, præter „Jus Parochiale duntaxat in eadem Particula, tibi, & Pata- „viensi Ecclesiæ reservatis. Ita profectò, quòd idem Dux, „cum Wiennensi Plebe, de Bonis suis Episcopatum hujusmodi, „redditibus *mille Marcharum*, pro salute animæ suæ, suorúm- „que Parentum, pia devotione dotabit, redditus nihilominus „assignandô, de quibus Tricenarius in ea Præbendarum nu- „merus statuatur, quarum cuilibet in extimatione viginti Mar- „charum proventus annuus deputetur. Nos igitur attenden- „tes &c.“

Opposuit se *Manegoldus* Episcopus.

XXXI. Res ista dividendæ Diœcesis Pataviensis ita gravis est visa *Manegoldo* Episcopo, tantúmque ejus animum exagitabat, ut ipsemet confestim Romam iter susciperet, causámque suam coram Pontifice, præsentibus novis nunciis Ducis, sed non satis, ut oportuerat, instructis, vehementer peroraret, rem in sui invidiam injuriámque detorquens: quo & impetravit, quod suprà insinuabam, ut Papa tertiis Literis Legatos suos Cardinales in Germania juberet veritatem iterum perquirere. Exstant hæ Literæ rursum apud Cl. *Hansizium* l. c. p. 354. pariter à Cl. *Bern. Pezio* Cod. Dipl. Part. II. p. 65. vulgatæ: è quibus, licèt anno altero demum fuerint exaratæ, sequentia tamen, ut argumentum hoc filo uno expediam, ac tota se causa obtutu uno exhibeat, anteoccupandô rursum excerpo. Scribebat itaque Pontifex, postquam Cardinalibus Postulata ac Motiva Ducis, jam suprà declarata, prævié exposuisset.

Excerptum alterius Epistolæ Pontificiæ.

XXXII. „Ob hoc igitur idem Episcopus ad præsentiam „nostram nuper accedens, nuncios præfati Ducis, qui diceban- „tur esse venturi, aliquamdiu exspectavit. Quibus demum „unacum ipso in nostra præsentia constitutis, Episcopus ipse „proposuit, quòd de creatione novi Episcopatus enormis ja- „ctura veteri proveniret, & Dux in gravamen hoc postulabat „ipsius, ut sic ei suam Authoritatem auferret, quam in ejus „Terra se dicebat habere: ac redditus prætaxatos utique non

„de

„ de propriis adſignare, ſed de Bonis Eccleſiaſticis, vel Feudalibus intendebat. Prædicti verò Nuncii aſſerebant econtra, „ quòd Jure Parochiali duntaxat excepto, in nullo prorſus ex „ hoc facto enormem jacturam Pataviensis Eccleſia ſuſtineret, „ nec Auctoritatem amitteret, quam habebat in Ducem: cùm „ ratione medietatis Auſtriæ, ac Magnæ partis Stiriæ, quam in „ Diœceſi ejus habet, remaneret Parochialis ipſius. Requiſiti „ verò, cujusmodi eſſent ab ipſo Duce redditus aſſignandi: Reſponderunt, quòd determinatè ipſos exprimere non valebant, „ quamquam aſtruerent pro conſtanti, quòd nec in Eccleſiaſticis, nec Feudalibus, ſed in Hæreditariis Bonis ſuis idem „ Dux tradere diſponebat eosdem. Petentes, *ut Sedem Epiſcopalem in Scotorum locari Monaſterio mandaremus, & tertium „ Capitulum, ſive medietatem Auſtriæ*, cum Eccleſiis, Decimis, „ & omni Jure ſpirituali conſtituendo Epiſcopatui aſſignari, „ *ita, quòd Scoti ad aliud Monaſterium transferantur*, poſſeſſionibus ac redditibus ſuis in nullo penitus diminutis. Præpoſituram nihilominus, & Præbendas redditibus Eccleſiæ Viennenſis, cùm Plebanus ipſius propter hoc ei cedere ſit paratus, „ & de quadam Nobili Curia, Chrem videlicet, cum vineis, „ curiis Villicalibus, prediis, & univerſis ad eandem curiam „ pertinentibus, quæ in æſtimatione trecentarum librarum Viennenſis Monetæ annualiter in redditibus computantur, conſtitui juberemus.

„ Quia verò præfati Nuncii nec de Aſſignatione proventuum, nec de Translatione Monachorum certum nobis dare „ potuerunt reſponſum, cùm & Aſſignatio Dotis pro novo „ Epiſcopatu creando præcedere debeat Diviſionem Diœceſis, „ & proviſio novi Cænobii pro veteri concedendo ad Epiſcopalem Cathedram in ipſo locandam debeat anteire, quamvis „ de Monaſterio in prima poſtulatione non fuerit tractatum: „ ad conſummationem negotii procedere non potuimus in inſtanti. Nos tamen, auditis his, quæ fuerunt utrinque propoſita coram nobis, Diſcretioni veſtræ duximus injungendum, quatenus inquiratis ſolicitè veritatem &c."

XXXIII. An ſuſcepta fuerit à Legatis hæc Inquiſitio, an verò ab Epiſcopo quovis modo impedita, vel ſi ſuſcepta, quinam defectus occurrerint, vel quænam intercurrerint obſtacula, mora opus tam ſanctum penitus ſufflaminante, nullo alicubi veſtigio deprehendi. Id interim certum, effectui datum non eſſe, fortaſſis vel ideo maximè, quòd minùs opportuno tempore ſuſciperetur, ingrediente nimirum novo Epiſcopo, cùm apud quemlibet initium ut maximè fervere ſoleat, nemóque Præſulum, ſive Principum ſicco facilè ſtomacho digerat, de ſuis nuper

Novus itaque Epiſcopatus Viennenſis in ſicco adhæſit.

nuper obtentis ditionibus partem sibi insignem deperire, & ab hujusmodi jactura recentem sui Regiminis epocham exordiri. Præterea verò, quòd *Leopoldus* noster medietatem Austriæ, tertiámque aut quartam partem Diœceseos Pataviensis novo Episcopatui Viennensi subdendam exposcens, nimium postulaverit. Parvo contentus post lapsum semitertii Seculi *Fridericus* IV. Imperator, Viennæ Episcopum procurando felicior fuit: uti & nostra ætate Augustissimus *Carolus* VI. Metropolitanam Eminentiam Cathedræ isti accumulans. Cæterùm, si vulgato proverbio *Magnis in Rebus & voluisse sat est*: immortale Duci nostro præconium ex tam magna Voluntate sua, cui certè ipse non defuit, sed alii obstitêre, omne ævum debebit. Interim eidem hic Annus non planè absque beneficio in Ecclesias transiit, Cl. *Bern. Pezio* unde suprà p. 64. Chartam ejus afferente, qua Carthusiæ Seizensi Stiriæ veteres Terminos confirmavit, eósque novis his accessionibus adauxit, duarum videlicet Villarum, Mansorum quinque, & Novalium quorumdam, ac præterea pascuorum, piscationum, decimarum ad hæc attinentium. Subsignatio erat. *Acta sunt hæc Anno Incarnationis Dominicæ MCCVII. Romanæ Sedis Pontifice* Innocentio III. *Romanorum Rege* Philippo, *Aquilegiensis Ecclesiæ Patriarcha* Wolfkero, *existente in Valle S. Johannis Priore* Nicolao.

Dux noster benefecit Carthusiæ Seizensi.

XXXIV. DEUS porro tantæ erga se devotioni mutuæ Clementiæ signum exhibiturus, longis jam plurium Annorum precibus suspiratum Filium indulsit, tametsi exspectatione citiùs iterum ad comprobandam Patris Virtutem tollendum, nec Successorem futurum. Notârunt hoc omnia ferè Patriæ Chronica, sed communi quasi circa Diem Natalem errore, quem posuêre VIII. Cal. Aprilis, uno nimirum Chronographorum alterum exscribente. Qui corrigendi veniunt ex *Ortilone* nostro, in rebus Ducis Fundatoris accurato, & omnium Prolium ejus, etiam Foeminearum, Natales exactè adnotante. Quia igitur ex hoc superiùs annóque priore audivimus, natam fuisse *Leopoldo* Filiarum alteram *Agnetem* XIV. Cal. Augusti: non poterat eidem Mense jam Martio hujus Anni denuo Filius nasci. In Autumnum usque hoc gaudium dilatum est, sic docente Scriptore nostro. *Mccvij. LIUPOLDO Duci, Parenti nostro, & omnis Cleri, retribuit DEUS hoc anno secundum Bonitatem Cordis sui, disponens ei Filium, quem diu optaverat, LIUPOLDUM, qui natus est in Wienne VIII. Kal. Octobris.*

Nascitur eidem Filius *Leopoldus*.

Annus 1208.

XXXV. INchoet hunc Annum, qui priorem finivit, *Ortilo* noster, qui 5.[um] Anni Mccvlij. ita conclusit. *Dux LIU-*

Item Filius alter *Henricus*.

LIUPOLDUS Cruce signatur contra saracenos. Cui natus est hoc anno Filius alter HAINRICUS XV.º Kal. Julii. Exoluturus nimirum DEO pro primo Principe Juventutis sibi donato gratias, consueta ævi illius devotione, Crucem suscipere contra hostes Terræ Sanctæ resolvit, hac sua Religione Pontifici per Priorem Carthusiæ Seizensis *Nicolaum*, cui mox benefecerat, quique Romam accesserat, insinuata. Remisit ei Pontifex eodem cum Nuncio Crucem pariter, ac Epistolam: quam posteriorem denuo *Balluzius* vulgavit, inde eandem Cl. *Puschio* transcribente, quæ potissima sui parte ita habet. Ipse Crucem suscipit pro Oriente.

„ Religiosa mente recogitans, quid retribuas Domino „ pro omnibus, quæ retribuit ipse tibi, Christum humiliter imi„ tari disponis, & pro ejus amore charam Conjugem, dulcem „ Prolem, delectabilem Patriam, amabilem Parentelam, ac „ mundanos relicturus honores, desideras, ut accepimus, tol„ lere Crucem tuam, & illuc, ubi Salus tua in Cruce pepen„ dit, ardenti succingeris desiderio festinare: ut in Crucis Victo„ riosæ Vexillo te contra perfidorum conatus opponas, qui te „ Crucis hæreditate in parte jam expulisse videntur, & in toto „ nituntur expellere Crucifixum. Verè pium est hoc proposi„ tum, & tibi cælitus inspiratum. Intendis enim, suscipien„ do Crucem reddere vicem Christo, qui tuos lanquores in „ ipsa pertulit, dolorésque portavit. Multum est tamen vi„ cissitudo dissimilis inter Crucis Christi patibulum, & Crucis „ tuæ signaculum: cùm, etsi Crucis una sit Gloria, dispar tamen „ sit in te, ac Domino ejus pœna. Tu enim Crucem mollem „ suscipies, & suavem: ille asperam subivit, & duram. Tu „ eam in vestis deferes superficie: ille in carnis pertulit veri„ tate. Tu ipsam tibi assues lineis filis, aut sericis: ille in ea „ confixus est ferreis clavis. Licèt igitur ad futuram gloriam „ condignæ non sint hujusmodi passiones: considerata tamen „ sinceritate tuæ devotionis, & urgentissima Terræ Sanctæ ne„ cessitate perspecta, tuum propositum in Domino commen„ damus, rogantes, & exhortantes attentius, quatenus ad ejus„ dem Terræ Succursum te celeriter & prudenter accingas. Nos „ enim juxta petitionem tuam vivificæ Crucis Signum per di„ lectum Filium Nicolaum, Priorem S. Joannis Carthusien„ sis Ordinis, tibi mittimus imponendum, Indulgentiam, quam „ petiisti, cum Conservatoriis quoque Literis nihilominus de„ stinantes. *Datum Laterani VI. Kal. Martii Anni Pontifica„ tus nostri Undecimo.* " Pontificis ea propter ad eum Epistola.

XXXVI. Sanctissimo hoc ab Excitatore mirum in modum inflammatus *Leopoldus* minimè distulit, per delegatum à Pontifice Venerabilem Virum *Nicolaum* S. Crucis signaculum, quod Crucem publicè recipit *Leopoldus.*

jugiter fovebat in pectore, etiam in Veste, ad jugem sui propositi stimulum, & fidelium ædificationem, more Militum Christi Terræ Sanctæ tum solemni, in publico populi conspectu recipere. Id, quod, præter *Ortilonem* jam auditum, Veteres reliqui Austriæ Chronographi identidem his verbis ad ANNUM 1208. inculcârunt. *LIUPOLDUS Dux Austriæ & Stiriæ, zelo fidei accensus, cum pluribus Nobilibus Terræ suæ in Nuwenburch Signo S. Crucis insignitur.* Tametsi porro flamma Devotionis illius incredibili flagraret ardore, quod Cl. *Hansizius* non una in pagina deprædicat, ferre tamen debuit, ob graves Imperii turbas moram ex mora plusquam per integrum sibi septennium injici, donec tandem eidem liceret, Terræ Sanctæ sacrata vestigia premere. Interim ei DEUS, qui affectum amplius pensat, quàm opus, hoc ipso anno Filium alterum *Henricum* disposuit: Cujus Natalem ANNUM diémque, in omnibus aliis Chronicis calamo adhærentem, solo jam ex *Ortilone* nostro rescimus. Ingenti similiter cum gaudio & hoc secundum pariter Thori sui Masculum Pignus pius Pater suscepit: ignarus autem, hunc dulcem in cunis natum, adultum postea, sibi fore impium Absolonem, & Filium doloris, cúmque Parentibus honorem à DEO præceptum impendere contemturus erat, ante tempus de medio tollendum esse, ut ne ipse quidem post Patrem regnaret.

Lætatur in Filio, quem ignorabat fore Absolonem.

XXXVII. Interea dum Pater cum innocente adhuc Filiolo deliciaretur, derepente eundem decumana Imperii Romani plaga cum Principibus omnibus perculit. Ecce enim, dum *Philippus* jam per decennium, ut ait *Godefridus Coloniensis*, circumquaque Principes ac Nobiles sibi subdidisset, Provincias ac Civitates perdomuisset, Vota omnium jam certa haberet, Papæ reconciliatus esset, & probatis per hunc pactis *Otto*, nollet vellet, stare debuisset, proximè proinde concordi omnium sensu plena cum Majestate esset imperaturus, permittente DEO, parricidali manu *Ottonis* Palatini de Wittelspach Bambergæ XI. Kal. Julias, i. e. 21. Junii, dum sanguine minutus in lecto quiesceret, obtruncatus est. Causa parricidæ fuit, quòd Rex Filiam suam, eidem antehac promissam, ob nimis crudelem animum, quem posthac in alios exercuit, denegaverit, ac præterea Nuptias ejusdem cum alia Polonica Principe, quæ sibi pariter cognata erat, per literas impedire studuerit. Modum & ordinem infandi sceleris, quod nemo non totis animis execrabatur pariter ac deflevit, amplius leges, cùm libuerit, apud laudatum *Godefridum*, *Ottonem San-Blasianum*, Abbatem *Urspergensem*, *Arnoldum* Lubeccensem, aliósque sinchronos, aut suppares Chronologos ad hunc ANNUM. Infelix Vidua Græca *Irene*, quæ Regi Marito quatuor Filias pepererat, dum

Philippus Rex ab Ottone Wittelspachio occiditur.

tristissi-

tristissima hæc Nuncia inaudiret, actu uterum ferens, gemino dolore, necdum edita prole, paucos intra Menses pariter exanimata fuit. Bono interim ad præsens fato supererat *Philippi* Filia *Beatrix*: quæ jam aliàs *Ottoni* in Conjugem destinata, nunc una pacis obses evasit.

XXXVIII. Primo námque suam in personam consensu Principum, ad quos Electio pertinuerat, Halberstadii per *Ottonem* pertentato, & feliciter cedente, alteram ipse Curiam hoc eodem anno Francofurti in festo S. Martini indixit, maxima cum frequentia Principum Franconiæ, Bavariæ, & Sueviæ celebratam, juxta *Arnoldum* Lubecensem Chron. Slavor. Libr. VII. Cap. 16.[to] Ibi *Beatrix* per Principes *Ottoni* præsentata, lachrymis ampliùs, quàm verbis, de iniquissima cæde Patris conquesta fuit, & ultionem Regni poposcit, collachrymantibus omnibus, & nefandi hujus criminis vindictam implorantibus, atque justitiam Reginæ, i. e. Regiæ Principi, fieri postulantibus. Acquievit *Otto* cum eximia sui laude, quantumvis *Philippo* perpetuus hostis fuisset, ac parricidam, & quotquot alii, vel Authores, vel socii sceleris exstitissent, Regio edicto publicè proscripsit, & uniuscujusque ultioni addixit. Latro itaque, licèt mox à perpetrata cæde effugerit, non admodum tamen longè postea ab *Henrico Calesino* occisus fuit, capite resecto, & in Danubium præcipitato. Petentibus autem Principibus, qui ita favere volebant *Ottoni*, ut *Philippo* etiam post fata nonnullam saltem, quam adhuc possent, gratiam redderent, spopondit Rex novus, *Beatricem* se in Conjugem accepturum, si Cognationis impedimentum per eos, quorum id esset, removeretur. Hoc porro qua ratione effectum sit, alterius Anni est argumentum. Celebri cæteroquin huic Conventui Ducem pariter nostrum interfuisse, vix quispiam habebit, quod ambigat.

Otto Rex parricidam proscribit.

Spondet, se Beatrici nupturum.

XXXIX. Minime interim dissimulandum, non paucos Principum, quibus *Otto* variis ex causis displicuerat, cùm insuper recordarentur jurisjurandi, quo se *Henrico VI.* Imperatori olim devoverant pro Filio ejus *Friderico II.* in Regem eligendo, & nunc, cùm iste Annum ætatis 16.[tum] ingressus jam esset, sacramenti sui se reos existimantes, tametsi cæterorum in *Ottonem* unanime studium nollent apertè interturbare, de exitu rei perambiguo soliciti: clam nihilominus consilia contulisse, & ea Ducem nostrum nequaquam celâsse. Hic proinde animi dubius, quò prudentiùs, quam in partem sibi declinandum foret, secum decernere posset, Consilium Summi Pontificis secreta ac perofficiosa epistola sapienter admodum flagitavit. Responsum tale accepit, à Cl. *Pusbio* denuo ex *Baluzio* maxima parte excerptum.

Sed non omnes ei Principes ex animo fuêre addicti.

Dux noster animi dubius consuluit Pontificem.

Hic ei Epistola sua persuadet partes Ottonis.

„ Cùm inter alios Principes Personam tuam sincera in Do„ mino diligamus Charitate: super eo, quod Nobis de negotio „ Imperii tam per literas, quàm per nuncium intimasti, hoc „ tibi duximus respondendum, de corde puro, conscientia bo„ na, & fide non ficta tuæ prudentiæ consulentes: quatenus, cùm „ Charissimus in Christo Filius noster Rex OTTO in Romanorum „ Imperatorem electus magnificè procedere jam inceperit, poten„ ter ei faveas & patenter. Quia procul dubio tibi magis credimus „ expedire, ut rei finem præveniens, & non exspectans, nunc, „ antequam invalescat in toto, quasi ex discretionis proposito „ satagas id efficere, quod demum, cùm invaluisset omnino, „ in necessitatis articulo forsitan cogereris implere. Credimus „ enim, quod erga te taliter se habebit, quòd meritò sibi poteris „ esse devotus: & Nos, à quorum sanis consiliis deviaturus ipse „ non creditur, ad tui dilectionem eum efficaciter inducemus. „ -- *Datum Laterani Nonis Decembris Pontificatus nostri anno un„ decimo.* " Obtemperavit *Leopoldus*, quamdiu Pontifex ab *Ottone* alienus non evasit: quamquam id brevi futurum esse, sagaci animo probè præviderit.

Favores ejusdem in CanoniamS.Floriani.

XL. Cæterùm Illustriss. D. Comes *Wurmbrandius* Collectan. p. 5. cujusdam Diplomatis meminit, à Duce nostro anno 1208. inclitæ Canoniæ ad S. Florianum concessi, sibique laudati à Perill. D. Barone *Streunio*: cujus tamen argumentum non exprimit. Verosimillimè per illud fuerat concessa, vel confirmata telonii immunitas, quam à *Leopoldo* impetrâsse *Ottonem* ibidem Præpositum, Perill. D. Baro *ab Hoheneck* in Austr. sua Superior. I. p. 109. commemorat. Cui hoc loco annectere libet

Et Ecclesiam Frisingensem.

incertorum quidem Annorum Beneficia, per *Ottonem* II. Episcopum Frisingensem à Duce nostro obtenta, & laudata *Annal. Frisingens.* Tom. I. p. 395. sq. Primùm námque, dum inter eundem Præsulem, & *Fridericum* Comitem *de Moron*, propter gemina Castra, Chunratsheim & Waidhoven, in Austria sita, lis gravis & anceps diu multúmque agitata esset, eam *Leopoldus* tandem ad se delatam hujusmodi Laudo consopivit, ut Castrum unum Episcopus, alterum Comes in usum suum haberet. Hoc deinde non longè pòst mortuo, alterum pariter Ecclesiæ adjudicavit. Iterum verò Dux noster Episcopo *Fodrum*, vernaculè *Marchvoter*, i. e. pabuli equorum præbendi debitum, in omnibus Austriæ ditionibus ad Frisingam attinentibus remisit.

Annus 1209.

Ottoni Regi desponsatur *Beatrix*

XLI. INnocentius Papa consumaturus tandem, quod annis tam multis præceperat de *Ottone*, qui eidem preces pro Corona Roma-

Romana jam porrexerat, & Principibus Expeditionem Italicam pro ea suscipienda indixerat, ut videlicet eum in Throno Imperii firmum quietúmque solidaret: cùm intellexisset, è voto Principum Germaniæ id maximè esse, ut novus Imperator *Beatrici* Filiæ *Philippi* nuberet: Legatos Cardinales perlubenter in Germaniam submisit, qui his à nuptiis impedimentum Consanguinitatis, pacandi Imperii causâ, Auctoritate Apostolica tollerent, iisque in effectum deductis, *Ottoni* Regnum ultimo complemento stabilirent. Indictus fuit in hanc rem, & habitus frequentissimus Principum omnium, unacum Legatis, Conventus Herbipoli in Octavo Pentecostes, Duce nostro *Leopoldo* unam de præcipuis ibidem personam sustinente. Ut enim habet *Otto* San-Blasianus apud *Urstis.* I. p. 277. postquam Cardinalis Legatus Ostiensis, interprete Episcopo Wirtzburgensi, Regi *Ottoni*, pro bono pacis & concordiæ, ad abolendam præteritorum malorum memoriam, Auctoritate DEI, & beati Petri, per Apostolicam obedientiam in remissionem peccaminum præcepisset, ut cum *Beatrice* Filia illustrissimi Principis *Philippi* matrimonium contraheret, Abbásque Morimundensis Ordinis nostri delictum, hoc conubio contra consuetudinem Ecclesiæ, quamvis dispensatoriè, ineundo contrahendum, Monastico Ordini expiandum, ex Authoritate Apostolica imposuisset, ac denique consensisset *Otto*: *Puella jam nubilis à Duce LEOPALDO Orientali, & LUDEVICO Duce Bavariæ adducta, tribunali sistitur, ac de consensu interrogata, verecundata admodum, ac rubore perfusa, se libenti animo consentire profitetur. Mox à Duce LEOPALDO Cognato suo per manus Cardinalium, lege Francorum, Regi OTTONI desponsatur: à quo amantissimè amplexata, publici signo Osculi, mutuationéque annulorum subarratur.*

Filia Philippi

Paranympho Duce *Leopoldo*

XLII. Amplius aliquid ad insignem Ducis nostro commendationem posterorum memoriæ tradidit Scriptor æquè synchronus & gravis *Arnoldus* Lubeccensis Chron. Slav. Libr. VII. cap. 19. apud Illustr. *Leibnitzium* II. p. 741. Hic etenim, præmisso, quòd *Otto* coram Legatis atque insignioribus Principibus protestatus fuerit, cùm sibi optio esset, ex illustrissimis Fœminis, quas habet Orbis Romanus, Conjugem eligendi, neque etiam pro Regno vellet Uxorem cum animæ periculó sortiri: ipsorum interim Conventus pendeat de articulo Filiæ *Philippi*, quam Consanguineam suam esse omnes nôrunt, in matrimonium ducendæ: consulant jam in medium prudenter, & decernant, utrùm hæ nuptiæ, absque reatu & piaculo suo, à se possint iniri: illico subdidit. *Facta igitur longa deliberatione tandem ad Dominum Regem reversi sunt. Posuerant autem Verba in ore LUPPOLDI Ducis Austriæ, Viri facundissi-*

Immo Oratore, ac duce Verbi

cundissimi & Literati: qui sic coram Rege locutus est. Domine Rex: placet, ut audiatis responsum Cardinalium, Prælatorum, & Principum? Ad hæc Rex: Audio. Et ille. Noverit Sublimitas Vestra, quòd iste tam celebris Conventus Cardinalium, auctoritatem Domini Papæ præferentium, Summorum Prælatorum, & Principum, & omnium Literatorum, omnino Vobis, nobisque decrevit expedire, pro bono Pacis, & Status Romani Orbis, ut Virginem, de qua mentio habetur, Uxorem ducatis, hoc addentes, ut omnis auferatur trepidatio, duas Congregationes Monachorum liberrimè construatis. Nos quoque vobis non deerimus, facultates & eleemosinas largè erogandô: Sacerdotes etiam, sive alii inferioris Ordinis, in Missis & Orationibus subveniendô. Ad hæc Rex. Nos consilio sano & bono tantæ Authoritatis non refragantes, vestris acquiescimus dictis. Igitur vocetur Puella. Quæ cùm à Pontificibus, sive Principibus gloriosè adducta fuisset, Rex consurgens de throno suo, eam cum inclinatione recepit, & ipsam inter Cardinales, quorum cathedra è Regione coram facie Regis erat, residere præcipiens, sic omnibus ait: Ecce, Reginam habetis: ipsam, ut decet, honorate.

Otto Romam proficiscitur.

XLIII. Sic reducta, ut putabatur, & stabilita quiete Imperii, Rex celebrem denuo curiam post festum B. Joannis Baptistæ indixit in Civitate Augusta, Profectionis suæ Italicæ ordinandæ causa. *Ad quod negotium* (rursùm *Arnoldus* adjecit) *deputati sunt plurimi tam Prælati, quàm Principes, seu omnes, qui Regalia tenebant. - - - Cæteri, qui remanserunt, thesauris innumeris in ipsa profectione Regi subservierunt.* Comitum in numero Dux noster certè non erat: an Regem largitionibus juverit, incompertum: credere tamen nil impedit. Rex porro processit in Italiam, cui calamo pedissequum agere nolim. Romam pertingens, emissò de more, quod Pontifici & Ecclesiæ debebat, sacramento, tabulis insuper publicis confirmato, Diadema Romanum à Pontifice post festum S. Michaelis accepit. Ut autem ferè semper assolebat, eadem die tumultus oriebatur in Urbe, resque ad Arma non sine sanguine veniebat. Novus quoque Cæsar Ditiones varias Pontificis, quasi suas, milite suo occupavit: quod à primordio statim concordiam cum Pontifice turbavit.

Coronatur, & statim concordiam cum Pontifice lædit.

Leopoldus gratiosus in Alderspacenses;

XLIV. Ducis nostri constans in Ecclesias propensio hoc pariter anno enituit. Præterquam enim quòd jam in Comitiis Herbipolensibus subscripserit Privilegio Regis *Ottonis* pro Alderspacensibus Monachis Cistercienfibus, descripto apud *Hundium* Tom. II. p. 43. insuper in Stiriam reversus, Ordini Carthusiano Solitudinem Gyriensem, pluribus annis ab eo avulsam, integrè restituit, confirmatis veteribus terminis, ac possessionibus, & pro-

Et Carthusianos Gyrienses.

proventibus, novisque sua munificentia adjectis, & Advocatia Loci sibi soli reservatâ. *Extra hos terminos* (ait) *conferimus ei Villam Vinearum in Planinich. Præterea annuatim constituimus ei in Foro Marchburch quinque Marcas Frisacensium nummorum pro piscibus. Concedimus etiam, ut, si quis Ministerialium nostrorum predia, vel quævis alia ei conferre voluerit, liberè conferat. Advocatiam etiam ejusdem Loci nobis reservamus, & hanc totalem nostræ Pietatis Actionem Sigilli nostri roboramus impressione. - - Acta sunt hæc in Foro nostro Marchburch An. Dom. Incarn. Milles. Ducentes. Nono Indict. Duodecima V. Id. Septembris.* Videri potest hæc charta latiùs excerpta apud Cl. *Puschium* Chronol. Stir. Part. II. p. 156.

Annus 1210.

XLV. TRia commisit *Otto* contra fidem, quam statim Sanctissimo Sacramento Ecclesiæ dixerat, quibûs iram *Innocentii* Pontificis incurrit. Primum, quòd, veluti antea insinuavi, plures Ecclesiæ Ditiones, in Ghronico *Fossæ Novæ* ex nomine descriptas, invaserit, prætexens, eas Antecessorum suorum Cæsarum fuisse, atque ideo Imperio se debere earum Vindicationem. Quare coacto etiam Jureconsultorum Concilio easdem sibi publica sententia adjudicari procuravit. Alterum, quòd Regna Neapolis & Siciliæ invaderet, dum interim Pontifex Tutor existeret *Friderici* juvenis Regis, ac ipsa quoque hæc Regna Ecclesiæ clientelaria essent. Causam Cæsar obtendit, quòd *Fridericus*, conciliata sibi quorumdam Imperii Principum factione, Regno Germaniæ inhiaret, & insidiaretur, connivente, nisi adjuvante Pontifice. Tertium, quòd non modò respectu *Friderici*, sed etiam *Philippi* Galliæ Regis, editum de Pace cum utroque tenenda jusjurandum infrigens, cujus tamen Sponsor apud utrumque Regem Papa exstiterat, bellum Gallis & ultionem indiceret, quia *Philippus* sibi semper contrarius exstitit, & Avunculo suo Angliæ Regi arma perpetua intulit, eidemque Normanniam eripuit. Narrantur hæc in Chronicis studio partium oppidò diverso. Veritas autem non tam narratione eorum, quæ gesta sunt, quàm causarum, propter quas gerebantur, sincera expositione hauritur: quas tamen studioso obtegere silentio solent, qui affectui student. Quamquam, quid Principes magnos propriè ad agendum impellat, ferè semper & undique lateat, aliis omnibus plerumque motivis, quàm quæ animis Regum verè subsunt, in plebem vulgatis.

Quibûs rebus *Otto* IV. Imperator offenderit in Pontificem.

De Principum factis cur vix unquam tutò & integrè constet.

XLVI. Tentavit *Innocentius* pacis quietisque conservationem epistolis, nunciis, Legatis, iterum iterúmque submissis, volebátque damna Ecclesiæ, tempori malo cessurus, dissimulare, modò Imperator cum Sicilia, Galliáque pacem sanxisset: uti

Pace frustra à Pontifice tentata, *Otto* diris devovetur, ac deponitur:


uti fateri cogebatur Abbas *Urspergensis*, Imperatori cæteroquin, quàm Pontifici, calamo addictior. Sed nulla apud *Ottonem* industria valuit. Ergo solito Vaticani fulmine intonuit Papa, diris *Ottonem* devovens: quas ejusdem jussu Moguntinus in Germania Episcopus denunciavit. Omne præterea Imperium ab illius Obedientia absolvit, vetuitque sub Anathematis pœna, ne quis *Ottonem* deinceps Imperatorem habere, vel dicere ausit. Neque hoc satis: nutu pariter Pontificis, ut habet *Godefridus* Coloniensis, dictus Archiepiscopus Moguntinus Babenbergæ, accitis compluribus Principibus & Nobilibûs, contulit cum eis de *Friderico* Siculo eligendo: cui, cùm adhuc in cunis esset, fidem jam addixissent. Non quidem ad primum statim ictum concidit hæc arbor: paulò tamen pòst, referente *Urspergensi*, Rex Bohemiæ, Dux Austriæ, Dux Bavariæ, Landgravius Thuringiæ, aliique non pauci decreverunt pro *Friderico*, missis ad Papam, novúmque Electum nunciis, quibus ad Regnum invitaretur. Pontifex illico præstitit, ut etiam Romani *Fridericum* collaudarent, à se deinde confirmatum. Sic tali jaciebantur, utcunque staturi erant, semper Ecclesiæ, & Imperio funesti.

Contra eum eligitur *Fridericus* Siculus.

XLVII. Dux noster *Leopoldus* Paterna providentia Domui suæ, primogenito Filio suo *Leopoldo*, Patriæque maturè prospecturus, *Theodoricum* Misniæ Marchionem per Oratores pro Filia, sibi in nurum concedenda, peramicè salutavit. Gratulabatur ille sibi: sed obstabat Propinquitas. Cujus obicis tollendi causâ supplici libello Pontificem *Leopoldus* imploravit, de affectu, quem semper erga se Papa ostenderat, magnopere confisus. Ast verò *Innocentius* haud præceps, Magdeburgensi & Salisburgensi Archiepiscopis, inquirenda conubii impedimenta, & quæ Utilitas Reipublicæ ex Dispensatione postulata enasci posset, inquirendum, sibique ex vero renunciandum commisit, teste *Raynaldo* Annal. Eccles. Tom. XIII. p. 178. n. 23. Peculiare beneficium, Ecclesiæ alicui hoc Anno à Duce nostro impensum nullibi legi. Alderspacensibus tamen incerto anno telonii mutæque remissæ gratiam in Austria eundem fecisse, liquet ex Confirmatione Privilegii hujus, postea per *Fridericum* II. Imperatorem facta, & exhibita apud *Hundium* Tom. II. p. 44.

Dux noster *Leopoldus* providebat Filio *Leopoldo* trimulo Sponsam Principem Misnensem.

Benefecit Alderspacensibus.



§. II.

§. II.
Res nonnullæ Sacri Ordinis noſtri Ciſtercienſis.

Annus 1201.

Innocentius Papa Ordini contra Privilegia ſub interminatione plenæ Extinctionis impoſuit collectam pro Terra Sancta.

I. SAcrum Ordinem Ciſtercienſem, cui præſens hic Annus ab Exordio ſuo quartus & Centeſimus erat, ab *Innocentio* Papa III. univerſæ Eccleſiæ Paſtore, & ſub initia Pontificatus ſui ad recuperandam à paganorum tirannide Terram Sanctam votis calidiſſimis accenſo, gravem plenæ ſuæ Extinctionis comminationem repetitis epiſtolis accepiſſe, niſi, cùm Romana Eccleſia decimum quemque, reliquus per orbem Clerus quadrageſimum Numum in Expeditionem Sanctam conferret, Ciſtercienſes undique locorum, non obſtante Ordinis perpetua hucusque Immunitate, quinquageſimum Numum ad Paſcha hujus Anni contribuerent, jam ſupra in Propylei fine ad Annum 1200. expoſui. Terribilis profectò hæc erat, quæ Ciſtercio imminuit, tempeſtas, veréque noſtri Scyllam inter & Charybdim jactabantur. Obniti quippe Pontifici, Summam in Eccleſia Poteſtatem habenti, ultra preces humillimas non exauditas neque decuit per modeſtiam, neque libuit per virtutem, neque etiam per impotentiam licuit. Durum verò interim erat, Privilegiis, per tam ardua Merita ſanctiſſimorum in Ordine Virorum olim comparatis, una hac ſubjectione ita excidere, ut frui eisdem nunquam poſtea liceret. Uti enim nunc, ita & poſtea, quoties liberet, prætendi poſſet urgens Eccleſiæ ſubveniendi neceſſitas, & reliquorum exemplum pro ariete admoveri.

Noſtri opem à DEO ſuppliciter flagitant.

II. Re itaque apud homines conclamata (quorum námque patrocinia implorarent Ciſtercienſes, cùm ſupremorum Præſulum integra Collegia, & in his etiam ſancti Viri *Innocentio* Papæ hujus exactionis ſeriò à noſtris expetendæ authores exſtiterint?) Re, inquam, apud homines conclamata, ſupererat una Miſericordia DEI ſuppliciter invocanda, interveniente præcipuè ſuffragio Magnæ Matris Ciſtercii univerſi MARIÆ. Præter alia proinde Omnia, quæ DEUM placare ſolent, ingruente Quadrageſima, Monachi omnes per Orbem univerſum Ciſtercienſes, quotidie nudis pedibus è Capitulo egreſſi, per ambitum Clauſtri ſeptem Pſalmos, quos ajunt, Poenitentiales perſolvebant: in Eccleſia deinde ante Aram totis corporibus proſtrati, inque faciem ſuam incumbentes, cum lachrymis & precibus DEI adjutorium invocabant. Venit porro Auxilium de Cælo.

Quomodo misericorditer adjuti.

III. Erat nimirum Pontifici ſecretus tunc conſcientiæ Arbiter *Reynerus* quidam, Vir admodum Religioſus & ſanctus, tum ipſi *Innocentio*, tum paſſim ſummis Romanæ Eccleſiæ Patribus, ab innocentia Vitæ, & integerrimo candore animi notiſſimus. Huic, referente *Cæſario* noſtro Heiſterbacenſi ſcriptore ſinchrono Libr. VII. Hiſtoriar. Memorab. Cap. 6.to in viſu noctis Magna Cæli Terræque Domina, & Regina, Virgo DEIpara apparere dignata eſt, demandans eidem, ut ſuo nomine hæc ad *Innocentium* perferret. *Tu Ordinem Ciſtercienſem, cujus ego ſum Advocata, deſtruere conaris, ſed non prævalebis: niſi itaque citiùs reſipueris, ego potiùs te, & omnem tuam conteram poteſtatem.* Ita hoc factum complures alii Scriptores paribus propè verbis ex eodem *Cæſario* enarrârunt. Sed *Matheus Paris* Scriptor Anglus æquè ſinchronus, & aliàs celeberrimus, qui ſua ex *Cæſario* non hauſit, rem ad invidiam Pontificis detorquens, in Hiſtoria Anglorum ad Ann. 1202. ſic ſcribebat. *Eodem anno, cùm Innocentius Papa ad occultandam avaritiam ſuam, ad Expeditionem Terræ Sanctæ, ut dixit, infinitam pecuniam ab Ordine Ciſtercienſi propoſuiſſet extorquere, à B. Virgine correptus, ab exactione ceſſavit, timore percuſſus.* Hæc allegans *Raynaldus* Annal. Eccles. Tom. XIII. p. 81. n. 31. calumniam eſſe dicit, pluribusque adductis exemplis *Innocentium* nequaquam Avarum, ſed per omnem vitam ſuam liberaliſſimo planè animo in omne pauperum genus fuiſſe commonſtrat. Cui accedit, certiſſimum eſſe ex Annalibus Ordinis noſtri, à Rever.^mo *Manriqueo* noſtro ſummâ induſtriâ conſcriptis, Immunitatem Ciſtercienſium à decimis & præſtationibus quibuslibet, cæteros omnes onerantibus, perpetuum quaſi fuiſſe lapidem offenſionis apud omnes ferè Præſules, immo & Ordines alios Regulares: quorum proinde communi querela, ſupplicatione, & hortatu permotus tandem *Innocentius*, ut reliquos ad ſubſidia Terræ Sanctæ promtos haberet, etiam Ciſtercienſes ad eadem obligandos exiſtimavit.

Innocentius Ordini addictiſſimus evaſit.

VI. Interim extra dubium eſt, Ordinem noſtrum ſummum in diſcrimen perdendæ Immunitatis, & perferendæ ingentis iræ Pontificiæ fuiſſe conjectum: miſerente tamen DEO, & opitulante Virgine DEI-Parente, clementiſſimè ſalvatum. Nam *Innocentius* in Virum alterum mutatus, non modò exactionem ſæpè dictam penitus retractavit, verùm etiam univerſa Ordinis Privilegia in tota latitudine ſua confirmavit ampliſſimè, & hac ſingulari prorſus gratia adauxit, ut ſtatueret, Ordinis noſtri negotia deinceps in Curia Romana ante alia omnia expediri debere. Quam Bullam dum ipſe cum univerſo Cardinalium Collegio ſubſcriberet, & unus duntaxat horum ad id invitus videre-

videretur, loco suo se movendum esse, nisi è vestigio acquiesceret, ex Pontifice audivit. Quæ singula dum traduce fama in Orbem emanâssent, dici non potest, quantam Cisterciensibus existimationem apud omnes de novo pepererint. Hæc illorum est fortuna, quorum spes est Nomen Domini.

V. Nostrorum verò erat, Superis atque Hominibus se gratos perhibere. Cæli gratiam ut in alia quoque deinceps tempora mala sibi per Gratitudinem quodammodo stipularentur, liberati & salvati, tum quidem supplicationes cum gratiarum actionibus commutârunt. Ad futuram verò præstiti de Cælo tam præsentis benignissimi auxilii memoriam, consuevit Ordo noster universus in hæc usque tempora, quotannis per Quadragesimæ decursum, non quidem in singulos dies, sed omnibus certè feriis sextis, festo majori non impeditis, Psalmos poenitentiales, procedendô per Claustri ambitum ad Ecclesiam, devotione jam propè sexies seculari persolvere: ut videlicet idem tempus, eædemque preces, quibus hoc grande Beneficium olim impetratum fuit, unumquemque nostrum omni ævo manifestissimè de eodem, DEO DEIparæque quàm devotissimè in acceptis ferendo commonerent, simúlque modum suggererent, futuris calamitatibus, Monasterio, vel Ordini impendentibus, opem reperiendi.

Perpetuæ pro hoc beneficio Gratiæ, quas Ordo etiamnum DEO exolvit.

VI. Hominibus gratitudinem probaturi Majores nostri, non minùs postea, quàm antehac, uti frequenter in Propyleo insinuaveram, se summo Pontifici & Ecclesiæ ad injuncta negotia promtissimos præbuêre, sive tanquam Legati, aut Nuncii mitterentur: sive Crucis eisdem Prædicatio demandaretur: sive in hæreticos exercitum subinde educere juberentur. Inter schismata nemo, quàm nostri, Veris Apostolicis ac Christi Vicariis fideliùs adhæsit, etiam dum persecutiones, tam graves, quàm longæ, tolerandæ forent. Commemoravi, quid fidei causâ erga *Alexandrum* III. legitimum Pontificem passi fuerint Cistercienses à *Friderico* I. Imperatore: dicam verò deinceps, quid iterum sustinuerint à *Friderico* II. Expeditiones porro sacras in Palestinam quod attinet, quamvis nostri pro iisdem pecuniam in commune non contulerint, aliis tamen tam sanctum Opus viriliter promovendi modis ita rem Christianam succollarunt, ut plerumque Bella hæc sacra, quemadmodum ante, dum Mellifluus *Bernardus*, dum Beatus *Henricus* integrum quasi Occidentem pro Oriente vindicando conducerent, ita & postea solorum ferè Cisterciensium auspicio, quod paulò pòst leges, peracta sint. Haud interest, quomodo quis juvet, modò sic agat, ut omne auxilium sibi quodammodo in capite debeatur.

Hominibus gratum se exhibuit fide & obedientia erga sedem Apostolicam.

Innocentius Papa S. Bernardum adscribit Ecclesiæ Doctoribus, & Orationes proprias pro ejus Missa componit.

VII. Cæterùm non parum, uti Mellifluo nostro *Bernardo*, ita omni Cistercio honorificum erat, ipsum *Innocentium* III. Papam rogatu nostrorum, cùm priùs S. *Bernardum* in Doctorem Ecclesiæ numero honorandum decrevisset, Orationes proprias hoc Anno in ejus Missa dicendas ore suo, stilóque dictâsse: quibus adhuc in Ordine utimur. Singulari deinde sanctimoniæ vitæ effulsit *Eustachius* Abbas Floresiensis in Anglia, prædicatione de sanctificandis Dominicis, Festisque, quam crebra prodigia comitabantur, per omne Regnum Celeberrimus. *Guilelmus* item nuper electus Archi-Antistes Bituricensis, Aquitaniæ Primas: qui invictâ animi constantia gravissimas ac diuturnas calamitates, & persecutiones, defensæ Ecclesiasticæ Libertatis causa, à *Philippo* Galliæ Rege, & Proceribus, Disciplinæ restituendæ ergò propriis à Clericis pertulit, & cum triumpho superavit, mirè tandem ob insuperabilem Virtutem ab iis amatus, quos antea sibi infestissimos habuit. Grandem porro numerum Archipræsulum, Præsulúmque ejus temporis, è Cistercio assumtorum, auxit hoc Anno *Rodulphus* Abbas Meilrosensis, in Cathedram Dunensem evectus.

Viri celebres Ordinis.

Thomæ Monachi in Cistercio Commentaria in Cantica.

VIII. Præterea huic, vel proximo cuipiam anno Rever.mus ac Jllustr.mus *Manriquetus* noster, apud quem singula ante dicta, uti & posthac dicenda, Uberiùs exposita & constabilita videre licebit, Annal. III. h. a. rectissimè alligandam censet perfectionem præclaræ atque prolixæ Expositionis in Cantica Canticorum, factæ à *Thoma* Monacho in Archi-Abbatia Cisterciensi, qui D. *Bernardi* stilum proximè imitatus est, hancque operam adhortante *Pontio* Episcopo Claromontano, olim Abbate Clarævallensi, suscepit, eidémque Antistiti inscripsit. Quæ Expositio Divini illius Epithalamii cùm apud nos pariter exstet MS.ta semel quidem in Membrana foliis integris CCXXXV. manu seculi XIV. exarata, iterum vero in Codice altero Charteaceo: Author ejusdem hoc loco à me non debuit omnino præteriri. Quomodo verò Cl. *Oudinus* hujus Commentarii tam insignis varios alios Authores ab aliis erroneè jactatos detegat, atque ætatem Libri hujus perfecti plusquam decennio provectiorem esse debuisse existimet, prolixiùs exponere hujus loci non est. Egi illud *in Recensu Bibliothecæ Veteris MS.tæ Campililiensis*.

Præmonstratensis Canonia Schlegel in Austria Superiori initio erat Cisterciense Cænobium.

IX. Tandem apud D. Baronem *Hobeneckium* in Histor. Inclit. Stat. Austr. Super. lego Part. II. p. 363. sq. Dominum *Calbochum de Falckenstein* in arce sua ad fluvium Rana prædictæ provinciæ residentem An. 1200. dum venationi indulsisset, in vastissima sylva, quæ ævo illo hanc Regionem hodie cultissimam inumbrabat, ita deviâsse, ut exitum planè non reperiret, sed lethali cum formidine tam ferarum, quàm latronum, noctem solus desertúsque ab omnibus ibi ducere deberet, séque

in

in terra compositurus, nihil omnino, quod capiti supponeret, reperiret, præterquam malleum grandem ligneum, quo fissores arborum ad findendos truncos uti solent. Insomni porro apparuisse DEIparam consolantem, imperantémque, ut eo ipso in loco Ecclesiam ejus honoribus ædificaret. Hoc si proponeret, futurum, ut altero mane ex hac Sylva incolumis evaderet. Obtemperâsse Virum Nobilem, & exstructâ Ecclesiâ, illuc ex *Langhemio*, celebri Cœnobio Cisterciensi in Franconia, anno sequenti impetrâsse Abbatem cum Monachis: quibus Ecclesiam sub titulo *Plagæ Mariæ* tradiderit. Quoniam verò locus ille nimiùm vasti erat horroris, & fundatio sustentationi minimè suffecerat, Monachos, qui à rigore Ordinis remittere nihil audebant, asperrimo frigore, ac præterea inopia victûs ita afflictos fuisse, ut Abbatem frigus, Monachum unum fames confecerit. Quare Fratres octavo anno eundem Locum, in quo subsistere nequirent, communi consilio deserentes, Langhemium repetivêre. Fundator postea saniori Episcoporum consilio usus, proventus ac possessiones Loci ita auxit, ut novæ Coloniæ regulari sufficeret, iisque mediis gauderet, quibus incolæ novi se ipsos juvare, vastámque solitudinem, ac sylvam magna sui parte exscindere, & fructiferam reddere possent. Cistercienses tamen haud ampliùs eò redivêre, sed edito solemni Cessionis instrumento, unde hæc narratio desumta, Locum Fundatori remiserunt: qui eundem Candidissimo Præmonstratensium Ordini tradidit, adhuc florentem, & abolito ferè *Plagæ Mariæ* nomine, hodie vulgari idiomate Teutonico *Schlegel* appellatum.

Annus 1202.

X. QUantùm jam diligeret, æstimaret, & in oculis ferret *Innocentius* Papa sacrum Ordinem nostrum, sanè illustribus hoc anno argumentis comprobavit. Primùm námque, cùm esset ipse excellens Theologus ævi sui, non dedignatus est, *Joanni*, antea Archipræsuli Lugdunensi, postea, dignitate ultro deposita, humili Claræ vallis Monacho, tres ad Quæstiones Theologicas propositas longa & sapienti deductione respondere. Dum deinde modis omnibus promotam vellet Expeditionem sacram in Orientem, ante omnes compluribus Abbatibus Cisterciensibus diversorum Regnorum ac Provinciarum susceptionem Crucis, ac Prædicationem injunxit. Quorum facilè Princeps erat *Martinus*, Parisii in Germania Abbas propè Basileam, communi statim omnium Germanorum Cruce signatorum voto, collaudante ad hæc, immo injungente Summo Pontifice, & permittente Abbate Ordinis Generali, universi Teutonici Exercitus in Palestinam Ductor & Archimandrita Sacer futurus.

Dignatus est Papa *Joanni* Monacho ad propositas Quæstiones Theologicas respondere.

Abbates Cistercienses prædicant Crucem

Gerardus Pontigniaci Abbas fit Cardinalis.

XI. Defuncto *Guilelmo*, Francorum Regis *Philippi* Avunculo, Cardinali Episcopo Prænestino, & Archiepiscopo Rhemensi, Papa, ad cujus unius gratiam Purpura Prænestina conferenda attinuit, eandem illico contulit in *Gerardum* Pontigniaci Abbatem. Hunc verò vix benè Romæ adventantem, & ab ipso consecratum, quia morbus lethalis statim invasit, morsque præcox planè è medio sustulit: noluit Pontifex jacturam istam, sibi haud parum acerbam, aliunde quàm è Cistercio resarcire, pro Filio ipsum supremum Ordinis Patrem *Guidonem II.* Archi-Abbatem hac eadem Purpura convestiens, & paulò pòst illum cum facultate Legati à latere in Germaniam submittens.

Post eum *Guido* II. Archi-Abbas Cistercii.

Arnaldus fit Abbas Generalis Cistercii.

XII. Viduo hac ratione Cistercio felicibus Patrum votis in Caput novum adlectus est *Arnaldus*, Grandis antea sylvæ, uti & Populeti clarissimus Abbas. Huic quanta esset cum *Innocentio* necessitudo, & quàm insignis de affectu ejus fiducia, dubitare neminem sinit Epistola Papæ hujus ad *Arnaldum* nostrum, pro temporis quidem illius libertate nomina variè inflectendi *Arnulphum* compellatum, quam Sermonibus suis, eidem dicatis, præfixit. Hanc enim ita conclusit. - - *Ne verò pro sollicitudine temporalium, quæ temporis exigente malitia valde me gravant, curam spiritualium omnino negligerem, quæ mihi propter Apostolicæ servitutis officium magis incumbit: quosdam Sermones ad Clerum & Populum nunc literali, nunc vulgari lingua proposui, & dictavi. Quos ad Tuæ petitionis instantiam quam per Communem Filium Fr. Nicolaum, Capellanum meum, & Monachum tuum mihi fecisti, Devotioni Tuæ studui destinare, rogans & obsecrans in Christo JESU, quatenus in Orationibus tuis apud justissimum Judicem, & piissimum Patrem me reddas spiritualiter commendatum.* Audebat *Arnaldus* provocare, dignabatur obtemperare *Innocentius*: utrique *Nicolaus* idem, confitente Pontifice, erat Filius communis.

Eidem *Innocentius* Papa Sermones suos inscripsit.

Annus 1203.

Martinus Abbas exercitum Cruce signatorum eduxit.

XIII. EDuxit hoc *Martinus* Abbas antè laudatus Germanos Cruce signatos ad usque Venetias, cætero Exercitui sacro conjungendos. Sed his Militibûs Christi per Venetos inductis, ut Ungaris Jaderam eriperent, cui ausui tam Legati Pontificis, quàm noster *Martinus*, frustra obnitebantur: venit in omnes, qui inviti ad hoc consilium non fuerant, Pontificis fulmen. Icti veniam audaciæ quæsituri, *Martinum* cum aliis duobus Prælatis Romam submisêre: per quorum demissam supplicationem placatus Pontifex, pœnitentibus delicti gratiam remi-

remisit. Sed *Martinus* frustra orans, ut redire suum in Cœnobium posset, mandante *Innocentio*, Acconem accessit, peste, bellóque graviter afflictos Christianos adjuturus: quorum cùm animas, tum corpora, eximiè curavit.

XIV. Dum *Guido* novus Cardinalis Prænestinus, antea Archi-Abbas Cistercii, Legatum Pontificis ageret in Germania, fidem interponente *Cæsario* nostro Heisterbacensi Libr. IX. cap. 51.°, Coloniæ versatus, ad SS. Sacramenti Eucharistiæ majorem Venerationem Authoritate Apostolica constituit, ut in omni Missa, dum elevatio Corporis Sanguinísque Dominici instaret, & fieret, à Ministro ad aram campanula, sive nola, populus ad adorandum flexis genibus commoneretur: pariformiter, ut, quotiescunque ad infirmum deportaretur Sacrum Viaticum, consimili sonitu habitantes in domibus, & occurrentes in plateis, eandem ad reverentiam provocarentur. Quem sanctissimum & saluberrimum usum universa deinde Ecclesia recepit, & in hanc usque diem observat. Præmium Institutori cælum rependisse videtur. Dum námque Rhemis in Gallia postulatio novi Archi-Antistitis, discordibus votis acta, litem peperisset, subque postulatis atque submissis à Pontifice Arbitris iterum in vota iretur, *Guido* noster Cardinalis ignarus & absens concordibus votis eum in Archiepiscopatum, Papa libentissimè approbante, subvectus est eodem hoc anno.

Guido Cardinalis noster instituit usum campanulæ ad Elevationem in Missa.

Fit Archiepiscopus Rhemensis.

XV. In Hybernia quoque Cisterciensis Monasterii *ad S. Benedictum* appellati Abbas Cathedram Episcopalem Lesmoriensem unanimi suffragio ascendit. Prolixiùs deinde demonstrante Rever.^mo *Ferdinando Ugbello* nostro Ital. Sacr. Tom. IX. à col. 202. hoc pariter anno *Lucas*, Sambucinæ Abbas Cisterciensis, diuturnus Apostolicæ Sedis Legatus, per omnem Siciliam, adsitásque Insulas, Crucis Præco, ínque hæresin Neophytorum Inquisitor, olim *Henrici VI.* Imperatoris, & *Constantiæ* Augustæ summa gratia pollens, in præmium Virtutis ac laborum, Archiepiscopali Cusentina Dignitate in Calabria communibus votis condecoratus fuit, Præsul certè dignissimus, & præcipua vitæ sanctimonia clarus, Ordinis nostri, atque Cusentinæ Ecclesiæ suæ, per annos viginti fulgidissimum Sidus: qui à *Maresiotto* in Calabriæ Descriptione inter Beatos connumeratur.

Abbas alius creatur Episcopus Lesmoriensis.

Lucas fit Archiepiscopus Cusentinus.

Annus 1204.

XVI. REpullulavit hoc anno, jam toties per nostros à tempore S. *Bernardi* repressa, Albigensium Hæresis, blasphemiis & fatuitatibus novis adaucta, nomen verò trahens ab *Albo*, Provinciæ Tolosanæ Civitate, ubi primùm exorta credeba-

Hæresi Albigensium à Pontifice præcipuè opponuntur Cistercienses.

debatur. De ea porro *Cæsarius* noſter. *In tantum Albigenſium error invaluit, ut brevi intervallo temporis infecerit usque ad mille Civitates : & ſi non fuiſſet gladiis fidelium repreſſus, puto, quòd totam Europam corrupiſſet.* Primum huic malo remedium ſtruere tentavit *Innocentius* Papa per geminos Monaſterii Ciſtercienſis Fontis Frigidi Monachos, *Petrum de Caſtro Novo*, & *Radulphum*, ambos à doctrina ſacra, & innocentia vitæ, ſibi fama publica plurimùm commendatos : quos proinde ampla facultate ad prædicandum munivit, ut Paſtores Præſules à ſomno excitarent, Clerum licentiæ ſuæ coarguerent, hæreticos convincerent, plebem adhuc ſanam contra peſtem ſerpentem præmunirent. Hi Civitatem Toloſam præ omnibus aggreſſi, primo conamine, largiente DEO, id ſaltem effecêre, ut ſeductores & ſeducti, tametſi non perſanati, quod pertinacia vetuit, metu tamen correpti, lucem fugerent, & more omnium, qui malè agunt, tenebras quærerent, neque ullum cætum, præterquam nocte concubia, agere auderent. Quo initio lætus Pontifex, mox iterum *Arnaldum* Archimandritam Ciſtercii, unacum iisdem ſupraſatis *Petro* atque *Radulpho*, concepta Bulla prolixa, nec parum efficaci, Narbonenſem in provinciam, aliáſque hoc veneno infectas dimiſit, delegans eisdem illam, quam cæteroquin Epiſcopi ordinariam habuiſſent, plenámque poteſtatem, in hæreticos ubique locorum inquirendi, eosdem examinandi, judicandi, damnandi, caſtigandi, extirpandi, invocato etiam brachio ſeculari. Quem in finem Regi Galliæ ſcripſit, eíque in virtute ſalutaris Obedientiæ injunxit, arma in hos peſtiferos populi ſubverſores expedire, & ſtringere, hisque Inquiſitoribus à ſe conſtitutis gladio opem præſtare, omnibus iis, qui hæc præſtiterint, easdem gratias indulgens, ac merita ſpondens, quibùs gauderent, ſi Crucem adverſus paganos accepiſſent. Conſtant hæc ſingula indubia fide ex *Hiſtoria Albigenſium*, conſcripta per *Petrum* noſtrum Vallium Sarnay propè Pariſios Monachum, qui ſingulis ferè ipſe interfuit, Librúmque ſuum *Innocentio* Papæ ſubmiſit: firmiùs verò adhuc ex ipſis Bullis Papalibus, à Rever.[mo] *Manriqueo* noſtro è Bibliotheca Vaticana exhibitis.

Negotia alia noſtris à Pontifice injuncta.

XVII. Commiſit autem Papa *Arnaldo*, ac Sociis ejus, ſpeciali Bulla Inquiſitionem pariter in Archiepiſcopum Narbonenſem, utque in eum procederent, ſi res ita poſtularet, planè usque ad depoſitionem, injunxit : id, quod etiam factum eſt. *Joannem* præterea Abbatem noſtrum de Caſemariis Legatum ſuum conſtituit ad Regem Galliæ, ad pacem cum Rege Angliæ, quam jurejurando ſpoponderat, conſervandam ſub anathemate adigendum. Pro Livonia integrè convertenda ſuggeſſit Præ-

ſulibus

sulibus vicinis, ut Monachos Cistercienses, præ reliquis aptos, eam in Messem dirigerent. Quemadmodum verò obsequiis nostrum undequaque utebatur: ita vicissim, si quæ causæ nobis cum aliis intercederent, quia semper æquitate nitebantur, identidem pro nobis promtéque pronunciavit.

XVIII. Quid porro, si tandem insignem quoque Cisterciensem prædonem in medium deduxero? Fuerat is laudatus antehac *Martinus*, Exercitus Cruce signati Ductor. Hunc Acconitæ, graviter ab hostibus infestati, Constantinopolim direxêre, ut sibi celeres Militum Christi suppetias procuraret. At verò propter Græcorum perfidiam, gravissimósque insultus, quibus Classis Cruciata repellendis vix ipsa tota suffecerat, aliis opitulari tum quidem ex iis nemo nullus valebat. Unitæ vires Urbi expugnandæ impendi debuerant. Hac verò tandem capta, cùm omnes prædatum irent, nec sibi otiandum esse *Martinus* noster existimabat. At verò secularibus dextris, & animis, Aurum, argentum, Gemmas, & si quid aliud Mundus concupiscat, relinquens, ipse in præcipuo quodam templo, in quod noverat pretiosissimas totius Urbis Reliquias Sacras comportatas esse, se cum uno Capellanorum suorum, hujusmodi thesauris, quos ei cæterorum vix aliquis illo in turbine inviderat, probè oneravit, navi eosdem, ac tuguriolo ibidem suo, cum gaudio inferens, & recondens. Sanctum enim & Religiosum credebat, hujusmodi Pignora cælestia profanis manibus eripere, & omni deinde solicitudine curare, ut integra illa & illæsa domum aliquando referens, multas ex iis Ecclesias, sui maximè Ordinis, ditaret, Rebúsque sanctis dignam apud sanctos venerationem conciliaret.

Martinus Abbas Constantinopoli ingentem Sacrarum Reliquiarum Thesaurum collegit.

XIX. Cæterùm cùm ad Electionem Imperatoris Constantinopoli processum, & in quindecim Viros, qui cæteris tam integritate vitæ, quàm consilio præstare videbantur, ab universis compromissum fuisset, Cistercium ab hoc Collegio non planè exclusum erat, *Oglerio* Abbate nostro Locediensi hos inter Quindecim viros aggregato: ut adeò *Balduinus* novus Imperator Orientalem Purpuram & Coronam nostro pariter Ordini ex parte deberet. Discere porro hoc licet ex *Joanne Meyero* Flandro, qui Annal. Flandr. Libr. VII. in fine Electionem *Balduini* quàm exactissimè probis è monumentis describens, eos quindecim, in quos cæteri compromisêre, ex officio vel Dignitate singulos percenset.

Oglerius Abbas unus erat ex Electoribus *Balduini* Imperatoris Constantinopolitani.

Annus 1205.

XX. QUoniam Inquisitoribus nostris, uti Pontifex optaverat, ac demandarat, Episcopi varii neque assisterent, neque

Papa Inquisitores Albigensium confirmat.

neque opitularentur, & maximè adversus *Raymundum* Comitem Tolosæ, præcipuum Albigensium Tutorem, nihil animi ostenderent, supplicabat *Petrus de Castro Novo*, Inquisitionis munere absolvi. Quem verò *Innocentius* prolixa epistola confirmavit in opere tam benè cœpto, nova nostros facultate communiens, in Episcopos oscitantiores etiam per depositionem vindicandi. Unde in cæteris deposito, vel ad abdicandum coacto Episcopo Tolosano, eandem in Cathedram per electionem suffectus est *Fulco*, tunc Abbas Floresiæ Cisterciensis, maximi postea Nominis futurus. Abbas Casemarii à Pontifice ablegatus ad Regem Angliæ: Laodicensis verò in Oriente cum Literis Apostolicis in Armeniam directus. *Balduinus* novus Orientis Imperator ab *Innocentio* Papa flagitavit, ut Monachi Cistercienses Constantinopolim dirigerentur, Ritus Romanos ibidem introducturi, ipso Pontifice teste in Epistola sua ad Episcopos & Abbates Galliæ.

Fulco fit Episcopus Tolosanus.

Abbates alii Legati.

Cistercienses petuntur Constantinopolim.

XXI. Metropolis Moguntina Germaniæ duplici sub Electo graviter scindebatur, uno *Lupoldo*, quem *Philippus* Rex probaverat, altero *Sifrido*, quem confirmaverat Pontifex. Ab hoc itaque ad *Philippum* ne discordiam foveret, ablegati fuere *Eberhardus* Abbas Salemitanus, & item alius Novo-Castrensis, ambo Ordinis nostri. Hoc pariter, nisi priore jam anno, ad Episcopalem in Moravia Cathedram Olomucensem ascendit *Robertus* Prior Monasterii nostri Nepomuceni Bohemiæ. Ivreæ, sive Eporediæ in Sabaudia ad Præsularem dignitatem communibus votis electus est *Petrus* Abbas Ordinis nostri de Firmitate, juxta *Ferdin. Ughellum* Ital. Sacr. Tom. IV. col. 1070. sqq. Qui cùm paucos post dies ab adito Episcopatu ad effugiendum honorem, & amore contemplationis, se Ecclesiæ suæ clanculo subduxisset, *Innocentius* Papa eundem prolixa epistola paternè coarguit, & adhortatus est ad humeros oneri submittendos, fidémque Sponsæ suæ servandam. Obediens itaque redivit, sequentibus annis altiori in candelabro iterum à me laudandus.

Iteratæ nostrorum Legationes, & Promotiones.

XXII. *Martinus* Abbas noster Parisinus Germaniæ cum Exercitu Cruce signato Acconem iterum adiens, horum tamen Militum Christi, maximè Principum, animos, voluntates, ac studia tam contraria videns, ut neque ab Apostolicis Legatis, neque à se, tanquam constituto sacro Ductore, pro emolumento Terræ Sanctæ ad concordiam redigi possent, spe bonæ frugis excidens, deque sacro suo Reliquiarum Thesauro, quem Constantinopoli prædam fecerat, Plurimùm solicitus, reditum in Patriam constituit, pòstque plurima & gravissima terra marique pericula, DEO portegente feliciter superata, ad Monasterium

Martinus Abbas cum sacro Reliquiarum Thesauro feliciter domum redivit.

rium suum, in Alsatia situm, incolumis reversus est. De quo sic *Otto San-Blasianus* apud *Urstisium*. Cap. 49. *Abbas quidam, nomine* Martinus, *Cisterciensis Ordinis de Monasterio* Perisio, *quod situm est in Alsatia, Expeditionem Sacram aggressus, Expugnationi Constantinopoleos interfuit, indéque maximam Partem Vivificæ Crucis, aliarúmque Reliquiarum Dominicarum, cum multis Sanctorum Reliquiis, ornatis Auro, & argento, Lapidibúsque pretiosis, in patriam transtuit, hisque totam Germaniam cum Alsatia admodùm nobilitavit.*

Annus 1206.

XXIII. PRæerat hac ætate Oxomiensi in Hispania Ecclesiæ tam doctrina, quàm sanctitate pereximius Præsul *Didacus*: qui Canonicos suos eò induxit, ut præscripta ex Regula viverent, eorúmque in Gremium Beatum *Dominicum* Ordinis Prædicatorum postea Patriarcham & institutorem adlegit, & Suppriorem constituit. Zelosissimus hic Antistes miro prædicationis fervore flagrans, maximè ad conversionem Gentium & Hæreticorum, hoc Anno, teste *Petro* nostro *Valle-Sarnensi* in Histor. Albigens. Cap. 3.tio, assumto viæ comite B. *Dominico*. Romam accessit, ab *Innocentio* Papa facultatem rogaturus abdicandi se Episcopatu, ut Prædicationi vacare posset: in quo tamen frustra fuit. Bono etenim præsule cuilibet Ecclesiæ nihil utilius est. Per Galliam itaque rediens *Didacus*, Hispanis *Diego*, transiénsque Cistercium, ibidem Religionem nostram admiratus, professus, sacrúmque Habitum induens, plures Monachos sibi Socios elegit, secum in Hispaniam ituros. Sub iter porro *Arnaldum* Archi-Abbatem nostrum, & jam pariter suum offendens, multùm ejusdem, Sociorúmque sancta industria delectatus, eisdem, ut poterat, consilio & opera collaborabat: maximè cùm *Arnaldus*, Capituli Generalis celebrandi ergo, & novorum inde Operariorum conducendorum causa, Cistercium reviseret. Quoniam verò ex omni Sudore fructus tantus, quantus optabatur, relatus hucusque non fuerat, Hæreticis depravatam Cleri Romani vitam semper oggerentibus, hancque tam subito, támque plenè reformare Inquisitores non possent, Episcopus prudenter sanctéque consuluit, ut ipsi saltem in prædicationis munere formam Apostolicam tenentes, pedibus duntaxat, sine Auro & Argento Regiones obambularent, & sine sumtu Evangelium ponerent: quibus ipse, dimissa omni, præter unum Clericum, familia sua, illustri exemplo præivit.

Didacus Præsul Oxomiensis Cisterciense Institutum profitetur, & Socium habens B. Dominicum, se jungit Inquisitoribus nostris.

XXIV. In Livonia prædicandi Evangelii munus Abbas noster de Lanckheim, Romæ, quam eapropter adiverat, ab *Innocentio* in hanc messem destinatus, generosè aggressus est. Constanti-

Prædicatio nostrorum in Livonia.

Excipiuntur Constantinopoli. nopoli *Henricus*, novus post Fratrem *Balduinum* in Oriente Augustus, transmissos Cistercienses Monachos peramanter excepit, eisque nonnullas in Urbe Abbatias, Græcis priùs Monachis habitatas, concessit. *Guido gemimus Cardinalis.* *Guido*, antea Cistercii Abbas hoc nomine II.[dus], nunc Cardinalis Episcopus Prænestinus, & Archiepiscopus Rhemensis, hoc anno rursùm Pontificis in Germaniam Legatus, *Philippum* Regem admodum reverentem, & obsequentem habebat. Paulò pòst autem Gandavi defunctus, *Guidonem* alterum, qui eum hoc nomine I.[mus] Cistercii antecesserat, ante eum quoque Cardinali Purpura donatus, nunc in Episcopatu Prænestino, *Papa Ordini Monasterium servat.* nominante Papa *Innocentio*, Successorem accepit. Neque memoria indignum est, veterem Abbatiam Cisterciensem, dictam *de Monte* propè Viterbium, ære alieno nimio oppressam, & jam ab Ordine derelinquendam, ab eodem Summo Pontifice propriis impensis redemtam, atque restitutam, Ordinique servatam fuisse.

Annus 1207.

Cùm Arnaldo Archi-Abbate duodecim alii Abbates Ordinis pergunt ad Albigenses. XXV. ACto Capitulo Generali Cistercii, ibidémque prælectis *Innocentii* Papæ exhortatoriis Literis, *Arnaldus* Archi-Abbas, electis in opus Prædicationis & Inquisitionis adversus Albigenses duodecim Abbatibus Ordinis nostri, pluribusque idoneis Monachis, cum iisdem juxta formam Apostolicam, non equis, non curribus adhibitis, sed pedes veniebat, stipémque pro sustentatione ostiatim mendicabat, sociis in omnem Regionem divisis, quò bini biníque processêre. Quos dum ingenti cum cordis lætitia vidisset strenuè operantes antè laudatus *Didacus* Episcopus Oxomiensis, jam se superfluum ratus, & pariturus Mandato Pontificis, sese in viam dedit ad Episcopatum suum, non aliter tamen ac pedes, solo B. *Dominico* apud *B. Dominicus formam Ordinis sui meditatur exemplo nostrorum Prædicatorum.* nostros relicto: cui tamen consuluit, utilissimum Ecclesiæ forè ejusmodi Ordinem, qui similem Prædicationem, consimili forma Apostolica, ubique locorum, ubi opus esset, ex instituto perageret. Quod Sancto huic incitamento ac stimulo fuit, normam Sacri Ordinis sui, quem dudum animo conceperat, ferventiùs meditandi. Et piissimus quidem Antistes, vix demum Ecclesiam suam rursùm attingens, sanctè in habitu nostro migravit ad cælum. *Dominicus* verò interea, dum cogitata perficere liceret, nostris fervidè cooperatus, quod ei committebatur, strenuè executus est. Interea è nostris *Radulphus*, unus è primariis Inquisitoribus, naturæ in laboribus deficienti, æquè beata morte succubuit. *Arnaldum* Archi-Abbatem gravia negotia, per se expedienda, aliquanto tempore aliò avocavêre. *Petrus noster Comitem Tolo-* In solum itaque *Petrum de Castro Novo* dirigendæ hujus Prædicationis, & Inquisitionis negotium recidit: quod verò ipse

præ-

præcipuè adversus Comitem Tolosanum tanta constantia egit, ut mille modis ad eum persanandum, reducendúmque tentatis, sæpissimè tandem hanc saluberrimam operam fallenti, exclusionem à Communione fidelium semel iterúmque comminaretur, & neque his minis valentibus, eum postremò ab Ecclesia publicè lata sententia proscriberet. Pontigniacum nostrum hoc anno *Stephanum*, institutum à Pontifice Archiepiscopum Cantuariensem, sed à *Joanne* Angliæ Rege expulsum, hospitem recepit, Cistercienfibûs propterea nostris eo in Regno, Reliquum inter Clerum, ab irato Rege præcipuè, gravissiméque afflictis.

sanum ab Ecclesia proscribit. *Stephanus* Archiep. Cantuariensis exul Pontigniacum confugit.

Annus 1208.

XXVI. TEste *Petro* Valle-Sarnensi Histor. Albig. Cap. 64. sæpè multúmque ajebat *Petrus* noster *de Castro Novo* Inquisitor: *Negotium JESU Christi in partibus istis nunquam prosperum sortietur effectum, donec aliquis de nobis Prædicatoribus pro defensione fidei moriatur: & utinam ego prior persecutoris exciperem gladium.* In quo sibi ipse Prophetam egit. Comes quippe Tolosanus *Raymundus*, qui Catholicis hostis erat, hæreticis Tutor, & Murus aheneus, atque unus proinde, vel certè potissimus obex Prædicationis, se à *Petro* nostro Authoritate Apostolica à fidelium communione exclusum iniquissimè ferens (quisquis enim pessimus est, malus tamen videri vel sciri detractat) constituto eo, coram universo fidelium cætu multis fallaciter probare nitebatur, has diras absque causa in se jactatas fuisse: à quibus proinde absolvi petebat, aureos pro vera fide per se tuenda montes pollicitus. Quia verò petebatur, ut, si absolvi cuperet, ea, quæ tam latè non modò solùm, sed etiam dudum antè spoponderat, prævie præstaret, non obscurè *Petro* mortem comminabatur. Timens autem plebem, cui Sanctitas Viri tam nota, quàm dilecta erat, necem ejus mox altera die sicariis duobus injunxit, longiùs à finibus provinciæ suæ: ad hos enim usque, *Petrum* cum socio, multa turba fidelium comitabatur. Qui cùm quasi jam sui securi dimitterentur, & more Apostolico pedites pergerent, dicti sicarii se eisdem ut viæ comites adjunxere, longiùs cum eis progressi: donec præeuntibûs nostris, & orantibus, alter à tergo subitò expedita macherâ *Petrum* per costas ita transfigeret, ut eum jam ultra vivere non posse certus cognosceret. Qui verò intuens in eum dixit: *DEUS tibi dimittat: & ego dimitto.* Residuum postea modicæ vitæ imperturbatus ordinandæ Prædicationi, de eadem prosequenda cum Socio colloquens, impendit, usquedum cum ultimo halitu animam beatam DEO hilariter reddidisset.

Petrus Inquisitor Comitis Tolosani jussu occiditur.

Papa in Comitem & Albigenses Crucem prædicari jubet.

XXVII. Infandum hoc & sacrilegum latrocinium concitavit *Innocentium* Papam, ut Crucem in Comitem Tolosanum, & Hæreticos, quos fovebat, non secus, atque in Saracenos, prædicari præciperet. *Literis*, ut habet *Hugo Altissiodorensis* ad hunc annum, *longè latèque directis, peccatorum remissione, & pœnitentiarum absolutione concessa, innumerabilis multitudo fidelium concitatur, & novo more Crucis se Signo signat in pectore, contra fidei desertores zelo fidei se armantes.* Novo more signatos ait hic Author eos, qui contra Albigenses erant militaturi, Cruce nimirum pectori affixa, illis econtra, qui in Palestinam ituri erant, Crucem super humerum deferentibus. Prædicationem hanc Crucis per Galliæ provincias septem Abbates Cistercienses, quorum præcipuus *Guido* Abbas Vallium Sarnay, multis cum Monachis peregerunt. Comes Tolosanus abinde trepidus & horrens, nuncios Romam direxit, aliósque Legatos poposcit. Submisit hos Pontifex, verumtamen ad *Arnaldum* Archi-Abbatem Cistercii, & Supremum Inquisitorem direxit, cum ejus consilio cuncta facturos, símúlque cum illo Galliæ Regem accessuros, ut ei Crucem, & vindictam in hæreticos obstinaces suaderent. Qui cùm excusaret, neque se Exercitum sacrum in Albigenses ducere, neque Filium suum ad eum ducendum dimittere posse propter bellum, quod ab Anglis timeret, Baronibus tamen suis quibuslibet copiam fecit hujus Expeditionis suscipiendæ. Legati porro, Inquisitores, atque Primores Cruce signatorum, communi consilio nuncios ad fortissimum juxta piissimúmque Comitem *Simonem Montfortium* direxêre, invitantes eum, & obsecrantes, ut in fronte Sacræ Militiæ exire, Crucisque Strategus esse non detrectaret: qui & promtus libensque assensit. Comes Tolosanus, accedentibus ad se Legatis, ovina se pelle undequaque contexit, id unum intendens, ut ipse, suæque ditiones, securitate fruerentur. Nihil itaque tam arduum injungere poterant Legati, in quod ipse non jurâsset, Crucem quoque suos adversum clientes fide undique ficta suscipiens: quo obtinuit, non ut solveretur anathemate, ac cæteris poenis, sed, ut causa ipsius alia in tempora suspenderetur. Neque enim simulatione ipsius fallebantur Legati, sed magna prudentiæ discretione præstolabantur, sive, ut ex animo resipisceret, sive, ut manifestioribus & ulterioribus culpis se ipsum palàm in oculis Orbis condemnaret.

Annus 1209.

Inchoat Bellum in Albigenses Duce ac

XXVIII. EXercitu adversus Albigenses Cruce signato, in quo erant Archiepiscopi, Episcopi, Comites, Barones, ac Populus maximus, apud Lugdunum Galliæ congregato, cui se ipse Comes

Comes Tolosanus dolosè adjunxerat, Archi-Abbas Cisterciensis *Arnaldus*, ab omnibus *Dux & Præceptor* institutus, omnes anteibat, primóque impetu in Urbem Biterrensem facto, ea capta, penitúsque eversa fuit, tanquam unus è præcipuis hæreticorum nidus, cùm resipiscere cives sua ab insania nollent. Abinde Carcassona expugnata: unde Civibus non aliter, quam nudis, egredi permissum. Terra porro, quam Cruce signati occuparent, qui sibi nomen *Peregrinorum* assumserant, unanimi Concilio, cui primus *Arnaldus* præsedit, D. *Simoni* Comiti *Montfortio* addicta fuit: cum hac verò pariter moles belli universi eidem sustinenda injungebatur. Brevì autem Comes *Fuxensis* à Cruce signatis defecit, proditionem suam inchoans, & omnibus comprobans à cæde siccaria Abbatis cujusdam Cisterciensis, itémque Conversi Fratris, Monacho altero semi-nece relicto. Odium quippe ejus, & hæretici totius furfuris, in Cistercienses nostros, ante alios omnes, gravissimè frendebat: uti plerumque ægri phrænetici adversus Medicos stultissimè furunt. Contra verò de Beato *Petro* de Castro Novo, quem anno superiore Comes Tolosæ necari jusserat, *Godefridus* Coloniensis, qui tamen eum perperam Cardinalem appellavit, Cisterciensem verò fuisse reticuit, ita testatus est. *Transacto anno, cùm ex jussione Summi Pontificis sepulchrum aperiretur, ut Corpus Martyris in Ecclesiam translatum juxta tumbam S. Aegidii poneretur, ita recens carne & sanguine sine aliqua corruptione inventum est, ac si eodem die ibi positum fuisset. Tanta etiam illic fragrantia suavissimi odoris emanavit, ut, qui præsentes aderant, totam Ecclesiam plenam aromatibus esse putarent.*

Præceptore *Arnaldo* Archi-Abbate Cistercii.

Iterum necantur Abbas & Conversus Cisterciensis.

Corpus B. Petri de Castro Novo elevatur.

XXIX. Hæc autem dum in Gallia fierent, in Germania celeberrimus ille Conventus Herbipolensis agebatur, in qua *Ottoni* per legatos Pontificis, ac Principes, Imperium, mediantibus Nuptiis ejus cum *Beatrice* Filia *Philippi*, firmabatur. Legatis jussu Pontificis adjunctus erat *Guido* Abbas Morimundensis Ordinis nostri, peculiari mandato ad hunc Actum ab *Innocentio* Papa instructus, si Otto dictas in Nuptias consensurus esset, & Principes eodem pacto Imperium eidem stabilirent. Ut enim *Otto* San-Blasianus narrat in Prosecutione Historiæ post *Ottonem* Frisingensem Cap. 51.mo: *Rege ad hoc devoto animo consentiente, Abbas Morimundensis Cisterciensis Ordinis surrexit, omniumque Abbatum, aliorúmque Claustralium utriusque Ordinis, Cluniacensis videlicet, & Cisterciensis personam assumens, delictum, hoc Connubio contra consuetudinem Ecclesiæ* (interveniente nimirum Consanguinitate in Gradu prohibito) *quamvis dispensatoriè committendum, Monastico Ordini Auctoritate Apostolica imposuit: Regi per hoc injungens*

Guido Abbas Morimundensis jussu Pontificis interfuit Comitiis Herbipolensibus in Germania.

gens pœnitentiam, ut Monasteriorum, aliarúmque Ecclesiarum pro posse defensor existeret, viduis & pupillis justo judicio præesse, Monasteriúmque Cisterciensis Ordinis in fundo proprio ædificaret, ac post hæc Ecclesiæ Hierosolymitanæ in propria persona subveniret. Ita Scriptor laudatus, Monachus aut Abbas Benedictinus: cujus tamen verba neutiquam rigidè, sed accommodo in sensu accipi debere, notat Rever.[mus] *Manriquens* noster, qui in Cathedra Theologica Salmanticensi potissimam ætatem contrivit. Neutiquam enim opinandum, quasi *Otto* Rex Conubio isto revera peccâsset, ejúsque delictum Ordinibus Cluniacensi ac Cisterciensi impositum fuisset, atque Opera satisfactoria Principi, tanquam pœnitentia propriè dicta, fuissent injuncta. Dispensatio quippe, tam gravi ex motivo pacandi totius Imperii à Pontifice facta, sustulit peccatum, ac proinde etiam pœnitentiæ debitum. Quia tamen *Otto* Rex errore laicali timere se prætulit in hoc Connubio, dispensante licèt Pontifice, peccatum; ad auferendam ei trepidationem inanem, pacandámque conscientiam, promissum fuit, ambos Ordines Religiosos Culpam, quam subesse ipse præter verum metueret, in se suscepturos, re ipsâ nullam: ipsi porro suasum, ut injuncta opera in pœnitentiam (non pro hoc, sed alio quocunque peccato suo) exequeretur: vel verò Obligatio non ducendi Uxorem in Gradu prohibito, in aliam, exequendi videlicet opera injuncta, commutata fuit.

Idem in Italia inter Papam ac Cæsarem pluries internuncium egit.

XXX. Cæterùm Pontifex obsequio *Guidonis* Abbatis Morimundensis exeunte hoc anno, & initio sequentis, iterum iterúmque est usus. Cùm námque *Otto* Imperator mox à Coronatione sua Romana ditiones Ecclesiæ, atque Siciliam invasisset, *Innocentius* Papa, novum ac grande dissidium Sacerdotii & Regni amica justáque compositione antevertere volens, hunc Abbatem, quem citra dubium, uti sibi, ita etiam Cæsari acceptissimum noverat, pluries ut internuncium adhibuit. Testatur enim Author Vitæ *Innocentii* Papæ III.[tii] Operibus hujus Pontificis præfixæ, in hunc modum. *Scribit Abbas Urspergensis in Chronicis suis, qui hisce temporibus vixit, vidisse se Romæ Virum Religiosum Abbatem Morimundensem, qui se dixerit à D. Michaelis festo, usque ad Quadragesimæ jejunium, quinquies ex Roma Capuam Pontificis jussu accessisse, ob reformandam pacem inter ipsum Innocentium & Ottonem.* Aliàs

Promoti ad Cathedras Episcopales ex Ordine nostro.

verò docet Rever.[mus] *Ughellus* nostar Ital. Sacr. Tom IV. col. 1072. *Petrum*, quondam Abbatem Firmitatis, & An. 1205. in Cathedram Episcopalem Eporediensem in Sabaudia, aut magis Pedemontio subvectum, hoc Anno 1209. Patriarcham Antiochenum effectum fuisse. Item Tom. IX. col. 500. Ecclesiam

siam Geruntinam in Calabria hoc eodem anno Præsulem accepisse *Bernardum* Sambucinæ Abbatem Cisterciensem, qui cum ingenti utilitate suæ Diœceseos, cui ablata recuperavit, nova acquisivit, adeò piè sanctèque sederit, usquedum an. 1216. obiret, ut à morte ejus Populus velut ad Sanctum accurrerit, & plerique Calabriæ Scriptores eundem Beati Elogio venerentur.

Annus 1210.

XXXI. PErhibente denuo *Ughello* Tom. I. col. 724. Fundis in Latio anno præsenti Antistitis munus delatum est *Roberto* Monacho Cisterciensi, atque Priori Fossæ Novæ, ab eodem per septemdecim annos, inter crebra à summis Pontificibus injuncta negotia, insigni cum laude administratum. Tom. IV. col. 709. sqq. legas *Gerardum Sessium*, ex Monacho Cisterciensi, & Abbate S. Mariæ de Tileto, electum Episcopum Novariensem hoc eodem anno, statimque creatum pariter Cardinalem Albanensem Episcopum, & Insubriæ Legatum, anno altero translatum ad Archiepiscopatum Mediolanensem: trigesima tamen die, ex quo in hanc Metropolim suam advenerat, præcoci fato, communi autem cum omnium, non nisi summa de eo sperantium, luctu defunctum. Episcopi alii.

XXXII. Quoniam porro Sacro Ordini nostro Scriptores quoque egregii nunquam defuêre, quamvis caligo nimiæ Antiquitatis, & sedulæ Adnotationis neglectus, Opera eorum, etiam quæ hodie supersunt, certis annis, certisque Parentibus reddere tutò non sinat: Hunc tamen annum præcipuè illustrem reddunt: Primùm *Helinandus* Monachus Frigidi Montis in Dœcesi Belluacensi, antequam ad Ordinem converteretur, Poëta excellens, carmine quoque Comico frequentiùs delectatus: unde malè nonnulli publici histrionis convitium eidem inusserant; quamquam non diffitear, eum non tam licentia poëtica in Metris, quàm licentia seculi in Vita, antequam ad Ordinem converteretur, liberaliter usum esse, maximè cùm Cantor esset, suavitate vocis, omnibus admirabili, à natura donatus. Conversus autem, vivum integerrimæ Religionis, veræque sanctimoniæ Speculum evasit. Confecit Opera multa tam sacra, quàm Historica, insigniter in Apocalypsim commentatus, ac præterea Chronicon conficiens, quo S. *Antoninus* Archiep. Florentiæ, itémque *Vincentius* Bellovacensis multum sunt usi. Adhæc posterior ex omnibus *Helinandi* scriptis non minùs, quàm ex S. *Bernardi* Operibus, Flores collegit. Quo obierit anno, incertum: Cl. *Oudinus* tuetur annum 1227. Hoc tamen anno, de quo ago, eundem præci- Scriptores Ordinis.

puè floruisse indubium est. Deinde *Joannes*, Fordæ Abbas in Anglia, æque insignibus Operibus clarus, prosecutus Commentaria in Cantica post *Gilbertum*, qui D. *Bernardi* Expositionem ulteriùs produxerat: scribens insuper in Jeremiam Prophetam, & rursùm peculiariter in Threnos ejus: grande adhæc Homiliarum Expositoriarum Opus, & alia complura, *Joanni* Anglorum Regi hoc ipso ANNO 1210. ab arbitrio Conscientiæ existens. Tandem & *Radulphus* Calisianus, Vitam & Acta S. *Guilielmi* Archiepiscopi Bituricensis Ordinis nostri, quem aliquando Magistrum habuerat, eique ab epistolis fuit, celeberrimo Volu mine complexus.

Prosecutio Belli in Albigenses.

XXXIII. Contra Albigenses tam prædicatio Crucis, quàm Bellum constanter promovebantur, referente *Godefrido* Coloniensi. *Anno Domini 1210. hortatu Apostolici plurima multitudo ex omni Francia, Anglia, & Lotharingia, Cruce signati, ad eosdem* Begginos (sic appellati Albigenses) *profecti sunt. Qui Ductoribus & Rectoribus, Abbate scilicet Cisterciensi* (nimirum Arnaldo) *& Simone Comite de Monte forti, ad Tolosam Civitatem munitissimam deducti sunt.* Quæ porro gesta fuerint, prolixè & enucleatè exquitur *Petrus* noster Valle-Sarnensis: ea tamen huc exscribere meum non erat. Id obiter commemoro, Castrum Minervæ, longè munitissimum, à Cruce signatis, summè arduo cum labore, feliciter tamen expugnatum fuisse, omnesque ibidem Hæreticos, qui resipiscere voluerant, ab *Arnaldo* Archi-Abbate nostro in gratiam admissos, cæteros igne multatos esse. Tolosani Cives gratiam prudenter quæsitam accepêre, non item Comes Tolosanus: de quo ex ante actis, quæcunque simulandô spoponderat, non nisi pejerandô fieri præsumebantur. *Arnaldo* porro *Innocentius* Papa tam Legati, quàm Inquisitoris potestatem novis Literis prorogavit: ipse vero B. *Dominicum* in Socium adlegit, eique, ut aliis Abbatibus nostris, potestatem concessit, in hæreticos inquirendi, reconciliandi eosdem, vel condemnandi, testibus Literis Delegationis, à *Manriqueo* adductis. Cæterùm non defuerant hoc ANNO complurium gravium causarum, in Gallia, Arragonia, Lusitania peragendarum Mandata, ab *Innocentio* Papa diversis Abbatibus Cisterciensibus directa; quæ tamen cùm breviter adduci nequiverint, ita, ut rerum momenta pariter Lectori clarescerent, eundem ad Rever.mum *Mariqueum* nostrum, veluti etiam in omnibus antedictis pleniùs hauriendis, remittere cogor.

§. III.

§. III.

Res, & Fundatio Monasterii Campililiensis.

I. Nihil ferè hic aliud mihi agendum, nisi, ut *Ortilonis* nostri Partem posteriorem *de Exordio hujus Domus*, hucusque invulgatam, ordine transcribere incipiam: quem nisi consecuti essemus, ne nobis ipsis quidem, ut se initia nostra verè habuerint, ritè constaret. Hic igitur ad Annum 1200. de Seren.mo Duce Fundatore nostro, quem anno anteriore ab Ordine nostro Fraternitatem, ut ævo illo ajebant, sive precum & meritorum communionem rogâsse, & obtinuisse narraverat, adductis Epistolis, utrimque datis, nunc ulterius ita retulit. // Exeunte verò anno, cum sequenti Capitulum Cisterciense // denuo congregandum esse cognovisset, alteram hanc Epistolam Cistercium dimisit.

Religiosis, sanctisque Viris, ac reverendis in Christo Patribus, Abbati, totique Capitulo Cisterciensi, LIUPOLDUS miseratione Divina Dux Austriæ Stiriæque, Salutem, & sincero cum affectu devotum obsequium, eorúmque Orationibus adjuvari.

Epistola Ducis Fundatoris ad Capitulum Generale, qua se offert ad Monasterii Fundationem.

Laborantes in maris fluctibus, si meliori fato iis, qui tuto portu gaudent, appropinquaverint, eorum se sperant adminiculis liberari. Nos etiam, qui, quantò plus secularibus obligati negotiis, tantò magis obnoxii peccato cognoscimur, cùm nostra nobis non satis suffragentur merita, ne istius obruamur procellis pelagi, vestris desideravimus orationibus adjuvari. Grates ergo suppliciter sanctitati vestræ referimus, quòd nostro satisfacientes desiderio, vestræ nos dignati fuistis Fraternitati adjungere, per cujus suffragia præsentem prosperitatem, & futuram nos posse adipisci credimus, & adepta gaudere. Pro nostræ autem, & Parentum nostrorum Animarum remedio, Domum unam de Domo Sanctæ Crucis sub Vestra Regula fundare proponimus, ipsámque ad honorem DEI, & Vestri Ordinis, annuente Divina Clementia, & vita comite, structuris ornare convenientibus, & largis possessionibus ampliare. Hujus itaque rei Autoritatem vestra nobis indulgere dignetur Paternitas, & Venerabili Patri Abbati Sanctæ Crucis committere, ut, secundum quod decens esse noverit, prædictam Fundationem auxiliante Domino exequatur. Datum apud Grætz vj. id. Decembr. Anno Dñi MCC. Indict. III.

II. Eximiam sanè produnt hæ Literæ tanto in Duce Cleri reverentiam, modestiam summam, Prudentiam non vulgarem, muni

Exegesis brevicula hujus Epistolæ.

munificentiam maximam. Haud enim dedignatus est Patribus nostris, quos tanquam Sanctos suspexit, *sincero cum affectu devotum offerre obsequium*, eisque pro indulta Fraternitate *suppliciter gratias agere.* Sua sibi *non suffragari merita* plurima cum humilitate fatetur. Culmen Principatus, Aulæque splendorem, & mundanam omnem Felicitatem, quæ singula alii delicias reputant, immensaque cupidine insequuntur, ipse, Sapientiâ profectò de cælo sibi data, *commoto* comparat *mari*, & veluti *procellas*, periculi, lethique minaces, formidat. *Sanctorum in orationibus* ingens præsidium ponit. *Fraternitati* adjunctus, ut *Fratrem* se probet, bona sua *Fratribus* communia facit. Domus DEI decorem diligens, eam *structuris ornare convenientibus* promittit: Eleemosinas, ut redimat peccata, manu non parcâ admetiendas, sed *largis* dispensare *possessionibus* proponit. Ut porro munifico sibi erga nostros esse liceret, *Authoritatem sibi ab Ordine indulgeri* flagitavit. Executionem denique Magnifici Operis non Voluntati, nec Beneplacito suo reservat, sed rogat, illud ad libitum Ordinis perfici. Nónne quot verba hìc fecit, totidem, si rem curatè expenderis, quasi fulgura sparsit virtutum, maximè cùm verbis paulò pòst etiam facta amplissimè responderint? O Princeps, uti Gemma Seculi sui, ita & Norma futuri!

III. Pergit porro *Ortilo* noster. // Devotissimi Principis // tam clementem piissimæ suæ Largitatis oblationem Patres no- // stri gratanti animo collaudarunt, & susceperunt per sequen- // tem Eulogiam.

Responsio Capituli Generalis ad Serenissimum Ducem.

GUIDO humilis Abbas Cistercii, ac Totum Capitulum Generale, LIUPOLDO Illustri Duci Austriæ & Stiriæ salutem, & debita cum Veneratione boni Operis fructum in perpetuum.

FRater, qui adjuvatur à Fratre, quasi Civitas firma: *ut nobis Spiritus Sanctus per Sapientem protestatur. Illustri Dignitati Vestræ, cui nuper placuit, ut Frater noster fieretis, nunc inspiravit DEUS, ut in Provincia Vestra Domum unam de Domo Sanctæ Crucis sub nostra Regula ad honorem DEI pro Vestræ, & Parentum Vestrorum salute Animarum, annuente excelso Cœlorum Domino, & Vita comite, structuris ornare convenientibus, & possessionibus largis ampliare velitis. Quòd si id præstiteritis, Corona Fratrum, quam in Domum illam inducetis, proteget vos, immo ille per ipsam, qui dixit:* Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. *Erunt Vobis & Provinciis Vestris, hi Fratres Vestri Civitas firma: vigilabunt pro vobis in Orationibus ad DEUM, ut ipse vos benedictionibus repleat, & adjutorio Brachii sui excelsi* de-

defendat. Et nos quidem, admirantes Pietatem Vestram, atque DEUM, à quo illa vobis advênit, pio jubilo collaudantes, gratulamur Vobis Operis tam boni propositum, effectum verò sanctis votis optamus. Ne autem nos vestræ saluti, quæ inde orietur, remoram ullam ponamus, fecimus, quod jussistis, & dilecto ac venerando Co-Abbati nostro Marquardo *Sanctæ Crucis in Provincia Vestra ore ad os mandavimus, ut sancti Propositi Vestri fidelem se Ministrum in omnibus, secundum quod congruit Observantiæ, & Privilegiis Ordinis nostri, Vobis exbibeat: cùmque steterit locus, de Fratribus boni testimonii è gremio suo eidem provideat, ac novam Filiam suam, ut pius ac solicitus Pater, ita gubernet, ut ea se Vobis in omnibus laudabilem & amabilem exbibeat. Vestræ verò Illustri Dignitati retribuat DEUS felicitatem in seculo diuturnam, æternam in cœlo: & pro eo, quòd pauperes Christi recipitis in terra, recipiat vos in æterna tabernacula, postquam Cursum Vitæ vestræ ipsius adjutorio benè consummaveritis. Datum è Cistercio x. Kal. Jul. Anno Dñicæ Incarnat. Millesimo Ducentesimo Primo.*

IV. Hoc in perdevoto sapientique Patrum nostrorum Responso rursum aliqua breviter observanda existimo. Nostram quippe Historiam scribens, quo loco res nostras ex instituto percenseo, liberum fore mihi prudentum omnium veniâ confido, advertere quandoque nonnulla, quæ, si ad exteros minùs attinere videantur, meritò tamen à domesticis, vel paris nobiscum instituti hominibus, paulò curatiùs expendantur. Primùm itaque Patres nostri exsplicârunt fructum, quem Pii Munificique Fundatores, dum nova olim Cœnobia, quorum dote proprias opes pro DEI amore sæpenumero non parum acciderunt, tam devotè plantârunt, toto animo quærebant: & quem vicissim hæ sacræ Plantationes exacta devotaque suæ Regulæ observantia omne deinceps in ævum studiosissimè reddere, æterno quodammodo pacto tenentur. *Corona Fratrum* (scribebant) *quam in domum illam inducetis, proteget Vos, immo ille per ipsam, qui dixit*: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. *Erunt Vobis, & Provinciis Vestris, hi Fratres Vestri Civitas firma: Vigilabunt pro Vobis in Orationibus ad DEUM: ut ipse vos benedictionibus repleat, & Adjutorio Brachii sui excelsi defendat.* Nempe necessitas, quæ ex mente Apostoli in omnes homines pertransit, propter incessabilia DEI Beneficia, jugésque Vitæ humanæ indigentias, sine intermissione orandi, magnificandi DEUM, placandi, eídemque supplicandi, cùm ab iis, qui in Republica occupantur, & operibus manuum suarum communia vitæ subsidia procurant, pro dignitate adimpleri non possit, sapienti universæ Ecclesiæ Consilio Regularibus Congregationibus peculiariter imposita fuit, omnium nomine exolvenda. Atque ideo tot Munifici, clementésque Fundatores tam larga pos-

Reflexiones hanc super Epistolam.

Verus Finis sacrarum Fundationum.

possessionum proventuúmque Eleemosina (sic enim, nec aliter appellare decet, quidquid pauperibus Christi impenditur) tam infinitis Monachorum cætibus per Orbem Christianum universum de omni vitæ necessaria sustentatione tam largiter providerunt, ut eis otium facerent sine cura orandi.

Debitum Regularium.

V. Ergò, quotquot hujusmodi Beneficio vivimus, debitum certè grave ac perpetuum, quemadmodum omnes, ita & singuli habemus, ut ante omnia, psallentes DEO, ferveamus sine intermissione, & *in omni Oratione, & Obsecratione, cum Gratiarum Actione, petitiones nostræ innotescant apud DEUM*, pro Parente ac Fundatore nostro, propter suam, suorúmque salutem in nos Beneficio: pro iis omnibus, qui lapsu temporum Fundationem nostram novis eleemosinis promoverunt: pro omni Provincia, cujus ubertate, benevolentia, munimine fovemur: pro Principibus, Summísque Ordinibus, quorum Clementia atque Tutela dum conservantur Fundationes, itentidem quodammodo repetuntur: pro Civibus, & Colonis, qui è Fundatoris, cæterorúmque Benefactorum Voluntate, aut planè subditi nobis, vel quocunque nomine devoti sive Census, non modica solicitudine sua partos, in id conferunt, sive in sudore vultus sui arant, occant, & serunt, ut de eo, quod metunt, tanta tribuant nobis, quæ sufficiant, ut absque molestia comedamus. Atque hinc est, quòd Sanctissimus Legislator noster *Benedictus* tam curatè *Operi DEI nihil omnino præponi* permittat, non modò, quia Opus DEI est, sed etiam, quia Debitum nostrum est pro Fundatione. Verumtamen neque qualibet oratione hoc debitum ritè exolvitur: sed ita sanè orantes comparatos esse oportet, ut exaudiri mereamur, psallentes ore, psallentes, & mente, neque cordis impuritate orationem nostram execrabilem DEO facientes. Tandem communiat nos, & ordinet Charitas: circumstent pro Muris ac turribus illæ Virtutes, quæ congruunt Professioni: Disciplinæ Regularis solicita custodia nos vallis & propugnaculis circumdet: ita fiet, ut Congregatio nostra omni Provinciæ verè sit, & evadat *Civitas firma*. Qualis ubi fuerit, uti nihil facilè populis ampliùs proderit: ita nemo in fraudem Piissimi Fundatoris, absque gravissimo reatu, quietem nostram impediet, jura nostra pessumdabit, nostras possessiones diripiet.

Libertas & Exemptio Originaria Ordinis.

V. Dum verò ulteriùs nostri scripsêre: *Fecimus, quod jussistis, & dilecto -- Coabbati nostro Marquardo Sanctæ Crucis in Provincia vestra ore ad os mandavimus, ut sancti Propositi Vestri fidelem se Ministrum in omnibus, secundum quod congruit Observantiæ, & Privilegiis Ordinis nostri, vobis exhibeat*: prudenter egerunt circa Fundationem nostram admittendam, quod ab

ab Origine Ordinis saluberrimè & sapientissimè introductum, perpetuis deinde Summorum Pontificum, Principúmque Privilegiis confirmatum fuit: ut nimirum in unoquoque Monasterio plenæ Directionis Libertas apud solum Ordinem, disciplinæ integrè conservandæ causa, persisteret, & neque Fundatorum aliquis, neque Præsulum Diæcesanorum, se aut Visitationi, vel Institutioni, ac Destitutioni cuicunque, sive Administrationi bonorum intromitteret. Per hos namque si talia stetissent, facilè illi, tanquam Regularis Observantiæ minus gnari, quorumdam subdolis informationibus ad relaxationes, ac dispensationes, Observantiam sacram variè dissolventes, induci, seducique potuissent. Ordo interim noster Hierarchicus est, quemadmodum non solùm Rever.[mus] *Manriqueus* noster in Annalibus undique tuetur, verùm etiam abhinc Seculo R. R. P. *Malachias Rosenthal*, Professus noster, studiosè elaborata, & sic inscripta *Actione Sacri Ordinis Cisterciensis in Monasteria avita, ab aliis verò sine legitima concessione occupata*, quæ Viennæ in 4.[to] An. 1649. prodiit, luculentè demonstravit.

VII. Omnes Domus Cistercienses, quacunque in provincia floreant, cum universis possessionibus suis attinent ad Ordinem: in quo mutua est ac communis bonorum omnium participatio, similiter verò in Regimine perpetua ad invicem subjectio. Suprema Directio residet apud Capitulum Generale: quo non sedente, Auctoritate illius ac Potestate fungitur Archi-Abbas Cistercii Generalis, adeò, ut quincunque ibidem fasces capit Abbatiales, universi Ordinis Caput habeatur. Proxima, suis tamen limitibus arctior est Potestas quatuor Primorum Abbatum, i. e. Præsulum iis in quatuor Monasteriis, quæ olim omnium prima ex ipso Archi-Cœnobio Cisterciensi propagata fuere. Ad unumquemque horum ea respiciunt Monasteria omnia, quæcunque inde deducta, Lineam illius Domus, cui præest, peculiarem constituunt. Unde Cistercium quidem Lineam habet specialem: cætera porro omnia per Orbem Monasteria nostra sive pertinent ad Lineam Firmitatis, sive Pontigniaci, sive Clarævallis, vel denique Morimundi, quò Campililium respicit. Quia tamen ad hos primos Abbates, propter multitudinem Monasteriorum unius Lineæ, quorum unum ex altero semper propagatum fuit, atque distantiam Locorum, accessus difficilis foret, causæ omnes graviores cujuslibet Monasterii eum ad Abbatem deferuntur, è cujus Gremio prima Monachorum Colonia illuc deducta fuit; qui proinde ex more Ordinis vel *Pater Abbas*, sive *Immediatus* salutatur, tótque Monasteriis jus dicit, atque eorundem Electionibus præsidet, quot è suo plantata fuere. Præterea quælibet Provincia proprium habet Vicarium Generalem, ad cujus munus pertinet, communi

Ejusdem Hierarchia.

muni Disciplinæ Ordinis sua in Provincia intendere; visitare Monasteria, Statuta Capituli Generalis promulgare, inque usum deducere, causásque Provinciæ Generales tractare, ac tandem, delegata sibi à Reverendissimo Domino Generali Potestate, neo-Electos Abbates confirmare, ac benedicere, sacraque Infula condecorare. Ordinaria porro ac quotidiana cujuslibet Congregationis Administratio proprio ubivis locorum Abbati commissa est.

Utrique prudenter cautum in his Literis.

VIII. Hæc omnia, per quæ incolumitas, vigórque Ordinis unicè ferè subsistit, ut salva essent tam Fundatorum, quàm Sacrorum Antistitum assensu, initio cujuslibet Fundationis sapienter providi Patres nostri diligentissimè curârunt. Quò proinde pariter prærepetita verba Epistolæ, cui immoror, spectârunt: *Secundùm quod congruit Observantiæ, & Privilegiis Ordinis nostri*: quamvis ea ad Loci quoque conditionem, & Structuræ formam, modúmque Regularem sint referenda. Quæ sequuntur: *Cùmque steterit Locus, de Fratribus boni testimonii è Gremio suo eidem provideat, ac Novam Filiam suam, ut pius ac solicitus Pater, ita gubernet, ut eà se Vobis in omnibus laudabilem, & amabilem exhibeat*: anteriora perspicuè confirmant, & unde domo Campililium ab origine fuerit, liquidò demonstrant. Erat nimirum Celeberrimum & Antiquissimum S. Crucis Monasterium nostri Ordinis Primum in Austria, ab ipso S. *Leopoldo* Marchione excitatum, nobisque peculiari reverentia semper Venerandum, satis fœcunda Mater Septem Filiarum: quarum quatuor in Austria, in Hungaria duas, unam in Bohemia è gremio suo eduxit. Diuturnitas tamen & vicissitudo temporum duas Filiarum in Hungaria hostili furore pessumdedit: Campum verò nostrum Liliorum inclinante Seculo XV. altioris, immo supremæ Potestatis interventu, Inclitæ Runæ addixit. Qui nihilominus primevæ Originis haud immemor, S. Crucem tanquam Matrem Honorificatam suspicere, revereri, ac celebrare nullo tempore desinet. Jam ad *Ortilonem* revertendum est.

Origo nostra ex S. Cruce.

Annus 1201.

IX. PErgit itaque ille. // Reddita hæc Epistola, & Verba plu- // ra Consolatoria, quæ ore addidit Dominus *Marquar-* // *dus* Abbas in Sancta Cruce, fuerunt acutum valde calcar // Piissimo Duci fundatori, per se currenti, ut tantò magis festi- // naret in proposito sibi Opere DEI. Igitur statim eum Lo- // cum, quem in animo suo pro futuro Claustro jam dudum de- // putaverat, Vallem videlicet illam post Villam *Wilhalmspurch* in // via, quæ ducit ad Stiriam per ardua Montium, LILIENVELD // dictam,

// dictam, de manibus se possidentium extraxit, faciens eis // præponderantem Recompensationem ad Concambium. Erant // autem hi possidentes Nobili Stirpe, *Chunradus*, & Uxor *Hadmudis*, cum Filiis *Uritlone*, *Leutoldo*, & *Hermanno*, dicti // à Loco, in quo hactenus sedebant, *Lilienveldarii*, postea // retrahentes se in Montem vicinum, vocabant se *de Monte*. // Dominus *Marquardus* Abbas S. Crucis, assumtis secum valdè boni testimonii Fratribus *Ockero* Præsbytero, *Gebbardo* // Monacho, & *Geroldo* Converso, Fratribus de S. Cruce, comitante se D. *Bolfingo* Abbate in Zwetel, Locum accedentes, // in præsentia ipsius Ducis Vallem prædictam providi consideraverunt. Reperientes verò eam aptam solitudini, & commodam habitationi, propter aërem salubrem, & aquæ bonæ, lignorúmque abundantiam, & quia neque nimis horrida esset, neque nimis amoena, valde sibi in ea complacuerunt. Exhilaratus itaque Dux, & fines amplos, ac latos, // clementi sermone exsplicans, quibus vellet terminos Monasterii concludere, cum multis sylvis, & piscationibus, & // pascuis, magno solatio gratiarum actiones ab eis humiles accepit. Mox deinde Operarios conducens, jussit ligna cædi, & // erui lapides congruos ac durabiles, & convehi diligenter, atque omnia instanti operi præparari. //

Statim demandat necessaria ædificio præparari.

X. Solent aliàs in plerisque, ac ferè tantùm non in omnibus Fundationum Historiis celebrium Ecclesiarum, itémque Monasteriorum, prodigiosa quædam Ostenta, Somnia, Visiones, Apparitiones, Eventus insoliti, Omina, Præsagia sub ortum eorum occurrere: quorum tamen hodie fides sæpenumero apud Eruditos vacillat. Sed hujusmodi aliquid sub initia nostra evenisse, neque *Ortilo* prodit, neque alia quæcunque apud nos traditio unquam vulgavit. Satis benè inchoâsse Campililium nostrum arbitramur, cùm fundamina prima tam solida, largiente bonorum omnium Auspice DEO, acceperit, ut primis ædificiis suis maxima ex parte hodie adhuc, præter noviter adjecta, persistat. De Nominis Etymo, primisque ejus Dominis *de Lilienveld*, situ item, & Vicinia Loci, jam in fronte Tomi hujus, dum breviter Monasterium describerem, adnotata, hic denuo recoquere non vacat. Novorum porro Cœnobiorum Construendorum Loca, priusquam acceptarentur, à pluribus, si essent viciniores, Abbatibus, alioquin à Monachis prævié explorata fuisse, ex more Ordinis erat: id verò apud nos, præter D. *Marquardum* Crucensem, pariter à D. *Bulfingo* Zwetlensi factum esse, Annalibus Austrio-Claravallensibus novum paragraphum addit.

Nostro Exordio nihil portentosum præivit.

Bulfingus Abbas Zwetlensis.

Monachi laboribus manuum suarum Terras amœniores, ac fertiliores, æraria Principum ditiora effecerunt.

XI. Vallem nostram inspectam *neque nimis horridam, neque nimis amœnam* Inspectoribus visam fuisse, quam postea Cl. *Lambecius* suo tempore *Jucundissimam Eremum* prædicavit, ideo sine dubio *Ortilo* dixit, quia ævo illo nequaquam ita, ut modò, exculta floruerat. Debent hoc Provinciæ quamplurimæ sedulis Monachorum veterum laboribus, quòd inculta quamplurima, & sterilia, aspera, ac salebrosa terrarum spatia ipsi propriis manibus ad frugem atque decorem reduxerint, infinitisque hominibus hoc pacto commoda habitacula, jumentis pascua ibi procuraverint, ubi antea inhospita omnia, & squallida riguêre, nisi planè ut meticulosa sive latronum, sive ferarum latibula inhorruerint. Quo excolendi studio quemadmodum provinciis non parva cùm amœnitas, tum fertilitas, ita pariter Principum Ærariis non modica provenientium abinde censuum copia accessit. Serenissimum Ducem nostrum novi Monasterii sui locum *de manibus Possidentium concambio, ac præponderanti recompensatione* liberâsse, peculiaris Munificentiæ fuit: hoc etenim pacto duplum dedit, nobis, quod redemit, possidentibus illud, quo redemerat. Præsentem verò eum adstitisse Abbatibus Locum considerantibus, Dignatio sanè grandis summæ suæ Celsitudinis erat. Utrumque autem, quàm liberali in DEUM, quàm tenerrimo animo, devotissimóque exstiterit, æternum est monumentum. Cùm insuper jam tum fines ac terminos Monasterii exsplicuerit, & illico necessaria ædificio præparari demandaverit, eum secutus est spiritum bonum ac cœlestem, qui nescit tarda molimina, bisque dedit, dum citò dedit, statim quodammodo consummans, ubi exorsus erat.

Commendatio Ducis Fundatoris.

Annus 1202.

Initium Fabricæ solemne, & Primi Lapidis per Ducem positio.

XII. SUbsequitur *Ortilo*. // Mccij. Verno hujus Anni tempo- // re, cum tanta copia necessariorum jam convecta esset, quæ ad initium structuræ sufficeret, Dux pius Fundator // IV. Id. April. Wilhalmspurch veniens cum Domino *Marquardo* S. Crucis, & supradictis *Ockero* & *Gebhardo*, atque *Geroldo* // Converso de suo Conventu, ac plurium Nobilium, & Mini- // sterialium turba, qui omnes in Wilhalmspurch priùs Missarum Solemnia audierant, perrexit ad *Lilienvelde*. Ibi in Do- // mo sua Forestaria modicum à molestia viæ respirans, accessit // deinde Locum destinatum, fossis jam præparatum: & devo- // tè genua flectens, tacitus in corde suo, lætus verò obtulit // DEO, & Magnæ Matri DEI Parenti universa, quæ ipse ad // hoc suum Cœnobium disposuit, omnibus simul cum eo pro- // cumbentibus, & compunctis. Surgens postea, Primum La- // pidem fundamentalem Ecclesiæ, manu sua propria admota, // ipse in terram demisit: mox verò Operarii laborem suum stre- // nuè

//nuè prosecuti sunt. Domino *Marquardo* Abbati Dux pro tri-//bus Fratribus secum adductis eam domum assignavit, quàm //Domini *Lilienveldarii* hactenus habitaverunt, à se redemtam, //retro Locum Claustri versus orientem: ut Regularia præcipuè //Ædificia ex more Ordinis, & juxta formam Cistercii rectè //fieri curarent, & operariis instarent, ne otiosi, aut pigri essent //instruendo. Ipse autem, hoc fausto initio dato suæ Fundatio-//ni, sub DEI & DEIparæ Invocatione, cum Domino *Marquar-//do* Abbate, & Ministerialibus suis lætus redivit, statim profe-//cturus ad Aulam Regis *Philippi*. Relictis in *Lilienveld* Fratri-//bus alimenta, & necessaria quæque ipse providit. Mihi tunc //ignoranti, quòd ad *Lilienveld* postea migrare deberem, Do-//minus Abbas meus in Sanctam Crucem reversus statim man-//davit libros scribere, qui ibidem ad Opus DEI decantandum //necessarii essent. //

XIII. Adeò hìc perspicuus est Scriptor noster, ut nihil ferè lucis exposcat. Hoc solummodò advertere libet, Domum *Forestariam*, veterum Latino-Barbarorum usu, dictam esse à *Foreste*, vernaculè *Forst*, quod idem est, atque Sylva, Saltus, aut Nemus, ubi feræ pro venatu Principis aluntur, pascuntúrque, tametsi ampliore licentia qualibet deinde Sylva *Foreste* ab antiquis appellata sit, uti me docet Eruditiss. *Wachterus* in Glossar. German. verbo *Forst* p. 467. Erat itaque *Domus Forestaria*, in qua Ducem nostrum à molestia viæ modicum respirâsse *Ortilo* infit, Diversorium ejusdem, cùm hìc loci aliquando venatibus indulsisset. In cujus postea memoriam, perfectò Templô nostrô, in fastigio tecti, ejusque crepidine, Cervus, Aper, Ursúsque fictili forma imponebantur, quæ hodie cupreis imagunculis permutatæ sunt.

Memoria olim hìc existentis Domus Forestariæ.

Anni 1203. 1204. & 1205.

XIV. His annis Ortilo noster alia gesta Seren.^mi Ducis Fundatoris nostri recensens, à me jam antea §. I. Decadis hujus cæteras inter Res publicas allata, de progredientibus interim apud nos Ædificiis Monasterii, ac Templi, brevissimam duntaxat memoriam inspergit. Sic Anno Mcciij. ita solummodo infit. *Dum in Lilienveld fundamenta Templi & Claustri ferventer ponerentur, Dux L. in Wienne D. Theodoram Conjugem accepit.* Anno Mcciv. hæc habet. *Aedificia Claustri in Lilienveld jam è fundamentis prodiverunt.* Tandem Anno Mccv. largior paululùm ait. *Structura Claustri & Oratorii in Lilienveld, instante Ockero & Sociis, qui & ipsi sæpè laborabant, Duce largiter omnia conferente, jam columpnis suis inniti cœpit.* In tanta *Ortilonis* brevitate calamo meo amplius aliquid ego permittens, affer-

Progreditur Fabrica.

afferre hoc loco non incongruum duxi, quanta Scriptores varii diversitate Annum Fundationis nostræ Campililiensis assignaverint.

XV. Hoc antequam agam, præmittere libuit, hujusmodi diversitatem in Historia quoque complurium aliorum Cœnobiorum ea potissimùm de causa oriri: quòd nonnulli Scriptorum æquum esse censeant, Initium Sacri cujusdam Loci illo Anno statuere, quo eundem Fundator Ordini primùm obtulit: Alii ab inchoata Claustri fabrica Exordium petant: tertii demum non alio Anno Monasterium quodpiam verè fundatum adstrui posse contendant, ac illo, quo Religiosi ad Locum jam exstructum adeuntes, ejusdem possessionem prima inhabitatione ceperunt. Mihi, inutiles tricas odienti, sic visum est, eum Annum, à quo Fundatio re ipsa inchoata fuit, sine dubio cuilibet Loco veram suam Originem dedisse. Inchoat autem hæc, quamprimum Fundator, interveniente cujuscunque Nominis pacto, sive contractu, cedit Juri suo in- vel ad Locum constitutum, illudque transfert in Ordinem acceptantem, maximè, si è vestigio Operi atque fabricæ manus quoque admoveatur, neque tali contractui conditio quædam incerti temporis, aut eventus, alligetur, v. c. si Locus à lite pendente eliberetur, si tertius quisquam assenserit, si is, qui usum fructum loci vita comite habet, è vivis excesserit, si è bello, vel peregrinatione salvus exiero, & his Similia. Tunc námque illico ejusmodi Locus citra dubium cessat esse fundantis, fitque Ordinis acceptantis: neque Possessioni Domus (Jus enim Ordo jam tenet) quid aliud obstat, nisi mora, quam fabrica postulat, vel à fundante, vel ab acceptante, pro modo Contractus, ut primùm removenda. Hujusmodi cessio fundorum, Traditioque, ad sensum Legum propriè dicitur Fundatio: fabricæ porrò Consummatio merum ejusdem est complementum: Inhabitatio prima est Apprehensio præcedentis Fundationis. Quapropter quicunque Templi alicujus, Monasterii, Ædis, aut Palatii cujuslibet, sive etiam Castri, aut Urbis Initium ex vero describere statuit, satis non habet, epocham consummationis apponere, sed prætcrea, quo ædificium, quod unius diei opus non est, inchoaverit Anno, edocere tenetur.

Monasterii cujuslibet Initium rectè statuitur eum in Annum, quo inchoavit ejusdem Fundatio.

XVI. Cùm proinde, ut supra n. IX. ex *Ortilone* audivimus, Clementissimus Fundator noster An. 1201. geminos Abbates, Crucensem & Zwetalensem, committente Ordine Locum novæ Domui nostræ Regulari concedendum inspecturos, secum ad vallem Liligeram adduxerit, hisque sibi in hoc loco multùm complacentibus, Terminos insuper eidem constituendos latè explicuerit, humiles propterea vicissim ab iis gratiarum actiones reci-

Campililii initium fiebat Anno 1201.

recipiens: mox quoque ligna cædi, lapides erui mandaverit, tanto cum operarum fervore, ut verno jam alterius anni tempore, necessariis pro inchoatione fabricæ abundè convectis, primum Lapidem multa cum devotione suis ipse Serenissimis manibus ponere potuerit: & cùm insuper ex eo die, quousque Regulare Ædificium inter cæmentarios hæsit, Fratribus San-Crucensibus ibi relictis, triennio longiùs, de alimentis clementissimè providerit: nihil reformidavi, Initium Campililii Anno Primo Seculi XIII.[tii] statuere, & ab hoc proinde Fastos nostros præsentes auspicari. Huic porrò pronunciato meo illi proximè accessêre, qui Monasterium nostrum AN. 1202. fundatum tradiderunt: eò verò magis id quidem, quia sub Autumnum ANNI 1201. Vallis nostræ Inspectio, Traditio, & Acceptatio evênit, Vere deinde subsequente ANNI 1202. IV. Id. April. i. e. die 10. Mensis ejusdem, primus Lapis Ecclesiæ fundamento fuit immissus, utroque hoc actu solemni octo intra menses, ac proinde unum eundemque intra ANNUM concluso.

XVII. Alligatur autem fundatio nostra ANNO 1202. primùm à Reverendissimo *Manriqueo* nostro Annal. Cisterc. Tom. III. p. 396. ex Chronologia Antiqua Monasteriorum Ordinis, quæ Cistercii exstat, & ad hunc annum ita habet. *Eodem Anno III. Idus Martii Abbatia de Lilienveld.* Sed hæc eadem Chronologia laudatum summum S. Ordinis nostri Chronographum rursus perplexum, dubium, ac incertum, quid nostro de Exordio tenendum sit, reddidit, dum in ea ad ann. 1206. denuo legit: *Fundatur Campus Liliorum in Austria.* Quæ quia sibi manifestè contradicunt, facilè pariter mecum consentiet prudens Lector, Chronologiæ hujus vetusto Scriptori, cùm sibi in anno tam parum constet, neque calculum diei ritè innotuisse. Alter est Cl. P. *Carolus Visch* Prior Oridinis nostri Dunensis in Flandria: qui in pari Chronologia Monasteriorum Cisterciensi, quam reperit in Domestica Bibliotheca, & suæ Bibliothecæ Cisterciens. Scriptorum subnexuit, Fundationem similiter exhibet an. 1202. Accedit vetustus Codiculus Charteaceus Bibliothecæ nostræ, continens Usus Cistercienses, & varia admodum curiosa, foliis CLXXIX. in 12.[mo] descriptus per *Thomam Piscatorem* (vulgò Fischer) *de Ebersperick Professum in Campo Liliorum Anno domni MCCCCLXXV.* Ubi sub finem inter cætera Monosticha de Fundationibus sive Innitiis diversarum Religionum Domus pariter nostræ Exordium ita describitur:

Statuentes illud in Annum 1202.

Post Annos Mille, semel bis, & duo Centum
Sub Duce LEWPOLDO sumsit Domus hæc fundamentum.

Differentes in Ann. 1206. aut 1207.

XVIII. Contra Cl. *Lambecius* in Diar. Sacr. Itiner. Cellens. quod Auguſtiſſimus *Leopoldus* Imperator, ſe Comite, An. 1665. ſuſceperat, p.m. 15. Edit. Hamburg. fol. de An. 1710. poſtquam narraverat, Cæſarem *ad ſplendidiſſimum pariter & opulentiſſimum* (ſic ei ævo ſuo prædicare placuit, dum hodiernum aliorum Cœnobiorum Auſtriacorum ſplendorem necdum vidit) *Auſtriæ inferioris Monaſterium Ciſtercienſe, quod* Campus Liliorum *vulgò* Lilienfeld *appellatur*, perveniſſe, ſubdidit. *Annum Fundationis Monaſterii iſtius reperi apud* Wichardum *de* Polheim. --- *Verba ejus ſunt: Anno MCCVI. fundata eſt Domus in* Campoliliorum. Atque hanc Epocham Monaſterio noſtro communi ferè conſenſu ſtatuunt Patrii Chronographi omnes apud Cl. *Hieron. Pezium* uno alterum ſequente, omnibûs verò Introductionem primorum Monachorum è S. Cruce in Domum noſtram, An. 1206. teſtimonio quoque *Ortilonis* noſtri factam probatámque, pro Initio Campililii agnoſcentibûs. Quibus ego libens lubensque ſubſcriberem, ſi poſuiſſent, eo Anno primùm ſtetiſſe Monaſterium noſtrum: has verò voces: *Fundata eſt Domus Campoliliorum:* in Annum primum poſt Milleſimum bisque centeſimum, non in ſextum, quadrare, conſtantiſſimè tueor. Rever.[mus] verò *Jongelinus* noſter in Notitia Abbatiar. Ciſtercienſ. Libr. IV. agens de Venerabili ab Origine Matre noſtra S. Cruce, ſub titulo *Mater Antiquitate* p. 13. ex Monumentis San-Crucenſibus ſecum communicatis aſſeruit, Campililium exſtitiſſe S. Crucis Filiam ordine quintam, ex ſe ſpiritualiter genitam Anno 1207. Poſtea verò ad Campum Liliorum deſcribendum delapſus, fundatum eum ſcripſit An. 1206. aliis 1207. Quem preſſo calamo inſecutus eſt R. ac Doctiſſ. P. *Auguſtinus Sartorius* Oſſiacenſis Ciſterc. bis tertii Tit. XXVIII. p. 1100. Cl. quoque *Hanſizius* Metr. Laureac. p. 372. cum veteribus Chronicis, eorundem ob authoritatem conſenſumque nihil hæſitans, æque Origini noſtræ Æram 1206. decernit. Sed & pariter *Annales Zwetlenſes* Tom. I. p. 246. nota (i.) trium planè Chronicorum MSS.[torum] authoritate hanc ipſam noſtræ Domus Epocham firmare nituntur: in textu verò hunc *Cuſpiniani* paragraphum, undequaque ſanè turbidis fontibus hauſtum, quia ubique in hiſtoriam impingit, exſcripsêre. *LEOPOLDUS Dux Auſtriæ Glorioſus, multis Fortitudinis ſuæ præclaris facinoribus in Hiſpania contra Saracenos editîs, reverſus in Patriam, quia admodùm Religioni deditus erat, Majores ſuos ſequi, ne ab iis degenerare videretur, ſtatuit. Cænobium itaque, quod* Liliorum Campus *appellatur, fundare cœpit, in quo repoſiti ſunt Monachi S. Bernhardi, pulchris ædificiis exornatum,* cen-

censibus ac reditibus auctum. Quantum ista Lectorem seducere possint, §. I. Decadis hujus luculentè ostendit.

XIX. Non minus interim, quinimmo amplius adhuc exorbitans *Wolfgang Lazius*, ut in aliis plurimis, ita & in Exordio nostro graviter cespitavit, commentariorum suorum de Republ. Roman. Libr. XII. Cap. 8. p. m. 1102. contestatus: *LILIENFELD Cœnobium Bernardinorum à LUPOLDO VI. Austriæ Duce positum circa Annum MCCXVIII.* Huic Æræ totidem annis, quot continet, uno demto, fallenti, *Martinus Crusius* Annalium Sueviæ Celebris Conditor Part. III. Libr. I. de Serenissimo Duce Fundatore nostro loquens integrum adhuc denarium superaddit, ajens ad An. 1228. *Fundavit hic Septimus LEOPOLDUS, quartus Dux Austriæ, cognomento Gloriosus, Cœnobium, quod Liliorum Campus appellatur, Monachorum S. Bernardi.* Quam fundationem si prænotato Anno alligaverit, neque more Chronographorum veterum ferè recepto, plurium Annorum Gesta uno filo complexus fuerit, epochâ illâ non paulò grandiorem *Lazio* errorem erravit. Sed longissimè omnium bonus ille seductus fuit, quisquis Lexico Historico Universali vernaculo Tom. III. p. m. 1722. Articulum illum sub Voce *Lilienfeld* inseruit: cujus falsissimo relatu Origo nostra dubio sine usque in Annum 1232. rejicitur. Jam sermonem *Ortiloni*, ora insequenti anno ubertim, & sanè ad compunctionem laxanti, cum gaudio cedo. Rejicientes in Ann. 1218. & longiùs.

Annus 1206.

XX. Ait itaque. // Mccvj. Hoc anno Dux LEOPOLDUS // ex DEI gratia accepit duas Filias. Unam iterum // secundum carnem: quia nata est ipsi AGNES XIV. Kal. Au- // gusti. Alteram spiritalem, nimirum Monasterium suum in // Lilienvelde: cujus Dormitorium, & Oratorium, in locum // Ecclesiæ interim substitutum, ac Refectorium, & Capi- // tulum perfecta sunt. Unde Dominus *Marquardus* Abbas // S. Crucis primum in novo Monasterio Abbatem designavit // Dominum OCKERUM, qui illud exstruxit: & Socium // ejus *Gebhardum* nominavit Priorem. Hi ambo erant Præs- // byteri, quibus tertium addidit *Gotschalcum.* Monachos // novem deputavit, *Chunradum, Guilelmum*, Diaconos: *Wal- // therum* Subdiaconum: *Berchtoldum, Liupoldum, Petrum, Ot- // tonem, Stephanum*, & me Fratrum meorum minimum *Or- // tilonem.* Insuper Conversos fratres tres, *Geroldum, Rudol- // phum, Siboltum*: omnes numero quindecim. Primi Monachi ex S. Cruce Campililium destinati.

XXI.

Adhortatio ad eos.

XXI. // Omnes in Capitulum convocatos Dominus *Mar-*
// *quardus* Abbas, quia Vir erat doctus in lege Domini, po-
// tens in opere, & sermone, dulci & incenso sermone adhor-
// tatus est in Domino ad opus, ad quod electi sumus. Di-
// xit ergo: Ut, qui Filii hactenus sui eramus in Claustro
// suo, cogitemus, nos Patres multorum Sequentium futu-
// ros. Ut itaque fundamentum Regularis Disciplinæ, auxi-
// liante Domino, bonum ibi ponamus in omni districtio-
// ne Regulæ, nec derelinquamus terminos, quos posuerunt
// Patres nostri, non recedentes ad dextram, neque ad si-
// nistram, mercedem accepturi à DEO omnis boni,
// quod nos præstabimus, & qui nobis successerint. Ope-
// ris DEI maximam nobis solicitudinem injunxit, ut non in-
// grati largissimis Donis Jllustris Ducis Fundatoris, fructum
// Orationum, quem petit, sibi & provinciis suis à DEO refe-
// ramus. Dominum *Ockerum* hortatus est, ut ex lege Re-
// gulæ Sancti Patris, à qua nunquam recedat, Nomen Majo-
// ris factis impleat, exemplo magis docens, quàm verbo: ode-
// rit vitia, diligat fratres. Nobis Obedientiam, novo Domi-
// no Abbati nostro præstandam cum omni celeritate, & hu-
// militate, injunxit. Commendavit nobis paupertatem ex-
// periendam in nobis: in hospitibus verò & pauperibus Cha-
// ritatem exhibendam. Tandem commonuit nos de reveren-
// tia, quam Matri nostræ Sanctæ Cruci deberemus, & ejus
// vicissim Maternum amorem nobis promisit. Ad ultimum
// ductis nobis ad Ecclesiam, & prostratis, orante pro no-
// bis universa Congregatione, ut pius Pater devotè benedixit.
// Sequebatur omnium nostrum Osculum pacis, quod dedimus,
// & recepimus à Patre, & Fratribus: qui nos omnes, præeunte
// Cruce, ad limen Ecclesiæ deduxerunt. Factum est hoc viij.
// Idus Septembris. |

Egressus de S.Cruce, & Ingressus Campililii.

XXII. // Nos eadem die sub Cruce progressi, vesperi ad
// Comagenum Montem in pago Kaumperg constitimus, pau-
// santes usque ad tempus Vigiliarum sub uno tecto. His,
// atque Matutinis decantatis, iter cum Cruce prosequentes,
// pervenimus altera die ad Lilienveld. Ibi adfuerunt Jllustris
// Dux LEOPOLDUS Fundator, & Dominus POPO Venera-
// bilis Episcopus Pataviensis: item Dominus *Marquardus*
// Sanctæ Crucis, cum multis Clericis, & Nobilibus, ac mag-
// na Plebe. Obviavit nobis pius Princeps, & ô quantum nos,
// in Oscula Manus suæ largifluæ ruentes, amabili vultu suo, &
// sermone, à fatigatione itineris recreavit! Præsentavit nos Do-
// mino Episcopo, qui & ipse se benignum exhibuit, & omni-
// bus benedixit. Inducti per ipsos in Oratorium, & ante Al-
// tare Beatæ Virginis aliquantulum prostrati, surgentes Hym-
// num

// num *Te DEUM laudamus* cantavimus. Mox, ipsis adstantibus, etiam Vespertinam synaxim de Nativitate ejusdem Beatæ Virginis. Deinde ad Dormitorium deducti, læti consideravimus Locum, in quo jam stabiliter permaneremus. Paulò pòst vocati in Refectorium (impransi enim ob jejunium diei festi eramus) primam piissimi Fundatoris providentiam, & largitatem cum gratiarum actione experti sumus. Socii Refectionis, Ipse, cum Domino Episcopo, fuerunt. Extremo vesperi complevimus in Oratorio: deinde pausavimus. In Choro, in Refectorio, in Dormitorio reperimus omnia nobis necessaria.

XXIII. // Ipsa die Beatæ Virginis post medium noctis surreximus ad Opus DEI, & Cantui nostro Vigiliarum Domini, Dux, & Episcopus, adstiterunt lætantes. Post Missarum Solemnia Domino *Marquardo* Abbati S. Crucis renovavimus professionem, & maximè stabilitatem in hoc Loco. Post hæc Illustris Dux & Fundator super Reliquias in Altari beatæ Virginis corde hilari, & voce clara, recitavit omnes Donationes, quas nobis faceret, & eas DEO, & Sanctæ MARIÆ obtulit. Similiter Dominus Episcopus Fundationem nostram, & Exemtionem Ordinis, ac Privilegia nobis approbavit, uterque tamen usque ad consensum Domini Papæ, postea Literis describenda. Deinde Dominus Episcopus benedixit OCKERUM Abbatem, tradendo ei Virgam Pastoralem: qui ei professus est salvo Ordine suo. Iterum postea in prandio nobiscum refecti Dux, cum Epicopo, & Domino *Marquardo* de S. Cruce: qui omnes piis sermonibus nos in omni bono confortabant.

Præsentes Dux, & Episcopus Pataviensis. Benedictio primi Abbatis *Ockeri.*

XXIV. // Abierunt deinde in Villam Wilhalmspurch ad Burgum Ducis: alio verò die in Loca sua. Sed Dominus POPO Venerabilis Episcopus Pataviensis brevì postea infirmatus est, & piè obiit VII. Kal. Januarii. Dominus OCKERUS Abbas noster, qui inhabitabat Domum Lilienveldariorum ad latus sinistrum Oratorii, cum Capella veteri beati *Thomæ* Apostoli, & Coquina supra se; item Nonus *Gebhardus* Prior, cum omni Charitate, & solicitudine circa nos, & Domum hanc sine intermissione laborabant. //

Ejusdem prima Habitatio.

XXV. Religioni duxeram, exquisitæ huic, planissimæque, & Religiosissimè conceptæ Narrationi de prima Coloniæ Sacræ hanc in Domum nostram inductione, vel verbulum interloqui. Jam porro licebit, aliqua his è dictis in gratiam nonnullorum, quibus id expedire credideram, paucis illustrare. Locus, qui Oratorium, Capitulum, Refectorium, ac Dormitori-

Inter veterem & hodiernum habitandi morem in

Claustris disparitas.

torium habuit, sufficiebat olim, dum Charitas fervebat, regnabat compunctio, & soli spiritui intendebatur, integræ Congregationi Regulari ad habitationem. Tunc námque nemo in Monasterio singularis erat: simul omnes uno in loco orabant, meditabantur, loquebantur de Ordine, laborabant, legebant, reficiebant, dormiebant. Et ideo, quia nemo extra Regulam & Ordinationem communem quidquam egerat, Instituta Cœnobitica dicebantur Ordines, & Monachi Regulares. Permisêre, ac proscripsêre Monachis perfectissimam hanc Vitam communem, quæ Sanctos innumeros peperit, beata illa tempora, quibûs Monachi erant Monachi, i. e. Solitarii in Claustro, sibi solis, uníque suæ perfectioni intendentes. At verò nunc, dum aliarum quoque Animarum curam suscipere, cogente hæresum insolentia, Regulares adigebantur, dissoluta est magna ex parte Vita communis, proptérque functiones peculiares Cellæ privatæ in Claustris usuvenerunt: ubi, quia se necessitati multa admiscebat commoditas, rarior sanctitas adolevit. Quoniam itaque sub initia nostra viguit adhuc sanctæ solitudinis cultus: postquam Campililii Oratorium, Capitulum, Refectorium, Dormitorium steterant, Loca, iis ab actionibus dicta, quæ ibi communiter ab omnibus fiebant, nihil jam obstitit ad inchoationem Vitæ regularis. Qualis autem illa formæ, quantæque amplitudinis fuerint, atque hodie existant, ex Descriptione Monasterii, Tomo huic præmissa, ad Mensuram Geometricam liquet. Quamvis igitur Colonia prima quindecim duntaxat personis Regularibus constiterit: facilè tamen liquet, Seren.mum Fundatorem, tam Ædificiorum, quàm Possessionum munificentissimè collatarum Amplitudine, Magnæ Monachorum Congregationi, hìc aliquando DEO famulaturæ, sat supérque prospexisse.

Ortilo circa *Gebbardum* Priorem sibi non contradixit.

XXVI. Primis in Colonis *Ortilo* enumerat Præsbyteros tres, Monachos novem, cum tribus Conversis, sive Laicis Fratribus. Tametsi porrò *Gebbardum*, qui postea *Ockerum* Abbatiali in Dignitate secundo loco excepit, antehac ad Annum 1201. solummodo Monachum dixerit, quem nunc Præsbyteris accenset, non ideo secum ipso pugnare credendus est. Olim quippe non omnes Monachi promovebantur ad Sacerdotium: sed ex tenore Regulæ in potestate Abbatis fuerat, quem è suis vellet Præsbyterum ordinari. Unde cùm D. *Marquardus* S. Crucis Abbas decrevisset secum, *Gebbardum* hunc Campililii primum Priorem constituere, indubiè eidem placuit, præviè illum Episcopo pro Ordine Sacerdotali præsentare, quò majori cum Auctoritate, suíque Veneratione præesset.

XXVII. Oratione mox laudati D. Abbatis ad Filios Campililium dimittendos, quàm *Ortilo* per summa Capitula dexterrimè repetit, quænam alia efficacior esse poterat? *Cogitent*, ajebat, *se suos hactenus Filios, jam Patres multorum sequentium futuros. Fundamentum itaque bonum Regularis disciplinæ, auxiliante DEO, ponant Novi in Domo sua: à quo mercedem accepturi sint omnis boni, tam quod ipsi, quàm quod reliqui, eisdem successuri, præstiterint.* Acutum sanè calcar, vehemens ante omnia argumentum, bonam ad frugem eosdem stimulandi. Gratiæ autem DEO immortales, apud Optimos hos Viros, & summa semper cum Veneratione recolendos nobis Patres nostros, non in vanum cecidisse hæc verba. Quàm solidum posuerint fundamentum, Largitori bonorum omnium DEO solicitè cooperati, semi-sexti jam Seculi in Campililio Flos abundè commonstrat, opus commendat Artifices. Interim & nos pariter huic Sermoni solicitas aures advertere decet. Quamvis enim his Patribus nostris longa intercapedine successerimus, vicissim tamen Successoribus nostris existimus quodammodo Patres: & si optemus, à Posteris, æquè felicibus, æquè multis olim celebrari, támque pro nostris, quàm eorum benefactis mercedem optemus, oportet sanè, ut ad sanctam nobis per manus traditam disciplinam, qua parte adhuc viget, solicitè conservandam, qua parte forsitan dissoluta est, instaurandam, totis animis convalescamus.

Fundamentum bonum positum à primis Patribus nostris.

Cui à nobis firmiter insistendum.

XXVIII. Pergebat Optimus Præsul, Filiisque suis *Operis DEI maximam solicitudinem injunxit, ut non ingrati largissimis donis Illustris Ducis Fundatoris, fructum Orationum, quem petit, sibi, ac Provinciis suis à DEO referrent.* O Monitum, cordibus pariter nostris adamantino stilo altissimè infigendum, nulloque ævo delendum! Quò námque in omni Campililio nosto, quò, inquam, convertimus oculos nostros, ubi non mera dona & bona *Leopoldi* suspicimus? Etenim & illa, quæ nobis ab aliis, & quæ propria industria nobis accesserunt, certissimum tamen fontem haud alium habent, nisi primigeniam Clementissimi Fundatoris Munificentiam. Absque hac cæterorum apud nos quid unquam fuisset? Omnis igitur locus nobis inclamat, quia *Leopoldo* nostro debitores existimus, & cùm ille Fundatione sua voluerit effici Patriæ quondam suæ, charæ Austriæ, etiam post fata sua perpetuus Pater, eidem post se apud DEUM Oratores, Mediatores, Intercessores, Interpellatores Munificentiâ suâ in nobis constituens, æternùm hìc loci succedentes: nunquid post Animæ nostræ curam, quæ tamen hac ipsa ratione optimè perficitur, hoc unum est nobis necessarium, ut *fructum Orationum nostrarum* Ipse, & Patria referant? Debiti hujus, quo nullum magis est liquidum, tam quæstionem, quàm præ-

Ante omnia, ne Fundator, atque Provincia fraudentur fructu Orationum nostrarum.

mium, unicuſque noſtrûm DEUS reſervat. Nolim in reliquo ſermone, cujus apices omnes nobis pariter diſciplinæ perpetuæ eſſe congruit, immorari diutius, ne credar moleſtus.

Feſtum Nativitatis B. M. V. longè ante initia noſtra celebratum: quare dies primæ apud nos Introductionis non fallit.

XXIX. Monendum attamen eſt, nonnullorum Clarorum Virorum opinione, in quibus facilè præcipuus Cl. *Ludov. Thomaſſinus* Oratorii Presbyter Pariſienſis, qui celeberrimo Opere Gallico III. Tomorum *de Antiqua & Moderna Eccleſiæ Diſciplina*, aliíſque compluribus Scriptis jam altero Seculo inclitus eſt, Feſtum Nativitatis B. MARIÆ V. Authorem habuiſſe *Innocentium* Papam IV.^tum^ qui illud cum Octava ſolemni in Concilio Lugdunenſi, An. 1245. contra Fridericum II. Imperatorem celebrato, ſeſſ. 3.^tia^ inſtituerit: uti laudatus *Thomaſſinus* in ſingulari *Tractatu de Feſtis* Libr. II. cap. 20. præter alios disertè tuebatur. Quod ſi ita foret, multum fide fortaſſis apud nonnullos laboraret *Ortilo* noſter, referens, primam noſtrorum Introductionem pridie feſti Natæ Virginis factam, primúmque à noſtris Campililii officium de eadem ſolemnitate decantatum fuiſſe. Verumtamen Cl. *Franciſcus Pagi* Breviar. Hiſt. Chronolog. Critici Tom. III. p. 254. ex Actis *Sergii I.* Papæ, quæ antea Tom. I. p. 383. expoſuerat, remonſtrat, jam hunc Sanctum Pontificem, qui ab Ann. Chr. 687. ſederat usque ad An. 701. conſtituiſſe, ut quotannis in Feſtis *Annunciationis*, *Nativitatis*, *ac Dormitionis B. M. V.* Romæ Lytaniæ, ſive Supplicatio ab ejus Templo ad Eccleſiam S. Hadriani publicè fieret. Hoc itaque & aliis pluribus ibidem argumentis, ex Actis & Monumentis Seculorum poſt VII.^um^ inſequentium petitis, atque hodie retectis, inficiari jam neminem poſſe evincit, tam Feſtum Natæ Virginis ubique, quàm Octavam ejusdem in peculiaribus Eccleſiis dudum antè fuiſſe celebratum. *Innocentium* vero IV. non plus egiſſe, quàm quòd Octavam in allegato Concilio pro toto Orbe Chriſtiano conſtituerit.

Reflexio ſuper primum noſtrorum Adventum, & Exceptionem.

XXX. Solatio deinde, neque minus admiratione plenum nobis eſſe debet, Seren.^um^ Ducem Fundatorem, cum Rever.^mo^ D. *Poppone* Epiſcopo Patavienſi, ſumma cum dignatione occurriſſe noſtris, Ducémque eosdem, in oſcula largifluæ ſuæ manus ruentes, amabili vultu ac ſermone à fatigatione itineris per ſemet recreâſſe, Præſulem non minori benignitate illis benedixiſſe, ab utrisque deinde puſillum novúmque Ciſtercii Gregem in Oratorium jucundè conductum fuiſſe. Quanto putemus cum animi jubilo, quanta cum alacritate vocum, quanta cum corporum modeſtia, novum hunc Chorum primos è Campililio pſalmos, hymnósque, in oculis Præſulis ac Ducis, ad Cœlum emiſiſſe, dum interim Angelici Principes hìc ſe primùm pſallentibus conjungerent, thúsque DEO primitium hoc loco de Orationibus

bus Sanctorum adolerent? Ubi nec præterire decet (Regularia quippe tracto, & cum Regularibus loquor) Mortificationem nostrorum: quæ Orationi conjuncta indubiè illam facit nubes penetrare. Sub Cruce procedentes, magìs verò mortificationem JESU in corpore portantes, longa arduáque & confragosa viâ ex S. Cruce ad Comagenum usque Montem, Oppidúmque Kaumperg, sanè non sine fatigatione emensâ, nequaquam tamen ampliùs, quàm usque ad constitutum Vigiliarum tempus pausabant, i. e. quiescebant in lectis: die altera propè usque ad Vesperam iter æquè hispidum super-interque Montes, ob jejunium Vigiliæ Virgineæ, impransi tamen toleraverunt. Quid in Mensa? cui cum ipsis assidere tam Duci, quàm Episcopo, peramanter libuerat? *Omnes*, ait *Ortilo*, Dux, Præsul, Abbásque S. Crucis, *piis sermonibus in omni bono nos confortabant.* Ita sancti epulantur.

XXXI. Mihi interim clementissimum Principem Parentem nostrum ex animo dimittere ægerrimum est, sive dum nostros amantissimè salutat, tanquam Gaudium & Coronam suam: sive dum psallentibus vesperi noctúque, & manè altero toto devotissimè assistit: sive dum super Altaris Virginei sanctas Reliquias corde hilari, & voce clara, recitat omnes Donationes, quas novis DEI Servis, sua deinceps eleemosynâ cum longa posteritate victuris, jam antè in hoc loco fecerat, nunc iterum faciebat, easque DEO ac DEIparæ, ut novus quidam Salomon, devotissimè offert, & consecrat. Tam hilarem Datorem quis ambigat dilexisse DEUM, jámque dudum præmiis æternis exolvere? Exhibebat profectò tunc Ipse simul, & nostri, Campililii spectaculum gratum DEO, Angelis, & hominibus, multis nimirum Clericis, ac Nobilibus, magnæque Plebi, quam adfuisse *Ortilo* testatur, suáque Devotione, atque Clementia, plurimis eorum illum in nos affectum inspiravit, quem postea perpetua sua erga nos beneficentia exsplicuerunt. Item super devotionem Ducis.

XXXII. Quàm porro omnia ex more Ordinis apud nos acta fuerint, inde liquet, quia *Ockerus* primus Abbas noster, & nova Congregatio ejus non alteri, quàm D. *Marquardo* S. Crucis, renovârunt Vota sua, D. *Poppone* Episcopo Fundationem nostram cum Exemtione Ordinis, ac Privilegiis approbante, & *Ockero*, dum benediceretur, eidem non aliam, quàm *salvo Ordine*, Obedientiam profiteretur. Cæterùm, dum narrat *Ortilo*, Coloniam Religiosam è S. Cruce emigrantem, nocte prima divertisse Kaumpergæ, liquidò constat, Oppidum illud, cui hodie jus dicimus, jam tum ante Monasterii exordium stetisse. Consimiliter certum nobis, Guilelmopoli, sive Wilhelmsburgi Curiam Principis fuisse, dum idem Scriptor noster perhibet, eundem Omnia tunc acta ex more Ordinis. De Kaumberga, & Guilelmopoli testimonia.

 dem

dem cum Antistite & Abbate *ad Burgum Ducis in Villam Wilbalmspurch* rediisse. Hanc Curiam ideo structam putem, ut vicinos per Montes ac sylvas venationem exercenti, vel verò ex Austria quandoque in Stiriam tendenti, commoda divertendi opportunitas præstò esset.

De D. *Poppone* Episcopo Pataviensi ignotus Cl. *Hansizio* paragraphus.

XXXIII. A Domino *Poppone* Præsule Pataviensi factam hoc Anno 1206. apud nos fuisse solemnem primæ Coloniæ Introductionem, & Benedictionem *Ockeri* Abbatis, paragraphus indubiè gratus esse poterat Cl. *Hansizio*, si eidem, dum operosissimè & eruditissimè conderet Metropolim Laureacensem, innotuisset: cùm Antistitis hujus historiam omnem p. 350. ne integris quidem undecim lineis defectu notitiarum constringere compulsus sit. Dubio quoque suo, utrùm hic brevissimæ Sedis Episcopus AN. 1205. aut sequenti è vivis discesserit, tutò expeditus fuisset his verbis *Ortilonis nostri*: *Sed Dominus POPO Venerabilis Episcopus Pataviensis brevì postea infirmatus est, & piè obiit vij. Kal. Januarii.* Quæ etiam causa erat, cur, sicut animo præceperat, spoponderátque, Fundationem nostram conceptis ac patentibus Literis ipse confirmare nequiverit, id negotii D. *Manegoldo* Successori suo relinquens.

Uti habitaverit D. *Ockerus* primus Abbas.

XXXIV. Tandem neque ultima *Ortilonis* hoc anno relatio obiter transmittenda est, qua docuit, D. *Ockerum* novum Abbatem habitâsse *Domum* quondam *Lilienveldariorum ad latus sinistrum Oratorii, cum Capella Veteri B. Thomæ Apostoli, & Coquina supra se*: tam ipsum præterea, quàm *Nonum Gebhardum* Priorem, omni Charitate & solicitudine circa novellos Fratres & Monasterium sine intermissione laborâsse. Oratorii nomine intelligebat Capellam, quam hodie dicimus S. *Sebastiani*, medio propemodum Dormitorii ab Oriente oppositam, ubi, donec perficeretur Ecclesia, Chorus agebatur: extra quam à sinistris, paululum tamen retro, etiamnum existit Ædificium mediocre, cui nomen Castelli damus. Ibi, post D. *Ockerum*, omnes DD. Abbates Successores in semiquintum usque Seculum usque ad Rever.^mum D. *Ignatium*, habitaverunt: quorum ad Conventum ingressus Concameratus ille ambitus erat, ubi nunc per hyemem ligna combustibilia servantur. Exstiterat porro hac in Abbatia jam olim, dum adhuc Domus esset Veterum DD.^orum de Lilienveld, teste *Ortilone*, Capella S. *Thomæ* Apostoli, utique jam tunc devotione populi in ipsis hujus Divi Solemniis frequentata: qui cultus verè antiquissimus in hodiernam usque diem persistit. Habuisse D. *Ockerum* illa in Domo *Coquinam super se*, i. e. Culinam distinctam à Culina Conventus, dictum est ab *Ortilone* stilo S. Regulæ, SS. Legislatore ideo hoc præscribente, ne Peregrini ac Hospites, incertis horis supervenientes, Mensæque Abbatis adhibendi, quietem Fratrum, Ordinémque

Quid Coquina D. Abbatis super se?

tem-

temporum interturbarent. Eodem stilo *Gebhardum* Priorem appellavit *Nonnum*, quæ vox nobis idem sonat, ac *Paterna Reverentia*, ipso S. *Benedicto* Interprete *S. Reg. Cap. 63.* Quid vox Nonnus?

Annus 1207.

XXXV. **B**Revis hoc anno est *Ortilo*, hæc solummodo de Campililio suggerens. // Dominus OCKERUS Abbas noster Nuncios Monachos direxit ad Dominum Papam pro Confirmatione Novæ Domus Nonnum Gotschalchum Præsbyterum, & *Geroldum* Conversum. Emit quoque ex trecentis talentis, á Fundatore datis, Vineas plures, Domos tres, & Molendinum unum. // Neque videlicet æquum censetur, neque tutum agnoscitur, quidquid noviter inchoans suprema Potestate non approbatur, atque protegitur. Præcipuè verò Sacer quilibet Locus ab ipsa Sancta Sede, Summóque Ecclesiæ Capite institui debet, támque libertate necessaria donari, quàm etiam limitibus debitis circumscribi. Ibi námque Nobilis, quia DEO peculiariter consecrata, & si lapsum Seculorum attenderis, etiam grandis Ecclesiæ portio Religionem colet: quòd sanè ex lege fieri necesse est, providè statuenda. Sed hanc adimplere Servi DEI, nisi uno eodémque & æquali vitæ tenore conformes, seculari præterea inquietudine judiciorum, exactionum, invasionum exemti, minimè possunt. Cui accedit, Religioni fatum idem esse cum Virtute, ut invidiæ plurimæ pateat. Quoniam verò in eam delinquere sacrilegum est: oportet profectò, eidem altissima Potestate, ac Tabulis publicis, quæ omnibus exhiberi possint, ita salubriter cavere, ut ne insontes immeritò patiantur, & ne incauti multi se temerè sontes ac reos efficiant, gravissimis deinde Ecclesiæ Censuris innodandi, unde se difficillimè expediant.

D. Ockerus Romam pro confirmatione Monasterii mittit.

Quare Monasteriis Confirmatione sit opus?

XXXVI. Probè utique ac prudenter ista pensabat Clementissimus Dux noster Fundator: & ideo nullam Donationum suarum Chartam edere voluit, priusquam Fundationem nostram Apostolica Auctoritate ratam, probatámque, & in omne ævum firmatam videret, possessiones interim omnes, tametsi jam semel ac iterum Campililio traditas, attamen quasi suas adhuc retinuit, ut sua interim Authoritate nobis ab invasoribus omnibus tutæ manerent. Confirmationis porro Apostolicæ ad Votum obtinendæ opportunitatem tum quidem summam esse credidit, cùm An. 1207. tam *Philippus* Rex pro plenè sibi conciliando Pontifice, tum Ipse pariter pro impetranda Novi Episcopatus Viennensis erectione, Oratores Romam dimitterent; quibus proinde, ut minimè ambigo, Proto-Abbas quoque noster, Ducis Fundatoris hortatu & impensis, Fratres

Opportunitas maxima, Confirmationem Campilii impetrandi.


tres suos, Confirmationem novi Cœnobii suppliciter rogaturos, adjunxit. Quando autem id opportunius egisset? Mirabatur tunc Pontifex nostri Principis Regiam quodammodo in Ecclesias Munificentiam, qua, Campililio jam erecto, cogitaret & alterum Scotis Viennensibus Monasterium excitare, si, ubi nunc illi degerent, nova, quam ipse quoque fundare meditabatur, Cathedra Episcopalis collocaretur. Hinc itaque factum est, ut, in gratiam tam devotissimi Ecclesiæ Principis, primam pro Campililio Bullam suam, anno altero adscribendam, amplissimam pariter, & maximè solemnem, gratisque ac Privilegiis quamplurimis fertilem, facillimo Annutu expediens, Domum nostram in Apostolica Petra immobili quadam firmitate tantò propensiùs consolidaret. Cæterùm Abbatem *Ockerum* ex pecunia Ducis Fundatoris Vineas tres Cleripoli, sive in Pfaffsteten, duas in Welanstorf, unam Cremsii, Domuum item unam rursum Cremsii, alteram Viennæ, tertiam in Nova Civitate, & in hac similiter Molendinum comparâsse, docent Literæ Fundationis Seren.^mi Ducis, inferiùs describendæ.

Annus 1208.

XXXVII. HÆc Epocha novello in Campo nostro & albo pariter lapillo, & atro carbone notari promeruit, *Ortilone* ad hunc Annum ita lætante primùm, postea plangente. // Dominus INNOCENTIUS Papa Tertius Monasterii // Fundationem confirmat, & illud in Protectionem suscipit, & // amplissimis Privilegiis munivit. Sed Dominus OCKERUS // Abbas, multarum Virtutum, & magnorum Meritorum Vir, // Plantator sedulus Disciplinæ nostræ, cujus Vita ejus Exem- // plum fuit, in Autumno infirmatus, felici agone, sed nimis // citò, consummavit Nonis Novembris, cum multo luctu no- // stro. Postridie sepelitur in Capitulo. Eidem communibus // Votis Fratrum in Abbatis munere succedit Gebhardus ha- // ctenus Prior xvj. Kal. Decembris. Primum jam esse debet, ut Bullam Confirmationis Pontificiæ, tanquam basim & normam omnium Jurium nostrorum, columénque Possessionum, quantumlibet prolixam, per extensum tamen adscribamus: qua Nobis Privilegia propè omnia, Universo Ordini Cisterciensi hucusque per plures Summos Pontifices diversis temporibus indulta, peculiariter conceduntur.



INNO-



INNOCENTII
Papæ III.
Bulla Confirmationis pro novella Fundatione Campililiensi de Anno 1208.

INNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum DEI Dilectis Filiis, OKERO Abbati de Lilinveld, ejúsque Fratribus tam præsentibus quàm futuris Regularem vitam professis. In perpetuum. *Innocentius Papa III. confirmat Campilium.*

REligiosam Vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium; ne fortè cujuslibet temeritatis incursus aut eos à proposito revocet, aut robur, quod absit, sacræ Religionis infringat. Eapropter, Dilecti in Domino Filii, vestris justis postulationibus clementer annuimus, & præfatum Monasterium in Lilinveld, in quo Divino mancipati estis obsequio, sub beati Petri, & nostra Protectione suscipimus, & præsentis Scripti Privilegio communimus. *Illud in B. Petri & suam Protectionem suscipit.*

Inprimis siquidem statuentes, ut Ordo Monasticus, qui secundum DEUM, & beati Benedicti Regulam, atque Institutionem Cisterciensium Fratrum in eodem Monasterio institutus *Ordinem Cisterciensem perpetuò hic observandum statuit.*

tutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur.

Possessiones omnes & Bona habita, & habenda, firma nobis vult permanere.

Præterea quascunque possessiones, quæcunque Bona idem Monasterium in præsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum Concessione Pontificum, Largitione Regum, vel Principum, Oblatione Fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma Vobis, Vestrisque Successoribus, & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Plura suis nominibus exprimit.

Locum ipsum, in quo Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis. Possessiones in *Hainveld*, cum Nemore sibi adjacente. Duodecim Mansos, qui *Vorsthube* appellantur. Insulam in Danubio, quæ *Hagenowe* dicitur. Predia in *Wemprichstorf*. Predia, quæ habetis in provincia, quæ vulgò *Vorst* appellatur: & tres Domos, quas *Crems*, *Wienne*, ac in *Nova Civitate* habetis: cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagiis, & pascuis, in bosco, & plano, in aquis, & molendinis, in viis & semitis, & omnibus aliis libertatibus & immunitatibus suis.

Eximit nos à Decimis.

Sanè laborum vestrorum, quos propriis manibus, aut sumtibus colitis, tam de terris cultis, & incultis, sive de Ortis (hortis) & Virgultis, & piscationibus vestris, vel de nutrimentis animalium vestrorum, nullus à vobis Decimas exigere, vel extorquere præsumat.

Dat facultatem converti volentes suscipiendi: professis prohibet recedere.

Liceat quoque vobis, Clericos, vel Laicos, & absolutos, è Seculo fugientes ad Conversionem recipere, & eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli Fratrum vestrorum, post factam in Monasterio vestro professionem fas sit, sine Abbatis sui licentia, de eodem loco discedere. Discedentem verò, absque

que communium Literarum veſtrarum cautione, nullus audeat retinere. Quod ſi quis fortè retinere præſumſerit, licitum vobis ſit, in ipſos Monachos, vel Converſos regularem ſententiam promulgare.

Illud diſtrictiùs inhibentes, ne terras, ſeu quodlibet beneficium, Eccleſiæ veſtræ collatum, liceat alicui perſonaliter dare, ſive alio modo alienare, absque conſenſu Capituli, vel majoris, aut ſanioris partis ipſius. Si quæ verò donationes, vel alienationes, aliter, quàm dictum eſt, factæ fuerint, eas irritas eſſe cenſemus. Inhibet bonorum alienationem.

Ad hæc etiam prohibemus, ne aliquis Monachus, vel Converſus, ſub profeſſione veſtræ Domus aſtrictus, ſine conſenſu Abbatis, & majoris partis veſtri Capituli, pro aliquo fide jubeat, vel ab aliquo pecuniam mutuò accipiat, ultra pretium, Capituli veſtri providentia conſtitutum, niſi propter manifeſtam Domus veſtræ utilitatem. Quod ſi facere præſumſerit, non teneatur Conventus pro his aliquatenus reſpondere. Item fidejuſſionem pro alio, vel mutui acceptionem.

Licitum præterea ſit vobis, in cauſis propriis, ſive Civilem, ſive Criminalem contineant quæſtionem, Fratrum veſtrorum teſtimonio uti: ne, pro defectu teſtimonii, jus veſtrum in aliquo valeat deperire. Permittit nos uti teſtimonio Fratrum.

Inſuper Auctoritate Apoſtolica inhibemus, ne ullus Epiſcopus, vel alia quælibet Perſona, ad Sinodos, vel Conventus forenſes vos ire, vel Judicio Seculari de propria ſubſtantia, vel poſſeſſionibus veſtris ſubjacere compellat. Nec ad Domos veſtras, causâ Ordines celebrandi, Cauſas tractandi, vel Conventus aliquos publicos convocandi, venire præſumat. Nec Regularem Abbatis veſtri Electionem impediat, aut de inſtituendo, vel removendo eo, qui pro tempore fuerit, contra Vetat Epiſcopis, nos vocare ad Sinodos, aut forum ſeculare. In noſtris domibus agere cætus, aut cauſas: Electioni, inſtitutioni, deſtitutioni Abba-

tis se intromittere.

tra Statuta Cisterciensis Ordinis, se aliquatenus intromittat.

Concedit nobis ab alio Episcopo recipere, quæ à proprio fuerint indebitè negata.

Si verò Episcopus, in cujus Parochia Domus vestra fundata est, cum humilitate ac devotione, qua convenit, requisitus, substitutum Abbatem benedicere, & alia, quæ ad Officium Episcopale pertinent, vobis conferre renuerit: licitum sit eidem Abbati, si tamen Sacerdos fuerit, proprios Novitios benedicere, & alia, quæ ad Officium suum pertinent, exercere, & Vobis, omnia ab alio Episcopo percipere, quæ à Vestro fuerint indebitè denegata.

Statuit, ut Abbas non profiteatur Episcopo, nisi *salvo Ordine suo.*

Jllud adjicientes, ut in Recipiendis professionibus, quæ à benedictis, vel benedicendis Abbatibus exhibentur, ea sint Episcopi forma & expressione contenti, quæ ab Origine Ordinis noscitur instituta: ut scilicet Abbates ipsi salvo Ordine suo profiteri debeant, & contra Statuta Ordinis sui nullam professionem facere compellantur.

Diœcesanus tenetur Oleum Sacrum, & alia gratis impendere: secus liceat nobis, eadem ab alio petere.

Pro Consecrationibus verò Altarium, vel Ecclesiarum, sive pro Oleo Sacro, vel quolibet alio Ecclesiastico Sacramento, nullus à Vobis, sub obtentu Consuetudinis, vel alio quolibet modo, quidquam audeat extorquere, sed hæc omnia gratìs vobis Episcopus Diœcesanus impendat. Alioquin liceat vobis, quemcunque malueritis, Catholicum adire Antistitem, gratiam & Communionem Apostolicæ Sedis habentem: qui nostra fretus Auctoritate, vobis, quod postulatis, impendat.

Hoc idem nobis indulget Sede Diœcesana vacante, & etiam à transeunte Episcopo.

Quòd si Sedes Diœcesani Episcopi fortè vacaverit, interim omnia Ecclesiastica Sacramenta à vicinis Episcopis accipere, liberè, & absque contradictione possitis: sic tamen, ut ex hoc imposterum propriis Episcopis nullum præjudicium generetur. Quia verò interdum propriorum Episcoporum non habetis copiam, si quem Episcopum, Romanæ Sedis, ut diximus, gratiam & communionem habentem, & de quo plenam notitiam hahea-

beatis, per Vos transire contigerit, ab eo Benedictiones Vasorum, & Vestium, consecrationes Altarium, Ordinationes Monachorum, Auctoritate Sedis Apostolicæ recipere valeatis.

Porro, si ipsi, vel alii Ecclesiarum Rectores, in Monasterium Vestrum, vel Personas inibi constitutas, Suspensionis, Excommunicationis, vel Interdicti sententiam promulgaverint, sive & in Mercenarios Vestros, pro eo, quòd Decimas non solvitis, sive aliqua occasione eorum, quæ ab Apostolica Benignitate vobis indulta sunt, seu Benefactores Vestros, pro eo, quòd aliqua vobis beneficia, vel obsequia ex charitate præstiterint, vel ad laborandum adjuverint in illis diebus, in quibus Vos laboratis, & alii feriantur, eandem sententiam protulerint: ipsam, tanquam contra Sedis Apostolicæ Indulta prolatam, duximus irritandam. Nec Literæ ullæ firmitatem habeant, quas tacito nomine Cisterciensis Ordinis, & contra tenorem Apostolicorum Privilegiorum, constiterit impetrari.

Non valeat Excommunicatio lata in nos, quia his Privilegiis utimur, neque in nostros.

Literæ nullæ nobis obsint, in quibus non est expressa mentio Ordinis Cisterciensis.

Præterea cùm commune Interdictum Terræ fuerit, liceat vobis nihilominus in vestro Monasterio, exclusis excommunicatis & interdictis, Divina Officia celebrare.

Commune Interdictum Terræ nos non liget.

Paci quoque & tranquillitati vestræ Paterna imposterum solicitudine providere volentes, Auctoritate Apostolica prohibemus, ut infra Clausuras Locorum, seu Grangiarum vestrarum, nullus rapinam, seu furtum facere, ignem apponere, sanguinem fundere, hominem capere, tenere, vel interficere, seu Violentiam audeat exercere.

Nostris in Locis nemini liceat esse violento.

Præterea omnes Libertates, & Immunitates, à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ordini vestro concessas, nec non Libertates, & Exemptiones secularium exactionum, à Regibus, & Prin-

Confirmantur nobis omnes Immunitates Ordinis à quibuslibet concessæ.

Principibus, vel aliis fidelibus rationabiliter Vobis indultas, Auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis Scripti Privilegio communimus.

Nulli liceat facultates nostras auferre, vel minuere.

Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatum Monasterium vestrum perturbare temerè, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare: sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione, ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, Salva Sedis Apostolicæ Auctoritate.

Cominatio in Violatores.

Si quæ igitur in futurum Ecclesiastica, Secularísve Persona, hanc nostræ Constitutionis Paginam sciens, contra eam temerè venire temptaverit, secundò, tertióve commonita, nisi reatum suum condigna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reámque se Divino Judicio existere de perpetua iniquitate cognoscat, & à Sanctissimo Corpore & Sanguine DEI ac Domini Redemptoris nostri JESU Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem, eidem Loco sua jura servantibus, sit Pax Domini nostri JESU Christi, quatenus & hic fructum bonæ Actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen.

Et Benedictio Fautorum Monasterii.

Signum

Signum exhibebitur Tomo IV. Tab. I.

Ego INNOCENTIUS Catholice Ecclesie Episcopus subscripsi.

Monogramma ibidem comparebit.

✠ Ego Petrus Portuensis & S. Rufinæ Episcopus.

✠ Ego Johannes Albanensis Episcopus.

✠ Ego Johannes Sabinensis Episcopus.

✠ Ego Guido Prenestinus Episcopus.

✠ Ego Nicolaus Tusculanus Episcopus.

✠ Ego Hugo Hostiens. & Velletr. Episcopus.

✠ Ego Cinthius tit. S. Laurent. in Lucina præsbyter Cardinal.

✠ Ego Cencius SS. Joh. & Pauli præsbyter Card. tit. Pamachii.

✠ Ego Petrus tit. S. Marcelli præsbyter Card.

✠ Ego Benedictus tit. S. Susanne præsbyter Card.

✠ Ego Leo tit. S. Cruc. in Jer. præsbyter Card.

✠ Ego Petrus S. Pudentiane tit. Pastoris præsbyter Card.

✠ Ego Guido S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis.

✠ Ego Johannes S. Mariæ in Via lata diaconus Cardinal.

✠ Ego Guala S. Mariæ in Porticu diaconus Cardin.

✠ Ego Octav. SS. Sergii & Bacchi diaconus Cardin.

✠ Ego Johannes SS. Cosme & Damiani diaconus Cardin.

✠ Ego Pelagius S. Lucie ad septa Solis diaconus Cardin.

Datum Laterani per manum Johannis sancte Marie in Cosmidin Diaconi Cardinalis Sancte Romane Ecclesie Cancellarii II. Non. Febru-

Februarii Indictione XIII. (legendum XI.) Incarnationis Dominice Anno MCCVIII. Pontificatus verò Domini INNOCENTII Pape Tertii Anno Duodecimo. Legendum *Decimo.* Electus quippe fuit hic Pontifex An. 1198. die 8. Januarii, & coronatus die 22. Februarii: à qua Coronationis die Annos Pontificatus numeravit.

Summa Præceptorum hujus Bullæ Authoritas infert summam Transgressionis gravitatem.

XXXVIII. Amplissimæ hujus, summáque cum Gratiæ tam multiformis significatione conceptæ Bullæ Paragraphi benè multi tam perspicui videntur, ut notulæ eisdem adjectæ faces essent, Soli accensæ. Nihil itaque aliud superest, nisi, ut metuant hæc legentes, si fuerint forsitan, qui nos oderunt. Ut námque rectissimè observavit Rever.mus *Caramuel* noster in libello, cui titulus *Motivum Juris*, antuerpiæ vulgato in 4.to An. 1638. Quæst. IV. p. 104. dum Pontifex comminatur, *contra suam Constitutionem facturos Divinæ Animadversionis subjacere judicio, modum adhibet exprimendi summam Præcepti Authoritatem:* cum qua correlatum est summa gravitas Transgressionis. Octodecim Patrum Purpuratorum hìc subscriptorum Elogia, itémque *Signi* Pontificii, *Monogrammatis*, ac Bullæ plumbeæ, vel verò *Sigli* appensi illustrationem distuli in Tomum IIII. seu Recensum Diplomatico-Genealogicum, ubi cætera similia expendo. Hìc porrò Funus acerbum, quia præmaturum, Proto-Abbatis nostri D. OCKERI ne aliquo saltem devoti calami officio prosequar ad tumulum, committere nequeo.

Elogium *Ockeri* Proto-Abbatis nostri.

XXXIX. Nihil certè veteribus quoque Romanis memoria dignius videbatur, quàm si quis *Primus* eximium aliquid fecerit, Ædem quampiam publicam struxerit, Sacra aliqua instituerit, Legem quamdam condiderit, Urbem fundaverit, Coloniam introduxerit, Rempublicam excitaverit. Solemnis tunc formula cùm in Numis, tum in Tabulis, atque Lapidibus fuit: PREIMUS (i. e. Primus) FECIT. Nempe admodum interest, quale rei cujuslibet *Principium* fuerit: hoc námque ex mente *Plutarchi*, usu ipso ferè comprobante, *hanc facultatem habet, ut multa, quale ipsum est, efficiat.* Fuit OCKERUS nascenti Campililio uti Caput, ita pariter Fons & Origo Gloriæ perennis. Sapiens hic Domus nostræ Ædilis, cujus tam Ædificia operariis præcepit, dum construeretur, quàm Leges moresque jam consistentis formavit, suæ simul Famæ, cum laude in ævùm transeuntis,

ſeuntis, incunabula ſtruxit. Magni ſanè ſpiritus Virum eundem putamus: haud enim parvum eſt, fundamentum ſic ponere, ut Ædes æterna ſit. Primum igitur Nomen in Faſtis noſtris præſentibus OCKERUS profectò cum laude tuetur, flumini par, cujus ne fons quidem navigia refugit: generoſæ Arbori ſimilis, cujus planta ſtatim cum fructu eſt? Quid enim? *Ortilone* atteſtante, qui ſub eo profecit, *Multarum Virtutum, & Magnorum Meritorum Vir erat, Plantator ſedulus Diſciplinæ, cujus Vita ejus Exemplum fuit.* Fecit ergo, quod docuit: quo majorem virtutem nemo Præſulum ſuo muneri debet. Venerandi ſint itaque nobis Cineres ejus, quoties Capitulum ſubimus, in quo Oſſa illius optima pauſant. Requiem illi libenter in cælis precemur, vel potiùs dudum utique captam faveamus. Pro floribus porro, quos olim defuncto ſpargebant, docili animo multa premamus veſtigia Diſciplinæ, qua ipſe Campililium conſecravit.

Annus 1209.

XL. ACta prima *Gebbardi* novi Abbatis, cui virtutum exhibendarum Campus longè amplior patuit, *Ortilo* ita percenſet. // Dux LEOPOLDUS Domino GEBHARDO // Abbati amplas Literas Fundationis tradidit *in Nüwenburch* // (i. e. Clauſtro Neoburgi) *vij. Id. Aprilis.* Quod audientes // Fratres *Leutoldus* & *Chunradus* Domini *de Altenburch*, Filii // *Weichardi* defuncti *de Altenburch*, & *Geiſelæ de Wildeck*, re- // clamârunt propter Foreſte. Dux æquitatis ſtudio permotus, // ne holocauſtum ſuum aliqua parte deficeret, ſed magis pin- // gue fieret, venit in Wilhalmſpurch ad Burgum, &, ut habe- // tur in alia Litera Fundationis, quam dedit nobis *Id. Aprilis*, // dictis Fratribus compenſationem fecit, licèt ad id nullo jure // teneretur. Cum illo deinde Dominus GEBHARDUS Abbas, // & *Chunradus* Monachus profecti ſunt in Wienne: ubi Abbas à // *Manegoldo* Venerabili Epiſcopo Patavienſi Benedictionem, *Chunradus* Ordinationem in Præsbyterum ſuſcepit. Reverſus Ab- // bas Nonnum *Gotſchalchum* conſtituit Priorem, *Luipoldum* // Cellerarium (i. e. Oeconomicæ rei præfectum, & ideo no- // bis hodie dictum Oeconomum, nomine Cellerarii in eum // tributo, qui Cellæ Vinariæ curam gerit) *Stephanum* Wur- // ſarium (à burſa ſive redditibus percipiendis olim ſic appella- // tum, nunc Camerarium) *Geroldum* Converſum Porta- // rium. //

XLI. Miretur forſitan nonnemo, neque planè immeritò, cur Sereniſſimus Dux Parens noſter Chartas Fundationis ſuæ non antea dederit, quàm Summus Orbis Paſtor ac Pater Mo- naſte- Cur Fundationis Litera poſteriores Bulla Confirmationis.

nasterium jam confirmaverit, inque suam, & Sacræ Romanæ Ecclesiæ Protectionem illud suscipiens, singula ejusdem Jura & bona æterna esse præceperit. Mihi, fateor, hoc factum peculiarem dudum peperit Meditationem. Præterquam enim, quod suprà n. XXXVI. sq. jam expenderam, securitatis tantò majoris nobis præstandæ causâ, Possessiones nobis jam traditas adhuc tamen, ut suas, retinuerit, Potentiam suam Vexationi opponens, donec Campililio Pontifex suæ Confirmationis firmissimum clypeum obtenderet: insuper mihi videtur Religiosissimus Princeps noster, æmulatione quodammodo Regularium, sanctum Obedientiæ meritum studiosè admodùm hoc pacto quæsivisse. Quemadmodum námque initio piam suam condendi Monasterii Voluntatem Sacro Ordini nostro haudquaquam simplici duntaxat insinuatione obtulit, quamvis jam satis Clementiæ vel hoc ipsum fuisset, sed cum ingenti Celsitudinis suæ demissione, ut sonant Literæ ejus superiùs adductæ, authoritatem sibi ad hoc ab Ordine tribui flagitavit, juberi magis volens, ut benefaceret, quàm rogari: ita etiam deinceps conditi jam Cœnobii Munificentissimam Dotem Tabulis publicis, quibus opus erat ad præsentis atque futuræ ætatis notitiam, haud antea describere voluit, donec id sibi Præcepto Apostolico quasi injungeretur, neque retractare jam posset, quod semel collatum, Papa vetante, avellere à nobis nemini ulteriùs licuit.

[...]ioris [C]hartæ Fundationis Initium: in reliquis enim eadem habet, quæ secunda.

XLII. Chartam autem Fundationis, quæ in Codice I. Privilegiorum nostrorum, qui est Seculi XIII.[tii] membrana in forma 12.[mo] constans, paginásque CCCLXXXVI. numerans, hac Rubrica prænotatur: *Principium omnium Privilegiorum: Ortilo* noster geminam laudavit: quam pariter utramque Archivium nostrum illæsam, & Autographam servat, ubique latinam. Prior autem harum, posteriore multò brevior, præter Exordium diversum, proximásque aliquas periodos, nihil in decursu continet, quod non in altera iisdem verbis repetatur. Quapropter sufficere credidi, Initium duntaxat ejusdem hoc loco peculiariter adscribere, alteram deinde integro tenore cum Orbe Erudito communicaturus. Sic itaque Prior hæc inchoat.

In

In Nomine Sancte Trinitatis & Individue Unitatis.

LEUPOLDUS DEI Gratia Dux Austrie & Stirie Universis Christi Fidelibus tam presentis etatis, quàm future Generationis. In Perpetuum.

COnditori ac Rectori universorum Domino DEO, cujus potentissima providentia Nos, qui Potestatibus præsidemus, in Sublimitate constitutos, sublimi suæ Potentiæ fecit esse conformes, eidem subjici devotissimè, votáque quàm magnifica vovere tenemur, & reddere. Equidem qui potentes non abjicit, cùm ipse sit potens, pia quoque potentium Vota non despicit. Quapropter ego L. Dux Austrie, & Stirie, qui ipsius gratia Progenitorum meorum Dignitatis, Potestatis, ac copiarum omnium plenitudinem possideo, inter alia fidelitatis obsequia, quibus ejus Munificentiæ respondere, atque inclinare intendo, Monasterium Cisterciensis Ordinis ad ipsius Gloriam in honore beate & Gloriose DEI Genitricis MARIÆ edificare devovi. Cujus sanè Ordinationem Monasterii, atque Obauditionis respectum, memorato Cisterciensi Ordini, Domuique Sancte Crucis dicans, ac consignans, ipsum Monasterium coram Ministerialibus meis Nüwenburch in Placito meo (i. e. Comitiis Provincialibus, sive Consessu Judiciario) *vij. Idus Aprilis* solempni Possessionum Donatione, ac Delegatione dotavi. Imprimis scilicet Locum &c.

Datum in Nüwenburch Anno ab Incarnatione Domini Mccviiij. Indict. xij.ª vij.ª Id.ª April. Anno Ducatus nostri in Stiria xvj.ᵐᵒ In Austria xj.ᵐᵒ Per manus Ulrici Notarii.

Causa, ob quam opus erat alterâ Fundationis Chartâ, fuit reclamatio DD.rum *de Altenburg*.

XLIII. In his unis, quæ adscripsi, Charta hæc prior, cujus Testes, Sigillum, & alia, Tomo IIII. curatiùs meditor, differt à posteriore: cui prolixiùs describendæ causam dedit intercessio Dominorum *de Altenburg*, quorum Stemma eodem Tomo IIII. inter Familias in A. latè satis deductum occurret. Hi námque causabantur, quamdam Sylvarum, nobis à Fundatore donatarum partem, sibi propriam esse. Peregrinum hoc erat Optimo Principi nostro, cui Aequitas in subditos omnes, universámque Provinciam suam, prima quodammodo suavissimi Regiminis amussis ac Regula, eáque perpetua fuit. Quare hoc unum certè præ omnibus desugerat, ne liberalis esse cùm vellet, quemquam cum alterius injuria ditiorem efficeret. Non itaque dedignabatur, Oppidum *Wilhelmspurg*, cui Castrum DD.orum *de Altenburg* vicinum erat, è vestigio cum Curia sua accedere, & hanc Fratrum Altenburgensium adversum se motam quæstionem sententiæ delegatorum Judicum submittere, concorditer autem pro se pronunciantium. At ne sententiam istam, sive placendi studio, sive metu offensæ, plus quàm æquitate, latam fuisse, qui causa ceciderant, querularentur: tenerrima piissimi Ducis nostri Religio, & liberalissimus in DEUM animus effecit, ut sæpedictis Fratribus etiam, quæ suffragio Judicum minimè deberet, exolveret attamen, ac compensaret. Quo pulcherrimo facto, quantum eos diligeret, quantum faveret Ministerialibus suis, argumento clarissimo contestatus, Holocaustum insuper suum, sive Dotem Novi Monasterii sui, omni ex parte oppidò pinguem, in oculis hominum, DEIque, & qualibet vitii umbra immunem, efficere adnitebatur.

Æquitas & Clementia Ducis.

Pervicacia Altenburgicorum.

XLIV. Par verò non erat Virtus Dominis *Altenburgicis*: quippe qui hac compensatione, qua tamen eisdem gratia mera fiebat, necdum contenti, à Filio posthac Fundatoris *Friderico* ampliorem, nova cum contentione, extorserunt. Patrum insuper vestigiis etiam Filii insistentes, *Otocarum* Regem, dum Austriam teneret, rursum repetitum ad augmentum adegerunt. Cujusmodi ausum pariter deinceps eorundem Sorores cum insigni nostrorum vexatione attentârunt. Quæ verò omnia posteriorum annorum argumentum evadent. Nunc Seren.mi Fundatoris Munificam in nos Clementiam ex posteriore Fundationis Charta, integro tenore hìc adscripta, universo Orbi legendam exhibemus.

LEO-

LEOPOLDI VII.
Ducis
Charta Fundationis Campililii de Anno 1209.

In Nomine Sancte Trinitatis & Individue Unitatis.

LIUPOLDUS DEI gratia Dux Austrie & Stirie Universis Christi fidelibus tam presentis etatis, quàm future Generationis. In Perpetuum.

QUoniam salutis humanæ Summa in Eleemosinarum largitione consistit, & hic omnis fructus, ut deleantur peccata nostra. Ego L. Dei gratia Dux Austrie & Stirie, qui Progenitorum nostrorum Dignitatis, Potestatis, ac Copiarum omnium plenitudinem hæreditariè possidemus, ob peccatorum nostrorum Remissionem, omniúmque Parentum, nec non Liberorum perpetuam salutem, Monasterium Cisterciensis Ordinis ad DEI Gloriam, & honorem sue Beate & Gloriose Genitricis MARIÆ edificare deuouimus. Quod etiam Monasterium coram Ministerialibus nostris in Placito nostro Niwenburch solempni possessionum donatione dotavimus.

Ut eleemosinis redimat peccata, devovit Monasterium Cisterciense, atque dotavit.

Inprimis scilicet Locum, in quo Abbatia ipsa sita est, Lilienveld actenus dictum, amodo ob honorem Domine nostre Vallem Sancte Marie dicendum, de jure possidentium lege concambii, ac præponderanti recompensatione, cum omnibus pertinentiis suis exemtum, & certis terminis distinctum, contulimus.

Vult illud pro veteri nomine *Lilienveld* appellari *Vallem S. Mariæ*.

 Sunt

Termini Monasterii, per Montes, Valles, ac rivos varios, ultra Dürniz, Montémque S. Annæ, per plures leucas.

Sunt autem hi. A predio *Hertwici* Militis *de Hoube* sursum, prout defluit aqua, que vocatur *Wisentpach*, usque ad caput ejusdem fluvii. Dehinc per juga Montium adjacentium, donec veniatur ad lapidem in pede jam dictorum Montium, ubi confluunt fluvii, *Nandispach* videlicet & *Treisim*. Dehinc per transversum predictarum Aquarum ab opposito lapide per collem *Stainborz* appellatum, & per adjunctos montes, prout defluit Aqua pluvialis, usque ad locum, ubi oritur amnis, qui *Retse* appellatur. Abhinc gyrat usque ad originem torrentis, qui *Durnz* (Dürniz) dicitur. Postmodum circuit omnes Montes, dum perveniatur ad fluvium *Erlaf*. Deinde reflectitur, & descendit usque ad predium Domine *Hadmudis*.

Donat eidem omnia hos intra terminos contenta.

Præterea Nemus nostrum, & Foreste totum integrúmque, sicut illud justè, ac proprietariè possidebamus, tradidimus, cum Forestariis videlicet, Silvis, Lucis, Pascuis, Pratis, Ortis, Pomeriis, Terris cultis & incultis, Montibus, Vallibus, Aquis, Aquarúmque decursibus, Molendinis, Piscationibus, Viis & inviis, exitibus, & reditibus.

Villam *Wilhelmsperg*.

Addentes nihilominus universos Mansos, ad Amministrationem *Wilhalmspurch* pertinentes, & quidquid in eadem Villa, quidquid in ipsa Parochia proprietario jure habebamus, totum dedimus, cum Mancipiis & Censualibus utriusque sexus.

Item *Hainfeld*.

In *Hainvelt* quoque, quidquid nostrum erat, cum Nemore adjacente, Pratis, Aquis, Piscationinibus, aliísque attinenciis, item Mancipiis, ac Censualibus utriusque Sexus. Sed & Mansos xij. qui *Vorsthube* appellantur, memorato loco assignavimus.

Mansos in *Vorsthube*.

His

Hic jam commemorandum, quòd huic Donationi duo Fratres Ministeriales nostri, *Leutoldus* scilicet & *Chunradus de Altenburh*, reclamare nitebantur, asserentes, se aliquid juris in Foreste usque ad id tempus quietè possedisse. Quibus cùm certa ratione potuissemus obviâsse, ne quid tamen inconsultiùs, vel potentia magis, quàm ordine judiciario in eos temptaremus, vocatis Consiliariis nostris, & Ministerialibus, & aliis quampluribus, Wilhalmspurch accessimus, & Vicinis, & Cognatis predictorum, qui terminos, & limites illius Regionis perspicuè noverant, Questionem, que inter Nos, & predictos Fratres vertebatur, plenariè patefecimus. Qui ventilato hinc inde Verbo, & solicita examinatione discusso, jurati coram Sanctorum Reliquiis, ibidem in medio positis, dixerunt, sepe dictos Fratres in his, de quibus reclamaverant, nihil juris habere, sed hec omnia ad Nos, tam Paterna successione, quàm Principatus nostri ratione, pertinere firmiter asserebant. Licèt autem per Assertionem predictorum, nec non secundum Terre nostre Consuetudinem, per sententiam omnia Nobis predicta essent adjudicata, Nos tamen pro eorundem Dilectione, & Ministerialium nostrorum Favore, ac precipuè, ut Holocaustum nostrum pingue fieret, mitiùs cum eis agendum putavimus.

Reclamatio DD. orũ de Altenburg.

Per Sententiam Judicum sub jurejurando coram Sacris Reliquiis rejecta.

Favente nihilominus Duce, & mitiùs agente.

Pro his ergo, que in sortem Monasterii, & partem Fratrum placuit conferre, sed & pro Monte, in quo Castrum, quod *Hohenstaufe* vocabatur, situm erat, quem & ipsis presentibus, & benignè annuentibus, Monasterio eidem, exceptâ culturâ, & silva in ipso Monte, contulimus, hac sane Ordinatione interposita, ut jam dictus Mons nunquam, vel à Nobis, seu ab aliquo Liberorum, aut Successorum nostrorum, nec ab aliquo homi-

Circa desolatum Castrum *Hohenstauf* conventio.

hominum in perpetuum reedificetur, & pro Opere Burgensi, predictis duobus Ministerialibus, ad Consilium Amicorum eorundem, congruam dedimus Recompensationem.

Compensatio Altenburgicis facta.

Est autem hæc Recompensatio. In *Dürrenlinz* (Dürniz) Redditus xv. talent.[rum] & dimid.[ii] In *Giselbrechtes* vij. tal.[rum] & lx. denar.[rum.] In *Ragz* juxta *Polan* vij. tal.[orum], & xv. denar.[orum.] Et, ne aliqua prorsus discordia inter Fratres *de Lilienveld*, & predictos Ministeriales nostros *de Altenburch*, sive ab ipsis, sive ab eorum sequacibus, possit in perpetuum suboriri, de predicto Nemore, quod eidem Cenobio contulimus, partem quamdam eisdem duobus Fratribus segregavimus, in hunc modum distinctam. A fluvio *Halbach* usque in fluvium *Wizenbach*, & ab eodem fluvio sursum usque ad Montem, qui dicitur *Eschinstauf*: inde usque ad Alpem, ad locum videlicet, ubi oritur fluvius, qui vocatur *Wisintpach*. Quidquid ergo his terminis includitur, ad sepedictos Ministeriales nostros pertinere noscatur, exceptis Piscationibus à fluvio *Wizenpach* infra, quas communes esse decernimus, tam Fratribus Cenobii nostri, quàm antefatis duobus Fratribus. Omnes autem Piscationes ultra fluvium *Wizenpach* ad solos Fratres statuimus pertinere.

Nemoris antea nobis collati pars eisdem segregata.

Piscatio ex parte eisdem nobiscum communis facta.

Confert nobis multa juxta & trans Danubium.

Contulimus & eidem Cenobio nostro in *Razlansdorf* xxvj. Mansus, & Mageriam unam. (*) In *Redingenprune* xix. Mansos cum Mageria. In *Wempriches dorf* xxj. Mansum & dimidium, & Mageriam. In *Phrumna*, & in *Gange* xiij. & dimidium, & Insulam in Danubio, que vocatur *Kerphenwerde*. In *Lengenveld* Mageriam

(*) *Mansus* erat Villa uni colono propria, fundúsque cum certo agri modo. Uberiùs hoc exponam Tom. IIII. *Mageria*, pariter uti *Grangia*, Villicalem curiam denotat, quæ regulari curæ & inspectioni subest, & usi Oeconomiæ intenditur.

am cum omnibus pertinentiis ſuis. In *Strezing* vj. Manſos & dimidium, & Mageriam. In *Wizenpach* redditus trium talentorum. In *Cremis* Curiam noſtram, cum Capella, & Vinea adjacente, & Silvam in *Muleneck* propriis terminis diſtinctam. Preterea Predium, quod in Marchia apud *Polan* ſitum, ſolvens annuatim xxx. Marcas, dedi ad uſum Olei Fratribus, & Lumina Sanctorum concinnanda.

Item in *Strezingen* xx. Manſos, & totidem Jugera Vinearum. Duas etiam Vineas in *Cremis*, unam in *Frechowe*, alteram in Monte, qui vocatur *Vinitorum*. Duas prope *Phaffeſteten*. In *Welantſtorf* vj. cum uno Manſo. Inſuper in Regione, que vulgò *Vorſt* dicitur, quidquid juris, & reddituum à Comitibus *de Schalach* ad Nos fuerat devolutum. Donavimus tres quoque Domos, unam *Wienne*, aliam in *Nova Civitate*, tertiam *Cremis*: quas etiam ab omni publica exactione liberas eſſe concedimus. Omnia, inquam, hæc, Fratribus Monaſterii noſtri perpetua ſtabilitate manſura, per preſentem paginam, annuentibus Liberis noſtris, donamus perpetuò poſſidenda.

Vineas complures.

In *Vorſt* hæreditatem ſuam à Comitibus *de Scala*.

Tres Domos Liberas.

Paci quoque predictorum Fratrum in omnibus conſulere volentes, ac proſpicere Libertati, decernimus, ut nulli Succeſſorum noſtrorum, vel ſubditorum liceat, in poſſeſſionibus cunctis eorum, quas & habent, & habituri ſunt, Jurisdictionem uſurpare, vel Solutiones, quas Judices, & Advocati exigunt, expetere, Munera ſeu Donationes poſtulare, aut ullas omnino Exactiones extorquere: ſed ipſi Fratres Rerum ſuarum habeant plenam Poteſtatem. Porro ſi violentus raptor, aut fur manifeſtus in ipſorum locis deprehenſus fuerit, cum veſtitu ſuo, cingulo compre-

Inhibet omnibus Jurisdictionem noſtris in Locis: & vetat Exactiones quascunque à nobis.

henſo, de Locis ipſis ab eorum Officialibus, qui Villis præſunt, educatur, & Judici offeratur.

Concedit Vectigalium Immunitatem. Ab omni etiam Vectigalium, & telonei, ſive pedagiorum ſolutione ipſos Volumus fore immunes, ita ut de rebus, quas ipſi, ſeu homines eorum, ad uſus Fratrum undecunque vehant, nullus in aliquo noſtre ditionis Loco quicquam ſub juris cujusquam nomine extorquere preſumat.

Adjicit robur Sigilli. Atque ut hec omnia rata, firma, fixáque perhenni ſtabilitate permaneant, preſentem Paginam communiri fecimus per Sigilli noſtri impreſſionem, & Teſtes ſubnotatos: Quorum hec ſunt Nomina.

Item Teſtium plurimorum. *Chunradus Comes de Plagen.* Otto *de Lengenbach* Ratisponenſis Advocatus. Wernhardus & Hainricus *de Schowenberch.* Hadmarus *de Chunringen*, & Filii ejus *Hadmarus* & *Hainricus.* Hainricus *de Zebingen.* Ulricus Marſchalcus *de Valckenſtain.* Wichardus de *Veldeſperch*, & Filii ejus Kadoldus & Wichardus. Hadmarus de *Sunneberch.* Hadmarus de *Paumgarten*, & Kadoldus Frater ejus. Hugo de *Raſtenberch.* Rudolfus de *Potendorf.* Chunradus de *Ottenſtain.* Ulricus de *Marbach.* Albero de *Swarzenawe.* Hainricus de *Prunne*, Filiúsque ejus Hainricus. Leopoldus de *Molanſtorf*, & Hugo Frater ejus. Otto de *Werde.* Chunradus de *Ramenſtein.* Hainricus de *Meigenberch.* Leutoldus & Chunradus Fratres de *Altenburch.* Minhardus de *Imzeinſtorf.* Hainricus de *Schivrenpach.* Sighardus *Biber.* Hainricus de *Charelſtetin.* Albero de *Merchenſtein.* Ulricus de *Zelkingen.* Helmwicus de *Griez.* Ortolfus de *Ronneberch*, & Ortolfus Filius ſuus. Ortolfus de *Schiltarn.* Chunradus de *Stritweſen.* Ulricus de *Stoutze*, & Filius ejus Ulricus.

cus. Wernherus *Bannse*. Otto de *Bertoltstorf*. Hermannus de *Cranchenberch*. Chunradus de *Arberch*.

Datum est in Niwenburch Anno ab Incarnatione Domini M. CC. IX. Indictione XII. Id. Aprilis. Anno Ducatus nostri in Stiria XVI.to In Austria XImo. Per manus ULRICI Notarii.

SIGILLUM

Hic dependens, quod est gemina facie, pingetur Tom. IV. Tab. XXI. n. I. & exponetur ibidem Recensus Diplomatico-Genealogici Part. I. Libr. II. Sed V. nota d.

XLV. His largissimis Concessionibus Clementissimus Princeps ac Parens noster, Jure toto, quod ipse habuit in iis, quæ donavit, in nos translato, Campililii necessitatem ita munificè sublevavit, opportunitatem benè faciendi, merendíque de DEO, de se, de Patria tota subministravit, quietem tranquilitatémque nostram procuravit, ut nihil in omni bonorum genere defuisset, nisi omnis ætas ejusmodi homines ferret, qui tantâ licentiâ sunt, ut sola ipsis Regula sit sua voluntas, quibúsque neque Leges Divinæ, neque humanæ, froenum injiciunt, metúmque salubrem futuri incutiunt. Quam sæpe multúmque damno non minimo id experti sint nostri, subsequentia perspicuum facient. Et vel ideo operæ pretium non duxeram, Loca, & Jura, speciosissimo hoc Diplomate tam ubertim collata, appositis Notulis illustrare. Cùm námque paucissima eorum lapsu temporis vexatione gravi frequentíque caruerunt, identidem occasio mihi nascetur, de singulis propè iterum iterúmque cum planctu differendi. Cur Literæ istæ nullis Notulis illustrentur.

Annus 1210.

XLVI. Absoluta sunt tandem fundamenta grandis Ecclesiæ ingenti labore: in qua plus Dux fundator ostendit Magnificentiam suam, quam ostendere minùs sibi licuit in Claustri Ædificiis. Quia Dominus *Marquardus* Abbas Fundamenta Templi nostri absoluta.

//S. Crucis, & Dominus *Ockerus* noster//, humiliter, & orantes ei suggerebant, paupertati Religiosæ Cisterciensium simplicia tantùm habitacula convenire. Idem Dux, ad ampliora bona se semper extendens, hoc Anno instituit Hospitale pauperum in Chremis, cum Capella sancti Stephani, & pro sustentatione Pauperum donavit Ecclesias in Muzliche, & Drezinge. Monasterium verò cœpit habere frequentiam pauperum, quos multum Abbas *Gebhardus* dilexit.// Ita *Ortilo* ad hunc Annum.

Laudabile certamen inter Liberalitatem Ducis Fundatoris, & nostrorum humilem Paupertatem.

XLVII. Qua magnitudine, firmitate, suíque ævi elegantia præstet Ecclesia nostra, quam hodie quoque multi, quibus Antiquitas digno in pretio est, admirari coguntur, quantámque Serenissimi sui Conditoris Magnificentiam exhibeat, ubeRiùs ex Descriptione Monasterii, initio præmissa, liquebit. Tametsi porro cætera quoque Ædificia Regularia, quæ apud nos etiamnum ab antiquo supersunt, uti Ambitus inferior, Ecclesiæ conjunctus, Refectorium, Dormitorium, sua majestate non careant: discimus tamen hìc ex *Ortilone*, ampliora omnia, ac Nobiliora futura fuisse, si, quantum se Animus Principis Munificentissimi voluntate sua exporrexerat, tantum etiam opere per humilitatem nostrorum exsplicare potuisset. Utrisque laus eximia perstat: quòd & Fundator Divinis honoribus in nullo cum facultate sua deesse voluerit, & nostri Animorum potiùs decus à virtute parandum, quàm superfluo suæ Domus decore Religionem aforis duntaxat ostentandam existimaverint.

Dux fundavit Hospitale Pauperum Cremsii.


XLVIII. Cùm deinde Scriptor noster referat, Ducem Fundatorem hoc Anno *Hospitale pauperum in Chremis instituisse cum Capella S. Stephani*, sic illud accipi velim, ut Xenodochii Author & Conditor, illud juxta Capellam hanc struxerit, vel ei hanc Capellam tradiderit, à Benedictinis Scotis Viennensibus per concambium qualecunque impetratam. Aliàs enim è Literis Fundationis Antiquissimi ac Celeberrimi Monasterii B.M.V. ad Scotos Viennæ, An. 1158. datis, & à me in Propyleo Elog. VIII. §. IV. n. XV. adductis, constat, *Henricum Jasomirgott* Ducem Fundatorem, eidem Cœnobio, in cœteris Possessionibus, *Capellam* quoque *S. Stephani in Chremis* contulisse. Quamvis per annorum 50. intercapedinem, sive vetustate, sive quacunque alia temporum injuria, fabricæ multæ, tam sacræ, quàm profanæ, intercidere facillimè possint, novùmque Instauratorem exspectent. Quas Parochias, Meuslingensem ac Drefingensem, pro Pauperum sustentatione Dux noster præfato Xenodochio annexuisse asseritur, eas biennio postea, una cum Hospitali, Campililio nostro, favente sibi D. *Manegoldo* Episco-

po

po Pataviensi, contribuit: quemadmodum ex *Ortilone* Decade altera audiemus.

XLIX. Quod verò ille postremò hunc ad Annum observavit, cœpisse in Campo nostro *frequentiam pauperum, quos multum Gebhardus Abbas dilexerit*, commune fuit universi Sacri Ordinis nostri Elogium, uti frequenter admodum advertit Rever. *Manriquens* noster: immo Causa pariter exstitit, cur Summi Pontifices, alii initio statim contulerint, alii perpetuò confirmaverint nostris Immunitatem à Decimis, & cujuslibet generis præstationibus. Quia nimirum, admirante & amante Mundo, toto studio egerunt, quod etiam D. *Marquardus* S. Crucis Abbas Filiis, è Gremio suo ad Campum nostrum dimissis, Primísque apud nos Regularibus Colonis, impensè commendaverat, *ut paupertatem experirentur in se, Hospitibus verò, ac Pauperibus Charitatem exhiberent.* Strenuè id Campililii pios Majores nostros executos esse, compluribus deinceps publicarum Literarum, à diversis Benefactoribus, qui hoc usu didicerant, editarum testimoniis, & elogiis comprobabitur.

Apud Campililium frequentiamus pauperum.



DECAS II.

Ab Anno MCCXI. usque MCCXX.

§. I.

Res Principum, & Patriæ.

Annus 1211.

I. CÆsarem inter *Ottonem*, Papámque *Innocentium* eo loco res erant, quo pejore non possent. Spe etenim omni bonæ frugis referendæ delusus Pontifex, iniquissimum tulit tam impensi pro *Ottone* studii sui proventum: adeò, ut, quem antè tantùm non in cœlum sustulerat, nunc omnibus dirarum formis, cùm per Italiam, tum per Germaniam execraretur, postquam nullo eundem placidæ compositionis modo, toties tentato, in ordinem animi cogere potuisset. Pergebat nimi-

Innocentii Papæ, & *Ottonis* Cæsaris maxima discordia.

nimirum *Otto* consiliis, decretis, & armis evertere res Italicas, maximè Siculas, ut *Fridericum*, quem æmulum Imperii credidit, expelleret. Præsules vel adjungere sibi contra Papam tentabat, vel in eosdem ulcisci præsumsit. Unde & *Eberhardum* Archiepiscopum Salisburgensem, ad se in Italiam accitum, quia suas in partes pertrahere nequiit, carceri dedit. *Mangoldus* Pataviensis iram sacrilegam fugâ prævênit. Aliis omnibus tam Præsulibus, quàm Clericis, custodes in urbibus atque Castellis disponens, è Germania præcipuè viam ad *Innocentium* præclusit. Sed multò eundem cura gravior habuit, ne Rivalis *Fridericus*, quem noverat voto Pontificis, studio Romani Populi, Principúmque Germaniæ nunciis, ad Imperii Sceptra evocatum, exitum per alpes reperiret. In quo tamen frustra fuit; quamvis non hoc, sed altero demum Anno *Fridericus* Germaniam intraverit. Huic interim Voto suo Princeps quoque noster *Leopoldus* accessit: de quo id unum, sed solus & unicus, hoc Anno oportunissimè prodidit *Ortilo* noster: *Mccij. LIUPOLDO Duci in nova Civitate nascitur tertius Filius FRIDERICUS xvij. Kal. Julii.* Atque hic tandem erat, qui Patrios fasces capturus esset, multo autem cum discrimine retenturus, nullique Filio traditurus.

Leopoldo Duci nascitur tertius Filius Fridericus.

Annus 1212.

II. IMperiô novos inter æmulos, quod statim ajebam, rursum in fluctus & procellas conjectô, *Otto*, quas poterat, sed illas paucissimas Italiæ Civitates, beneficiis, ut sibi obsequerentur, devinciens, in Germaniam festinavit, utque *Conradus de Fabaria* Presbyter & Monachus S. Otmari de Casibus Monasterii S. Galli apud *Goldastum* Scriptor Tom. I. p. 81. ait, *gravis Italicis, Alamannis gravior, suis ingratus, fines attigit Alamanniæ. Annullo sibi Principe occurritur, nulli gratus excipitur.* Conscripsit nihilominus Imperii Senatum, teste *Godefrido* Coloniensi, *& apud Nurimberg celeberrimam Curiam circa Pentecosten habuit: ubi in omnibus, qui præsentes erant, causam Werræ* (i. e. discordiæ) *inter ipsum & Papam innotescit*, h. e. notam fecit. At verò hæc Comitia metus potiùs, quàm fides coëgit, uti & exercitum, quem deinde infelix Cæsar in Thuringos eduxit. Collecturus tamen qualemcunque Principis affectum, standum sibi esse rebatur voluntati eorum, cùm sibi Imperium annuerent. Norimbergâ itaque è Curia digressus, *Northusium* accessit, ubi, juxta *Godefridum* eundem, *Nuptias celebravit, ducens Filiam Philippi Regis, quæ sibi desponsata fuerat: quæ verò quarta die rebus excessit humanis*, brevitate connubii velut in omen brevis Imperii transeunte. Chronicon tamen Rythmicum vernaculum *Brunswicense* apud Jll. *Leibnitzium* Scriptor. Tom. III. p. 123.

Otto in Germaniam redit.

Nubit: sed statim iterum viduus.

123. idem Connubium decantans, vitam novæ Augustæ diebus quatuordecim prorogat his metris, ex gemino exemplo duplici in columna sibi oppositis sub n. 60.

Dat Megetin hochgeborn	*Das Frawelin hochgeborn*
Dat starff binnen Virtein Nachten,	*Starb binnen Viertzen Nachten,*
Do van Christus Gebort sek brachten	*Da von Gottes Geburt sich brachten*
M. unde CC. unde XII. jar.	*Tausent zweyhundert und zwölff Jar.*

Interim *Ottonem* tam diu dilatæ Nuptiæ, ab his verò tam subita *Beatricis* Conjugis mors gravem in suspicionem apud multos adduxerunt.

III. *Fridericus* contra, Siculorum Juvenis Rex, *Henrici VI.* quondam Imperatoris Filius, *Frederici* I. Barbarossæ Nepos, in Chronico *Riddaghusano* dictus *Fredericus de Scouse*, i. e. *Hohenstauffen*, Principum Sueviæ Augustorum Natali solo, ex *Constantia* Aragonica, olim Hungariæ Regina, cui Dux noster *Leopoldus* cum Filiolo hospitium, tutúmque perfugium præbuerat, jam Primogeniti Filii *Henrici*, nostri Principis Filiæ nupturi, Pater, uti Abbas *Urspergensis* fidem facit, *Relictis Uxore & Terra, iter arripuit ad accipiendum Imperium, & primò Romam applicuit.* Exactiùs Chronologus Cisterciensis *Fossæ Novæ* ajebat. *FRIDERICUS Rex Siciliæ, sola misericordia DEI vocatus in Alemanniam Electus Imperator, arripiens iter - - - VI. Kal. April. quod fuit Sabbato Palmarum, applicavit Gajetam: ibi honorificè receptus, & ministratus, mansit per mensem, postea ivit Romam.* Curâ deinde Pontificis à Mediolanensium, qui *Ottoni* fidem servârunt, insidiis per Genuenses, Papienses, Cremonenses, & Marchionem Estensem, usque ad Vallem Tridentinam conductus fuit. Sed has per Alpes itinere sibi propter *Ottonis* curam nuspiam tuto, viam arduam ac difficilem super asperrima loca, & Montium juga reflectere coactus, pertigit in Rhetiam Curiensem. *Veniens igitur*, ait *Conradus Fabariensis* suprà laudatus, *primò à Curiensi Episcopo, postmodum à nostro suscipitur Abbate UDALRICO* (nimirum San-Gallensi) *ipsiusque ducatu, & auxilio, ultra montem, qui Rukkenhein appellatur, ad Monasterium usque perductus, honorificè ab ipso suscipitur, & ad Constantiam usque suo ducatu perducitur, Ottone interim ad Uberlingas cum suo manente exercitu. Episcopus CUNRADUS de Tegerfeld* (Constantiensis) *interim non benè animatus, licèt excommunicatum Imperatorem audierit, suorum quorumdam Consilio ipsum in Civitatem, non sine periculo sui, aliorumque multorum admisisset. Animosior autem factus viso Abbate, cum tanta Militum*

Fridericus à Sicilia in Germaniam venit.

litum frequentia, ponte munito, locum dedit, ut excommunicatus non solùm, sed & omnibus denunciaretur esse vitandus. Et hæc per Episcopum Barensem Legatum Apostolicæ Sedis, qui cum Rege eò loci aderat, ita facta sunt. Singularia hæc, quæ alii sive ignorarunt, sive tanquam minora præterierunt, ego tantò curatiùs adscripsi. Quàm æqua autem fide, colligat Lector subsequenti è paragrapho, quem *Fabariensis* post pauca subnexuit. *Nostra tunc temporis in honore permaximo floruit Ecclesia. Quidquid in causis subtile, & in Regni negotiis, nostro indagandum reservabatur Abbati.* Domestico itaque huic Scriptori in Rebus *Friderici II.* Cæsaris, posteaprolixiùs exponendis, fidem ante omnes, ubi affectus non obstat, habendam esse confido.

Prævenit *Ottonem* Constantiæ.

IV. Præallatis porro ejusdem, ingressum *Friderici* Constantiensem quod attinet, lumen haud modicum affundit *Rigordus* in Gestis *Philippi* Francor. Regis ita referens. *Transivit per Comas, transivit Alpes, & intravit Alemanniam, & venit Constantiam. Digna res memoria, quòd omnis, qui intendit Ecclesiam DEI deprimere, in brevi dejicitur. Eodem die venturus erat Otto in eandem Civitatem, & jam præmiserat famulos suos, & coquos, qui jam cibos paraverant, nec distabat à Civitate per tres leucas, quando FRIDERICUS cum sexaginta Militibus intravit: quem Otto cum ducentis Militibus, ejus adventum sciens, sequebatur. Sed Friderico recepto, clausa est Ottoni janua, & ipse cum suis viliter est repulsus: & dicunt, quòd si Fridericus moram fecisset per tres horas, nunquam intrâsset Alemanniam.* Pergit iterum *Fabariensis* in hunc modum. *Rex interim Basileam usque consultu Abbatis, & quorumdam Magnatum auxilio progressus: cui Abbas cum magna militum frequentia non parvo adfuit tempore, quousque Imperator ad Brisachum veniens, turpiter inde fugit, & in Saxoniam, unde venerat, redire compulsus est. Fridericus autem,* quod addit Scriptor incertus apud *Urstisium* Tom. II. præmissus *Alberto* Argentinensi, *obsesso, & dedito sibi Castro Hagenowe, quod adbuc tenebant fideles Ottonis, veniebat de Civitate in Civitatem, & receperunt eum, & in brevi obtinuit terram.* Primam Curiam habuit Moguntiæ, eámque Celebrem ac frequentem in festo S. Andreæ, ubi multi Principum ipsi fidem jurarunt, feuda sua eidem recognoscentes, juxta *Godefridum* Coloniensem. Alteram Francofurti VIII. Id. Decembris ipsis D. Nicolai Solemniis, notante Chronico *Augustano,* electus ibidem, & Augustus appellatus.

Prima Comitia agit.

Enickelii anilis Fabula de ejus adventu, ut nfantis,

V. Horum coævorum testimoniis manifestè jam liquet, quàm turpiter olim *Joannes Enikelius* in Chronico suo Metrico

co imposuerit Austriacis, licèt ipse pariter sinchronus: dum non modò fingere ausus est operâ Ducis nostri *Leopoldi* Regem Siculum *Fridericum* per *Albertum de Justingen* Ministerialem Austriacum, dum adhuc infans esset, ex Apulia in Germaniam inductum esse: sed ne sic quidem apud Cl. *Hieron. Pezium* Tom. II. p. 543. comminisci erubuit de prædicto *Alberto*. per Leopoldum Ducem procurato.

Ein Krachsen gewann derselb Man,
Und sazt das Kind darin:
Auf seinen Rucken trug er ez hin
Zwar in dew Tawtschen lant.
Datz ward den Fursten bechant.
Die wurden herczenleichen vro,
Daz in daz Kind wart komen do.

Do er daz Kint do pracht,
Alz er im het gedacht:
Do rait der Herzog Lewpolt
Zu im, und gab im reichen solt.
Er gab im rotes Golt, daz wack
Mer dan Vierhundert Marck.

* * *

Satis hujus fictoris pudendas & aniles fabulas dudum execratus est Vir Clarissimus, qui hoc fragmentum, præter alia, certè ideo solùm edere voluit, ut Austriacos doceret, quàm absurdissimis hactenus fabulatoribus in suæ Gentis Historia improvidam nimiùm fidem crediderint.

VI. *Leopoldum* Ducem, ne Exceptioni *Friderici*, primísque ejusdem curiis interesse posset, graviora negotia distinuêre. Cùm námque An. 1210. *Miramamolinus*, aliis *Mahomad*, Maurorum Rex barbarus *Salvaterram* Castrum nobilissimum fortissimúmque, & maximum Regni Castellæ præsidium, cujus tutelam Cistercienses Milites Calatravenses susceperunt, tribus mensibus obsessum, quia nullæ adveniebant suppetiæ, occupâsset, muris confractis, defensoribus occisis: Rex *Alfonsus* ultionem totis animis meditabatur. Sed imminebat eidem tantùm belli pondus, quod ipse unus cum Regno suo sustinere minimè posset. Albigenses quippe hæretici in Gallia Narbonensi, quorum Provincia Hispaniæ confinis erat, & in quos Cruce undique prædicata grandes exercitus omni ex parte appropinquabant, hanc molem armorum à se amoliri cupientes, incitârunt Mauros, ac Saracenos Africanos, ut multitudine decumana Hispaniam adorientes, fidelium arma illuc revocarent. Quod inaudiens *Alfonsus* Castiliensis, non modò *Petrum* Aragoniæ, & *Sanctium* Navarræ Regem in opem requisivit: verùm etiam supplicavit *Innocentio*, ut Crucem in Saracenos Occidentis non minus, quàm Orientis, prædicari decerneret. Annuit hic perlubenter, cùm ut Religioni Catholicæ consuleret, tum pariter, ut Ordi- Dux noster Curiis Friderici non interfuit. Prædicabatur enim Crux in Saracenos Occidentales, Hispaniam inundantes.

nem Cistercienſem, tot membris ſuis in Salvaterra multatum, vindicaret: quin etiam ut propriam Sedem Sanctam ulciſceretur, cui mandaverat *Miramamolinus*, ut habet *Cæſarius* noſter Heiſterbacenſis Libr. V. cap. 21. *quia equos ſuos in Porticu Eccleſiæ beati Petri vellet ſtabulare, & ſuper illam Vexillum ſuum figere.*

Illuc ipſe feſtinus ſe contulit.

VII. His auditis zelo DEI ſuccenſus Princeps noſter Auſtriacus, ex quo Cruce in hoſtes fidei & Eccleſiæ jam dudum ſignatus erat, paris meriti fore exiſtimavit, ſive Oriente, ſive Occidente Sole teſte, Militem ageret Chriſti, Crucíque propugnandæ chara omnia, Uxorem, Liberos, Patriam, Principatum, Sanguinem, Vitam, Chriſtiana fortitudine poſthaberet. Ruptis igitur derepente, quia mora periculum habebat, his omnibus vinculis, quæ ſegniorem alium animum, ſive diu ſuſpendiſſent, aut planè retinuiſſent, collecta Nobilium atque Militum generoſa & valida, quamvis non maxima manu, ne copia feſtinanti incommodaret, in Hiſpanias movit. Non tacuit hunc ardorem *Ortilo* noſter, enarrans ad hunc Annum. *Dux LIUPOLDUS cum multis Militibus proficiſcitur in Terram S. Jacobi contra Mauros in obſequium Crucis Dominicæ.* Mirum tamen mihi, nihil hìc penitus commemorare Scriptorem noſtrum de commendatione ſui in ſuorum Campililienſium preces: qualem tamen eum poſtea tam devotè feciſſe, dum rurſum in Paleſtinam abiturus eſſet, ſuo loco ac tempore leges. Argumento mihi hoc eſt planè celeris, & in arena quodammodo capti conſilii, hanc Profectionem ſuſcipiendi.

Scriptorum Auſtriacorum circa hoc errores.

VIII. Meminêre hujus ejusdem Expeditionis pariter Chronica, *Cl. Neoburgenſe*, & *Admontenſe*, item *Anonymus Zwetlenſis* apud *Cl. Hier. Pezium*: *Auſtrale* quoque Chronicon apud *Freberum*, & aliud MS. *Zwetalenſe* in Annal. *Zwetlenſ.* Tom. I. p. 259. Quorum verò omnium hæc eadem phraſis eſt, ne uno ferè apice vario: *MCCXIII. LEUPOLDUS Dux Auſtriæ & Stiriæ cum magno comitatu ad Terram S. Jacobi ad debellandum Paganos tranſierat.* Ubi tamen Annus ex dicendis certiſſimè fallit. Prolixior aliquantulum *Haſelbachius* ita ſcripſit. *Iſte LEOPOLDUS, Dux Auſtriæ & Stiriæ, cum magno Comitatu in Galliciam, S. Jacobi Terram, contra Saracenos procinctum movet Anno Domini 1213. & quarta Julii conſerto prelio, cùm Saraceni feroces noſtratium animos ferre non valerent, magno cum detrimento terga vertere coacti ſunt.* Hæc ita narrata, ut pronum ferè cuilibet eſſe debeat, opinari, non minimam tunc Victoriæ partem noſtro in Principe ſtetiſſe. Unde nihil hæſitans *Cuſpinianus* ſcribebat tempore ſuo. *Cùm Saraceni ex Africa trajeciſſent in Hiſpaniam, cunctáque ferro & flamma evaſtarent, LEOPOLDUS Dux Auſtriæ cum ſuis illos ipſos in Hiſpania aggreſſus, in Gallicia Manus cum ipſis conſeruit, deque hoſtibus triumphavit.* Verumtamen floren-

florentiſſima hæc Adorea Hiſpanis, antequam Germana Signa eorum ad labara jungerentur, non tam propria, quàm perſpicua Cæli virtute, adolevit.

IX. Etenim *Leopoldus* per Galliam tendens, & ad provincias, Tolosanam atque Narbonenſem, pertingens, ubi ſtrenuè in Albigenſes ab aliis Cruce ſignatis multo cum triumpho pugnatum fuerat, complures ex eis viæ in Hiſpaniam ſocios accepit. Quare rurſum fallere videtur hæc Narratio Annalium *Zwetlenſium* Tom.I. p. 258. ad Annum MCCXI. undecúnque ſit hauſta. *Hoc anno ingens numerus Cruce ſignatorum ex Germania, Belgio, Galliis, & Hiſpania, ſub ſigno Comitis Montfortii adverſus Albigenſes Hæreticos in Provinciam Narbonenſem confluxit. Præcipui numerabantur* LUPOLDUS *Dux Auſtriæ*, *Adolphus Comes de Monte. &c.* Hæc enim verba quaſi innuunt, Ducem noſtrum ex condicto in Albigenſes, & quidem jam Anno 1211. profectum fuiſſe. Unde & addit Reverendiſſimus Annaliſta *Zwetlenſis* quaſi ſubdubitans: , *Cuſpinianus* Leopoldum Au-, ſtriæ Ducem contra Saracenos in Hiſpaniam, non verò con-, tra Albigenſes profectum eſſe aſſerit. Auctor verò quidam , MS.^ti Chronici contra Saracenos quidem profectum eſſe in Hi-, ſpaniam, in Gallia verò cum iis conflixiſſe. ' Sed ancipites hos Sermones *Ortilo* ſic evolvit, pergens de *Leopoldo* poſt ſuperiùs allata: *Dum Galliam tranſit, pugnat in Albigenſes. Sed Aragoniis Regibus DEUS victoriam dedit, antequam adveniret.* Ex occaſione itaque, & uno, ac forſitan proximo conflictu, adverſus Albigenſes cum cæteris exiiſſe, credibile eſt, nè à fine ſuo, propter quem domo abiverat, exerraret: maximè cùm *Alfonſus* Caſtilianus diem Expeditionis in barbaros à ſe conſtitutam eſſe Octavas Pentecoſtes, in Epiſtola ſua *Innocentio* Papæ inſinuaverit. Qui eapropter in Urbe Roma omnibus omnino hominibus utriusque ſexus, quosquos Valetudo non impediret, Eleemoſinam, Jejunium in pane & aqua, ſolemnémque nudis pedibus, ſe Duce, ſupplicationem, in diem quartam Pentecoſtes, pro Victoria Hiſpanorum impetranda indixit. Ergo Milites Chriſti eò tendentes morari non debuerant.

Iter Ducis noſtri fiebat per Galliam.

An ibi pugnaverit in Albigenſes.

X. Quàm porro clementer mox dictæ Supplicationi annuerit è Cælo DEUS, teſtabantur occupata Caſtella, & Urbes, cum internecina barbarorum clade: in qua cæſa ſunt eorundem facilè Centum millia, ac multò plura capta, tantúsque ſagittarum & lancearum hoſtilium cumulus in acie remanſit, ut integer Chriſtianorum exercitus, biduò ibidem demoratus, in coquendis panibus, cibis, cunctísque aliis, in quibus igne opus fuerat, ad hunc excitandum fovendúmque, lignis

Victoria internecina de Mauris in Hiſpania.

nis non aliis usus fuerit, nisi telis & jaculis istis, quin tamen eorum vel mediam partem absumserit. Quod verò præcipuum, & Auxilii superni manifestissimum testimonium erat, de toto Christianorum exercitu vix demum triginta desiderati scribuntur. Quapropter *Alfonsus* Castellæ Rex in suis ad Pontificem laureatis literis verissimè professus est: *Et sic Bellum Domini à solo Domino, & per solum Dominum est feliciter consummatum.* Triumphatum fuit XIV. Kal. Augusti, i. e. die Julii 19.na Sed à quibus? In Epistola certè Regis mox laudata, & multùm prolixa, quæ est apud *Raynald.* Annal. Eccles. XIII. p. 191. sqq. & apud *Manriqu.* nostrum Tom. III. p. 562. commemorantur quidem Suppetiæ Ultramontanæ Gallicæ, à quibus Victoriarum initium fiebat, ita tamen, ut expugnatis Castris, Majalon, & Calatrava, reversæ in patriam suam, decretoriæ pugnæ, quam soli aggrediebantur Hispani, ne ipsæ quidem interfuerint, si centum quinquaginta eorum, qui remanserant exceperis: Germanici Auxilii mentio à Rege nec verbulo facta. Quinimmo *Rodericus Ximenius* Archiepiscopus Toletanus, qui pugnæ huic ipse interfuit, ac proinde sine dubio Testis est, contra quem excipi nequeat, *Rer. Hispanicar. Libr. VIII. Cap.* 7. narrato Ubedæ barbaræ Civitatis excidio, disertè scribebat. *Redivimus Calatravam, ibique invenimus Ducem Austriæ de partibus Teutoniæ, qui satis in magno venerat Apparatu. Indéque cum Rege Aragonum, cui erat Consanguinitate junctus, in Aragoniam est reversus.* Adhæc Rever.^mus^ quoque *Manriqueus* noster Episcopus Bazensis *Append. Tomi III. Annal. p.* 22. in Serie Præfectorum Militiæ nostræ Calatravensis de *Roderico II.* Magistro, qui hoc in bello vulneratus, & ulteriora ad prelia impotens, Magistratum ultro posuerat, ita testatur. *Excepit tamen Calatravæ hospitio Reges, redeuntes ex prelio, nec non & Ducem Austriæ, qui, serus quamvis, auxiliaria arma ferebat.*

Sed Leopoldo serò veniente.

XI. Nihil itaque *Leopoldo* supererat, confectis per alios omnino jam barbaris, nisi, ut eam Victoribus Regibus palmam gratularetur adeptam, quam sibi præreptam fuisse, citra dubium non segniter doluit. Alibi Laurus præfulgida, qua sua ipse tempora sub eodem Crucis labaro gloriosè incingeret, quinquennio postea adolevit. Quem verò Triumphus, non pariter Meritum destituit. Attrivit perarduo prolixóque hocitinere vires, insumsit opes, exporrexit Voluntatem, concupivit gloriosa Vulnera, & pretiosam in conspectu Domini, si DEUS largiretur, jamjam ibat in mortem. Quamquam verò adversarius ei non erat, eousque tamen illum Christi Charitas ursit, ut nemo Charorum, quos reliquerat, Bonorum nullum,

Caruit ergo triumpho, non autem merito.

lum, quorum periculum subiit, nihil discriminum, in quæ sese conjecerat, retinere potuerit, quin Crucis Dominicæ probra in barbaros ulturus, veluti gigas ad currendam hanc viam exultaret. Præmium tam eximiæ Dilectionis, domum reversus, reperit novum in cunis Pignus Conjugale, iterum nos edocente *Ortilone* post supradicta: *Interim nascitur ei Filia Tertia CONSTANTIA prid. Non. Maij.* Præmium Filia tertia *Constantia.*

XII. Citò autem eum domum festinâsse, irrefragabili documento foret illa charta ejusdem, quàm Carthusiæ Gyriensi in Stiria, laudante Cl. *Puschio*, largitus esse refertur, nisi oppidò timendum foret, eam in mendo cubare. Suprà retuleram *Decad. priori* §.1. n.44. Ducem nostrum Carthusiæ Seitzensi diutius ab Ordine avulsam Solitudinem Gyriensem restituisse: quam ut integrè restauraret, novum ibidem Templum proprio sumtu è fundamentis excitavit. Atque hujus postea Ecclesiæ Dedicationem se per *Eckebertum* Episcopum Babenbergensem curâsse, eámque dotâsse, fatetur concepto diplomate ita subsignato. *Acta sunt hæc Anno Domini Millesi. Ducentes. Duodecimo VII. Id. Novembr. Indict. XV. Datum in Domo nostra Nüwenburch per Manus Notarii nostri* Henrici *Petoviensis.* Ritè quidem hi calculi consonant: illud verò, uti jam admonuit Cl. *Puschius*, non cohæret, preces ac testimonium *Friderici*, quem Dux Filium natuminimum habuit, hìc à Patre allegari: qui tamen nonnisi quartum Vitæ Annum, uti *Puschio* visum fuerat, *Ortilonis* autem liquido testimonio Secundum duntaxat eò temporis agebat. Periit Autographum, hujúsque Chartæ *Leopoldinæ* tenor residuus tantummodo exstat in Confirmationis Diplomate *Friderici Pulchri*, toto seculo postea Romanorum Regis, cui per extensum insertus fuit. Qualiter verò sustineri, vel quo pacto persanari possit, non facilè video, cùm Instrumentum ipsum, aut saltem integrum ejusdem Transumtum, præ oculis non habeam. Quia tamen idem Cl. *Puschius* rursum ad ANN. 1227. Chartam aliam *Leopoldi* commemorat, qua Gyriensia Jura VII. Id. Novem. in Foro Marchburch iteratò sit complexus, suspicari subit, vel hanc posteriorem Chartam insertam fuisse Confirmationi Regiæ *Friderici*: vel planè ipsam Dedicationem, atque Dotationem Ecclesiæ tunc demum contigisse. *Eckebertus* námque Episcopus Babenbergensis, cui Templi Lustratio, prima in Charta imputatur, AN. 1212. exul erat in Hungaria, proscriptus propter necem *Philippi* Regis, se conscio factam, ut fama vulgabat. Et quamvis ex Hungaria facilè in Stiriam transivisset, præsumere tamen non immeritò licet, eundem *Leopoldi* nostri, semper *Philippo* Regi devoti, gratiâ tum temporis vix benè usum esse. Contrà verò, obtentâ à *Friderico* II. Imperatore veniâ, Ecclesiæ suæ postliminiò restitutus, ANN. 1227. certè in Stiria

Diploma ejus pro Carthusia Gyriensi expensum.

Stiria fuit: quando Dux noster, cum Archiepiscopo Salisburgensi *Eberbardo*, Laudum inter eundem, Ducémque Carinthiæ *Bernardum* celebravit XV. Kal. Decembris, testibus *Hoffmanno* in Annal. Bamberg. apud *Ludewig*. col. 152. ipsáque Charta desuper edita exstante *ibid.* in Syntagmate Diplomat. Eccles. Bamb. col. 1141. item Cl. *Hansizio* Metrop. Salisb. p. 326. Quoniam itaque in Annum 1227. conveniunt præsentia *Eckeberti*, Indictio item xv.ma & ætas competens *Friderici* Filii *Leopoldi* ad preces interponendas, ac testimonium præbendum, quippe jam in Annum 17.um adulti, præterea Charta utraque *Leopoldi* pro Gyriensibus subsignata sit VII. Id. Novembris: propè absum, ut ferè persuasum mihi habeam, posteriorem, non priorem Chartam Ducis nostri in Confirmatione Regia *Friderici* fuisse transumtam, Anni epochâ mendosè transcriptâ: vel planè Chartas, quas *Puschius* geminas laudat, non nisi unicam esse. Sed hæc meliùs edoctorum arbitrio sunto relicta.

Construxit Gyriense Templum, atque dotavit *Leopoldus*.

XIII. Interim ut se cunque res habeat, præstat aliquid audire de Beneficentia *Leopoldi* in Gyrienses, quantum ab Excerpto Cl. *Puschii* haurire conceditur. „Ad notitiam omnium cupimus pervenire (scribebat *Leopoldus* in Charta sua) quòd „Cœnobio nostro in Gyrio, *in die Dedicationis Ecclesiæ*, *quam* „ibi ad honorem DEI, & Beatæ Mariæ, & Sancti Johannis „Baptistæ, & beati Martyris Mauritii Ducis & Principis „Martyrum Thebeorum, *propriis sumptibus ædificavimus*, plures fecimus Gratias speciales, & quasdam antèfactas Nobis „placuit confirmare. Imprimis Possessiones, quas ab Episcopo, & Capitulo Gurcensis Ecclesiæ emimus Centum Marcis „Argenti, pondere Frisacensi, cùm terminis, quos ei in Privilegio Fundationis assignavimus, concludantur, alios terminos „visum est Discretioni nostræ distinquendo limitare, & ad preces Venerabilis Ecberti Babenbergensis Episcopi, qui Ecclesiam dedicavit, & Friderici Dilecti Filii nostri, & multorum „Nobilium Ministerialium nostrorum, qui de Austria & Stiria ad Dedicationem Nobiscum convenerunt, aliquantum ultra rivum *Grassenich* ampliare in Dedicationis Dotem hoc modo. - - - Testes autem, qui præsentes fuerunt, & ad hos Nos „suis precibus induxerunt, subscribere studuimus. Eckebertus Babenbergensis Episcopus: Fridericus Filius noster: „*Ulricus* de Peccach &c.„

Turbæ intestinæ Bavaricæ.

XIV. Supersunt hoc Anno geminæ adhuc Expeditiones, verbulô commemorandæ: quarum prima videtur Ducem nostrum retinuisse, ne *Friderico II.* novo Regi, primis in Comitiis, sua præsens obsequia deferre posset. Ardebat nempe vicinus

Au-

Austriæ Ucalegon, & gemebat Bavaria, intestino dissidio scissa: de quo Chronicon *Augustanum* ita lamentatur. *Manegoldus Episcopus Pataviensis* (cui Albertus à Bogen fœderatus erat) *&* *Rapoto Palatinus Bavariæ* (Comes Ortenburgensis) *discordantes, Monasteria, & Ecclesias, cum omni provincia igne devastârunt.* Verba *Hundii* sunt. *Bellum gravissimum, quo Bavaria attenuata, & maximarum rerum jacturam Episcopales Ecclesiæ plurimæ, & Monasteria Bavariæ fecerunt, imprimis Tegorinum & Aspacense, quæ incendio conflagrârunt, & solotenus æquata sunt, fato paululum mitiore in Aldersspacense Cœnobium sæviente.* Causam Cl. *Hansizius* in id refundit, quòd *Manegoldus*, partes Ducis nostri *Leopoldi* secutus, *Friderico* Siculo adhæreret, Palatinus contrà fidem *Ottoni* Imperatori servaret. Vigilandum sanè hìc erat Principi nostro: quem tamen huic calamitati involutum nullibi lego.

XV. Expeditionem alteram, quæ sine armis & pugnis, non tamen sine mortibus acta est, plures Chronographi hoc gemino versu memoriæ referunt commendatam:

Anno Milleno Ducenteno Duodeno
Signati Pueri vadunt Loca Sancta tueri.

Puerorum inconsulta Crucis arreptio.

Alia apud Chronica breviùs ad hunc Annum legitur: *Passagium Puerorum.* Prolixiùs Author Incertus Fragmenti ante *Albertum* Argentinensem apud *Urstisium* ita rem enarrat. „Ipso „tempore facta est nugatoria quædam Expeditio, parvis & stultis hominibus, sine aliqua discretione, Signum Crucis arripientibus, curiositatis causâ potiùs, quàm salutis. Pergebant autem de utroque sexu pueri, & puellæ, non solùm minores, sed „adulti etiam, nuptæ cum Virginibus, euntes vacuâ crumenâ, „non solùm per totam Alemanniam, sed etiam per partes Galliarum, & Burgundiæ: nec retineri poterant ullo modo à parentibus & amicis, in tantum, ut passim per Villas, & Agros, „relictis instrumentis suis, novi, novìque se transeuntibus associarent. Et sicut ad tales Novitates sæpe & de facili credula „turba sumus, multi quidem arbitrati sunt, hoc non de levitate Mentis, sed per Divinam inspirationem fieri. Unde & subveniebant eis in expensis - - - ac Clericis contradicentibus vehementer Laici resistebant. - - - Postquam verò hæc stolida „multitudo (quam ad triginta tandem millia ascendisse tradunt) „cantibus ubique ac celeusmate personans, pervênit ad partes „Italiæ, diffusi sunt, & dispersi per Civitates, & Oppida: quorum multi ab indigenis terræ detenti sunt in servos, & ancillas. „Alii dicuntur venisse ad mare: qui seducti à nautis, & Marinariis, partim æquore hausti, partim fame consumti, partim ad „Oras

„ Oras Orientales devecti, Saracenis & Mercatoribus venditi „ sunt. Reliqui, agnoscentes tandem inopiam Consilii, decepti, „ ac confusi, singillatim, seminudi, morbidsque, ac fame emaciati, redierunt. Virgines plurimæ amissum florem suum defleverunt.„ Sic *Anonymus.*

Annus 1213.

Convocatio Concilii.

XVI. INnocentius Papa, ut hæreses exscindere, Schismata revocare, Saracenos evertere, Moresque Christianos formare commodiùs & efficaciùs posset, hoc Anno, teste Anonymo *Fossæ-Novano* Cisterciensi, *cum Fratribus suis Cardinalibus constituit, & ordinavit Concilium, & misit Literas per omne Seculum, ut omnes, qui debebant venire, & interesse Concilio, in tertio Anno in Mense Novembri parati essent Romæ.* Imperatoris *Ottonis* fortuna quantò quotidie, cùm in Italia, tum in Germania deterior fiebat, tantò contrà *Friderici* æmuli profectus amplior evasit. Frustra itaque Cæsar per pauculos, qui sibi obsequebantur, impedire tentavit, ne Rex novus, devotâ jam sibi Sueviâ universâ, Bavariam quoque intraret, & obsequentem haberet. Qui proinde in hujus posterioris Metropoli Ratisbona Senatum Palatinum in Purificatione Virginis coëgit: ubi non modò Præsules, ac Principes, cum Illustribus, ac Nobilibus, frequentes, & reverentes vidit, verùm etiam pro summis Gratiis perdevotè supplices habuit, pluribus Diplomatibûs Voto eorum obsecundans. Atque hujusmodi duo vulgavit *Gewoldus* apud *Hundium* Tom. II. p. 124. & 275. è quibus certum fit, *Leopoldum* quoque Ducem nostrum *Friderico* Regi hac in Curia ab obsequio fuisse. Primum *Anno Domin. Incarn. MCCXII.* (lege MCCXIII.) *Indictione Prima XV. Kal. Martii* impetrârunt Canonici Berchtolsgadenses, à Rege cum universis possessionibus ac juribus in tutelam accepti. Alterum die statim insequenti Benedictini Scotenses Ratisbonæ ad S. Jacobum consecuti sunt paris ferè clementiæ. Utrobique porrò in Testibus *Liupoldus Dux Austriæ & Stiriæ* legitur.

Ottonis caduca, Friderici accrescens fortuna.

Leopoldi favor in Berchtolsgadenses Canonicos:

& Benedictinos Scotenses.

Comitatur *Friderici* exercitum.

XVII. Deerat adhuc, ut Germaniæ Corona *Friderico* imponeretur, Regni quidem Insigniis apud *Ottonem* detentis, sed quæ aliis interim consimilibus ornamentis possent suppleri, modò solitus Coronationis Locus vacaret. Quapropter Aquisgranum occupandum fuit, conscripto in id Exercitu non vulgari, cujus partem non modicam denuo Dux noster cum electa Militia sua constituit. Haud etenim solus *Ortilo* noster ad hunc Annum testatur: *LIUPOLDUS Dux cum exercitu tendit Aquisgranum ad Regem* **Fridericum:** verùm etiam ipse pariter Princeps ita fatetur in Diplomate, quo Zwetlensibus Donationes *Had-*

Benefecit Zwetlensibus.

Hadmari Chunringii confirmavit, Chartam suam hac formula subsignans. *Data in Everdingen, cùm essemus cum exercitu nostro in procinctu itineris versus Granis Aquis, per manum* **Hainrici** *tunc Notarii Plebani de Retze, Anno Dominicæ Incarnationis 1213.* Videantur Annales Zwetlens. I. p. 260. Sive autem ante, sive postea in Stiria demoratus, Carthusiæ Seitzensi predium quoddam, à Thymone de Elsnitz, ac Propinguis ejus donatum partim, partim & venditum, confirmavit *apud Marburch Anno ab Incarnatione Divini Verbi MCCXIII. per Manum* pariter **Heinrici** *Notarii Plebani de Retzze.* Chartam vulgavit Cl. *Bernard. Pezius* Cod. Diplom. Part. II. p. 68. & Seitzensi Carthusiæ.

XVIII. Ab Occidente porro & Oriente fama hoc Anno apertristi nuncio increbuit. E Gallia namque ac Tolosana Provincia innotuit, *Petrum* Aragoniæ Regem, qui Anno superiore contra Mauros tam gloriosè steterat, nunc Albigensium patrocinio suscepto, & adversum Catholicos acie instructa, dum commutatis Vestibus Militem privatum simulâsset, inter primos ferè, vincente Comite *Montfortio*, cecidisse. Quæ probrosa mors, propter causæ iniquitatem, geminato luctu *Fridericum* Regem, ac *Leopoldum* Ducem nostrum afflixit. Rex enim *Petri* Levir erat, Sororem ejus *Constantiam* habens Uxorem: Dux autem & ipse quoque Aragoniis Regibus Propinquitate conjunctus, insuper Anno elapso *Petri* hospitio usus, arctiori se cum eo necessitudine citra dubium conjunxerat. In Hungaria, quæ Orientem respicit, infanda cædes *Gertrudis* Reginæ à Comite quodam *Petro Banchano* patrata fuit: quæ erat *Andreæ* Regis Uxor, Filia *Bertoldi* Meraniæ Ducis, Germana Soror *S. Hedwigis* Ducissæ Wratislaviæ, Mater S. *Elisabetæ* nuptæ Landgraviæ Thuringicæ. Neque solùm hæc Princeps gladio latronis, verùm etiam gladio linguæ, sive calami detrahentis laniata fuit. Erant enim apud Ungaros, qui mentirentur, immo & in fastos pariter mitterent, hanc Reginam cuidam Fratri suo Præsuli copiam sacrilegam fecisse, Uxorem *Banchbani* opprimendi, & in hujus criminis ultionem jugulo esse petitam. Quod infame convitium, uti mendaciis usuvenit, sub tam varia epocha consignant, ut oppidò liqueat prudenti, testimonium eorum conveniens non esse. Verumtamen *Joannes Longinus*, cognomento *Dlugossus*, Vir tam pius quàm doctus, ex Canonico Cracoviensi Archiepiscopus Leopoliensis, negotiis publicis ferè semper adhibitus, in *Histor. Polon.* Libr. VI. ad Ann. 1213. Reginam occisam à prædicta calumnia strenuè vindicavit. Contendit enim, neminem prudentum in id credendum facilè consentire posse, quòd Mater, in Religiosissima Filiæ educatione tantam industriam ponens, ut Sancta efficeretur, in animum suum honestissimum unquam induxerit, nefando adulterii sacrilegi facto

Petrus Aragonum Rex cadit in acie.

Gertrudis Hungariæ Regina occiditur.

viam insternere. Veram deinde occisionis causam retegit odium Ungarorum in Reginam, ipsumque Maritum ejus Regem. Huic enim ipsa suggessit frequenter, suasit, ac persuasit, ut Ecclesiarum Præsulatus, Munitiones Regni, & Aulæ prima atque præcipua Munia in Germanos, tam cultiores, quàm sinceriores, conferret. Inde conspiratum fuisse in Regem *Andream*, hujúsque necem à *Banchano* decretam fuisse. Sed cùm ipse à Conjuge admonitus, cubiculô aufugisset, in ipsam sicarium pugionem desæviisse. Cui suffragatur submissa postmodum Regis ad Summum Pontificem Epistola, qua graviter conqueritur, se propter Archiepiscopum Colocensem, natione Germanum, & Reginæ Fratrem, *totius Regni sui Majorum & minorum odia incurrisse*. Quomodo deinde ulteriùs præallatum mendacium de causa, ob quam Regina sibi cædem consciverit, ex hac Epistola retegat, & convellat *Raynaldus*, apud ipsum leges *Annal. Eccles. Tom. XIII.* p. 215. n. 11. Mihi sexto postea anno sermo hac de re denuo redibit: nam propterea etiam Principi nostro *Leopoldo* discrimen enatum fuisse, quidam tradiderunt.

Annus 1214.

Leopoldo nascitur quarta Filia Gertrudis.

XIX. SErenissimus *Leopoldi* Thalamus postremùm hoc Anno, quod constat, fœcundus germinavit, *Ortilone* iterum attestante: *Duci LIUPOLDO nata est Quarta Filia GERTRUDIS VII. Id. Januarii.* Interim *Otto* Imperator extremam vim suam pro retinendo Imperio collegit, fœdus iniens adversus *Philippum* Gallorum Regem, cum *Johanne* Angliæ Rege, *Henrico* item Brabantiæ Duce, & *Ferdinando* Flandriæ Comite, aliisque compluribus, adeò, ut Exercitum fœderatum ducentorum millium conflatum educeret. Admodum tam decumano numero perterrefactus Gallus, cùm tamen in aciem cogeretur, animos ex eo maximos resumsit, quòd omnes hostes in se ruentes anathemate Pontificio laborare, & extra Communionem Ecclesiæ furere cognovisset. Pugnavit itaque juxta Tornacum ad Bovinas Flandriæ tam feliciter, támque insigniter triumphavit, ut Imperator, cum Anglo, Burgundóque, ægrè satis elaberentur, Flander, ingenti cum dedecore suo, vinculis onustus, Parisios deduceretur. Ita rebùs *Ottonis* penitus prostratis, majorem victoriæ fructum Rex Germaniæ *Fridericus*, quàm *Philippus* Gallus Triumphator collegit. Principes quippe, Æmuli sui Fautores, cum exercitu probè instructo aggressus ultra Mosellam, terrore magis, quàm prelio vicit, ínque deditionem accepit.

Otto Imperator à Gallis ad Bovinas usque ad internecionem cæditur.

Inde Res *Friderici* maximè promota.

XX.

XX. Ita verò dum Reges mutuo se Marte conficerent, sacrâ undique buccina Bellum Crucis provocari in Orientem *Innocentius* Papa nullo non studio contendit, *per omnes fines Christianorum*, ut habet *Godefridus* Coloniensis, *quoslibet idoneos Magistros Crucem prædicare præcipiens. Unde per diversas provincias innumerabilis multitudo pro amore Christi, & liberatione Terræ Sanctæ se Cruce signavit.* Atque hac ipsa de causa Magnus Ordinis Teutonici Magister *Hermannus* Castra *Friderici* Regis plerumque secutus est, ut amplissima Germanorum Principum auxilia ad vindicandam è barbara tirannide Hierosolymam obtineret. Quem Cl. *Puschius* à *Friderico* Regiam Chartam obtinuisse asseverat, *Anno Regni sui Romani II. Nonis Septembribus in Castris apud Juliacum signatam*, qua Jllustrissimo huic Ordini eam prærogativam contulit, ut Arces, ac Latifundia, quantumlibet Juri altiori obnoxia, eidem in plenum perpetuùmque dominium offerri possint, atque transcribi. Hujus porro Privilegii Testis quia legitur pariter Dux noster, manifesto argumento evincitur, eundem tum temporis Regia Signa secutum fuisse. Paulò pòst verò rediit, inque Stiria, unacum *Eberhardo* Archiepiscopo Salisburgensi, diuturnam, & sumtibus grandibus actam Controversiam, inter Cœnobium Admontense, & Reinbertum de Mureck, super Decimas in Gamner, Laudo suo composuit. Communem tam sibi quàm Archiepiscopo Chartam vulgavit Cl. *Bernard. Pezius* Anecdot. III. P. III. in Cod. Diplom. Admont. col. 738. n. LII. subsignatam *apud Graetz An. Inc. Dom. MCCXIIII. Non. Novembr.* Hoc præterea, vel certè proximo aliquo Anno, Cl. Neoburgensibus, quemadmodum antehac Frater, Patérque suus, Mutam Navium Danubii in ascensu & descensu usque Anisium indulsit. Chartula denuo exstat apud Cl. *Bern. Pez.* Anecdot. VI. Part. II. p. 69. n. 115.

Crux in Orientem undique prædicata.

Leopoldus Castra Friderici secutus, testatur Privilegio Ordinis Teutonici.

Celebravit Laudum in lite Admontensium.

Benefecit Cl. Neoburgensibus.

Annus 1215.

XXI. LAudaveram Decade anteriori ingentem Ducis nostri animum, quo ad extollendam Ecclesiam DEI novum Viennæ Episcopatum fundare constituerat, voti damnandus à Pontifice, nisi *Manegoldus* Episcopus Pataviensis obstitisset. Hic, ut ariete fortiori Munificentiæ Ducis, quam sibi fraudi fore arbitrabatur, contrairet, jus eidem intentavit super Patronatum Wiennensis Ecclesiæ, Advocatiam Fori in S. Hippolyto, Generale in Terra Judicium, vulgò Landgericht, item *Fodrum*, vernaculè Marchfuter, in quibusdam Pataviensis Ecclesiæ bonis: quasi hoc pacto eundem edocturus, non antè de novis Eleemosynis rectè cogitari, priusquam injustè retenta integrè restituerentur. Delicata sanè Capita apud Principes sunt hujusmodi Jura Alta, & Antecessoribus per manus tradita, longo

Vocatur in jus ab Episcopo Pataviensi.

usu roborata, præsidio Legum haud admodum difficili defendenda, multísque exceptionibus vindicanda, ne ipsa quidem ratione suffragium denegante. Cùm enim Ecclesiæ Bona sua, quibûs olim quotidie pietate Fidelium accreverant, libera esse oneribus & immunia vellent: hæc immunitas Ærario Principum assiduè detraxit. Unde maximè pronum erat, Principes Terræ cum Præsulibus eapropter committi, præcipuè, si, Bonis ad Ecclesiam transeuntibûs, eorum immunitas à Principum Clementia, cum ea, qua decuerat, reverentiæ significatione rogata non fuerit, sive, Chartis pereuntibus, remonstrare nequiverit.

cui ultro cedit ad multorum facerrimam disciplinam.

XXII. Ita cùm acciderit *Leopoldum* inter & *Manegoldum*, lite longa sese inter decertabant, donec illam Episcopus tandem ad *Fridericum* Regem, Augustæ Vindelicorum cum Principibus deliberantem, detulerit. Ibi porro Princeps noster campum pulcherrimum reperit commonstrandæ, ad exemplum multorum, tenerrimæ suæ in Ecclesias Devotionis, contestandæ in Præsules Reverentiæ, comprobandæ summæ Modestiæ suæ, & quàm longè animo suo, mirificè composito, abesset à pertinacia contendendi, à cupiditate possidendi, à calore indomito se de Adversario vindicandi. Causâ quippe coram Rege cecidit, non quia jure pronunciato inferior, sed quia virtute superior erat, non quia lege convictus, sed quia vinci per ea noluit, quæ, utrùm ex lege Virtutis essent, in dubium trahebantur. Cecidit, inquam, causa, non judicio cedere coactus, sed lite ultro abscedens juríque renuncians. Audiamus Regem in Diplomate suo ita Seculis testantem apud Cl. *Hansiz.* Metrop. Laur. p. 359. *Ad petitionem nostram* (non ad sententiam) *sæpe dictus Dux cessit liti, & in Manus nostras renunciavit omni juri, quod habuit, vel habere videbatur in prædicto Patronatu Wienn --- & quidquid in his, vel in aliis, beatæ Memoriæ Pater suus de Jure suo Pataviensi Ecclesiæ contulerat, ipse quoque pro se, & universis suis Successoribus recognovit. --- Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCCXV. Indict. III. Regnante Domino Friderico Secundo Romanorum Rege Glorioso, & Rege Siciliæ Anno Regni ejus III. Datum apud Augustam Non. Aprilis.* Rara Avis in terris Princeps ejusmodi: verè Filius Pacis, non suis duntaxat, sed nostris quoque diebus habendus in laudibus.

Manegoldus Episcopus Pataviensis moritur: succedit *Ulricus* Præceptor & Notarius *Leopoldi* Ducis.

XXIII. Victor Præsul *Manegoldus* paulò pòst, dum Viennæ suis Rebus intenderet, duriorem alium & insuperabilem adversarium nactus est Mortem ipsam, quam ibidem obivit. Diem juxta Cl. *Hansizium* alii posuêre V. Idus Maji, alii V. Idus Junii. *Ortilo* noster, cum quo Necrologium Hippolytanum consentit, litem ita dirimit. *Anno MCCXV. Obiit in Wienne Dominus* Manegoldus *Venerabilis Episcopus Pataviensis IV. Id. Junii;*

Junii, postquam tres Monachos nostros ordinâsset in Sacerdotes. Cui substituitur Dominus Udalricus Præceptor Liupoldi Ducis Fundatoris, nunc ejus Notarius: sed non statim acceptatur. Quo hic genere fuerit, ánque à Comitibus Bergensibus, sive Diessensibus, utrùm Frater *Manegoldi* Pataviensis, & *Ottonis* II. Frisingensis Episcoporum, de quo latè Cl. *Hansizius* disputat, meæ disceptationis non est. *Præceptorem* eum, atque *Notarium*, sive ut alii, *Protonotarium* fuisse Principis nostri, pro quo *Hundius* elogium *Supremi Cancellarii* posuit, Chronographus Mellicensis, ac plura *Leopoldi* Diplomata dudum extra controversiam statuerunt. Impacatè eum ad Cathedram adiisse, pariter testatus est Chronographus Cremifanensis coævus, quem viderat *Hansizius* sæpe laudatus, inquiens. *MCCXV. Manegoldus Episcopus apud Wiennam moritur. Post cujus mortem de Electione Episcopi grandis disceptatio habetur. - - - Udalricus Episcopus apud Everdingen eligitur: sed ab omni populo Pataviensi, & quibusdam Canonicis ei resistitur, donec ab Apostolico, & Rege, gloriosè in Episcopatu confirmatur.*

Dux noster fundat Capellam apud San-Petrenses Salisburgi.

XXIV. Hic inserendum putavi integrum §.um Cl. P. *Pauli Mezgeri* Benedictini San-Petrensis, atque Doctoris Academici, ex *Historiæ Salisburgensis* Libr. IV. Cap. 20. p. 416. ita habentem. „Leopoldus VII. cognomine *Gloriosus* S. Leopoldi „Pronepos, Henrici Ducis Austriæ Primi Nepos, Filius Leo„poldi V. dicti *Gloriosi* (lege VI. dicti *Virtuosi*) Dux Austriæ „Quartus, simúlque Stiriæ, Conditor Neostadii ad Leytam, „tunc Virtute & felicitate florebat. Is circa annum 1215. suis „sumtibus honori D. Catharinæ Virginis & Martyris struxit „Ecclesiam, lateri majoris Basilicæ (puta Monasterii S. Petri „in Urbe) à meridionali facie adhærentem: quæ Divæ Virgi„num Virgini Mariæ, & eidem S. *Catharinæ*, nec non SS. „*Servatio* & *Antonio*, sub *Eberbardo* Archipræsule, à *Rudigero* „Chiemensi Episcopo postea dedicata. Ædi sacræ adjecit piam „Fundationem, ut nempe quot diebus à Sacerdote quodam D. „Petri sacrum celebraretur pro sua, & Parentum suorum ani„mabus. In obligationis & laboris compensationem triginta „vasorum vini vecturam ex Austria liberam à teloniis, & ve„ctigalibus Cœnobio esse voluit, Immunitatem perpetuo Pri„vilegio firmavit. Adjunxit & alia, utpote, si feudum aliquod „in possessionibus Ecclesiæ S. Petri, sub Patronatus sui jure con„stitutum, ad Dominum Ducem Austriæ rediret, nulli alteri „denuo infeudari deberet, quàm illi, quem peterent Petren„ses. Item Advocatus pro tempore existens nil ultra taxatam „pensionem exigere præsumeret. Datum Privilegium notato

„Anno MCCXV. die XV. Cal. Augusti. Adhuc hodie pro debito Sacrum illud quotidie ritè peragitur, tam pro memorato Fundatore, quàm pro aliis ex Gente Austriaca vita functis, ipsiúsque Augustæ Domus incolumitate. Piissimam Fundationem confirmârunt hucúsque etiam Augustissimi Cæsares: & quod circa triginta Vasa, ob antiquæ Mensuræ ignorantiam, dubium subortum esset, ad 1050. Urnas hodierni moris definierunt. Tacendum autem non puto ob tantæ Domus merita & Pietatem, quod quidam ex nostris Scriptor notavit: Excepta nimirum Donatione *Philippi* Regis Romanorum, nihil antiquarum Fundationum, & Bonorum immobilium, penes S. Petri Cœnobium exstare, quod inter Exteros alius Princeps, præter Austriacos, dedisset.“ Dignum sanè memoria elogium: cui hoc unum adjicio. Cùm námque ipse ego, qui hæc scribo, puerulus olim ad D. Petri Pædagogiam prima hauriens elementa Latinitatis, deinde ut juvenis pariter, huic Sacro, de quo dictum est, in memorata D. Catharinæ Ædicula quotidie hora 7.ma celebrato, compluribus Annis plerumque interfuerim, multùm profectò nunc optâssim, ut jam tum quidem novissem, *Leopoldum* nostrum ejus Fundatorem exstitisse, me porro DEO propitio aliquando Campililiensem futurum. Certè enim jam ibi, quantum à desidia mea mihi elicere licuisset, gemitibus inenarrabilibus pro Magna tanti Principis, futuri olim Clementissimi Parentis mei, Anima ad DEUM meritò teneréque suspirâssem.

Fridericus coronatur Aquisgrani, & Cruce signatur.

XXV. *Otto* proscriptus Imperator, *Friderico* Rege splendidiùs quotidie procedente, tandem Colonia quoque abscedere à Civibus, pacta eidem pecuniâ, compulsus fuit. Quare cùm nihil jam obstaret, *Fridericus*, conscriptis antea Principibus, in quibus citra dubium *Leopoldus* quoque, Aquisgrani à *Sifrido* Archiepiscopo Moguntino, S. Sedis Apostolicæ Legato, cùm Ecclesia Coloniensis eo tempore vacaret, Germaniæ Coronam, & Unctionem Regiam accepit ipso S. Jacobi Apostoli festo, móxque etiam Cruce signatus fuit. Benè tunc iterum ominabantur Pontifex, & Germania universa de quiete Imperii: qua tamen spe sua rursus immane quantum deludebantur. Interim Romæ, adulto Autumno, agebatur Concilium Generale XII.um Lateranense IV.tum Quadringentorum duodecim Episcoporum Conventu, præsidente *Innocentio* Papa III.tio à S. Martini solemniis usque ad S. Andreæ Apostoli Natalia. Hoc in Concilio inter cætera, non, quod Adversarii Fidei fabulantur, instituta est Confessio Auricularis; sed statutum duntaxat, cùm illa apud multos videretur in neglectum abiisse, ut quivis fidelium, saltem semel in Anno, ad minus in Pascha, eam faceret proprio Sacerdoti, sacrámque Communionem recipiat. Præterea ut

Concilium Generale Lateranense.

Medi-

Medici ad infirmos vocati admoneant eos, & inducant ad confessionem, & postquam eis spiritualiter provisum, tunc demum ad corporum curam procedant. Supersedeo pluribus videndis apud *Raynaldum* XIII. p. 220. n. 7. sqq.

Annus 1216.

XXVI. QUoniam nullius est frugi, Leges etiam sanctissimas condere, nisi eisdem vivatur, *Innocentius* Papa summa perursit contentione, ut Metropolitæ Orbis Christiani novissima Concilii Decreta promulgari fidelibus, & ab iisdem observari, quacunque possent, solicitudine adlaborarent. Cui Zelo sanctissimo neutiquam defuit *Eberhardus* Archi-Antistes Salisburgensis, Synodum convocans Provincialem ea cum districtione, ut Prælati omnium Monasteriorum totius Provinciæ, contumaciter absentes, anathemate feriret, teste *Honorio* in Chronico MS.[to] apud Cl. *Hansizium* servato, quod ipse ait Metrop. Salisb. p. 322. Antea verò accidit, quod *Ortilo* noster his verbis adnotavit. *Hoc primùm Anno, mediante Duce LIUPOLDO, Ulricus in Cathedra Pataviensi stabilitur, & à Domino Eberhardo Saltzeburgensi consecratur.* Quod non absimiliter narravit Chronographus Cremifanensis rursum apud Cl. *Hansizium* inquiens Metr. Laur. p. 361. *Anno MCCXVI. Udalricus Episcopus ab Eberhardo Saltzeburgensi in Sacerdotem & Episcopum consecratur: & Lis, quæ à plebe adversus eum habebatur, ad Everdinge, multis ibidem Principibus convenientibus terminatur.*

Eberhardus Archiep. Salisb. celebravit Synodum.

Consecravit Ulricum Episc. Pataviensem.

Cui quietam Sedem procuravit, mediante Duce Leopoldo.

XXVII. Ad memoriam porro æternam pariter attinet, obiter saltem hic innuere, quantus Gregis Dominici amor *Eberhardi* piissimi Archi-Præsulis pectus insederit. Cujus invicto argumento est, quòd amplissimam Archidiœcesin suam lubens volénsque, ac proprio motu, & ovium vigilantiùs pascendarum causâ, tribus novis Episcopatibus, à se erectis, atque dotatis, distinxerit: primùm Chiemensi in Bavaria, quæ Cathedra Anno priori in Concilio Romano concordi Patrum sententia probata fuit: Seccoviensi deinde in Stiria, cujus fundandi facultatem hoc Anno à Pontifice flagitavit, & de quo aliquid iterum commemorandi occasio triennio postea mihi occurret: Lavantinum demum in Carinthia, quem sequentibus Annis erexit. Non illum incesserat metus idem detrimenti, ex hac divisione subeundi, qui *Manegoldum* Pataviensem: contra verò Christi Charitas multò fortiùs ursit. Prœmium fuit, ut modò Metropolitæ Salisburgenses non modò tribus novis Episcopis Suffraganeis, præter cæteros ab antiquo subjectos, acceresverint:

Idem Archi-Antistes erexit tres novos Episcopatus.

Maxima & planè peculiaris Archiepiscoporum Salisburgensium Prærogativa.

verint: verùm etiam Auctoritate & Indulgentia, tam Pontificum, quàm Cæsarum; dictos tres Episcopos uni solique nominent, ac confirment, citra omne eligentium suffragium, & absque ullo ad Sedem Apostolicam recursu. Qui sic nominati, & confirmati, non modò ut legitimi Ecclesiæ Præsules, sed etiam ut veri S. R. I. Principes, nemine refragante agnoscuntur. Cujusmodi liberrima, tam Præsules, quàm Principes, nominandi creandíque potestate nullus alius in Orbe Christiano, sive Patriarcha, sive Metropolita, insignitur. Ita publicè deprædicabat Cl. D. *Franc. Ignatius Woller* S. Cæs. Majestatis & Celsiss. Archiep. Salisb. Consiliarius, inque Universitate Salisburgensi Juris Publ. ac Civil. Professor Primarius, in Actu Confirmationis publicis typis vulgato Rever.mi D. *Joannis Sigismundi* Comitis de Küenburg, per Celsiss. & Reverend.mum Archiepiscopum JOANNEM ERNESTUM recens nominati Episcopi & Principis Lavantini: in quo ipse Orator ac Procurator fuit, ego spectator auditórque his oculis & auribus adfui AN. 1704. Erat verò antehac Archiepiscopo Salisburgensi par quoque facultas Nominationis & Creationis in Episcopatu etiam Carenthano Gurcensi: quæ tamen hodie ad Antistitem quemlibet tertium restricta est. Primi enim, ac secundi Nominatio, ex inito pacto, fit ab Augustis Monarchis Austriacis, qua Archiducibus Carinthiæ.

Leopoldus adest Comitiis Regiis, ibíque Testem agit.

XXVIII. Interim, quoniam è caussis convocandi Concilii Lateranensis una de præcipuis erat Expeditio sacra in Palestinam totis viribus promovenda, statutúmque ibidem fuit, ut Cruce signati hoc ANNO Cal. Junii Messanæ in Sicilia convenirent, ipso novo Imperatore *Friderico* Antesignano vela in Siriam facturi: illico in Germania adfuit Legatus Pontificis, rem in Comitiis Norimbergensibus mense Majo perurgens. Aderat hìc pariter *Leopoldus* noster, quem, unacum *Udalrico* novo Episcopo Patavienfi, Ardor Crucis præ aliis ferè omnibus vehementissimè accenderat. Abinde porro Regem Herbipolim secutus est, ibi Testem agens pulcherrimo ejusdem Diplomati, quo perperam antehac ab Antecessoribus Regibus & Imperatoribus usurpata Ecclesiarum Spolia post mortem Præsulum, integrósque unius ANNI à Sede vacante Proventus, Cameræ suæ attractos, ejuravit, atque peculiariter Ecclesiæ Magdeburgensi, uti aliàs cæteris, remisit. Exhibuit hanc Regiam Chartam, religione plenam, in fine Chronici Magdeburgensis *Meibomius* Scriptor. Tom. II. p. 377. ita subnotatam. *Acta sunt hæc Incarn. Dom. Anno MCCXVI. Indict. IV. Regnante Domino Friderico II. Romanor. Rege Gloriosissimo, & Rege Siciliæ. Datæ Herbipoli per manum Bertoldi Regalis Aulæ Protonotarii V. Id. Maii Anno Regni Domini Regis IV.*

XXIX.

XXIX. Redux in Austriam Princeps noster, & Pataviæ hospitio usus, ut hæc tessera Hospitalitatis perennis esset, contulit Canonicis Cathedralibus insigne Privilegium *de Immunitate Victualium, ad communem Mensam & Usum eorundem spectantium, ab omni Muta, Fürfart, & exactione in Danubio*: hoc usus Exordio, quod reverentiæ & pietatis perillustre documentum est. *Cùm singularum Ecclesiarum utilitatibus debeamus semper, atque velimus prospicere pia mente, principaliter autem & præcipuè Pataviensi Ecclesiæ, quæ nostra est Mater in DEO, hoc debitum solvere volumus, & debemus, ut gratia Filialis Reverentiæ, quam ipsi duximus exhibendam in terris, ipsa Nos Materno affectu reddat acceptos postmodum, & felices in Cælis. - - - - Acta sunt hæc in Scholis Pataviæ Anno Domin. Incarn. MCCXVI. Indict. IV. sub Innocentio III. Papa Regnante Friderico Rege Romanorum, & Siciliæ. Datum per manus Heinrici Pataviensis Canonici & Notarii.* Vide integrum tenorem tum apud *Gewoldum*, tum apud Cl. *Hansizium* Metrop. Laur. p. 361. Vix postea Viennam attigerat *Leopoldus*, jam iterum Nomine suo subscripto, appensóque Sigillo, firmavit Chartam Complacitationis, ut ajebant, factæ inter *Matheum* Abbatem Scotorum, & *Ulricum* Militem de Marpach. *Actum Anno Incarnati Verbi Millesimo Ducentesimo Sextodecimo Octavodecimo Kalendas Julii.* Instrumentum ex Archiv. Scotens. eduxit Cl. *Hueberus* Mellicensis, vulgavit *Bern. Pezius* Cod. Dipl. Part. II. p. 69. n. 118. Idem pariter *Hueberus* in Austria sua ex Archiv. Mellic. illustrata p. 13. edidit Bullam *Innocentii* Papæ III. Cœnobio suo datam *Perusii VI. Cal. Junii Pontificatus Anno Nono decimo*: Qua confirmavit certos redditus, ab Abbate *Hadmaro*, Conventúque, pro Domo sua Infirmorum sepositos, & quotannis deputatos. His Literis Pontifex prope finem, sermone nostrum ad Principem converso, hunc paragraphum inseruit. *Et quoniam contra eos, qui quotidie Mundo ad deteriora inclinante emergunt casus, vix abundans sufficit cautela: Te, Dilectissime Fili Leupolde, Nobilis Dux Austriæ & Stiriæ, ac Filios tuos, qui tam æquitate morum, quam terrenarum hæreditate rerum, DEO dante, tibi successuri sunt, in remissionem peccatorum injungentes, monendo rogamus, districtè per Apostolica Scripta mandantes, ut, quod præsentis paginæ continentia DEI, ac nostra confirmavimus Auctoritate, Tu temporalis Potentiæ Gladio manuteneas, & defendas.* Insolita est hæc, vel certè minimè vulgaris, & in Literis Apostolicis non facilè aliàs occurrens secularis Principis tam diserta Compellatio: non obscurè interim edocens, Ducem nostrum, tanquam Incliti Mellicii Advocatum, pro

Ejusdem Indultum clemens pro Canonicis Pataviensibus.

Favor in Scotenses Viennæ.

Item in Mellicenses.

hac ipsa Gratia Cœnobio impetranda preces suas quàm diligentissimè interposuisse.

Innocentius Papa III. moritur.

XXX. Insequens autem Julius Mensis toti Ecclesiæ plagam inflixit, dum dies ejusdem 16.ta toties hactenus laudatum *Innocentium* III. Pontificem Maximum, præcipua Magnanimitate, doctrina atque Sapientia præditum, eidem apud Perusium febre eripuit, dum ardore inflammandæ Expeditionis sacræ accensus, se ad Italiæ Urbes dissidentes contulisset, ipsemet eisdem pacem sese inter, bellum verò commune adversus hostes Crucis Dominicæ persuasurus. Sederat ab Anni 1198. initio Annos octodecim, & sex insuper Menses, diésque novem: cui æternùm Campus noster primæ Confirmationis, ac postea efficacis Tuitionis, benignissimam Clementiam debebit. Evectus post ipsum fuit ad Sedem Sanctam tertia statim die *Centius* Cardinalis, dictus *Honorius* III. brevior quidem Annis, meritis tamen in Ecclesiam, & nos quoque, haud inferior futurus. Multùm interim casus *Innocentii* Negotio Crucis incommodavit, compluribûs, quasi illud hoc pacto dissolutum jam foret, segniter admodum, certè non parum remissiùs agentibus: maximè cùm *Fridericus* Rex, qui prælatis Aquilis Augustis toti Populo animam & spiritum afflare debuerat, moram ex mora nectere inciperet. Sed non destitit *Honorius* urgere honorem Crucifixi, & *Innocentii* in hac parte vestigiis presso pede insistere.

Succedit *Honorius* III.

qui pariter Bellum Sacrum persursit.

Obiit *Leopoldulus* Primogenitus Ducis nostri Filius.

XXXI. Reparatâ autem jam plagâ Ecclesiæ, peracerbo funere in squallorem impulsa est Austria, causam post alia Patriæ Chronica ita pariter reddente *Ortilone* nostro. *Duci, & Provinciæ, magnus luctus oritur ob immaturam mortem Primogeniti Filii sui LIUPOLDI: qui in Nüwenburch ludum puerorum frequentans, ex arbore cecidit XII. Kal. Novembris.* Occasionem tam flebilis fati *Arenpeckius* non immeritò illius in incuriam refundit, qui moderando huic Principi Juventutis à Serenissimo Parente præpositus fuerat, vel etiam, in aliorum nobilium Contubernio, primis literarum elementis informando. Arborem, è qua cecidit, pomis cerinis maturescentibùs inconsultam illustrissimi Pueri cupiditatem proritâsse adjiciunt: quod vix crediderim, cùm ii fructus tam sero Autumno ex arboribus pendere non consueverint. Quæcunque Arbor fuerit, sive tenera *Leopolduli* vestigia infeliciter fefellit, sive impar ejusdem ramus tam exiguo etiam ponderi, ferendo Principi succubuit. Interim ille cecidit elisa cervice, per quem statura quondam Patria credebatur, succisúsque est Flos, cujus virore Serenissimi Parentes Gentis suæ Babenbergicæ æternitatem augurabantur. Emarcuit, Anni decimi diem agens decimum nonum, quoniam natus fuerat, perhibente *Ortilone*, VIII. Cal. Octobris

bris Anno MCCVII. Viennæ oriens, moriens Claustro-Neoburgi: ubi eundem sociæ, Parentum, Provinciæque lachrymæ, cum plurima spe sua consepelierunt. Atque hæ profectò ægriùs multò, seriúsque aruissent, nisi *Henricus* & *Fridericus* superstites, quorum fata vicésque latuerant, novam in spem ignaros futuri excitâssent. Adoleverunt itaque isti: sed *Henricus* Pietatem, *Fridericus* Modestiam Optimi Parentis non referebat.

XXXII. Hic interim, tametsi non posset non animo mœstissimo esse, nihilo tamen secius parem cum Jobo sententiam amplexus, nimirum: *Si bona accepimus de manu DEI, mala quare non sustineamus*? eandem citra dubium comploranti etiam Serenissimæ Matri diligenter persuasit. Peroptimè *Leopoldi* nostri Pietas calluit, amorem non fictum summè amabilis DEI sinceriore nullo charactere describi posse, quàm patientia in adversis. Amissi ergo tam misero casu Filii causâ non destitit osculari virgam castigantis DEI, novísque benefactis demereri cœlum, sive oscula, sive verbera ulteriora referret. Illico itaque ab hoc funere duo rursum Celeberrima Cœnobia, Mellicense, & San-Crucense, novo sibi beneficio devinxit, Quæstionem diuturnam super Decimis inter utrumque sapienti æquabilíque Laudo componens, & edita publica Charta demandans. Subsignatio ejus erat: *Actum Wiennæ in domo Dietrici Anno ab Incarn. Dom. MCCXVI. III. Idus Novembris feliciter Amen.* Ita me denuo docuit Cl. *Hueberus* Austr. Illustr. p. 12. n. 3.

Sic probata *Leopoldi* Virtus non destitit benefacere:

Laudum celebrans inter Mellicium & Sanctam Crucem.

Annus 1217.

XXXIII. OMissa per *Fridericum* Regem Anno priori, quo in Calendas Junias per Concilium Lateranense constituta erat, Expeditione Sacra; tum, quòd adhuc viveret æmulus *Otto*, résque novas interea moliri posse metueretur, tum, quòd Rex, Corona Romana nondum fulgens, minori se Authoritate apud Cruce signatos futurum causaretur: Curiam tamen Principum Norimbergam primo hujus Anni mense condixit, ubi de aliorum prævia in Palæstinam cum *Andrea* Hungariæ Rege profectione decerneretur. Adfuit ibi Dux noster, dato nomine suo aditer simul Orientis, atque ad Regiam Chartam, vulgatam à *Gewoldo*, *Hansizióque*: qua *Fridericus* feudum quoddam, olim ab Ecclesia Pataviensi abalienatum, addictúmque Imperio, & Bavariæ Duci assignatum, restituit *Ulrico* Episcopo hoc pacto, utipse id rursum Bavaro concederet, sibi tamen, haud amplius Imperio, recognoscendum. Calculi Chronici sic habent: *Acta sunt hæc Anno Domini MCCXVII. Regnante Domino Friderico Secundo Divina favente Clementia Romanorum Rege semper Augusto, & Glorioso Rege Siciliæ, Anno*

Dat Nomen Itineri Orientali.

Subscribit diplomati proEcclesia Pataviensi.

Romani Regni ipsius V. Siciliæ verò XVIII. Datum in solemni Curia Nüremberg Anno prætaxato XII. Cal. Februarii Indict. V.[ta]

Eripuit Cremifanium ab Advocatiæ molestiis.

XXXIV. Reversus per Austriam Princeps noster ingenti beneficio Cremifanense Cœnobium affecit. Primùm námque, cùm Advocatia ejusdem, attinens ad *Ottonem* Advocatum Ratisbonensem, ab hoc verò in *Ortolfum de Volckenstorf* Judicem Ducis Provincialem supra Anasum feudo translata, Monasterio admodum gravis esset, & illud per eandem à longis retro temporibus enormiter læsum fuisset, egit *Leopoldus* commiseratione tactus cum *Volckenstorfio* in Castro suo Stire (i. e. in Urbe Styra) Dominicâ Estomihi (nempe Quinquagesimæ) existens, ut is, quadringentis libris publicæ Monetæ sibi à Monasterio persolutis, Advocatiæ in perpetuum cederet. Quo facto, postea Idibus Maji in Admunt constitutus, *toto*, ut ipse ait, *studii sui conamine interposito*, Cremifanium *à Judicum secularium potestate liberavit, & absolvit, omnes justitias & noxietates, quibus seculari judicio prius erat obnoxium, Glorioso Christi Martyri Agapito* (Tutelari ejusdem Cœnobii) *pro æterna retributione, per oblationem Gladii, delegandò conferens*, illúdque perpetuis temporibus liberum esse decernens, ea severa cautione adjecta, *ut, quisquis deinceps feudi prætextu in damna Ecclesiæ hujus manum miserit, damnum recompenset in quadruplum, & quasi Eleemosinæ ipsius Violator, se in DEUM, & animam ejus reum esse cognoscat. - - - Datum apud Admunt Idus Maii An. Incarn. Dom. MCCXVII. Indict. V. Pontificatus verò Domini Honorii Papæ Anno Primo. Feliciter. Amen.* Accessit Mense sequenti Confirmatio *Friderici* II. Regis, Pataviæ facta XVIII. Kal. Julii, qui ajebat in Exordio. *Quod studio Piorum geritur, pium est & condecens, ut id tenore stabili roboretur. Hinc est, quòd Nos considerantes Devotionem Dilecti Consanguinei nostri Liupoldi Ducis Austriæ & Stiriæ, quam in Cœnobio Cremsmonasteriensi ostendit, ipsam in Domino commendamus &c.* Utrumque Diploma integrum prostat in Annal. Cremifanens. Cl. P. *Simonis Rettenpacher* ibidem Professi Libr. II. p. 173. sqq.

XXXV. Antequam porro ex Austria in Stiriam tenderet, immo cùm tenderet Parens noster Clementissimus, dignatus est Filiis Campililiensibus amantissimè valedicere, séque precibus eorundem devotissimè commendare, uti *Ortilo* prolixiùs refert: quam verò Narrationem §. III.[tius] potiùs, quàm hic præsens, exposcit. Hoc autem loco commemorandum venit, Principem nostrum, Itineri Orientali se accingentem, præviè adhuc benè de Mellicio meruisse: cujus commodo egregio effecit, ut *Duringus de Ratelberge*, acceptis 40. marcis Argenti,

Par beneficium impendit Mellicensibus.

Advo-

Advocatiam in Landfridſteten, & Jura, quæ dicebantur Marchſuter, & Purchwerch, feudo poſſeſſa, ſuas in manus liberè reſignaret, Monaſterio reſtituta. *Actum Anno Incarnat. Dom. MCCXVII.* Ita *Hueberi* Auſtr. illuſtr. p. 14. Ipſam Expeditionem quod attinet, illa hoc Anno gemino Agmine ſuſcepta eſt, fidem interponente *Godefrido* Colonienſi, dum ait. *Anno Dominicæ Incarnationis MCCXVII. Andreas Rex Ungariæ, Lupoldus Dux Auſtriæ, cum Epiſcopis, & Comitibus, & copioſa multitudine Signatorum mare tranſierunt. Item Wilhelmus Comes Hollandiæ, & Georgius Comes de Wide, cum aliis Cruce ſignatis Teutoniæ, ad Terram Sanctam navigio proficiſci deſiderantibus, ſuper unum de nobilioribus Terræ fluviis fluvium Moſam congregati ſunt apud Ulerdinge.* Atque hi quidem poſtremi per Angliam æquore Hiſpaniam petentes, tandem in Luſitaniam delati ſunt: ubi cùm venti faventes exſpectandi eſſent, rogati, expugnârunt interea Caſtrum *Alcbaz*, ſummo quidem cum labore Mauris ereptum: quibuscum inſuper in acie congreſſi, ardua, ſed inſigni Victoria, & præda abinde non minima potiebantur. Hyberna deinde Ulyſſipone egerunt.

Profectio Cruce Signatorum itinere gemino.

XXXVI. De *Leopoldi* itinere ſic compendio tradidit *Cuſpinianus*, plura nihilominus dicens, quàm probans. *Conveniunt plerique Chriſtiani Principes, & ſignati Cruce, mare trajiciunt. Ibi Leopoldus, vocata univerſa ſua Nobilitate Auſtriæ & Stiriæ in Novoburgo Cœnobio, ſecundò ſe cum ſuis Charactere Crucis conſignat: ac per Ungariam deſcendens, Andream II. Regem hortatur ſupplex, ut ſit Comes itineris: felicique ac proſperrima Navigatione paucis diebus, quod vix credibile eſt cuiquam, Damiatam perveniunt, eámque è manibus Saracenorum liberant, potiſſimum hoc Leopoldo Duce Authore: hoſtibúsque Chriſti profligatis & cæſis, reverſus eſt ſalvus & ſoſpes Leopoldus Dux Auſtriæ & Stiriæ in Auſtriam, non ſine magna ſubditorum ſuorum lætitia.* Ecce, quanti momenti rem familiaris hic Auſtriæ Scriptor tam pauculis lineis collegerit, quàm breviſſimo compendio tantæ molis opus, quale fuit tam glorioſa Ducis noſtri in Orientem Expeditio, abſolverit. Sunt forſitan non pauci, iique vel inopia temporis undique laborantes, vel diutius libris aſſidere faſtidientes, vel horum neceſſario apparatu deſtituti, qui ament, qui laudent, qui optent, deditóque ſtudio inquirant hujuſmodi Compendiola, unde veluti momento ampliſſima & difficillima facta nullo ſuo negotio intelligant. Sed enim immane quantum perfrequenter decipitur, quisquis tam tumultuaria operâ veritatem ſe haurire, animúmque ſuum recta cognitione imbuere confidit. Nihil errori pariendo, nutri-

Narratio *Cuſpiniani* de itinere Ducis noſtri.

Compendia plerumque in grandes errores inducunt.

nutriendo, obfirmando, & usque ad obſtinaciæ inexpugnabilis callum obturando, commodiùs præ tali compendio inſervit. Plerúmque etenim ejusmodi Abbreviator, qui Lectoris affectum brevitate ſua jam occupavit, opinionem quoque apud eum ſibi facillimè conciliat, ea cuncta, quæ compendio tradidit, à ſe operosè ex multis conquiſita, ſtudiosè expenſa, veraciter adſcripta fuiſſe. Unde plurimi piaculum grande reputarent, verba illius in dubium adducere, examini ſubdere, quæſtioni ſubjicere, eò maximè, quòd ingrati animi Vitium cenſeant, adverſus eum pro tribunali ſedere, qui in gratiam tot Lectorum vaſtiſſimas res adeo breviter collegit, effractóque à ſe difficultatum omnium cortice, ſolum legentibus Hiſtoriæ nucleum, ut hi tales quidem exiſtimant, non parum benevolè, utilitérque appoſuit. Ego porro libenter admodum fateor quidem, omnium optimè illum docere, qui breviſſimè, modò etiam verè. De veritate autem præſumi non debet, ſed conſtare. Aſſerere multa, quantumlibet clarus, celebríſque ſit Scriptor, nemini prudentum fidem facere debet, quamdiu invicta monumenta deficiunt, aut ſaltem res traditæ cum aliorum Scriptorum relatione collatæ non fuerint, ſanóque judicio ab iis, quæ circumſtant, expenſæ. Quantopere fallat facilis fides, hoc præſenti exemplo patefacere libet.

Fallere videtur, Ducem noſtrum iterum Cruce ſignatum fuiſſe.

XXXVII. Primùm námque in hac relatione hæreo, unde noverit *Cuſpinianus* Chronographus recens, Ducem noſtrum *ſecundò* Cruce ſignatum, quod ſuperfluum videtur? quamvis non ignorem, hanc Cæremoniam ab aliquibus repetitam, ſed peculiari gravíque de cauſa, uti à *Friderico* II. Rege: qui cùm à Summo Pontifice vehementer ad profectionem in Paleſtinam urgeretur, ut eidem ſolvendi Voti certiorem fiduciam faceret, acceptâ Corona Romanâ, denuo ſe Cruce ſignari curavit. Ita & alii nonnulli fecêre, qui ita antehac egerant, ut meritò de Conſtantia eorum addubitaretur. Sed nihil ejusmodi imputari noſtro Principi poteſt: quare iterum eundem hoc ſigno ſalutis quaſi ad arma Chriſtiana recens conductum fuiſſe, absque teſte fide digno, nequaquam accipio. Habet quidem etiam *Arenpeckius* ad ANN. 1216. *Liupoldus Dux cum multis Militibus, ac aliis in Monaſterio Neuburga Clauſtrali Crucem aſſumſit, & cum Secundo Andrea Rege Hungariæ, Patre S. Eliſabeth, alisque pluribus Principibus mare transnatavit, & in 16. diebus uſque ad Civitatem Damiatam in Ægypto pervenerunt. Quod tamen rarò evênit, ita brevi temporis ſpatio mare transnatare.* Verumtamen antiquior paululum hic Scriptor, diverſorum ANNORUM geſta uno paragrapho complectitur, & per Crucis aſſumtionem intellexiſſe ipſius itineris ſub labaro Crucis

cis ingressum, rectè censetur. Ne dicam, eundem, uti sæpius aliàs in Historia sua, ita & hoc loco falsum dixisse, quòd Cruce signati nostri intra 16. dies Damiatam navigando attigerint. Id, quod postea luculentè patebit.

XXXVIII. Planè deinde in *Cuspiniani* narratione abest à vero; *Andream* Hungariæ Regem supplici *Leopoldi* hortatu eidem comitem ivisse. Præterquam enim quòd Expeditio tanta in Orientem, regio apparatu digna, in gratiam Ducis nostri paucis diebus, vel hebdomadis instrui minimè potuerit, nisi dudum antea decreta fuisset: longè alia erat, & gravior cura, quæ Ungarum ad iter impulerat. Decesserat nàmque *Henricus* Constantinopolis Imperator, & erant è Constantinopolitanis, qui ad firmandum contra Græcos Orientis Imperium, *Andreæ* Regi Hungariæ potentissimo Sceptrum dari consuluerant: quamquam plures in *Andreæ* Soccrum *Petrum* Comitem Antissiodorensem inclinarent. Utrumque *Andreas*, quo Gloriam nemo avidiùs unquam anhelabat, sibi perhonorificum reputans, sive ipse, aut Socer hoc Diadema auferret, è vestigio vota Constantinopolitanorum *Honorio* Papæ perscripsit, obsecrans, ut ob id Expeditionem Sacram urgeret, & Cruce signatis diem ad signa sua sequenda indiceret. Manifestum hoc fit è Literis Pontificis, quibus *Andreæ* respondit, apud *Raynald.* Annal. Eccles. XIII. p. 235. legendis. Ungaro verò causam suam apud Papam pro impetrando assensu literis agente, Socer ejus Gallus, quia vicinus, ipse pro se Romæ peroravit, & prævaluit. Lego enim apud Chronographum nostrum *Fossa-Novanum* in hunc modum. *MCCXVII. mense Aprili quidam Comes Francigena, nomine* Petrus de Alsunsla, *à Græcis vocatus, & electus in Imperatorem Constantinopolitanum, applicuit Romam cum Uxore & Filiis, & alio Comitatu, honorificè à Domino Papa Honorio, & à Clero à & cuncto Populo Romano est receptus: ac V. Idus prædicti mensis in Ecclesia S. Laurentii, foris murum, cum magna gloria & decore coronatus est à summo Pontifice, cum Uxore sua.* Huic nomen *Jolantæ* fuit, erátque Soror *Balduini* primi Imperatoris Latini Constantinopolis: propter quam Electio in *Petrum* Conjugem ejus ceciderat. *Andreas* Ungarus horum Filiam *Jolem* secundis Nuptiis duxerat, occisa prima Uxore *Gertrude*, ac proinde *Petri* Gener erat: cui non tam sanguis cognatus, quam Regni potentia, nonnullorum Constantinopolitanorum Vota conciliaverat.

Andreas Rex iter Orientis non suscepit ad preces Ducis nostri.

Sed quia à nonnullis Constantinopolitanis electus erat Imperator.

Prævaluit autem *Petrus* ejusdem Socer, coronatus Romæ.

XXXIX. Rari interim illo ævo exempli, nisi planè nullius fuit, Constantinopolitanum Imperatorem Romæ coronari: neque hæc solemnia metu Pontificis vacabant, tum in Romanum Imperatorem, tum in Primates Cleri Orientalis offendendi.

Cautelæ in hac Coronatione tam rari exempli adhibitæ.

Sed

Sed ne Imperator Occidentis conqueri posset, vel etiam novus ipse Coronatus, aut Successores ejus, ex hac Coronatione Romæ facta, Jus quoddam ad Imperium Romanum aliquando effingerent, *Honorius* futurorum providus novum Augustum Orientalem, extra Urbem coronavit, assidente *Udalrico* Abbate S. Galli, *Friderici* II. Germaniæ Regis tunc Legato. Ubi, fidem faciente *Conrado de Fabaria* Monacho ejusdem apud *Goldast.* Scriptor. Tom. I. p. 81. *Veniente Imperatore Constantinopolitano, cùm assurgeretur sibi à Cardinalibus, & à cunctis Romanæ Dignitatis Optimatibus, Abbas gloriosissimus, Loco sedens Romani Principis, non movebatur, indignantis animi signans effigiem, ac si non legatoriè, sed possessionaliter Locum Solii teneret Imperialis: - - - cúmque Coronatus in Civitatem vellet peragrare, toto conatu, ne fieret, elaboravit, & obtinuit.* Ne Patriarcha Constantinopolitanus reclamaret, Literis ad eum datis protestatus est *Honorius*, se nonnisi gravissimis de causis, tumultúsque prævertendi ergò, novum Imperatorem Orientis Romæ coronâsse, quin propterea Ecclesiæ Constantinopolitanæ ullum futuris temporibus præjudicium debeat enasci. Actis porro solemniis *Petrum* Coronatum, unacum Legato adjuncto, Constantinopolim dimisit, infelicem sanè, quia nihil, præter Nomen inane, & otiosum Coronæ Insigne possedit. Mox námque, ut Regnum Orientis ingressus est, fraudum Græcarum incurius, & ignarus, proditione *Theodori Comneni*, Coronæ Æmuli, dum splendidissimè exceptus assideret, unacum Pontificis Legato, in carcerem abstractus fuit: quod miserum fatum minùs tamen Ecclesiæ Romanæ præjudicii tulisset, si ut Electus duntaxat incidisset in vincula, neque Romæ priùs inunctus fuisset. Præterea hæc Conversio Orientis rursum in capite impediit, ne Expeditio Sacra Latinorum optato fine potiretur: quia nulla jam subsidia sperari, obtinerique è Græcia poterant, & *Andreas* Rex Ungarus fine suæ Profectionis, qui erat, sibi, vel Socero Imperium Græcum asserere, penitus excidens, præpropere, quod postea dicetur, domum repetiit.

Novus Imperator in Oriente statim captus.

Inde Expeditio quoque sacra felici fine fraudata.

Dux noster veloci Navigatione nullatenus Damiatam, sed solumodo Cyprum Insulam attigit.

XL. Feliciter navigasse *Leopoldum*, & brevissimo præter solitum tempore Mare transfretâsse, complura Chronica tradunt, 16. dies numerantia, præter Anonymum *Zwetlensem*, qui dies 42. descripsit. Sed intra hos nullatenus *Damiatam*, quod habent *Arenpeckius* & *Cuspinianus*, perventum est, nostris ad hanc Urbem obsidendam sequenti primùm Anno Mense Junio accedentibus. Cyprus duntaxat petebatur: quam ad Insulam jam in Concilio Lateranensi pro nascentis DEIparæ Solemniis condictus erat Procerum Senatus in commune cogendus, qui de modo & ordine Belli Sacri in medium consultaret.

Expug

Expugnandam præ omnibus Ægyptum, æquè jam Romæ statutum fuit: sed apud Cyprum, euntibûs in diversa sententiîs, Dux noster Concilii de Ægypto decretum fortissimè ursit, & in omnes verbo valebat, cùm facundissimè disseruisset, ab hac provincia Saracenis robur omne, nervúmque belli provenire.

XLI. Comites, quos repererim pauculos in plurimis ivêre, primus *Hadmarus*, ex Abbate Garstensi paulò antè postulatus Abbas Mellicensis, in itinere defunctus, testibus veteribus utriúsque Monasterii Tabulis. *Rudolfus* item Abbas Cremifanensis, nisi planè fallant ejus Cœnobii Annales, in hoc utique p. 177. prorsus à vero exerrantes, quòd hunc Præsulem suum cum *Leopoldo* Romam profectum tradant, & in reditu V. Non. Martii AN. MCCXIX. in Civitate quadam Longobardorum extinctum. Tandem & *Hadmarus Chunringius* alter Zwetlensium Fundator, de quo fusè illius Monasterii *Annales* Tom. I. p. 266. sqq. æquè mortem illius, tanquam haud ampliùs reducis, deflentes, hoc addito, se petente, famulósque adjurante, Manum dextram ejusdem cum corde, Ossibúsque excoctis Zwetlam relata esse. Quod asserunt fide D. *Ebronis* Abbatis sui, illorum temporum supparis, & ita ex relatione seniorum attestantis. Quid verò, si vivus in Austria *Hadmarus Chunringius* adhuc 1219. die 7. Octobris perstiterit? Eodem certè Anno, teste *Ortilone* nostro coævo ac domestico, Clementissimus Fundator noster donavit nobis predium Eschenawe, & Chartæ hujus Donationis, prædicta die expeditæ, inque primo Codice Privilegiorum nostrorum, qui est Seculi ejusdem, integro tenore descriptæ, *Hadmarum* istum cum Filiis *Hadmaro* & *Henrico* Testes adhibuit. Hoc proinde fundamento Diplomatico certius quodammodo fit, Inclitæ Zwetlæ Fundatorem alterum *Hadmarum* in Austria diem suum obiisse, totóque Corpore hoc suo in Cœnobio quiescere. Dicam de hoc iterum Tom. IIII. inter Familias in C. ubi illustrem Stirpem *Chunringicam* prolixiùs exequar.

Comites aliqui ejusdem.

XLII. *Honorius* Papa, posteaquam Milites Christi in ditionem Saracenorum jam ingressos esse accepit, solemnem Romæ supplicationem nudis pedibus ipse duxit, similémque ubivis locorum qualibet primâ cujuslibet Mensis feriâ sextâ institui ab omnibus Episcopis, missâ Epistola encyclicâ, postulavit, ubi inter cætera scripsit. *Charissimi Filii nostri,* Andreas *Ungariæ Rex Illustris,* Austriæ, *ac* Moraviæ (veriùs Meraniæ) *Duces, Viri utique Dignitatis honore conspicui, sed non minùs fidei devotione præclari, cum nonnullis Baronibus, Comitibus, & alio Comitatu suo, DEI munere ventis usi felicibus, litora Hierosolymitanæ Provinciæ feliciter attigerunt:: qui attendentes, quòd non est diffe-*

Honorii Papæ Commendatio Militum Christi, ac pro eis solicitudo.

rentia in Conspectu DEI Cæli, liberare in multis, aut in paucis --- Terram Babyloniæ in Multitudine quidem parva, sed strenua, de superno confisi auxilio, sunt ingressi. Quis fidelis, hoc audito, lachrymis & Orationibus indulgere non debeat, ac ad Dominum oris & cordis vocibus exclamare, cùm Pars Corporis nostri, cujus caput est Christus, Corporis, quod est Ecclesia, Corporis, cujus sumus singuli membra, forsitan hac ipsa hora gloriosa pro fide Christi certamina ineat, suisque diffidens viribus, ac de sola Divinæ Virtutis miseratione confidens, ad eam faciliùs impetrandam nostrarum suffragia Orationum exposcat?

Sacræ Expeditionis Damiatinæ commodissimus mihi Scriptor *Oliverius* Scholasticus: ex quo cæteri sua.

XLIII. Porro cùm nemo sit Scriptorum, Sacrum hoc Bellum commemorans, cujus calamus Virtutem *Leopoldi* nostri non celebret: plerique tamen eorum, verbis *Godefridi* Coloniensis, Monachi Benedictini S. Pantaleonis intra Muros Coloniæ, utuntur. Hic verò pleraque sua, quæ de hac Expeditione prolixiùs attulit, citra dubium hausit ex *Oliverio Scholastico*, Viro præcipuo, ex Canonico Paderbornensi Coloniam translato, ut Scholæ Capituli Magister præesset, unde eidem *Scholastici* Nomen. Primùm in Gallia adversus Albigenses Crucis Dominicæ Præconem egregium egit, Divo Dominico familiaris. Abinde in Brabantia, Flandria, Frisia, adsitísque Provinciis homines in Orientem concitavit: quibus & ipse se Comitem dedit, uti perspicuè edocet *Albertus* Stadensis, ad ann. 1217. inquiens. *Multi Peregrini versus Jerusalem sunt profecti, petentes de Marsalia Terram Sanctam: in quorum comitatu erat Magister Oliverius, Prædicator famosissimus, postea Paderbornensis Electus, & tandem S. Sabinæ Præsbyter Cardinalis.* Hac eum Purpura *Honorius* Papa convestiit sub Annum 1226. Ipse verò Anno altero obiisse existimatur. Scripsit *Historiam Regum Terræ Sanctæ*, aliàs à me in Propyleo sæpiusculè laudatam: item aliam *Damiatinam*, de Captione nimirum Damiatæ: quæ mihi jam nunc dilucida Pharus erit, tametsi nequaquam rem ex Ordine pandere constituam, sed ea solummodo, quæ Ducem nostrum peculiariter attinent, delibare decreverim. Hoc eodem fonte liberaliter quoque potavit *Jordanus*, quem è Bibliotheca Vaticana MS.tum perpetuò laudavit, & excerpsit *Raynaldus*. Historiam interim *Oliverii* Damiatinam, quæ longè prolixior est, quàm ut Epistolæ nomine veniat, quo tamen passim ab aliis compellatur, vulgavit Jllustr. *Eccardus* Scriptor. Tom. II. à col. 1397.

Prima laus Ducis nostri.

XLIV. Primum ergo, quod *Leopoldo* perhibet spectatæ Virtutis testimonium, hoc est. *Bavari* (ait) *insolenter, & contra legem Peregrinorum se habuerunt, hortos & pomeria Christianorum destruendo, ejicientes etiam de hospitiis suis Religiosos, nec his con-*

contenti Christianos interfecerunt. Dux Austriæ, sicut Princeps Catholicus, per omnia Christo militavit. Hæc de Adventu primo apud Accon, sive Ptolemaidem. Illuc delatam à Patriarcha Jerosolymitano alteram, quæ residua erat, Salvificæ Crucis Dominicæ partem, cùm unam, simul cum Terra Sancta annis abhinc viginti amissam, adhucdum Saraceni retinerent, universus Exercitus devotissima cum supplicatione excepit, Peregrinorum verò summa Capita *Andreas* Rex, & *Leopoldus* Dux, nudis pedibus Castris egressi, humillimis cum osculis reverebantur. Hoc deinde Deifico sub Labaro processum est juxta Montes Gelboë ad Bethsaidam, ubi Pagani Castra ingentia metati erant: viso autem pulcherrimo nostrorum ordine protinus diffugerunt. Securè itaque Christiani Milites Jordanem transeuntes, ubi Christus universi Mundi crimina lavit, abluerunt Corpora sua, ac plurima Loca, vestigiis & Miraculis Christi sacrata, peragrantes, aut libero saltem oculo haurientes, Acconem redivêre. Altera profectione itum ad Montem Thabor, ubi hostes vetus Castrum mirabiliter muniverunt, ut ne vix quidem plurimo sanguine expugnandum crederetur. DEI autem virtus & hìc ita perterruit hostem, ut conscenso à parte aliqua nostrorum excelso Monte, & nonnullis velitationibus repulso barbaro, nostris de victoria diffidentibûs, jámque denuo descendentibus, noctu Saraceni sponte rursus fuga elaberentur. Tertium ad fines Tyri ac Sydonis processum est cum jactura plurimorum, quos partim hostes ex insidiis, magis verò asperitas hyemis, & aëris inclementia, ventis atque pluviis horrida, confecêre.

S. Crucis exceptio devota.

Triplex egressus nostrorum in barbaros ubique fugientes.

XLV. „Post hæc (pergit *Oliverius* phrasi sua) Exercitus „Domini in quadrifariam divisus est. Rex Ungariæ, & Cypri „Tripolim profecti sunt: ubi Rex Cypri Adolescentulus diem „clausit extremum. Rex Ungariæ brevi tempore commoratus, „cum magno damno Terræ sanctæ recessit. Peregrinos enim, „& Galeas, (i. e. Navigia) dextrarios (h. e. Equos supra nu„merum, & colligatos propter ferenda onera) & jumenta, cùm „armis secum traxit, multùm ammonitus à Patriarcha, ne sic „recederet. Tandem excommunicatus, cum sua sequela con„tumax abiit. Alia pars Peregrinorum pigrorum, & timido„rum, & eorum, qui procumbentes ad terram, ore pleno de „habundantia temporalium biberunt, remansit in Accon. Rex „verò Jerusalem, & Dux Austriæ, cum Hospitalariis S. Johan„nis - - - Castrum in Cæsarea Palestinæ brevi tempore, & viri„liter, & constanter firmaverunt, licèt hostis adventus frequen„ter nunciaretur. Templarii verò - - - Castrum Peregrino„rum, quod olim *Districtum* appellabatur, firmare cæperunt.„

Præmaturus & noxius Regis Ungari discessus.

Munitiones Castrorum factæ à nostris.

Situm illud erat ſex milliaribus à monte Thabor, ibíque, dum foderetur, reperta ſunt Murorum fundamenta, lapidum immenſa copia, argenti præterea grandis theſaurus, ſed Monetæ ignotæ: quæ omnia inſtauratoribus plurimo commodo fuêre. Perfecta eſt Structura munitiſſima, Templariis deinceps diverſorium, & præſidium tutum præbitura. Hæc *Oliverius* ad annum præſentem, quamvis ita loquatur, ut facilè colligas, eorum executione principium pariter anni ſequentis inſumtum fuiſſe. In his omnibus porro tametſi multùm pugnatum non fuerit, metus tamen hoſtis aggreſſuri perpetuus urgebat: unde animi contemnentis fortitudo paulò minor erat, atque Manus conferentis fuiſſet. Ne dicam, hanc ipſam noſtrorum tam nullam trepidationem ad minas hoſtiles, confudiſſe barbaros, & veluti jugem de eis victoriam retuliſſe.

Annus 1218.

XLVI. HOc Anno tam *Ortilo* noſter, quàm alii, Reditum Regis Ungari ſignârunt, atque noſter: *Andreas Rex Ungariæ ſine magna laude è Terra Sancta redit. LIUPOLDUS Dux verò ibidem fortiter perſiſtit, & apud Damiatam cum fama maxima pugnat.* Ego, priusquam noſtri Principis labores, merita, atque Gloriam exequar, ſiquid aliud commemorandum ſuperſit, breviculè antepono. Horum primum ſit, quòd Annalium *Colmarienſium* fide, qui ſoli, quod ſciam, hoc adnotârunt, ex illis verò recentiores omnes, Calendis Maji hujus Anni, natus perhibeatur RUDOLPHUS *Habſpurgi* Comes, futurus poſt Annos 50. Romano-Germanicæ Majeſtatis Reſtitutor, & Vindex ab enormi Vicennalis propemodum Interregni diſturbio; turpe Imperii Senium, quod eidem vehementer adulta Legum impune violatarum licentia induxerat, nova quadam reparatæ diſciplinæ Juventute reparaturus: daturus præterea è Sanguine ſuo Maſculo tot ac tantos Imperio Cæſares, Hiſpaniæ, Siciliæ, Hungariæ, Bohemiæ Reges, Auſtriæ Archiduces, infinitis aliis Provinciis Duces, ac Principes, Religione, Fortitudine, Sapientia, Majeſtate præſtantes, ut Seculis pluribus nihil ferè magnum habiturus ſit Orbis, niſi Auſtriacum.

Naſcitur feliciter Rudolphus Habſpurgicus.

Otto Imperator ſummè compunctus obiit.

XLVII. Alterum eſt, eodem pariter Menſe Majo, teſte *Alberto* Stadenſi, nimirum XIV. Calend. Junii *Ottonem* verè infauſtum Imperatorem, tantis diris Pontificiis perſtrictum, largiente tamen DEO, *in Caſtro Hartesburg ineffabili contritione compunctum, ita, ut Coquinariis ſuis præciperet, ut in collum ſuum conculcarent, à Siſrido Hildesheimenſi Epiſcopo abſolutum, obiiſſe.* Hæc à Scriptore ſinchrono tradita, alios deinde recentiores Chrono-

Chronographos frequenter transcripsisse, indignissimè tulit *Henricus Meibomius*, quem ajunt *Seniorem*, Minister & Professor Academiæ Juliæ Helmstadiensis, in Apologia sua pro *Ottone* hoc IV. Imperatore, exstante in Scriptoribus *Meibomianis* Tom. III. à pag. 111. Et quia *Crantzius* hæc narrandô addiderat, *Ottonem* se à Coquinariis conculcari præcepisse *tanquam vilissimam DEI creaturam*, ita exclamavit *Meibomius* l. c. p. 147. *Quæ verò ista insania? quis furor? Supremum Orbis Christiani Monarcham, quem Divina Majestas Vicarium suum, immo DEUM pronunciat, inaudito inter verè pios exemplo, infra omnes DEI creaturas abjicere? Ubi, Viri literati, Viri sapientes, Cranci, Sigoni, ubi, cùm hæc scriberetis, frons vestra? pudor vester? Si de omni verbo otioso reddenda aliquando ratio: quam auferet mercedem, hæc insolentia, hæc dicacitas? Ego nec Mercurio quidem logos istos garrienti fidem adjunxerim.* Sic efferbuit Declamator *Meibomius*, Helmstadiensium olim Prædicator in Cathedra, Doctor in Schola. Ego verò non video, quid Scriptores isti tantoperè peccârint: quippe qui in Principem istum vilissimæ creaturæ convitium neutiquam intorserunt, sed propriam duntaxat *Ottonis* compuncti de se confessionem, aut saltem animi contriti & humiliati sensum expressêre, qui certe inter verè pios, non opprobrii, sed eximiæ laudis est argumentum. Sensit *Otto*, quem ad Judicem iturus esset, apud quem nimirum non est personarum acceptio: & qui, uti mors quotidie Sceptra ligonibus æquat, sic & ipse Dominum ac Servum compari judicii districtione examinat. Illius itaque exemplô, sapienter utique sibi à Præsulibus assistentibus proposito, qui, quamvis non rapinam arbitratus esset, esse se æqualem DEO, nihilo seciùs tamen non solùm exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, verùm etiam, cùm ipse peccatum non fecerit, portans tamen iniquitates omnium nostrûm, factus est etiam vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis: hujus, inquam, exemplô, & sanè Christianæ pœnitentiæ formâ, seriæ meditioni subjecta, in difficillimo illo supremi sui temporis articulo compunctus *Otto*, propriæ iniquitatis suæ reum se esse expavit. Credidit in Christum Redemtorem: sed illam Libertatem, qua Christus nos donavit, non, uti *Meibomius*, perperam sibi persuasit, exolvere credentes à formidine ultionis Divinæ peccatis intentatæ: quin potiùs cum Apostolo *adimplere* in se studuit ea, *quæ desunt passionibus Christi.* Superbiam itaque Seculi posuit, fabulam Imperii execratus est, animæ pretium appendit, domum æternitatis, cujus ad ostium stabat, portámque angustam, qua sibi jam mox introeundum esset, mente præcurrit. Et ideo in sola humilitate, veráque humiliatione tam cordis quàm corporis verè contriti salutare præ-

Notatur *Meibomius*, illis indignatus, qui hujus Principis pœnitentiam exsplicuerunt.

ſidium conſtituit. Nihil morituro pro conſequenda venia nimium eſt: quidquid egerit pœnitentiæ, parum immo nihil videbitur. Unctio Regia, diademata, ſceptra, imperia, foris tantummodo ſplendent, cor non afficiunt, non purgant, non ſanant, minùs verò ſanctificant: peccatum autem unicum eſt, & ſanè tantum noſtrorum cordium inquinamentum, ut viliſſimæ quælibet creaturæ non peccantes homine quolibet peccatore ſanctiores rectiſſimè credantur. Quid igitur abſurdi habeat, etiam Regem peccatorem ſe viliſſimam creaturam confiteri? quo pacto inſaniat ille, vel furat, qui ejuſmodi confeſſionem de Rege teſtatus, hoc ipſo teſtimonio ſuo eidem veri pœnitentis ſanctiſſimum elogium indulget? Auſim dicere, miſerum *Ottonem* futurum fuiſſe, niſi moriturus præ *Meibomio* vivente ſaniora cogitâſſet. Parcat Lector huic excurſui, & advertat, quàm oppidò promiſcui ſæpenumero Scriptores grano ſalis indigeant.

Cruce ſignatorum acceſſus ad Damiatam.

XLVIII. Jam porro Dux noſter in Oriente reviſendus eſt. Appulerant Acconem Colonienſes cum Friſonibus, qui ANNO priori de Mauris in Luſitania inſigniter triumphârunt. Tum ſtatim, ut habet *Oliverius*, Ductoribus præcipuis, Jeroſolymitano Rege, ac Duce Auſtriæ, vela verſus Damiatam, aliis Peluſium dictam, explicata ſunt Menſe Majo poſt Aſcenſionem Dominicam. Prima Caſtra, fugientibus iterum barbaris, facilè ponebantur. Bono quoque omine acceperunt noſtri Ecclypſim paulò pòſt accidentem, qua tota propè Luna, præcipuum barbarorum Signum, obſcurata fuit. Verumtamen medio Nilo flumini Pharus inſiſtebat, ſive Turris prægrandis fortiſſimè munita, ampliſſimóque Saracenorum præſidio defenſa, poſt eam verò Pons ad Urbem deducens: quæ Turris niſi expugnaretur, neque Nilus tranſiri poterat, neque Statio ad Urbem defigi. Hic itaque Rhodus, hìc ſaltus noſtrorum. Conſtructæ geminæ machinæ catapultariæ, Cogones *Oliverius* appellat à cogendis, ut arbitror, muris, quibus baliſtæ & arietes jactabantur, appoſitis utrique ſcalis, è quibus oppugnatores in ſummitatem Turris contenderent. Atque his machinis aliquamdiu pugnatum. Calente autem pugna primùm Scala, quæ Templariorum fuit, deinde altera pariter Ducis noſtri, confracta, bellatores Chriſti deciduos, colliſóſque, vel aqua merſos, magno numero in cælum tranſmiſit, hoſtibus ingenti cum plauſu noſtrorum lamenta confundentibûs. Navibus Chriſtianis, quæ Turri propinguæ erant, diu noctúque tempeſtas telorum, Saxorum, picíſque accenſæ & excuſſæ, diſcrimen maximum attulit: Remotioribus ignis græcus, ſecundo flumine ab Urbe turríque in noſtros emiſſus, decumani incendii periculum admovit.

Turris ante illam fortiſſima ſummo cum diſcrimine, ſed fruſtra, oppugnata.

XLIX.

XLIX. Superiores tamen his malis omnibûs animi nostrorum, DEOque uni confisi, rationi insuper suæ extremùm condixerunt, modos varios meditantes, quibûs in Turrim prævalerent. Excogitata tandem est, neque minore ingenio, quàm labore perfecta Machina nova, duplicis Castelli formam referens, ita compaginati & colligati, ut unum alteri contra confractionem præsidio atque munimini foret: coriis insuper madidis adversus damna ignis intecta fuit. Eâ paratâ, sexta feriâ ante festum S. Bartolomei, ab universo exercitu nudis pedibus supplicatio fiebat ad locum, ubi Crux Dominica servabatur, &, qua fieri poterat, obsecratione DEUS in vota vocatus. Tum universorum veluti manibus nova machina, inter tela & saxa hostium assiduè volantia, ad usque Turrim pertracta est, Sacerdotibus & Clericis in adversa fluminis ripa sine intermissione psallentibûs. Posteaquam verò illa Aquilonari tandem lateri applicata fuisset, oppugnatio initium sumsit, Patriarcha interim Jerosolymitano ante Lignum Crucis prostrato, mediisque in pulveribus jacente, Clero autem nudis pedibus adstante, ac tensis in cælum manibus DEI misericordiam inclamante. Parata à nostris Machina nova.

L. Quanti hæc pugna discriminis fuerit, verbis exponere opus non est: arbitrentur de ea Lectores. Aliqua tamen ex *Oliverio* curatiùs discamus. „Defensores Turris (ait) extensis lanceis anteriorem partem scalæ subter unxerunt oleo, deinde ignem apposuerunt, qui erupit in flammas. Cúmque Christiani, qui in ea fuerunt, concurrerent ad ignis suffocationem, suo pondere Caput Scalæ depresserunt in tantum, ut pons tornatilis, fronti appositus, inclinaretur. Signifer Ducis Austriæ de scala corruit: saraceni Vexillum Ducis tulerunt. Babylonii se vicisse putantes vociferati sunt, aërem clamore vexandô: Christiani de equis descendentes, ad supplicationes se prostraverunt.„ Augurium felix, LEOPOLDE, Princeps Maxime! Vexillum tuum, quamvis adhuc manu hostili ventiletur, primum Turri illatum, pignus & arrha certissima evasit, tibi deditionem ab inimicis Crucis Christi paulò pòst faciendam esse. „Ecce enim (prosequitur *Oliverius* paucis interjectis) ad hanc Populi devotionem, & elevationem manuum in Cœlum, levavit Scalam Divina Pietas, extinxerunt ignem fidelium lachrymæ, & nostri, resumtis viribus, cum defensoribus Turris - - - viriliter pugnaverunt. Miles quidam juvenis Leodiensis primus Turrim ascendit. Frisso alter juvenculus tenens flagellum, quo Granum excuti solet, sed ad pugnandum connexione catenarum præparatum, ad dextram & sinistram fortissimè percussit, & quemdam, tenentem Signum croceum Sultani, stravit, Vexillum ei abstulit.„ Vide sis, quàm citò Vexillo Austriaco redditæ vices hoc pri- Summè ardua Turris Expugnatio. Capitur ab hostibus Vexillum *Leopoldi*.

primo hostium Signo: qui se modicùm postea ipsi tradiderunt. Post enarrata quippe non pauca adhuc alia nostrorum heroica facinora, rursùm *Oliverius* addidit. „Tandem conclusi in Turri colloquium petebant, & se sub pactione vitæ dediderunt „Duci Austriæ.„ Habemus Victorem, qui spolium tulit. Non ergo fefellerunt Scriptores Patrii, dum Leopoldo suo uno ore Epinicion canunt.

Ipsi facta Turris deditio.

Excerpta Epistolarum ad Pontificem, & hujus ad Crucesignatos, aliosque fideles.

LI. Cùm verò Pelusium tendentes nostri, Turrim jam oppugnare cæpissent, Epistolam Pontifici submisêre, omni eundem cum efficacia obtestati, ut novas Cruce signatorum suppetias, numero non parvo, in Orientem dirigeret. Scribebatur illa, ut apud *Raynaldum* lego, communi nomine Joannis Regis Jerosolymæ, Leopoldi Ducis Austriæ, Patriarchæ Jerosolymitani, aliorúmque Palestinæ Præsulum: unde intelligimus, Peregrinorum, qui ex Occidente erant, primum summúmque Caput ibi non aliud, præter Ducem nostrum, exstitisse. Epistolæ suæ hæc verba annectebant. - - - *His igitur Vobis nunciatis, supplicamus Sanctitati Vestræ in Domino, & pro Domino, flexis genibus exorantes, quatenus Christiano Exercitui, magnis periculis exposito, curetis misericorditer & celeriter subveniri. Non enim de Virium nostrarum confidentia tantum onus subire præsumsimus: sed de Vestra post DEUM sperantes subventione, ausi sumus in remotis partibus Obsidionem incboare, & Civitatem excellentissimam, atque munitissimam impugnare. Qua obtenta firmiter speramus, ut totam possemus Ægyptum occupare, & Terram Sanctam, pro qua laboramus, finaliter obtinere.* Liquet hinc iterum operis arduitas: quam probè pensitans *Honorius*, hæc eis inter cætera, agonizantes pro Christo consolaturus, rescripsit. *Receptis literis vestris, & nunciis, & intellecto, quàm arduam rem estis, de Divino Auxilio confidentes, aggressi, etsi subitò concussa fuerint ossa nostra, dum paucitatem vestram respectu oppositæ multitudinis pensaremus: mox tamen, occurrente nobis, quod legitur:* Dominum formidabunt Adversarii ejus, & super ipsos in Cœlis tonabit: *fuimus fiducia, & consolatione repleti.* Ut verò tantæ eorum Virtuti, qua demum posset, opitularetur, crebras ad Episcopos diversarum Provinciarum, celerésque Epistolas dimittens, his verbis est usus. *Rem aggressus est Exercitus Christianus existens in Partibus transmarinis, in qua consistit aut plena Victoria, aut vincendi desperatio manifesta. Obsedit enim Civitatem* Damiatam *opulentam & magnam - - - Hæc attendentes Venerabilis Frater noster Patriarcha Hierosolymitanus - - nec non & charissimi Filii nostri Magistri Hospitalis, & Militiæ Templi, & S. Mariæ Teutonicorum,* Dux Austriæ, *ac Principes Exercitus Romanorum, aliique Prælati ac Magnates, consisten-*

ſiſtentes in obſidione prædicta, literis ſuis, & precibus, quæ lapidea etiam corda emollire poſſent ad lacbrymas, nobis inſtantiſſimè ſupplicârunt, ut, cùm expenſæ, quas fecerunt, & faciunt in Machinis, & Galeis, ac alii bellici ſumtus, eos pecuniâ ſic exhauſerint, ut Viris bello ſtrenuis, qui pro defectu rerum remeare coguntur, neceſſaria miniſtrare non poſſint, & ſic exercitus paulatim quotidie dilabatur, eis, poſt DEUM, in cismarinorum auxilio totam ſpem habentibus, tam Bellatorum, quàm pecuniæ ſuccurſum mittere feſtinemus, Monemus igitur Univerſitatem Veſtram &c. Hæc excerpere libuit, ut multis rem, quam ipſi nunquam experti ſunt, atque ſubitam ſub lectionem, nequaquam pro dignitate penſarent, luculentiùs ob oculos ponerem, ac docerem, quam difficilem ſtationem Inclitus Princeps noſter in Regione tam longinqua tanto tempore tuitus fuerit, quantúmque pro Crucis honore propugnando, jam ſudans, jam algens, inter geminum tam cum hoſte, quàm cum egeſtate conflictum, nihiloſecius Meritum poſuerit.

LII. *Oliverius* porro pergens, prolixè diſtinctéque narrat, quàm ſummis cum diſcriminibus, Turri occupata, non niſi poſt multa irrita tentamina, noſtri Pontem, qui trans Jordanem ſtructus erat, navibúsque hoſtilibus impoſitus, tranſire, immo penitus conquaſſare potiùs debuerint, hócque pacto Milites ad litus, & mœnia Urbis, eandem circumdaturos exponere. Quot exercitus eisdem à *Corradino* (nam *Saphadinus* Pater ejus tædio & mærore propter Turrim ſubactam interiit) quaſi arena maris multiplicati opponebantur? qui cæſim carptímque Chriſtianos jam à fronte, jam à latere, jam à tergo, ea fraude inceſſerunt, ne unquam unanimi virtute barbaros aggredi, fundere, ac conficere poſſent. Par omnium periculum erat, ſive qui primi, ſive qui medii, ſive qui ultimi vehebantur. Nilus fluvius græco igne in ſulphureum iterum iterúmque convertebatur. Aer obſcuratus pluebat ſagittis. Quocunque ad ripam progrederentur, muri argillares, valla, foveæ, immenſis præſidiariis oppleta obſtabant. Quid, quòd ipſe Nilus triduana eluvione rabidus, Caſtra, arma, Penum annonariam, & omnem ſupellectilem fluctibus abſtulerit, ſive corruperit, parùmque abeſſet, quin univerſus Exercitus haud ſecus, ac olim Ægyptii Iſraëlem perſequentes, procellis mergeretur? Omnium hìc, ſummorum, immorum, æquale diſcrimen erat, neque Principibus populi amplius aliquod præſidium præ triariis adfuit. Servatos providentiâ Numinis ſtatim, ut ampliùs probarentur, lues quædam contagioſa corripuit, numeróque non parvo imminuit. Poſteaquam verò, durantes in his omnibus, Caſtra tandem per gyrum Urbis poſuêre, *Corradinus* novis cum exercitibus ibi ſtationem locavit, unde noſtri exceſſerant, tergúmque eorum de-

Expugnatâ Turri applicatio Caſtrorum ad urbem difficillima.

cumana cum multitudine obsedit, ut antè retróque hostem habentes, quocunque se verterent, mortem intuerentur. Atque has inter Scenas terribiles versatus Princeps noster, annum præsentem exegit, si quis alius, Heroëm animo, corpore Militem, constantia Pugilem Christi insuperabilem gerens: cui profectò sola dilectio, fortis ut mors, animam servavit.

Annus 1219.

Saraceni destruxerunt Jerosolymam.

LIII. Videns barbarus Cruce signatorum Virtutem, Marpesiæ cautis ad instar adversitate nulla frangendam, pessimè sibi de Urbe obsessa metuebat. „Quapropter (ait *Oliverius* ad hunc annum) Regina Civitatum Jerosolyma, quæ „videbatur inexpugnabiliter munita, destructa est à *Corradino* filio *Saphadini* foris & intus: Muri ejus cum turribus redacti sunt in acervos lapidum, præter Templum „Domini ac Turrim David. De Glorioso Sepulchro destruendo consilium habuerunt --- sed huic temeritati nemo præsumsit manum apponere propter loci reverentiam. --- In die Palmarum Anni præscripti inimici nostri, multa comminatione „præmissa, quòd se ipsos, vel nos omnes una die perderent, collecto terribili & innumerabili exercitu equitum & peditum irruerunt super nos, undíque fossatum nostrum invadentes, & „maximè Pontem Templariorum, & Ducis Austriæ, quem „Ipse cum Teutonicis defendere studuit. Hostes cum electis „Militibus de equis suis descendentes cum Christianis atrociter „pugnaverunt: tandem pontem ascendentes, partem ejus combusserunt. Dux Austriæ præcepit suis, ut, ponte relicto, aditum darent instantibus, & introitum. Sed intrare „non præsumserunt propter Militiam nostram, quæ acies suas „ordinaverat in subsidium Munitiones defendentium. Mulieres, aquam, & lapides, vinum, & panes Bellatoribus intrepide ministrabant: Orationi sacerdotes insistebant, vulnera sauciatorum ligantes, & benedicentes. Eo die non est nobis datum spatium gestandi alias Palmas, quàm balistas, & „arcus cum sagittis, lanceas, & gladios cum clypeis: adeò instabant, & vexabant atrociter, qui venerant ad perdendum „nos, studio liberandæ Civitatis, ab ortu Solis usque ad horam „ferè decimam. Tandem defatigati se retraxerunt cum damno maximo.„

Aggressi sunt nostros, & maximè Leopoldum, furiì maximà.

Malè tandem mulctati se retraxerunt.

Gloria Ducis nostri.

LIV. Ultimus hic Actus erat *Leopoldi*, quem laudavit hic Scriptor, testatus, quæcúnque vidit. Et sanè Actus magnanimus, dum adeò hostes non pertimuit, ut Ordines Militum aperiri potiùs, barbarísque spatium dari ad aggrediendum juberet.

ret. Verè hæc dies Palmarum, dies Triumphi, Lauris dives, Adoreis fulgida, Epinicio canora. Nemo jam diffitebitur, sudatum satis à Principe, sat supérque eundem & fortunas, & sanguinem, & Vitam pro Cruce exposuisse. Quapropter meritò jam eundem, præcipuè cùm certus quodammodo foret, Urbem Damiatam necessariò casuram, Cura propriæ Domus, Patriæ salus, quin etiam Campililii sui nondum perfecti Amor domum revocavit. Adeò illum spes prædivitis prædæ, cupido spoliorum, Gloria denique Urbis iterum sibi dedendæ, non retinuerunt, ut facilè credam, ad hæc ipsa subterfugienda eundem vela vertisse. Abeuntem porro *Oliverius* specioso hoc Elogio, quale nulli cæterorum recedentium cecinit, ad litus, immo ad æternam ævi futuri memoriam prosecutus est. „Instabat jam Passagium vernale, recessurus erat **Dux Austriæ**, qui per Annum & dimidium fideliter Christo militaverat, plenus Devotione, Humilitate, Obedientia, Largitate. Qui præter alios sumtus innumerabiles, quos in Negotiis bellicis, ac privatis Eleemosinis fecerat, Domui Teutonicorum VI. Millia Marcarum Argenti, vel amplius, ad comparandum Prædium creditur contulisse, & Castro Templariorum Novo quinquaginta Marcas Auri.‟

Revertitur domum.

LV. Ei tamen, quem apud Urbem reliquit, quique novus advenerat, Exercitui Christiano Damiata grandi adhuc labore constabat: cujus jactura prævisa *Corradino* tam acerba erat, ut pacem ultro offerret, restituere volens Crucem Dominicam, à Patre suo dudum captam, Palæstinam prætèrea totam, duobus solummodo Castris erga Annuum tributum sibi reservatis. Quòd verò nostri magnanimiter detrectantes, prosecuti sunt obsidionem, donec die 9. Novembris Anni hujus Feria tertia, propitio DEO, Urbem Victores ingrederentur, desertam potiùs, quàm expugnatam. Interea verò, dum LEOPOLDUS noster æquora trajicit, illustre adhuc ejusdem Præconium ipso hoste perorante audiamus. Edidit námque D. *Eccardus* è MS.to Guelpherbytano, & *Oliverii Historiæ Damiatinæ* statim subjunxit Anonymi Poëtæ Seculi XIV. ineuntis Historiam Rythmicam vernaculam *De Amissione Terræ Sanctæ*, sive de Acconis vel Ptolemaidis postrema per Sultanum Ægypti occupatione An. 1291. facta. Qua Urbe Christianis, quorum diversis Nationibus tanquam celebre emporium communis erat, infeliciter propter discordiam suam erepta, nihil jam ipsis in tota Palæstina reliquum permansit. Caret quidem hoc Poëma initio, caret fine suo: quin & in medio quoque nonnihil truncatum est. Prolixè nihilominus decurrit, satísque adhuc docet & il-

Post longos adhuc labores Damiata à nostris occupatur.

Præconium *Leopoldi* ex ore hostis.

luſtrat argumentum ſuum, quod ex inſtituto pertractat. (*)

Quinam ille.

LVI. Quodnam Sultano illi Ptolemaidis Occupatori nomen, hoc in Poëmate, cujus initiò ſine dubio deſcriptum fuerat, jam non reperio: in toto ſiquidem ejus decurſu non aliter compellatur, niſi *Soldan*, ſive *der alte Soldan*. Aliis verò *Melateſſeraf* dicitur, nonnullis *Melec-ſeraff*. Hic porro, juxta Poëtam noſtrum, Chriſtianîs pacem cum eo concluſam violantibûs, in arma coactus potiùs, quàm ſponte proſiliens, priusquam aciem inſtrueret, vicinos ſectæ Mahometicæ in Aſia & Africa Reges, aut Regulos, ad Concilium vocavit, univerſos inducturus, ut Filium ſuum pro ſe throno imponerent, commune deinde bellum Chriſtianis Pacis infractoribus novi ſultani ſub ſignis inferrent. Quorum unus 50. alter 80. tertius 100. omnino Millia, ut alter altero potentior erat, ſe in ſuppetias adducturum ſpopondit. Ita Reges de *Marroch*, de *Babylonia*, de *Caucaſo*, de *Alexandria*, de *Griſan*, de *Colon*, de *Cordubin*, de *Valſund*, promti & expediti promiſêre. Tandem ordo ſpondendi Auxilii vertebat ad Regem *de Campaſten*: quod Nomen ego *de Compoſtella* interpretor, Metropoli Galleciæ, quæ Provincia tunc Saracenicum jugum ferebat, hodie unum è Monarchiæ Hiſpanicæ Regnis conſtituit. Nam & Rex *de Cordubin* ſupra memoratus citra dubium Rex *Cordubæ* erat, quæ Saracenorum in Hiſpania potens atque ampliſſima Regia fuit: nunc inter præcipuas Regni Andaluſiæ Civitates connumeratur. Cuicúnque verò Provinciæ Rex iſte *de Campaſten* jura dixerit, ita in Concilio perorâſſe à Poëta introducitur, ut clariſſima *Leopoldi* noſtri memoria totum apud Senatum renovaretur. Neque Sermonem ejus meri ingenii fuiſſe exiſtimo, cùm nulla in toto Poëmate cauſa appareat, cur Verſificator iſte ad Principis noſtri elogium delabi debuiſſet, niſi inductioni ejusdem hiſtoriæ Veritas, privatâ ſibi notitia conſtans, hac in parte ſubfuiſſet. Quæ ipſa forſitan tam peregrina inſperſio *Leopoldinæ* commendationis in cauſa fuit, cur egregium hoc Ducis noſtri præconium propè à nemine, quod ego quidem noverim, obſervatum ſit. Unde meum eſſe tantò amplius rebar, Gloriam *Leopoldi* hoc Excerpto, tametſi prolixiori, multorum ad notitiam tradere: & ne vetuſta & obſoleta Poëtæ hujus dialectus Lectores plures Remoraretur, verſus ejusdem genuinos primâ columnâ deſcriptos, in altera oppoſita notioribus

(*) His dudum à me ſcriptîs Cl. *Hieron. Pezius* evulgavit Tomum III. Scriptorum Auſtriacorum, quo continetur Chronicon Auſtriaco-Rythmicum vernaculum *Ottocari Horneckii*: ante cujus medium eadem de Accone, ſeu Ptolomaide, per Sultanum Ægypti capta, narratio metrica exſtat, quam Vir Jll. *Eccardus* ſub Anonymi nomine edidit. Cujus proinde verus Author eſt *Horneckius*.

ribus vocibus, ſed extra Metri vernaculi legem, ne nimiâ convertendi licentiâ à ſenſu Authoris valde abirem, expono. Sic igitur Verſificator noſter hiſtoricus habet apud Jlluſtr. *Eccardum* Tom. II. Scriptor. col. 1482. ſeq. (*)

* * *

Præconium *Leopoldi.*

Den Chunich von Compoſten	Den König von Compoſteln
Sach man hin füer gen	Sahe man hinfir gehn
Tzu dem Soldan. Er ſprach:	Zu den Sultan. Er ſprach:
Auf der Chriſten Ungemach	Auf der Ghriſten Bekriegung
Wil ich gern varen	Wil ich gern ziehen
Mit ſo gethanen Scharen	Mit ſo gerüſteten Schaaren
Daz ier mier müſt ſagen Danch.	Das ihr mir müſt ſagen Danck.
Sein iſt aver nit lanch,	Es iſt aber nicht lang,
Daz mich mein ſeliger Vater pat,	Das mich mein ſeliger Vatter batt,
Ob ſich gefügt imer dy ſtat,	Wan ſich begebete zu was immer Zeit,
Daz dy Chriſten und dy Hayden-ſchafft	Das die Chriſten, und die Heidenſchaft
In Urleugs Feindſchafft	In Krieges Feindſchaft
Tzu einander chemen,	Zu einander kemen,
So ſchold ich warnemen	So ſoll ich warnemen
Ains Furſten von Dewtſchen Lande	Eines Fürſten aus dem Teutſchen Lande,
Herzog Lewpolt er in nandte,	Herzog LEOPOLD er ihn nante,
Alſo wer er gehaiſſen,	Alſo were er geheiſſen,
Aus aines Landes Chraiſſen,	Aus eines Landes Creiſe
Datz haiſſet *Oeſterreich*	Das haiſſet *Oeſterreich.*
Demſelben Furſten Lobleich	Demſelben Löblichen Fürſten
Vor Tannat alſo gelanch,	Vor Damiat alſo gelunge,
Datz er vieng und betwanch	Das er fienge, und bezwunge
Meinen Vater ſeligen.	Meinen Vatter ſeligen.
Man het in toten ſehen ligen:	Er war als todt da gelegen:
Doch cham er ſo tzu Suen,	Doch kamm er wider ſo zu Sinn,
Daz er Sicherhait muſt tuen,	Das er ſicher verſprechen muſt,
Daz er im, und ſeinen Erben (**)	Das er wider ihn, und ſeine Erben
Nim̃er nicht ſcholden werben,	Nimmer ſolte etwas handlen,
Daz ſchad wer der Chriſtenhait:	Das ſchedlich wer der Chriſtenheit:

(*) Rythmi hic à me excerpti apud Cl. *Pezium* exſtant ante finem Cap. 427 & initio Cap. 428. pp. 410. 411. literis quidem ſæpiuſculè aliis adhibitis, ſed quæ vocem non immutent. (**) Hic verſus ita legitur apud Pezium. *Das er, noch ſein Erben*: quod & mihi rectius videtur. Pro *Chunich von Compoſten* ſcribitur *Tampaſten* & pro *Tannat* lego *Tamiath.*

Im were widersait.	Das were ihm untersagt für alle Zeit.
Daz wil ich auch behalten.	Das will ich gleichfals halten.
Dartzu hort man den Alten	Darzu hört man den Alten
Soldan jehen :	Sultan sprechen:
Da daz ist geschehen,	Seit dem das ist geschehen,
Daz ist ein langeu Vrist.	Das ist ein lange Zeit.
Ich sag dier sunder List:	Ich sag dir ohne List:
Is ist unlangeu Zeit,	Es ist ein kurze Zeit
Daz der nest Streit	Das der neuist (lezte) Streit
Tzwischen uns ergie.	Zwischen uns ergieng.
Vier Prüder ich do vie	Vier Brüder ich da fieng
Der partachten (*) Heren:	Der Riterlichen (Handvesten) Herren:
Die waren von verren,	Die waren von fernen
Landen her chomen	Landen her kommen,
Und heten an sich genomen	Und hetten an sich genommen
Unser Veint Orden	Unserer Feind Orden,
Dy des sint en ayn worden,	Die dessen sind einig worden,
Es sei in an der Sel gut,	Es sey ihnen an der Seel guet,
Swa sy unser Blut	wan sie unser Bluet
Mugen vorgiessen.	Mögen vergiessen.
Dez wenent sy geniessen,	Des glauben sie zugeniessen,
Und wellent damit JESUM ehren.	Und wollen darmit JESUM ehren.
Dyselben het ich gern	Dieselben hette ich gern
Pracht tzu unserm Gelauben.	Gebracht zu unserm Glauben.
Denselben hiez ich erlauben,	Denselben hiess ich erlauben,
Daz sy vor mir assen;	Das sye vor mir deriten essen;
Und wen wir gesassen,	Und als wür gesessen,
Und Churtzweil pflagen,	Und Kurzweil pflagen,
So hies ich mier sagen	So muesten sie mir sagen
Von den Fürsten sunderleich.	Von jenen Fürsten absonderlich,
Dy do so Chostleich	Die da so köstlich
Lagen vor Tannat.	Gelegen vor Damiat.
Sunderleich ich seu pat	Besonders ich sie batt
Vorrichten mich der Mer	Mich zu berichten onschwer,
Ob in ich Chund wer	Ob ihnen auch was kund wer
Um denselben Hertogen.	Von demselbigen Herzog.
Do sagten sy mir unbetrogen,	Da sagten sie mir unbetrogen,
Er wer tot vor mangem jar.	Er were todt seit manchem Jahr.
Sy sagten och mir vor war,	Sie sagten auch mir vor wahr,
Sein Erben, dy er het lassen,	Seine Erben, die er nach sich gelassen,

(*) Vetus Poëta in Glossario Græco: *Est Bares fortis, Baroque monstrat idem.*

Dy

Dy sin Herschaft besassen,	Die sein Herschaft besassen,
Dy weren auch alle tot.	Die weren auch alle todt.
Grosser Chrieg und not	Grosser Krieg und Noth
Wer seyt gewesen um dy Lant:	Were seit dem gewesen um die Land:
Doch weren sy tzur fremden Hant	Doch weren sie zur fremden Hand
Nu gentzleichen chumen.	Nun genzlichen kommen.
Er sprach. Her, ich vernumen,	Er sprach. Herr, ich vernommen,
Ewers Vaters Swester war mein An:	Euers Vatters Schwester were mein Ahn:
An deu Sip. ich euch man,	An dise Freundschaft ich euch mahn,
Ob daz sey dy Warhait	Ob das sey die rechte Warheit,
Daz ir mier habt gesait.	Was ihr mir habt gesagt.
Der alte Soldan sprach do:	Der alte Sultan sprach da:
So wolt ich nimer wesen vro.	Wans anderst, will ich nimmer leben ja.
Scholt ich dich nu triegen,	Soll ich dich jezt betriegen,
Und in alten tagen liegen?	Und in alten Tagen liegen?
Dartzu mir zu lieb was	Darzu mir auch zu lieb war
Dein An, mein rechte Pas.	Dein Ahnfrau, mein rechte Baas.
Daz wis vor dy Worhait,	Das wisse als ein ganze Warheit,
Daz du ledig pist der Sicherhait,	Das du ledig bist der gegebenen Sicherheit,
Von im, und von seinem Gschlecht.	Von ihme, und von seinem Geschlecht.
Dein Vater hat dich recht,	Dein Vatter hat dich recht
Von im vorricht der Mer.	Von ihm bericht, und seiner Ehr.
Chain Furst was so Achtper	Kein Fürst war so Achtbar
Uber all den Christentuem.	Im ganzen Christenthum.
Wer im beschert der Frum,	Wer ihme zu theil worden das Gut,
Datz er ain Hayden wer gewesen,	Das er ein Heyd were gewesen,
So wer er an der Sel genesen.	So were er selig worden.
Ich wais daz furwar:	Ich wais das fürwahr:
Hiet er so manig jar	Hette er so manche Jahr
Gedient Mahmet,	Gedienet Mahomet,

Als

Als JESU von Nazareth	Als JESU von Nazaret,
Der hiet in hoch ergezet,	Der hette ihn hoch ergezet,
Und hiet in gesezet,	Und hette ihn gesezet,
In dem Himmel an sein Seiten	Im Himmel an seine Seiten.
Nahen und weiten	Von nahe, und von weiten
(†) Gevriesch ich me so werten Man,	Freute ich mich eines so Werthen Mann,
Wer er der Tauf gewesen an.	Wan er die Tauff nit hett genommen an.
Do sprach der Chunich von Composten:	Da sprach der König von Compostel:
So mag daz niemant unterstaen,	So mag das niemand verwehren,
Seit der ain Man ist tot,	Seit diser einzig Mann ist todt,
Daz dy von Akers (*) leiden Not.	Das die von Akers nit sollen leyden Noth.
Des will ich mir enplanden.	Drum will ich mich entbinden.
Ich pring aus meinen Landen	Ich bring aus meinen Landen
Viertzig tawsent werter Degen,	Vierzigtausend tapfre leuth,
Die vor Akers mit mir pflegen.	Die vor Akers mit mir gehn in Streit.

(*) Christiani in Ptolemaide, quos expugnare Sultanus decrevit.

* * *

Hactenus in posthumam commendationem *Leopoldi* peregregiè Anonymus iste Poëta vernaculus, illustri suffragio reliquorum omnium quorumlibet Scriptorum collata in Principem nostrum Elogia confirmans, atque perspicuè docens, lapsu quoque integri Seculi Gloriosam ejusdem memoriam non modò inter eos, quorum causam invictè propugnavit, verùm etiam inter barbaros hostes, quibus nemo, ac ipse, gravior fuerat, immensa cum laude perduràsse. Ita Virtus, quæ vera est, in media etiam nocte splendescit. Est & illud planè peculiare, quòd Jllustris Dux noster, si plena Poëtæ fides, futuris æquè ac præsentibus Ecclesiæ commodis prospiciens, Patrem Reguli istius in fidem adegerit, nunquam adversus Christianos arma sumendi, quamdiu ipse, aut quisquam de stirpe sua superesset.

Redux Leopoldus nihil in Ungaria periculi habuit.

LVII. Reduci porrò Duci nostro accidere debuisset, si soli *Haselbachio* credendum foret, eundem in Hungaria vitæ periculum subiisse. Narrata etenim cæde *Gertrudis*, quæ *Andream* Ungariæ Regem Conjugem habuit, à *Banchano* perpetrata, subdidit

(†) Cl. *Pezius* in Glossario suo *Horneckiano* Lit. G. vocem *Gefriesch* interpretatur *vernommen*, *innen worden*, *erfahren*: quod ego non abnuo. Hac porrò acceptione Locus iste sic accipi debebit: *Von nahe, und von weiten werde ich keines so werthen Mann mehr innen.* Quod rursum commodè sonat.

didit hic Scriptor. *Leopoldus quoque Dux Austriæ, qui tunc aderat, ad necem quæritur: sed dextra DEI protegente, licèt multa difficultate, ad propria cum salute revertitur, postquam ab Hispanis, ut suprà, reversus est.* Verumtamen malè hìc omnia consarcinata. Rediit nàmque Dux noster ex Hispania, ut satis loco suo retuli, Anno 1212. certè non per Hungariam. Cædes Reginæ contigit Anno 1213. quo Princeps noster plerúmque *Friderici* II. Regis Curiis interfuit. Anno autem præsente 1219. jam omnia eo in Regno composita fuêre. Hinc & Chronica Patria, conformiter *Ortiloni* nostro, concordi stilo testantur, *Leopoldum* cum salute & gaudio gloriosè reversum esse.

LVIII. Interea autem dum abfuisset, *Eberhardus* Archiepiscopus Salisburgensis fundationem Episcopatus Seccoviensis in Stiria perfecerat, non modò Pontificia Auctoritate munitus, verùm etiam Privilegio Cæsareo adjutus: cujus tenor hæc in cæteris continuit, utrámque Ecclesiam, Chiemensem & Seccoviensem complexus. „Et si quis procedente tempore vel Ca-„stra, vel Ministeriales, Monetas, Telonia, vectigalia, vel quas-„cunque publicas functiones, pro salute animæ suæ, vel quo-„cunque titulo eis conferre voluerit, hæc omnia eis liceat no-„mine Regalium possidere, & Episcopi earum à te (*Eberhardo* „nimirum) & Successoribus tuis, qui à tempore fuerint, mo-„re Vasallorûm ea recipiant, & cum juramento fidelita-„tis præstent hominium, & in juramento fidelitatis nullum „penitus excipiant, vel excludant. Ministeriales verò ea-„rundem Ecclesiarum juramentum fidelitatis suis præstent Epi-„scopis, & in juramento illo nullum excipiant, præter solum „Archiepiscopum Saltzburgensem: & ipsi omnia Jura Ministe-„rialium obtineant, quæ Ministeriales Ecclesiarum Alemanniæ „obtinere hactenus consueverunt.„

Eberhardus Archiep. Salisburg. pro erecto à se Episcopatu Secceviensi maxima Privilegia obtinuit.

LIX. Sed hæc erectio novi Episcopatus, insalutato Duce nostro, tanquam Principe Terræ, facta, ac præterea ejusmodi Privilegiorum impetratio, quibùs Jura Ducalia infringi viderentur, Ducissæ Theodoræ stomachum commovebant: quæ, quantumvis Religiosissimum Conjugem suum nulli operi pio deesse solitum probè cognoverit, atque in ejusmodi ipsa quoque perlubenter consentire consueverit, noluit nihilominus, inconsulto Marito, ínque terris tam dissitis absente, propria alterius Authoritate quidquam in provincia innovari. Quapropter Literas querimonia plenas Romam submisit, enixè *Honorium* obsecrans, ut Viro suo, Ecclesiam in Oriente tam devotè propugnanti, Jura sua universa domi suæ sarta tectáque conservari Apostolica Auctoritate procuraret. Permotus inexspectatis his literis Pontifex, ob summam, quam foverat de *Leopoldo* opinionem, Dilectionem præterea, qua eum complexus est, non

Quibus reclamavit *Theodora* Ducissa.

Unde Pontifex executionem fundationis inhibuit.

minorem, & quia erigendi Episcopatus facultatem haud aliter, quàm sine *Juris præjudicio alieni*, providè indulserat, Archipræsuli *Eberhardo* è vestigio hunc in modum cætera inter rescripsit. „ - - Mandamus, quatenus diligenter corrigens per teipsum, quod in ejusdem Ducis præjudicium attentâsti, ejus Jura non minuas, sed conserves penitus illibata: &, donec ipse, dante Domino, revertatur, nihil in præjudicium Terræ suæ attentare præsumas, Mandatum nostrum taliter impleturus, quòd propter hoc tibi duriùs scribere non cogamur. Quia sibi illatam injuriam, immo Nobis in ipso, non possemus æquanimiter sustinere. Datum Romæ apud S. Petrum Nonis Maji Pontificatus nostri Anno III. „

Sed *Leopoldus* Operi pio non obstitit.

LX. Felix *Eberhardus*, quòd ei venia non ab alio, quàm *Leopoldo*, quærenda foret: qui amore in Ecclesias, Veneratione in Clerum, nisi universis Seculi sui Principibus palmam præripuit, nulli certè concessit. Perstitit Ecclesia Seccoviensis semel instituta, quin Archipræsul quidquam propterea Negotii deinceps habuisse, sive Romæ, sive alibi legatur, Principe nimirum nostro reverso in Opus bonum liberrimè consentiente, quod inde ferè necessariò fluit, séque ipsum Adjutorem præbente: cùm Jure Patronatus in quasdam Ecclesias, Episcopatui novo ab *Eberhardo* attributas, quapropter *Theodora* Ducissa, teste *Raynaldo*, præcipuè conquesta erat, ultrò abscesserit. Pataviæ *Ulricus* Præsul egregiè in Ecclesiæ suæ, Clerique disciplinam vigil, securitati quoque ejusdem prudenter consulturus, hoc Anno in Monte S. Georgii Urbi vicino, & neutiquam humili, Castrum, quod hodie *Oberhaus* appellant, *Sterone* teste, primus construere cæpit. Quantum námque excidii frequentiores antehac Bavariæ tumultus Ecclesiæ suæ attulerint, quantúmque sibi ipsi nuper admodùm factiosi Cives Negotii dederint, frequenti memoria relegens, futuris discriminibus præsens quoddam remedium apponere hac munitione salubriter decrevit. Et quia præterea Cruci Orientali ipse pariter Nomen dederat, sacro huic itineri, quod altero Anno aggressurus erat, expeditiùs ineundo, vasa necessaria undique præparavit.

Udalricus Pataviensis Episcopus construxit arcem *Oberhaus*.

Paravit se Itineri Orientali.

LXI. *Fridericum* Regem Papa *Honorius*, pari ut industria esse vellet, &, ne sibi forsitan à DEO provisam redimendæ Palestinæ Gloriam illuc differret, ubi res conclamata evaderet, diligentissimè orabat, & hortabatur. Mirum verò erat, quanta arte, quantísque Officiorum significationibus, uti perhibent apud *Raynaldum* Epistolæ mutuæ, Pater ac Filius invicem certaverint: hic quidem, ut, promtissimo licèt animo suo, moram tamen ex mora externis à causis perpetuò injici, Pontifici persuaderet: ille econtra, ut excusationibus modestè cedens, illa-

Contra *Fridericus* Rex huic Expeditioni moram ex mora quærebat.

illarum tamen periculum tergiversanti mellitis aculeis insinuaret. Quidquid verò Officii *Fridericus* præfetulit, eò spectabat, ut, Pontifice delinito, ſpéque ſuſpenſo, Coronam Romanam ipſe auferret. Quocirca ſemel, iterum, ac tertium diverſis in locis Principum Senatum cogebat, ubique propter Crucis negotium eundem à ſe inſtitui prætendens: cùm potiùs, alium ſemper & alium Profectionis terminum longiorem conſtituens, Principes, qui ſe Ducem exſpectarent, propemodum unus ipſe domi retineret. Ultimis Comitiis Norimbergenſibus hujus Anni ſe *Leopoldus* noſter ſalvus & integer ſiſtens, immenſa cum omnium gratulatione exceptus eſt, noménque una cum *Eberhardo* Salisburgenſi Archiepiſcopo, addidit Privilegio Urbis Norimbergenſis, Regis clementiâ VI. Id. Novembr. Indict. III. expedito, ut apud *Goldaſti* Conſtitutiones Imperiales videre licet.

Dux noſter ejus comitiis adfuit.

Annus 1220.

LXII. NOlebat *Honorius* Papa, Regnum Siciliæ, tanquam fiduciarium S. Romanæ Eccleſiæ, cum Imperio Romano unum in Caput convenire, ne ab hoc ad ſe attraheretur. Dederat proinde *Fridericus* Literas, quibus pollicebatur, ſe, cùm Imperium Romanum ſibi firmatum jam eſſet, Siciliæ Regnum transferre velle in Filium *Henricum*, quamprimum is per ætatem Sceptro ferendo par eſſet futurus. Nihiloſecius interea ſtudiis omnibus apud Germaniæ Principes curabat, ut hunc eundem *Henricum* Germaniæ Regem eligerent. Non illico itum in Vota ejusdem, ſed res in diſcordiam non minimam abiit: cujus finem priusquam videret *Fridericus*, neque Italiam, multò minùs verò Paleſtinam intrare volebat. Factam tandem hoc anno Francofurti Filii ſui vix benè decennis Electionem excuſavit apud *Honorium*, quaſi ſe abſente & inſcio, immo contradicente, peractam: cui aſſenſurus non eſſet, antequam eam Pontifex probâſſet. Plerique tamen Scriptorum, anteſignano *Alberto* Abbate Stadenſi coævo, ſuffragia in *Henricum* à Principibus *Patre volente* lata fuiſſe teſtantur. Permiſit autem & hoc benignus Papa, inſuper quoque *Fridericum* ad Coronam Romanam, unacum Conjuge *Conſtantia*, paternè invitans, ea maximè de cauſa, ut eum ad Expeditionem ſanctam, per ſe deinde abſque mora ſuſcipiendam, tantò paratiorem efficeret. Quæ etiam utriusque Coronationis Solemnia hoc ipſo anno Romæ ab ipſo Pontifice Menſe Novembri die S. Cæciliæ ſacro peracta ſunt, Imperatore mox iterum Crucis teſſeram recipiente, & inde in Siciliam profecto, tanquam Claſſem ſacram, qua ipſe veheretur, pro Oriente apparaturus eſſet.

Fridericus procurat Filium ſuum *Henricum* eligi in Regem Germaniæ.

Ipſe cum Conjuge Romæ coronatur.

Verumtamen Anchoræ Navium iſtarum pariter, uti fides *Friderici*, adhæſerunt in ſicco.

Leopoldus favit Scotenſibus.

LXIII. Dux noſter Patriæ bono ſolicitè erat intentus. Et primùm quidem Scotenſibus Cænobitis Viennæ geminas Vineas cum agris quibusdam, à D. *Chunrado* Comite de *Hardeck* donatas, concepto diplomate confirmavit, ita ſubſignato: *Actum publicè in Eccleſia S. Stephani Wienne Anno MCCXX.III. Kalendas Aprilis.* Chartam ex Autographo eruit Cl. *Hueberus* Mellic. edidit Cl. *Bern. Pezius* Cod. Diplom. Part. II. n. 121. p. 72. Ex *Ortilone* deinde noſtro ad hunc Annum ſequentia diſcimus. *Dux LIUPOLDUS, quem ſubditi, & ipſe ſubditos unicè amavit, & qui Patriam multùm auxit, atque munivit, hoc Anno etiam Caſtrum Kutenſteine muniens, iterum venit ad nos in Autumno &c.* Multam hoc paragrapho Scriptor noſter iis omnibus fidem conciliat, qui poſt ipſum hos mutuos noſtri Principis in ſubditos, & horum in eum amores, ac præterea augendæ, muniendæque Patriæ ſolicitudinem, ſua in Hiſtoria admirationi pariter Poſterorum, & imitationi commendârunt. Quorum primus ille eſt Chronici vernaculi Auſtriaci Author Seculi XIV.ti jam adulti, qui *Gregorius Hagenus* putatur, ita habens apud Cl. *Hier. Pezium* Scriptor I. col. 1065. „Hertzog LEWPOLT vvaz (vvar) ein Furſt, vveiz (vveis) „und Tugentſam, und auch Milde, und hielt groſſen Hoof mit „gueter Ritterſchafft, und lies auch do geben mildiglich ſeine „Koſte. Er lies oft ze Wienn turnieren ritterlich, und auch „ſtechen. ---- Der vorgenant LEWPOLT hett groſſe Lieb zu „allem Volk, beuor dem zu Wienn, und ſie hetten ihm vviderum gar lieb. Ihm rieth ein Burger zu Wienn, das er „groſs Geld lech der Stadt zu Wien, domit die Burger ihren Frummen mit Kaufmanſchaft ſolten ſchaffen.„ Alter *Haſelbachius* ultra medium Seculi XV.ti florem ſuum proferens *ibidem* Tom. II. col. 715. ita prædicavit. „FRIDERICO Frater ejus LEOPOLDUS utroque in Ducatu ſucceſſit, quos & circa triginta duos annos cum omni Modeſtia gubernavit. Hic & *Pater Patriæ, & Cleri*, meruit appellari, propter ſuam Prudentiam, & Magnificentiam ad ſuos Milites, Virtutem Modeſtiæ ad Subditos, & ad DEUM Pietatem. ---- Ipſe Princeps Pacis adeò exſtitit, quòd & extra terminos Auſtriæ Caſtrum „Schereding (i. e. Scharding Bavariæ) immo veriùs in medio ſui Dominii Caſtrum Neuburg propè Scherding, conſentiente *Ludovico* Duce Bavariæ, de novo erexit.„ Tertius *Arenpeckius* Seculi XV.ti ſeneſcentis Chronographus iterum apud laudatum *Pezium* Tom. I. col. 1207. de Principe noſtro conteſtatus eſt. „Wiennam valde dilexit, & ibidem habitavit: Civi-

Commendatur ab amore in Cives, & horum in ipſum: item à prolatione, & munitione Patriæ.

„ Civibus etiam multa donavit, & accommodavit: & è converso „ Cives eum vehementer, ut fideles subditi, amabant. Ipse insuper „ ædificavit *Novam Civitatem* in Austria: & eidem Ducatui „ *Linz*, *Wels*, *Wexenberg*, *Ottmansheim*, *Grein*, *Hartstein*, „ cum omnibus attinentiis comparavit. „

LXIV. Meritò pariter huc attinet *Wolfg. Lazii* Locus Commentar. de Reb. Vienn. Libr. IV. Cap. 9. „ His igitur „ Magistratibus Respublica Viennensis cùm in immensum cresce- „ ret, Principum suorum (puta *Leopoldi* nostri, & *Friderici* Filii) „ studiis accedentibûs, Jus quoque signandi Argentum, ut cæte- „ ræ Urbes Imperiales, impetrârunt, eique rei Magistratum præfe- „ cerunt: qui certo quodam Civium Collegio adhibito, atque „ ex his potissimùm, qui rem domi copiosam habebant, & Ar- „ gentum suppeditare poterant, Numos argenteos minores & ma- „ jores quadrangulares, Urbis Nomine, Insignibus quoque ejus, „ Cruce videlicet, adjectis, quotannis cudebant. Usi in hac re „ Bractteariorum opera, quos in Ædibus suis passim alebant, à „ quibus in hunc usque diem Vico nomen mansit, ubi magnifi- „ centissimæ Urbis Ædes visuntur, vulgus vocat *die Münzer-* „ *Strass*, in quo hodie Mercatores colunt, qui ex Italia Merces „ Viennam ferunt. Ipsi adeò Gentilicio sermone hujus ordinis „ Cives *Hausgenossen*, h. e. Domus & Familiæ Confœderatæ, qui „ verò his Senatûs nomine præfuit, *Magister Monetæ* appellaba- „ tur. „ Hanc signandorum Numorum gratiam Viennensibus à Duce nostro communicatam fuisse, liquet ex Diplomate Confirmationis *Rudolphi* I. Habspurgici Augusti: quod edidit D. *Joan. Jacob. Moser de Filseck* in Biblioth. MSS.torum Part. I. p. 116. seqq. ex Cod. RR. PP. Benedictin. Scotensium Viennæ, datum sub ANN. 1280. & ita inchoans. „ Wir RUDOLF --- tun kundt „ allen --- Das unser lieben getrewen *Hawsgenossen* unnser Gnad „ vleissicglichen paten, das wir in ir Recht, dy sy habent gehabt „ *von den Edelen Herrn Herzog* LEWPOLTEN, *Hertzog* FRIDREI- „ CHEN, en, der auch etwenn Fürst in Oesterreich gewesen ist, „ bestetigeten, und bewerten mit unser Hantvest. Daran hab „ wir sew erhort, und haben in al irew Recht bestetigt &c. „ Insigne solet esse Rei Monetariæ lucrum, & ideò communicatum signandorum Numorum Jus, qui inde *Viennenses* appellari consueverunt, tantò præstantior nostri Principis Gratia, ínque Cives Benevolentiæ tessera censeri debet.

LXV. Quamvis porro supradicta Loca à *Leopoldo* comparata esse, fide duntaxat referentium hodie constet, nec habeam, unde illud securiùs constabiliam: meritò interim felicem sub *Leopoldo* Austriam prædico, ipsum verò suorum affectibus divitem collaudo. Audivimus quippe Principis nostri, Civiúmque

que reciprocum Amorem, quem nemo velit ausítque diffiteri. Audivimus Pietatem, Prudentiam, Modestiam ejus: præterea Regimen felix atque pacatum, Pompam liberalem, Hilaria subditis facta. Audivimus eum Principem Pacis, non exigentem, non tributis & vectigalibus prementem: sed magnam pecuniæ summam Civibus in mutua lucra erogantem, Jus Monetæ communicantem, nihilominus verò Terras suas prægrandibus sine dubio expensis præclarè munientem. E quibus, cùm certissima sint, arbitrari omnino licet, obtigisse illi, quod *Claudianus* olim *Stiliconi* accinuit:

Exegesis prioris Commendationis.

Non sic Virginibus flores, non frugibus imbres,
Prospera vel fessis optantur flumina Nautis,
Ut tuus Aspectus populo.

Princeps etenim erat, cujus perpetua Pietas pro Civium salute apud Superos jugiter peroravit: Cujus æquissimus vitæ tenor recta populis erat vivendi Regula: Cujus Modestia crudelem illum Caligulæ Canonem, teste *Seneca* sullano tempore scriptum: *Oderint, dum metuant*: penitus execrata, constanter potiùs per omnem vitam tenuit, quod Neroni primo quinquennio apud Senatum toties in ore versabatur, *Cunctas sibi Curas amore Patriæ leviores esse.* Cujus Providentia sic cuncta disposuit, muniendô, cùm quiescere datum, provincias, ut pacis etiam tempore metuerent hostes, ipsi nunquam à Civibus metuerentur. Cujus denique inter arma Fortitudini ac Felicitati maximæ adeò benè Temperantia animi moderabatur, ut Monito Africani Oratoris ad Neronem, quo tempore Senecæ obaudiens cunctis acceptissimus fuit, eidem opus non esset: *Rogant te, Cæsar, Galliæ tuæ, ut Felicitatem tuam fortiter feras.* Licuit itaque Optimo Principi nostro pulcherrimè animo præsumere mansuram Gloriam suam, futuræ famæ suæ intra se audire præconia, & jam quodammodo laudibus nondum natæ posteritatis: sibi accinendis, interesse.

Munitio Guetensteiniæ Arcis.

LXVI. Gutensteiniæ porro Arcis in Austria, Monti insistentis, munitioni à *Leopoldo* nostro factæ, liquidum testimonium reddit Charta insequens ejusdem, à Cl. *Puschio* hunc in modum excerpta. „Notum esse volumus tam præsentis, quàm „futuræ Generationis hominibus: Quòd Nos, *Munimini Pa-* „*triæ nostræ operam dantes*, à Seccoviensi Præposito Venerabi- „li *Hezmanno*, ejusdémque Cœnobii Sanctis Fratribus, ob- „tinuimus duos Mansus juxta *Gerwald* sitos, ad Attinentiam „Castri nostri *Guettenstein* transituros: pro prædictis Alpem „penès eos sitam infra *Gradam*, cum omnibus attinentibus pascuis

„ cuis, poteſtativa manu uſui ipſorum tradentes. - - - Acta ſunt „ hæc Anno ab Incarnat. Domini Milleſimo Ducenteſimo Viceſimo, „ Regnante *Friderico* Rege feliciter. „ Hoc poſtea in Caſtro, poſt Seculi unius atque Decadis lapſum, *Fridericus Pulcher* Auſtriacus lethaliter decumbens, Regiam animam poſuiſſe aſſeritur. Hodie ibidem Præſidium Sacrum Marianum Thaumaturgum, cum Inclito Conventu RR. PP. Servorum B. M. V. omnibus devotè accurrentibus, tanquam commune Chriſtianorum Auxilium proſtat.

§. II.

Res Ordinis.

Annus 1211.

I. BEllum in Albigenſes ſtrenuè proſequebantur, *Innocentius* Papa III. per Legatum ſuum Epiſcopum Uticenſem, & undique ſelectos præclaros Viros, qui Crucem in eos ubivis terrarum prædicarent: item *Arnaldus* Archi-Abbas Ciſtercii, totius Expeditionis hujus Chriſtianæ primus ac præcipuus Director: tum *Fulco* noſter Epiſcopus Toloſanus, atque Abbas noſter Curiæ DEI, quem ſibi *Arnaldus*, ſi aliis negotiis avocaretur, frequenter ſubſtituit., nec non alii plurimi Abbates, & Monachi noſtri: denique etiam fortiſſimus Chriſti Pugil *Simon* Comes Montfortius, & alternis vicibûs mutuò ſibi ſuccedentes Cruce in pectore ſignatorum Exercitus. Horum omnium cura & operâ capiebatur Caſtrum Gabaretum: alterum quoque, cui Caurum nomen, magno cum diſcrimine expugnabatur: Caſtrum verò Novum, in quo ipſe Montfortius ab hoſtibus circumſidebatur, fortiter liberatum eſt. Hæc porro ſingula ope Divina ita fiebant, ut *Petro* noſtro *Valle-Sarnenſi* teſte, pſalmis potiùs ac Canticis pſallentis in acie Cleri, quàm pugnantium Gladiis vinceretur: quod & ipſi hoſtes ſuperati liberè poſtea fatebantur.

Bellum in Albigenſes noſtrorum operâ ſtrenuè promotum.

II. Hac autem in arena Virtus *Fulconis* Præſulis eximium theatrum reperit. Cùm enim prædicando, monendo, hortando, obſecrando, tam ſedulò Paſtor bonus ſuas apud Oviculas Toloſanas elaboraverit, ut non modò ad hæreſin non redirent, verùm etiam quinque eorum millia, Cruce adverſus hæreticos accepta, Urbem exirent, Vaurſque factam à Catholicis obſidionem ſtrenuiſſimè juvarent: Res ea *Raymundum* Comitem Toloſanum ſummam in rabiem egit. Hic námque ſua in pertinacia ſemper perſiſtens, facultate, qua potuit, omni, hæreticorum inſolentiam, ſi non unus planè, certè primus ac præcipuus

Fulconis noſtri Præſulis Toloſani exulis pro fide conſtantia.

us sustentavit. Unde perpetuo anathemate illigatus, Urbi sacrorum interstitium perenne induxit. Dum verò Clericorum defectus sacros Ordines à Præsule celebrari vehementer exposceret, rogavit Comitem, ut vel uno mane animi causâ Urbe excedere vellet, donec ipse Clericos ordinare posset. Sed Responsi locò tulit Mandatum, ut se ipse potiùs Urbe quantocius proriperet, quippe qui rebellionis incentor, Cives contra Dominum suum concitaret. Reposuit *Fulco*, se neque Comitis vocatione, neque ullius alterius Principis commendatione, sed solius DEI providentia, & jussu Apostolicæ sedis, tenere Cathedram suam: ipsius proinde Mandato ab ea minimè recessurum. Sin se expellere Comiti libeat, vel planè trucidare, utrumlibet se intrepidè, & inermem exspectaturum. Quoniam verò sibi ipsi metuens Comes, vim Præsuli inferre ausus non est: *Fulco* quadragesimum diem exspectans, Legati tandem Apostolici, aliorúmque Præsulum suasu, Urbem impiam ipse, omnísque Clerus, subducta secum sanctissimâ Eucharistiâ, deseruerunt.

Legatio Pontificia nostrorum in Poloniam.

III. In Poloniam Pontifex Cistercienses duos, Halberstadensem videlicet quondam Episcopum, nunc humilem apud nos Monachum, & Abbatem de Sichem, cum facultate Legatorum Apostolicorum dimisit, ut ibidem *Uladislaum* Ducem, & Archiepiscopum Gnesnensem secum invicem componerent, vel dictâ in eos, uti res tulerit, sententiâ, alterutrum Censuris Ecclesiasticis ad obtemperandum compellerent. *Sanctius* Lusitaniæ Rex, cujus tres Filiæ, *Tarasia*, *Sanctia*, & *Masalda* Institutum Cisterciense amplexæ erant, moriturus, his Filialibus, ac Ordini, præter complura Castra, quæ tamen Successor sibi retinuit, unum insuper & octoginta Millia Marapetinorum, qui fuerant Monetæ Lusitanicæ certum Genus, pro condendo novo Cisterciensi Cœnobio, supremis tabulis legavit. Uberiùs hoc, & antedicta, uti etiam posthac dicenda, exposita videre licebit à Rever.^mo^ *Manriqueo* nostro Annal. Cisterc. Tom. III. ad h. a. p. 356. sqq.

Sanctii Lusitaniæ Regis Largitas in Ordinem.

Annus 1212.

Arnaldus Archi-Abbas fit Archiepiscopus Narbonensis: *Guido* Episcopus Carcassonæ.

IV. VOcavit hoc anno DEUS ad præmium hujus etiam vix, reservatâ eis post majora adhuc merita suæ Gloriâ Patriæ, ambos strenuissimos exscindendæ Hæresis Albigensis Strategos, *Arnaldum* Archi-Abbatem nostrum Cisterciensem, & item *Guidonem* Abbatem Vallium Sarnay: dum hic posterior electus est Episcopus Carcassonensis, alter verò paulò pòst Archiepiscopus Narbonensis, utérque Galliam Clarissimè illustraturus. Testatur pariter hanc geminam promotionem, & ob

ob utriúsque Viri virtutem plurimùm commendat *Gallia Christiana*, Authoribus *Scævola*, & *Ludovico Sammarthanis* gemellis Fratribus operosè confecta, ac Tomis IV. splendidè edita Lutetiæ fol. An. 1656. per *Petrum Abelium*, & *Nicolaum*, æquè *Sammarthanos*: ubi de *Arnaldo*, qui in Archipræsulatu deinceps annos undecim exegit, differitur Tom. I. à pag. 378. de *Guidone* verò, qui in sextum saltem adhuc Annum superfuisse refertur, Tom. II. p. 477. Cistercii porro in Patrem Communem Ordinis suffectus est *Arnaldus* II.dus Ambo interim novi Præsules Ecclesiarum suarum curandarum causâ Bellum Sacrum non dimiserunt: sapienter videlicet secum arbitrati, Curam Ovium Dominicarum salubriùs agi non posse, quàm si lupi vigiliâ Pastorum à grege fideli sedulò felicitérque arceantur.

Cistercii Abbas Generalis eligitur *Arnaldus* II.

V. Et *Arnaldus* quidem Archipræsul, cùm res Ecclesiæ adversus Albigenses bellè prosperéque procederet, illuc sibi festinandum ratus, ubi fides Christi graviùs laborabat, collecto à se copioso Cruce signatorum Agmine, in Hispaniam properavit, *Alfonso* Regi suppetias laturi. Quare in Gallia vices suas *Guidoni* Carcassonensi Præsuli concredidit, easdem cum infatigabili cura & labore adimplenti: adeò, ut pergens cum acie Peregrinorum, i. e. Cruce in Albigenses signatorum, si quos debiliores, ac infirmiores videret, vel unum eorum retro se sonipedi imposuerit, vel planè equo descendens, totísque diebus pedes incedens, duos illorum equo portandos commiserit. Quod ejus exemplum Jllustris Domina Comitissa *Montfortia* strenuè imitabatur. Molem negotiorum se prementem tam generosè subivit, ut ne quidem reficiendi, vel tantillum dormiendi tempus sibi perfrequenter indulgeret, quoties ei hora non alia, quàm quæ Orationi sufficeret nunquam à se omissæ, superesset. Testatus id est, qui spectator erat, & socius laborum, *Petrus* Valle-Sarnensis.

Arnaldus Narbonensis perrexit in Hispaniam contra Saracenos: *Guido* pro eo laborabat contra Albigenses.

VI. *Arnaldus* in Hispania, injuriam Cisterciensis Militiæ Calatravensis simul cum fide Christi ulturus, primùm interfuit expugnationi Castri Malachonis, quam Ultramontani Galli, Hispanis præeuntes, perfecerunt. Deinde durissimæ pariter Obsidioni & expugnationi Calatravæ: quæ antiqua Sedes illico Militibus nostris Calatravensibus restituta fuit. Cùm verò his gloriosè patratis, Galli ante tempus patriam repeterent, *Arnaldus* noster, teste *Roderico* Archiepiscopo Toletano, *cum omnibus, quos habere potuit, multisque Nobilibus de Provincia Viennensi, semper in bono constans, à bono proposito non recessit.* Interfuit itaque Gloriosæ illi & admirabili Victoriæ de Saracenis relatæ, quam §.° I.mo Decadis hujus ad hunc Annum latiùs declaravi: disertè præterea adnotante *Spondano* in Annalibus,

Quid *Arnaldus* in Hispania egerit.

ubi Triumphum hunc magnificum enarrat, *Arnaldum* Archipræſulem noſtrum univerſo Exercitui ſtatim hoſtem aggreſſuro, omnibûs id enixè flagitantibûs, in virtute DEI Omnipotentis benedixiſſe. Reverſus in Galliam, antiquas pro exſcindendis Albigenſibus curas reſumſit: quorum ſubinde tanta fraus erat, ut, quoniam omne ferè negotium per Ciſtercienſes ibidem gerebatur, Nobiles nonnulli, famulis propriis ſtipati, quò ſecuriùs Cruce ſignatos, ſingillatim incedentes, vel parvo numero ſociatos, ſibíque occurrentes fallerent, cucullis noſtratium ſe induerent: quos deinde, cùm intrepidè ad ſe accederent, expeditis ſubitò armis vel obtruncârunt, vel in captivitatem abripuerunt.

Albigenſes Ciſtercienſium cucullis in fraudem ſe induerunt.

VII. *Innocentius* Papa hoc anno Ordinis noſtri Abbatibûs, ſive Monachis, perfrequenter eſt uſus. Perſenniæ enim Abbati viſitationem Cathedralis Eccleſiæ ſagienſis præcepit. Claravallenſem Acta Archiepiſcopi Sennonenſis reſcindere juſſit. Pruliacenſi, ut Monachos de Charitate Cluniacenſibus obſequentes redderet, injunxit. Abbates Germanos de Sichem, & Lapide S. Michaelis, deputavit, ut Protonotario Imperii, quem *Otto* Cæſar depoſuerat, reſtitutionem procurarent. Aliis pluribus in diverſis Regnis alia atque alia negotia demandavit: ut paſſim Liber Epiſtolarum *Innocentii* demonſtrat. Tandem idem Pontifex, cùm *Chriſtianus* & *Philippus*, noſtri Ordinis ambo, Apoſtoli Pruſſiæ, donante Domino ejus Verbum tanta cum felicitate ſparſiſſent, ut Meſſis ditiſſima exereſceret, ac proinde complures alios de Ordine ſuo Sodales ſibi Socios expoſcerent; nonnulli verò interim è noſtris hos Meſſores Evangelicos, quaſi contra Monachatus inſtituta vagarentur, cavillari ſolerent: conceptis Literis Capitulo Generali ſcripſit, ut, quemadmodum ipſe Archiepiſcopo Gneſnenſi mandavit, ne ullum Monachorum inidoneum ad prædicationem admittat: ita noſtri nemini idoneo è ſuis eandem inhibeant, vel alicui, per Archiepiſcopum præfatum approbato, injuriam, ſive contumeliam, à quibuscunque Abbatibus, aut Monachis irrogari ſuſtineant.

Cauſæ graves, ac frequentes, ab *Innocentio* Papa noſtris commiſſæ.

Juſſit idem, ne Ordo quemquam Gremii ſui à Prædicatione Evangelica in Pruſſia impediret.

VIII. Sed committere non poſſum, quin afferam adhuc inſigne Teſtimonium, quantùm *Innocentius* in oculis tulerit Ordinem noſtrum, adeò, ut aliis propè invidiam parere potuerit. Conceſſerat quondam Rex Theſſalonicæ, in Oriente, Stirpe Marchio Montisferati, Fratribus noſtris *de Locedio* juxta Theſſalonicam, Cœnobium *de Curiat*, approbante Legato Apoſtolico: quos verò Imperator Conſtantinopolitanus, malignorum ſuggeſtu, iterum inde ejecit. Quamprimum hoc Pontifici innotuit, ſcripſit Imperatori, Archiepiſcopis item, Philippenſi,

Egregium ejusdem Pontificis Teſtimonium de Sanctitate Inſtituti Ciſtercienſis.

pensi, & Serano, nostrorum restitutionem sub Censuris demandans. Scripsit verò & ipsis Fratribus Locediensibus, in prima Epistolæ parte exponens hæc omnia, quæ mox compendio narrata sunt, ita deinde pergens. - - „ Nos enim volentes, ut „ Ordinis Cisterciensis Religio, quæ, tanquam Vitis abundans, „ palmites suos longè latéque diffudit, &, velut Lucerna non ab„ sconsa sub modio, perlucidè radios claritatis ostendit, in illis etiam „ partibus propagaretur, ut Oves, quæ de novo sunt in unum redu„ ctæ (Græci nimirum tunc uniti, cùm Constantinopolis Imperato„ res Latinos haberet) Patrem, qui est in Cælis, glorificent, *cùm* „ *Latinos viderint sanctioris vitæ propositum elegisse* : statuimus, „ quòd per Vos in dicto Monasterio de cætero serventur Cister„ ciensis Ordinis Instituta, ut temporibus nostris *meliùs in parti*„ *bus istis Religio Christiana proficiat*, & Instituta Regularia per „ Nos de die in diem propagentur, & ampliùs, & fortiùs conva„ lescant. - - - Datum Laterani VIII. Cal. Junii anno XV.^{to.} „ Ecce, quomodo summo in terris ac Visibili Ecclesiæ Capiti Vita Cisterciensium, *sanctior* visa sit, per quam in oculos hominum incurrentem *Religio Christiana meliùs proficiat*. Ut quid hodie non accendat nos laus tam egregia Patrum nostrorum ad vitam nostram sic reducendam in pristinum lumen, ut parem Ordini nostro opinionem etiam nunc conciliemus? Sunt hoc ævo ex nostris Congregationes nonnullæ, suo tempore prædicandæ, quæ Integritati Majorum nihil concedant. O utinam Pater Luminum eundem spiritum in omne Cistercium transfundat!

Annus 1213.

IX. COmes Tolosanus, cùm à deletis priore anno Saracenis spes nulla relevandorum Albigensium superesset: præterea *Ottonem* Imperatorem, itémque *Joannem* Angliæ Regem, uti & *Maroccanorum* Tirannum frustra in opem sollicitâsset: tandem astutis fraudibus Cognatum sibi *Petrum* Aragoniæ Regem, suas eidem ditiones in tutelam offerens, ita irretivit, ut secum statueret, non quidem propugnare hæresin, Comitem tamen, quasi jure quodam sanguinis, ut Propinquus ejus, illíque adhærentes, tanquam proprios Vasallos, sponte sibi deditos, tueri. Primùm itaque Rex iste Comiti, ejúsque Asseclis, apud *Arnaldum* nostrum, Archiepiscopum Narbonensem, cæterósque Præsules pacem exorare studebat. Qui cùm facilè dolos adverterent, eíque obaudire non possent, supplantavit Rex *Innocentium* Papam, ut Prædicationem Crucis, immo & Bellum ulterius in Albigenses vetaret, donec à Concilio Episcoporum Galliæ causa Regis discuteretur. Patribûs autem, ut jusserat, congregatis, eíque prolixa in epistola fraudem omnem retegentibûs, rursùm Arma in hæreticos, & quoscunque eorum defen-

Petrus Aragoniæ Rex Albigensium causam propugnandam suscipit.

Supplantat Pontificem, sed statim veriùs edoctum.

sores decrevit, Crucémque adversus eos ipse *Ludovicus*, Franciæ Regis *Philippi* Filius, acceperat, invito tamen Patre, & ne in bellum procederet, alterius belli sibi impendentis ob metum vetante. Dum verò Præsulum nostrorum ductu, & auspiciis, Catholici cum Albigensibus congrederentur, *Petrus* Rex, qui aciem adversam duxit & instruxit, ipsemet tanquam inter primos infelix occubuit, Gloriosus anteriore Anno Saracenorum Triumphator, nunc infaustissimis avibus hæreticorum Defensor.

Aciem instruens inter primos cadit.

X. Doluit hoc fatum *Innocentio* : & quia, occiso Rege, Albigensium fortunam abunde depressam existimabat, revocavit Indulgentias, pugnaturis contra eos concessas, atque è converso fideles omnes ubique terrarum prædicatione Crucis in Orientem concitari mandavit. Quo pacto Hæresis Gallica multùm respiravit : nostrorum verò tàm arduus tot annorum sudor in ea exscindenda olei plurimum ac operæ perdidit. Cæterùm ad prædicationem Crucis pro Oriente nostros Cistercienses novis laboribus oneratos, neque tam missos, quàm raptos è Monasteriis fuisse, testabatur *Cæsarius* noster *Heisterbacensis* sermon. de S. Luca Evangel. in illa ejusdem verba Cap. 10. *Rogate ergo Dominum Messis, ut mittat Operarios in Messem suam* : ad quod ille ait. „*Matheus* non dicit, ut *mittat*, sed ut *ejiciat*. Ma„joris gratiæ indicium est, Prædicatores ad prædicandum *ejice„re*, quàm *mittere*. Quasi vim patitur, qui *ejicitur*. Multi „his temporibus, ut scitis, tam Monachorum, quàm Abbatum, „è suis cellulis & Monasteriis, contra propositum & volunta„tem, ad prædicationem Crucis *ejecti* sunt ex præcepto Summi „Pontificis. Et quia eandem *ejectionem* considerabant esse fru„ctuosam, *ejici* vel *mitti* ad Messem Dominicam non renue„runt. „

Dolens de hac morte Papa, non vult, in Albigenses ulteriùs Crucem prædicari, magnô eorum respirio.

Cistercienses ad prædicandum quodammodo rapti è Monasteriis.

XI. Præcipuam nostri plagam in Anglia tulêre: ubi *Joannes* Rex, quia Pontifex, discordantibûs eligentium, Votis ambos æmulos rejecit, tertiúmque aliquem *Stephanum Langtonum* in Archiepiscopum Cantuariensem, se inconsulto instituit, non modò hunc Sede sua, totóque Regno exegit, verùm etiam summa cum animi intemperantia in Ecclesias, omnémque Clerum, maximè autem in Cistercienses, eò quòd *Stephanus* ad hos Pontigniacum confugerit, planè furere incepit, *adeò durus exactor improbúsque*, quod *Nicol. Arsfeldius* ait, in conflanda pecunia, *ut Cistercienses ad eam conficiendam Cucullas & tunicas vendere cogerentur*. Tandem verò, cùm se anathemate percussum, & ob hanc, aliasque graves causas à Proceribus Regni desertum conspiceret, & insuper Scotiæ, Galliæque Reges in se arma parare novisset, Regno, ac saluti suæ timens, veniam Pontificis per

In Anglia durissimè emulgentur à Rege: quia *Stephanus* Archiep. Cantuariens. ad eos Pontigniacum confûgit.

Nihilominus Rex postea per ipsos veniam Papæ quæsivit.

per Cistercienses fiducialiùs, ac per alios quoscunque, consequi sperans, & feliciùs pariter obtinens, Abbates nostros *de Bello Loco*, & *Strata Marcelli* Oratores Romam direxit. Reconciliatus postea, sed in restitutione Ecclesiarum segnior, denuo, præter *Nicolaum* Tusculanum Episcopum Legatum, insuper *Joannem*, Abbatem Cisterciensem S. Martini de Monte Witerbi, à Pontifice tanquam Monitorem accepit. In Lusitania pariter gravis causæ, quæ correptis quoque armis agebatur inter *Alfonsum* Regem, ejúsque Sorores, à sancta Sede Apostolica, ad quam appellatum, Judices dati fuère Abbates nostri *de Spina*, & *Ursaria*.

Alii ex nostris causæ Regis Lusitaniæ Judices dati.

XII. In Gallia *Gaufridus II.* Episcopus Sylvanectensis, Cathedrâ ultro se abdicans, hoc ipso Anno in Abbatia Caroli Loci Monchum Cisterciensem professus est. *Gall. Christ. III.* 1019. *Stephanus Langtonus* suprà laudatus, electus Cancellarius Parisiensis Universitatis, S. R. E. Cardinalis, & Archiepiscopus Cantuariensis, tametsi Cistercium professus non foret, quod verò *Manriquæus* admodum credibile putat, *Vischius* in Biblioth. Cisterc. disertè affirmat, *Oudinus* autem in Scriptor. Eccles. pernegat, mertò tamen hoc loco laudandus est. Eum *Nomenclator Cardinalium* Divinis Paginis perpetuò impalluisse ait, & Ecclesiam Sanctam calamo suo juvandi illustrandíque finem nullum fecisse. Quin porro hoc maximè egerit, dum Pontigniaci inter nostros exul ab Anglia, ferè sexennio degeret, nemo in dubium vocat. Debetur eidem, *Pitseo* teste in Opere de Jllustr. Angl. Scriptor. Distinctio S. Scripturæ in Capita, quam etiamnum Ecclesia Catholica retinet. Præterea universum prope Divinum Codicem Commentariis illustravit: neque, quod Cl. *Oudinus* ultro fatetur, Opera ejus MSS.[ta] alicubi crebrius, quàm in Bibliothecis Galliæ Cisterciensibus, occurrunt, quæ nimirum, ut ipse ait, ex Pontigniaco transcribenda mutuabantur. Bibliotheca nostra servat Volumen grande è Membrana fol. max. manu Seculi XIV. exaratum, numerans folia CCCXLV. & continens Expositionem perpetuam totius Psalterii juxta Vulgatam, nulli Authori inscriptam. Lego verò in Catalogo Vetustissimo Bibliothecæ nostræ, qui pariter est à manu Seculi XIV. magno alteri Volumini MS.[to] in fine adjectus, ex quo mihi plures Authores Librorum & Operum nostrorum MSS.[torum] restituere licuit, hanc etiam Rubricam: *Psalterium grande Glossatum Stephani de Lanquitonia Cantuarieñ.* Quo Articulo præsens Volumen, à me cum aliis Psalterii Expositionibus magis obviis non indiligenter collatum, ac planè aliud repertum, verosimillimè designatum existimo. *Oudinus* quidem in recensione Commentariorum *Stephani* hujus, qui apud Celeber. *Mont-*

Gaufridus Episc. Sylvanectens. fit Monachus noster.

Stephani Langtoni Archiep. Cantuariens. Commendatio.

Ejus Expositio in Psalterium apud nos MS.[ta] extare videtur.

Montfauconii Bibliothecam Bibliothecar. MSS.rum jam *Langron*, jam de *Langueron*, alibi de *Languetona*, sive *Linguatone* cognominatur, nullius in Psalmos Expositionis meminit: apud *Le Long* tamen in Biblioth. Sacr. Glossæ ejus in Psalterium ex *Baleo* MS.te disertè allegantur.

Nostri spontè moderantur Exemtionem suam à Decimis.

XIII. Postremum tandem, quod hìc omittendum non fuit, est Generalis Capituli nostri sub *Arnaldo II.* Archi-Abbate sapienter decreta Exemtionis nostræ à Decimis moderatio. Conquerebatur enim Episcopus Quinque-Ecclesiensis in Hungaria apud *Innocentium* Papam, Monachos Cistercienses Dœcesis suæ Vineas emere multas, de quibus Decimæ ad Ecclesiam suam spectabant: ipsos verò, propter communem Ordinis Exemtionem, nolle sibi easdem persolvere, quamvis vino inde procreato ipsi non uterentur, sed illud vendendô, lucris tantummodo propriis inhiarent. Quocirca Pontifex Cœnobiis istis Hungariæ rescripsit: *Cùm exinde Ordini plurimùm detrabatur, auferant materiam scandali, ne de ipsis clamor ad se ultrà ascendat: scientes* (addebat) *Nobis meritò esse formidandum, ne propter clamores hujusmodi Sacrum Concilium, Auctore Domino in proximo celebrandum, Privilegia vestra coarctanda provideat, vel etiam revocanda: cùm Privilegium mereatur amittere, qui concessa sibi abutitur libertate.* Gravia erant hæc Verba Summi Ecclesiæ Pastoris, paucis quidem Cœnobiis directa: sed quæ non obscurè toti Ordini in aurem dicebantur. Prætulêre tamen rigorem, multa discretione temperatum: dum ablationem scandali nostris per se ipsos faciendam commendaret, novæ laudis thema Ordini suppeditans: è converso autem pudoris incurrendi paternè eos admonens, si potestate altiori, & jactura simul graviori, hæc Correctio fieri deberet. Unde Patres nostri, ab Hungariæ Monasteriis hac de re commoniti, atque consulti, communi decreto sanciverunt, ut in universo deinceps Ordine Decimæ solverentur, non de illis prediis fundisque, quibûs jam tum Cœnobia gauderent, sed iis duntaxat, quæ postea sive donatione, sive emtione acquirerent. Placuit hoc Pontifici, profuit Ordini, grandem hac ratione turbinem imminentis tempestatis providè dissipanti. *Innocentius* porro biennio postea in Concilio Lateranensi hoc statutum nostrorum publico Canone sancivit: qui refertur III. Decretal. in capit. *Nuper Abbates Cisterc. Ordinis* XXXIIII. *de Decimis*, cúmque ad omnes alios, paribus Privilegiis gaudentes, extendit, subjecto motivo: *Ut Ecclesiarum Prælati promtiores, & efficaciores existant, ad exhibendum eis de suis malefactoribus justitiæ complementum, eorúmque Privilegia diligentiùs, & frequentiùs studeant observare.*

Annus

Annus 1214.

XIV. QUæ propter inhibitam in Albigenses prædicationem Crucis quasi sufflaminata videbatur decennalis nostrorum adversus eos corrigendos, vel opprimendos industria, DEO sic providente, ut ipsi sontes, non tamen citra scelus infandum, laqueum sibi fabricarent, inopinatò consummationem felicem obtinuit. Habuit nempe Comes Tolosanus Fratrem *Balduinum* tam Catholicum, quàm ipse in fidem perfidus erat, ac semper pro Christo fideliter cum nostris militantem. Hunc in Castro *Olima*, quò ingressus erat, Adversarii proditione interceptum, noctu dormientem lecto abripuerunt, & post plurium dierum inediam Comiti Fratri adduxerunt. Cujus jussu, ne quidem Dominicorum Sacramentorum perceptione sibi permissa, ex Nuce arbore suspensus fuit, tanquam victima *Petri* Aragonum Regis in acie cæsi, tantò interim dignior, quòd in ea immolanda Comes Tolosanus neque proprio Sanguini pepercisset. Ecce sapientiam carnis, qua hæretici mirè sibi plaudebant, nec parum eapropter insolescendô gestiebant. At verò deprehendit eos DEUS in Astutia sua. Omnes enim boni detestabile hoc crimen totis animis execrabantur, tantóque amplius in vindictam ardebant, quantò clarior *Balduini* suspensi Pietas, Virtus, & inter omnes opinio fuit.

Tolosanus Comes parricida proprii Fratris Catholici, in se & Albigenses, novas proborum iras provocavit.

XV. Ergo sponte sua plurimi, antea in Albigenses Cruce signati, sed nunc jubente Pontifice evocati in Orientem, signa verterunt. Conventus ab iis Papæ Legatus, qui Præsulibus nostris Prædicatores omnes subtraxerat, ut rursum aliquos pro vindicta de hæreticis expetenda concederet: quas in preces, nostrorum præcipuè, aliorum Virorum gravissimorum suasu hortatúque consensit. Aderat Verbo tanta de Cælo virtus, ut brevissimo tempore ingens multitudo ad ultionem antefati sceleris congregaretur. In *Petro* nostro Vallesarnensi centum omnino millia leguntur: quem tamen decumanum in numerum, qui fidem verè superet, errorem irrepsisse, *Manriqueo* nostro non imprudenter videtur, putanti, decem millia tempori suffectura. His ipse Cardinalis Legatus jungebatur, estque tam feliciter pugnatum, ut quamplurima Adversariis Castra, leviore, vel graviore assultu, aut etiam durissima obsidione, inter Præsulum Clerique hymnos eriperentur, quorumdam turribus, murísque dejectis, aliis penitus terræ æquatis. Fructum exsplicat *Vallesarnensis* noster, postquam occupationem Castrorum, Montis fortis, Castri novi, & Bænatii enarravit, his periodis subjunctis. „In his quatuor Castris à centum Annis, & antea, sedes fuerant Sathanæ, ab his egressa fuerat iniquitas super faciem terræ. Istis igitur subjugatis per Peregrinorum laborem,

Nova itaque in eos expeditione Catholicorum Castra complura eis eripiuntur.

„& Probitatem expertissimam Comitis Montisfortis, reddita „est pax & tranquillitas non solùm Petragoricensibus, sed etiam „Caturcensibus, & Aginnensibus, & Lemovicensibus pro mag„na parte.„

Fulco Episcopus Tolosæ partem Decimarum B. Dominico donavit.

XVI. Restituti etiam suis Diœcesibus, ac Sedibus, *Arnaldus* Archipræsul Narbonensis, & *Fulco* Episcopus Tolosanus: cui postremo B. *Dominicus* sui Instituti Conceptum, primas cunas, & Obstetricis impensum officium debebat, libenter id fatente Doctissimo Viro P. *Theodorico de Apoldia* Prædicatorii Ordinis in Vita Beati Patriarchæ sui Libr. II. cap. 11. dum ait. „Episcopus Tolosanus Vir bonus, & Sanctus, Zelator fidei, S. *Do„minicum* impensè amans, lætus, novam oriri salutem, con„sentiente Collegio suo, ad Libros, aliáque necessaria compa„randa, sextam Decimarum omnium partem ei donavit. Ob„tulêre se etiam illi duo Tolosani boni Viri, Frater *Thomas* ho„mo facundus & gratiosus, & Frater *Petrus de Salare*, qui in„signes Ædes, quas Tolosæ habebat, ei largitus est. Tum Vi„ri, qui cum B. *Dominico* erant, cœperunt, se ad Religiosorum „sive Monachorum mores accommodare. Necdum enim Præ„dicatorius Ordo institutus erat; sed quædam jam concepta „erant, & de illo instituendo deliberabatur.„ Ingens profectò hæc Cistercii Gloria, & tantò major, quantò Sacerrimum hoc Institutum toti Ecclesiæ in hanc usque diem honorificentius, & fructuosius esse perseverat.

Annus 1215.

Albigenses omnino supprimuntur.

XVII. Quæ anno priori ad incitas redacta fuit Albigensium fortuna, hoc præsente ampliùs contrita est, novis Cruce signatis nostrorum prædicatione adductis, in quibus ipse *Ludovicus* Regius Galliæ Princeps, Comes Tolosæ, ac cæteri hæreticorum Primores ditionibus exuti: Comiti *Montfortio*, decreto Synodi in Monte Pessulano habitæ, & Approbatione Summi Pontificis, tota Terra contradita usque ad Concilii Lateranensis ulteriorem deliberationem: Muri Civitatum, Narbonæ, Tolosæque dejecti. Vi tamen hac externa suppressâ hæresis, naturâ pertinax, animis malignorum nequaquam sic exemta est, ut non deinceps turbas novas *Montfortio* daret: quas verò ordine exequi mihi non vacat. Sublatus interea sapientiâ Pontificis magnus, qui meritò timebatur, Lapis offensionis. Fuerat nimirum Comiti *Montfortio* Filiolus *Petri* Aragoniæ Regis adhuc viventis *Jacobus* nomine traditus, ut catholicè educaretur. Sed Rege in acie occiso, Filius à Comite timente, ne mortem Patris ulcisceretur, quamquam hic mera sua temeritate & quodammodo insania sese ipsum præcipitaverit, arctiore, licet Re-

gia

gia custodia detinebatur. Jussit verò *Innocentius*, Regno Aragoniæ Regem suum legitimum reddi: nec inde mali quidpiam Comiti provênit. Captivo tenero interim Regio Puero à Comite Magistrum & Arbitrum Conscientiæ datum fuisse Cisterciensem aliquem, Rever.mus *Manriquem* noster vix ambigit, cùm à nostris unicè penderet, horúmque Consilio & adjutorio egerit omnia, quæcunque gloriosè peregit. Unde ulteriùs pro honore Cistercii infert, cùm *Jacobus* captivitatis suæ, quantumvis regiè haberetur, tristitiam expendens, quam vel sola libertatis jactura, ut bona omnia reliqua affluant, semper inducit, propositum certè, nisi votum conceperit, si liber fieret, Ordinem pro redemtione captivorum instituendi: sanctum hoc ei Consilium ab uno nostrorum, qui ejus in spiritu Pater erat, suggestum fuisse. Quod si ita sit, non immeritò creditur, Ordinem B. M. V. de Mercede pro Redemtione Captivorum, quarto postea Anno, ab hoc eodem *Jacobo* Rege in Aragonia institutum, primum sanctúmque semen suum rursus Cistercio debere.

Occasio Ordinis B. M. V. de Mercede pro Redemtione Captivorum.

Ejus instituendi Consilium videtur Cistercio deberi.

XVIII. Aderat interea Concilii Romani Generalis Lateranensis tempus, Ordini nostro promiscuam afflans fortunam, docénsque, omnes, quotquot Mundum incolunt, cum universa Virtute sua hominum fragilitatem plenè supergredi non posse. Primùm namque ibidem condemnatus est Libellus *Joachimi* Abbatis nostri Florensis, quem scripserat contra Magistrum Sententiarum *Petrum Lombardum*, appellans eum quasi hæreticum: Quòd in Divinis quamdam Summam Rem esse ab ipso dictum sit, quæ nec sit Generans, nec genita, neque procedens, ac proinde non tam Trinitatem, quàm Quaternitatem in DEO adstruxerit, tres videlicet Personas, & communem Essentiam quasi quartam. Negabat itaque *Joachim*, in Divinis Personis esse Unam Essentiam, unam substantiam, unam Naturam Unitate vera & propria, sed solummodo Collectiva, & similitudinaria. Atque hoc dogma, sic prolatum, inque Libello exhibito descriptum, à quibusdam ex nostris, Pontifici, Concilióque, fixô obelô fuit oblatum: ubi non desunt, qui vereantur, immutatione, sive transpositione verborum, vel sententiarum, dogma hoc erroneo alterius calamo sic expressum fuisse, ut Catholicum non appareret: vel verò ipsum *Joachimum*, si superstes fuisset, non difficulter sensum suum hac in propositione sic expositurum fuisse, ut nihil se contra fidei veritatem intendisse, omnibus patuisset. Utcunque se res habuerit, quemadmodum Judex pronunciat secundùm id, quod juri videtur, ita Concilium damnavit hunc Libellum, uti exhibitus fuit, his attamen Verbis Definitioni suæ disertè adjectis. „In nullo „tamen propter hoc Florensi Monasterio, cujus ipse *Joachim*

In Concilio Lateranensi damnatus Libellus *Joachimi* Abbatis nostri Florensis, ipso salvo;

„ exstitit Institutor, volumus derogari: quoniam ibi & Regu„ laris est Institutio, & observantia salutaris: maximè cùm ip„ se *Joachim* omnia scripta sua nobis assignari mandavit, Apo„ stolicæ Sedis Judicio approbanda, seu etiam corrigenda, di„ ctans epistolam, quam propria manu subscripsit, in qua firmi„ ter confitetur, se illam fidem tenere, quam Romana tenet Ec„ clesia: quæ disponente Domino cunctorum fidelium Mater „ est, & Magistra. „ Quæ cautio famæ pro *Joachimo*, quia complurium otiosæ pravæque in detrahendo procaciæ non suffecerat, sexennio postea *Honorius* Papa, ad Florensium querelam, Archiepiscopo Cosentino, & Episcopo Bisiniacensi, conceptâ Bullâ ita præcepit. „ Fraternitati Vestræ per Apostolica Scrip„ ta mandamus, quatenus per totam Calabriam faciatis publi„ cè nunciari, quod Nos eum (nempe *Joachimum* sæpe dictum) „ Virum Catholicum reputamus, & Regularem Observantiam, „ quam instituit, salutarem. Eos, qui Ordini memorato ex „ hoc detrahere, vel insultare præsumserint, modo præmemo„ rato sub Apostolica Obedientia castigate. Datum Laterani „ sexto Kalendas Januarii Pontificatus nostri Anno Quinto. „ Bullam integram legere licebit apud Rever.mum *Manriqueum* nostrum Annal. IV. p. 59. Item cum alia ejusmodi ad *Lucanentium* Episcopum, qui ipsemet de *Joachimo* duriùs opinabatur, apud Rever.um *Gregorium de Laude*, aliàs *de Lauro*, Abbatem Sagittariensem Calabriæ in Libro, cui titulus: *Magni Divinique Prophetæ Beati Joannis Joachim Abbatis S. Cisterc. Ordin. Monasterii Floris, & Florensis Ordinis Institutoris Hergasiarum Alethia Apologetica, sive Mirabilium Veritas defensa*: edito Neapoli in fol. 1660. p. 332. sq.

& postea ab *Honorio* Papa iterum defenso.

XIX. Alterum, quod famam Ordinis nostri hoc in Consessu Universalis quodammodo Ecclesiæ notare potiùs, quàm commendare potuerat, fuit Lis illa, quæ dudum jam inter Archipræsules Cistercii, & primos Quatuor Ordinis Abbates, Firmitatis videlicet, Pontigniaci, Clarævallis, ac Morimundi agitabatur, aliquot ante Annos ad *Innocentium* delata: cujus jussu tum à Cardinali Episcopo Ostiensi privatim cognita, & composita, cùm recrudesceret, nunc ad publicam Ecclesiæ faciem devoluta fuit, jure privato publicæ famæ incautè præhabito. Quod quidem ita factum esse Reverendissimo *Manriqueo* nostro tantò mirabilius apparuit, quantò clariores erant Virtutis, ac tantum non sanctitatis opinione, ii Præsules omnes, qui sese inter mutuò disceptabant, Episcopali postea singuli honore sublimati. Unde infert ille, hanc litem eis nullatenus peperisse privatam quamdam Animi elationem, & eminendi cupidinem: sed meram unius cujuslibet suo in sensu abundantiam, qua judicabat, suæ Domui, cui præerat, jus, de quo disceptatum est, omnino com-

Ibidem in lite quatuor primorum Abbatum cum Archi-Abbate Generali Cistercii perdiscretè pronunciatum.

petere,

petere, suarum porro partium esse, ut illud Monasterio suo generosa defensione vindicaret. Quæstio autem Quatuor Abbatum tum quidem temporis tria hæc capita habebat. I.° Utrùm Archi-Abbas Cisterciensis eandem se solo corrigendi ac destituendi potestatem illimitatam, uti in cœterorum Monasteriorum Abbates, ita & in ipsos ex tenore Chartæ Charitatis haberet, cùm ipsorum quilibet omnium suæ Lineæ Cœnobiorum communis Pater ac Caput existeret? II.do An tempore Capituli Generalis Definitorum Electio, Approbatio, vel Reprobatio, Archi-Abbati Cisterciensi soli, vel ipsis unacum illo competeret? III.tio Qualenam jus ac potestatem ipsi in visitando Archi-Cœnobio Cisterciensi haberent? Ampliùs triplicis hujus Controversiæ statum cognoscere licebit Lectori ex Epistola prolixa *Joannis* Abbatis Savigniacensis, ad suæ Congregationis Abbates per Angliam & Walliam data, atque exhibita in *Monastico Anglicano* Tom. I. p. 700. sqq. subsignata AN. 1264. cùm semper postea lis ista in Ordine ad nostra usque tempora instaurata fuerit. Sed hac de Epistola notandum, solam ibidem causam Quatuor Abbatum perorari, ac propugnari: pro jure verò D. Archi-Abbatis Cisterciensis Generalis nihil penitus afferri, cujus momenta & rationum pondera, quibùs hodie triumphat, aliis è scriniis mihi ignotis, repeti debebunt. In Concilio interim, ait *Manriquecus*, Res à Pontifice, ac Patribus, ita definita est, ut neutri Parti consentientes, utrique tamen deferrent, & sic rem temperarent, ut in futurum, quæcunque Pars limites præscriptos excederet, sibi ipsi casum causæ suæ meritò imputaret. Videatur ipse *Tom.*° IV.to p. 60. Moderationem Immunitatis à Decimis, per nostros ultro in Capitulo Generali factam, nunc in Concilio æterno Canone sancitam, jam paulò supra adstruxi.

XX. Jllud porro Cistercio gloriam pariter ac meritum peperit, quod *Fulco* noster, Episcopus Tolosanus, hanc ad synodum B. *Dominicum* secum adduxerit, atque Pontifici, ac Patribus tam enixè commendaverit, ut, hærente quidem primùm Papa ad novi Ordinis concessionem, & Approbationem, paulò pòst intentionem futuri hujus Sancti Patriarchæ laudaverit, injungens illi, ut rediens ad suos, unam ex approbatis veteribus regulis, cum novarum quarumdam Constitutionum additione, seligeret, seque rursum pro Approbatione accederet. Præterea, quòd Pontifex *Simonem*, Conversum Alnæ Ordinis nostri, Prophetiæ dono insignem, cujusque fama dudum Urbem impleverat, advocaverit Romam, publicóque in Concilio adesse voluerit. Tandem, quòd statuta Monachorum Reformatione, communi Patrum Decreto sancitum, ut omnes Ordines, salvo jure Diœcesanorum Pontificum, de triennio in triennium

Fulco noster ad Concilium adduxit B. Dominicum.

Vocatus ad Concilium Simon de Alna Conversus noster.

Decretum pro Reformatione Monachorum, ut omnes Ordines Religiosi more Cisterciensium, celebrarent Capitula præsidentibus nostris.

Commune Abbatum atque Priorum Capitulum celebrarent, & in hujus Novitatis primordiis duos vicinos Abbates Cistercienses Charitativè adhiberent ad præstandum sibi Consilium, & Auxilium opportunum, cùm sint in hujusmodi Capitulis celebrandis ex longa consuetudine pleniùs informati. Hi porro duo Abbates Cistercienses absque contradictione potestatem habeant, duos de congregatis sibi associandi, quos viderint expedire: & si minùs quadraverint, provida deliberatione rursum mutandi. Quidquid; Capitulô pluribus diebûs, juxta Morem Cisterciensis Ordinis, continuè protracto, in commune statutum fuerit, approbantibûs his quatuor, ab omnibus inviolabiliter observetur, omni excusatione, & contradictione, atque appellatione remotis. His ferè verbis ipsum Concilii Decretum conceptum fuit, addito in fine. „Ad hoc districtè præcipimus tam Diœcesanis Episcopis, quàm Personis, „quæ præerunt Capitulis celebrandis (nimirum quatuor suprafatis) ut per Censuram Ecclesiasticam, Appellatione remota, compescant Advocatos, Patronos, Vicedominos, Rectores, & Consules, Magnates, & Milites, seu quoslibet alios, „ne Monasteria præsumant offendere in personis & rebus.„ Ita Decretum Concilii, etiam Regulares Canonicos disertis Verbis suo sub tenore complexum, & omnes denique Ordines, quibus *Capitula in usu non essent.* Hæc verò Verba, ait *Manriquem*, Præmonstratenses manifestè exceperunt, qui dudum Capitulorum frequentiam apud nostros æmulabantur. Irrefragabile interea testimonium præbet hic Canon, quanta tum Cisterciensium apud universam Ecclesiam Opinio fuerit, quorum veluti Magisterio Disciplinam Monasticam apud omnes restituendam decrevit. Addiscimus insuper, quantam Pontifex & Patres fiduciam in perpetuo Capitulorum Regularium ac Generalium usu collocaverint, quo, velut aptissimo medio, florem omnium Ordinum felicissimè reduci, instaurari, ac propagari posse existimaverunt. Et sanè dicere ausim, frequentia Capitula, domestica, & Generalia, nervum esse Disciplinæ Regularis: etenim vel pudoris causâ, si minùs legis, aut honestatis, nemo facilè audebit, quod reprehensione & castigatione publica proximè vindicandum certocertius prænoverit. Non frustra Salvator præcepit, ut, qui fratrem peccantem corrigere cupit, post secretam correptionem, qua nihil profecerit, morbum ejus tandem dicat Ecclesiæ. Fortis aries Monitio publica, quam nemo contemnit, nisi qui frontem penitus perdidit. Fiunt præterea in publico pacatiùs omnia, dum è converso, remotis arbitris, persæpè noxius animi calor correctionem in contentionem præcipitat. In Capitulo tacet reus, ac merè audit: Præses autem veretur præsentes omnes, totúmque sermonem suum discretione componit. Quàm bellè sic vulnera sanantur,

Capitula frequentia nervus disciplinæ Regularis.

tur, oleo simul ac vino infusis? Ideò profectò sancti omnes Legislatores post Oratorium, Domum Capitularem in Cœnobiis præ omnibus constituerunt, tanquam Locum, qui diabolo summæ formidini sit, & in quo perdat, quidquid alibi lucratur. Pœnitentiæ enim Repromissio gratiæ facta est. Quòd si Capitula proclamatione non personent, animæ satisfactione non resurgunt. Malè parcitur peccantium famæ, dum nocetur conscientiæ.

XXI. Sed erit fortasse nonnemo, qui avidus exspectabit à me, ut ad laudes tandem *Alani* nostri de *Insulis*, cui *Doctoris Universalis* elogium dabatur, hoc in Concilio sibi, & Ordini, collectas delabar, ac deprædicem, quomodo humilem Conversum præferens, atque ad pedes Archi-Abbatis sui Cisterciensis, immo sub ejus cuculla occultus residens, prævalente totius Concilii Patribus nescio cujus hæretici dicacitate, fandi licentiam postulans, sic eum confutaverit, ut penitus confusus, dixerit tandem: *Aut Alanus es, aut diabolus.* Absit verò, ut Ecclesiæ, ut Pontifici *Innocentio*, tanto sui temporis Theologo, ut adeò ingenti Præsulum, Abbatum, & Virorum doctissimorum Collegio hoc probrum inuram, potuisse eisdem unum argutum hæreticum sophismatibûs suis ora obstipare. Negavit pariter Rever.[mus] *Manriquez* noster *Alani* hoc in Concilio præsentiam, & omnem historiam antefatam apocrypham censuit, ea de causa, quòd crediderit, Summum istum Virum, juxta Epitaphium ejus, Cistercii spectandum, decessisse Anno 1294. ut adeò Anno præsenti 1215. esto jam vixerit, tantus certè Ecclesiæ Defensor esse nequaquam potuerit. Pleniorem tamen rei hujus indagationem ad annos posteriores remisit: sed quos ipse scribendo haud ampliùs attigit. Interim longè priùs *Annal. Tom. I.* ad ann. 1140. Cap. 10. p. 396. n. 7. cùm enarrâsset, *Alanum*, S. *Bernardi* Discipulum, ab hoc primum Ripatorii Abbatem institutum fuisse, ita subdidit. „ *Robertus* „ *Holcot*, & quod magis mireris, multi ex Flandris, *Alanum* „ hunc cum *Alano Magno* confundunt, prorsus immeritò. Quip„pe ille Conversus, iste Monachus: ille in Cistercio, hic in Cla„ravalle: ille multa & præclara Scripta edidit, hic Vitam tan„tùm *Bernardi* compilavit: ille aliis Hispanus, quibusdam Gal„lus, hic cunctis Belga: denique ille seculo tertio decimo sub „finem, hic duodecimo florens, omnibus penè circumstantiis di„versus fuit.

Alanum tanquam Conversum nostrum in hoc Concilio confutâsse hæreticum, fabula est.

XXII. Verumtamen longè aliam sententiam sanè fortiter, ut arbitror, tuetur Celeberr. *Oudinus* in præclara Dissertatione de *Alano* Commentarior. de Scriptor. Eccles. Tom. II. à Col. 1388. Asserta ejusdem ita habent. I.° Cùm ipse *Alanus* de se scribat Libr.

Floruit quippe Seculo priori, & ante hoc Concilium obiit.

Libr. V. Comentarior. in Prophetias *Ambrosii Merlini*, se in Flandria apud Insulam natum, ac puerulum fuisse eo tempore, quo Comes *Theodoricus* ab Insulanis, Gandensibus, & Brugensibus, advocatus fuit è Terra sua in Flandriam, id quod factum AN. 1128. tum *Alanum* circiter 14. annorum exstitisse, ac proinde natum rectissimè censeri sub annum 1114. aut 1116. II.do Claraevallis Monachum factum esse circa eundem annum 1128. valde juvenem, quo tempore S. *Bernardus* multos clarioris ingenii studisque Adolescentes ad se attraxit: quia in mox laudatis Commentariis ad *Merlinum* ipse *Alanus* ajebat: *Abbas quidam de Ordine* (nempe ejusdem, cujus ipse erat, cùm alium nullum expresserit) *Vir Literatus &c.* III.tio Dum anno 1140. ab *Hattone* Episcopo Tricassino fundaretur Ripatorium Abbatia Cisterciensis, *Alanum* factum esse primum ejus Loci Abbatem. Hoc enim è gradu AN. 1151. electus est in Episcopum Antisiodorensem, juxta *Galliam Christ.* Tom. II. p. 272. & IV. p. 790. An. 1167. hac se Cathedra sponte iterum abdicans, in Claramvallem regressus est, ut in eadem Gall. Christ. legitur. IV.to Vix porro dubium superesse, quin AN. 1180. ad Concilium Lateranense III. sub *Alexandro* Papa III. celebratum, cum *Petro* Claraevallis Abbate accesserit, ibíque à Pontifice jussus fuerit scribere contra ejus temporis Haereticos, Albigenses, & Waldenses, qui tunc Ecclesiam turbârunt: qua occasione calamum pariter strinxit in Judeos, & Paganos, Libróque suo Titulum fecit: *Opus quadripartitum de Fide Catholica*: paulò pòst pariter compendio scribens *Vitam S. Bernardi.*, à se Domino *Petro* Abbati Claraevallensi nuncupatam, qui Clavum ibidem ab AN. 1179. usque 1186. gessit. Confecit postmodum & alia Opera sua in Otio Regulari. Quapropter eum *Otto à S. Blasio*, qui *Ottonem* Praesulem Frisingensem aetate excepit, ejusque Chronicon usque ad ANN. 1210. prosecutus est, itémque *Henricus Gandavensis*, qui medio Seculo XIII. Parisiis Studia Academica coluit, *Alanum* contemporaneum suum, & sui Seculi hominem celebrant, pleráque ejus Opera enumerantes, ut nulli dubium Relinguant, quo de Doctore loquantur. V.to Obiisse tandem Magnum hunc Virum AN. 1202. teste *Alberico* Monacho Cisterciensi Trium Fontium, quamvis id referat anno 1203. More Gallico computans. VI.to Nihil proinde adversus hos Testes valere Epitaphium Cistercii, annum Obitus ejus referens 1294. cujus relatu decepti omnes, quotquot *Alanum* geminum tradidêre., vel, si unicus fuerit, aetate ferè supra Centenarium extulerunt. Lapis enim iste, qui poni, & inscribi non poterat *Alano* vivo, perhibente propria epocha sua, toto ferè seculo suprascriptis Authoribus junior esse debuit, cúm ipsi de *Alano* ut sibi sinchrono testati sint. Praeterea quid causae fuisset huic Docto-

ri,

ri, inclinante jam ſeculo XIII. contra Waldenſes & Albigenſes calamum ſtringere, qui eo temporis jam propè oblivione ſepeliebantur ? Accedit, fidem gravem faciente *Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſi:* Sec. IV. p. 437. Epitaphium illud adhuc an. 1501. ſic attritum, ut ægerrimè legi poſſet, nonniſi hos tres verſiculos habuiſſe:

ALANUM brevis hora brevi tumulo ſepelivit,
Qui duo, qui ſeptem, qui totum ſcibile ſcivit.
Scire ſuum moriens dare, vel retinere nequivit.

Nunc porro legibile admodum, hos 4. alios verſus additos habere, ſine dubio ſub medium Seculi XVI. renovato Lapide adjectos, qui omnem circa *Alanum* errorem pepererunt;

Labentis ſecli contemtis rebus egens fit,
Intus Converſus, gregibus commiſſus alendis.
Mille ducenteno nonageno quoque quarto
Chriſto devotus, mortales exuit artus.

Hæc Cl. *Oudinus* VI. Capitibus Diſſertationis ſuæ, à me ſummo Compendio conſtricta: quæ prudenter expenſa, omnium, puto, fidem promerebuntur, & liquidò demonſtrant, neque duos *Alanos* ab Inſulis fuiſſe, quam in opinionem complures abierant, neque unicum illum, & in Ordine celeberrimum, Seculo XIII. ſed jam XII.^mo humilem claruiſſe, quin ſubulcum noſtrum egerit, & ab hæretico convicto agnitus, ac diabolo oppoſitus fuerit, Præſulari potiùs & Epiſcopali Dignitate conſpicuum, hujusque liberrima abdicatione, inſignis Modeſtiæ atque humilitatis Gloriam poſthumam conſecutum. In Claravalle profeſſum, Ciſtercii ſepultum eſſe, non infert, debere eundem à ſe ipſo diſtingui, unicúmque *Alanum* in duos diſcindi: facilis enim cauſa occurrere poterat, cur ſe ſub vitæ finem Ciſtercium contulerit, ibidem à morte occupatus.

XXIII. Bibliotheca noſtra in Codicibus ſuis MSS.^tis è Membrana Seculi XIV. ſervat hujus *Alani Magni de Inſulis* Opuſculum *de Sex Alis Cherubim.* Fragmenta duo *de Timore humano præcavendo, & Spe Cæleſti radicanda.* *Oculum Spiritualem ſive Myſticum.* Librum *de Intelligentiis*, i. e. de Subſtantiarum ſeparatarum Natura, & proprietate. *Paradoxa*, ſive Librum *de Maximis*, vel *Axiomatibus Theologiæ*, dictum aliàs *Doctrinale Altum.* Librum *de Arte*, ſeu *Articulis Catholicæ Fidei*, qui meris rationalibus probantur contra Mahometanos. *Poenitentiarium*, quod apud alios audit *Corrector*, ſeu *Medicus Animarum*, Libros IV. Tandem *Vocabularium*, tertiùm apud nos exſtans, alibi appellatum *Summa quot modis*, vel *Oculus*, aut

Alani Opera apud nos MS.^ta

aut *Oraculum S. Scripturæ*, item *Compendium Utriusque Testamenti*, nonnullis *Tractatus de diversis Vocabulorum significationibus secundum Ordinem Alphabeti.* Pleniùs ego de his omnibus in *Bibliotheca Veteri MS.ta Campililiensi.*

Annus 1216.

B. Dominicus inchoat primum Monasterium favore nostri *Fulconis.*

XXIV. REdiens cum *Fulcone* nostro Episcopo Tolosano B. *Dominicus*, Ædes ab hoc Præsule sibi donatas, & Ecclesiæ S. Romani contiguas, aptavit in Monasterium, delegitque sibi Regulam S. Augustini, peculiares nonnullas Constitutiones adjiciens, à nostris, aliisque desumtas. Interim postremi currebant Menses *Innocentii* Papæ, quibus adhuc nostrorum opera variè usus est commissione gravium causarum, Donec sub medium Julii Perusii magno cum luctu Ecclesiæ obiret. Qui statim successit, *Honorius* III. quemadmodum antehac Ordini summè addictus erat, ita mox ab Electione sua existimationi ejusdem paternè consulturus, Epistolam dedit ad Archi-Abbatem Cistercii, & Quatuor Primos Abbates cohortans illos ad concordiam, & admonens, ne occasione verborum, quæ quidam ex iis tempore Concilii Generalis proposuerunt *Innocentio*, consimiliter sese inter rursum, in scandalum fidelium, tricentur, sive extra Arbitros, sive in publico sui Capituli consessu. Statim postea, quia Rex Angliæ *Joannes* anno priori decesserat, relictis duobus minorennibus Filiis: *Philippus* autem Galliæ Rex, qui non immeritò *Joannem* bello insectatus erat, per *Ludovicum* Filium suum nunc etiam Pupillos insontes persequi pergebat: imploratus ab his *Honorius*, ambos Abbates nostros, *Arnaldum* Cisterciensem, & *Conradum* Claraevallensem, tam ad Regem Galliæ, quam ad Filium ejus Legatos destinabat, pacem eis persuasuros. Quod Negotium grave, ac delicatum, adspirante Numine, multo cum gaudio Pontificis ad votum perfecerunt, *Henrico* feliciter in Anglia ad solium institutô. Idem quoque Papa Ordinem B. *Dominici* secundum DEUM, & B. Augustini Regulam confirmavit hoc ANNO XI. Kal. Januarii, Decimas, eidem à *Fulcone* nostro donatas, disertè commemorans, & *Prædicatorum* Nomen eis tribuens, quo adhuc Ordo Sanctissimus utitur. In Gallia *Rodulphus*, Abbas Cisterciensis Floregiæ, evectus est ad Cathedram Episcopalem Sistarciensem: quam vitâ integerrimâ annis quinque & viginti decoravit, obiens an. 1241. *Gall. Christ. III. p.* 1032.

Innocentio Papæ succedens *Honorius* III. hortatur nostros ad concordiam.

Utitur ut Legatis Cistercii ac Claraevallis Abbatibus.

Confirmat Ordinem Prædicatorum.

Rodulphus Abbas Floregiæ fit Episcopus.

Annus 1217.

Guilelmus olim Archiep, Bi-

XXV. PRodigiis ad sepulchrum B. *Guilelmi*, ex Priore & Abbate Pontigniaci, Fontis Joannis, & Caroli Loci, Archie-

Archiepiſcopi Bituricenſis, quotidie increbreſcentibûs, petebat *Gerardus* Archipræſul Succeſſor, jam ab *Innocentio*, qui illud diſtulit, nunc iterum ab *Honorio* Papa, ut eidem publicus in Eccleſia Sanctorum cultus decerneretur. Pontifex Inquiſitionem Epiſcopo Antiſiodorenſi, & duobus è Ciſtercio Abbatibus de Bonoradio, & Calozeio injunxit, tantum de integritate noſtrorum præſumens, ut eos ne in propria quidem cauſa Judices dare vereretur. Reperta ſunt adeò multa, adeò Magnifica Beatitudinis teſtimonia, ut *Honorius* prælaudatum Archi-Antiſtitem nihil jam dubitaverit Sancti honoribus dignum declarare. Interea *Arnaldus* II. Archi-Abbas Ciſtercii, ſenio premente, Generales Ordinis Faſces ultro poſuit, à *Conrado* Abbate Claravallenſi aſſumtos. *Jacobus* à Cerreto Monachus noſter & Abbas Claræ-vallis Italiæ Mediolanenſis, communibus votis ad Cathedram Epiſcopalem Laudunenſem optatus eſt hoc anno: ſed antequam inaugurаretur, vita exceſſit teſte *Ugbello* noſtro *Ital. Sacr. Tom. IV.* col. 674. Quoniam porro jam anno priori, & hoc præſenti, *Raymundus* ejectus Toloſæ Comes, ejusque Filii, res novas moliebantur, arma quoque ſumentes, ipſis Toloſæ Civibus cum eo conſpirantibûs: Comes *Montfortius* magnum in diſcrimen adductus eſt, & *Fulco* horum rebellium afflictus Paſtor, iterum in proprias oves Crucem prædicare coactus fuit.

[Margin: turicen. Albo SS. infertur. — *Arnaldus* II. Archi-Abbas Ciſtercii cedit, ſuccedit *Conradus*. — *Jacobus* eligitur Epiſcopus Laudunenſis. — Albigenſes denuo moliuntur.]

Annus 1218.

XXVI. ADductis à *Fulcone* nonnullorum ſuppetiis Peregrinorum, pugnabatur in obſidione perfidæ Urbis Toloſanæ: quæ Epiſcopi ſui bona officia, quibûs à plena ſui deſolatione ſervabatur, in fomenta malitiæ converterat. Nunc ergo pertinaciſſimè Oppugnatoribus Reſiſtens, dum aliquando in hos ingenti cum furore erumpit, ſuis opitulaturus fortiſſimus Heros Chriſtique Pugil *Simon* Comes *Montfortius*, ictu lapidis, per hoſtes è machina excuſſi, contuſus, ut alter quidam Judas Machabeus, generoſam pro fide devotámque animam poſuit in Craſtino S. Joannis Baptiſtæ. Ita poſtremùm *Petrus* noſter Valle-Sarnenſis, ſtatim Hiſtoriam Albigenſium claudens. Ad *Philippum* Galliæ Regem, qui plures Eccleſias, præcipue Aurelianenſem, graviter vexabat, aut ſaltem ab aliis impunè vexari permittebat, *Honorius* denuo Abbates noſtros, Claravallenſem, ac Morimundenſem ablegabat. In Boëmia diſſenſio graviſſima *Otocari* Regis cum *Andrea* Epiſcopo Pragenſi per Abbates noſtros, Ebracenſem, & Waldſaſſenſem, jubente Pontifice, feliciter ad pacem reducta fuit. Æquè graves ille cauſas Ciſtercienſibus, ac ſi non alii forent alicubi aptiores, in Hiſpania, Italia, Germania, Belgio, Ungaria, Polonia, immo &

[Margin: *Simon* Comes *Montfortius* in obſidione Toloſæ fortiter pro Chriſto occumbit. — Multæ noſtrorum Legationes.]

& Oriente expediendas demandavit, à Rever.^mo *Manriqueo* nostro diligentiùs recensitas. In Polonia *Vincentius* Episcopus Cracoviensis Candelabrum Ecclesiæ suæ, in quo egregia Virtute ac Eruditione refulserat, pauperi Cisterciensium Cellæ, quò se apud Andreovienses nostros spontè abdiderat, religiosè posthabuit.

Vincentius Episc. Cracoviens. fit Monachus noster.

Annus 1219.

Abbas Fontium fit Inquisitor Sanctitatis.

XXVII. Cùm DEUS *Hugonem* Servum suum, quondam Lincolniensem Episcopum, plurima miraculorum gratiâ inclitum fecisset, quapropter multorum supplicationibus ad Aram postulabatur: quæstio de vitæ illius merito, & veritate signorum graviter instituenda, præter Archiepiscopum Cantuariensem, & Coventrensem Episcopum, Abbati pariter Fontium Cisterciensi iterum injuncta fuit. *Conradum* superiore anno Cisterciensi Familiæ Principem factum, *Honorius* Papa rapuit ad se creans illum Cardinalem Episcopum Portuensem: cui, testibus *Ciacconio*, & *Ughello*, mox in Purpura socius accessit *Nicolaus de Claro Monte*, æquè Cisterciensis, creatus Cardinalis Episcopus Tusculanus. Cistercii Primatum *Gualterius* Abbas Longipontis, doctrina clarissimus, inivit. Carnotenses hoc anno Episcopum accepêre *Galterum* Abbatem Pontigniaci, sedulum Ovium Pastorem per annos quatuordecim, juxta *Gall. Christ.* Tom. II. p. 491. Pro tribunali Canonico variarum Causarum rursum, diversis in Regnis, non pauci Abbatum nostrorum Apostolico præcepto sederunt. Cùm verò alii Sacræ Sedis Legati Monasteria nostrorum, quia plus aliis abundabant, ad procurationes pecuniarias urgere vellent, & in domibus nostris hospitio usi, carnes expeterent: *Honorius*, ne quisquam eorum deinceps id ullo modo auderet, clementissimâ Bullâ, universo Ordini datâ, districtè inhibuit, ita eam exorsus. *Cùm præter pauperem Victum Vestrum, omnia bona Vestra Hospitalitati, & aliis piis Operibus officiosissimè sint exposita, satis inhumanè aliis auferri videtur egenis, quidquid à Vobis violentia, & ingenio extorquetur.*

Conradus Archi-Abbas noster fit Cardinalis: uti & *Nicolaus*.

Gualterus in Primatu Cistercii succedit.

Honorius prohibet Legatis exactiones pecuniarias à Cisterciensibus.

Annus 1220.

Nostri denuo ad prædicationem Evangelicam postulati in Livoniam.

XXVIII. Nostrorum prædicatione in Livonia, adsitisque Provinciis, uberrimum fructum ferente, Episcopi vicini lætum hunc successum Pontifici juncundè nunciârunt, ac consimiles Operarios iterum flagitârunt. Unde *Honorius* è vestigio Literas dedit ad Abbates & Priores Cisterciensis Ordinis per Germaniam, Poloniam, Bohemiam, aliásque Provincias, hortans, & mandans, ut Monachis suis, ad hanc Messem ardentibus, vel per Episcopos postulatis, non modò abitum libenter

ter indulgeant, sed etiam sponte eos transmittant. Abbati nostro Bonifontis injunctum, ut cum Archiepiscopo Auxitano, & Episcopo Conforanensi, examinet Vitam, & Mira, quæ à morte Venerabil. *Bertrandi*, olim Episcopi Convennarum, ad ejus tumulum contingere dicebantur. *Wernberus* Abbas S.Crucis Austriæ repullulantem litem *Otocari* Bohemiæ Regis, & *Andreæ* Episcopi Pragensis, Viennæ, unacum Archiepiscopo Salisburgensi, commissione Papali cognovit. Savigniacensis Abbas Episcopo ac Clero Nannetensi vindex datus adversus *Petrum* Britanniæ Comitem. Dum porro per alios Legatos in Hispaniæ Regnis Vicesima pro Oriente ab universo Clero, & etiam à Cistercienfibus, intentato planè anathemate exposceretur: statim *Honorius* Papa, ne parerent nostri, Legati hoc ultra ne attentarent, inhibuit. *Petrum*, S. Galgani Monachum Cisterciensem, hoc, vel anteriori anno, effulsisse in Episcopatu Grossetano, Auctor est *Ughellus* Ital. Sacr. III. p. 663. *Joannem*, Virum innocentissimæ Vitæ, ex Abbate de Fontibus in Anglia, hoc pariter anno consecratum esse Episcopum Eliensem, disco apud *Henriqueum* nostrum in *Menolog. Cisterc.* p. 188. De omnibus porro hoc toto §.° allatis latiùs unumquemque docebit Rever.[mus] *Manriqueus* ad hujus Decadis Annos.

Variis Legationibus, & cognitionibus causarum occupati.

Rursus ab exactione Vicesimæ pro Oriente per Papam absoluti.

Episcopi è nostris promoti.

§. III.

Res Monasterii.

Annus 1211.

I. DE Campililio nostro *Ortilo* ad hunc annum sequentia docet. // *Hainricus* Miles *de Tumbenowe* Fraternitatem & Sepulturam suam petit apud nos, donat nobis terras, // ac vineas in *Wizlendorf*, & *Leutacker*. Moritur *Petrus* Monachus valde humilis, & devotus, læto animo exspectans // Visionem DEI, & primus in Cœmiterio extra Oratorium // à latere septentrionali deponitur. Pro quo tres anno priori // ad Conversionem à Domino *Gebhardo* suscepti, Professionem // faciunt, dicti *Ockerus* Monachus, *Gebhardus* & *Wido* Conversi. //

II. Primum hìc è privatis Benefactorem nostrum certo nomine descriptum legimus, gratâque memoriâ ad posteros vulgamus, Virum citra dubium Nobilem vel ex eo, quòd Miles appelletur. Laudabimus eum denuo, cum uno alteróve Propinguorum ejus, quorum notitiam hausimus, *Tom. IIII.* inter *Famil. in T.* Solita ille Seculi sui pietate eorum quæsivit vivens moriénsque Societatem, quos novit uni DEO dicatos, ac noctes diés-

Primus è privatis Benefactor noster.

Ratio benefaciendi.

diésque laudibûs Divinis insumere, ut vivis gratiam, requiem defunctis impetrarent. Horum in Communionem, ut non solùm ab ipsis, sed etiam à venturo Judice DEO admitteretur, eleemosinis redemit peccata, adjuvans pauperes Christi, mercedis apud ipsum spe Christiana securus.

Petri Monachi nostri beata Mors.

III. *Petro* deinde nostro morienti non ullum Elogium præstantius dicere poterat *Ortilo*, quàm eundem *læto animo exspectâsse Visionem DEI.* Bonus certè servus erat, qui Domini adventum non timuit. Cæmeterii apud nos primi locum Scriptor noster designat aream extra septentrionale latus Oratorii, i. e. Capellæ, quam dicimus hodie S. Sebastiani, illic nempe, quà modò imus ad cryptam Ossuariam, & inde ad hortum pergimus Conventualem. Sine dubio area ista pios undique Confratrum, Familiarium, & Benefactorum nostrorum cineres contegit. Sancta ergo & salubris erit cogitatio, dum eam obambulamus, aliquando pro Charis nostris exorare, ut à peccatis solvantur. Porro duobus è prima Colonia mortuîs, *Ockero* Abbate, ac *Petro*, tribùsque in vicem eorum conversis, uno jam flore Campililium accrevit, proximis illico annis uberiùs germinaturum. Prodit hoc bonum Christi odorem, quem primigenius ager spiravit, ejùsque pinguedinem, Munificentia Serenissimi Fundatoris inductam.

Primum Cæmeterium nostrum.

Primus Campililii flos.

Annus 1212.

IV. PErgit *Ortilo.* // Mccxij. Dominus *Marquardus* Abbas // S. Crucis visitat Filiam suam Vallem nostram, & // gaudet de bono ejus statu. Dominus *Manegoldus* Venerabi- // lis Episcopus Pataviensis dat nobis Literam, qua approbat Fun- // dationem nostram, & Privilegia Ordinis communia: præci- // puè consentit in Donationem Liupoldi Ducis, qua nobis // largitus est *Hospitale in Chremis*, Capellam *S. Stephani*, & Eccle- // sias Parochiales, *Wilhalmspurch*, *Muzliche*, & *Drezinge*. Quin- // que iterum profitentur, omnes Conversi. Moritur verò // *Stephanus* Monachus devotus, & *Geroldus* Conversus, in ex- // structione Monasterii valde laboriosus.

Visitatio Monasteriorum perutilis.

V. Quæ tam facilè incuria fit præsentiæ DEI licentia hominum, refugit tamen oculum testem, similem sibi, maximè illum, qui potestatem habet. Optimè ergo præest, cujus oculus præsens opera subditorum frequenter explorat. Ita enim sibi securitatem, benè agentibus gaudium, delictis inferiorum saluberrimum pharmacum præstat. Rectè igitur D. *Marquardus* Abbas S. Crucis à Visitatione Filiæ suæ per *Ortilonem* commendatur: & eximia novelli Campililii laus est, Oculum Domi-

ni

ni sui de bono ejus gavisum esse. Exeunte hac fama in Orbem, quam peperit Virtus, pronus erat nostris non modò Summorum, & item Diœcesanorum Præsulum favor, verùm etiam Secularium affectus: ut quodammodo ad commoda nostra certatim ferverent. Quanta fuerit adversum nos Benignitas D. *Manegoldi* Præsulis Pataviensis, hæc ejus Charta patefacit, quam integram damus, quia prima est à Diœcesano expedita: cujus assensum primi Patres Ordinis nostri adeò necessarium duxerunt, ut absque eo fundationem nullam susceperint.

Status bonus Campililii peperit ei multos Fautores.

Charta D. MANEGOLDI.

Episcopi Pataviensis Diœcesani, qua primus confirmavit Fundationem nostram, suámque in protectionem suscepit Anno 1212.

IN Nomine sancte & individue Trinitatis. MANEGOLDUS DEI gratia Pataviensis Ecclesie Episcopus universis Christi fidelibus presentibus & futuris in perpetuum. Religiosis DEO devotorum Operibus, maximéque, cùm in Potestatibus sublimioribus constituti, Religionis intendunt ampliare Nomen & cultum, horum pie intentioni Pontificalis debet adesse devotio, cooperatio non deesse. Eapropter super Dilecti Filii nostri LEUPOLDI, Ducis Austrie ac Stirie Illustrissimi, multa in DEUM Pietate gaudentes, Monasterii Cisterciensis Ordinis, quod in Loco LILIENVELD dicto in honorem Sancte & Gloriose DEI Genitricis MARIE fundavit, Fundationem, Nos, & Chorus noster, ratam ducimus, ac modis omnibus approbamus.

Laudat Pietatem Fundatoris: & approbat Fundationem.

Ipsum proinde Monasterium, in Patauiensi nostra Dœcesi constitutum, & Locum, in quo situm est, cum Possessionibus, ac omnibus ad ipsum pertinentibus, sub Beati Stephani, ac Nostra Protectione suscipimus, atque ab eis omnem iniquorum violentiam, omnémque malorum invasionem, Anathematis interpositione præcludimus, ac

Eam in suam Protectionem suscipit: Violatoribus Anathema intentat:

Donata ac donanda confirmat.

Removemus. Confirmamus etiam eidem Loco, & Cenobio, quecunque illi, & ab ipso Fundatore, & ab aliis Xti fidelibus, justè jam collata sunt, & conferentur adhuc.

Peculiariter Hospitale in Chremis à Fundatore institutum, ac Capellam S. Stephani ibidem.

Ecclesias Wilhelmspurg, Meusling, Dresing:

ubi præsentet solus Abbas noster: fructus extra præsentati honestam sustentationem cedant nobis.

Interque & Ecclesiam Wilhalmspurch, ipsi Cenobio à Fundatore donatam, & Hospitale Pauperum, quod in Chremis Dux prefatus instituerat, cum Capella Sancti Stephani in Chremis, & cum duabus Ecclesiis Muzlich & Drezinge ad idem Hospitale ex Donatione predicti Ducis pertinentibus, memorato Cenobio, cum Consensu Capituli nostri, Pontificali nostra Auctoritate stabilimus, & confirmamus: Statuentes, ut in tribus nominatis Ecclesiis Sacerdotes ab Episcopo, nonnisi ad presentationem Abbatis de Lilienueld, quisquis ille erit, investiantur: Investitus autem his contentus quisque eorum debeat esse, que de Rebus Ecclesie, quam ingreditur, Presentator Abbas ei pro competenti & honesta sustentatione sequestraverit, reliqua parte in usus pauperum, ac Fratrum, DEO in Lilienueld servientium, perpetuo jure cedente.

Indulget nobis Provisionem spiritualem famulorum nostrorum.

Concedimus & eisdem Fratribus, ut Mercenarios suos, & pauperes, quorum curam habent in temporalibus, quoque in spiritualibus procurent, confessione uidelicet, Eucharistia, ac Sepultura. Præterea omnes Libertates, & Immunitates, Ordini Cisterciensi ab Apostolica Sede indultas, sepe dicto Cenobio, Fratribúsque in eo degentibus, perhenni integritate conseruandas esse censemus.

Privilegia Ordinis nobis vult integra esse.

Atque ut hec omnia rata inconuulsáque permaneant, ac consistant, presentem paginam Sigilli nostri impressione muniuimus, Testibus annotatis, quorum hec Nomina. De Capitulo nostro. Eberhardus Prepositus. Hainricus Decanus. Hartmannus. Gotfridus. Syfridus Archidiaconus. Chunradus Plebanus Majoris Ecclesie. Ulricus Custos.

Custos. Otto Cellerarius. Hertnidus Aquileiensis Prepositus. Kalhohus. Tiemo. Normannus, & alii Chori nostri Canonici. Laicorum verò hec sunt Nomina. Hadmarus de Chunring, & Hainricus Filius ejus. Albero Rughalm, & Wernhardus Frater ejus. Ortwinus de sancto Johanne. Herwordus de Wetigenstorf. Hertwicus Gansel. Chunradus de Slehdorf. Walchunus de Herdingen. Hainricus de Pochesrukke. Rudolfus de Chremstorf. Waltherus Sin. Ditricus de Prant. Chunradus de Arbingen. Erchenbertus de Lengenvelt, & alii multi. Datum in Chrems iiij. Kl.' Julii Anno ab Incarnatione Domini M.CCXII. Indict. XV. Pontificatus verò nostri Anno vij. Per Manum Christiani Notarii. Feliciter. Amen.

Annus 1213.

VI. HUnc ad Annum subsequitur *Ortilo.* // Mccxiij. Dominus *Gebbardus* Abbas noster graviter à multis vexatus // propter Decimas de Terris, Fratrum suorum manibus excultis, // compulsus importunitate, Nonnum *Gotschalchum* Priorem, // & *Siboltum* Conversum iterum ad Dominum Papam ablegavit. Priorem nominavit Nonnum *Ottonem.* Mortui sunt è // nostris fine optabili valde boni testimonii Fratres *Wilbalmus*, // & *Liupoldus* Monachi: pro quibus tres alii Monachi, & quatuor Conversi se DEO in Domo nostra obtulerunt. Primus // è Familiaribus nostris *Hainricus* Miles *de Tumbenowe* apud // nos in Cœmiterio sepelitur. Muri Ecclesiæ Orgiam unam // transcendunt. //

VII. Omnis ager quædam lolia parit: sic & semper in Ecclesia mali bonis miscentur. Fuerunt omni tempore, qui sacras Religiones impensè amarent, ac colerent: sed & nunquam, qui eas vexarent, atque odirent, absuêre. Id porro tantò magis, quòd nec idem perpetuò foret amoris objectum, neque de eo, quod amari meretur, par omnium judicium existat. Plurima, ac prima certè, nisi sola propè vexandi causa Monasteriorum possessio: & apud Cistercienses decimarum immunitas. Hæc tam bonis, quàm malis, frequenter supercilium commovit, donec Ordo ipse Libertati suæ limites nonnullos posuisset. Quod priusquam communi decreto Capituli Generalis

Nostri graviter vexati ob immunitatem à decimis, implorarunt Pontificem:

lis esset sancitum, laudi erat *Gebbardo* Abbati nostro, fortiter pro Privilegiis Ordinis zelare, & à fonte, unde Jura profluxerant, eorum tutelam repetere. Felices fuisse preces ejusdem, clementer à Pontifice auditas, ulteriùs *Ortilo* his verbis deprædicat.

Clementer auditi.

Annus 1214.

VIII. // MCCXIV. Redeuntes à Domino Papa *Innocentio Tertio* // Fratres nostri tulerunt tres Bullas ejusdem. // In prima confirmavit Donationem Ducis circa Hospitale in // Chremis, & attinentias ejus. In secunda confirmavit Dona- // tionem *Hainrici* Militis *de Tumbenowe.* In tertia mandavit // Archiepiscopo Saltzeburgensi, & omni Clero, per ejus pro- // vinciam in dignitate constituto, ut nos defendat in Immuni- // tate Decimarum. Duci LIUPOLDO nata est Quarta Filia // GERTRUDIS vij. Idus Januarii. Idem transiens in Gretz // cum Domina THEODORA, & Filia MARGARETA, apud // nos egerunt Litaniam Majorem. //

IX. Prælaudatas tres Bullas Archivium nostrum adhuc Autographas tenet, *Datas Romæ apud S. Petrum v. & iij. Idus Martii*, item *Idibus Martii Pontificatus Anno septimo decimo.* Priores duæ peculiare nihil habent, nostris inscriptæ: tertia eximio verborum pondere concepta, hunc in modum sonat.

Innocentii Bulla pro nobis ad Archiepiscopum Salisburgensem.

„INNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum DEI Venerabilibus Fratribus, Salzeburgensi Archiepiscopo, & Suffraganeis ejus, & Dilectis Filiis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, per Salzeburgensem Provinciam constitutis, Salutem, & Apostolicam Benedictionem. Audivimus, & audientes mirati sumus, quòd, cùm dilectis Filiis, Abbati & Conventui *de Lilienveld* Cisterciensis Ordinis à Patribus & Prædecessoribus nostris concessum sit, & à Nobis ipsis postmodum indultum, & confirmatum, ut *de Laboribus*, quos propriis manibus, aut sumtibus excolunt, nemini Decimas solvere teneantur: quidam ab eis nihilominus contra Apostolicæ Sedis indulgentias, Decimas exigere, & extorquere præsumunt, & prava ac sinistra interpretatione Apostolicorum Privilegiorum Capitulum pervertentes, asserunt, *de Novalibus* debere intelligi, ubi noscitur, *de Laboribus* esse scriptum.

„Quoniam igitur manifestum est omnibus, qui rectè sapiunt, interpretationem hujusmodi perversam esse, & intellectui sano contrariam, cùm secundum Capitulum illud, à solutione Decimarum tam de terris illis, quas deduxerunt, vel „de-

, deducunt ad cultum, quàm de terris incultis, quas propriis , manibus, aut sumtibus excolunt, liberi sint penitus, & immunes: Ne ullus contra eos materiam habeat malignandi, , Universitati Vestræ per Apostolica Scripta præcipiendô mandamus, quatenus omnibus Parochianis Vestris, Auctoritate Apostolica prohibere curetis, ne à memoratis Fratribus de Novalibus, vel de aliis Terris, quas propriis manibus, aut sumtibus excolunt, seu de Nutrimentis animalium, ullatenus Decimas præsumant exigere, vel quomodolibet extorquere.

, Quia verò non est conveniens, vel honestum, ut contra , Sedis Apostolicæ Indulgentias temerè veniatur, quæ obtinere , debent inviolabilem firmitatem: Mandamus Vobis, firmitérque præcipimus, ut si qui Monachi, Canonici, Clerici, vel , Laici, contra Privilegia Sedis Apostolicæ memoratos Fratres , super Decimarum exactione gravaverint, Laicos Excommunicationis sententia percellentes, Monachos, Canonicos, sive , Clericos, contradictione, dilatione, & appellatione cessante, , ab officio suspendatis, & tam excommunicationis, quàm suspensionis sententiam faciatis, usque ad dignam satisfactionem, , inviolabiliter observari.

, Ad hæc præsentium Vobis Auctoritate præcipimus, quatenus, si quis eorundem Parochianorum Vestrorum in sæpedictos Fratres violentas manus injecerit, eum accensis candelis excommunicatum publicè nuncietis, & tanquam excommunicatum faciatis ab omnibus cautiùs evitari, donec , eisdem Fratribus congruè satisfaciat, & cum Literis Diœcesani Episcopi, rei veritatem continentibus, Apostolico se Conspectui repræsentet. Datum Romæ apud sanctum Petrum , Idus Martii Pontificatus nostri Anno Septimo decimo.,

X. Ita benignissimus Verborum suorum, in propria Bulla Confirmationis nostræ, septenniô abhinc edita, contentorum, Interpres Summus Pontifex, severissima in transgressores cum districtione, Immunitati nostræ consuluit, tenore præscripto, quantum ad possessiones nostras, ante Concilium Generale Lateranense sequentis Anni acquisitas, perpetuùm valituro, sed ad acquirendas deinceps neutiquam extendendo: cùm Statuto Capituli nostri Generalis ultro resolverint Patres nostri, de Novis Possessionibus, donatione, vel emtione, Ordini ubivis locorum adventuris, decimas æquè, ut alii, præstare, ne ulteriùs occasio detur malignis. Tanta porro in Nos *Innocentii* Clementia, qua, nescio, an majorem exspectare licuisset, citra dubium, uti nostris, ita & Seren.[mo] Duci Fundatori nostro summam lætitiam attulit: cujus verosimillimè interventu, vel certè intui-

Ipsum Papam verborum suorum egisse Interpretem, summa in nos benignitas erat.

Leopoldi apud nos præsentia cum Conjuge, ac Filiola.

tu, nobis impensa est. Eam tamen Princeps noster Filiis suis gratulari tum adhuc non potuit, quando Stiriam intraturus, sui præsentiam cum serenissima Conjuge, ac Primogenita tenera novenni Filiola sua *Margareta*, nostris amantissimè indulsit. Agebat enim apud nos, ut *Ortilo* docet, *Litaniam Majorem*, i. e. Supplicationem publicam in festo D. Marci die 25. Aprilis: Dum Romæ sub medium Mensis anterioris Bullæ descriptæ subsignatæ fuissent. Solatio interim eidem non minimo fuerit, vidisse Congregationem suam Novellam tanta accessione adauctam, ut viginti quatuor Capita numeraret, tametsi, jam sex è prima Colonia cœlum petierint. Item, sic progressa esse ædificia Templi Magnifici, ut Muri ejusdem jam Orgiam unam transcenderent. Quam ipse è Psalmis hymnisque nostris ceperit Voluptatem, quantumque sua devotione apud nostros, quoties Campililium suum reviseret, fervorem accenderit, alibi è Scriptore nostro admirantes audiemus.

Annus 1215.

XI. HOc Anno ab eo sequentia disco. // Obiit Dominus *Marquardus* Abbas S. Crucis V. Kal. Octobris, cui Dominus *Wernberus* successit. Dominus *Gebhardus* noster valde vexatur à multis propter Judicium Provinciale. Conversionem apud nos fecerunt Monachi quinque, decem Conversi. Fr. *Walterus*, qui mecum venit ex Sancta Cruce, & valde longam infirmitatem cum summa patientia, & magna ædificatione omnium sustinuit, in ipso Natali Sancto Domini ad pacem in cœlo vocatus est, & finem sanctum recepit. //

De Marquardo Abbate suo nihil ferè Monumenta San-Crucensia: sed Ortilo non paulò plura, & egregia.

XII. De Domino *Marquardo* Abbate suo Monumenta San-Crucensia apud *Jongelinum* in Notit. Abbatiar. Cisterc. Libr. IV. p. 14. ita habent. *Marquardus præfuit Anno 1201. quo habuit beneficum Dietericum Dominum de Liechtenstein, & Anno sequenti: aliud de eo exstat nihil.* Nunc porro per *Ortilonem* nostrum multò jam plenior ejus Historia, non sine multo ac benè merito tanti Præsulis Elogio, invidiæ temporum subducta est. Novimus quippe, eum An. 1201. adfuisse Capitulo Generali Cistercii, & inde Serenissimo Duci Fundatori nostro tulisse Literas Gratiarum Actorias pro clementissimè oblata Fundatione nostrâ: hujus præterea executionem sibi ab Ordine injunctam fuisse, & propterea eodem adhuc anno, cum D. *Bulfingo* Abbate in Zwetel, Vallem nostram inspexisse, atque à Duce præsente primam possessionum nostrarum assignationem suscepisse. An. 1202. adfuisse primi lapidis per Ducem factæ Positioni, trésque Fratrum suorum, qui operarios urgerent simul, & in omnibus dirigerent, reliquisse. Anno 1206. Colo-

Coloniam noſtram primam, præmiſſa ſaluberrima exhortatione, ac Benedictione Paterna, è Gremio ſuo noſtrum in Campum dimiſiſſe: quorum poſtea apud Nos Inductioni, primíque Abbatis Benedictioni, unacum Sereniſſimo Duce, atque D. *Poppone* Epiſcopo Pataviensi, interfuit. Anno 1212. viſitâſſe Novam Filiam ſuam Campililienſem, bono ejusdem ſtatu lætatum. Denique Anno 1215. V. Cal. Octobr. multis laudibus inclitum, & benè factis memorabilem, feliciter conſummâſſe.

XIII. Vexationum deinde, quibus Campililium perfrequenter impetebatur, poſt Immunitatem à Decimis, Caput alterum erat Jus Provinciale, ſive plena per Sereñum Ducem Fundatorem nobis indulta Jurisdictio Bannorum, ut ajebant, i. e. Mulctarum ab omnibus exigendarum, qui delinquerent, etiam ubi cauſæ atroces Gladium, ac ſanguinem poſtularent. Quæ Prærogativa, cùm ſumma eſſet, neque in uno duntaxat, ſed pluribus Locis nobis competeret, illuſtrioribus Familiis non parvam adverſum nos æmulationem concitavit: quin & ipſis quandoque Principum Terræ Judicibus: per Auſtriam conſtitutis, tam ſublimis eſt viſa, ut publicis Literis, tempore ſuo laudandis, faterentur, Campililium in hac parte plurima, niſi omnia alia Auſtriæ Monaſteria antecellere. Quoniam proinde, quidquid fulget, & eminet, invidiæ proſtat: neque facilè apud Rerum Dominos intra territoria ſua hoc Jure quidpiam delicatius habetur: Subditorum autem plurimum intereſt, ne à pluribus Dominis premantur: oportuit ſanè, ut noſtri, tam Nobili, támque Utili Juri ſuo cautiſſimè invigilarent. Hujus porro violatio cùm à pluribus attentaretur, non potuit non *Gebhardo* Abbati, forti ac provido Jurium Tutatori, crebra gravíſque Moleſtia iterum atque iterum ſubnaſci, eò præcipuè, quòd pax & ſecuritas Cœnobiorum graviſſimè periclitetur, neque finis eſſe ſoleat exactionum, atque damnorum, ſi Domini alieni ſubditis Regularibus, illo potiſſimum ævo, quo ferri potiùs, quàm Legum arbitrio vivebatur, jura dicere audeant. Peccantibûs enim Judicibus hujusmodi, utque dicebantur, Advocatîs, & ſive Principum Terræ, ſive aliorum æmulorum iras in ſe provocantibûs, nullæ plerúmque ditiones, Hiſtoria teſte, Culpam eorum ſeveriùs, ac Monaſticæ, in quas ipſis Judicii poteſtas erat, quamvis inſontes luerunt. Acceſſit *Gebhardo* ad cumulum ſolicitudinis, toties violari Jura noſtra, ſuperſtite adhuc Fundatore Clementiſſimo, quaſique in Oculis ejus: unde non poterat non de futuris temporibus multò pejora metuere. Pulſavit itaque inceſſabilibus, ſimúlque humillimis precibûs Seren.mum Ducem, ut Bona ac Dona ſua devotiſſimæ Congregationi ſuæ, toto mentis ſuæ conamine inter-

Vexatio frequens noſtrorum ob Judicium ſanguinis nobis conceſſum in omnibus Locis noſtris: cui Nobiliſſimæ Prærogativæ Vicini multùm æmulabantur.

Laudabilis *Gebbardi* Abbatis pro ejus Conſervatione Solicitudo.

posito, salva in perpetuum & integra consistere provideret.
Clementissimi quoque Fundatoris Providentia. Probè libentérque hoc egit Optimus Princeps, atque non modò suam ipse Potestatem in Tutelam nostrorum, quoties implorabatur, promtè, omníque cum efficacia impendit: verùm etiam invalescenti malitiæ temporum durissimum, quem poterat, obicem positurus, Imperatoriam Nobis Majestatem, pro Rerum Juriúmque nostrorum perpetua Defensione suscipienda, benignissimè conciliavit. Id, quod biennio postea luculentè patebit.

Walteri nostri laudabilis in infirmitate Patientia. XIV. *Walteri* Confratris sui, valde longam infirmitatem, patientiam summam, & inde præbitam omnibus ædificationem, ac sanctum denique finem, utique *Ortilo* noster ideo tam disertè prædicavit, ut ejus virtutem imitandam proponeret. Prodest Gremio suo Religiosus, qui præclara & laudabilia sanctè agit: non minùs verò, qui sanctè gravia patitur. Virtus enim in infirmitate perficitur, atque Tribulatio Patientiam operatur, Patientia verò spem, spes autem, hac parente nata, nec vanè duntaxat præsumens, nequaquam confundit. Sit ergo veneranda nobis *Walteri* quondam nostri memoria: in cujus discedentis locum quia veloci sanè incremento quindecim nova apud nos Lilia hoc eodem anno folia exsplicuêre, tum Campus noster octo & triginta lætis floribûs inclaruit, statim pluribus fœcundandus.

Lætè accrescens Religiosorum numerus ad octo & triginta.

Annus 1216.

XV. ORtilonis breves ad hunc Annum, sed Actis Notabilibus plenæ sunt Notulæ istæ de Monasterii Rebus. // Muri, & columpnæ Ecclesiæ ad tertiam Orgiam veniunt: Ambitus autem juxta Ecclesiam incamerari incipit. Exstruitur etiam Porta, cum Cella Hospitum ante claustrum: & in Phaphsteten Grangia. Convertuntur Monachi quatuor. *Wichardus de Medlico* Plebanus in Wilhalmspurch moritur: pro quo *Leutoldus de Chremis* à Domino *Gebhardo* præsentatur. // Utinam hujusmodi Commentarioli per totum hoc Seculum, ac deinceps, nos de Campililio nostro cum tam exacta brevitate instruerent: quàm tutò belléque Fasti nostri decurrerent.

Ecclesia tertiam ad Orgiam consurgit. XVI. Quartus jam decimus hic annus erat à posito primo Ecclesiæ lapide, neque Fabrica ista paucis, lentisque manibus fiebat: nihilosecius verò non altior adhucdum illa, quàm tertiam ad Orgiam, surrexit. Qui tardus progressus exteris, quibus Templum nostrum nunquam est visum, perspicuum dabit argumentum latissimæ, fortissimæ, & magnificæ Molis.
Ambitus juxta illam Ambitus Regularis, Ecclesiæ à meridie contiguus, ac quatuor late-

lateribus æqualibus constans, nostris procul dubio, donec perficeretur, longis in votis erat, quia functionibus variis Regularibus, & maximè Supplicationibus, oppido necessarius: cujus forma & amplitudo ex Descriptione Monasterii huic Tomo præmissa, ejúsque §.° IV. repetendæ. Portam primum dicimus Ædificium ante Monasterium, hodie centenîs aliquot passibus remotum, ut famulorum habitaculis nonnullis spatium interjacens Relinquatur. Sed olim Portam hanc externam, quæ primum Cœnobii aditum pandebat, propiorem fuisse existimo, & fortè, ubi nunc Turris Piscatorum exurgit, consistentem, una cum ædicula, diversorio hospitum, pauperúmque serviente.

Regularis concamerari inceptus.

Porta ante Monasterium exstructa.

XVII. *Pfaffsteten*, latinè *Cleripolis*, pagus est, è Regione *Thermarum*, sive Urbis *Badenæ* Austriacæ, Vinearum adsitarum non ignobilium, cultura admodum ferax. Ubi cùm nostri pariter Vineas possiderent, iis diligenter colendis intenti, Curiam Villicalem, & Oeconomicam, inspectore Fratre Converso, erexerunt: cujusmodi Curiæ ævo illo *Grangiæ* audiebant. Quamvis enim *Grangiam* velint à *Granis* derivatam, idémque sonare, quod Horreum sive *Granarium*, in quod frumenta convehuntur, vel congeruntur Grana jam excussa: liquet attamen Veteribus è Chartis, *Grangiæ* nomine acceptas esse quaslibet Monasteriorum Curias Villicales, sub Inspectore Religioso constitutas, propter quodcunque obventionis genus, sive illud de Agris, sive de vineis, sive de pascuis, sive de pecoribus, sive de lignis, aut aliis quibuscunque Oeconomiæ fructibus, vel etiam è propriis manuum laboribus, vel à censibus, sive à decimis colligeretur, modò ad Religiosos attineret. Dedêre porro tempora, largiente DEO, & adjutrice Benefactorum postea laudandorum Pietate, primo huic, & sine dubio humili sub initia tuguriolo nostro, tantum proventum, ut hodie ædificiorum amplitudine Liberæ Aulæ, muris conclusæ, nomen tueatur. Quatuor Monachorum recens professio nostrorum numerum duobus supra quadraginta adauxit. Collatum nobis à Seren.^mo Fundatore Jus Patronatus in Wilhelmspurg, hoc Anno primum in usum D. Abbas noster *Gebhardus* deduxit, defunctô, quem omnium in hoc loco Antiquissimum novimus, Plebanô, i. e. Parocho *Wichardo de Medlico*: cujus in vicem *Leutoldum de Chremis* Episcopo præsentavit.

Grangia Cleripolitana.

Religiosi hîc 42.

Primus Parochus Wilhelmspurgi præsentatus.

Annus 1217.

XVIII. Multa hîc, prolixiore aliquantulum §.°, combinat *Ortilo* noster, quæ Historiam pariter Domus nostræ plurimùm illustrent, & affectum nostrum piè commoveant, inquiens.

quiens. // MCCXVII. Dux LIUPOLDUS impetrat Nobis à // FRIDERICO Rege Romanorum aureum Privilegium de Con- // firmatione Judicii Provincialis. Jem Dux cum Rege Unga- // riæ duxit Exercitum Cruciatorum in Palestinam. Priùs ta- // men, à Comitiis Norimbergæ veniens, & in Graetz pergere // volens, transivit per nos. Ubi in die Carnisprivii cineres // devotè suscipiens, nostras Orationes ardentiùs postulavit: // & labores pro perficienda Ecclesia diligentissimè fieri manda- // vit. Nos ei cum magna humilitate & devotione valedicen- // tes, & de ejus salute soliciti, promisimus ei, quamdiu in // Terra sancta esset, & donec ad propria cum salute reverte- // retur, omni die pro eo unanimiter post Primam in Capitu- // lo psallere Psalmos Graduales, & Collectam pro Fratre in // viam directo. Sic ille gaudens, & plenus fiducia in DEUM, // & Beatam Mariam, ante ejus Altare in Oratorio prostra- // tus, à Domino *Gebhardo* Abbate Benedictionem primam // pro via accepit, & cum pio gemitu nostro perrexit in Gretz. // Moritur *Wulfingus* Plebanus in Dürnitze, & præsentatur à // Domino *Gebhardo Hainricus* Clericus de Wienne. Obiit & // Nobis Nonnus *Gotschalchus* quondam Prior, Orationi & Je- // junio multùm deditus, ac Prudens, & Discretus, qui vene- // rat mecum ex Sancta Cruce. Professi apud nos septem. // Grangia fieri cæpta est in Monte Tannberg. //

Quamvis Indulta Ducis non essent à Rege Romano necessariò confirmanda:.

XIX. Sufficere debuerat nobis, ut pace quietéque imperturbata frueremur, Clementissimum Seren.^mi Ducis nostri Indultum Judicii Provincialis: cùm ejus Ordinatione, præcepto, ac prohibitione, in Universa Provincia quilibet stare teneretur: neque opus erat Regia tum Concessione, tum Confirmatione. Sed ut ingens hæc Gratia inter perennes temporum vicissitudines, quibus Regna & Provinciæ alienas planè in Manus toties delabi consueverunt, nobis tantò certiùs apud novos pariter quosque Terræ Principes perpetua fieret: præterea ut effroeni hominum licentiæ, si nostra in Jura temerè involarent, metus & ultio gravior imminerent: Pius Parens noster *Leopoldus* amantissimis Filiis Regiæ pariter & Imperatoriæ Majestatis potentissimum Scutum exorare, & obtendere, prudentissima sagacitate constituit. Cùm proinde ipse *Friderici* Regis gratiâ tantùm non ante omnes valeret, arduum ei non erat, ad votum consequi omnia. Libet hujus primi pariter, qui Nobis favit, Imperatoris Diploma clementissimum ex Autographo hìc ad literam transcribere.

Leopoldus tamen, impetrata Confirmatione Regia, Privilegia sua nobis tutissimè constabilivit.

Char-

Charta Regia FRIDERICI II. Imperatoris, Qua Campililium in suam & Imperii Protectionem recipit, eique omnia Bona & Jura Confirmat Anno 1217.

In Nomine Sancte & Individue Trinitatis

FRIDERICUS DEI Gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Rex Sicilie, Omnibus Christi Fidelibus tam presentibus, quàm futuris. In Perpetuum.

BOnæ rei date consultum, ut presentis vitæ conferatur subsidium, ubi eterne remunerationis premium exspectatur: & ideo Ecclesiasticis personis, maximè Religiosam Vitam eligentibus, congrua oportet Nos Consideratione prospicere, ne cujusdam necessitatis occasio, aut desides faciat, aut, quod absit, robur sancte conuersationis infringat.

Cur Fundationes Regularium confovendæ?

Nos ergo sanctam & laudabilem intentionem Deuotissimi Principis nostri, & Consanguinei L. *iupoldi*, Ducis Austrie & Stirie diligencius adtendentes, eò quòd pro remedio Anime sue, & Progenitorum suorum, ad ampliandum Cultum DEI, nouam quamdam Fabricam in Domum & Ecclesiam DEI in Nomine sancte & indiuidue Trinitatis, & in honore beate & Gloriose Virginis Marie in Lilienuelt erexit de nouo penitus, & fundauit, & de Rebus suis tam mobilibus, quàm immobilibus, per DEI gratiam usque adeò ampliauit in expensis, quòd in eadem Domo non pauci inveniantur Fratres Cistercienses Ordinis, Domino jugiter & Regulariter famulantes: factum suum in Domino commendamus. Religionem enim etsi in Nobis

Dux Leopoldus propter nostram laudatur.

Nobis fortè, prout vellemus, non habemus, in aliis tamen habitam approbare volumus, & fovere.

Eam Rex cum omnibus attinentibus in suam Protectionem suscipit.

Ne igitur propinguitati Originis, propter obliuionem hominum, obsistat temporis longinguitas, præfatam Domum, cum omnibus suis attinenciis, possessionibus, familiis, Villis, curiis, Mansis, uineis, areis, pratis, pascuis, aquis, nemoribus, piscariis, cultis, & incultis, & Generaliter, quecunque ex Donatione prefati Consanguinei nostri, nec non omnium fidelium collatione, predicte Domui aduenerunt, in Nostre Celsitudinis Protectionem recipimus, & pro Reuerentia Beate Uirginis MARIE, cui hec omnia sunt collata, Auctoritate Regia confirmamus, & presentis Scripti munimine communimus.

Peculiariter confirmat nobis Jura alta, aliàs Duci propria.

Uolumus &, ob amorem præfati Consanguinei nostri, quòd si qua sunt, que fortè ad Nostram spectant Jurisdictionem, que tamen prefatus Princeps donatione Nostra & Imperii tenuit, ac tenet speciali: uidelicet Judicium, quod dicitur Landgerichte, & Compositiones, & Bannos, & Marchfuter, & Fodinas, si que jam habent, uel sunt imposterum in possessionibus suis habituri, ut & Nos orationum Fratrum predicte Domus esse participes mereamur, sicut Ipse ea predicte Domui rationabiliter contulit atque piè, ita & Nos eidem Domui ea per Ratihabitionem Regia Auctoritate conferimus, & inuiolabiliter confirmamus.

Violatoribus intentat Censuram Legum Ecclesiis debitam.

Statuentes, ut, si quis contra hanc Donationem, tam Nostram, quàm Dilecti Consanguinei nostri, ausu temerario uenire presumserit, Indignationem nostram, & Legum Censuram, Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum Personarum debitam non evadat.

Testes.

Hii sunt Testes. Otto Frisingensis Episcopus. Ulricus Patauiensis Episcopus. Ludwicus Palatinus Rheni, & Dux Bawarie. Dipoldus Comes de Hohen-

Hohenburch. Rapoto Palatinus Bawarie. Hainricus Comes de Ortenberch. Egno Comes de Vra. Vlricus Comes de Chlamme. Otto de Lengenpach Ratisponensis Aduocatus. Hainricus Nobilis de Nifen. Chunradus Nobilis de Alta. Marquardus de Himperch. Rudolfus de Potendorf. Leupoldus de Molanstorf. Hainricus de Zebingen. Hadmarus de Chunring. Chalchochus de Gnannendorf. Hainricus de Tribanswinchil. Hadmarus de Wesen. Leutoldus de Sauersteten. Otto de Eichenpach. Et alii quam plures. **Datum** Patauie XVIII. Kl.' Julii Anno Domini MCCXVII. Indictione Quinta.

XX. Monasteria sunt æterna provinciarum Præsidia, quibûs benè & imperturbatè consistentibûs, Regio tota, Reges, & Regnicolæ, non quidem bellica fortitudine & armis, sed pietate ac precibus, adversus hostium spiritualium nequitias propugnantur, & vindici peccatorum Justitiæ DEI scutum irremissæ supplicationis unanimis opponitur. Hoc porro ut non segniter, liberóque animo fiat, sanè oportet, in hanc stationem conductos, & otium orandi habere, & Rerum suarum, unde victitant, esse securos. Inde ajebat Rex, Religionibus prospiciendum, *ne alicujus necessitatis*, quam subire indefensæ propter malitiam hominum cogerentur, *occasio desides faciat*, aut, si curarum procellis pro suorum tuitione jurium agitarentur, multo cum Provinciæ detrimento *robur*, *quod absit*, *sanctæ conversationis infringeret*. Sapienter Potentissimus hic Princeps Officii sui recordatus, nos vicissim nostri debiti efficaciter in Exordio suo commonuit. Dum postea se Domum nostram, & singula, quæ eam tunc, atque postea attinerent, *pro Reverentia Beatæ Virginis MARIÆ, cui hæc omnia sunt collata*, in suam Protectionem recipit, & confirmat: commonet nos, quantum Magnæ huic Dominæ nostræ debeamus, cujus Familiares crediti sumus, & ideo Clementissima Munificentia sustentamur de sibi donatis, ut, quanta possumus devotione, post DEUM magnum Dominum, serviamus ei. Quæ enim universæ Ecclesiæ Confessione est Refugium peccatorum, Consolatrix Afflictorum, Auxilium Christianorum, Rectissimè ab iis perpetuò in Vota vocatur, quibus ex munere incumbit, pro populi necessitatibus Regi Regum, à cujus dextris adstat Regina ista, supplicare.

Ut finis obtineatur Fundationum, Cœnobiis de quiete & securitate providendum.

Omnia nostra donata B. Virgini; cujus proinde bonis vivimus.

Jura alta à Cæsare in Principem cum feudo collata, ab illo translata in nos, Cæsare rursum hanc Translationem in ævum firmante.

XXI. Ulteriùs disertè fatetur *Fridericus* post eximiam boni Operis laudem, se *ob amorem Principis nostri* certe non vulgarem, illa quoque Jura alta, & Principum propria, *quæ ad suam fortè spectent Jurisdictionem*, non possessionis, sed collationis titulo, quatenus ea Princeps *Donatione sua & Imperii tenuerat, ac tenebat speciali*, videlicet *Judicium, quod dicitur Landgerichte, & Compositiones, & Bannos, & Marchfuter, & Fodinas, per Ratihabitionem*, non quæ jus daret, sed firmitatem securitatémque adjiceret, *pariter Nobis Regia Auctoritate conferre, & inviolabiliter confirmare.* Excellentis hoc Privilegii genus paucorum est Cœnobiorum: cujus tamen non tam sublimitate gloriamur, quàm utilitate gaudemus, eò quòd his potissimum à prærogativis, quies, & incolumitas, Campililio nostro per plura jam secula feliciter provenerit.

Formula Comminationis hoc in Diplomate singularis, & gravis.

Formula porro Comminationis, quam in Transgressores addidit Rex, & constituit in hæc Verba: *Si quis contra hanc Donationem, tam Nostram, quàm Dilecti Consanguinei nostri, ausu temerario venire præsumserit, Indignationem nostram, & Legum Censuram, Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum debitam, non evadet:* adeo singularis est, ut eam in nullo alio *Friderici*, sive alterius Cæsaris Diplomate adhibitam Repererim. Passim quippe aliis in Literis impensæ Gratiæ violatoribus *Indignatio Regalis Culminis*, cum certarum *Marcarum Auri puri*, sive *librarum Argenti* pendendarum canone intentatur. Hic verò non solùm Indignationi Cæsaris, verùm etiam Censuræ Legum, debitam Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis Vindictam continentium, subjiciuntur: quæ Ultio profectò pecuniæ mulctam non paulò tam gravitate, quàm districtione excedere videtur.

Fundator iturus in Palestinam, ad nos accessit, rogans nostrorum preces.

XXII. Sed priusquam hoc Diploma ad prævias dudum nostri Principis preces expediretur, *Leopoldus* sanctum in Palestinam iter, vel jam ingressus erat, vel illico ingressurus. Memor autem periculi, quod adiret, & summè ardui belli, quod acturus esset, ut sibi, & Patriæ consuleret (utriusque enim salus eadem fuit) de omnibus tuendæ vitæ suæ, subditis tam expetendæ, præsidiis sibi solicitè prospexit: quorum primum rectissimè censuit Auxilium DEI. Qui ergo Campililium ideo struxit, ut semper ipse, ac Patria omnis, Oratores haberent, gratiam uberem de Cœlo flagitantes: in hoc difficillimo tam longinguæ Peregrinationis Articulo minimè committere voluit, quin sibi nostrorum preces peculiariter exposceret. Accessit itaque ad nos, & Principis, cujus esset jubere, quodammodo oblitus, orationes nostrorum ardentiùs rogavit, dum in die *Carnisprivii*, quod habet *Ortilo*, cineres devotè suscepisset.

Adfuit in die *Carnisprivii*. Quæ illa?

Carnisprivium barbara vox medii ævi, à *Caro* & *privo* derivata, illi olim diei imponebatur, quæ comestione carnium privaret,

varet; & Jejunium Quadragesimale sive statim præcederet, vel planè inchoaret. Pro cujus initii diversa ratione, quia citiùs olim Clerici, quàm Laici jejunare inceperant, hoc Nomen alii & alii dierum inditum legitur. *Ortilo* certè non aliam, quam feriam 4.tam à Dominica Quinquagesimæ, qua Cineres à fidelibus recipiuntur, intellexit: quæ Anno illo erat 8. Februarii. Nam Pascha Anno 1217. in diem 26. Martii incidebat.

XXIII. Rogante porro nostrorum Orationes Clementissimo Parente, certabant Filii eas offerendô, neque facilè dixerim, in Patre, an Filiis, Amor vehementiùs arserit? Quàm certum enim, nostros, qui omnia Principi deberent, nihil facilè post Superos illo charius habuisse: ita dubio pariter vacat, Piissimum Ducem vix quidquam, præ Campililio suo, sanctæ charitatis visceribus teneriùs complexum fuisse. Cùm igitur arctissimum utrinque Amoris reciproci vinculum æternum esse vellent, aut saltem ut maximè diuturnum: nunc verò ex itinere tam arduo, & prolixo, ad alium usque Solem, inter mille terræ, marísque, ac hostium barbarorum pericula exigendo, dissolutio longa instaret, perpetua metueretur: quem sensum, solicitudinem quantam, qualémque mærorem his amantibus fuisse existimes? Sed Magnus DEUS, qui corda conjunxerat, robur pariter dedit, vincendi carnem ac sanguinem, præcipuè cùm idem in causa esset, ut illi dividerentur, quos ipse univit. Statas ergo quotidie Psalmorum Gradualium preces sibimetipsis nostri injunxerunt, donec amantissimum Patrem iterum salvum reciperent, additâ collectâ, sive Oratione, quæ, ex Regulæ sacræ præscripto, pro Fratribus in viam directis ad morem Ordinis, dum abituri essent, concordi devotione fiebat. Horum pauperum Christi, quos justos esse non ambigebat, Orationem nubes penetraturam quia firmiter credidit Serenissimus noster Crucis ac Fidei Pugil: *Gaudens, & plena Fiducia in DEUM, & Beatam Mariam*, ait *Ortilo* noster, *ante Virginis hujus Altare in Oratorio prostratus, à Domino Gebhardo Abbate Benedictionem primam pro via accepit.* Vide Celsitudinem humiliatam, arbitrare Devotionem, & conjice de fructu Benedictionis. Protestatus est DEUS ore Prophetæ Evangelici: *Ad quem autem Respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos?* Vade LEOPOLDE, vade in pace! *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem malum non appropinquabit.*

Difficilis Principis, & nostrorum Valedictio ob ardorem Amoris.

Humilitas Ducis:

Ex qua omen felicitatis.

XXIV. Obitus Plebani Dürnizensis *Wulfingi* rursum Abbati nostro Copiam fecit, ejus quoque Ecclesiæ se Patronum nova *Henrici* Clerici de Wienne præsentatione comprobandi. *Gotschalcum*, Priorem nostrum secundum, feliciter migrâsse in

Præsentatus primus Plebanus Dirnizii. *Gotschalci* nostri pia mors.

in Cœlum, dubitare non sinunt Alæ geminæ, quibûs evolavit ad Creatorem, Oratio & Jejunium: his enim eundem *Ortilo* multùm deditum prædicavit, laudata pariter illius Prudentia, Charitate, atque Discretione. Cœlestia hæ Virtutes, & oppidò secura sunt pignora Gloriæ futuræ. Addidit ille, unius hujus defuncti in locum, septem alios rursùm Ordini ac Campililio sacramentum dixisse. Fovebat ergo tunc gremium nostrum Filios octo & quadraginta, & abundè verum erat, quod ajebat *Fridericus* Rex in diplomate suo, *in Domo nostra non paucos inveniri Fratres Cisterciensis Ordinis, Domino jugiter & regulariter famulantes*. Quorum quia maximum numerum Fratres, quos dicimus Conversos, constituerunt, servitio Religionis, manuúmque laboribus, & Oeconomicis operis potissimùm deputati: nova hoc Anno Grangia, juxta Scriptorem nostrum, fieri cœpta est in Monte *Tannberg*, qui post Oppidum Dürnizense, longámque abinde Vallem, altè satis consurgit, cuísque Abietes frequentes antiquum nomen fecisse videntur. Et quoniam non admodum longè postea Vallis Cellensis, nostris ibidem finibus propingua, ac contermina, Religiosissimorum Patrum Benedictinorum ad S. Lambertum Stiriæ devota solicitudine *Mariana* fieri incepit: nostri nova in Grangia sua S. *Annæ* cultum inchoârunt. Tenuissima hæc erant initia, quæ inspiravit, quibúsque ita adspiravit DEUS, ut lapsu seculorum omnis Corona Montium, quæ Campililium inter Cellásque Marianas interjacet, exstructis Templis, & multiplicatis Cælesti favore Gratiis, tota sacra, Christíque Familiæ devota fieret. Unde ubi principiô paucorum duntaxat Religiosorum, & rudium pauperum Monticolarum pii gemitus ad Cœlum ibant, nunc infinitorum ad Thaumaturgas Cellas Marianas peregrinantium, summorum, ac imorum, cantus, precésque totis æstatibus has Valles, hos Montes Divinis laudibus adimplent. Tanti refert ad Religionem, Religiosos Cives in Regionem induci. Pro *Tannberg* interim jam dudum, à Cultu Magnæ Christi Aviæ, *Montis S. Annæ* axioma inolevit.

Numerus nostrorum 48.

Grangia nova in Tannberg.

Annus 1218.

XXV. DE hoc *Ortilo* sic docet. // Mccxviij. Quia Dominus *Gebbardus* plures Præsbyteros ordinari fecit, in // Oratorio construxit Alare secundum Beati Johannis Baptistæ: // pro quo impetravit Tabulam cum Reliquiis à Domino *Ulrico* // Episcopo Pataviensi. Pro hoc Altari pecunias dedit *Perchtoldus de Chreuspech*, ualde devotus ad nos, & Frater noster, // cujus Uxor *Grete*, i. e. Margareta. Moritur de primis Fratribus hujus Domus ex sancta Cruce *Chunradus* Monachus, Vir // degens in silentio, & jejuniis multis: qui & verba valde consolatoria

// toria habuit in ore suo. Item *Siboltus* Conversus, ad omne // opus sibi injunctum valde solicitus, & Domino Abbati // Charus. //

XXVI. Celebrat hic §.us secundum à primo *Henrico* Milite *de Tumbenowe* Benefactorem nostrum *Perchtoldum de Chreuspech*: cujus pia stipe collata, in Oratorio nostro Ara altera D. *Joannis Baptistæ* surrexit, Portatilem cum Reliquiis Tabulam, super qua celebrare liceret, conferente D. *Udalrico* Episcopo Pataviensi: quò commodiùs apud nos Monachi Sacerdotes Sacra facere possent. Quæ porro de *Chreusbaco*, sive *Kreussbach*, olim *Croisspach* ob rivulum caneris divitem appellato, deque stirpibus ibidem considentibus mihi innotuêre, qui Locus Oppido Wilhelmspurg confinis & proximus jam in Seculi XI. Literis commemoratur, prolixiùs tradam *Tom. IIII.* inter *Familias in C.* Hodie Castrum illud atque Dominium, emtione acquisitum, nostris in ditionibus censetur. Cæterùm prima apud nos Colonia Regularis San-Crucensis mortibus novissimis *Chunradi* Monachi Sacerdotis, & *Siboldi* Conversi sic accisa est, ut præter D. *Gebhardum* Abbatem, *Ottonem* Priorem, *Ortilonem* Scriptorem nostrum, & *Rudolphum* Conversum, jam alius nullus è Quindena illa primigenia superesset. *Chunrado* Silentium suum, Abstinentiæ junctum, peperit Verba Consolationis, quibus alios ad æmulanda Charismata meliora erigeret, & inflammaret. Silenti enim, & Mundi strepitum, quà potest declinanti, loqui assolet Spiritus: quem qui Magistrum audit, in promtu habet Verba Vitæ. *Siboltus* Conversus, tametsi fortè literas nescierit, scientia tamen sanctorum eapropter non caruit. Ad omne enim opus sibi injunctum valde solicitus, *Ortilone* teste, Obedientiam insigniter callebat. Quam verò aliam, nisi humilis Obedientiæ Scholam, Sapientia Patris in Orbe adveniens parvulis aperuit?

In Oratorio nostro erigitur Ara altera S. Joannis Baptistæ, Benefactore *Bertoldo* de *Crenspaco*.

Chunradi nostri defuncti laus.

Item Siboldi Conversi.

Annus 1219.

XXVII. Mira cum jucunditate hìc verba uberiora faciens *Ortilo* infit. // MCCXIX. Hoc anno Ducem & // Parentem nostrum LIUPOLDUM DEUS feliciter ad nos // reduxit. Nam postquam suo maximè consilio, & sua for- // titudine in proximo esset, ut Christiani Damiatam caperent, // ipse, de præda non solicitus, sed magis de Filiis, & Patria // sua, & etiam de suo Monasterio, ut nobis postea dixit, per // Hungariam redivit in Stiriam, & ex Gretz cum ambobus // Filiis *Haimrico* & *Friderico*, licèt parvis, venit ad Vallem no- // stram, & nostra Oscula multo cum gaudio suscipiens, pro Ora- // tionibus gratias egit in festo S. Magdalenæ. Sed non vacuus

 venit.

// venit. Honoratus enim ab Orientalibus multis Reliquiis Sa-
// cris, plurimas nobis, ut Charissimis Filiis, donavit. Sed
// super omnia est Insignis valde Particula Sanctæ Crucis: quam
// quidem non tunc, sed multò antè, à *Balduino* accepit. Sed
// hac occasione Nos per eam Clementi largitione sua æquè di-
// vites & felices fecit, ac Medlicum, & Sanctam Crucem, un-
// de exivimus. Multùm deinde delectatus est in Templi ædi-
// ficio, cùm videret, finito altero anno, illius concameratio-
// nem incipi posse. Bona hora usus Dominus *Gebbardus* no-
// ster, humiliter supplicavit Duci pro Ecclesiola ad Portam,
// propter famulos Monasterii. Statim Pius Parens consensit,
// & quia dies Beatæ Magdalenæ fuit, in ejus honorem eam fie-
// ri jussit. Filiis suis amabili sermone Amorem Monasterii per-
// suadere laboravit. Die altera iterum in viam se dedit. In
// Autumno donavit nobis bonum predium Eschenawe.

Reducem è Palestina *Leopoldum* nostri summo cum gaudio excepêre.

XXVIII. Quanto gaudio Refloruerint Lilia Campi, Sole suo LEOPOLDO pleno iterum jubare his Montibus & Vallibus exoriente, cogitatur faciliùs, ac dicitur, maximè, cùm salvus planè atque incolumis, fama præterea magnifica comitante, eíque lauros ac palmas præferente, Victor Triumphatórque Palestinus advenerit. Quantum se Heroem Orienti præstiterit, non parcè §.° I.^mo, quantumvis parum dignè laudavi. Nostra duntaxat huc distuli. E quibus illud nemo contemnat, Serenissimum Ducem, Amantissimum Patrem nostrum, ultro fassùm esse sólicitudinem suam, de Campililio habitam tum temporis, ubi consummatio Trophei Damiatini præ foribus adstans, colophonem gloriæ suæ proximè additura erat, atque fiducia esset, predarum amplitudine infinitas thesaurorum expensas copiosè reluendas. Ibi Dux Optimus Gloriam, fortunam, divitias, uti Charis Pignoribus, dulcíque Patriæ suæ, ita pariter dilecto Campililio postposuit. O quàm igitur meritò in talis Patris ac Principis Oscula Filii, quos Natura pariter ac Gratia ad Amorem formavit, intra summæ verecundiæ limites ruebant! Hæc illi tantò suaviùs libârunt, quantò ipse jucundiùs admisit: neque dubitem, *Leopoldum*, pro teneritudine congenitæ sibi Pietatis, próque Modestiæ suæ magnitudine, quas collegerat palmas laurósque, fructum earum Orationum pro se factarum dixisse, pro quibus gratias agere nostris Benignissimus Princeps dignatus est.

Donavit ille nobis plurimas Reliquias sacras.

XXIX. Ne verò gratissimæ, quam sibi commodaverant, Orationum peculiarium operæ Merces opulenta deesset, sacris officiis dona sacra reposuit, plurimas Reliquias sacras, quibus in Oriente dotatus fuit. Cujusmodi quidem Thesauro adeò abundabat, si *Jubilo Sexies-Seculari Cl. Neoburgensi*, Domesti-
cis

cis è Monumentis constructo, fides fuerit, ut non unam exinde Ecclesiam ditaret. Ibi námque de Ducis nostri Palestino Itinere ita legitur. *Felicibus avibus in propria reversus, plurimas Salvatoris, sanctorúmque Reliquias, præprimis verò Divinissimæ Crucis spectabiles Particulas, pretiosissimum Ecclesiæ Thesaurum secum asportavit: quem variis in Austria Ecclesiis pia largitate dispertiit. Uti & Canonia nostra Cl. Neoburgensis hocce piè superbit.* Quod si ita evenerit, largiorem longè in nostros, quàm alios quoslibet, fuisse Benefici Principis Manum, haud facile quisquam diffitebitur. Interim, quæ Nobis obtigêre, pretiosa Ossium sanctorum Deposita, & Lipsana sacra, non dubium, quin postea ad Ecclesiæ, & Altarium nostrorum, domi forísque frequentes Consecrationes adhibitæ fuerint, & sub Aris quamplurimis, ex Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ more, Sepulchra Gloriosa acceperint. Quamvis porro & *Ortilo* quoque noster hoc loco fateatur, Donis istis Ducem nostrum ab Orientalibus honoratum: neque mirum sit, si tanta tam gloriosi in Oriente Victoris Merita à Rege, & Patriarcha Jerosolymitano, aliisque Palestinæ Præsulibus, atque Proceribus, ubertim largissimis hujusmodi prœmiis, quibûs ipsi Affluxerant, cumularentur: dictum tamen à me jam Decade priori, pariter à *Balduino*, primo ex Latinis Imperatore Constantinopolitano, multa talia Sacratissima Pignora, Gratitudinis ergo, Principi nostro transmissa fuisse, quòd Flandris Venetisque Restitutionem expulsi juvenis *Alexii* suadens, eisdem occasionem quoque occupandi Imperii Orientalis aperuerit. Atque ab hoc Monarcha eidem peculiariter provenisse insignem Salvificæ Crucis Dominicæ Particulam, qua nihil unquam pretiosius possedit, vel possidebit Campilium, Scriptor noster disertè testatur, præsens ipse, dum Nobis à Fundatore ac Parente Clementissimo, die S. Magdalenæ sacra Anni hujus, donaretur. Quæ ejusdem Magnitudo, & forma, qua modò in Theca, auro & lapidibus pretiosis fulgente, ostendatur, quis ejusdem apud nos annuus, creberrimus ac devotissimus Cultus, satis jam in Descriptione Monasterii huic *Tomo* prævia §. III. à n. 11. exposui. Et insignem Salvificæ Dominicæ Crucis Particulam.

XXX. Reliquis autem è Donis adhucdum apud nos superesse minimè ambigo Iconem quamdam Operis Græci, diligentissimè pictam, eámque DEIparæ medio Corpore, dextra Divinum Pusionem gestantis, qui sinistram Virgineæ Matris blandiendô contrectat. Faciem illa dextram in partem convertit, unde Aliger genius advolans, Crucem cum Chlamyde purpurea gestat, alter ad lævam Christi togam inconsutilem, cum Vasculo Ungenti, quo mortuus liniebatur, apportat. Area reliqua laminis Argenteis, quibus aurum inductum, vestita est, opereque Musivo Græci Moris undique discreta. Præterea, ut omnino videtur, Iconem quamdam Græcam DEIparæ.

creta. Hæc Imago quadrata, pedem unum Geometricum latitudine, altitudine verò ſemialterum exæquans, Arculæ cuidam incluſa, quæ Sacelli redhibet formam cum Oſtio bipatenti: in cujus Ala dextra S. Joachim adſtat habitu Metropolitæ Cujusdam Græci: in ſiniſtra videas Divam Annam toga ſimiliter talari græcum ad ritum. Capita tam Beatæ, quàm Divorum Parentum ejus, locò ſoliti nimbi, lunulis argenteis inauratis cinguntur, quas Margaritæ ac pretioſi lapides exornant. Circa pectora aliæ ejusmodi Lunulæ dependent, ſubtus modicis pulvinis è ſerico ſuffultæ, ut nonnihil promineant. Verbô magna hìc ſpecies venerandæ Antiquitatis, græcæque elegantiæ patens exemplum.

Eccleſia S. Magdalenæ ad Portam exſtrui incepta à Fundatore.

XXXI. Addidit verò Princeps liberaliſſimus his Donariis, ad Aram ſpectantibus, illico grandia alia Beneficia: dum in Templi Majoris fabrica, tam eximiè progrediente, multùm delectatus, ad humiles *Gebhardi* Abbatis noſtri preces, novæ in Eccleſiolæ, ad Portam conſtruendæ, inchoationem è veſtigio conſenſit, ut famulis, & vicinæ plebeculæ, quæ Monaſterio ſeſe adjungere jam inchoabat, ſacra ibidem fieri, Sacramenta adminiſtrari, prædicari DEI Verbum, & Sepultura indulgeri congruè poſſent. Commodùm nos *Ortilo* docet Annum diémque, quibûs iſta evenêre, ipſiúsque Principis Voluntatem, ut nova hæc Fabrica in D. Magdalenæ honorem exurgeret: neque enim aliis iſta è Commentariis noſtris didiciſſemus. Quamvis interim Seren.^mus Dux piiſſima ſua, & ampliſſima adverſum Nos Munificentiâ, noſtris abundè ſatisfaceret, aliis omnibus pareret admirationem: ſibi tamen ipſi, atque Devotioni ſuæ incenſæ ſatisfeciſſe nunquam eſt viſus. Unde, quod minus ipſe poſſet, Hæredum ſuorum beneficentia olim compenſari deſiderans, ambos una ſecum Filiolos, tenerrimæ quamvis ætatis, ad nos adduxit: quorum adultior *Henricus* tunc duodecimum, junior *Fridericus* decimum ætatis annum nuper admodum ingreſſus erat. His porro, ait *Ortilo*, dulciſſimis Natis *amabili ſermone Amorem Monaſterii perſuadere laboravit.* Verbis ut pondus ipſa ſpecies Rerum adjiceret, eosdem his oculis cernere voluit, quantus ipſe in Campililium theſauros profunderet: quænam illa noſtrorum devotio, Religio, ac diſciplina, qua ipſe tantopere gauderet, & in qua tantùm, tam ſuæ, quàm Patriæ ſalutis præſidium collocaret: qua ſe ipſe Religione componeret, dum pſalmis & canticis noſtrorum intereſſet in templo, dum pauperi Victui, quem virtus, non quem neceſſitas imperabat, aſſideret in Refectorio, dum viliſſimos lectos in Dormitorio contemplaretur, dum ſtrictiſſima ſilentii Religione, exactiſſimæ Obedientiæ humilitate, & laborum, tam hye-

Idem teneris Filiolis præſentibus Amorem Cænobii amabili ſermone ſuadere contendit.

hyeme, quàm æstate, patientissima tolerantiâ compungebatur. Hæc quantæ Virtutis, quanti Meriti à se censerentur, infirmo eorum intellectui penitiùs exponens, Princeps hæc Aquila ad volandum pullos istos provocavit: ita cereos Natorum Animos, propriæ suæ Virtutis, sanctique exempli imagine impressa, præoccupare conatus est: hæc semina bona, & optima, maturè his in Agris novellis spargere contendit. Egit hoc pacto, quod fidelissimi Patris erat: fructus DEO, temporique committendus fuit.

XXXII. Redux Campilíliô Viennam, brevì animum ad novam Donationem, nobis faciendam, convertit. Possederat namque nostrarum inter ditionum, Monasterio viciniorum, districtum *Hertnidus* quidam *de Orte*, Vir Nobilis admodum Stirpis, quæ olim in Austria pariter & Stiria possessionibus dives ac potens erat, uti *Tomo IIII.* inter *Famil. in O.* latiùs patebit, Predium, *Eschenawe*, quod hodie Pagum dicimus, & uno à Nobis lapide distat. Atque hoc à Possessore Princeps noster dictum prædium, ut à Nobis, quos pacatissimos esse voluit, litium occasionem, quæ inter vicinos facilè oriuntur, auferret, soluto pretio comparavit, Mansos triginta septem cum octo areis complexum. Quoniam verò peculiari devotione ferebatur ad Ecclesiam in *Wilhelmspurg*, obtulerat super Altare S. *Michaelis*, & S. *Wilhelmi* Confessoris ibidem, predium quod nominabatur *in dem Holze*, & Curiam *Stangenthal*, tunc ad Dominos de Altenburg attinentia, neque longè supra Monasterium sita, atque in horum Compensationem eisdem quinque Mansos in *Eschenawe* contradidit: residuum verò Predium totum Campililio, ob Remedium Progenitorum, & Remissionem omnium peccatorum suorum, nec non Liberorum, ac Parentum, solemni donatione indulsit, testibus Ministerialibus multis, tam suis, quàm *Hernidi* Venditoris. Subsignatio Chartæ ita habet: *Acta sunt hæc Anno Domini Mccxviiij. Indict. VII. Non. Octobr. Datum in Wienna per manum Ulrici Notarii.* Docet Nos Charta ista, *Guilelmopoli* viguisse Seculo XIII. Cultum SS.orum *Michaelis*, itémque *Wilhelmi* Confessoris: qualis verò inter tot *Wilhelmos*, *Guilelmos*, Sanctorum axiomate illustres, non liquet.

Donavit Nobis predium Eschenau.

Quædam obtulerat super Altare SS. Michaelis & Wilhelmi in Ecclesiâ Wilhelmspurg.

Annus 1220.

XXXIII. HAnc Decadem *Ortilo* ita concludit. // Dux LIUPOLDUS, quem subditi, & ipse Subditos unicè amavit, & qui Patriam multum auxit, atque munivit, // hoc anno etiam Castrum Kutensteine muniens, iterum venit ad nos in Autumno, & Ecclesiolam Sanctæ Magdalenæ jam

// quasi perfectam, Ecclesiæ quoque Magnæ Columpnas, & // Muros jam usque ad aptitudinem fornicum surrexisse hilaris // vidit. Hic semel notare dignum & justum est, Devotissi- // mum Principem, quoties venit ad nos, opus DEI in Oratorio, // quod fortè tunc decantavimus, præsentem Religiosissimè sem- // per audivisse cum ingenti Cordis gaudio: quod nos valde com- // punxit. Fratrum verò numerus apud nos auctus est ad sep- // tuaginta, licèt Mors in singulis ferè annis aliquos ex Nobis // ad Judicem vocaret. Viximus per Gratiam DEI in Chari- // tate, multùm pro nobis solicito Domino *Gebbardo* Abba- // te, & *Ottone* Priore. Habuerunt homines dilectionem ad // nos, & multi nostram Fraternitatem rogaverunt. Habui- // mus tamen etiam Vicinos duros, in Hohenberch & Alten- // burch maximè: sed propter Ducem Fundatorem sæpe conti- // nuerunt se. DEUS ipsos convertat. Domini *Gebbardi* Mensa // cum hospitibus & pauperibus fuit semper.

Leopoldus iterum invisit Campililium: qui quoties venit, interfuit Operi DEI.

XXXIV. Mutuum Principis ac subditorum amorem tenerum, providámque Patriæ Munitionem à *Leopoldo* factam, §. I. ut commendarem, hæc eadem prima *Ortilonis* verba, ibidem pariter adducta, mihi copiam fecerunt. Hic commendanda nostrorum felicitas, quos Clementissimus Fundator serenissimâ præsentia suâ toties Recreavit: neque recreavit tantùm, verùm etiam, prælato ingenti cordis gaudio, quocum Operi Divino, ab ipsis tunc fortè decantato, Religiosissimè semper intererat, vehementer compunxit. Quàm acutum devotissimæ Orationis Calcar *Leopoldus* Princeps conjunctus psallentibus! Cujus è vultu Gratia emicuit, quæ corda raperet, Majestas, quæ terreret, Pietas, quæ accenderet, Devotio, quæ provocaret. Non legimus in *Ortilone*, accessisse Ducem nostrum ad Campililium venandi, epulandi, geniόque indulgendi causâ, & Aulæ comitantis amplitudine, ac strepitu, solvisse disciplinam, quietem Religiosam interturbâsse. Deliciæ ejus in Templo: totius animi Voluptas in conspicanda Observantia Regulari: ut videlicet intelligerent nostri, & exteri omnes, quem finem ipse fundato à se Cœnobio præstituerit, quem inde fructum exspectet. Si quid reliquum esset bonæ, quam egerat nobiscum, diei, de consummatione cœpti, tantúmque jam à se promoti Operis curabat: quousque progressæ essent fabricæ, quid earum ad perfectionem deinceps deesset, studiosè contemplatus est. Accrescentem Fratrum numerum, hoc ANNO jam ferè septuagenarium, magno in lucro deputavit, maximè cùm tantæ multitudinis firmissimam compagem cerneret esse Charitatem. Inspiravit hanc DEUS, & quoniam cum gratia ejus, *Gebbardi* Abbatis, ac Prioris *Ottonis* Paterna solicitudo,

Numerus nostrorum ferè 70.

tudo; Fratrum deinde obedientia humilis bellè conspirabant, factum est, ut multiplicata Gente, meritò quoque magnificaretur lætitia Principis: qui quot Fratres pane suo vivere viderat, totidem se credidit adoratores DEI in spiritu & veritate, Oratores insuper tam suæ, quàm publicæ necessitatis, eleemosina sua sustentare.


XXXV. Non mirum itaque, si tam Principis exemplo, quàm bono Campililii odore latè circumfuso, & qui longè, & qui propè erant, rapi se in amorem viderent, nostrisque communione bonorum operum adjungi, felicitatem suam non minimam reputarent. Cui de nostris bonæ opinioni citra dubium non minimum ponderis addidêre peregrini, ac pauperes, qui hospitalem nostrorum Gratiam, qua Affatim in Mensa Abbatis quotidiana fruebantur, grato oris præconio in fines quodammodo Orbis terræ deportaverunt. Utinam semper Campililium non impari merito parem famam sustineat. Quoniam verò omnis propemodum Virtus, usquedum sideribus Recepta fit, in arena consistit, & sine adversario marcet: nostris pariter adversarios constituit sapientissimus DEUS, quos, vitio quidem suo, amor habendi multò fortiùs accendit, quàm pulchritudo Virtutis attraxit. Quàm proinde duri fuerint nobis Vicini quidam, ne DEI servis caminus tribulationis, & patientiæ merita deessent, sequentibus Annis abundè patebit, ex quo *Leopoldum* amisimus. Tantus quippe Pater quamdiu supererat, primigeniis Campi Liliis Stipes erat excelsus, ac virens, in quo crescebant ubertim, pulcherrimè eminebant. Basis extitit, quæ potestate Supremi Terræ Principis Domum nostrum universam in omnem ventorum turbinem fortissimè sustinuit. Scutum denique se nobis impenetrabile tenerrima dilectione sua exhibuit, quoties inimica vexationum tela, aut enses æmulationis hostiles, possessionibus, juribus, quieti, pacique nostræ, prava quorumlibet licentia, insidiari præsumerent. Vel suavissimi Oculi illi, in quibus mitissimus Princeps perpetuò nostros ferebat, Adversariis nostris omnibus terribiles erant. Sed hi posteaquam, prô dolor, maturiùs, quàm timebatur, morte extra provinciam claudebantur, invaluêre Adversarii nostri, præcipuè cùm afflicta Patria, tam pace, quàm postea legitimo Rectore, permultis annis destituta esset. Multò autem sæpius, graviúsque adversùm Majores nostros, in posterorum quoque damna, prævaluissent, nisi DEI Miseratio, tam graviter discissæ, turbatæque Austriæ, quietam denuo concordiam, novósque Optimos Rectores indulsisset, & horum quoque benignissimam perpetuámque Clementiam in jugem Campililii, semper eisdem devotissimi, Tutelam, immo & præteritæ jacturæ Reparationem, excitâsset.

Optima de Campililio opinio.

Nonnulli tamen etiam duri Adversarii:

Continentes, dum viveret Serenissimus Fundator:

postea insolentiores.



DECAS III.

Ab Anno MCCXXI. usque MCCXXX.

§. I.

Res Principum & Patriæ.

Annus 1221.

Expeditio Orientis sub Aquilis Augustis inane votum Orbis.

I. PRimum ferè ac princeps, quod hoc tempore in Ecclesia curabatur negotium, fuerat Expeditio Orientis, à *Friderico* Cæsare suscipienda, cùm, quòd Nomen ipse suum pro Palestina recuperanda semel iterúmque publicè dederit, tum, quòd sine ipso Ductore sacrum hoc Bellum digno cum fructu confici posse nemo confideret, & propterea plerique Principum, nisi sub Aquilis Augustis, processuri non essent. Sensum hunc fidelibus propè omnibus peperit spes ingens Ægypti totius occupandæ, ex quo Christiani Damiatam tenuêre: si hac ab Urbe Cruce signati, in- & ad eam exspectatione Cæsaris hærentes, superveniente satis magno exercitu, in interiora provinciæ penetrare valerent. Oculi itaque universorum conversi erant in Pontificem, cujus esset, Expeditionem hanc jubere, inque Cæsarem, cujus in profectione totius Belli hujus fortuna consisteret. Et Pontifex quidem omnibus, quibus poterat, institit modis: Imperator verò, cùm sententiâ prorsus aliâ apud se esset, foris tamen, idem se velle, quod Orbis volebat, studiosissimè præsetulit. Hæc ut luculentiùs pateant, amborum ex Epistolis audire nonnulla placebit, quas hoc Anno *Raynaldus* maxima parte vulgavit.

Cæsar velle literis ad omnes callidè præsetulit.

II. Ita proinde *Fridericus* Principibus Imperii, Urbibúsque ac Populis Italiæ scribebat. ,- - Considerantes igitur, nec sine ,amaritudine amarissima recolentes, salutiferæ Crucis Triumphale Vexillum, Dominicam Sepulturam, Civitatem Sanctam, ,in qua salutem nostram est Dominus operatus, & Venerabile ,Templum, & Cænaculum grande stratum, in quo Domino ,Pascha Discipuli paraverunt, conversa in theatrum, & seculare ridiculum, ubi Rachel plorat filiorum suorum jugulum, ,hor-

, horrendum facinus, & triste spectaculum: tacti dolore intrin-, secus, & rubore, de succursu celeri diebus & noctibus cogi-, tamus, Galeas & Naves, prout res exigit, magnificè præpa-, rantes. Eja Milites fideles Imperii, arripite velociter Arma, Militiæ Christianæ, quia jam Romani Imperii victrices Aquilæ, prodiêre. Duplicis quidem Retributionis Donativa perci-, piunt, qui Celsitudini nostræ in proposito hujus Sanctæ Pere-, grinationis assistunt &c., Quid non speres à Rhetore tam vehementi? Sed *Honorius* Papa sic Cæsari scribere compellebatur.

III. ,Utinam attenderes, quàm desiderabiliter te præstola-, tur Exercitus Christianus, militans Domino in partibus Trans-, marinis, & adverteres, quantum de Te spem promiseris Ec-, clesiæ Generali, credenti pro certo, quòd proponens Hierusa-, lem in principio lætitiæ tuæ, postpositis aliis, ad recuperatio-, nem ejus totis desideriis aspirares, præsertim cùm ad hoc tibi, Dominus omnem obtulerit facultatem. Sed nunc multi mur-, murant, multi clamant, quòd postponis exequi votum tuum., At, ut velle illud exequi videaris, Galeas, quas feceras præpa-, rari, detines, quasi tecum in tuo comitatu ducturus easdem:, quæ si forsitan nunc transirent, magnum possent conferre au-, xilium Exercitui Christiano, qui eo indiget vehementer. Ut, igitur hoc à te opprobrium auferas, nec nos facias ab homini-, bus lacerari, qui dilationem Voti tui Nobis præcipuè impu-, tantes, contra nos jurant incessanter: immo, ut illi compla-, ceas, cujus te obsequio devovisti: Serenitatem Tuam roga-, mus, monemus, & hortamur attentè, obsecrantes per Domi-, num JESUM Christum, quatenus ei, qui est Veritas, verax, existens, causam ejus in veritate pertractes. Dat. Later. Id., Junii Pontif. nostri ANNO V.^{to},

Pontifex eum hortatur, ut verax existat.

IV. Dimisit ad hanc obtestationem Cæsar, quam tempore multo instruxerat, quadraginta velorum Classem, solvitque illa Siculis è portubus Architalasso *Henrico* Comite Melitensi. Præiverant *Ludovicus* Bavariæ Dux, & *Udalricus* Episcopus Pataviensis, cum socia multorum Nobilium, populique non minima turba: cujusmodi Greges Cruce signatorum aliis pariter è partibus ac provinciis, spe Cæsaris proximè successuri, in Orientem Vela fecerunt. Sed vehementer eos opinio sua fefellit, neque fefellit tantùm, verùm etiam summam in perniciem induxit. Credidêre Cæsari Legatus Pontificis, Jerosolymorum Rex, cæterique omnes, Pelusii demorati: quin & ipse pariter *Honorius* Papa, *Friderici* sponsionibûs inductus, Orientalibus certissimam propingui maximi exercitus fiduciam lætissimis Literis fecit. Inde illi Sultano nunquam obaudierunt, tametsi semel, iterum, ac tertiùm his conditionibus pacem offerret, ut

Pernicies Orientalium ex promisso Cæsaris inani.

ut Regnum Hierosolymæ integrum restitueret, Urbem Sanctam à se destructam sumptibus propriis instauraret, Damiatam cum agro ad viginti milliaria nostris permitteret, Crucem Dominicam cum captivis omnibus redderet, modò nostri sponderent, se in Ægyptum ulteriùs non penetraturos. Nihil horum, inquam, nostri attenderunt, tam à Pontifice, quàm Cæsare, concepto mandato prohibiti, pacem, sive inducias armorum cum Saracenis inire, antequam ipse Augustus Aquilas promissas in Damiatam adduceret, *Oliverio* teste. Spe ista incitati pariter, ac suspensi, tandem, incitantibus potissimùm *Ludovico* Bavariæ Duce, & *Ulrico* Episcopo Pataviensi, post longiorem, ac par erat, moram, & ideo maximè noxiam, quia eo demum tempore, quo Nilus exundaturus erat, Castra moverunt, quanto multitudinis numero, tam inopi prudentiæ consilio, ausum inconsultum extrema pernicie luituri.

Damiatæ perditio.

V. Ante se quippe Castra hostium fortissima habuêre, Nilo intermedio: ad utramque fluminis ripam fossas, murósque argillares, barbaris oppletos: post se Classem Saracenam, quam Sultanus, astu maximè provido, eam in stationem locaverat, è qua nostri discessêre, impedimento futuram, ne Exercitui Christiano suppetiæ, vel commeatus è Damiata subvenirent, aut nostri, fugam capturi, reditum illuc instruere possent. Ita, veluti pisces retibus circumquaque explicatis conclusi, Nilóque tumentibus fluctibus accrescenti magis, quàm hostium telis expositi, undique in arcto deprehensi sunt. Defecit annona, cujus reliquum, unacum armis & navibus, procellæ sorbuerunt, ut nihil jam nostris pronum esset, nisi fame, vel undis perire, aut universi exercitus deditionem porrectâ dextrâ hosti offerre. Quod postremum, quia mitissimum, satis adhuc modestò adversum nostros, & quasi miserente Sultano, ita egerunt, ut redderent ei Damiatam, quæ à Præsidio ibi reliquo, se deletis, aliunde servari non posset: ipse contrà Barbarus nostros, omnésque alios antea captos, unacum Cruce Dominica restitueret. In hæc pacta ut conventum est sub obsidum fide, in quibus è Christianis erant *Pelagius* Cardinalis Legatus Apostolicus, *Ludovicus* Bavariæ Dux, *Ulricus* Pataviensis Episcopus, præter alios quamplurimos, Classem suam Sultanus dimovit, nostrisque multâ annonâ per ipsum refocillatis, & fide pactorum integerrimè servata, viam aperuit.

Pontifex Cæsari neglectum sponsionis, & voti succenset: ni corrigat, anathema cominatus.

VI. Interim hæc Damiatæ jactura, quam necessitas extorsit, Ecclesiam omnem Christianam immenso dolore afflixit, & illos præ reliquis, qui antea in ejus expugnatione se mortibus centenis exposuerant, quorum facilè primus *Leopoldus* noster. *Honorius* Papa eapropter in suis ad *Fridericum* Cæsarem Literis ita

ita lamentabatur. ‚Mærore plenas tibi cogimur literas destina-
‚re, quia nostram animam acerbi doloris gladius pertransivit:
‚adhuc incessanter concidimur vulnere super vulnus. Cùm
‚enim flebilis casus Exercitus Christiani nos dolore intolerabili
‚sauciaverit, - - - ecce, novi doloris vulnere sauciamur, cla-
‚mante contra nos universo Populo Christiano, & Nobis rui-
‚nam præfati Exercitus imputante, ac publicis improperante
‚clamoribus, quòd totum Orbem confudimus Christianum, eò,
‚quòd Te, sicut voveras, transire non compulimus in subsi-
‚dium Terræ Sanctæ, culpam tuam in nos penitus refundendô.
‚Et utique non prorsus immeritò, quia re vera, dum tibi ni-
‚mis detulimus, reliquimus Christianum Exercitum sub peri-
‚culo casus, quem hodie deploramus. - - - Expergiscere igitur,
‚expergiscere, Serenissime Princeps, & ad vindicandam inju-
‚riam Christi, & Nominis Christiani, accingere totis viribus,
‚toto corde. - - - Illud autem nolumus te latere, quòd si nec Chri-
‚stianæ fidei zelo, nec nostris exhortationibus excitatus, in ne-
‚gotio, quod absit, fueris tepidus memorato; nec saluti nostræ,
‚nec utilitate totius Populi Christiani te ampliùs præferemus.
‚Quinimmò te, tanquam Voti proprii contemtorem, excom-
‚municatum solemniter publicabimus, idque per totum Chri-
‚stianum Orbem faciemus in confusionem tuam publicè nun-
‚ciari. Tu ergo, sicut Vir sapiens, & Catholicus Princeps, di-
‚ligenter attende, quæ dicimus, & cave prudenter, ne te ipsum
‚in ejus articulum difficultatis inducas, de quo facilè nequeas
‚expediri.‚

VII. Hæ primæ coruscationes Vaticanæ impendentem tempestatem, etsi non primo statim vesperi secuturam, luculentè satis prænunciârunt. Quam ut averteret, immò ut præverteret Imperator, nova Sponsione testatus est Papæ, se injuriam Christi totis Imperii viribus ulturum. Et ne diffideret Pontifex, eum per Nuncios ad colloquium super hac re invitavit, Verulas ipse, sub vernum tamen sequentis anni tempus, accurrens, non, quia in Palestinam ducturus esset, sed ne fulmine feriretur. Dum porro Filii parvuli Ecclesiæ omnes de Fratre majore communem apud Patrem adeò graviter conquererentur, ut etiam improperarent, nunquid audiendi fuêre, & castigatio illi potius, qui officium negligendô virgam promeruit, quàm plectenti sit imputanda? Erat nostro ævo, qui publicè disputandô inquireret, an Christianorum in Palestinam Expeditiones ex legibus Justitiæ, itémque Prudentiæ fuerint? Tametsi autem crederemus, quod sanè audacissimum foret, Sacris his Bellis neutram Virtutem adfuisse: culpa tamen eorum non Pontificibus Maximis, sed Orbi Christiano universo danda esset: Nam per hunc Vicarii Christi ad conducendos, incitandos, ac per-

Cæsar iterum Expeditionem promittit.

Observatio de recto subsecuti schismatis judicio.

perurgendos Cruce signatorum Exercitus compellebantur. Imperator è converso culpâ ex harum virtutum defectu non eximeretur, postquam libenti animo Crucem suscipiens, Votum DEO cœli nuncupavit, quod nemo fidelium sine crimine piaculari solvere omittit: ac postquam præterea sua quasi sub signa populos ultrò convocavit, præeuntibus his, & sequentibus illis, omnibus verò eum in fronte præstolantibus. Si namque Oriens neque Æquitatis, neque Religionis causâ vindicandus fuisset: certè tamen oportuerat emissas jam acies discrimini subducere, quæ, hoc prætermisso, à fratribus meritò, tanquam in ruinam inductæ, immo impulsæ, invocatâ communis Patris vindictâ, deplorabantur. Non segniter ista pensare oportet, ut æquum de subsecuti funestissimi schismatis causa judicium libero à præjudiciis animo feras.

Annus 1222.

Conventus Principum Veronæ, Orientis causâ, frustratus, non comparente Cæsare.

VIII. IN Colloquio Verulano antè dicto, quod Aprili mense habebatur, Conventus alius Veronam circa festum B. Martini constitutus fuit: ad quem, præter Germaniæ Principes, Rex quoque Hierosolymæ, & Legatus Apostolicus Orientis advocati fuêre, commune coram Pontifice ac Cæsare, ut sperabatur, præsidentibus, daturi Consilium, qua demum ratione Res Palestinæ quàm optimè resarciri, ac provehi possent. Convenêre Principes non pauci, in quibus pariter adfuisse *Leopoldum* Ducem nostrum, Cl. *Puschio* dubium non est: cùm è Literis Pontificiis constet, illos præ cæteris Principes convocatos fuisse, qui prius in Oriente decertantes, Ægypti æquè ac Palestinæ litora, situm, terras, barbarorum astus, robur, mariúmque, ac locorum naturam ex usu cognoscerent. Quoniam verò, testibus Chronographis, *Australi*, *Voraviensi*, & *Salisburgensi*, Imperator *Fridericus*, negotiis aliis, uti præferebat, præpeditus, in Sicilia hæsit: Principes infecto Consilio discedere cogebantur. Atque tunc occasionem à Duce nostro captam fuisse, plures, ab itinere reversos, Viennam invitandi, secúmque adducendi, ut Filiæ suæ Sacris Nuptialibus splendorem conciliaret, *Puschius* idem arbitratus est. Verumtamen Profectio Italica Principis nostri nullo teste sinchrono constat: neque, utrùm Coronationi *Henrici* juvenis Regis Romani, Dominica ante Ascensionem Christi Aquisgrani per *Engelbertum* Coloniensem Archiepiscopum factæ adfuerit: ubi æquè opportunitas Magnorum Hospitum Nuptialium conducendorum percommoda fuisset. Quinimmo, habita temporis ratione, congruentius foret arbitrari, ex Coronatione, quæ agebatur verno tempore, itum esse Viennam ad nuptias: inde postea Autumno Italiam petitam. Quod faciliùs pronunciarem, si de die aut mense Hy-

Leopoldus Dux an eidem interfuerit? Vel Coronationi *Henrici* Regis in Germania?

Hymenei hujus constaret: qui tamen tam reliquorum Scriptorum Patriorum, quàm etiam *Ortilonis* nostri calamo adhæsit.

IX. Chronicon quidem *Australe*, cujus verba cum *Cl. Neoburgensi*, itémque Anonymo *Zwetlensi* ferè perpetuò eadem sunt, dissimulatis sponsorum Nominibus infit: „Magna solemnitas „Viennæ Auctore Duce *Liupoldo*: cujus Filia Duci Saxonum „nuptiali thalamo copulatur.„ Aliter verò Chronographus *Mellicensis*, cujus phrasin ad literam pariter apud *Garstensem* offendas, nimirum: „ALBERTUS Dux Saxoniæ Filiam LIU„POLDI Ducis Austriæ & Styriæ, AGNETEM nomine, duxit in Uxorem.„ At verò *Ortilo* noster iterum diversus sic adnotavit. // Dux LIUPOLDUS suæ Filiæ AGNETI nuptias fe// cit cum WERNHARDO Duce de Saxonia. // Qui Scriptor cùm latuisset in hanc diem, D. *Hoffmannus* in Dissertat. sua de Stemmat. Babenberg. Austr. p. 64. hunc in modum disseruit, allegato priùs *Chronico Mellicensi*. „At non desunt, qui nobis „*Alberti* (nimirum Saxonici) locò *Bernhardum* Principem *An*„*haltinum* nominent: inter quos etiam *Becmannus* Histor. An„haltin. Part. IV. Libr. II. c. 4. §. 2.* Quo minus autem huic „Sententiæ accedamus, multa sunt, quæ prohibent. Nam „primùm, quis est inter scriptores coævos, qui nobis Nuptias „inter *Bernhardum* & *Agnetem* commemoret? Tabulæ enim *An*„*haltinæ*, aliorum testimoniis destitutæ, rem omnem nobis ple„nè vix persuadere poterùnt. Austriaci Scriptores plerique de „Duce quodam Saxoniæ loquuntur: pro quo *Bernardum*, qui „nunquam fuit Dux, nullo modo habere possumus. Nec vi„deo, quid dubitandum sit de Auctoritate Chronici *Mellicensis*, „à Sæculo XII. semper ab hominibus coævis conscripti. Acce„dit denique & hoc, quòd temporum rationes supputanti vi„deatur multò concinnius statui, Anno MCCXXII. *Albertum* „Ducem duxisse *Agnetem* nostram, quàm ejus ex Fratre (Hen„rico Pingui) Nepotem *Bernardum*.„

Agnes Filia Leopoldi nubit Bernardo Anhaltino.

Pro quo alii substituunt Albertum Saxonicum.

X. Sagaciter ista disputata sunt, antequam *Ortiloni* verbum concederetur. Nunc porro Testis coævus atque domesticus, quique Res Ducis nostri velut ex condicto tractandas assumsit, *Becmanni* Tabulis *Anhaltinis*, quas pariter *Hübnerus* Tab. Geneal. 234. Partis I.* exhibuit, tutam, ut arbitror, fidem facit, etiam contra Chronicon *Mellicense*, quòdque paribûs verbis est, *Garstense*, quorum unum alteri exemplo fuit. Sæpiùs enim hæc Chronica ab aliis differunt, non propterea toties pariter veriora. Nomina Dignitatum à veteribus Chronographis perfrequenter ea discretione, qua hodie, adhibita non fuisse, eruditos non latet, & à me in Propyleo dudum est observatum: sæpenumero quippe unus idémque ab iis modò *Dux*, modò

Refellitur hæc sententia, Ortilone testante pro Bernardo.

Marchio, modò *Comes* appellatus fuit. Cui meritò addas, eosdem, ubi Nuptias commemorant, nisi Historiam planè specialem tractare proposuerint, Provinciæ magis, & Stirpi, unde quis esset, quàm, quod gesserat, Muneri attendisse: maximè dum de Regionum, longè à Scriptoribus remotarum, Dominis sermo est. Unde, quia tam Saxoniæ eo tempore Duces, quàm Principes Anhaltini, eadem Stirpe Ascania fuerant, ac præterea Principatus Anhaltinus partem non minimam Saxoniæ Superioris constituit: *Bernardo* Anhaltino, tametsi Saxoniæ supremo cum imperio non præfuerit: Saxonici tamen Ducis elogium lata sub acceptione tribuerunt. Aeram quod attinet, *Bernardum* quidem Anhaltinum ad usque Annum 1287. superfuisse, sunt, qui existiment: quod verò intutum. Esto tamen, illuc provixerit, octogenaria, vel paulò etiam amplior ætas, quam attigisset, An. 1222. ubi nupserat, Annum ætatis v.c. octavum decimum agens, ævo illo tam insolens non est, ut coævi Scriptoris, criteriis omnibus probati, authoritatem necessariò elevet. Cùm ergo nulla ratio gravior obstet, fide nostri Scriptoris *Agnetem* nostram non hæsitans *Bernardi* Principis Anhaltini Bernburgici Conjugem pronuncio: quam Eruditiss. *Hübnerus* quinque Filiorum, & unius Filiæ Matrem fœcundam designat, hujusque Stirpis per plures Generationes Propagatricem. Nupsit, Annum 16.^{tum} sive agens, sive nuper emensa, cùm nata fuerit Anno 1206. XIV. Cal. Augusti. Obitum ejus tam *Cl. Neoburgense*, quàm domesticum *Necrologium* nostrum, prætermisso anno, evenisse assignat IV. Cal. Septembris.

Annus 1223.

Novæ Expeditionis Orientalis decretum, cum spe nova, quam fecerat Imperator.

XI. Dilatum anteriore Anno de Bello sacro rursum apparando Colloquium hoc præsenti, Papam inter ac Cæsarem, Regémque Jerosolymæ, supremos item Ordinum Equestrium Magistros, & alios Præsules, ac Principes, in Campania ad Oppidum Farentinum agebatur, Profectione in tertium Annum, diémque S. Joannis Baptistæ decreta, multísque sagacissimo consilio constitutis: quæ tamen penitus in sicco iterum adhæsura essent. *Fridericus* interim Imperator *Honorio* Pontifici Optimo ac Modestissimo plenam fiduciam peperit solemni jurejurando suo: quo se ad hanc Expeditionem, dicto termino suscipiendam, tam liberè obstrinxit, ut se ultro, nisi verbo suo staret, anathemati incurrendo subjecerit. Item contractis cum *Jolantha*, Regis Hierosolymitani Filia, Sponsalibus: nam Anno priori *Constantiam* Aragonicam Conjugem amisit. Præterea Apparatu Classico, quem fecerat, navium quinquaginta, tam amplè commodèque factarum, ut non modò ingenti exercitui per mare deportando sufficerent: verùm etiam singulæ pontem ve-

veherent, ac tantæ latitudinis essent, ut, quamprimum ad litora deveniretur, Milites integris illico Ordinibus, in aciem jam instructis, egredi possent, ut refert *Godefridus* Coloniensis. Summè idcirco lætatus Pontifex, conceptis literis ista Regibus, Ducibus, ac Præsulibus variis nunciavit, Clericos ad prædicationem Crucis, Laicos ad susceptionem ejusdem, utrósque ad larga in hanc Expeditionem pecuniarum subsidia conferenda exhortatus. Atque hujusmodi Literas pariter ad *Leopoldum* Ducem nostrum directas fuisse, disertè *Raynaldus* commemorat, quin tamen easdem exhibeat, sed in Regesto duntaxat *Honorii* alleget.

Invitatus quoque *Leopoldus.*

XII. Verumtamen Princeps noster, quæ sibi deinceps imminerent negotia, animo solerti præsagiens, pro Oriente Nomen non dedit, verosimillimè tamen stipem liberalem, facilè interim domi reperturus, quod in obsequium Apostolicæ Sedis multa cum laude perficeret. Iterum quippe Gratiam Austriæ Hospitalem imploratura erat vicina Hungaria, rursum dissidio intestino Regiæ suæ Domus turbata. Quam etenim, ex Oriente anterioribus annis redux, *Andreas* Hungariæ Rex Filio *Belæ* Sponsam adduxerat *Mariam*, Filiam *Theodori Lascaris* Græcorum Imperatoris, eíque solemni connubio matura ætate conjunxit: nunc ab invito Filio per divortium separari mandavit. Cujus facti querimoniam hoc Anno Præsules Ungarici ad Summum Pontificem detulêre. Quo rerum successu, paulò pòst afferam. Austria porro Principis cujusdam sui, virtute magni & egregii, pium funus lugebat, *Henrici* videlicet, qui *Dux de Medlico* audiebat, fueratque *Henrici Jasomirgott* Filius, *Leopoldi VI. Virtuosi* Frater natu minor, proinde Patruus *Friderici Catholici*, Ducísque nostri *Leopoldi Gloriosi*. Laudes ejusdem atque Historiam, quantum illa mihi constitit, satis jam in Propyleo, & ibidem descripto *Henrici Jasomirgott* Elogio §. VI.[to] à n. 9.[no] exposui. Interim hìc non planè præterire oportuit, *Eberhardum* Archiepiscopum Salisburgensem, dum Lavantinam in Carinthia Ecclesiam, quam in Cathedram novam Episcopalem erigere meditabatur, sedulus lustrâsset, reperisse ibidem SS.[orum] *Viti* ac *Modesti* sacra lipsana, nisi Corpora integra, secum deinde Salisburgum translata, & ibi cum populi frequentia maxima, devotóque tripudio, Metropolitana in Ecclesia solemniter deposita, uti *Stero* & *Honorius* in Chronicis asseverant. Quæ dum quotidianis ferè prodigiis mox ab Inventione sua coruscarent, ingens in Divum *Vitum* populorum devotio exarsit: adeò, ut ex eo tempore, uti Cl. *Hansizio* Metr. Laur. p. 368. visum est, in Austria pariter, ut in Carinthia, tot Ecclesiæ, immo Oppida integra, S. *Viti* nomine insignirentur.

Sed hic, futurorum providus, Cruce signatus non est, de Ungaria benè meriturus.

Turbæ Domus Regiæ ibidem.

Obitus *Henrici* Ducis de Medlico Senioris.

Unde in Austria tot Ecclesiæ & Oppida ferant Nomen S. Viti.

Annus 1224.

Cæsar nova de se exspectatione Orbem Christianum callidè suspensum tenet.

XIII. FRidericus Imperator è Sicilia Papæ rescripsit de plurimo numero Galearum, variique Generis Navium, à se in Expeditionem suam Orientalem parato. Præterea, cùm ipse à Sicilia nunc abesse non posset ob Saracenos, qui per oram Regni illius maritimam Castella & Arces tenerent, sibique deditionem facere vellent; sui se locò Hermannum Ordinis Teutonici Magistrum in Germaniam dimisisse ad Principes, præcipuè Ducem Austriæ, Landgravium Thuringiæ, aliósque, qui hortaretur eosdem, & invitaret ad Bellum Sacrum, eísque polliceretur passagium (i. e. transitum) victum, pecuniam, liberaliter exhibenda. Admonet attamen Pontificem, & rogat, siquidem Prædicatores Crucis exiguum valde operæ pretium facerent, neque Indulgentiarum potestatem debitam haberent, ac tantùm non spernerentur: ut hoc negotium Magnæ Dignitatis Viris efficaciùs perurgendum injungeret. Insuper & Franciæ atque Angliæ Reges ad pacem, vel saltem inducias armorum adigeret. Prolixas Cæsaris Literas exhibuit *Raynaldus* Annal. Eccles. XIII. p. 306. à n. 4. Qui & aliam *Russutanæ*, Georgianorum Reginæ, Epistolam ad Pontificem exscripsit, qua illa spondet, se exercitum suum Cæsari, in Orientem venturo, submissuram, *ibid. p. 309. n. 17.* Sic Imperator, prælato ardenti desiderio suo juvandi Palestinam, tam Papam, quàm Reges, ac Principes, cum utroque Orbe, perpetuò suspensos tenuit: parturiit verò semper, peperit nunquam.

Bela Ungarus in Austriam ad *Leopoldum* confugit: donec Patri conciliatus rediret.

XIV. Ad *Leopoldum* Ducem nostrum *Bela*, Regius Ungariæ Hæres, cum Uxore, charísque pluribûs ac fidelibus confugit, teste in cæteris etiam *Ortilone* nostro, qui ait ad hunc annum de Principe Austriaco. // *Belam* Filium Regis Ungariæ ad se fugientem recipit. // Mandato nimirum *Honorii* Papæ Conjugem *Mariam*, antea jussu Patris repudiatam, promtè rursum libentérque in thorum reduxit: & ideo, veritus iram Patris, in fuga salutem, in *Leopoldo* nostro præsidium posuit æquè, ac reperit *Bela*. Hortabatur autem Papa Apostolicis Literis primùm quidem Ungariæ Præsules, non sine laude Ducis nostri, ut omnino caverent, ne Rex *Andreas* Pater, sive in Filium, ejúsque Conjugem, & Necessarios, sive in Ducem, Austriámque, quorum illi pietate, gratiáque hospitali uterentur, acerbum quidpiam auderet. Deinde Regem ipsum admonuit, ne propterea, quod Filius Sacræ sedi obtemperaverit, eidem iram reservet: quin potiùs reducem illum Paterna cum dilectione recipiat, eique de Reditibus, Regni Hæredem decentibus, liberaliter provideat. His porro Monitis opus haud erat, cùm Rex ipse, Vicinorum formidans ultionem, submis-

missis Oratoribus, flagitaret à Pontifice, paternè curare ut vellet, ne Filii causâ, sive *Leopoldus* Austrius, sive quiscunque alius Principum, hostilibus in Ungariam armis grassaretur. Ægrè enim se restiturum præviderat facilè, cùm Filio suorum plurimi faverent. Annuit huic cautioni *Honorius*: at verò *Bela*, sui cum Uxore securus, tutò in Regnum reversus est. Literas antefatas denuo apud *Raynaldum* videre licebit.

XV. RR. PP. Minoritæ Viennenses ad S. Crucem An. 1724. Apparatu tam erudito, quàm eleganti, celebrârunt Seculum à sui Fundatione Quintum, ejúsque rei memoriam per editum Libellum Historicum, Neostadii Austriæ in 4.° prodeuntem, conservari voluerunt, cujus hæc in fronte Exclamatio: ,O seculum gloriosum à LEOPOLDO hujus Nominis *Glorioso*, nos hìc Gloriosissimè fundante eo Mense, quo sancto Patri (Francisco nimirum Seraphico adhuc superstiti in terris) in Monte Alverniæ sunt impressa Quinque Vulnera An. 1224., Ibidem ulteriùs p. 16. legitur in hunc modum. Anno 1224 prouti Notata Antiquiora Conventus ad S. Crucem docent, LEOPOLDUS Dux Austriæ, Expeditione facta in Palestina, rediens per Italiam, multa de Sanctitate B. Patris nostri *Francisci* audivit: à quo quosdam Patres ejusdem socios petiit, & obtinuit, secúmque Viennam adduxit, assignans illis locum in suburbio, pro habitatione, quæ defacto ab ipsis possidetur, sed in alia norma exstructa, nec ampliùs extra Urbem, sed propè Mœnia existens, eò quòd Urbs successu temporis dilatata fuerit. Ex his adductis Patribus erat quidam P. *Joannes de Plano*, Custos Germaniæ & Saxoniæ, postea Commissarius Generalis Austriæ, Bohemiæ, & Hungariæ. Similiter P. *Albertus* Pisanus, *Martinus* de Mediolano, & *Jacobus* de Tarvisio.' Fundationi huic, & Anno, præclarum suffragium addit *Ortilo* noster, ajens: // LIUPOLDUS Dux in Wienne induxit Ordinem Minorum. // Primi tamen hujus Fratres à Principe nostro secum deduci non poterant, ubi ab Expeditione Orientis redivit: id, quod accidit An. 1219. itinere non per Italiam, sed Hungariam suscepto. Factum itaque potiùs id reor, An. 1222. dum *Fridericus* Imperator Principes Germanos Veronam evocavit: quò se Dux noster verosimillimè contulerat. Qui pariter, teste *Catal. Abbat. Glunicens.* apud Cl. *Hier. Pez.* II. col. 330. cum *Pilgrimo* Abbate omnia Monasterii Predia ante sylvam Bohemicam, ipsúmque pariter nemus ad Bohemiæ terminos, cum aliis in Austria infra Anasum Prediis hoc ipso An. 1224. è voto ac precibus Glunicensium cum eximio Domus illius commodo permutavit.

Princeps noster Viennæ inducit Ordinem Minorum.

Benefecit Glunicensibus.

Annus 1225.

Cum tandem profecturus in Orientem Cæsar putaretur, novi bienii moram injecit.

XVI. FRiderico Cæsari è Syria advênit *Jolantha*, Regis Hierosolymitani Filia, dudum sibi cum Regno devincta: cui proinde solemnibus nuptiis conjunctus, Regnum quoque, jure jam suum, propediem vindicaturus credebatur, cùm propè jam esset dies S. Joannis Baptistæ, qua in Palestinam hoc anno cum exercitu amplissimo, jam instructo, & ad Expeditionem sanctam studiis maximis anhelante, se moturum esse liberalissimè spopondit. At ecce! dum *Honorius* Papa nuncium opperiretur, Naves ac Milites in portu jam esse, móxque vela in Syriam explicanda: adest *Joannes* Jerosolymorum Rex, & Generi Imperatoris nomine plurimùm excusabat, res tam Siculas, quàm Italas, novásque Civitatum Lombardicarum molitiones, Cæsari proditas, ejus absentiam nunc quidem nullatenus ferre. Proinde se obsecrare, ut anteriori absolutus jurejurando, termino profectionis novum in biennium prorogatô, aliud coram Legatis in Siciliam submittendis de sacra Expeditione à se suscipienda sacramentum sequentes in leges dicere permitteretur. Primùm, ut biennio hoc toto intercurrente mille Equites in Palestina, cum quinquaginta triremibus, peculio proprio sustentaret: Deinde, ut geminis Cruce signatorum Equitum millibus, horúmque Comitibus, trajectum securum, ac commodum præberet. Postremùm, ut interea domi centenarum Navium Classem instrueret, in Palestinam verò centum Unciarum Auri millia statutis terminis præmitteret: quo thesauro, ibidem custodiendô, ipse postea adventurus ad bella Domini uteretur. Quibus denuo addidit, ni suis his promissis integerrime staret, anathematis jam nunc ferendi sententiâ sese innodatum ab omnibus censendum, nullaque venia donandum esse, quin ipsum quoque ac totum Siciliæ Regnum Pontifici obnoxium fore. Quàm ad inexspectatæ hujus moræ novam injectionem expaverit Pontifex, querulantem eapropter iterum universam Ecclesiam animo volvens, ægrè quis dixerit. Summè tamen pacati animi sui benignitate permotus, per Legatos & hoc biennium indulsit, *Raynaldo* Spoletani Ducis Filio in Animam Cæsaris jurante, eúmque præscriptas ad leges per solemne sacramentum adstringente. Hæc porro singula prolixiùs continet ipsius *Friderici* Epistola ad *Honorium*, apud *Raynaldum* legenda h. a. p. 315. n. 4. sqq. Quam verò, aliásque huic similes, illi, qui *Petri de Vineis* Epistolas, Cæsaris nomine scriptas, sex omnino Libris evulgârunt, studiosè prætermiserunt; ne videlicet, quantâ astutiâ summus hic Princeps *Honorium* Pontificem Optimum, cúmque ipso Ecclesiam omnem, plurimis annis vaferrimè supplantaverit, ac quoties ju-

re-

rejurandum fefellerit, Lectoribus pro merito causæ innotesceret.

XVII. Dum ita Marti prolixiores feriæ indicerentur, Hymen otium nactus est Serenissimos thalamos instruendi. Primùm námque *Henricus* Germaniæ Rex Juvenis, *Friderici* Imperatoris & *Constantiæ* Aragonicæ defunctæ Filius, Siciliæ quoque Princeps Hæreditarius, exeunte Autumno Nuptias inivit. Cujus connubio tam Angliæ, quàm Bohemiæ Rex sui Sanguinis aviti Sponsam, sed frustra, obtulêre. De primo siquidem ita *Godefridus* Coloniensis hoc anno. „*Heinricus* Rex „Curiam habuit Franckinvort: ubi quidam Episcopus missus à „Rege Angliæ cum cæteris ipsius Legatis affuit, laborans, ut „ipse Rex Matrimonium contraheret cum Sorore Regis Angiæ. „Sed cùm talis Contractus displicuisset Principibus, nec potuisset habere processum, Nuncii inactè revertuntur.' Irr tam *Primislai Otocari* Bohemi spem, cujus Filiolam olim *Fridericus* Imperator Filio suo per jocum inter crepundia desponderat, simúlque Augustam *Leopoldi* Ducis nostri Fortunam (uti quidem speciem foris præsetulit) qualitèrque Primogenita hujus Filia, quasi tertia Dearum, pomum ab hoc Regio Paride præ reliquis tulerit, *Garstensis* Chronographus hoc paragrapho enunciavit. „Rex *Heinricus*, Filiâ Bohemi secundum statuta Legis „repudiatâ per dispensationem Domini Apostolici, saniori Prin-„cipum potitus Consilio, cum *Filia Ducis Austriæ*, legitimè sibi „copulata, Nuptias Norimbergæ celebravit.' Nomen Sponsæ, quod hic subticetur, disertè exprimit Chronicon *Mellicense*, sed ad ANN. 1226. inquiens: „*Heinricus* Filius Imperato-„ris *Friderici* MARGARETAM Filiam *Liupoldi* Ducis Austriæ „duxit Uxorem: & *Heinricus* Filius *Liupoldi* Ducis *Agnetem* „Filiam Landgravii de Thuringia duxit Uxorem.' Pariformia habet Chronicon *Augustanum*, addens, hac in solemnitate propter frequentiam Populi circiter XL. Personas, inter quas quidam Prælati, Monachi, & Clerici erant cum aliis oppressi, occubuisse, tristi sanè præsagio, si tum homines intellexissent, Matrimonii, ut erat, multipliciter inauspicati. Cæterùm *Abbas Ursper-gensis* penitus falsus est in nomine, dum tradidit. „*Henricus* „VII. Rex Romanorum effectus, AGNETEM, Filiam *Liupoldi* „Ducis Austriæ, accepit in Uxorem de Consilio Patris sui *Frideri-*„*ci* Imperatoris.'

Margareta Filia Leopoldi Ducis nubit Henrico Romanorum Regi.

Et Henricus Filius Agneti Thuringicæ.

XVIII. Chronicæ, *Australis*, & *Neoburgensis*, ad ANNUM 1222. una eadémque hæc phrasis est. „Rex *Heinricus* juvenis, Filius Imperatoris *Friderici*, Filiam Ducis Austriæ & Stiriæ, & Dux Austriæ nomine *Henricus* Sororem Landgravii Duringiæ „duxit Uxorem. Multi in ipsa solemnitate præ multitudine op-

„pressi

Constantia Filia despondetur Marchioni Misnensi.

, pressi perierunt. Filio Marcravii de Meissen Filia jam dicti Du- , cis est desponsata. ' Ubi *Constantiæ* quoque, alterius *Leopoldi* Filiæ, Sponsalia cum *Henrico* Misniæ Marchione addiscimus. Porro *Ortilo* noster Nuptiarum hoc anno nullam penitus mentionem ingessit, *Margaretæ* Connubium Augustum postea solùm, tanquam jam antea factum, insinuans, dum ejusdem Coronationem Regiam commemorat. *Henrici*, natumajoris Filii Ducis nostri, Nuptias planè silentio involvit: uti & *Constantiæ* sponsalia undique subticuit. Agebat verò *Margareta*, dum nuberet, Annum vicesimum primum, quippe nata, teste *Ortilone*, IV. Id. Aprilis Anno MCCV. *Henrico* Fratri ejus, qui genitus est *Leopoldo* Duci XV. Cal. Junii An. MCCVIII. obtigit *Agnes* Filia *Hermanni* Landgravii Thuringiæ: quæ à *Suntbemio* perperam appellatur *Richza*, & in *Altahensi* Narratione Genealogica quorumdam Bavariæ Ducum *Sophia*. Quibus Nominibus, ait *Hoffmann.* Stemmatol. Babenb. p. 60. Chronica, tam *Mellicense*, & *Neoburgense*, quàm etiam Thuringica, manifestè reclamant. *Constantia*, Filiarum *Leopoldi* nascendi ordine tertia, & in hanc lucem edita prid. Non. Maji An. Mccxij. agebat hoc Anno in Autumno annum Ætatis decimum quartum; neque simul cum Sorore *Margareta* in thalamum *Henrici* Misniæ Marchionis inducta, sed annulo pronubo in eundem duntaxat conducta fuit, multò seriùs ingressa. Sed relicta Junone Pronuba, de aliis videndum.

Leopoldus constructo sibi novo Palatio, veterem in Curiam PP. Carmelitas inducit.

XIX. Tradiderat *Birckenius* Specul. *Fugger.* Honor. Austr. p. 176. Sereniss. Ducem nostrum *Leopoldum* novas Viennæ Ædes Palatinas, in quibus ipse & Successores residerent, eodem in loco, quo nunc Augusta Cæsarum Palatia visuntur, primùm construxisse, veterémque Ducalem Curiam, ab *Henrico* Avo suo erectam, in Sacram ac Regularem Domum convertisse, quam incolendam Devotis Reverendisque Patribus, de Monte Carmelo dictis, perpetuò donaverit sub annum 1225. Hoc assertum, quod sine congruo teste non facilè ab Eruditis acciperetur, gravi nunc testimonio confirmat *Ortilo* noster, ajens ad hunc Annum: // Iterum idem Dux Wienne instituit Patres de // Carmelo. // Vixit ibidem laudata Sacerrima Familia, DEOque perdevotè famulata est ad usque *Ferdinandi II.* Augusti Piissimique Monarchæ tempora. Hic illam in Urbe Domum, inque foro sitam, quod adhuc *Aula*, sive *Curia* dicitur, vernaculè *am Hof*, in Domum Professam Almæ Societatis, quæ Sanctum JESU Nomen fert, illudque omnem in Mundum Virtute simulac Scientia deportat, clementissimè commutavit, sacra Carmeli Religione propterea non sublata, sed in suburbium, à *Limo effosso* nomen habens, eo pacto translata, ut Novas ibidem

idem Ædes, Munificentiâ Augustâ constructas, novo Regularis vitæ usui consecraret.

XX. „His pariter diebus LEUPOLDUS Dux Austriæ, con„sensu *Ludovici* Ducis Bavariæ, construxit Castrum in *Scha*„*erding*, perhibente Chronico *Augustano*. Cui *Bernardus Noricus*, itemque *Thomas Haselbachius*, uterque in Chronico Austriaco, consentiunt, ita tamen, ut posterior hac phrasi, loquens de Duce nostro, utatur. „Ipse Princeps Pacis adeo ex„stitit, quòd & extra terminos Austriæ Castrum *Schereding*, im„mo veriùs in Metis sui Dominii Castrum *Newburch* prope „*Schaerding*, consentiente *Ludovico*, Filio *Ottonis*, Duce Bawa„riæ ex novo erexit.‘ Verumtamen his præcipuè cum verbis: *Immo veriùs in Metis sui Dominii Castrum Newburch prope Schaerding*: è diametro pugnat sequens paragraphus Cl. *Hansizii* Metr. Laur. p. 369. fundamento Diplomatico subnixus, ubi loquens de *Gebbardo* Episcopo Pataviensi, scripsit. „Quò ve„rò Pataviæ Civitati ab invasione hostili caveret, salubri consi„lio, inter eum & Ducem Bavariæ convênit, ne sinerent ædifi„cari Loca Castri *Niunberch*, neque ea, quæ sunt à *Graben* us„que Pataviam. Id actum in præsentia Archiepiscopi Salzbur„gensis apud Straubingam MCCXXV. Testes idem Archiepis„copus *Eberhardus*, *Henricus* Episcopus Aichstetensis, *Walthe*„*rus* de Tannberg.‘ Paria ab eodem Celeberrimo German. Sacr. Chronographo tradita leges Tom. II. in Metr. Sal. p. 326. desumta ex Metrop. *Hundiana* in Gebhard. Patav. Quæ si ita se habeant, non solùm verius non est, sed planè falsum, à Duce nostro *Neoburgum* ad Oenum fluvium permissu Bavariæ Ducis conditum fuisse. Exstructionem verò *Schardingæ* proximæ Urbis, cum adsita arce, à *Leopoldo* nostro factam, etiam *Vitus Arnpeckius* in Chron. Bavar. ad h. a. apud Cl. *Bernard. Pez*, Anecd. III. Part. III. col. 265. affirmat: ita tamen, ut hoc de Munitione accipiatur. Ambæ siquidem Urbes *Neoburgum* atque *Schardinga*, uti lego apud *Prevenhueber*. Tom. I. p. 395. attinuêre quondam ad Comites *de Pütten*: quorum ultimo *Eckelbrechto* defunctô, lis erat *Otocaro* Stiriæ, & *Leopoldo VI. Virtuoso* Austriæ Duci de Hæreditate. Qua composita huic *Neoburgum*, illi *Schardinga* cessit, cum toto deinde Ducatu Stiriæ pariter ad *Leopoldum* devoluta. Sed ambæ postea Urbes, durante Proscriptione *Friderici Bellicosi* Ducis, Bavariæ accreverunt.

Idem Schardingam communivit, non verò Neoburgum ad Oenum.

XXI. Postremum Cl. *Hueber*. apud Sodalem suum Cl. *Bern. Pez*. Cod. Diplom. Epistolar. Part. II. p. 76. n. CXXVII. ex Autographo profert Literas D. *Conradi* Cardinal. Ep. Portuensis & Legati Apostolici, datas Cœnobio San-Crucensi: quibus confirmat Laudum, hoc inter, aliúdque incerti Nominis Monasterium, à Du-

Celebratione Laudi de S. Cruce,

à Duce nostro paulò antè celebratum. Subsignantur eæ hunc in modum: *Data apud Sanctam Crucem Anno MCCXXV. Kalendis Aprilis.* Rubrica porro hujus Transumti ita quidem habet. „*Conradus* Episcopus Portuensis confirmat Compositio„nem Litis inter ipsum, & Abbatem Monasterii S. Crucis, per „LEUPOLDUM Austriæ Ducem super quibusdam possessioni„bus & decimis factam.„ Scribitur præterea ipso in Transumto Chartæ. „Igitur vestris justis precibus inclinati, Compo„sitionem Litis, quæ *inter Nos* ex una parte, & --- Abbatem „& Conventum ex altera, factam per Nobilem Virum LEU„POLDUM Ducem Austriæ de communi consensu partium, „prout in publico Instrumento ipsius Ducis pleniùs continetur, „--- confirmamus.„ Quis verò non videt, errore transcriptas esse voculas, *quæ inter Nos ex una parte*, atque certissimè legendas, *quæ inter Vos?* Unde etenim Legato Apostolico Cardinali extero Possessiones ac Decimæ in Austria, de quibus cum S. Cruce litigaret? Improvidè ergo Rubricæ hujus Instrumenti insertæ sunt particulæ, *Litis inter ipsum & Abbatem Monasterii S. Crucis.* Aliud potiùs Monasterium, cum quo Crucenses disceptaverant, exprimendum erat: cujus verò Nomen vel in Autographo legi non poterat, vel in Transumto omissum est. Sed etiamsi mendum hìc cubet, id saltem tutum ex hac Charta videtur, Sereniss. Ducem nostrum celebratione Laudi gemina sibi Cœnobia denuo obstrinxisse.

aliósque Cœnobio benè meruit.

Annus 1226.

XXII. FRidericus Imperator Longobardis erga se minùs devotis iratus, in eos ex Apulia ipse movens, Ditionis quoque Ecclesiasticæ subditos, tanquam sui essent, mandatis pœnisque intentatis, sua sub signa cogere voluit. Invito autem ad hæc Pontifice, qui bellum non inter Christianos, sed ab his adversum paganos instrui totis viribus curabat, suisque subditis mandata aliena plena cum potestate dari indignè ferebat, graves Cæsari literas dedit. Quibus hic nihilo leniores reposuit primum: deinde verò indignationem Ecclesiæ veritus, paciatiori epistola emendavit, Pontifici quoque Arbitrium ac Laudum permittens, se inter & Lombardorum societatem celebrandum. Videbatur autem Imperatori nulla major opportunitas, refractarios ad officium revocandi, quàm congregatis nunc undique, propter Expeditionem Orientis, tam in Germania, quàm in Sicilia, maximis exercitibus, classibúsque instructis: quorum facilis in Adversarios usus, & victoria foret. Quapropter Filium *Henricum* Regem, ac Principes Imperii, è Germania in Italiam advocavit, obtenta Colloquii necessitate de modo Imperium administrandi, se Palestinam adeunte, & quo nume-

Fridericus Cæsar offendit Papam bello Longobardico.

Cujus tamen Arbitrium ei postea commisit.

Longobardi Filium Cæsaris *Henricum* ab Italiæ accessu prohibent.

numero, ordine, apparatu, cuperet esse Exercitum Germanorum, secum in Saracenos iturum. Attamen Longobardi, quod verè res esset, facilè subodorati, nimirum adducendos à Rege, atque Principibus, Milites per Imperatorem in se eductûm iri, Alpium transitus cautè munierunt: ut adeò Rex *Henricus*, præclusâ sibi viâ, cum comitibus omnibus reverti, insalutato Patre, cogeretur. Quæ Res Cæsari iram gravem, longámque, adversus Italos omnes, etiam Pontificem, & Ecclesiam concitavit.

XXIII. Inter Comites verò Regis Generi sui etiam fuisse *Leopoldum* Ducem nostrum, hìc *Ortilonis* paragraphus clarissimè pandit. // An. MCCXXVI. Dux LIUPOLDUS cum Rege *Hain-* // *rico* in Italiam proficiscitur ad Imperatorem. // Sed quæ sequuntur, tristia sunt, immo nefaria, videlicet: // Interea *Hain-* // *ricus* Senior Filius suus, malorum consilio seductus, arma sumit, & Castrum Haimburgum occupat, cum injuria Dominæ *Theodoræ* Matris, quam violenter expulit. // Consentiunt, idémque hoc facinus detestantur plura Chronica Patria, *Augustanum* similiter, ac *Salisburgense*: quorum prius Patrem inter ac Filium *Guerram ortam esse super hæreditate* affirmat, *quæ tandem mediantibus Majoribus Terræ ad concordiam revocata sit.* Prolixiùs *Areupeckius*, sed in multis à vero aberrans. „*Hainricus* Crudelis, homo furibundus, *Leopoldi* Ducis Austriæ & Stiriæ secundus Filius, habitavit in Castro Medling, & dictus fuit *Dux Hainricus de Medling.* Possedit bona & dominia subtermontana cum suis attinentiis, quæ olim *Heinricus de Medling* Senior, & *Heinricus de Medling* Junior, Patrui sui, possederant, & cœpit eadem gubernare adhuc vivente Genitore suo. - - - Anno Domini 1226. *Hainricus de Medling* insurrexit contra Patrem suum *Leopoldum* Ducem, consilio iniquorum. Clam ademit sibi Oppidum & Castrum Haimburgam, & Dominam *Theodoram* Genitricem suam cum suis Virginibus irreverenter è Castro eodem expulit. Et Dux *Leopoldus* Genitor ejus idem Castrum in brevi recuperavit. Deinceps idem *Heinricus* sæpe multúmque Vitæ, & bonis Patris, ac Matris, insidiabatur: sed Altissimus eos in omnibus Viis custodivit ab eo. - - Anno 1227. Dux *Hainricus Crudelis de Medling* tribus annis ante Patrem suum mortuus est &c."

Iverat illi Comes *Leopoldus*: Cui Filius *Henricus* interea domi rebellabat.

XXIV. Fallit hoc totum in eo maximè, quòd *Henricum* istum, nostri Ducis Filium secundò genitum, sed nunc *Leopoldulô* defunctô natumajorem, appellet *Ducem de Medling*, dicátque, Bona ea sub-montana possedisse adhuc vivente Patre, quæ tenuerat *Henricus*, Frater *Leopoldi* VI. Ducis, nostríque Clementissimi Principis Fundatoris Patruus: item Filius ejus pari-

Perperam hic ab aliquibus scriptus *Dux de Medlico*.

ter *Henricus*, uterque *de Medling* dictus. Horum enim primus cùm An. 1223. obierit, succedente sibi Filio, qui adhuc Anno 1232. S. Cruci geminas Chartas expedivit, & in una earum *Friderico* Duci Austriæ & Stiriæ, tertium in Annum jam gubernanti, omnem suam hæreditatem se transcripsisse fateatur, si sine prole decederet, uti constat ex dictis à me in Propyl. Elog. VIII. §. VI. n. 14. 15. liquidum utique est, *Henricum* nostri Ducis Filium, qui, ut infra patebit, ne quidem Annum 1228. vivendô emensus est, Medlingam cum attinentibus ditionibus nunquam tenuisse, & perperam omnino, pérque confusionem suis cum Cognatis, *Ducem de Medlico*, vel *Medling*, à nonnullis Scriptoribus Patriis dictum, fictúmque fuisse. Cui accedit non appariturum vel qualemcunque colorem insurrectionis adversus Patrem Matrémque, si *Henricus* eorum Filius *Medlingam*, unacum tot aliis Castris, *Neudorf*, *Salenau*, *Dreskirchen*, *Waltersdorf*, *Keiserſberg*, *Gumpoltskirchen*, quæ *Arenpeckius* inter *Henricorum* Medlingensium Senioris, Juniorisque Bona commemorat, possedisset. Quinimmo Medlinga, ac cætera mox enumerata Dominia, si vacâssent, *Friderico* potiùs tribuenda fuissent, tanquam Portio natuminoris, ex tota Hæreditate peculiariter segregata: dum *Henrico* Natumajori integer ipse Austriæ, immo & Stiriæ Ducatus, à morte Patris, esset obventurus. Sed, qui Uxorem anno priori acceperat, & hoc præsente prolem vel habebat jamjam, vel se propediem habiturum credebat *Henricus*, incongruum duxit, Familiam absque Dominio habere. Inde crediderim fuisse mali radicem, & adeò pronam Juvenis, annum octavum decimum necdum supergressi, licentiam, pravorum consilia sequendi: quibus longa sub pacatissimo *Leopoldi* Optimi Principis Ducisque sui Regimine totius Patriæ Quies fastidio fuit. Quare præcipiti, inconsulto, infrunitoque tumultu infelix hic Absolon Austriacum in Davidem prorupit, posthabitáque prudentia, quid subito initio posset, cogitavit, quem finem accepturus esset, minimè prospexit. Pater se ei Davidem, tam fortitudine, quàm benignitate exhibuit. Hamburgum quippe nullo negotio revindicavit, sed veniam delicti facillimè præbuit, meliùs forsitan acturus, si aliquantum severius: quo id saltem obtinuisset, ne Filius tam promptè iterum peccaret.

Occasio insurrectionis.

Facilè repressus, æquè facilem veniam obtinuit.

XXV. Quamvis autem tristi exemplo luculentè edoceretur, festinatas Filiorum nuptias Patribus plerúmque Cruces acerbas parare: nihilo tamen secius hoc anno etiam alteri Filio *Friderico*, Annum decimum septimum vix inchoanti, Dux noster Conjugem dedit. De hac porrò jam hodie ingens Disceptatio. Et primùm quidem Chronicon *Mellicense*, has *Friderici* Nuptias longiùs differens, hoc demum anno *Margaretæ* cum

Fridericus alter Leopoldi Filius nubit Gertradi Brunswicensi, statim defunctæ.

cum Rege *Henrico* connubium ſtatuit, item *Henrici* Auſtriaci cum *Agnete* Thuringica Hymeneum. Sed hic calculus ex iis, quæ hactenus cum Auctoritate enarrata ſunt, æquo tardior facilè deprehenditur. Chronica interim, *Auſtrale*, *Neoburgenſe*, *Leobienſe*, una phraſi ad AN. 1226. aſſeverant: „FRIDERICUS „Filius Ducis Auſtriæ in Brunswick nuptias celebravit.„ Contra verò Chronographi, *Salisburgenſis* apud Cl. *Pezium*, itémque *Auguſtanus*, paritérque *Stero*, ſi ab hoc alius fuerit, hujusmodi ſententiâ conſonant. „FRIDERICUS junior Filius Du„cis (Leopoldi) duxit Sororem Reginæ Hungariæ.„ Quoniam autem peregrinum eſt, Nuptias cum Sorore Reginæ Hungariæ in Brunswick celebratas eſſe (putabantur enim utrique laudati Scriptores de uno duntaxat Connubio, quia eodem anno, locuti) viſum eſt Cl. *Puſchio* Chronographo Stirienſi, forſitan per Librariorum errorem *Brunswick*, quod eſt in Weſtphalia, locò *Bresburgck*, quod eſt Poſonium Hungariæ, irrepſiſſe: cui aliquatenus favere videretur textus Anonymi *Leobienſis*, apud quem legitur *Braunsberck*, non infimo argumentô nominis, in Autographo malè affecti. Sed opinionem hanc iterum turbant *Haſelbachius*, *Suntbemius*, *Arnpeckius*: qui quaſi omne dubium ſubmoturi, nihil hæſitantes tradiderunt, nuptam eſſe *Friderico* noſtro *Gertrudem Ducem Brunswicenſem*, *Cognatam Reginæ Hungariæ*. Quo pacto geminas unius *Friderici* Uxores audacter in unam conflârunt.

Deinde Sorori Reginæ Hungariæ.

Quod geminû connubium, cùm unicum putaretur, uxorum confuſionem induxit.

XXVI. Vir porrò Jll. D. *Eckardus* jam olim AN. 1716. toto ingenii ſui conamine inſurrexit, deditâ operâ Confutationem vernaculam communis opinionis, quaſi *Fridericus*, Babenbergicorum Auſtriæ Ducum poſtremus, Maſculam Stirpem ſuam cum Conjuge Brunswicenſi infœcunda concluſerit, in publicum edens, & ſententiam iſtam, ab ovo excuſſam, refellens, penitúsque falſi, quod ſibi videbatur, convincens. Argumenta ejus, in 4. Chartis compreſſi characteris, per conglobata Scriptorum teſtimonia operosè profectò & eruditiſſimè deducta, compendio ſic habent. *Fridericus* Auſtriacus AN. 1226. primo connubio conjunctus eſt Sorori Reginæ Hungariæ. Hac deinde repudiata, AN. 1229. duxit *Agnetem* Duciſſam Meraniæ. Quam cum AN. 1235. iterum dimiſiſſet, thorus tandem illius patere poterat conjugi cuidam Brunswicenſi. Sed, præterquam, quòd nemo Scriptorum tertias ejuſdem Nuptias, quas vel ipſa bella eidem vetuerant, commemoret, inſuper eo temporis nulla in hac Domo exſtitit, quam ducere potuiſſet. Tres enim, non plures, illo Seculo fuêre Duces Brünswicenſes, quibus Filiæ fuerint, *Henricus Leo*, Filius ejus *Henricus* Palatinus Rheni, ac denique *Otto* Nepos ex Filio *Wilhelmo*. *Henrici* autem *Leonis* Filiæ, quinque vel ſex numerô, jam omnes tunc fato conceſſerant.

Jll. Eckardi vehemens contentio, Friderico nullam Ducem Brunswicenſem nupſiſſe.

Natæ geminæ *Henrici* Palatini suos habuêre Maritos alios. *Ottonis* demum Filiæ quinque teneriores, quàm ut nuberent, illis annis fuêre. Quibus omnibus accedit, Saxonicos, & Brunswicenses Chronographos, in Recensendis Filiabus Brunswicensibus, earúmque Nuptiis diligentissimos, Austriaci cujusdam Connubii ne minimum quidem alicubi vestigium insinuâsse. Sic Vir Jllustris nostrorum temporum: præ quo tamen *Ortiloni* nostro sinchrono auscultare oportet.

Refellitur. XXVII. Hic, enarrata *Henrici* Senioris Filii iniqua in *Leopoldum* Ducem nostrum insurrectione, ejusque facili per Patrem repressione, illico addidit: // FRIDERICO alteri Filio Uxorem // dat GERTRUDEM de *Brunswich*, sed altero mense defunctam. // Consonant hæc cum iis, qui *Fridericum* nuptias in *Brunswich* fecisse, item, qui *Gertrudem Ducem Brunswicensem* eidem nuptam esse tradiderunt. Præterea cum Lapide quoque sepulchrali, qui esse in Capitulo S. Crucis Austriæ à *Jongelino* in Notit. Abbatiar. Cisterc. & à *Sartorio* in Cisterc. bis tert. commemoratur, ita inscripto. *XV. Cal. Maij obiit GERTRUDIS de BROUNSCHWICH Ducissa Austriæ & Stiriæ.* Exactiùs insuper cum *Necrologio* nostro Domestico sic habente. *XV. Cal. Maij Domina GERTRUDIS Ducissa de Prunswick, FRIDERICI Duc. A. & S. Uxor prima statim defuncta.* Addam, post hæc omnia, *Decade* sequenti §.° I.° paulò post initium, *Ortiloni* nostro alium adhuc Testem, æquè gravem & sinchronum, ut ipse est: quem verò hoc statim loco adducere Rerum concinnitas vetat. Hæc porro tanta Testimonia si novisset D. *Eckardus*, puto, eisdem tanto animo contradicere ausus non esset, ideo duntaxat, quia in Genealogiis Brunswicensibus nullam Dominam ipse reperit, quæ *Friderico* nostro nubere potuisset, & quia nemo scriptorum Saxonicorum ac Brunswicensium has Nuptias Austriacas commemorat. Fateor equidem, quo Patre D. *Gertrudis*, nupta *Friderico*, fuerit, me deprehendere nullibi potuisse. Probè interim novi, maximè in Genealogiis, etsi non optimè, usuvenire, ut infantes Filii ac Filiæ, quósque Adolescentia Mundo jam eripuit, immo Nupti Nuptæque, statim verò morte dissoluti, perfrequenter exigua cum Religione omittantur: quasi hujusmodi in flosculis, tam citò decoctis, nullum suæ Stirpis Momentum interfuisset. Quod quidem prudentes suffragio nullo dignantur.

Genealogi notantur indiligentes in personis haud satis adultis adscribendis.

XXVIII. Silentium Scriptorum Saxonicorum ac Brunswicensium istis de Nuptiis quod attinet, cùm eæ tam breves fuerint, nulliúsque Posteritatis, & insuper decumani postea sub *Friderico* Austriæ tumultus Nomen ejusdem apud facilè malorum credulos multâ calumnia laceraverint: non adeò mirum, si

Silentium Scriptorum ubi fortiùs, infirmiúsque probet.

ſi Connubium, ſpe atque optata felicitate deſtitutum, Chronographorum Brunswicenſium calamo, ſive oblivione, ſive neglectu, vel etiam dedito ſtudio adhæſerit. Fortiùs currit, urgetque argumentum, à Silentio Scriptorum repetitum, ſi Res admodum inſignes, illuſtres, memoria præ cæteris dignæ, diu prætterea oculis hominum ævo ſuo obverſatæ, & in quarum notitiam magni momenti utilitas vertebatur, à ſinchronis aut ſubæqualibus Scriptoribus omnibus taceantur. Illa verò Acta, quæ diverſarum inter Provinciarum Familias, aut Principes intercesſerunt, ſi ab una quidem Compartium diligenter adnotata, ab altera verò, cui minùs utilia fuêre, nullas in tabulas domeſticorum illata ſint, non continuò, celebrata nunquam fuiſſe, inferre prudentibus licet. Hæc ego Viro Illuſtri *Eckardo* breviter oppono: quem præcipuè fallebat, quòd exiſtimaret, *Fridericum* Auſtriacum omnium primam duxiſſe Conjugem, ſive ſororem, ſive Neptem, aut quomodocunque Cognatam *Gertrudis* Reginæ Hungariæ, quæ erat Filia *Bertoldi* IV. Meraniæ Ducis, & An. 1213. à Banchano Comite Hungarico occiſa fuit. Hac prima porrò repudiata, altero loco Propinguam ejus iterum ſibi conjunxiſſe *Agnetem*, Filiam *Ottonis* Meraniæ Ducis. Poſtquam verò & hæc diſplicuiſſet, ſcripto illi repedii libellô, tertiis tandem Nuptiis, nec ante Annum 1236. Brunswicenſem aliquam ſponſam quærere potuiſſe. Sed fide *Ortilonis* noſtri, qui litem hanc optimè conciliat, prima *Friderici* Conjunx *Brunswicenſis* erat: quæ tamen ſecundæ de Cognatione *Reginæ Hungariæ*, mox altero Menſe obeundô, locum fecit. Unde propter feſtinatam Hæredis Maſculi ſpem Nuptiæ Principis noſtri eundem intra Annum repetitæ fuerunt: ut falſi habendi non ſint Chronographus *Salisburgenſis*, *Leobienſis*, *Auguſtanus*, ad Ann. 1226. hoc Connubium cum Sorore, aut Nepte *Reginæ Hungariæ* recenſentes, quamvis primum *Brunswicenſe*, adeo brevis lætitiæ, diſſimulaverint. *Ortilo* de iſto nos commodiſſimè edocens, ſiluit ſecundi Conjugii Solemnia, tum demum Conjugem alteram *de Hungaria* commemorans, dum eidem An. 1229. Repudium datum enarrat, uti poſtea audiemus.

Fridericus bis nupſit uno anno.

XXIX. Dux porro Fundator noſter *Leopoldus* novum Beneficentiæ ſacræ elogium ad hunc Annum accepit ab A. R. P. *Sigismundo Ferrario* Incliti Ord. Prædicatorum Hiſtoriographo Viennenſi in Chron. Ord. S Domin. Cap. II. de Reb. Provinc. Hungar. ubi ait. „ Anno Domini 1221. obiit B. P. N. *Dominicus*. Poſt „ cujus mortem An. 1226. Glorioſus Princeps LEOPOLDUS „ Auſtriæ Dux Ordini hunc Conventum dedit: & paulò poſt „ Fratres noſtri circa quintum Annum à tranſitu B. *Dominici* „ inceperunt hunc Conventum inhabitare. Anno verò à Confirma-

Leopoldus Dux RR. PP. Prædicatoribus Viennæ, ac Cremſii, Conventum dedit.

„ firmatione Ordinis decimo (nam Ordo fuit confirmatus Anno „ 1216. ab *Honorio*) Primi Fratres præsentis Conventus assumti fuerunt de Provincia Hungariæ, sicut in Antiquissima quadam Historia reperitur. In qua etiam continetur, quòd An. „ Dom. 1225. completo sit nobis datus præsens Conventus *Viennensis*: & ipse LEOPOLDUS fuit penultimus Dux Austriæ & „ Stiriæ de semine S. *Leopoldi*. Qui etiam Conventum Fratribus nostris in *Cremsa* dedit, ex isto Conventu Viennensi assumtis.' Hanc ego piam novámque Serenissimi Principis Liberalitatem ea fide, qua accepi, quia securiùs asserere nequeo, memoriæ consigno. Addere autem lubet, à Cl. *Puschio* Part. II. p. 245. referri, hoc pariter, vel certè proximo quopiam Anno, Græcii ad Portam Muranam cœpisse Conventum Seraphicum Fratrum, Judenburgi verò alterum Sororum Clarissarum. Horum ad initia utrùm nihil omnino contulerit Beneficentia *Leopoldi*, quæ vix piam aliquam causam, eamque publicam, sine se agi sustinuerat, admodum ambigo. Certè cùm Princeps Terræ existeret, insalutato saltem eo, & benignè annuente, novæ Domus Religiosæ excitari nequiverunt. Quod ipsum concessisse, jam benefecisse fuit.

Domina *Theodora* fundat Lumen perpetuum Cl. Neoburgi ad sepulchrum Filioli sui *Leopoldi*.

XXX. Domina *Theodora* Serenissima Fundatrix nostra, cujus nobis in Chartis memoria hucusque ne semel quidem occurrit, hoc demum Anno per Chartam Capitularem *Cl. Neoburgensem* à pietate in Filiolum suum *Leopoldum*, & Beneficentia in Canoniam illam Celeberrimam commendatur, Autographo transcripto per Cl. *Hueberum*, & evulgatò per Cl. *Bern. Pez.* Sodales olim Mellicenses Cod. Diplom. Part. II. p. 77. n. CXXVIII. Tenor ferè hujusmodi est. „ Noverint tam præsentes, quàm futuri, quòd Domina nostra THEODORA, Ducissa „ Austriæ & Stiriæ, quoddam Predium in *Niusidel*, quod ab Ecclesia „ *Niumburgense* fuerat obligatum, viginti talentis redemit, & „ illud, cum Consensu totius Capituli, Custodiæ (i. e. Sacristiæ) „ ejusdem Ecclesiæ delegavit: ut inde Custos Lumen indeficiens die ac nocte ministret ad Sepulchrum *Filii* ejus in Capitulo quiescentis.' In Testibus legere licet omnes ferè tum temporis Canonicos Gremii Cl. Neoburgensis, hósque inter etiam *Chunradum de Lielinvelde*. Subsignatio ita habet: *Acta sunt hæc Anno ab Incarnatione Domini M. CC.XXVI. Indictione Quinta decima*: sed legendum XIV."

Initium Peregrinationis Cellensis.

XXXI. Minimè demum hic mihi prætereundum fuerat, quod Cl. *Puschius* ex æquè Cl. Sodale & Con-Socio suo *Bobuslao Balbino* advertit. Nimirum, ut iste habet in Epitom. Rer. Bohem. p. 254. præsentem circa Ann. 1226. habita Historiæ justa ratione, rectissimè statui Initia Pietatis Mariano-Cellensis in Stiria

ria ad publicum promotæ. Etenim *Henricus*, Filius *Theobaldi* Moraviæ Marchionis, Patri An. 1223. Znoymæ ſuccedens, & integro propè triennio paraliticus, in ſomnis à D. *Wenceslao* ſponſionem valetudinis recuperandæ accepiſſe refertur, ſi ad Ædes Cellenſes Virgineas, hucusque ignotas, peregrinationem devotam voveret. Idem porro dormienti etiam Conjugi ejusdem, par malum ſuſtinenti, ſuggeſtum eſſe. Qui dum ambo viſum noctis evigilantes invicem conferrent, votúmque nuncuparent, ſubitò convaluiſſe, ſe, aliisque omnibus obſtupeſcentibûs. Proinde iter præconceptum aggreſſos, Locúmque Vallis Cellenſis inter ardua Stiriæ juga tandem offendentes, ſolutis votis, ibidem Thaumaturgæ DEI-Parenti Eccleſiam curâſſe. Quæ, primi hujus prodigii fama exeunte, & accreſcente quotidie aliorum aliorúmque fiducia, majori ſemper concurſu fidelium frequentari inceperit. Hæc frequentia, in hanc uſque diem perpetuis incrementis proficiens, tandem effecit, ut longa Vallis, ante, ac poſt Campililium, ad usque Stiriæ fines, Cellásque Marianas, infinitis peregrinantium Cœtibus, ipſisque Auguſtis Cæſareis ac Regiis Majeſtatibus, Via jam Regia evaſerit. Cæterùm Religioſiſſimi Doctiſſimique Scriptores Domeſtici Benedictini è S. Lamberto in *Hiſtoria Cellenſi*, plures per Decades jam producta, iterum iterúmque tradiderunt, Marchioni huic *Henrico* Conjugem fuiſſe, vel *Agnetem*, vel *Chunegunaem*, aut Nomen utrumque ſimul ferentem, Filiámque *Henrici*, Senioris Auſtriæ Ducis Medlingenſis. Optâſſim verò, firmo id fundamento, fidem tutam faciente, aliquando conſtabilirent, quod eos poſſe non dubito. Neque enim alias, ſive per Chartam aliquam veterem non ſubleſtam, ſive per ſinchronum Scriptorem conſtat, *Henrico* Duci Medlingenſi, præter Filium *Henricum*, etiam Filiam aliquam fuiſſe.

Quæ Vallem Cámpililienſem transmutavit in Viam Regiam.

Henrico Seniori Duci *Medlingenſi* fuiſſe Filiam traditur, necdum probatur.

Annus 1227.

XXXII. ADerat iterum Annus ille, quo *Fridericus* Imperator Expeditionem Orientis ſe initurum tam ſanctè ſpoponderat, ut, ni faceret, ſe Anathematis reum habendum ipſemet conceptis verbis profiteretur. Interea nihil non egit *Honorius* Papa, ut omnia illa, quibûs Bellum hoc Sacrum impediri, aut retardari poſſet, amoveret: proficua verò ſingula modis omnibus præpararet. Impedimento non minimo futura erant Imperatoris diſſidia cum Lombardiæ Urbibus, itémque cum *Joanne* Rege Hieroſolymitano Socero ſuo. Urbes Italas proinde Papa in pacem ineundam, & adimplendam, ferendas præterea ad Expeditionem Sacram ſubſidiarias certo numero copias, vehementer impulit & perurſit. *Joannem* Solymarum Regem, quem coëgit Imperator, ut ſe Regno, ejusque jure,

Honorii III. Papæ Acta poſtrema, ut Expeditionem Orientis curaret.

re, penitus abdicaret, studuit *Honorius* eidem reconciliare iterum, inque pristinæ Dignitatis culmen revocare. Quod verò cùm irritum esset, adeo malè à Genero suo mulctatum, afflictúmque Regem, in magna saltem Patrimonii Ecclesiæ parte Custodem & Administrum constituit: ne nimis acerbè pœniteret eundem, quòd Pontificis maximè Consilio Filiam suam Cæsari desponderit. Sed hæc agens *Honorius III.*, tam Vita, quàm Doctrina egregius, maximè autem animo adversus Imperatorem, Promissa, immo & Sacramenta sua tamdiu extrahentem, semper tamen patienti, & mansueto, verè admirabilis, vivendi finem fecit xv. Cal. April. die Martii 18.[va] communibus Ecclesiæ lachrymis comploratus, posteaquam octo Menses, Annósque decem Summus in terris Pontifex audiisset.

Ejusdem Obitus.

Successit *Gregorius* IX.

XXXIII. Successor *Hugo* (ut apud nos in Bulla *Innocentii* Papæ III.[tii] cui Patruelis erat, subscripsit) aliis *Hugolinus* appellatus, Signiæ Comes Anagninus, ex Episcopo Cardinali Ostiensi ad Petri Cathedram assumtus, juxta Vaticinium S. Francisci Seraphici, die 19.[na] Martii, dictúsque *Gregorius IX.*[nus] non æquè comiter Cæsarem, datæ fidei pro Oriente incurium, sustinuit. Postquam enim Cruce signatos Germaniæ, & aliorum Regnorum, appropinguante condicto Expeditionis termino, in Siciliam advocâsset, Classe Cæsarea excipiendos, cúmque Imperatore, uti putabatur, Syriaca vela facturos: eosdem, juxta Chronicon *Cl. Neoburgense* 80. millibus censos, *Fridericus*, quasi ante eos iturus, in Apulia longo tempore sic detinuit, ut interea æstivi fervoris incendio, insueta Germanis ejusdem Regionis intemperie, insalubritate aëris, & ariditate sitis, magna pars non modò plebis, verùm etiam Nobilium atque Magnatum interierit: in quibus *Sifridus* Episcopus Augustanus, & *Ludovicus* Thuringiæ Landgravius. Reliquos autem dimissos tandem, quasi statim insecuturus, iterum fefellit: ubi portu vix benè solvens, infirmitatem causatus, hæsit primùm, mox deinde redivit, Legiones Crucis novas in mortes, magnámque egestatem inducens, ac tandem non solùm infecto, verùm ne tentato quidem Crucis negotio, redire domum compellens. Exarsit eapropter Pontifex, Cæsarémque ipso S. Michaelis Archangeli festo anathematis, quo seipsum, nisi in Palestinam hoc anno moveret, ultro devoverat, publicè reum fatali nigroque carmine declaravit.

Cæsar jusjurandum suum cum gravi Exercitus Cruce signati, atque præsentis damno iterum fefellit.

Eapropter à Pontifice Anathematis reus pronunciatur.

XXXIV. Præstò quidem sine mora fuêre Oratores Antistites, Imperatorem excusaturi. Verumtamen Papa, non semel antea ad *Fridericum* Legatus, quàm insigniter is, & simulare, & fallere noverit, usu proprio edoctus, ne quidem admittere Legatos, & audire consensit. Quæ repulsa Cæsari ansam præbuit,

Oratores ipsum excusaturi non admittuntur.

præbuit, apud omnes, & maximè Germaniæ Principes, querulandi, se à Pontifice præter, immo contra juris ordinem, præcipiti furore diris inustum esse. Poterant quidem Oratores non incongruè audiri, & auditi de pessumdatæ per Imperatorem universæ Sacræ Expeditionis iniquitate revinci. Sed auditos eos non esse, nihil in reatu Cæsaris emendat, maximè, cùm abundè, immo palàm apud omnes constiterit, quidquid excusationis Oratores afferrent, frivolum, & inutile fore. Res profectò gravis erat, infinitum quodammodo Populum Christianum deceptum esse, & omni Ecclesiæ fuisse illusum. Afflixit eos, qui in Oriente erant, spes plurimis annis dilata: qua nisi tam vanè lactati essent, aliter fortè, & meliùs rebus ibidem suis consuluissent. Qui in Occidente sumserant arma, Rem suam familiarem pro Christo postponentes, dispergentes, alienantes, tanquam pro Christo morituri: nunquid meritò indignabantur, infida Cæsaris pollicitatione domi quidem fortunam suam profligatam jacere, in Oriente verò Gloriam Crucis eapropter nehilo quidem promotam fuisse? quin potiùs magnam Christi Militum partem sub exspectationis inanis tempora siculo in litore contabuisse, haud secus, ac si cum Saracenis condixisset Imperator, ut Exercitum sacrum ad perdendum eum congregaret? Utrorumque dolor, & clamor, Pontificis aures lacerabat, eam de Cæsare vindictam postulans, quæ sumi de omnibus assolebat, quotquot Cruce aliquando signati, voti sui fidem fefellerunt. Levius aut nihil deliquisset *Fridericus*, si Crucem accepisset nunquam, vel, adductis prægnantibus causis, iterum dimisisset sua in persona ferendam. Nunc, cùm semel, iterum, ac tertiùm hoc iter Palestinæ juràsset, fidem tam sanctè datam nunquam eliberans, & insuper tam in Oriente militantes, quàm ex Occidente illuc tendentes, lachrymabili ruina involvisset: non potuit Pontifex crimen tam apertum, quod soli cæci non vident eâ pœnâ, quàm Cæsar sibi ultrò dictaverat, non ulcisci. Erupit itaque flamma: quæ in quantum incendium excreverit, anni sequentes deflebunt. Nihil quippe Pontifex profecit, literis Cæsarem exhortatus, ut è vestigio Ecclesiæ reconciliari satagens, funesta Dirarum vincula, quorum faber ipse sibi fuit, quibusque nunc tenebatur, iterum solvi posse curaret. Qua in Epistola *Gregorius* Imperatori non solùm Sacræ Expeditionis neglectum, sed multò plures adhuc alias culpas, ut eum compungeret, quod apud bonos fieri solet, malis è converso ampliùs excandescentibûs, ob oculos posuit, scribens, ut est apud *Raynald.* p. 343. n. 42. „Sicut enim „scire te credimus, contra Nos murmuratur, immo clamatur, „quòd Prælatorum exilium, Ecclesiarum, Hospitalium Orphanorum, & Viduarum, nec non aliorum Religiosorum spolia-

Expenditur Cæsaris delictum.

Meritò castigatum,

Pontifice eum frustra sanare cupiente.

, tiones, & alias atroces injurias, visi sumus hactenus sub dissi-
, mulatione transire.,

D. Margaretæ Reginæ Coronatio.

XXXV. Ante hæc tristia porro, currente adhuc Martio Mense, *Henricus* Imperatoris Filius Germaniæ Rex, teste *Godefrido* Coloniensi. , Aquisgrani veniens, celeberrimam Cu-
, riam cum Nobilibus totius Teutoniæ habuit Dominicâ *Judi-*
, *ca me*: inter quos præcipui erant, Salzburgensis, Mogonti-
, ensis, Trevirensis, & Coloniensis, Archiepiscopi: Austriæ,
, Bavariæ, Carinthiæ, Brabantiæ, & Lotharingiæ Duces, Lant-
, gravius Thuringiæ, *Ferrandus* Comes Flandriæ, qui per duo-
, decim ANNOS Parisiis in Captivitate à Rege Franciæ detentus fue-
, rat, & priori ANNO absolutus. Ibi etiam convenerunt alii
, quidam plures Episcopi, & Comites, & totius Teutoniæ Nobi-
, les: ubi à Coloniensi Archiepiscopo *Heinrico* Uxor ipsius Re-
, gis, *Filia Ducis Austriæ*, Regali Benedictione consecrata, &
, Coronata, in Sede Regia collocatur. ' Chronicon autem *Mellicense* ita habet. , *Heinricus* Filius Imperatoris *Friderici* apud
, Aach in Regem sublimatur: & Uxor sua *Margareta* unacum
, ipso Diademate exaltatur. ' Cui paragrapho si ad literam staremus, credendum foret, Regem pariter ac Reginam iisdem Solemniis unctos Coronam sustulisse. Adhæc Cl. *Hansizius* Metr. Salisb. p. 326. ita rem enarrat, quasi hoc ipso ANNO 1227. Wirceburgi Mense Martio *Henrici* Regis & *Margaretæ* Connubium, præsente *Eberhardo* Archiepiscopo Salisburgensi factum esset, paucisque postea diebus Aquisgrani Solemnia Coronationis, eodem Archipræsule denuo inspectante, peracta fuissent. Sed Regis Coronationem Aquisgrani per *Engelbertum* Archiepiscopum Coloniensem, qui nunc haud ampliùs in vivis erat, AN. 1222. factam esse, Nuptias verò ejus cum Primogenita Ducis nostri AN. 1225. Norimbergæ celebratas, ex antè dictis fide, ut opinor, neutiquam inficianda tenendum. *Ortilo* rebus istis ita testatur. // MCCXXVIJ. Dux LIUPOLDUS
//interest Coronationi MARGARETHE Filiæ suæ: quæ an-
//tea cum *Heinrico* Rege Nuptias fecit. // Quibus è verbis discimus, & Nuptias præcessisse Coronationem, sed indefinito per Scriptorem nostrum tempore, & solius Reginæ hoc anno per impositum Diadema solemnem inaugurationem susceptam. Videtur verò dies, quæ fuerat illa Dominica, in cujus introitu cantatur *Judica me*, quàmque dicimus *Passionis*, tacitum omen fuisse novellæ huic Reginæ, sub Corona spinas delitescere, nec longè postea ex Matre, nunc quidem Honorificata, fore illam probè contritam, compunctámque Matrem Dolorum.

XXXVI. Priusquam ad Coronationis iretur Solemnia, Rex Herbipoli commoratus, Waldsassensibus nostris, uti fidem facit

facit *Jongelinus* in Not. Abbat. Cist. L. III. p. 6. Privilegium dedit, subscripto in cæteris Testibus, præter *Eberhardum* Archiepiscopum Salisburgensem, etiam *Leopoldo Austrio* Duce nostro. Coronatâ postmodum Aquisgrani Reginâ, actóque jam Paschate, lætè in Germania volitabant Vexilla Crucis, sacræque in Orientem conductæ Legiones non minori animo, quàm numero in Italiam, Apuliámque moverunt, ignari videlicet, omnem exercitum suum ibidem, culpâ Cæsaris, noxios inter calores detinendum, & funestissimis cladibus objiciendum, sicque, ut ait *Godefridus* Coloniensis, *Electam hanc omnem cruce signatorum Expeditionem, ab omnibus mundi partibus motam, cassandam esse, ac dissipandam.* Peregrinum nonnihil interim est, commemorante *Raynaldo*, Pontificem Anagniâ ad Urbem reversum, Velitris ad *Leopoldum* nostrum Literas dedisse, quibûs ipsum ob ardentem Sacræ Expeditionis obeundæ zelum collaudans, in fidem suam & clientelam admisit. Hinc enim ferè colligas, Ducem nostrum rursus in Palestinam, & hoc non frigidis votis, cogitâsse: cujus tamen desiderii nemo nullus quorumlibet Scriptorum, quos viderim, quamcunque mentionem ingessit. Pateret res clariùs, si *Raynaldus* Epistolam Papæ, ex Regesto duntaxat Pontificio allegatam, conceptis verbis attulisset.

Leopoldus Dux an denuo in Palestinam cogitaverit?

XXXVII. In Stiria sua Princeps noster Autumnum ultimum, hyemisque initium certè transegit, chartarum geminarum suffragio. Harum primâ, subsignatâ *VII. Id. Novembr. in Foro Marchburch*, Gyriensi Carthusiæ veterem Fundationem omnem, & à se collatam Novæ Ecclesiæ, quam ipse construxit, atque per *Eckebertum* Episcopum Bambergensem dedicari fecit, recentem dotem confirmavit, adhibito in cæteris teste Filio *Friderico*, cujus & preces intervenisse commemorat. Alteram non ipse quidem, sed *Eberhardus* Archiepiscopus Salisburgensis expedivit apud *Graetz xv. Cal. Decembr*, professus in ea, se, unacum *Leopoldo* Austriæ ac Stiriæ Duce Laudum celebrâsse inter *Eckebertum* Episcopum Bambergensem, & *Bernardum* Ducem Carinthiæ; cui negotio inter Testes etiam *Henricus* Filius Ducis nostri fidem conciliavit.

Benefecit Gyriensi Carthusiæ.

Laudum celebravit.

Annus 1228.

XXXVIII. CUm Cæsar se nullius pensi habere præseferret, quòd Anno priori Pontifex denunciaverit, ipsum Anathematis reum suomet judicio existere, & nihilosecius Divinis, quasi non ligatus, interesset: contemtum hunc Clavium, & contumaciam, *Gregorius* districtiùs ulturus, in Coena Domini hujus Anni Romæ *Fridericum* solemniter ab Ecclesiæ communione proscripsit, comminatus eidem, ni resipisceret, exo-

Imperator solemnibus Diris proscribitur.

exoluturum se subditos omnes à sacramento eidem dicto, Regnique siciliæ feudum illi subtracturum esse. Causas in Literis ad varios adduxit: Quòd Imperator è concepto, & instaurato toties Voto suo, in Orientem non transfretaverit: fidem suam neque copiis, neque pecuniis illuc transmissis liberaverit: Tarentinum Archiepiscopum à Sede sua excluserit: Templarios & Hospitalarios Bonis mobilibus & immobilibus privaverit: Pacem cum quibusdam Comitibus, fidejubente ad suam petitionem Ecclesia factam, violaverit: *Rogerium* Comitem Cruce signatum spoliaverit, Filiúmque ejus in vinculis teneat: atque de his omnibus, tam Literis, quàm Legatis, ac Nunciis commonitus, & requisitus, nihil emendaverit. Prævidens porro Cæsar, ita futurum esse, ut factum est, potentiores quosdam è Romæ Primoribus, à quibus Populus præcipuè pendere solebat, auro conduxit, inque Pontificem commovit, qui se Frangipanes dicebant. Hi, dum Papa Paschalibus in Feriis Divina perageret, repentinis in Ecclesia clamoribus adversus eum pro Cæsare infrenduerunt, dicteriis, calumniis horridi, immo ad verbera, & vulnera proximi. Quare *Gregorio* Urbs jam tuta non erat: qua egressus, Perusium ivit. Ibi verò & ipse, quoscunque poterat, adversus Cæsarem conduxit, Legatô etiam in Germaniam submisso, qui Principibus eligendi novi Imperatoris consilium ingereret: at nullo fructu.

Romæ turbas concitat.

XXXIX. „*Fridericus* quidem, ut habet Abbas *Urspergensis*, condixerat Curiam Principum Alemanniæ in Quadragesima apud Ravennam: à qua verò similiter, ut aliàs, impeditus fuit Nunciis & Legationibus Domini Papæ.‘ Eò se etiam Dux noster *Leopoldus* contulerat, ajente Chronographo *Salisburgensi* ad h. a. „Electus Brixinensis in die Palmarum (XIV. Cal. Aprilis) apud Venetias ab Archiepiscopo Salzburgensi in Episcopum consecratur, præsentibûs Archiepiscopo Magdeburgensi, & *Duce Austriæ*, qui ad occurrendum Imperatori Italiam intraverant.‘ Ibi Principes, obnitente Pontifice, substiterunt. A quo etiam *Joannes*, quondam Jerosolymorum Rex, *Friderici* Imperatoris Socer, & ab ipso abdicare coactus, *Matheus* item, ac *Thomas* Comites, aliique de Tuscia & Lombardia, multis pecuniis conducti sunt, ut Labara Vaticana sequerentur? In his quia *Claves* Ecclesiæ depingebantur, etiam ii, qui hæc sub signa convolârunt, *Clavim* Veste deferebant, Exercitus Ecclesiæ dicebatur *Clave Signatorum*, uti Milites Orientis propter Crucem humeris affixam *Cruce signati*, observante *Raynaldo*.

Ravennæ Conventum Principum indicit, accedente etiam *Leopoldo* Duce,

Hunc Papa impedit, exercitu clave signatorum conducto.

XL. Redux ab Italia Princeps noster, cum *Henrico* Rege, plurimisque aliis, quà sacris, quà Laicis Principibus, quos omnes Chronica, *Augustanum* & *Osterbroviense*, perdiligenter enume-

merant, in Bavaria Torneamento solemni, sive Ludo Equestri interfuit Straubingæ, dum *Otto*, Primogenitus *Ludovici* Ducis Bojorum, balteo militari prid. Id. Maji ipso tunc Pentecostes festo die exornaretur. *Aventinus* multiplicia hæc solemnia facit, Patris etiam ac Filii Nuptias in hoc tempus constituens. Dux autem noster, qui ad Hilaria & Ludicra vocabatur, seriò postulatus fuit ad luctum, immo & mortem. Neque enim solummodo Chronicon *Australe*, cujus phrasin Chronographus *Cl. Neoburgensis*, qui est apud Cl. *Pezium* (nam Cl. *Hansizius* in Biblioth. Aug. Vindob. *Neoburgense* Chronicon longè aliud vidit) vel præconcepit, vel penitus nihil immutatum in plerisque omnibus Locis transcripsit, ita retulit: „Dux Bawariæ, „atque alii multi ex Nobilibus per Bawariam, LIUPOLDO „Duci Austriæ & Stiriæ insidias mortis parabant: quas tamen „per DEI gratiam sine læsione evasit.„ Verùm etiam Anonymus *Zwetlensis* apud Cl. *Hier. Pezium* I. col. 977. hoc eodem Anno sic refert: „HEINRICUS Ducis Austriæ Filius obiit. - - „LEOPOLDO Duci Austriæ & Stiriæ insidias Mortis parabat: „quas tamen per Gratiam DEI sine læsione evasit.„ Ubi Cl. Editor putabat, deesse fortè relativum *Qui*, ac proinde sensum Scriptoris esse, quòd *Henricus* Filius insidiarum Author exstiterit. Sed hæc eadem phrasis est, quæ Chronici *Australis*, & *Neoburgensis*, truncata solummodò prioribus verbis: *Dux Bawariæ, atque alii multi ex Nobilibus per Bawariam*: quæ Scriptoris calamo adhæsêre. Si namque de *Henrico* hoc dixisset Anonymus, utique adhibuisset pariter voces, *Patri suo*: neque Insidiatoris mortem prævię, sed postea recensuisset.

Leopoldus Dux in Bavaria vitæ periculum adiit.

XLI. Tutiùs itaque *Ortilonem* insequor, ita hoc anno narrantem. // Idem Dux in Straubinge vitæ periculum habuit: // sed protegente se DEO incolumis evasit. Putabant, hoc pro- // curâsse Filium HAINRICUM, qui inquietus erat. Sed in- // cidit in foveam, quam fecit, disponente DEO in pœnam // salutarem. Ipse enim hoc Anno ex morbo obiit multùm // contritus vj. Kal. Octobris. Ejus Animam Dux LIUPOL- // DUS Pius Pater - - - nostris Orationibus devotissimè com- // mendavit. // Criminis proinde intentati, ac parricidii, nisi culpam, certè invidiam inter homines iniit Filius Optimi Patris infrunitus, damno suo expertus, longævos non esse super terram, justo DEI judicio, qui Patri Matrìque, Vitæ suæ Authoribus, debitam ab utero honorem deferre contemnunt. Vixit infelix, alioquin tam Nobilis, inque tantam fortunam genitus Juvenis, à die 18. Maji Anni 1208. qua primam lucem aspexit, usque in diem 26. Septembr. An. 1228. qua illum infirmitas consumsit, Annos 20. Menses 4. dies 10. Relicta ab eo Filia unica *Gertrudis* multum Austriæ negotium, misera tamen

Henricus Filius ejus obiit.

men

men ipsa, aliquando factura erat. *Henrico* pietas, ut arbitror, Patris hanc è Cælo conciliavit gratiam, ut morbo lethali, ac morte præcoci, *in poenam*, quod ait *Ortilo* noster, *salutarem* corriperetur. Atque ideo ritè sperandum, quia donatum illi desuper, ut *multùm contritus obiret.* Quæ spes impulit Patrem, ut à nostris Orationum suffragia pro Filio tantò devotiùs imploraret. Et quamvis diffiteri nemo ausit, eundem sive *Mali*, sive *Crudelis* cognomentum tam sepulchro secum intulisse, quàm impressisse Annalibus: multùm tamen ab Fama ipsa parcitum videtur Patris Optimi Virtuti, cujus immortalia Merita quia tubam illius totam impleverant, segniùs inde Filii flagitium insonuit. Erant è Recentioribus, uti Cl. *Puschius* legerat, qui tradebant, *Henricum* in Bohemia exulem discessisse: quod non arbitror. Sepulchro eundem apud Cl. Neoburgenses illatum, *Arenpeckius* ex Tabulis illius Canoniæ Domesticis asseveravit: quia fortè ibidem, aut in Loco viciniore decessit. Obitum ipsius *Necrologium* quoque nostrum vj. Cal. Octobris consignat.

Henricus Rex Leopoldo Privilegia Austriæ confirmat, & auget.

XLII. Dux Parens *Leopoldus* Aulam *Henrici* Regis mense Augusto insecutus, variis è Literis comprobatur. Quarum certè principes erant, quas Regius Gener Duci Socero, & omnibus in Austriæ Regimine sibi successuris, hoc potissimum tenore concessit, ut vetera omnia Privilegia confirmaret, idque novissimum, neque parum excellens adjiceret, posse eos deinceps Pileum suum Ducalem Regalis Coronæ Diademate, seu Circulo Aureo exornare. Quod nonnullis ansam præbuit scribendi, *Leopoldum* vel creatum Regem, vel saltem ejus creandi Consilium fuisse. Vulgavit hoc Regium Diploma *Arenpeckius* in Chron. Austr. apud Cl. *H. Pez.* I. col. 1207. sqq. ita subsignatum: *Acta apud Ezlingen Anno Dominicæ Incarnationis MCCXXVIII. XII. Cal. Septembris Indict. prima.* Post illum evulgârunt alii. Non desunt autem, qui suppositum illud, sublestúmque cavillentur, eò maximè, quòd vetustissimorum Imperatorum apud Quirites, suis Austriam præconiis & privilegiis extollentium, ibidem non modò memoria fiat, sed etiam Literæ eorundem Regi à *Leopoldo* citra læsionem exhibitæ referantur. Ego sensum de hoc meum jam in *Propyl. Elog.* IV. quod est *Ernusti Strenui*, à n. VIII. exposui. Alii porro, qui volunt, de hoc ad ravim tricentur. Satis est, Austriæ Pileum Regiis pinnis, & Arcubus, ipsáque pariter Cruce, in summo imposita, rutilare.

Dux Privilegiis geminis testatus.

XLIII. Interim iisdem in Comitiis Eslingensibus Princeps noster *II. Kal. Septembr.* Nomen addidit Privilegio *Henrici* Regis pro Monasterio Adelbergensi Ordinis Præmonstratensis: quod

quod *Christoph. Besoldus* in Document. redivivis Monasterior. Wirtenberg. p. 29. exhibuit. Præterea eodem in Conventu solemnibus Literis *Ludovici* Bavariæ Ducis pro Monasterio Altahensi Bavariæ Benedictino Testem egit post ipsum Regem: uti apud *Hund.* Metr. Salisb. Tom. II. p. 21. in *Additionib. Gewoldian.* legere licet. Conservat quoque Ducis nostri memoriam in Monument. Sand-Hippolytan. vetusta quæpiam sinchrona Membrana, ita inscripta. *Anno MCCXXVIII. dedicatum est hoc Monasterium à Venerabili Pataviensis Ecclesiæ Episcopo* Gebhardo. *Eo tempore* Gregorius *Papa VIIII. rexit Ecclesiam*: *Regnante* Friderico *Romanorum Imperatore*: *LEOPOLDO quoque Duce Austriæ in pace Regnante*: Marquardo *Præposito Ecclesiam nostram procurante, Amen.*

XLIV. Dum ista in Germania fierent, *Fridericus* Imperator, Pontificis, Orbísque universi, se calumniantis, ora subdolè obturaturus, dum adhuc esset in luctu demortuæ Conjugis *Jolanthæ*, subitô, celatóque consilio, siculis portubus cum nonnullo Galearum numero excedens, in Cyprum navigavit, abinde Acconem festinans, atque ulteriùs Joppen contendens, insequente eum exercitu, quantuluscunque supererat, Christiano, & illico Castra ibidem importunè munire incipiens, cùm de pacecomponenda nostri & pagani jamjam Conventum egissent: quem Saraceni novæ Munitionis causâ è vestigio abruperunt. Atque hunc Cæsar Trajectum suum in Palestinam Pontifici per Epistolam, amplissimis promissis refertam, nunciavit. Tantum porro aberat, id gratum ratúmque habuisse *Gregorium*, ut omnibus potiùs modis detestaretur. Causatus est námque: Discessisse Imperatorem necdum Ecclesiæ reconciliatum, quia devinctum anathemate, quo exolvi non curavit. Deinde magis ut Piratam, quàm ut Augustum, vela tetendisse obvia, & tumultuaria, absque exercitu, copia, & apparatu: qualia toties spoponderat, qualia Majestatem Romanam decuissent, qualia spem fructus insignis, optatique de hostibus Crucis triumphi parere potuissent. Tandem nemini obscurum esse posse, quòd hanc Expeditionem, Regni duntaxat Hierosolymitani, sibi acquirendi, non Christi causâ, sit aggressus, metuens, ne defuncta jam Conjuge, cum qua jus Coronæ hujus est adeptus, thronum, quem non occuparet, amitteret. Quibus omnibus accedat, eum tales in Regno Siculo Præfectos, & per Longobardiam Belliduces constituisse, à quibus & Jura, & Possessiones Ecclesiæ, incessanter violarentur, ac impeterentur, manifesto hostilis in eam animi argumento. Quapropter Pontifex, ut Imperatoris Milites à Petri Patrimonio avocaret, per *Joannem*, antea Regem Jerosolymitanum, aliósque ex Longobar-

Imperator subitò petit Orientem.

Pontifice id minimè probante,

& interea Siciliam occupante.

bardis, absente Cæsare, in Regno Siciliæ tanta, quanta poterant, occupari disposuit. Quamquam alii tradant, curâsse *Gregorium* publicè prædicari populo, Imperatorem obiisse, atque ita fraude consecutum esse, ut multæ Urbes, ac Castra munita, ultrò se dederent. Adeò Historia præsens affectibûs laborat, Scriptoribûs coævis utrinque affatim adductis, quorum alii accusant, alii excusant Imperatorem. Inquibus proinde certè non Ætas, sed, si doceri possit, alienus illius, qui scripsit, à partium studio animus, fidem rite facere valet.

In Historia, nimiis affectibus laborante, non ætas, sed alienus à partium studio Scriptoris animus fidem facit.

Annus 1229.

Cæsar cum Saracenis pacem concludit.

XLV. CÆsarem diversi nuncii in Palestinam sequebantur. Hinc enim Pontifex Patriarchæ Hierosolymitano, qui & suus in Oriente Legatus erat, mandavit, ut anathema, quo ligatus esset Imperator, publicè ante omnes denunciaret, & ubique locorum coram ipso sacra fieri prohiberet. Inde *Fridericus* à sibi fidelibus iterum iterúmque admonebatur, *Clave signatos*, i. e. Copias Papales, in Siciliæ Regno plures quotidie, pluresque ditiones occupare. Utrinque turbatus & confusus Imperator, abruptos cum Sultano Babiloniæ pacis Tractatus, longè infra decus Imperatorium se submittens, suique magis, quàm Rei Christianæ, rationem habens, reassumsit, inque decennium conclusit. Abinde Jerosolymam ingressus, quia Diris devoto nemo Antistitum, ut aliàs decuerat, obsequebatur, ipse propriis Manibus Coronam Regiam primùm in Ara collocans, abinde resumtam Capiti suo imposuit, seque Regem Solymarum proclamavit. Illico deinde summa cum festinatione ab Urbe, ac Oriente regressus est.

Seipsum Hierosolymis coronat.

XLVI. Hanc porro Pacem ab eo compositam, cujus pacta mox postea patebunt, illi, qui solius Hierosolymæ recuperatæ rationem habebant, læti admodum fastis intulêre. Qui verò è converso pactorum conditionem expendebant, eam, ut rem summè detestabilem, retulerunt. E primis erat Chronographus *Australis* ajens: „Terram Repromissionis Christiani possederunt per Imperatorem *Fridericum*.„ Item *Elwangensis* inquiens: „*Fredericus* Imperator Terram Sanctam, à Saracenis invasam, sine omni strepitu armorum recipit: & sic Jerusalem „reddita est.„ *Mellicensis* pariter ita referens: „*Fridericus* Imperator Hierosolymam proficiscitur, & Terrâ Sanctâ à Sultano „honorificè receptâ, fœdus amicitiæ secum innovavit.„ Præ omnibus verò Cæsar ipse stilo eorum, qui sibi ab Epistolis erant, pro causa sua Cicero facundissimus, non solùm Principibus, verùm etiam ipsi Summo Pontifici ita in cæteris rescripsit. „Lætentur in Domino, & exultent omnes recti corde. - - - Laudemus

Pacis ab ipso compositæ per nonnullos commendatio.

Maximè per se ipsum.

„demus & Nos ipsum, quem laudant Angeli: quoniam ipse est
„Dominus DEUS noster, qui facit mirabilia Magna solus, qui-
„que Antiquæ suæ Misericordiæ non oblitus, ea miracula nostris
„temporibus innovavit, quæ fecisse legitur à diebus antiquis.
„Quia cùm ipse, ut notam faciat potentiam suam, semper non
„in equis aut curribus glorietur, nunc dedit sibi gloriam in pau-
„citate Virorum, ut cognoscant, & intelligant omnes gentes,
„quòd ipse sit terribilis in Magnificentia, gloriosus in Majestate,
„& mirabilis in Consiliis super filios hominum. Cùm in pau-
„cis diebus istis, miraculosè potiùs, quàm virtuosè, Negotium
„illud sit peractum, quod à longis retroactis temporibus multi
„Potentes, & diversi Principes Orbis, nec in multitudine
„Gentium, nec per metum, aut quodlibet aliud, facere potue-
„runt. O quàm laudanda est Clementia Creatoris, & quàm
„metuenda est semper Potentia Virtutis ejus! Quia, cúm in hu-
„militate mentis, & devotione cordis, semper processerimus ad
„Servitium sanctum ejus: Nobis ab ipso principio Consilio &
„Auxilio suæ non defuit Pietatis. - - - Ecce, nunc quidem dies
„illa salutis advênit, in qua veri Christicolæ Salutare suum ac-
„cipiant &c., Ita novit Rhetorica, sanctissimis etiam Verbis,
in quocunque merito causæ abundare, quoties constitutum sibi,
vel propitia, vel invita veritate, in laudis argumento versari.
Verumtamen audiamus, quid *Gregorius* Papa hac de pace ad *Leopoldum* Ducem nostrum perscripserit: cujus Epistolam integro tenore ex *Raynaldo* Tom. XIII. p. 360. n. 23. sqq. transumo, unde & paragraphos anteriores *Fridericianos* excerpsi.

XLVII. „Nobilo Viro DUCI AUSTRIAE. Inter alia fla- *Quid Pontifex de ea Duci nostro scripserit.*
„gitia, quibus *Fridericus*, dictus Imperator, fidem Nominis
„Christiani confudit, & prodidit, quatuor præcipuè notare de-
„bes, Alphabeto quadruplici deploranda, quæ per Literas Ve-
„nerabilis Fratris nostri Patriarchæ Hierosolymitani A. S. L. no-
„bis sunt fideliter intimata, & in forma treugæ, initæ cum pa-
„ganis, perpenditur manifestè.

„Primùm, quòd Arma Christianæ Militiæ, Gladii potesta-
„tem, de Altari B. Petri sumti ad vindictam malefactorum, lau-
„démque bonorum, sibi à Christo per suum Vicarium assigna-
„ti, quo Pacem Christi, Fidem Ecclesiæ defenderet, & muni-
„ret, Soldano Babyloniæ, inimico fidei, Adversario JESU Chri-
„sti, cultori perditi Mahometi, impudentissimè resignavit, de-
„nuncians ei, ut de ipso faceret, quidquid vellet, & affirmans,
„se nolle arma de cætero assumere contra ipsum, quem, ut im-
„pugnatorem fidei fideliter impugnaret, acceperat Imperialis
„Culminis Dignitatem. Per quod patenter arguitur, quòd
„Dignitati Imperii, ejusque spontaneus renunciavit honori:

,cùm executionem Gladii contra hostes fidei pacto execrabili,
,& inaudita præsumtione remittens, Potestatis & Dignitatis suæ
,se spoliavit officio, causâ se privatum insinuans, cujus effectu
,promisit, & juravit, se de cætero cariturum. Privilegium
,enim meruit amittere Dignitatis, qui concessâ sibi abusus est
,potestate.

,Secundum magis execrabile, & inauditi admiratione stu-
,poris horrendum: Quòd de Templo DEI, in quo Christus ob-
,latus est, & Sedem sibi primam Cathedralem constituit, quan-
,do in medio Doctorum sedit audiens & respondens, ipsum im-
,pudenter & irreverenter ejecit, & in Sede sua Mahumetum
,perditum collocavit: cùm doctrinam nefandam, & legem ip-
,sius in Templo DEI prædicari & clamari concedens, silentium
,Præconio Evangelicæ Veritatis imposuit: ejusdémque Templi
,Custodiam, & septi ejus Claves Saracenis committens, nullum
,intrare statuit Christianum, nisi de Altitudine Templi primò
,examinatus, suam pagano credulitatem exponat. Per quod
,datur intelligi manifestè, quòd judicio Saraceni relinquitur,
,utrùm debeat DEI Templum ingredi Christianus.

,Tertium est, quòd Antiochiam, & Antiochenam provin-
,ciam, Tripolitanam etiam cum adjacentibus suis, Castrum,
,quod dicitur Crach, Castellum Album, & Margattum, occu-
,panda Paganis exposuit, quando ipsa à Confœderatione treu-
,garum excepit. Immo si ea invadi contingeret à paganis, non
,solùm omne subsidium se denegaturum assensit, sed universos
,ferentes auxilium impedire, & cohibere, nefandissimo jura-
,menti vinculo se astrinxit. Quasi non sufficiat, inauditæ ty-
,rannidi, & infidelitati damnatæ, Templum DEI hostium fidei
,subdere potestati, & profanari immunditiis paganorum, ac
,Christum de Sede sua turpiter ejecisse: nisi etiam primam Se-
,dem Apostolorum Principis, ejus Vicarii, juramentum ei præ-
,stitum malè servans, exposuerit inimicis fidei Christianæ, ma-
,nifestè protestans, quòd infidelis Capiti, non solùm uni mem-
,bro, sed toti corpori sit infidus.

,Quartò autem contra totum Populum Christianum ap-
,paret ipsius & Paganorum Confœderatio manifesta, ubi ita se
,damnabiliter obligavit, quòd si omnes prædicti inter se initis
,factionibus vellent quomodolibet obviare, juramento tenetur,
,suis expensis, & exercitu suo, eos pro suis viribus debellare.
,Ex quo constat, quòd si Christianus Exercitus ulcisci sui vel-
,let injuriam Redemtoris, & à Templo DEI, & à Terra San-
,cta eliminare spurcitias paganorum, potenter teneretur se op-
,ponere Christianis. Nunquid super his non indignabitur Ze-
,lus tuus? aut impunè Christus de Regno suo, & Sede repelli-
,tur?

„tur? & transactionem Principis ſolo nomine Chriſtiani, qua „Templum DEI conceditur Mahumeto, Religio Chriſtiana con„niventibus oculis approbabit?

„Abſit, ut illius, qui læſæ Majeſtatis reus eſt, particeps, „vel conſors exiſtas. Si reus eſt criminis hujus, cujus opera, „vel dolo Civitas hoſtibus, vel Provincia traditur: quantò ma„gis ejusdem criminis reus eſt, qui cum inimicis fidei Chriſtia„næ, contra Regem Cæli, & Imperatorem æternum, ut Thro„nus ejus ad Adverſarium transferatur, nefarias iniit factio„nes? Si ſecundum Leges Principum Secularium hoc piacu„lare flagitium tam dura diráque poena mulctatur, ut feratur „ultio tam in Actores Sceleris, quàm in progeniem damnato„rum, & ejusdem criminis noxius non ſolùm honore, ſed vi„ta privetur, filiosque perpetua comitetur infamia, ut ad nul„lum honorem, nulláque prorſus perveniant ſacramenta, ut „mors ſit eis ſolatium, & vita in ſupplicium convertatur: „quanta, qualíve poena eſt dignus, qui in tot & tantis impiè „Dominum DEI Filium JESUM Chriſtum offendit? Cùm „longè ſit graviùs, æternam, quàm temporalem offendere Ma„jeſtatem. Quocirca Nobilitatem tuam rogamus, & monemus „in Domino, per effuſſionem Chriſti ſanguinis obſecrantes, qua„tenus ad vindicandam injuriam Salvatoris noſtri DEI taliter aſ„ſurgas, ut cùm à Nobis fueris requiſitus, paratum te inve„niat Eccleſia Mater tua ad exprobrandum Opprobrium inimico„rum Crucis Chriſti, & abolendam maculam tantæ infamiæ à „Gloria Nominis Chriſtiani.

„Cùm nuper die Dominica poſt feſtum Apoſtolorum ſu„per præmiſſis recepiſſemus literas Patriarchæ, ſequenti die Sab„bati alias ejusdem accepimus Literas, in quibus ínter alia per„ſpeximus contineri: Quòd, poſtquam reverſus eſt dictus *Fride„ricus* à Civitate Hieruſalem, dictum Patriarcham, & Fratres „Militiæ Templi obſidens in Accon quinque diebus, cum iis, „qui ſecum erant, graviter impugnavit, intendens domos eo„rum bonis omnibus ſpoliare. Sed cùm Dominus conatum „ſuæ nequitiæ repreſſiſſet, nec poſſet, quod in animo gerebat, „efficere: baliſtas, & cætera arma, tam à chariſſimo in Chriſto „Filio noſtro *Joanne* Illuſtri Rege Hieroſolymitano, quàm ab „aliis Peregrinis pro defenſione Terræ Sanctæ ibi relicta, & lon„go tempore conſervata, ad navim ſuam fecit clanculo aſpor„tari: quorum partem ſecum deferens, & reliquam Soldano & „fidei inimico transmittens, deſtructis Galeis, quæ erant ad Ter„ræ cuſtodiam relinquendæ, in feſto Apoſtolorum Philippi & „Jacobi clam fugit, & diluculò civitatem egreſſus: & ſic Ter„ram & Viris, & Viribus, Armis, & Munimentis cæteris deſti-

 „tutam

„tutam relinquens, expoſuit inimicis fidei occupandam. Da„tum Perufii decimo quinto Kalend. Aug. Pontificatus noſtri „Anno III.tio. „

Hæc ſi fortaſſis cuiquam obſcuriora, vel parœnetica nimis videantur, legat, ſi velit, ipſa Capitula Pacis apud ſæpè laudatum *Raynaldum*, unde ſuprà p. 359. à n. 15. *

Cur Pontifex iſta Leopoldo perſcripſerit.

XLVIII. Acerbæ profectò ſunt iſtæ Pontificis in Imperatorem criminationes: ideo verò, ut videtur, ab eo præ cæteris noſtro Duci perſcriptæ, quòd non modò fama, auctoritate, potentia præcipuus eſſet, verùm etiam quia, ob Nuptias Filiæ ſuæ cum *Henrico* Rege Filio Imperatoris, ab hujus fide & partibus vix divellendus credebatur, niſi, in quantis *Fridericus* deliquerit, ex aſſe edoceretur. Etenim in tam lugenda Sacerdotii Regnique diſcordia, hominum ſummorum, immorúmque, ſacrorum & laicorum animi, ut in Italia, ſic & Germania ſcindebantur, his Pontifici, iſtis Cæſari obaudientibûs, vera interim cauſæ qualitate quamplurimos latente. Et quemadmodum erant, qui iis, quæ Cæſar fama literisque in vulgus extulit, tanquam fraude ſusdéque conglutinatis, penitus diffiderent: ita nec defuêre, quibus Pontificis neque Auctoritas tanta, neque reverentia fuit, quin metuerent, Scripta ejusdem, ad conflandam duntaxat *Friderico* invidiam, deditis amphibologiis, cumulatísque auxeſibus impleta. Quibus ritè penſatis minùs quisquam verba *Ortilonis* noſtri hunc ad Annum mirabitur, ita referentis.

Ejus Filius repudiat Conjugem alteram permittente Patre.

// LIUPOLDUS Dux cum magna cordis amaritudine videre // debuit, quomodo Dominus Papa & Imperator in graviſſima // diſcordia quotidie creſcerent. Inter hæc diſſidia fuit turbatio // magna multorum negotiorum: & quia arma prævaluerunt, // ſæpe via legum non patuit. Hujusmodi ſermo etiam exivit // de divortio, quod FRIDERICUS Filius Ducis LIUPOLDI // cum Conjuge ſua fecit, Patre permittente, quòd contra Le// ges eſſet. Cur id acciderit, ego non novi. Hoc autem ſcio, // Pium & Religioſum Ducem LIUPOLDUM bonæ fuiſſe Con// ſcientiæ Principem, & nunquam in Dominum Papam, vel // Prælatos Eccleſiæ, ſcienter offendere voluiſſe. Hoc tamen // Divortium mala multa occultè ſeminavit in Patria: quia Pro// pingui Conjugis repulſæ tacitè deinde vindictam de FRIDE// RICO per Miniſteriales hujus Patriæ quærebant. Fuit Uxor // altera de Hungaria. //

XLIX.

* Ex his porrò allatis colligas, quid ſentiendum de his *Conradi Urſpergenſis* verbis ad Ann. 1229. *Cùmque Imperator ſuper hoc laudabili & glorioſo facto reſcriberet Domino Papæ, & gaudium annunciaret Chriſtianitati: Papa literas illas abjecit, & reſpuit &c.* Et item de Nota adjecta D. *Pfeffingeri* In Vitriar. illuſtr. Tom. I. p. m. 610. b. ita habente, è ſenſu hominum ſuæ Proteſtationis, *Mirare Lector, pacificum Sanctiſſimi Almique Patris animum, qui maluit Terram Sanctam ſub jugo Turcarum gementem, quàm reſtitutam videre Chriſtianis.*

XLIX. Conjugem primam *Friderici*, qui jam unicus *Leopoldo* supererat Hæres Filius, exstitisse *Gertrudem* Brunswicensem, sed altero eidem Mense fato præcoci ereptam, ex *Ortilone* jam ad Ann. 1226. audivimus. Alteram is Uxorem, dissimulato Nomine, duntaxat *de Hungaria* fuisse infit: in quo cum *Sterone*, *Augustano*, *Australi*que Chronico, item *Haselbachio*, *Sandhemio*, *Arenpeckio* concordat, quorum unanime effatum est, *Fridericum* duxisse *Sororem*, vel *Neptem*, vel *Cognatam* (his enim vocabulis differunt) *Reginæ Hungariæ*. Quorum tamen apud neminem hoc Connubium vel alterum, vel secundum fuisse innuitur: quare hucusque ab Eruditis propè omnibus pro primo habebatur. Interim Jll. *Eckardus* peculiari illo in schediasmate, quo diffitebatur, *Friderico* nostro Austriaco Principem quampiam Brunswicensem aliquando nuptam fuisse, premebat hæc verba laudatorum Chronographorum: *Duxit Sororem Reginæ Hungariæ*: ac putabat, sermonem hìc esse de una Conjugum *Andreæ* Regis Hungariæ. At verò *Ortilo* noster repudiatam à *Friderico* Conjugem alteram, solummodo scripsit *de Hungaria* fuisse. Cui lucem feneratur *Albericus* in Chronico: qui ad Ann. 1221. loquens de *Theodoro Lascare*, quem Græci, occupata per Latinos Constantinopoli, apud Niceam Bythiniæ Imperatorem dixêre, sic infit. „*Lascaris* plures habuit Filias „de prima Uxore, *Andronici* (veriùs *Alexii Augusti*) Filia: quarum unam habuit *Vastachius*, aliam duxit DUX AUSTRIÆ, „tertiam *Bela* Regis Andreæ Filius Primogenitus.„ Unde facilè eruas, uti jam dudum vidit Cl. *Puschius* Chronolog. Stir. Part. II. p. 242. *Friderico* nostro fuisse Græci Stemmatis Uxorem, quæ Sororem habuerit, *Belæ*, non *Andreæ*, Conjugem. Qualis hæc fuerit.

L. Et quia initio Rex *Andreas*, ad *Belæ* Filii Connubium, summè invitus fuit, eumque ad repudium, *Mariæ* suæ Grææ dandum, adeo fortiter impulit, ut cum Conjuge in Austriam ad *Leopoldum* confugere debuerit, quod superioribus annis exposui: opportunissima ex hoc perfugio enata videtur occasio subsecuti postea inter *Fridericum* & *Mariæ* Sororem connubii. Quis namque non facillimè largiatur, cum Conjuge *Belæ* unam sororum ejus ex Græcia in Hungariam venisse, eamque deinde cum Marito fugientem, in Aulam *Leopoldi* insecutam fuisse? Quod si ita habuerit, non difficulter quoque apparet initium amorum. Quia tamen Principes Gloriæ & Incremento Stirpium suarum, ubi contrahendæ sunt Nuptiæ, præ omnibus attendunt, & à Græca Principe minus honoris commodique accessurum credebatur: *Leopoldus* Dux Filio *Friderico* Germanam potiùs Conjugem Brunswicensi è Domo selegerat, primis Nuptiis ductam. Morte verò præcoci nuperrimæ Conjugis novum Maritum statim iterum in thori libertatem asserente, & Quæ occasio Friderico eam ducendi.

pri-

pristinis *Friderici* in Græcam Principem Amoribus denuo recalescentibûs, quibus jam non obstitit Pater, Connubium cum ea secundum processisse videtur, ipso, ut existimat Cl. *Puschius*, Hungariæ Rege *Andrea*, qui cum Filio *Bela*, ejúsque Conjuge *Maria*, nec non cum *Leopoldo* Duce nostro plenè in gratiam redierat, Parentis vices assumente, novámque Nuptam in Manus *Friderici* Austriaci tradente. Fateor, hunc ordinem inchoati perfectique Connubii conjectum duntaxat, descriptum verò à veteribus & sinchronis haud esse. Ex his tamen liquet, fuisse *Friderico* nostro Conjugem *de Hungaria*, *& Reginæ Hungariæ sororem*: præterea, teste *Alberico* Monacho nostro trium Fontium, constat, eas Principes Græcas, quas duxerant *Bela* Ungarus, & item Austriæ Dux, unius Patris *Theodori Lascaris* Filias fuisse. Rem verò totam clarissimè edicet jam antea à me promissus, ac *Decade* sequenti è Bibliotheca nostra primùm in lucem educendus coævus & egregius Chronographus *Fridericianus*.

Quæ causa repudiandi, & quis in hoc facto defectus.

LI. Repudio hujus Græcæ Conjugis, de Hungaria tamen venientis, quod *Fridericus* hoc anno potissimùm, ut arbitror, sterilitatis causâ fecit, motivum princeps in plebem vulgatum, quod verò re ipsa quoque subfuerit, exstitisse reor retectam quamdam, & obstantem sanguinis necessitudinem, quæ inter Dominam *Theodoram*, & *Mariam* Ungaricam, Græcam utrámque Principem, intercesserit. Quod rei momentum, quia Doctis pariter & Ecclesiasticis Viris, qui Duci nostro à Consilio fuerant, grave satis æquúmque videbatur ad faciendum divortium: verosimillimè hoc negotium inconsultô Episcopo processit. Atque hoc postremum, judice fama publica, Patri, Filióque culpam, colorem verò iracundiæ Propinguis repudiatæ consciverit. *Leopoldum* in hac parte, qua pronum erat Filio, thorum suum adulterina macula fœdare, si vetus Connubium iniquè dissolutum, novum iniquius initum fuisset, quidquam sine consilio, judicio, & assensu sacri alicujus Collegii attentâsse, decrevisse, atque exequi ausum esse, ut ne leviter quidem suspicari æqua prudentia possimus, summa ejusdem, ac toties hucusque luculentissimè comprobata Religio, animi Bonitas, Reverentia maxima in Clerum efficiunt: quod benè similiter *Ortilo* observat. At verò rem ad Episcopum Ordinarium delatam non esse, flagrantia eo tempore Pataviæ inter *Gebbardum* Episcopum, & Capitulum Cathedrale dissidia effecisse mihi persuadeô. Commemorat illa post *Hundium* Cl. *Hansizius* Metr. Laur. p. 371. his verbis, posteaquam Diras à Pontifice in *Fridericum* Cæsarem latas exposuisset. „Ea res novum in Germania dedit tumultum, dissidentibûs, ut fit, inter se partium „studiis. In Oppido Pataviæ inter Episcopum & Præpositum

„cer-

„ certamen: Canonici in partibus erant. Fortè segnior in causa Pontificis *Gebhardus*, nempe à partibus Cæsaris devoti ægriùs „ abscedens, latus aperuit, quo peteretur: seu quæ alia fuit causa, ut An. 1228. proficisceretur Romam. „ Neque, tametsi suppressa subinde, plenè propterea in cineres subsedêre dissidia ista, donec interveniente posterioribus Annis sacrilego unius è Canonicis latrocinio, *Gebhardus*, cujus amicis hoc scelus imputatum, vel motus est Sede, vel sponte abscessit. Huc quodammodo digitum intendere voluisse videtur *Ortilo* scribens: *Inter hæc dissidia fuit turbatio magna multorum negotiorum: & quia Arma prævaluerunt, sæpe via Legum non patuit.*

LII. De ipsis tertiis *Friderici* nostri Nuptiis Chronicon *Mellicense* nihil conquestum ita notavit. „ *Fridericus* Filius *Liupoldi* Ducis Filiam Ducis Meraniæ duxit Uxorem. „ Sed *Australe* Chronicon sic cavillatur. *Fridericus* Filius Ducis Austriæ „ Neptem Reginæ Hungariæ repudiavit, quæ copulata ei erat in „ Conjugio, & Filiam Ducis Moraviæ (Moeraniæ) sibi illicitè „ copulavit, Patre suo in omnibus his Auctore. „ Ex his Convitium istud arripuêre Chronographus *Cl. Neoburgensis Pezianus*, nisi ipse sit Author Chronici *Australis*, item *Suntheimius*, *Arenpeckius*, cæterique Recentiores: quod verò propè flocci facerem, nisi & *Ortilo* traderet, *exiisse de hoc Divortio hujusmodi sermonem, quòd contra Leges esset.* Nempe quia ex usù Legum erat, nullum Connubium, opere consummatum, absque facultate & sententia Præsulum dissolvi: quamvis hæc Sententia justam divortio causam non daret, sed eandem aliunde subesse, legitimo duntaxat judicio declararet. Unde *Friderici* divortio justitiam & æquitatem nequaquam defuisse, sed solam Ecclesiæ facultatem inter turbas Pataviæ antea descriptas requisitam non esse, lubens libénsque Cl. *Puschio* assentior. Pontificem summum hujus Repudii, novique Conjugii causâ, Ducibus nostris Patri ac Filio, quidquam succensuisse, mandâsse, imposuisse, nullibi legas. Quæ verò mala illud in Austria, fraude ac technis Propinquorum dimissæ Conjugis, occultè conseverit, *Decas* insequens deflebit.

LIII. Reversus ex Orientè, post propudiosam cum Sultano pacem, *Fridericus* Imperator, ea, quæ, se absente, in Sicilia per Clave signatum Papæ exercitum occupata fuêre, celeriter revindicavit, *multis*, ut habet *Urspergensis*, *tam de Ultramontanis, quàm de partibus illis*, i. e. Siculis, *Christianis*, Papæ non obaudientibus, & *Saracenis*, quorum robore Cæsar maximè semper nitebatur, *ad se coadunatis, ut haberet maximum exercitum & fortissimum*: cùm quo progressus, Longobardiam, & Ecclesiæ ditiones invasit. Unde Pontifex rursum varios Principes

Redux Imperator reoccupata Siciliâ invasit Ecclesiæ ditiones:

Contra quem Papa

Leopoldum nostrum cum aliis evocat: cipes adversus eum dimissis epistolis solicitavit: quos inter *Raynaldus* denuo Ducem Austriæ disertè enumeravit. Contrà verò similiter Imperator, discordiæ pertoesus, sibique & Imperio suo metuens, conceptis Literis complures Germaniæ Præsules, ac Principes requisivit, ut Italiam accedentes, Pacis Arbitri, se inter, ac Pontificem evaderent: quo astuto Consilio simul prævertit, ne, quod Votum erat Papæ, contra se armati venirent. *Pariter verò à Cæsare imploratum, ut esse vellet Arbiter Pacis.* Duci nostro, qui ad omne opus bonum expeditus, Ecclesiæ potissimùm commodis procurandis se totum consecraverat, præterea quoque ad Imperii emolumenta toto studio anhelabat, insuper verò propter arctissimum Affinitatis Vinculum non poterat non Cæsari animo pariter conjunctissimus esse, hac sibi delata Pacis tam peroptatæ componendæ copia nihil charius obtigit. Quin & ambigo nihil, arcano DEI Consilio, multóque Cæli favore evenisse, ut Piissimo Principi, boni certaminis cursum consummaturo, facultas obtingeret, pulcherrimo huic operi summa cum Gloria immoriendi. Cui, altero anno perficiendo, ut se dignè præpararet, Annum præsentem, se ad id omni ex parte quàm optimè comparandô, exegit. Hujus verno tempore, teste *Histor. Frising.* Tom. II. p. 5. Mille quingentis Argenti Marcis ponderis Coloniensis comparavit Feudum quoddam in Marchia, Literis Wiennæ signatis Non. April. An. 1229. *Benefacit Zwetlensibus.* Sero autem Decembri, die nimirum ejusdem 19.[na] Cremsii Zwetlensibus confirmavit Emtionem cujusdam Curiæ in Manegolds: quod lego *Annal. Zwetl.* I. p. 286.

Annus 1230.

Imperator quærit reconciliationem cum Papa, primùm per Præsules Italos: LIV. ANonymus Gestorum *Gregorii* Papæ IX.[ni] Scriptor testatur, *Fridericum* Imperatorem, de partibus Transmarinis regressum, per Venerabilem Messanensem Archiepiscopum, & Magistrum Teutonicorum, à Pontifice veniam postulâsse, promisisse emendam (emendationem) próque servandæ fidei cautione obtulisse Civitates, ac Castra: quod Summus Pontifex, multorûm instantiâ devictus, tandem assumserit. *Richardus* quoque à *S. Germano*, conterraneus, ac sinchronus, cujus Chronicon in Scriptor. Rer. Italicar. Tom. VII. prostat, ad Ann. 1229. idipsum à Cæsare aliàs quoque per Archiepiscopos, Rheginum, & Barensem tentatum fuisse asseverat, sed re è voto suo minimè confecta. *Feliciùs per Principes Germanos.* Germaniæ Principibus hæc causa servata est, qui à Cæsare in Italiam evocati, si Abbatem *Urspergensem* sequi oporteret, jam præterito quoque Anno se eò contulissent. Ait namque in fine Chronici sui, tuendo excusandóque Cæsari studiosissimè ubique intentus, de eodem. „Nihilo„minus quoque omni tempore, quamdiu denunciabat eum „Papa excommunicatum, beneficium Absolutionis humiliter, „cum

„cum omni obedientia, & devotione, & justitiæ exhibitione „postulavit. Super causis verò, quæ inter ipsum & Papam ver- „tebantur, diffiniendis advocavit Principes Alemanniæ, qui ve- „nerunt in Italiam: videlicet Patriarcha Aquilejensis, Archie- „piscopus Salzburgensis, Episcopus Ratisponensis, *Luipoldus* „Dux Austriæ, & Dux Dalmatiæ, & Histriæ. Quibûs adve- „nientibûs, Imperatore manente apud Capuam, tractatum est „de Pace & Concordia inter Imperium & Sacerdotium, & Reg- „num Siciliæ, & de Absolutione Imperatoris. Multis aliis quo- „que mediantibus tam de Curia Romana, quàm etiam Italia, „& Alemannia. Sanè hæc Compositio cùm non posset perfici „eo anno, dilata est usque in Annum sequentem.„

LV. His verbis, quibus Chronographus iste Historiam suam absolvit, multi inducti, tradiderunt, *Leopoldum* Ducem nostrum cum cæteris Germaniæ Principibus jam Anno priori apud Pontificem Cæsarémque in Italia versatos esse, priora cum posterioribus confundentes, & quæ per Italos Præsules prævie semel ac iterum anno anteriori cassâ operâ pertentabantur, Germaniæ Principibus pariter imputantes. Ast verò non solùm, uti paulò suprà audivimus, XIV. Cal. Januarii, i. e. die 19.ª Decembris Anni elapsi *Leopoldus* noster Cremsii existens Zwetlæ literas expediit: verùm etiam *Ortilonis* nostri hæc concepta sunt verba ad Ann. 1230. // Cùm urgeret Dominus Papa Imperii // Principes, ut alium Imperatorem eligerent, Imperator econ- // tra eos rogabat, ut Concordiam magis inter ipsum & Do- // minum Papam mediarent. Hinc plures eorum intraverunt // Italiam statim in Novo Anno: quorum unus & præcipuus // erat Dux & Parens noster LIUPOLDUS. Qui interim Filio // FRIDERICO imposuit regere Provincias suas: quare tunc // iste FRIDERICUS fuit dictus *Junior Dux.* // Hoc elogio *Junioris Ducis* in supradicto Zwetlensi Diplomate *Fridericus* disertè afficitur, primus omnium in Testibus descriptus. Porro Ducem nostrum illorum in Principum Choro exstitisse, quorum interventu Conciliatio Pontificis ac Cæsaris tractabatur, & hoc utilissimo labore piè fatigatam animam posuisse, nemo propè Scriptorum est, qui non collaudet. Sed quamvis non solus rei tantæ commodaverit humeros, communem cum pluribus eidem operam navans: hoc tamen onus peculiariùs in eum recidisse, ejúsque singulari diligentiæ, quòd felix faustúmque successerit, omnino deberi, sequentibus testimoniis tutissimè constare existimo.

Leopoldus non anno priori, sed initio præsentis, Italiam ingressus.

LVI. *Raynaldus* Annal. Eccles. Tom. XIII. p. 373. n. 27. fide Veterum Monumentorum, quorum copia & lectione abundabat, ita scribere voluit. „Eodem Anno *Liupoldus* Austriæ „Dux,

Pacis opus diligentissimus omnium tractavit.

,Dux initæ à *Friderico* cum Ecclesiâ Pacis & Concordiæ Inter-
,pres, uti ex suprà recitatis Monumentis vidimus, testantúrque Veteres Scriptores, excessit è Vita., Per Antonomasiam quodammodo *Leopoldum* nostrum hoc loco dici *Pacis & Concordiæ Interpretem*, quasi Elogium istud præ omnibus Co-Arbitris meruerit, fluere videtur his è verbis *Alberici* Monachi in Chronico. ,Dux Austriæ *Lupoldus* venit Romam ad Pontificem, & omnimodam ei exhibens humilitatem, obtinuit, quòd ,cum Imperatore pacem faceret., Item *Godefridi* Coloniensis. ,Eodem Anno Imperator à Papa absolvitur mediante Duce Austriæ ,*Lupoldo*., Præter hunc porro nullum alium Pacis Arbitrum laudat. Atque hæ certè Coævorum phrases fidem conciliant *Haselbachio*, & *Arenpeckio* junioribus. Quorum primus ajebat de *Leopoldo* nostro. ,Hujus Jllustris Principis quantus fervor ,devotionis ad DEUM, & Zelus ad DEI Ecclesiam exstiterit, ,hoc exemplo clara luce deprehenditur. Nam dum grave in Ecclesia pullularet schisma inter sedem Apostolicam & Imperatorem --- Iste Cleri Pater aliis (puta compluribus, non omnibus) surda Aure conniventibus Principibus, etiam cum vitæ dispendio, se murum pro Domo Ecclesiæ non dubitavit ,exponere. Hinc & multis fatigiis, & expensis, Urbem Romanam personaliter adiit, & sua sapientia Imperatorem ad summi Pontificis Obedientiam revocavit, & sibi reconciliavit, ab ,anathematis sententia Absolutionem, & prioris famæ & dignitatis restitutionem ipsi, licèt multo labore, obtinet finaliter cum ,effectu.

In ipsum quodammodo compromissum fuit.

LVII. Alter *Arenpeckius* ita scribebat. ,LEOPOLDUS ,Dux Austriæ & Stiriæ Anno Domini 1230. perrexit in Apuliam, una cum --- aliis Principibus, ad concordandum, & uniendum Papam *Gregorium* IX.^um^, & Imperatorem *Fridericum* ,II.^dum^ Et, *cùm Papa dedisset sibi plenariam Auctoritatem*, processi in Apuliam (nempe ad Imperatorem ibi demorantem) ,ubi in Civitate S. Germani diem clausit extremum., His ritè confirmat *Ortilo* noster, inquiens: //Domini Papæ cum Im- //peratore Concordiam Dux LIUPOLDUS sæpe eundo & re- //deundò tandem intermediavit ita feliciter, ut universa Eccle- //sia postea in illa gauderet.// Sed omnem quorumvis dubitationem penitus tollere debet ipsius *Gregorii* Pontificis Confessio, quam edit in Epistola Consolatoria ad Sereniss.^am^ D. *Theodoram* Viduam Principis nostri: cujus tenorem integrum infra adducam. Scribebat namque ibidem de Duce nostro in cæteris. ,Tantam gerebamus de ipsius sinceritate fiduciam, *ut in* ,*Negotio Pacis ejusdem acquiesceremus Consiliis & Desideriis faveremus*, reputantes, sibi meritò deberi, quidquid eidem possemus Honoris & Gratiæ impertiri., Lippis profectò ille sit oculis,

oculis, oportet, aut planè lividis, quem hæc verba abundè non docent, *Leopoldi* noſtri partes hoc in opere feliciſſimo principes fuiſſe, ob ſummam ſui Exiſtimationem, qua apud Pontificem erat, apud Cæſarem, nec fallo, nec fallor, ſi dixerim, apud omnes.

LVIII. Sudores verò, quos eidem tantæ molis, tanti diſcriminis cura expreſſit, eósque tam vehementes, ſub quibus Natura ipſa ſuccubuit, pro meritis ac dignitate abſtergere nulla in terris lætitia par erat, qua diffluere poterat, ſi Pontificem ac Cæſarem in amplexus ruere hisce oculis vidiſſet: è Cælo ſpectare hæc debuit, ubi qui gaudet, lugere non ampliùs poteſt, dum apud nos, ubi læta triſtibus omnibus, ita lætis rurſum omnibus triſtitia nonnulla perpetuò ſuccedunt. Hinc ad ſuperiora ita ſubſecutus eſt *Ortilo* noſter. // Sed Oſculum Pacis, in quo po- // ſtea convenerunt Dominus Papa, & Imperator, non in terra // vidit bonus Angelus Pacis LIUPOLDUS: ſed, quia fructus // Laboris ſui, ejus præmium priùs à DEO in altera vita perce- // pit, ut nemo dubitat. Nam infirmatus in Sancto Germano // in Apulia, propter inſuetum aërem, plurimósque labores, // quibûs nunc, & in omni vita ſua, debilitavit Corpuſculum // ſuum, & propter maximas ſollicitudines propter mala Impe- // rii, & Filios proprios, ad extrema cum omnium luctu pervê- // nit. - - - Deinde ſancta Sacramenta devotiſſimè ſuſcipiens, ut // pius Eccleſiæ Filius, in cujus Negotio animam poneret, Vi- // tam bonam bono fine concludens, promtè redivit ad Creato- // rem ſuum v. Kal. Auguſti. Requieſcat in pace, Amen.// Hoc idem, ſed alia longè phraſi, qua unus multis exſcribentibus præivit, paſſim apud Scriptores offendes. Ego unum *Richardum* à S. Germano hìc adjicio, teſtantem. ,LIUPULDUS Dux ,Auſtriæ & Stiriæ die Dominico in feſto SS. Nazarii & Celſi ,apud S. Germanum naturali morte defecit. Cujus Oſſa dela- ,ta ſunt more Theutonico in Theutoniam, & Caro apud Caſ- ,ſinum cum honorificentia tumulata.,

Sed finem optatum laboribus in terra conſumtus, è cælo ſpectavit.

LIX. Nempe, ut rurſum *Ortilo* noſter gravibus admodum verbis: // Quia vivum omnes dilexerunt, ob Pietatem, Pruden- // tiam, & Fortitudinem ſuam, omnes quoque mortuum dolue- // runt. Et quia in tam utili negotio Concordiæ pro omni Ec- // cleſia & Imperio conſummatus eſt: utriusque Ordinis Viri // Principes tam benè meritum honorârunt, quomodo mortuos // honorare poſſumus. Voluit Cor ſuum & Viſcera requieſcere // in Templo Sancti Patris noſtri BENEDICTI, cujus Filios // omni tempore dilexit: Oſſa verò ſua apud Nos in Monaſterio // ſuo. Propter hoc Viſcera ejus, & Carnes frixæ, ut Oſſa ſe- // parari poſſent, in dicto Monte Caſſino ſepulta ſunt per Sacros

Carnes ejus in Monte Caſſino ab utriusque Ordinis Principibus tumulatæ: Oſſa Campililium reducta.

// & Temporales Principes, cum multa, sed tristi pompa. Sed // Ossa Ministeriales Ducis tristes & flentes in Austriam suam // reduxerunt. // Chronici *Cl. Neoburgensis*, itemque *Australis*, & *Augustani*, communis hic paragraphus est. „Cujus Corpus „in Monte Cassino in Monasterio *S. Benedicti à Cardinalibus se-* „*pelitur*: & Ossa ipsius, delata in Claustrum suum, quod ipse „construxit, *Lyrenvelde*, ibidem sepulta sunt *in die S. Andreæ* „(quarto jam mense ab obitu integrè exacto) ab Archiepiscopo „Saltzeburgense, & eodem die dictum Monasterium ab eodem „Archiepiscopo consecratur.„ Quanta igitur cum Gloria Princeps noster mortalem hanc vitam exegit, cum tanta pariter, eâ depositâ, Exuviæ illius in terram illatæ fuerunt.

Quæ, dum in Austria advenirent, lachrymis totius Patriæ quasi submersa sunt.

LX. Sed multò eidem gloriosius erat, quidquid sui in terris supererat, fletibus & lachrymis Patriæ propè submersum fuisse. Primum de hoc iterum *Ortilonem* audiamus. // Luctum Patriæ, & Urbis Wiennæ, scribant alii, si scribi potest, // qui sonabat in plateis, dum Cadaver Ducis Patriæ Patris ad- // veniret. Ad tollendum fletum una tantùm die mora facta // est cum Funere in Urbe: die altera statim ad Nos cum eodem // festinatum fuit. // Sed neque *Hageni* nœniæ hoc loco spernendæ, ita vernaculè enarratam nostri Ducis mortem lamentantis. „Die Armen und Reichen klogten in do biterlich. Dar- „nach ward sein Gebain gen Oesterreich geführt. Do hub sich „erst gros Herzenlaid, und ward um In vergossen manch haisser „Zäher. Wer kan besinnen ains getrewen Diener Trawrigkait, „der ain frommen und gnedigen Hern hat verlorn?„ Postremus *Haselbachius* loquatur, veteres, quos legerat, ita suo tempore reddens. „Cujus Ossa ad Monasterium Campililiorum, „quod ipse fundaverat, revocantur Anno Domini 1230. luctu „grandi omnium Subditorum, præcipuè Viennensium, quos „omnibus favoribus & gratiis præ cæteris, dum in humanis age- „ret, semper fuerat prosecutus.„ Hæc satis in præsenti paragrapho, donec in III.°, qui erit de Rebus Campililii, ad Seren.mi hujus Ducis, Clementissimique Parentis nostri Tumulum accedamus.

Leges Concordiæ Pontificem inter ac Cæsarem.

LXI. Leges Concordiæ (ut Historiæ filum pertexam) in quas, diu consulente Principe nostro, tandem consensit Imperator, hæ erant. I. Ut agnosceret, ac profiteretur, se justis de causis anathemate vinctum fuisse, ac proinde Sententiæ Pontificis, pœnam reposcentis, obtemperaret. II. Ut Clave signatis, i. e. Signa Pontificis in bello secutis, alioquin Subditis suis, veniam daret. III. Ablatas Ecclesiæ Ditiones redderet, novas nullas invaderet. IV. Expensas in bellum adversum se factas Ærario Pontificis refunderet. V. Illata Syriæ damna resarciret.

VI.

VI. Utriusque Siciliæ Regnum, quo meritò exciderat, instaurato fidei Sacramento iterum reciperet. VII. Interea Castra quædam sua Supremo Teutonicorum Equitum Magistro custodienda consignaret, donec nonnullos Imperii Principes pro his omnibus adimplendis Fidejussores constitueret. Facta horum omnium solemni pollicitatione, *Fridericus* Imperator, ut habet *Richardus* à S. Germano, ,in Castris ante Ceperanum in Capella ,S. Justæ die Mercurii ipso festo B. Augustini (28.^m Augusti, ,mensem unum jam dormiente *Leopoldo*) per Episcopum Car-,dinalem Sabinensem Excommunicationis vinculo solutus fuit. ,Calendis deinde Septembris invitatus à Papa, cùm esset in Ca-,stris in pede Anagniæ, magnificè comitatus à Cardinalibus, & ,Nobilioribus Civitatis, intravit Anagniam, & eo die cum Pa-,pa sedit in Mensa, & solus cum solo, Magistro tamen Teutoni-,corum præsente, in Papali Camera Consilio longo tenuêre se ,diu: ac die Lunæ sequenti cum Gratia Papæ & Cardinalium ,in Castra reversus est., Quibùs hæc Ceremoniis acta, quàmque melleis Literis Pontifex Cæsari reditum in Sinum S. Matris Ecclesiæ gratulatus fuerit, leges apud *Raynaldum*.

Amborum Conventus amicus.

LXII. Legi verò & ego, sed magnoperè mirabar rei præsentis perversam *Cuspiniani*, Viri alioquin tam Eruditi, Narrationem Libr. de Cæss. in Frider. II. p. m. 515. sqq. ,Imperator ,(ait) tanquam fortis Athleta, omnia fortiter, ob amorem ,Christi patiens, --- omnia dissimulat, cum omni obedientia, ,cum justitiæ exhibitione, si quid deliquerit, Absolutionem pe-,tit, accersitis Alemanniæ Principibûs ---- Austriæ Duce *Leo-,poldo*, --- & aliis quibusdam. Quibus res commissa est, ,ut pium Cæsarem cum Pontifice superbissimo componerent, ,Imperatore tum Capuæ agente. Sed re infecta discesserunt, ,inque sequentem Annum negotium est dilatum: ac res in Con-,cordiam venit, potissimùm adnitente *Leopoldo* Duce Austriæ, ,qui post factam pacem obiit. Imperator absolutus à Pontifice, ,simulatâ amicitiâ convivio accipitur. Italici Scriptores tra-,dunt, Imperatorem emisse Absolutionem à Pontifice per Ma-,gistrum Militiæ Teutonicæ, Centum viginti Millibus Unciis in ,Ærarium Ecclesiæ relatis. Quod si verum est, carus est Mer-,cator, cùm gratìs acceperit Claves solvendi à Christo, nullis ,datis Numis Christo., Lepidum hoc, quod neminem seduceret, nisi tam multi sine judicio legerent. Propter illos itaque, quibûs nôsse rem satis est, scire non vacat, i. e. qui causas rerum explorare, sapientique judicio expendere negligunt, sic adverto. In omni Transactione, etiam privatorum, qui alterum injustè aggressus ad sumtuosam sui repulsam coegit, primo ferè canone ad expensas, sive fori, sive belli, reluendas adstringitur. Debuit Pontifex ditiones Ecclesiæ, quas Cæsar injuriâ invaserat, armis

Perversa hujus rei Narratio apud Cuspinianum notatur.

armis vindicare, & Siciliæ Regnum Ecclesiæ fiduciarium, in quo Imperator Clerum & Ecclesias injustè afflixit, magna parte occupandô quieti restituere, Cæsarémque ad officium cogere. Absolutionem itaque, quæ nullo sumtu constitit, *Gregorius Friderico* pro humiliatione, æquè nullo censu paranda, impendit. Sumtus autem belli, quod adversus eum humiliandum gerere cogebatur, justa refusione Ecclesiæ reddi Arbitrorum judicio postulans, quid, obsecro, iniquæ nundinationis perpetravit? Sed nullibi facilior calamus, quàm ubi, præoccupatis animis, is, quem oderis, in invidiam adducendus est. Premebat *Cuspinianus* dicta *Urspergensis*. Ego porro jam aliàs adverti, & adhuc probè expensum velim, rem, quæ suo jam tempore, dum evenit, affectu nimio laborabat, ab ætate Scriptoris æquam fidem non consequi, donec constet, eum nulli partium studuisse. Neque enim Religio Scriptoris, vel Vitæ Conditio Veritati vadem se præbet. Nam & in Catholicis, & Ecclesiasticis, non desunt animi præoccupati, vel ignorantiâ eorum, quæ rem circumstant, vel utilitate, aut incommodo proprio seducti.

Leopoldus, postquam jam defunctus erat, geminorũ adhuc Diplomatum Testis qua ratione legatur?

LXIII. Porro de *Leopoldo* nostro id forsitan adhuc nonnullis peregrinum videatur, eundem in antè dictis v. Cal. Augusti, sive die 28. Julii defunctum asseverari: cùm tamen in gemino Diplomate *Friderici* II. Imperatoris, quorum unum Ecclesiæ Metropolitanæ Salisburgensi apud S. Germanum mense Augusto, alterum Ecclesiæ Frisingensi in Castris prope Anagniam Mense Septembri expeditum est, adhuc inter Testes primo post Præsules Loco subscribatur. Utrámque Chartam laudat Cl. *Hansizius* Metr. Salisb. p. 331. sq. Sed inde monemur, Diplomatibus ad subducendos Annorum dierúmque calculos providè uti, hoc probè observato, non continuò eadem die, qua Laudum aliquod, sive Judicium in charta descriptum, vel Gratiæ cujuscunque Collatio à Principe fiebat, Diploma pariter confectum esse. Quòd si spatium vel mora intercurrerit, nihilominus iidem, tanquam Testes adnotabantur, qui Actis ipsis interfuêre: quantumvis eodem die, & loco, quibûs postea confecta est charta, præsentes haud ampliùs fuerint, & fortè ne quidem vitâ superstites.

Quid inde documenti capiendũ?

Quapropter quod gravi alioquin Scriptorum Authoritate asseritur, per tenorem Diplomatis cujuslibet, contrariam æram referentis, nequaquam tenaciter nimis inficiari oportet. Qui gnaviter attenderit, usu discet, ipsas quandoque Chartas Locum, Diémque, quibus antea celebratum Negotium, ac Diploma postmodum expeditum est, manifestè disertéque secernere: cujus rei & in hoc Opere haud unum exemplum occurret.

Epochæ Ducis nostri.

LXIV. Tempus omne Vitæ, tantum ærumnis & laboribus, quantum Virtutibus plenæ, quod in Terris Princeps noster exe-

exegit, à die 15.^ti Octobris Anni 1176. qua natum eundem *Ortilo* perhibuit, usque in diem 28. Julii Anni 1230. quo piam Animam Domino commendavit, confecit Annos 53. menses 9. dies 13. Stiriæ præfuit à morte Patris, diebúsque postremis Anni 1194. æstatibûs 35. mensibûs verò 7. Austriæ à morte Fratris medioque Aprili Anno 1198. hybernis 32. mensibus 3.^bus Mors ejus, præter luctum propriæ Domus ultimum in Surculum Virilem inclinantis, Utrámque pariter Provinciam, quæ hoc Optimo Principe lætissimè floruerat, decumanam in tristitiam præcipitavit: dum statim, elata quasi cum *Leopoldo* publica Felicitate, calamitates præ foribus adessent. Sed fletui Seren.^mæ Conjugis, ac Liberorum, nonnihil saltem temperaturus Pontifex Maximus *Gregorius*, qui *Leopoldo* nunc humanis exemto, ob tam devota, & veluti hesterna obsequia, sibi, totique Ecclesiæ impensa, peculiariter tenebatur, studiosè ad consolandum composita Epistolâ, Dominæ *Theodoræ* Viduæ lachrymas abstergere contendit. Atque hanc aliquot multis abhinc Annis à Cl. Viro A. R. D. P. *Hier. Pezio*, Austriæ vetustæ in lucem revocandæ feliciter genito, & aliàs omnibus propè paginis à me laudato, ex Codice MS.^to Incliti Monasterii Zwetalensis erutam, & Nobiscum perbenevolè communicatam, ego hìc integro tenore adscribo: quæ vero in hac Nobili Antiquitatis Gemma de Principe nostro Apostolici Stili vadimonio prædicantur, tanquam Æri marmoríque insculpta forent, eidem in Elogium funebre ad omnium posterorum memoriam consigno. Libet attamen prævié advertere, de nemine alio Principum Austriæ, quos quidem ego hactenus prædicavi, alicubi constare, in cujus morte Summus Christi in terris Vicarius lugentem Viduam conceptis Literis consolari dignatus esset, præterquam de *Leopoldo Pio* Marchione, hodie *Sancto*: cujus Relictam *Agnetem Innocentius* Papa II.^dus, déque Principe nostro, cujus Viduam *Theodoram Gregorius* IX.^nus clementissimâ utrinque Epistolâ erigere à fletu instituit. Quod sanè, quantum Utrique Principi ante cæteros omnes sese Sancta Sedes Apostolica addictam, devinctámque professa sit, perspicuè satis omne in ævum contestatur. Nunc porro admirantes ipsi Pontifici auscultemus. *Ejus relictam Dominam Theodoram Pontifex consolatur.*

LXV. „Quòd, potati doloris amaritudine, amaricatæ Fi-„liæ nostræ Consolationis haustum proponimus propinandum, „Sinceritas efficit caritatis, quæ nihil humanum à se reputat alie-„num: quæ sic omni dolenti condolet, & compatitur patienti, „ut non minùs in alienis, quàm in suis angustiis anxietur. Sa-„nè audito nuper Obitu Magnifici Ducis Austriæ Viri Tui non „potuimus graviter non turbari: *Qui Eum, tanquam CHRI-„STIANISSIMUM PRINCIPEM, in Minorum Officio consti-„tutum, speciali diligentes affectu, Ipsum erga Nos, & Roma-* *Epistola Pontificis.*

, *nam Ecclesiam, non tam argumentis probabilibus, quàm expe-*
, *rimentis evidentibus, fidelem probavimus, & devotum. Qua-*
, *re tantam gerebamus de Ipsius Sinceritate fiduciam, ut in Nego-*
, *tiis Pacis ejusdem acquiesceremus Consiliis, & Desideriis fave-*
, *remus, reputantes, sibi meritò deberi, quidquid Eidem possemus*
, *Honoris & Gratiæ impertiri.* Tibi quoque, tanquam Filiæ Spi-
, rituali, & *à Domino benedictæ*, Paterno contribulamur affectu,
, scientes, Te in subtractione *Tanti Viri*, cum quo una caro
, fuisti, acerbis doloribus cruciari. Verùm ne, si doloris causas
, exaggerare velimus, vulnus doloris non tam medicinaliter per-
, tractare, quàm lacerare crudeliter videamur: necesse est, ut
, ad eum, qui vulnerat, & medetur, & moerentes erigit sospi-
, tate, Nos, & alii revertamur humiliter, ut ab eo, qui nos in
, omni tribulatione misericorditer consolatur, Consolationis be-
, neficium mereamur: maximè cùm damnis hujusmodi non oc-
, curri valeat in homine, vel succurri. Qui enim proprio Filio
, non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, nun-
, quam ullum, contra Generalem legem Naturæ, voluit eximi
, morte carnis; ut etiam nulli præjudicet, generalem naturæ
, conditionem singulis observavit.

, Cæterùm cùm idem Dux, corde contritus, ore confes-
, sus, sumto Viatico salutari, sicut confidimus, feliciter ad Chri-
, stum migraverit, diligentibus eum gaudendum potiùs est, quàm
, dolendum. Quia si currens per stadium hujus vitæ cælestis
, gloriæ bravium apprehendit, quantò celeriùs consummavit,
, tanto felicior est reputandus. Sed inquies fortè: Nec caro mea
, ænea est, nec fortitudo lapidis fortitudo mea, quin eadem ca-
, ro mea tam rigidè incisa doleat vehementer: nec Conjugalis
, affectio patitur, ut in ea ipsius Viri memoria moriatur, cùm
, Caritas non excidat, carne etiam decedente. Nec nos quidem
, castigati, doloris molestiam intendimus inhibere, ne contra le-
, gem naturæ frustra contendere videamur: quæ tamen sic est
, providè temperanda, ne contra legem DEI erigi videatur. Nam
, quæ secundum seculum est Tristitia, mortem, quæ autem se-
, cundum DEUM est, poenitentiam operatur stabilem in sa-
, lutem.

, Est enim, unde potes etiam temporaliter consolari: quia
, *de sepulta Radice Ramus prodiit Generosus, dum de Patre natus*
, *est Filius*: ut vix sentiatur amissus, cujus non extraneus est
, Successor. Ideóque monemus, & rogamus, quatenus non ne-
, ges consolari Animam Tuam: sed memor DEI, delecteris in
, omnibus Operibus suis, & omni mœrore deposito, te, & tuos
, salubriter consoleris, ut sis etiam, sicut condecet, Consola-
, tionis aliis in exemplum, clamores & luctus convertens in Ora-
, tionum suffragia, & moeroris lachrymas commutes in opera
, pie-

„pietatis. Nos autem, qui Patres Orphanorum, & Judices Vi-„duarum existere tenemur, Te, & Filium tuum, quantum „cum DEO, & honestate poterimus, Gratia prosequi propo-„nimus, & favore: ut Benivolentia, quam ad Defunctum ha-„buimus, transeat etiam ad Hæredes. Datum &c.

LXVI. Culmen profectò Gloriæ *Leopoldi* nostri Summus in terris Christi Vicarius imposuit, dum eum *Principem Christianissimum* prædicavit. Quanta non in Principe Decora, Papæ eundem, & Ecclesiæ, *fidem suam & devotionem experimentis evidentibus probâsse?* Tantam sibi *sinceritatis suæ* conciliâsse *fiduciam* apud supremum Universalis Ecclesiæ Pastorem, *ut in Negotiis Pacis Consiliis ejus acquiesceret, Desideriis faveret, reputaretque, Principi nostro meritò deberi, quidquid eidem posset honoris & gratiæ impertiri?* Hoc præcipuum dum egregiâ verborum energiâ *Gregorius* expressit, *Magnifici Ducis*, *Tanti Viri*, præconiis usus, ac propter eum Relictam ejus *Benedictam à Domino* pronuncians: reliqua *Leopoldi* merita se invitum quodammodo siluisse, hac alia sententia sua paulò pòst subnexa liquidò contestabatur. *Verùm ne, si doloris causas exaggerare velimus, vulnus doloris non tam medicinaliter pertractare, quàm lacerare crudeliter videamur.* Quæ námque fuisset crudelior laceratio, quàm si Gemmæ hujus veluti inæstimabilis, & in tanto Principum numero propemodum incomparabilis, Lumen omne ac Pretium conceptis & prolixioribus verbis ob oculos posuisset? Crescunt sanè à pretio Rei profundiùs introspecto Amor quidem ejusdem, dum nos possessio beat, vel habendi desiderium inflammat, dolor è converso, dum ejus jacturam, & illam irreparabilem, subivimus. Pressit itaque *Leopoldi* Virtutem silentio Pontifex: sed quantùm eum doleret sibi & Ecclesiæ subtractum, dissimulare non valuit, mox in primordio Epistolæ *potatum* se *doloris amaritudine* confessus: alibi verò, *non potuisse se, audito ejus obitu, non graviter turbari:* postremùm tandem, *nolle se quidem ipsum castigatum, doloris molestiam* Conjuge relictæ *inbibere.* Perspicuus est sanè in his pulcherrimis Literis *specialis*, quo *Gregorius*, ut ipse iterum infit, *Leopoldum* dilexit, *affectus.* Quantum verò in eum putemus Cæsaris amorem fuisse? Testes quidem ejusdem Literas hucusque non habeo. Quoniam verò Pacis, per obsequia Principis nostri compositæ, fructum dulcissimum ipse ampliùs, quàm Pontifex, persensit, quis ambigat, in communem tam Ecclesiæ, quam Imperii Pacificatorem Austriacum, tam Papam, quàm Cæsarem, amore, gratitudine, benevolentia, certâsse? Cùm autem Pontifex ipse *ex Ramo Generoso*, i. e. Filio, mitigandum putaverit Matris dolorem *de Radice sepulta:* & ego pariter à *Leopoldo* Patre ad *Fridericum* Filium transeo, ejusque Famam, in quam proscindendam Scripto-

Exegesis nonnulla hujus Epistolæ.

rum ferè omnium calami conjuràsse videntur, quantum id Veritas & Æquitas permiserint, vindicare aggredior.

Leopoldo Patri successit Filius *Fridericus* natu minimus, qui unus erat superstes.

LXVII. Proximum erat, ut *Fridericus*, moriente Patre, Nonum decimum Ætatis ANNUM sesqui altero mense transacto expleret, natus, quod jam iterum ex *Ortilone* repetii, medio Junii AN. 1211. Nascendi ordinem, quo postremus erat, triste & præcox Fratrum suorum fatum ita correxit, ut solus iisdem superstes, omnem Patris fortunam, quæ extra animum est, legitimus Hæres adiret. Plurimùm quippe fefellit *Haselbachius*, ajens, eum, unacum Fratre *Henrico*, *de Medling* dicto, successisse: sed hoc infra paucos annorum decursus sine Liberis masculis vita functo, totam ad ipsum Paternam hæreditatem devolutam. Laudem optimi Parentis nec ipse consecutus est: neque Provinciæ sub ejus Bellicositate felicitate illa gaudebant, qua easdem Pater tanto tempore per studia Pacis beaverat. Cl. *Historiæ Ducum Stiriæ* Scriptor Academicus Græcensis A. R. P. *Schezius* p. 62. *Friderici* hujus gesta inchoans, eleganti quidem calamo, nimis verò ex imitatione intemperantium Scriptorum, ita prælocutus est. „Ferociam Domini luebant Provinciæ --- „*Friderico* ad miserorum gemitus surdô: ut qui villarum incen„diis suam Gloriam, quàm quò maximè illustrandam censeret. „Et verò, si bellis ultrò oblatis, quàm sollicitè quæsitis, exer„cere fortitudinem maluisset, primis illum Heroibus excelsitas „Animi exæquàrat. Quàm in accersenda pericula pronus, tam „in ferendis fortunæ casibus fortis, ut turbulenti genii veniam „hoc nomine mereri propemodum videatur. Vinci quidem, „non perinde trepidare docilis, in rerum omnium desperatione „ipse solus erectus. Si modò ex cladibus vitam, jam etiam spem „melioris fortunæ, & vindictæ propositum auferebat: nec un„quam hostem victorem formidine redituri non multò pòst Ul„toris absolverat.„ Ita Ducis nostri imago coloribus, hinc quidem tam fuscis, quàm illinc lucentibûs, passim adornatur. Sed patebit deinceps, frequentiùs *Friderico*, atque communiter credatur, non oborta solùm, verùm extorta etiam bella talibus ex causis fuisse, quas omnes ii penitus nesciunt, qui statim eorum temporum, in quæ venit novellus hic Austriæ Princeps, non probè, & è tutissimis monumentis intelligunt.

Icon animi ejus è communi quodammodo Scriptorum sensu liberiùs picta.

Fontes perpetuorum bellorum sub *Friderico* Duce.

I. Insolentia Nobilium.

LXVIII. Tria potissimum Ævô illo quietem Provinciæ nostræ profligàrunt. Primùm quidem diuturnæ pacis apud Nobiles impatientia: deinde impendens Babenbergici Stemmatis defectus: tandem exitiabilis & perpetua Sacerdotii atque Imperii scissio, ex quo reparata per *Leopoldum* Concordia haud multos post annos, recalescentibus discordiæ facibûs, iterum præfocata fuit. Pacis otium quanta opibus attulit incrementa, tantum pariter apud Nobilium animos ambitum accendit, ut priva-

vatam fastidientes fortunam, atque subesse detrectantes, ad proferendum, quacunque potuêre, dominatum, aut saltem ad solutam legibus totius vitæ licentiam, vehementer aspirarent. Ambitus fecit inquietos, ut non minùs domi, quàm foris, arma insolentia ad prædam jactarent: quæ res, cum civili pariter discordia, & injuria vicinorum peracta, Civium, & Exterorum, ultionem provocavit. Vitæ licentia, quia Principi plurimum incommodabat, justitiæ Gladium ita exacuit, ut solito severior castigare debuerit. Inde ira & indignatio luentium.

LXIX. Flos porro Prosapiæ Serenissimæ, unico jam in Surculo masculo *Friderico* consistens, ut ipsi, Patrique curam, sic multis, Provinciarum, Hærede destituendarum, æmulis, cupiditatem accendit. Ardor Nepotum habendorum Patrem induxerat, ut festinaret cum Connubio Filii, primóque per mortem statim dissolutô, alterùm è vestigio procuraret: quod cùm sterile appareret, *Friderico* etiam divortium permisit. Atque hic ausus, quod aliàs ex *Ortilone* percepimus, *Mala multa occultè seminavit in Patria, quia Propingui Conjugis Repulsæ* (potentes illi, & alioquin Austriæ nunquam non æmuli, Rex videlicet Hungariæ cum Filio) *tacitè deinde vindictam de Friderico per Ministeriales bujus Patriæ* (per se admodum discolos, & foederata Bohemorum Arma) *quærebant.* Qui color repetendæ, uti præferebatur, justæ Ultionis, latentem provinciarum rapiendarum cupidinem, specioso admodum pallio involvit. 2. Impendens Extinctio Stemmatis Babenbergici.

LXX. Scissio demum Sacerdotii, & Imperii, omne Regnum & Provinciam divisit, Præsules opposuit Præsulibus, Principes in Principes concitavit, Regionibus, Urbibus, Oppidis, nunc Pontificis iram per triste Sacrorum interstitium, nunc Cæsaris vindictam per Grassationes, rapinas, incendia, induxit. Conjectus erat *Fridericus* Dux noster in discrimina non modò paria, sed & multò graviora, atque illa fuêre, cum quibus inter consimilia Ecclesiæ & Imperii dissidia, *Henrico* IV. Imperatore, *Leopoldus Pulcher* Austriæ Marchio, & *Friderico I. Barbarossa* Cæsare, *Henricus Jasomirgott*, Dux Austriæ primus, luctari debuerant. Neuter horum Principum propter clades, quas Patria sub eisdem Religionis causâ sustinuit, absque convitiis in Historia exivit, malevolorum calamis mala provinciæ in crimina Principum refundentibûs. *Leopoldum* enim *Pulchrum* acie contritum à Fratre *Alberto Levi* mentiebantur propter incestam thori fraterni violationem: *Henricum* Imperio infidelem, & ideo Ducatum ejus à Cæsare in Stiriæ Marchionem fuisse translatum, calumniabantur: uti suis ego locis in Elogiis horum Principum perspicuè ob oculos posui. Eâdem itaque licentiâ grassabantur nonnulli pariter in famam *Friderici Bellicosi*, & 3. Scissio Sacerdotii & Regni.

& cùm eosdem impatientia malorum, quæ senserant ob intemeratam erga Pontificem hujus Principis fidem, in iram præcipitâsset, calamis, non atramento, sed bile infectis, perpetuam ei dicam scripsêre. Quibus deinde Magistris auscultârunt Recentes propè omnes, fide, qua certiore nulla possent, se nixos existimantes, premendô sensum & verba terribilis illius *Notitiæ*, quam inter *Petri de Vineis* Epistolas Libr. III. legerunt, quámque *Fridericus II.* Imperator, antequam *Friderici* Ducis nostri Proscriptionem aggrederetur, *de enormibus ejusdem excessibus* Bohemiæ Regi prævié communicaverat: item *Privilegii*, ab eodem Cæsare Urbi Viennensi concessi, Exordium acerbissimum sequendô. Sed hos Fontes Adversariorum, *Decade* sequenti, ipsemet omni cum candore adducam, commentariis verò adjunctis, quibûs pateat, quantum his, tametsi coævis, documentis cum veritate conveniat.

Bohemi Austriam An. 1229. vastâsse traduntur.

LXXI. Quàm perperam autem in plurimis vapulet *Fridericus*, nulla ratione commodiùs, quàm accurata eorum, quæ pro libitu fingebantur, secum invicem collatione revincere licet. Quod ut fiat, initium, ut illi habent, malorum expendere occipio. *Steronis* verba in Chronico suo ad Annum 1229. sunt. „Rex Bohemiæ Austriam valida manu intrans, magnam „partem Terræ vastavit.„ Hanc irruptionem *Dubravius* Histor. Bohem. Libr. XV. p. m. 132. sq. eodem Anno factam asserit à *Wenceslao* juvene Rege, vivente adhuc Patre suo *Primislao Ottocaro*, rémque ita enarrat, cùm egisset de gravi discordia Papæ ac Cæsaris, utrinque oppositis armis in Italia ferè ad summum provecta. „LEOPOLDUS Austriæ Princeps Cæsaris Castra „cumprimis armatus comitabatur, curâ administrandæ Austriæ „Filio *Friderico* demandatâ. Hujus incuriâ nonnulli inquieti Au„striaci, priùs latronum modo sparsi, pòst manipulatim colle„cti, ad populandos agros Znoymenses in Moraviam sunt in„gressi. *Uladislaus* Marchio ad *Premislaum* Regem Patruum „suum, opis referendæ gratia, Pragam confugit: qui, cùm vi„ribus tunc attenuatus esset, ultionem mandat *Wenceslao* Filio, „quem jam pridem Regem cum Uxore *Kunegunde*, auspice *Zy„frido* Moguntino Pontifice, coronaverat. Atque ille ab Op„pido Austriæ, quod *Cremes* vocant, exorsus, finem vastandi se„cundum Danubium Loca omnia non priùs facit, quàm ad fi„nes Moraviæ cum multiplici præda redit. Volant protinus in „Italiam ad *Leopoldum* à *Friderico* literæ, gravissimam querelam „de calamitate à Bojemis accepta complexæ. Sed longè graviùs „*Leopoldus* apud Cæsarem quæritur: *Se, dum illum in peregrina* „*militia sequitur, hoc domi lucrifecisse, ut sua ferè omnia bona* „*audiat à Premislao esse pervastata, ideoque commeatum abeundi* „*petere, ut rebus suis præsens consulat, sensurum brevì Bojemum,*

quem

,, *quem lacessierit.* Non erat tempus diminuendarum, sed potiùs augendarum copiarum in tanto Italiæ tumultu. Itaque Cæsar amicis *Leopoldum* verbis consolari, sibíque hanc vindictam vendicare, quam se retributurum Bojemis, cùm primùm in Germaniam reversus fuerit, pollicetur, interimque Austriam cum Filio securam præstiturum. Scriptæque confestim ad *Premislaum* literæ, minarum plenæ: quòd Cæsare absente Germaniam cum armâto milite incursare ausus fuerit, ejúsque audaciæ pœnas se exacturum interminabatur. Cæterùm *Leopoldus* haud multos post dies in Apulia est mortuus. Cæsar autem tot ibidem ac tantis negotiis distinebatur, ut ab illis sine maximo suo incommodo & contemtu avelli non potuerit &c.

LXXII. Quàm oppidò hæc pleraque omnia fallant, inde liquet, quòd *Leopoldus* non ANN. 1229. sed initio demum ANNI 1230. Italiam intraverit, prout antehac demonstratum: minùs verò armatus, & Castra secuturus, sed multò magis togatus, pacémque facturus, Scriptorum omnium consensu, illuc processerit. Infeliciter ergo finxit *Dubravius*: neque feliciùs *Pulkawa*: Qui, licèt Bohemicam hanc Impressionem veriùs in ANNUM 1231. consignaverit, turpiùs tamen erravit, commentus, etiam Viennam tunc captam, & redditam à *Wenceslao* non esse, donec eidem vicena Aureorum millia à *Friderico* penderentur, quæ ipse admirabili liberalitate suos inter milites distribuerit. *Balbinus* in Epitom. Rer. Bohem. p. 262. quasi rem complanaturus, gemina hìc bella distinguit, uti & gemina fuêre: nihilosecius tamen primum, quo vult, Bohemos *à Cremsio usque Trentzinium in Hungariam* vastâsse, perperam similiter alligat ANNO 1229. Quid Austriæ cum *Trentzinio?* vel si Australes peccavêre, quare Ungari luebant? Vide concordem in errore discordiam: sic error errorem trahit. Quod undique fallit.

LXXIII. Alii vastationem istam retulerunt AN. 1230. Chronico *Luneburgico* vernaculo apud Jll. Eccard. Scriptor. I. col. 1405. ita narrante. ,, Darna starf de Hertoge Lippolt van Osterrik. Do brande de junge Koning van Behem dat Land to Osterrik wante an de Donawe. Tohant dere Herevard do starf de alde Koning Oddaker van Behem.,, Obiit *Leopoldus* Dux noster mense Julio exeunte, & *Premislaus Ottocarus* Rex Bohemus medio Decembri ejusdem ANNI 1230. quas proinde inter ambas mortes Czechidæ nostram in Patriam primùm excurrissent. Consentiunt in hunc ANNUM pariter Chronica, *Salisburgense*, *Cl. Neoburgense*, & *Australe*, quæ quidem duo eadem sunt, & addunt: ,, Piæ memoriæ Dux *Liupoldus* apud S. Germanum obiit: moxque Ministeriales ejus ferè omnes contra Filium conjura- Alii hanc irruptionem alligâ- runt Anno 1230.

,, ve-

„verunt, primò dolo privantes eum thesauro Patris, ac postmo„dum totam ferè Austriam incendio & rapina vastaverunt.„ At verò Chronicon *Mellicense*, reliquis non paulò ordinatiùs, irruptionem hanc Bohemicam multò rectiùs recenset ad ANN. 1231. Templi quippe nostri Consecratio, & Serenissimi Ducis Fundatoris *Leopoldi* Depositio, die ultima Novembris, in magna Principum, Procerum, Nobiliúmque frequentia, §.° III. luculentiùs recensenda, imperturbatis undique Solemniis agebantur. Præterea *Henricus* & *Hadmarus* Chunringii, qui turbarum Coryphei & Incentores habentur, ea ipsa die ad obsequia novi Ducis *Friderici*, immò & *Leopoldi* defuncti suprema officia præsentes, *Friderico* suis in Literis admodum gratiosis, tum pro nobis expeditis, Testes egerunt. Vix autem fumante inter bellicos furores provincia, Principes illuc ad festum concurrunt: vel perduelles perfidique Proceres à Principe, in quem tunc arma stringunt, in testes advocantur. Sine turbis ergo hic ANNUS exiit: quod licèt vel sola mox dicta Solemnia nostra jam satis evincerent: gravissimo tamen testimonio Scriptor ille coævus manifestè docebit, in quem, fortuna bellè obsecundante, nostra in Bibliotheca incidi, Acta *Friderici* Ducis omnia, immo & gesta post eum ab AN. 1230. usque 1267. exacto Chronologiæ ordine, aliter longè, ac enucleatiùs, quàm Cæteri, percensens, & à me Decadibus insequentibûs primùm in lucem eruendus.

Sed hic annus pacatus exiit.

§. II.

Res Ordinis Cisterciensis.

Annus 1221.

Personæ illustres Ordinem nostrum ingressæ.

I. VAriè hoc ANNO illustratum Cistercium. Primùm namque *Sanctia* Lusitana Regia Virgo, cùm ad Nuptias à *Ferdinando* Castellæ Rege, consilium, immo preces interponente Fratre *Alfonso* Lusitaniæ Monarcha, urgeretur, ad Parthenonem Cisterciensem à se erectum, *Cellásque* dictum, subitò se conferens, advocatô Episcopô, Velum sacrum Coronæ ac Purpuræ Regiæ antehabuit, postquam Regiam suam, quam habitaverat, Ordini Seraphico donâsset. *Conradus* deinde Halberstadensis Episcopus, teste *Kranzio* in Metrop. Libr. VII. Cap. 37. *insignis & Religiosus Vir*, cùm septem ANNIS Ecclesiæ suæ quàm optimè præfuisset, tædio Rerum secularium, ex Auctoritate Summi Pontificis, eam dimisit, & in Monasterium *Sedebecke* concessit, Ordinem Cisterciensem professus. In Gallia idem egit *Guilelmus*, quem, tradente *Oudino* Scriptor. Eccles. Tom. II. col. 1724. ajunt è Toparchis *de Siliniaco*, & Stirpe S. *Bernardi* oriundum fuisse, primùm Episcopus Antisiodorensis, deinde ab

ab *Honorio* III. Papa Parisiensem ad Ecclesiam promotus: unde altero ANNO, qui erat hic præsens, jam gravi senio confectus, Pontigniacum se recepit, Vitámque inter nostros Cænobiticam agens, reliquum ætatis meditandô scribendóque exegit, dum adhuc Episcopus esset, *Libertatis Ecclesiasticæ Mirabilis Defensor* prædicatus, antea verò Clarissimus in Academia Parisiensi Theologus fuisse celebratur. Bibliotheca nostra MS.tam servat ejusdem *Summam Theologicam* Membranis in folio exceptam Chartis CXL. & unâ. Item *Summam* ejus *de Officiis Ecclesiasticis* in 4.to Membrana foliis XL. descriptam. Utrumque Opus *Oudinus* l.c. laudat, clarisque variis è Galliæ Bibliothecis MS.tum allegat, *Summam* verò *Theologicam* etiam impressam ait in fol. Paris. AN. 1500.

II. Anterioribus meritò accedit *Waldemarus* Regius Daniæ Princeps, Episcopus Sleswicensis, sed eo temporis adhuc Gloriæ cupidine pro Celsitudine Natalium plenus, ipsúmque Regnum affectans. Quare à Rege penitus terra excedere jussus, iterum ad Bremensem Archiepiscopatum se à nonnullis eligi passus, veteres turbas instauravit, anathemate propterea à Pontifice ligatus. Sed hujus incurius, debiti admonebatur à DEO, lethali morbo ferè ad exitum perductus: ubi, advocato Lucellensi Ordinis nostri Abbate, Cistercii habitum induit, proponens, si convalesceret, nostrum se Ordinem professurum, & in eodem ad vitæ usque finem perstiturum. Hoc pacto ab Abbate anathemate exolutus, quia moriturus putabatur, sanitate tamen iterum recepta, stetit promisso, Romámque pergens, illud sibi à Pontifice imponi flagitavit. Qui, uti Abbatibus, Cisterciensi Generali, ac Morimundensi scribebat, *Respectum ad Ordinem nostrum habens*, Absolutionem antè dictam ratam habuit, id solùm reservans, ne *Waldemarius*, quem in Ordine recipi, omnique cum charitate retineri voluit, Officium Sacerdotale exerceat, nisi peculiarem à Sede Apostolica facultatem obtinuerit.

Waldemarus Princeps Regius ac Præsul convertitur in Ordine.

III. Legationum & Commissionum Apostolicarum, nostris in hoc ANNO in omnibus ferè provinciis impositarum, longus est apud Rever.dum *Manriqueum* nostrum Catalogus. Quarum præcipuè fuerunt, Abbatis Salemitani (*Eberhardi* I. sanctimoniæ opinione, & Jubilæo Abbatialis Regiminis in *Apiario Salemitano* p. 123. sqq. celebrati) unacum Constantiensi Episcopo Missio solemnis, ut omnes in Germania Cruce signatos, maximè Comites & Barones, in fide sua liberanda segniores, exhortarentur in Domino, aut etiam censuris compellerent. Deinde *Conradi*, ex Archi-Abbate quondam Cistercii Generali Cardinalis Episcopi Portuensis, Legatio in Galliam adversus Albigenses. Tandem Abbatis Morerolæ in Hispania Directio ad *Alfonsum* Regem Legionis. Sic & *Ferdinandus* Castellæ Rex, Spon-

Legationes & Commissiones Apostolicæ nostrorum.

sam sibi rogaturus *Philippi* Electi olim Romanorum Regis, tunc jam defuncti, Filiam, cæteris Oratoribus addidit Abbatem nostrum de Rivo Sicco, Virgine Augusta à *Friderico* II. Rege feliciter impetrata, & in Hispaniam adducta. Et quoniam Seculum jam effluxerat ab obitu Venerabilis *Roberti* Abbatis Molismensis, quem DEUS Cisterciensis Reformationis Authorem prævidit, Virique Sanctitatem crebra prodigia loquebantur: communi Supplicatione à Capitulo Generali interpellatus est Summus Pontifex, ut publicum eidem Cultum in Ecclesia decerneret.

Annus 1222.

Conradus noster Legatus Apostolicus Albigenses gladio reprimit.

IV. CONRADO nostro, Legato in Galliis Apostolico, adversus Albigenses ensis rursum educendus fuit. Comite enim Tolosano *Raymundo*, quem adhuc Anathema ligaverat, per mortem sic præoccupato, ut quamvis adesset Legatus Pontificis, aliique Catholici Sacerdotes, voce tamen destitutus, nec confiteri, neque diris exolvi, vel Sacramentis Ecclesiæ muniri posset, tametsi signa quædam pœnitentiæ edidisse videretur: his tamen neutiquam perterritus, aut compunctus Filius ejus *Raymundus*, signa denuo in Ecclesiam sustulit, per copias militares à Legato collectas repressus. *Honorius* Papa III. summâ in Ordinem nostrum gratiâ, *Robertum* Molismensem, prævia Inquisitione, Beatum dixit, *Hugonem* pariter Bonæ Vallis Abbatem Sanctorum numero accensuit. Monasterio nostro de Casæmario mira clementia affectus, cum eodem univit suppressum S. Dominici de Sora Monasterium, multósque eidem reditus, insuper & pecunias contulit, hæc Beneficia sua conceptis aliquot Bullis perpetua decernens. Donatam ab Alexandro Scotiæ Rege Ecclesiam S. Medardi, ut annui ejusdem proventus cederent sustentationi Patrum Cisterciensium, in Capitulo Generali congregatorum, pro quarta die (tridui quippe sustentationem providit Rex Angliæ) idem Papa perlubenter confirmavit. *Gualterum* Archi-Abbatem Cisterciensem Legatum suum direxit ad *Philippum* Galliæ Regem: uti & *Laurentium* Ursariæ Abbatem ad *Alfonsum* Regem Lusitanum. Aliis Abbatibus nostris alia, ac præcipuè multorum Monasteriorum alterius Ordinis causas, & Visitationem commisit. In Hispania eodem tempore tres Reginæ, duæ nimirum Legionis, *Urraca*, atque *Tarasia*, tertia Castellæ *Mafalda*, & excitârunt sumtibus propriis Parthenones Cistercienses, & Sacrum Cisterciense Velum ipsæ susceperunt, præter totidem Virgines Regias. Conferatur Rever.mus *Manriq.* h. a.

Robertus Molismensis Beatus, Hugo Bonævallensis renunciatur Sanctus.

Alii Papæ favores.

Legationes nostrorum.

Reginæ ad Ordinem conversæ.

An-

Annus 1223.

V. PRimo hujus Anni Mense *Gualterus* Archi-Abbas Cistercii, emensâ hujus vitæ viâ, beatam ad Patriam pia morte tetendit, Successore *Jacobo*. Alterutri horum, simúlque universo Conventui Cisterciensi, *Honorius* Papa summa cum dignatione Sermonum suorum Volumen inscripsit, anathemate cavens, ne illud à Cistercio unquam alienaretur. Albigensium hæresis ita vehementer latéque recruduit, transque Alpes, trans Italiam diffusa est, per Bulgariam, Croatiam, Dalmatiam serpens, ut etiam Antipapam *Bartolomeum* nomine, sibi suscitaret, qui Episcopos ordinare præsumsit. Contra perniciosissimam hanc pestem *Conradus* noster Cardinalis Legatus Concilium apud Senonas quidem indixit, sed postea Parisiis coëgit: cui Rex ipse Galliarum *Philippus* præsentiâ suâ pondus additurus, vel infirmus,& ad mortem æger, eò contendit. Obiens verò sub iter, excessu suo spem Rei Christianæ graviter afflixit. Restituit autem illam DEUS, ubi, durante Concilio, Antipapam prædictum insperata morte de medio sustulit, quin Asseclæ sui eidem alterum substituere, metu Patrum adversum se congregatorum, & imminentis novæ contra se Expeditionis, auderent. Cæterùm Consilio pariter, Justísque solemnibus Regis interfuit *Guilelmus*, olim Episcopus Parisiensis, nunc Monachus noster, supra laudatus: abinde autem reversus, hoc Anno & ipse in itinere decessit exeunte Novembri, corpore Pontigniacum reducto. *Ferdinando* Castellæ Regi *Petrus* Abbas noster Gumielis Oratorem in Germaniam egit, Virtute sua Coloniæ apud *Engelbertum* Archiepiscopum tantam sibi existimationem concilians, ut tam ingenti sacrarum Reliquiarum thesauro donaretur, quo deinde partito quamplurimas Hispaniæ Ecclesias ditaret. *Alfonsus* Lusitaniæ Rex decedens, non modò supremis tabulis in Cistercienses, apud quos etiam in Alcobacia sepeliri voluit, prodigè munificus fuit: sed insuper universæ suæ supremæ Voluntatis Executores tres Abbates Ordinis nostri constituit.

Gualterus Archi-Abbas obit: *Jacobus* succedit.

Alterutri *Honorius* Papa Sermonum suorum Volumen inscripsit.

Albigensium hæresi vehementer recrudescenti *Conradus* noster Legatus Consilio obviavit.

Ferdinandi Castellæ Regis Orator Abbas noster.

Alfonsus Lusitaniæ Rex Testator munificus in Ordinem.

Annus 1224.

VI. ALmarico, Filio *Simonis* Comitis Montfortii, causam Catholicam propugnante, & è converso hæresin Albigensem tuente *Raymundo* juvene Comite Tolosano, varia fortuna pugnatum: donec tandem *Almaricus* ditiones omnes, Albigensibus antehac ereptas, & in quas ipse Patri successerat, *Ludovico* novo Galliæ Regi omni cum jure suo plenè consignâsset. Tum exterriti potentia Regis Hæretici, apud Papam sui Reconciliationem tam suppliciter, támque humiliter quæsiverunt, ut *Honorius* indulgentias, euntibus contra Albigenses indultas, re-

Arnaldus Archiepiscopus Narbonensis jubetur Concilium cogere in Albigenses.

vocaverit ad tempus, & *Arnaldo* nostro, ex Archi-Abbate Cistercii Archiepiscopo Narbonensi, qui tot olim Annis hydram istam debellaverat, imposuerit cogendum Concilium; quò & hæretici supplices vocarentur, audirentur, & si se morigeros præstarent, dictatis pœnis, & satisfaciendi conditionibûs, ad reconciliationem aptarentur, quam Sedes Apostolica, de iis, quæ gesta essent, ritè informata, indulgeret. Et videbatur Res planè composita nisi denuo hæretici resiliissent: ast verò haud longè postea, miserente DEO, perseverantem ad frugem rediturí. *Arnaldo* autem hæc provincia ideo imposita, quia *Conradus* noster Cardinalis Portuensis à Pontifice in Germaniam ablegatus erat, ut Exercitus Cruce signatorum ad Imperatorem in Italia, ejusdem hortatu frequens conveniret. In Polonia dies XVII. Septembris Sanctum *Casimirum* Abbatem Olivensis Monasterii nostri, unacum integro Conventu suo, impiis infidelium Prutenorum manibus Gedanum versus abstractum, crudeli omnium internecione ad Martyrum Chorum in Cælum transmisit.

Conradus Legatus in Germaniam.

Martyres Olivenses.

Honorius Papa Privilegia Ordinis adversus violatores integra servat.

VII. Insurgentibûs in Ordinem Episcopis, atque petentibûs, ut Abbates non, salvo Ordine suo duntaxat, sed sine limite eisdem profiterentur, integrámque Obedientiam præstarent: item Archidiaconis, ut Abbas, quem benedicerent, Palafredum sive Equum eis offerret: Plebanis demum, ut Monasteria de agris, vineis, pascuisque, ante Concilium quidem Lateranense obtentis, sed postea elocatis, deinde iterum redeuntibus, præterea de terris antè incultis, postea cultis, tandem de animalibus quoque post Concilium gignentibus, quasi hæc omnia noviter acquisitis accensenda forent, eisdem Decimas penderent: *Honorius* Papa, à *Jacobo* Archi-Abbate nostro humiliter imploratus, Ordinem triplici Bulla his à vexationibus defendit, eíque Privilegiorum integritatem clementer servavit.

Episcopi Cistercienses.

VIII. In Dania *Dunnerus* ex Abbate nostro Claræ Insulæ factus est Archiepiscopus Lundensis. In Hispania *Raymundus* Abbas Populetanus evasit Episcopus Elnensis Catalauniæ. Romæ *Rufinus* Monachus noster Capellanum Papæ Domesticum, Pœnitentiarium, & Vicarium Apostolicum egit. Uberius hæc omnia *Manriquens* noster. *Reinerius* Ordinis nostri Episcopus Albensis Insubriæ hoc Anno è Diplomatibus eruitur ab *Ughello* nostro Ital. Sacr. IV. col. 287. Cùm *Eberhardus* Archiepiscopus Salisburgensis erigendi tertii suam intra Archidiœcesin novi Episcopatus Lavantini facultatem rogâsset: Pontifex *Geroldo* Episcopo Frisingensi, item Abbatibus Cisterciensibus de Salem in Suevia *Eberhardo*, & S. Crucis in Austria *Egilolfo* injunxit, ut inquirerent, utrùm nemini hac è Fundatione præjudicium oriretur.

Commissiones Apostolicæ.

retur. Ita lego apud Cl. *Hansiz* Metr. Salisb. p. 326. & *Histor. Frising.* II. p. 2. Honoris erant ejusmodi Commissiones Apostolicæ, simul verò etiam oneris, cogebántque Abbates abesse à Filiis, & longis frequenter itineribus extera curare, domestica seponere. Unde variè legitur, impetrâsse Monasteria à Sancta Sede, ne eorum Abbatibus imponerentur ejusmodi Commissiones obeundæ: quali Privilegio etiam statim laudatum Abbatem Salemitanum AN. 1228. donatum fuisse reperio in *Apiar. Salemit.* p. 129.

Immunitas ab his sæpè Privilegio quæsita.

Annus 1225.

IX. LEgatio Apostolica in Germaniam *Conrado* nostro Cardinali Portuensi Anno superiore, & Morum pariter in Clero reformandorum, & Sacræ in Orientem Expeditionis accelerandæ causâ, injuncta fuit. Convocavit itaque Moguntiæ Concilium Prælatorum, in quo multi saluberrimi pro Clero Canones statuti. Sed interea, dum Patres in medium consultarent, infanda & sacrilega cædes *Engelberti* Archiepiscopi Coloniensis contigit, à meris Propinguis Comitibus de Isenburg decreta, & perpetrata. Author sceleris fuit *Fridericus* Comes, Cognatus Archipræsulis à se occisi, è Canonico Coloniensi fraternæ hæreditatis adeundæ causâ Miles factus. Hic Imperialis Parthenonis Essediensis Advocatus, Monasterium hoc adeò exactionibus deprædabatur, ut illud propè ad incitas redigeret. Nihil amicæ Archi-Antistitis monitiones, nihil preces, nihil etiam oblatæ de propriis reditibus portiones, si Advocatia moderatè uti vellet, profecêre. Cùm itaque ad supplicationes Abbatissæ, tam Papa, quàm Cæsar, imponerent Archiepiscopo, ut indiscretum Advocatum debita cum districtione, vel emendaret, vel amoveret: malignus ille severiora comminanti Præsuli mortem ex insidiis paravit, atque cùm propria, tum conducta sicariorum manu, ad Ecclesiæ cujusdam Consecrationem eunti tam crudeliter intulit, ut, loto deinceps corpore, septem & quadraginta majora in eodem vulnera, præter quamplurimas minores punctiones, deprehenderentur. Non ignaro mortis, sed variè præmonito, hoc accidit: ille verò devota præparatione præmissa, intrepidè sese DEO justitiæ victimam obtulit.

Conradus Cardinalis Moguntiæ Concilium celebrat.

Sacrilega cædes *Engelberti* Archiepiscopi Coloniensis.

X. Fuit aliàs hic Archi-Præsul Virtute simul atque doctrina clarus, vitæ fama integer, & *Henrico* Regi Puero Rector datus ab Imperatore in gubernanda Germania: quem innocenti morte Merita Martyris collegisse, illico à DEO signis ostensum testantur. Quoniam verò Ordini nostro admodum semper addictus, multisque gratiis propensus erat: provisum à DEO videtur, ut obsequia demortui nostris plerumque Abbatibus demandarentur. Relictum enim in Sterquilinio à latronibus Sa-

Obsequia nostrorum erga eundem defunctum.

crum Corpus inventum est à Cellerario Monasterii Hemmenrodensis, & ea nocte in domum aliquam advectum. Altera die ad Monasterium nostrum, dictum de Monte, delatum, ibique, prouti decuit, exceptum, lotum, curatúmque fuit: donec à nostris publica cum supplicatione Coloniam sit deductum. Mox deinde, ut *Henricus* ex Præposito Bonnensi electus est Archiepiscopus novus, *Cæsarium* nostrum Heisterbacensem requisivit, ut Vitam & Martyrium *Engelberti* conscriberet: id verò humiliter deprecanti, per Priorem suum præsentem obedientiâ injungi postulavit. Ut porro ad vindictam in Malefactores, tam sæcularem, quàm Ecclesiasticam Potestatem, eámque Supremam, tanto amplius excitaret. Exanime Archipræsulis Cadaver, ab omni fœtore cælitus præservatum, conducentibus geminis Abbatibus Cisterciensibûs, *Godefrido* Montensi, & *Henrico* Valle-petrensi, primùm quidem Francofurtum ad Regem *Henricum* puerum, qui hunc Tutorem suum ut Patrem flevit, deinde Moguntiam ad Concilium, cui *Conradus* noster præsidebat, adferri curavit, Rege latrones & Adjutores omnes proscribente, Legato autem Apostolico Diras in eosdem fulminante, & *Engelbertum* tanquam Sanctum DEI Martyrem proclamante. Tandem idem Legatus hujus Beati Antistitis, cujus Cor & Viscera in Monasterio nostro de Monte tumulata fuêre, venerandas Exuvias, Coloniæ in Templo Archiepiscopali, elegantissimo Mausoleo, ingenti cum decore & pompa solemniter intulit, crebris à DEO prodigiis illustratas.

Annus 1226.

Alia duo Conradi nostri Concilia.

XI. ALtera per *Conradum* nostrum hoc Anno celebrata Synodo Coloniensi, cùm Clericus quidam præcipuus in Fratres Prædicatores, animarum se curæ offerentes, importunam coram se querelam faceret, Legatus hos novos in Vinea Domini Operarios commendatione sua per Germaniam gratos ac celebres fecit. Tertio Conciliô, à se Leodii habitô, in sicarios B. *Engelberti*, omnésque complices, pœnæ severissimæ, quas etiam nullus eorum evasit, statutæ fuerunt. In Gallia *Ludovicus* Rex adversus Albigenses ipsemet exercitum ducens, Avenionem Urbem, septennali jam interdicto laborantem, tandem expugnavit, mœnibus dirutis, & solo æquatis. At non longè pòst reversus, morbo decessit, Coronam & Solium Filiolo duodenni *Ludovico* id nominis IX.[no], & Sancti elogium promerituro, reliquit: cui DEUS plenam tandem hæresis Albigensis excisionem servavit. In Hybernia clarissimo Agone hoc Anno finiit *Charus*, ex Abbate olim nostro Mellifontis Episcopus Achadensis. Augustæ Vindelicorum in Germania Cathedram Pontificalem ascendit *Syboto* ex LL. Baronibus de Gundelfingen, abdicata

Albigenses devicti.

Episcopi Cistercienses.

cata

cata postmodum Dignitate, quam summa cum laude Virtutis gessit, Cisterciensem Ordinem nostrum integro decennio illustraturus.

Annus 1227.

XII. *Conradus* noster, peractis in Hispania, Francia, Germania, Belgióque Legationibûs, in Italiam reversus ad Cathedram suam Portuensem destructam, & propè in ruinis jacentem, inde cum Summi Pontificis facultate quatuor Sanctorum Corpora, ut ampliùs, quàm in ruderibus Ecclesiæ colerentur, ad Claramvallem dono transmisit: ubi & ipse olim sepeliri optavit. Non longè pòst obiit *Honorius* III. Papa, si quis alius, nostrum in Ordinem clementia, & beneficentia summa propensus. Quapropter in subsequenti hujus Anni Capitulo Generali non modò Suffragia, ab universo Ordine nunc ferenda, sed etiam Anniversaria, eâdem peculiari canone decreta fuêre. Quæ subsecuta est Electio, per Compromissum fiebat, Cardinalibûs omnibûs, qui aderant, Suffragia sua in tres præcipuos Gremii sui ita transferentibùs, ut, quemcunque ipsi nominaverint, is ab omnibus electus habeatur. Unus porro eorum, in quos compromissum erat, fuit noster *Conradus*, tantæ existimationis, ut absque hæsitatione à cæteris duobus Papa nominaretur. Verumtamen quia & ipsius, tanquam tertii requirebatur Suffragium, vehementer obnitendô, *Absit*, ajebat, *ut exeat sermo, me à mei so electum.* Nominavit deinde *Hugonem*, in quem propter *Conradi* reverentiam ambo etiam reliqui consensêre, ísque dictus est *Gregorius* IX.[um] Alter jam erat è Cisterciensibus Vir iste, toto Mundo superior: quia per summam Humilitatem Culmen illud studiosè declinavit, quo celsius aliud Orbis Christianus non habet. Sexto abinde Mense DEUS illum, qui se humiliavit in terris, beata morte in cœlis exaltavit. Quiescit è voto in Claravalle, neque Scriptorum Ordinis, aut exterorum est aliquis, à quo Elogium Sancti non retulerit. Celeberrimum illud, digitos eidem ad preces, & occupationes nocturnas non secus, quod ajunt, atque candelas arsisse. Cistercii decessit Generalis Ordinis Pater *Jacobus*, succedente *Guilelmo* III.[tio] In Polonia *Christianus* Episcopus Culmensis, ex Ordine nostro assumtus, suasit *Conrado* Duci, atque persuasit, ut adversum infideles barbarósque Prutenos in subsidium advocaret Equites Teutonicos, quos Gladiferos appellant, Ordinis Mariani: quibus de suo quoque non pauca attribuit. *Gregorius* Pontifex novus, in causis Episcoporum, Frisingensis, atque Olomucensis, Abbates Cistercienses ex commissione Judices dedit.

Ordinis gratitudo in *Honorium* Papam defunctum.

Jacobus Archi-Abbas noster obit: succedit *Guilelmus* III.

An-

Annus 1228.

Gregorius IX. Papa Ordinis nostri Privilegiis nihil decedere permittit.

XIII. ITerum in Cistercienses à morte *Honorii* Papæ, cujus in eos perpetuam gratiam noverant, gravis multorum insurrectio fiebat, eò maximè, quòd nostri in omnibus Aulis, & Sacris etiam Curiis, verbo suo plurimùm possent, & omnium Principum atque Nobilium largitionibus, propter Sepulturam apud eos obtinendam, ditarentur. Quapropter frequentes nostris lites apud longè distantia tribunalia intentabantur, Judicibûs causarum per subreptionem impetratis: ut hoc saltem pacto gravibûs itinerum forique contentiosi expensis emungerentur. Contra has omnes Vexationes *Guilelmus* Archi-Abbas noster Generalis Sanctam Sedem Apostolicam implorans, *Gregorium* IX.[num] quasi suæ Evectionis, per *Conradum* nostrum Cardinalem factæ, gratias Ordini referre vellet, haud minùs indulgentem, atque antea *Honorium*, tam suffragio Æquitatis, quàm interventu *Romani*, Cardinalis Diaconi S. Angeli, & Legati in Galliam contra Albigenses, expertus est. Intra triduum etenim quatuor pro universo Ordine Bullas impetravit. Harum primâ inhibuit Pontifex, ne nostri, quò minùs, sanctæ Contemplationis quieti vacantes, litibus distrahantur odiosis, pérque Literas Apostolicas malitiosè citati, & laboribus, sive expensis fatigati, vel cedere litibus, vel damnosas subire pactiones cogantur, à Monasteriis propriis, ultra duas dietas, quamcunque ob causam agendam abstrahantur. Alterâ, ne nostri, quia Cisterciensis Ordinis Titulus adeò est insignis, quòd vix credatur, illos, qui contra eum Literas impetrant, absque malitia procedere valuisse, conveniri queant per quascunque Apostolicas Literas, Cisterciensis Ordinis mentionem disertam non facientes. Tertiâ: cùm ea, quæ Nostris pietatis intuitu offeruntur, quasi totaliter Christi pauperibus cedant, ita, ut potiùs exinde Nobis Dispensationis onus incumbat, quàm commoditatis usus accrescat: prohibet Ecclesiarum omnium Prælatis, ne de illis Donationibus, quæ nobis in eorum Parochiis à quibuscunque fidelibus fierent, ipsi reclamare, vel portionem exigere præsumant. Quartâ demum libenter nostris Gratiam impertiens, & favorem, cùm sciat, se exinde illi placere, qui nostrorum acceptat placitum famulatum, indulget nobis, ut petentes apud nos sepeliri, nullius contradictione obstante, ad requiem inter nos admittantur, nec audeat quisquam eorum devotioni, aut voluntati obsistere. Singularum harum Bullarum integrum tenorem exhibuit Rever.[mus] *Manriquens* noster Annal. Cisterc. IV. p. 349. sq. & item *Henriquens* post Menolog. in Cod. Privilegior.

XIV.

XIV. Cùm Franciæ Rex juvenis *Ludovicus*, quartum decimum Annum necdum egressus, præventus tamen Gratiâ, mira flagraret cupiditate, hæresin Albigensem è Regno suo penitus auferendi, proprio motu à Pontifice postulavit Legatum, quem antea laudaveram, *Romanum*, cujus auspicio sive Prædicatione, sive dimicatione, hostes fidei ad frugem reducerentur. Hic verò institit Pontifici, ut curaret, à Cisterciensibus hujus rei causâ Capitulum Generale hoc Anno solito citiùs celebrari, in eóque communes pro felici Legatiæ successu preces statui, & iis omnibus è nostris, quos elegerit ipse, facultatem fieri ab Ordine, se comitandi, &, pro usu suo agendi cum Albigensibus tam longo, huic negotio secum cooperandi. Præcipuus à Cardinali delectus est Adjutor *Helias* Abbas Grandis Sylvæ, per quem ardua omnia tractavit, peragique voluit. Cæteri in hæreticos prædicabant Crucem tanto cum successu, ut vel solus ingens numerus una cum ipso Rege signatorum, famâ in vulgus exiens, perculsas Reliquias hæreticas, absque bello & armis, toto animo dejiceret. Unde Tolosani, quos inter adhuc mali radix, præcurrenti *Heliæ* nostro, pacémque aut bellum offerenti, victas illico manus dederunt, inque pacis conditiones, promtámque Ecclesiæ Obedientiam præstandam, sese *Raymundus* Comes, omnésque Primores, tam Urbis, quàm Provinciæ, supplices obtulerunt. Res tam seriò acta, támque nihil difficilium conditionum plenæ pacis, expiationis, & reconciliationis cum Ecclesia respuebatur à pœnitentibus, ut ab hoc Anno exitiabilis Albigensis insaniæ pestis, plusquam toto Seculo furens, atque infinitâs tum animas, tum corpora perdens, penitus, DEO tandem propitio, extincta fuerit. Et quoniam Cistercienses, uti ad hydram istam debellandam ab ovo usque ad mala constantissimè institerunt, ita pariter gravissima ab hæreticis odia ac damna semper sunt perpessi: nunc in quantamcunque compensationem, Ordini nostro quatuor Marcarum millia exoluta sunt, è quorum potissimis annuis censibus Patres ad Capitulum Generale convenientes reficerentur. Præterea planè peculiariter cautum: Ut nullus in provinciis, quæ resipuerunt, tantæ sit temeritatis, qua Domos Religiosas, *& præcipuè Cisterciensis Ordinis*, offendat in aliquo, in rebus, vel personis, palàm, vel occultè.

Hæresis Albigensium, largiente DEO, sub *Ludovico* Sancto Rege, interveniente opera nostrorum, penitus extincta.

XV. Fructus boni, hujus Contagionis persanandæ causa prognati, & adhuc hodie perseverantes in Ecclesia, fuêre Inquisitionis Tribunal, itémque Academia Tolosana, depacta, & instituta, ut SS. Theologiæ Magisteriô contra errorum tenebras accenderetur Sapientiæ Lumen, & adversus pravitatem hæreticam sanæ fidei præsens Antidotum prepararetur. Quod quidem ad suggestionem *Fulconis* nostri Archiepiscopi Tolosani potis-

Ad præcavendam repullulationem erectum Tribunal Inquisitionis, & fundata Academia Tolosana.

tissimùm decretum fuit. De hac Academiæ, etiamnum florentis, & Corpore S. Thomæ Aquinatis decoratæ, institutione, in Capitulis Pacis, qualiter ea Epistolæ S. *Ludovici* Regis, ad omnes Fideles de Hæresi Albigensium extincta perscriptæ, inserta, & inde à Rever.mo *Manriqueo* nostro ex Regesto Vaticano *Gregorii* Papæ IX.ni fideliter transcripta sunt, ita legitur. „Item „quatuor Millia Marcharum deputabuntur ab ipso Comite (ni-„mirum Tolosano *Raymundo*) quatuor Magistris Theologiæ, „duobus Decretistis, & sex Magistris Artium Liberalium, & „duobus Grammaticis Regentibus Tolosæ: quæ dividentur hoc „modo. Singuli Magistrorum Theologiæ habebunt singulis An-„nis quinquaginta Marchas usque ad decennium. Uterque „Magister Decretorum habebunt triginta Marchas usque ad de-„cennium singulis Annis. Singuli Magistri Artium habebunt „viginti Marchas usque ad decennium similiter annuatim. Uter-„que Magistrorum Grammatices habebit similiter annuatim de-„cem Marchas usque ad decennium„. Excerpere ista libuit, ut absque hæsitatione constet de vera Origine, causa, & fine Scholæ hujus Celeberrimæ. D. *Pfeffingerus Vitriar. Illustr.* Tom. IV. p. m. 727. in Catal. Academiar. sub lemmate *Tholosana* ejus Fundationem *Raymundo* Comiti ad Ann. 1228. rectè quidem assignat, causa tamen ac fine penitus dissimulatis. Cæteri, quos ibidem allegat, mirè aberrârunt: dum alius Ortum Athenei hujus refert ad usque *Carolum* M. Alius instaurationem ejus tribuit *Ludovico* Sancto Regi: alius hanc Scholam Seculo demum XIV.to enatam contendit.

Capitulum Generale impedit Canonizationem *Arnulphi* Conversi nostri.

XVI. Excessit hoc Anno è vivis *Arnulphus* Conversus, i.e. Laicus frater Villariensis: de quo *Joan. Molanus* in Natalib. SS. Belgii die 30. Junii. *Hunc tradunt oblatum fuisse canonizandum Summo Pontifici ob insignem opinionem Sanctitatis, & ingentia miracula. Expeditum, & jam concedendum. Sed Capitulum Cistercii Generale impediri curavit: ne multitudine Sancti vilescerent.* Quod si ita, non facilè huic rei Exemplum alterum afferes. Sermo de hoc facto nostrorum verè mirabili alio in loco redibit. Interim apud Cl. *Hansizium* Metr. Salisb. p. 329. lego, cùm *Eberhardus* Archiepiscopus Salisburgensis Cœnobium nostrum Salemitanum beneficiis ita sibi obstringeret, ut Nomen ejus universo Ordini clarum ac venerabile fieret, juxta Chronicon MS. *Salisburgense*, integrum Reverendissimum Capitulum Metropolitanum à toto Ordine Cisterciensi in Generali Abbatum Capitulo hoc Anno in Fraternitatem receptum esse. Literæ è Cistercio directæ, & ibidem ad verbum expressæ, indicant, petitionem Fraternitatis, nomine Capituli Metropolitici, delatam esse per Abbatem nostrum Raitenhaslacensem Bavariæ.

Integrum Capitulum Metropoliticum Salisburgense in Ordinis nostri Fraternitatem recipitur.

An-

Annus 1229.

XVII. TErtiùm hoc anno *Gregorius* Papa IX. Oratores, Judicésque è nostris delegit. Quemadmodum omnium propè temporum iniquitate fieri videmus, ut minorennibûs Principibûs factiosi sint Proceres: sic & in Francia sub *Ludovico* Rege adolescente, & Vicario Matris *Blanchæ*, quamvis optimo, Regimine evênit. Perduellibus Francis opitulabatur *Henricus* æquè juvenis Rex: sed Galli vicêre, Angli fugati. Victores ipse triumphus, devictos vindictæ cupiditas in arma, ulteriùs graviúsque corripienda stimulavit. Non poterat non, tam potentibus Regnis collisis, Religio laborare. Quapropter *Gregorius* Pontifex utriusque Regis animum prudentibus Consiliis, utilitatis publicæ, & rei Christianæ causa, componendum *Guilielmo* Archi-Abbati nostro Cisterciensi commisit: quem utrique tam acceptum, quàm venerabilem novit. Adspiravit DEUS, ut è voto Ecclesiæ felix esset Angelus Pacis, & *Ludovicum* Francum facilè, *Henricum* Anglum difficiliùs aliquantum, æquè tamen efficaciter, in deditionem, pacisque colendæ Sacramentum adegerit.

Guilelmus Archi-Abbas noster pacem conciliat inter Franciæ & Angliæ Regem.

XVIII. Cùm deinde Pictaviense Capitulum Cathedrale ære alieno maximoperè gravatum, Gremium suum, 20. Canonicis constans, prudentiæ secularis adinventô, Religioni perniciosissimo, triginta aliis membris augeret, at verò ejusmodi hominibûs, qui opulenti quidem essent, & non modò sustentari ab Ecclesia non egerent, verùm etiam alios plures ipsi una secum alere possent: cæterùm verò ad Ecclesiæ munia peragendu, quippe pueri, idiotæ, facinorosi, prorsus inutiles essent: meritò Supremus Ecclesiæ Pastor morbo usque adeò maligno remedium quæsivit. Itaque Petragoriensi Episcopo, & Abbati de Petrosa Ordinis Cisterciensis imposuit, ut Pictavum se conferentes, in omne hoc absurdum solicitè inquirerent, Canonicos triginta supra numerum adscitos universos destituerent, & in reliquorum etiam viginti numero neminem, nisi aptum Canonicis Muneribus, in statione permitterent.

Alius Abbatum nostrorum reformat Capitulum Cathedrale Pictaviense.

XIX. Archipræsuli quoque Lugdunensi, totius Galliæ Primati, quem turbulenti Magnates sacrilegè aggressi, vi injecta spoliârunt, & captivitate abductum, longo tempore in carcere detinuerunt, *Gregorius* Papa plenam in opem submisit Episcopum Parisiensem *Bartolomeum*, ac denuo *Guilelmum* Archi-Abbatem nostrum, & iterum *Simonem* Abbatem de Firmitate. Regis enim potentia sub ipsa seditione id unum duntaxat efficere poterat, ut Antistes liber dimitteretur. Sed Legatorum præfatorum Auctoritate, prudentíque opera interposita, non modò in

Iterum *Guilelmus* restituit Archiepiscopum Lugdunensem.

in integrum restitutus est Archipræsul, verùm etiam de sacrilegis ejusdem invasoribus merita dignáque supplicia repetita. Testes harum omnium Commissionum Literas Papales è Pontificiis Regestis attulit *Manriquens* h. a.

Adamus Episcopus fit Monachus noster.

XX. Quo pariter referente, *Adamus* Morinorum in Belgio Episcopus, ultrò abdicatâ cathedrâ, in Claravalle Monachum induit. Danorum Slavorúmque Rex, misericordiæ, ut ait, ac pietatis intuitu, hanc Ordini nostro per sua Regna Gratiam & Immunitatem concessit, ut Visitatoribus, illas ad partes accedentibus, ab Exactoribus Regiis, ac Villicis, ubique Victus & Vitæ necessaria gratis præbeantur, inque Foris, & Portubus omnibus, Res, quascunque duxerint secum, aut comparaverint, absque omnibus Vectigalibus transeant. *Manriquens* hoc Privilegium integrè adscribens, Regii Nominis literam initialem V. cum *Auberto Mireo* interpretatus est *Belam*, uti & *Henriquens* noster in Menologio *Velam*. Legendum autem V. *aldemarus*, qui hoc nomine II.dus Daniæ ab Anno 1202. usque 1241. præfuit post Fratrem *Canutum* IV.tum.

Valdemari Daniæ Regis Gratia in Ordinem.

Annus 1230.

Jacobus Aragoniæ Rex nostrorum operâ novum Episcopatum erexit.

XXI. IN Hispaniis, Militiarum nostrarum Calatravæ & Alcantaræ Generosis Conflictibûs, *Jacobus* Aragonum, & *Alfonsus* Castiliæ Rex, de Saracenis egregiè triumphârunt. Et *Jacobus* quidem Balearibus Insulis, præcipuè Majorica & Minorica vindicatis, feliciter domum reversus, Populeti, nostros inter, DEO se gratum & supplicem stitit, ubi semper animo commorabatur, postremùm etiam Corpore Habitum nostrum suscipiens. Votum pro Victoria nuncupatum soluturus, iterum Populetum rediit, Fundationem novi Episcopatus in Insula Baleari majori ordinaturus. Cui verò Barcinonensis Episcopus cum Capitulo suo diu, graviterque obnitebatur. Tandem verò Rex, sapienti Abbatum nostrorum, *Arnoldi* Populetani, & *Bernardi Calvonii* San-Crucensis facundia, quorum Prudentiæ negotium totum commisit, plenum Episcopi, Capitulíque consensum feliciter obtinuit, & è vestigio nova in Balearibus Cathedra Episcopalis munere Regio surrexit.

Tarasia olim Castellæ Regina, jam Sanctimonialis nostra, bellum Civile in Regno feliciter antevertit.

XXII. *Alfonsus* Castellæ Rex, & ipse laureis dives, paulò pòst autem suprema sua prævidens, terribilem discordiam intestinam suo in Regno per ultimas tabulas inchoaverat: dum gemina ex Uxore Filium & Filias habens, quia Matrem Filii oderat, Filias ex altera Conjuge prædilecta scripsit Coronæ Hæredes. Unde mortuo Patre, dum Sexus pro Filio, Tabulæ Paternæ pro Filiabus clamabant, jam Regnum in se divisum civili bello desolandum erat, nostris quoque Calatravensibûs, & Al-

can-

cantarienſibûs in partes euntibûs. Et ecce, *Taraſia*, olim Regia *Alfonſi* Uxor, quæ tamen Propinguitatis causâ ab ipſo dimitti debuit, ac deinde Monialis noſtra effecta eſt, advocatîs ad ſe Filiabûs, quæ ſcriptæ fuerunt Hæredes, eisdem facundia Materna feliciſſimè perſuaſit, ut publicæ Tranquilitatis intuitu, Fratri cederent Regnum, ipſæ verò annua, tantáque auri largitione, quanta Regias Principes deceret, contentæ eſſent. Ita cum eximia tam exultatione, quàm Utilitate Regni, ſummique Pontificis gratulatione, ubi horrida bella metuebantur, Pax aurea refulſit.

XXIII. In Italia apud Inſubres Caſæmarium Domus Ciſtercienſis, quæ *Honorium* Papam III. ſemper clementiſſimum, & etiam temporalibus largitionibus permunificum habuit, inde invidiam contrahens, ab incolis vicini Caſtri Montis S. Joannis impetu ſubito invadebatur: qui in grangias ejus irrumpebant, Magiſtrum unum converſum necabant, cæteros graviter vulnerârunt, pecora abegerunt, omnémque ſupellectilem expilârunt. Prior Loci, apud Caſtri Dominos conqueſtus, irriſus ac ſubſannatus fuit, Socii ejusdem fuſtibus dedolati. Res igitur ad *Gregorium* Pontificem delata, ingentem in eo diſtrictæ animadverſionis zelum excitavit, & vel ideo majorem, quòd audacia tanta in penitus inſontes, propè Romam, in ipſa Pontificis ditione, & in Locum, quem Papa veluti fundaverat, commiſſa eſſet. Utrúmque igitur Gladium in Malefactores expediit, ipſos patratores, complices, & Adjutores criminis, excommunicatos per Epiſcopum Ferentinatenſem denuncians, & in omnem terram illam interdicti fulmen excutiens: præterea verò Campanis vicinis, & ſibi ſubditis, demandans, ut ab Epiſcopo implorati, armis ad humiliandos facinoroſos iſtos conſurgant, niſi Romæ præſentes, ſuorum criminum rationem perſenſeant. Severiſſimis verbis conſtat hæc Bulla, a *Manriqueo* allata.

Ultio Pontificis in expilatores Casæmarii noſtri.

XXIV. Cùm *Eberhardus* Archiepiſcopus Salisburgenſis, crebreſcentibûs ad S. *Virgilii*, Epiſcopi olim ibidem, proſtantem tumulum prodigiis, apud Pontificem inſiſteret, ut Aræ admoveretur: *Gregorius* ex more Epiſcopum Brixinenſem, cum duobus Auſtriæ Abbatibus Ciſtercienſibus, ad faciendam præviam diſtrictam inquiſitionem deputavit: quod etiam Cl. *Hanſizius* fatetur. Conquerente deinde apud Pontificem *Henrico* Plebano Eccleſiæ Medlicenſis, ſe legitimè inſtitutum à Mellicenſibus, in Eccleſiæ ſuæ poſſeſſione à quibusdam Nobilibus impediri: Pontifex convocandas partes, litémque decidendam commiſit *Henrico* Abbati, itémque Priori *Zwetlenſi*, præter Decanum Cremſenſem, è *Laterano XIII. Cal. Maji Pontificat. Anno Quarto.*

Commiſſiones Apoſtolicæ.

to. Ita Cl. *Huebertus* ex Archiv. Mell. in Austria sua p. 18. n. 12. De quo nihil in *Annal. Zwetl.* reperio.

§. III.

Res Monasterii.

Annus 1221.

I. NUnquam desinente Munificentia ac Solicitudine Clementissimi Fundatoris nostri pro perficiendo Campililio suo, semper apud nos fervebat Sacræ Architectonices opus, & nullis parcebatur impensis, ut lapides & marmora, in DEI Gloriam, & Monastices usum, tam eleganter, & magnificè, quàm accommodè surgerent. Testatur id rursum ad hunc Annum *Ortilo* noster, inquiens. // Mccxxj. Ambitus Claustri juxta Ecclesiam per omnia latera fuit perfectus, exceptis columpnellis marmoreis. Itaque hoc Anno in Lytaniis minoribus ex Oratorio exeuntes, per eum supplicavimus. Sepelivimus in Cemiterio *Perchtoldum de Chreuspech* Fratrem nostrum, & Filio suo *Hartungo* Fraternitatem dedimus. Dominus *Wernherus* Abbas Sanctæ Crucis nos visitavit. // Amplitudinem ac venustatem Ambitus hujus, quæque ibi occurrant, & à nobis fiant, hìc non repeto, satis à me dicta in fronte hujus Tomi, & Monasterii Descriptione §. IV.[to] Lytaniæ minores dicuntur illæ supplicationes publicæ, quæ ex instituto Ecclesiæ triduò ante Ascensionem Dominicam, cum decantatione Lytaniarum de Omnibus Sanctis, in Diebus, ut ajunt, Rogationum ubivis locorum aguntur. *Perchtoldi de Creuspech* devotus erga nos affectus, & beneficentia in suppeditandis pro novo Altari pecuniis, priori *Decade* commendata fuêre ad Ann. 1218. Requiem inter nos à morte sua cepit alter à primo, nimirum *Henrico de Tumbenowe* Milite: postquam Filium *Hartungum* suæ in Campililium dilectionis hæredem reliquit. Domino *Wernero* S. Crucis Abbati solicitudo Visitationis nostræ curati sui Regiminis certum suffragium confert.

Ambitus noster inferior perfectus.

Perchtoldus de Chreuspech apud nos sepultus.

Visitatio Campililii.

II. Quoniam *Premislaus Otocarus* Bohemiæ Rex, deperditis Ecclesiæ Cathedralis Pragensis Privilegiis, multa ejus jura sibi usurpaverat, in longam gravémque super Libertate ejusdem Ecclesiæ litem incidit cum *Andrea* Episcopo: cui componendæ Summus Pontifex, & Legatum submisit, & Abbates in Judicio Socios assignavit. Prima verò Sententia Pragæ lata nequaquam ita valuit, ut partes eâdem integrè starent. Quare instaurato Ann. 1220. Viennæ Judicio (eam quippe Urbem Episcopus postulavit, cùm Praga sibi suspecta foret, uti perhibet *Raynaldus* ad eundem Annum) Compositio sic demum facta est, ut Episco-

Laudum Viennæ celebratum inter Bohemiæ Regem, & Episcopũ Pragensem.

ſcopus Pragenſis coram Cardinali Legato Apoſtolico, Principibus, Epiſcopis, Abbatibus, Clericis, Nobilibus, ſolemni ſacramento fateretur, ſe nullas alias Eccleſiæ ſuæ Libertates, ac Poſſeſſiones, itémque Jura nulla repoſcere, niſi quæ juxta Privilegiorum deperditorum fidelia Tranſumta, ac conſtantem hucusque uſum, eidem Eccleſiæ ſuæ irrefragabili jure conveniant. Regem verò edito hoc Sacramento contentum, & quaſi plenè convictum, Pragenſi Eccleſiæ, quidquid Juris in Tranſumtis Privilegiorum deſcribitur, iterum concedere, conceptóque Diplomate innovare, ac reſtituere debere. Has Literas Regias tertiùm tranſcriptas lego in *Georg. Bartholdi Pontani à Braitenberg* Præpoſiti Metropolitanæ Eccleſiæ Pragenſis *Bohemia Pia*, quæ exſtat inter Scriptores Rer. Bohemicar. *Freberianos*: ubi Diplomatibus Confirmationum *Ottocari* II. Regis, item *Caroli IV.* Imperatoris & Regis integro tenore inſeruntur p. 62. & 88. atque 89.

Eidem teſtati *Leopoldus* Dux, & *Gebbardus* Abbas noſter.

III. Occurrunt ibidem quamplurima Teſtium Nomina, hósque inter etiam Seren.^mus Auſtriæ Dux *Leopoldus*, pluréſque Auſtriæ Abbates, qui nimirum Viennæ dicto Epiſcopali Sacramento interfuêre: quamquam Diploma deinde ſeriùs in Bohemia confectum ſit, ita ſubſignatum: *Anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo ducenteſimo viceſimo primo, Non. Julii Indict. Nona, in Monte Scath*, altero exemplo legitur *Scach*, tertio *S. Yſaac*, quæ lectio ultima juſta videtur. Nomina ipſa Teſtium & Locorum, quia malè à tranſumentibus lecta, in his tribus exemplis vehementer corrupta ſunt. Legitur enim *Wernſtrus*, & *Womerus* pro *Wernherus* Abbas Sanctæ Crucis. *Walckerus* pro *Waltherus* Præpoſitus Numburgenſis, i. e. Cl. Neoburgenſis. *Wedo*, *Webko*, *Wecko*, qui in Catalogo Abbat. Gotwicens. *Peziano* Scriptor. Auſtr. II. col. 281. appellatur *Wezbelinus*, Abbas *de Cocinio*, de *Gotbinco*, i. e. de Gotwico. *Gerbardus*, *Gerbardus*, *Gerardus* Abbas *de Lirueld Lirmeld*, *Luwielde*, pro *Gebbardus* Abbas de *Lilienveld*. Marquardus Abbas de *Swettla*, *Swietla* pro *Zwetla*. Marquardus Præpoſitus *Suipoliti* pro S. Hippolyti. Celebrem oportuit fuiſſe hunc Conventum, cui & Epiſcopi tres, & plures Auſtriacis Bohemi Abbates, ſed & Præpoſiti, Decani, Canonici Cathedrales hìc ſubſcripti, præter Cardinalem Legatum, Ducémque Auſtriæ, atque Comites, adſuerunt. Honori ergo erat *Gebbardo* Abbati noſtro Societas tanta, in qua & ipſi Nomen ſuum profiteri licuerat: multò verò glorioſiùs Domino *Wernero* Abbati S. Crucis, qui tunc, committente Summo Pontifice, unacum Legato Apoſtolico, Laudum Regem inter & Epiſcopum celebravit.

Annus

Annus 1222.

Rudolphus Conversus, unus è primis, obiit.

IV. Hic *Ortilo* sequentia docet. // Obiit *Rudolphus* Conversus, // qui mecum exivit è Sancta Cruce, Laborator bonus // in ligno, humilis & obediens Frater, conclusit pio agone. // --- *Gebhardus* Abbas à Domino *Honorio* Papa Tercio obtinuit // Bullam, qua confirmavit Nobis Hospitale in Chremis, & Ecclesias. // Duodecimum jam Socium primæ Coloniæ Perdidit Chronologus noster: qui promeruit ab eo commendari propter Humilitatem, Obedientiam, Utilitatem, quam Domui attulit laborandò, ac tandem ob coronidem vitæ pium agonem. Paribus virtutibûs comitantibus quisquis nostrûm constanter ad metam contenderit, bravium accipiet. Bulla brevis *Honorii* Papæ III. signata fuit *Laterani XVI. Cal. Januar. Pontificat. An. Septimo.* Sedere enim incepit à die 18. Julii An. 1216. & jam olim sub nomine *Cencii* SS. Joannis & Pauli Præsbyteri Cardinalis subscripserat Bullæ solemni Confirmationis nostræ primæ, editæ ab *Innocentio* III. Papa Antecessore suo An. 1208. Firmavit nobis per has Litteras, stilo communi conceptas, nihilque singulare continentes, Jus Patronatus, & ipsas Ecclesias Hospitalis in Chremis, atque Wilhelmspurg. Quòd cùm insequenti anno distinctiùs & commendabiliùs denuo fecerit, non est, ut hujus Bullæ quidquam hoc loco excerpam.

Bulla *Honorii* Papæ III. pro nobis.

Annus 1232.

Alia ejusdem ampla ac solemnis.

V. Ad hunc *Ortilo* sic habet. // Dominus *Gebhardus* Abbas // iterum duas Bullas recepit ab eodem Domino Papa de // Confirmatione Fundationis nostræ, aliam de Jure Patronatus // in tribus Ecclesiis. // Prima Bulla ampla, ac solemnis est, ita subsignata. *Datum Laterani per manum Guidonis Domini Papæ Capellani XIII. Cal. Februar.* (i. e. die 20. Januarii) *Indictione XI. Incarnationis Dominicæ Anno Millesimo Ducentesimo Vicesimo Tertio Pontificatus verò Domini HONORII Papæ tertii Anno Septimo.* Signum ejusdem, Monogramma, & Siglum plumbeum, sericeis filis appensum, dabo Tom. IIII. in Recensu Diplomat. Geneal. Part. I. Libr. I. Sect. I. §.° I.°, atque Tab. I. n. IV. V. VI.^{to} Cardinales quoque undecim subscriptos, quorum tres Episcopi, quatuor Præsbyteri, cæteri Diaconi, pariter ordine ibidem recensebo Sect. II. §. II. Tenor hujus Bullæ idem prope est ad literam, qui Bullæ solemnis *Innocentii*, quo omnia, nobis ibidem indulta Privilegia iisdem planè verbis iterum conceduntur: quantumvis tunc temporis Episcopi, Archidiaconi, & Plebani, Privilegiis Ordinis vehementer reclamarent, uti dictum §.° priori ad Ann. 1224. Aliquæ duntaxat Possessiones, quæ interea Campililio Donatione, vel Emtione accreve-

creverunt, hìc insertæ sunt: in quibus peculiariter ea generatim exprimuntur, *quæcunque ex Dono Nobilis Viri LEUPOLDI Ducis Austriæ haberemus, illa videlicet, quæ idem Dux per Concambium, vel Commutationem à* Luitoldo *&* Chunrado *de Altenwurg* noscitur habuisse &c. Id est, quæ post Compensationem, à Serenissimo Duce Fundatore reclamantibus Dominis *Altenburgicis* factam, ipsis assentientibûs, nobis collata fuêre.

VI. Bulla posterior meretur hìc integrè apponi, hunc in modum concepta.

HONORIUS Episcopus

Servus Servorum DEI Dilectis Filiis, Abbati, & Conventui de Lilienveld Cistercieñ. Ordinis Salutem & Apostolicam Benedictionem.

CUm partem optimam eligentes, sedeatis ad pedes Domini cum Maria, ut Verbô ejus auditô, quàm suavis est, delectabiliter degustetis, & ne aliquid in ulla gratia vobis desit, Ipsum & in Pauperibus cum Martha in Domo vestra recipientes, desiderabiliter ut pascatis, indigetis plurimùm, ut relevetis indigentias plurimorum: non tam vobis, quàm aliis pauperibus, utiliter providere videntur, qui, ut impleatis perfectiùs officiosæ opera pietatis, Monasterio vestro charitativè conferunt dona sua. Unde, ut ea recipere licitè, ac recepta retinere liberè valeatis, libenter vobis super his Favorem Apostolicum Impertimur. Cùm igitur bonæ memoriæ MANEGOLDUS Pataviensis Episcopus, de Assensu Capituli sui, *de Muglik* (Meusling) *& de Wilhalmbspurc Ecclesias, & Capellam sancti Stephani in Chremis*, & Dilectus Filius Nobilis Vir L. *iupoldus* Dux Austriæ *Jus Patronatus*, quod habebat in eis, Monasterio Vestro liberali contulerint pietate, sicut in eorum Literis dicitur pleniùs contineri: Nos, *prædicti Ducis precibus inclinati*, Ecclesias, & Capellas prædictas, cum pertinentiis suis, sicut ea justè, ca- Tenor Bullæ tertiæ.

nonicè, & pacificè possidetis, vobis, & per vos Monasterio vestro, Auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis Scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Paginam nostræ Confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumserit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Laterani V. idus Febr. Pontificatus nostri Anno Septimo.

Insigniter hic commendata nostrorum in pauperes Charitas.

VII. Ingenti sanè testimonio, & summa, quæ possit in terris indulgeri, approbatione, clementissimæ hæ Literæ fidem faciunt Majorum nostrorum in pauperes & egenos charitati, tam profusæ, ut egenorum reficiendorum causa indigerent ipsi, ac proinde, qui eis benefaceret, aliud nihil agere videretur, quàm quod pauperibus provideret. Quis ambigat, Benedictionem DEI, qua in hanc usque diem incolume stetit, & floruit Campililium, in mercedem justorum Patrum nostrorum festinâsse: & eorum à nobis memoriam tantò rectiùs adhuc hodie habendam in laudibus, quantò abundantiùs nos tam seri eorum Nepotes illorum & meritis, & mercede donamur? Largiatur nobis Pater Misericordiarum, ut eadem viscera charitatis in pauperes exsplicemus & nos, neque unquam ea simus fatuitate, ut accedere nostris utilitatibus, quantalibet necessitas premat, existimemus, quæ incosultâ parsimoniâ pauperibus detrahimus. Crescat nobiscum ea miseratio, qua nos libenter egeamus, ne desit nobis, quo Christum in suis pascamus. Hujusmodi facultate cùm singuli nostrûm quotidie polleant, sic illâ utamur in mensa, ut pauculum, quod nobis subtrahimus, relinquentes pauperibus, Campililio nostro sacculum indeficientem, nobis ipsis thesauros fœneremur.

Nobis imitanda.

Sed alius huic tempori convenit benefaciendi modus.

VIII. Communem Eleemosinam quod attinet, alia nunc vivimus tempora, quibus alius beneficentiæ in pauperes convenit modus. Non licet jam, quoslibet peregrinos, & egentes, hospitio recipere, ex quo via ad Monasterium quasi Regia ducit: quæ olim propter Montium Valliumque incultarum asperitatem rariùs multò terebatur, nunc porro nullo tempore vacat. Ex quo præterea, quæ nullo quondam sumtu, meráque charitate Monasteriis exhibebantur, tantis nunc constant expensis, quibus Cœnobia plura ferè succumbant. Ex quo demum Claustra, priùs oneribus publicis libera, nunc in Ærarium publicum tanta inferre coguntur, quanta seculares. Satis

tis nunc illa præstiterint, si gravissima subditorum suorum nomina, singulos in annos contracta, quibus delendis ipsi nunquam sufficiunt, benignè aboleant, & propriis proventibus illorum inopiam ita suppleant, ne quid Ærario Patrio decedat. Hæc meminisse oportet eos omnes, qui improvida dicacitate detrahunt Monasteriis, quoties vel ipsi non tanta recipiunt, quanta optant, vel minorem, ac ipsi dispensandam arbitrantur, eleemosinam quotidianos in pauperes distribui conspiciunt. Errant, quicunque absque amussi prudentiæ judicant.

IX. Quod superest, liquet præallatis è Literis, Serenissimum Ducem nostrum fuisse, qui Campililium suum ea apud *Honorium* commendatione prosecutus fuerit, ut nostris clementia tanta faveret. *Nos*, námque ait, *prædicti Ducis precibus inclinati - - confirmamus &c.* Huic pariter Benignissimo Parenti nostro debemus anterioris Bullæ solemnia, quæ nisi peculiari ex affectu & Gratia adhiberi non solent, & privatis precibus rarò indulta, quod usu constat, Domui nostræ honorem non minimum conciliant.

Pontificis Clementia Leopoldi precibus imputanda.

Anni 1224. 1225. 1226.

X. NIhil Rerum domesticarum his annis suppeditant nobis vel *Ortilo*, vel Archivium nostrum: nisi quòd scriptor noster ad annum MCCXXV. hoc unicum notet. // In Ecclesiæ // nostræ fabrica incamerari incipit Præsbyterium. // Illa videlicet pars, quæ pavimento elatiore constructa, Aram principem continet, propriusque Præsbyterorum ad Aram facientium locus est.

Præsbyterium apud nos perfectum.

Annus 1227.

XI. PLura suggerit Chronographus noster hoc anno, postquam Nuptias narrâsset, quas Filiæ suæ *Margaretæ* cum Rege Romanorum *Henrico* fecit *Leopoldus* Dux Fundator; ita de eo pergens. // Ejus intercessione *Fridericus* Secundus Im- // perator quatuor Ordinis nostri Monasteria Austriæ, *Sanctam* // *Crucem*, *Zwetel*, *Lilienveld*, & *Boumgartenberch*, eximit ab Ad- // vocatis. Sed percepto hoc optimo Privilegio Dominus *Wern-* // *herus* Abbas Sanctæ Crucis idibus Novembris, & Domi- // nus *Gebhardus* Abbas noster iij. idus Decembris piè obierunt. // Multa fuerunt Domini *Gebhardi* merita, & magnæ Virtutes: // Fuit humilis valde, & devotus, sobrius, & mitis, & in pauperes // liberalis. Fuit & Duci charus, & omnibus hominibus: Fra- // tres ut Filios dilexit Pius Pater, ac verbo & exemplo ad bo- // num provocavit omnibus diebus, quibus abbatizavit. Suc- //ce-

// cessit ei *Otto*, multis jam Annis Prior, licèt jam senex, quem // tamen Fratres nimiùm amabant, xvij. Kal.' Decembris. //

XII. Charta Regia *Friderici*, cujus verò Transumtum duntaxat, coram *Rudolpho II.* Imperatore Augusto An. 1604. confectum, ejúsque sigillo appenso probatum, apud nos exstat, Autographo apud S. Crucem asservatô, tantum Juribus nostris pondus adjicit, & momentum, ut nefas ducerem, illud non ad literam hìc adscribere. Sic igitur habet.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen.

FRIDERICUS Secundus Diuina fauente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus, Jerusalem & Siciliæ Rex.

Privilegium Friderici II. Imperatoris pro 4. Monasteriis, S. Cruce ut Matre, Campililio, Zwetla, & Baumgartenberg, ut Filiabus.

DEsiderium, quod ad Religionis propositum, & quietem, noscitur pertinere, animo nos decet libenti concedere, & petentium votis Imperiale suffragium impertiri. Eapropter notum esse volumus universis fidelibus nostris, & Imperii, tam præsentibus, quàm futuris: Quòd Nos ad supplicationem tuam devotam, Fr. *Wernhere* Venerabilis Abbas Monasterii *Sanctæ Crucis* in Austria Fidelis noster, Personam, tuam, & Monasterium tuum, nec non & Te Fr. *Gebhardum* Venerabilem Abbatem Monasterii in *Lilienveld* ejusdem Ordinis Cisterciensis, & Monasterium tuum, Te Fr. *Heinricum* Venerabilem Abbatem Monasterii in *Zwetel* ejusdem Ordinis, & ipsum Monasterium tuum, Te Fr. *Rudgerum* Venerabilem Abbatem Monasterii in *Boumgartenperg* ejusdem Ordinis, & ipsum Monasterium tuum, quorum tria Monasteria subsequentia, post Monasterium Sanctæ Crucis, ab eodem Monasterio derivata fuisse noscuntur, sub Imperiali Protectione, & Defensione recipimus speciali, firmiter in perpetuum statuen-

Recipit ea in Protectionem suam, & Imperii.

tuentes, ut, quæcunque bona, quascunque Possessiones prædicta Monasteria Vestra, à temporibus Fundationis eorum usque ad hæc felicia tempora nostra, rationabiliter tenuerunt, & Vos justè similiter possidetis, aut in futurum præstante Domino justis modis poteritis adhipisci, eisdem Monasteriis vestris, vobis etiam, & Successoribus vestris, firma semper, & tranquilla permaneant. Quæcunque etiam Jura, quæcunque Exemtiones, & Libertates, à Felicibus Imperatoribus Prædecessoribus nostris, uel ab aliis Imperii Principibus, rationabiliter eisdem Monasteriis vestris sunt collata, vel justè de cætero conferentur, vobis prædictis Abbatibus, & Successoribus vestris, ac ipsis Monasteriis, rata omni tempore, integráque serventur.

Omnia eis Bona & Jura perpetuò salva vult esse.

Quibus illud adjicimus, & Imperiali Sanctione statuimus, quòd, *sicut Ordo Cisterciensis ab exordio suæ Institutionis nullis unquam fuit obnoxius Advocatis*: ita prædicta Monasteria vestra, & Possessiones vestræ, ab omni Advocatorum ratione, atque exactione sint liberæ, tam *Communi Ordinis Libertate*, quàm præsenti nostra Constitutione exemtæ. Paci insuper, & Immunitati Vestræ, vestrorúmque successorum, de Imperiali Clementia providentes, inhibemus omnino, ne quisquam Monasterii, aut ullius Predii vestri, Advocatiam in feudo quoquam habeat, vel habere ulla ratione, aut jure valeat, nec Donationis alicujus predii ratione, seu commissæ, aut expetitæ Defensionis occasione, vel quasi à Progenitoribus hæreditaria Successione, nomen & jus Advocati in Vos, aut Vestra, sibi quispiam vendicet, aut assumat: sed quodcunque Predium vestris Monasteriis, & vobis, est hactenus, vel amodo fuerit in helemosinam datum, aut aliis justis modis acquisitum, Imperiali Tuitioni eo ipso subjacebit, quia vestrum esse coepit.

Jubet, ea, tam communi Ordinis Libertate, quàm sua Constitutione, ab omni Advocatia esse exemta, cúmque omnibus prediis suis soli Imperiali Tuitioni subjecta.

Ob Imperialis tamen Majestatis absentiam committit eorum Defensionem illis, quos liberè elegerint, cum facultate eos amovendi, si noxii fuerint.

Verùm quia remoti à Nobis, Majestatis nostræ præsentiam adire, quotiens expedit, non valetis, ne quid Juri, aut utilitatibus vestris exinde valeat deperire, Defensorem vobis eum duntaxat, quem vos ipsi ad hoc elegeritis, deputamus, & habere concedimus: cui in vestra defensione, in contractibus, in causis Civilibus, & in aliis Civilium negotiorum transactionibus, nostræ Vicis executionem, non in feudo habendam, non perpetuò obtinendam, neque hæredibus relinquendam, damus, & salva vestra Libertate committimus. Ita, ut liberum Vobis esse debeat, recusare eum, & alterius Defensioni vos, & vestra committere, si sub nomine Defensoris se vobis exhibuerit Offensorem, si Immunitatis vestræ Privilegium ullo vexationum, & exactionum genere infringere, & evacuare voluerit.

Quibus præcipit eorum pro sola DEI retributione Defensionem, inhibitis vexationibus, & exactionibus omnibus.

Volumus enim nostræ Potestatis Executores nostræ Pietatis habere sectatores, firmiter statuentes, ut, qui nostra Jussione, vel ex vestra petitione, seu quacunque occasione, vos, & vestra defendunt, liberaliter, sincerè, ac pro sola DEI retributione defendant. Ita, ut neque banna, neque petitiones, quæ Steuræ vocantur, neque Pernoctationes, neque Operarios, nec ulla omnino Servitia, ab invitis vobis, vel colonis vestris, sub optentu Defensionis exigant, aut extorqueant. Colloquia in Locis vestris, Placita cum colonis vestris nulla prorsus habeant. De vestris placitis, quæ cum colonis vestris habere volueritis, nisi à vobis rogati, se nullatenus intromittant, & indulta vobis Exemtionum privilegia nulla vi, vel fraude convellant.

Vetat omnibus, hæc Monasteria perturbare, bona eorum auferre, ablata injustè detinere, Centum

Decernimus insuper, ut nulli omnino hominum fas sit, vos Abbates prædictos, & Successores vestros, super hac Confirmatione, & Constitutione nostra perturbare, Bona, ac Possessiones vestras, & Monasteriorum vestrorum, auferre, vel ablata injustè detinere, aut temerariis vexationibus fatigare. Sed omnia vobis, &

& Successoribus vestris integrè conserventur, usibus vestris, & pauperum Christi de cætero profutura. Si quis autem imposterum huic nostræ Confirmationi, & Constitutioni temerè contraire præsumpserit, indignationem Imperialis Culminis graviter se noverit incursurum, & pro tantæ temeritatis excessu Centum Libras Auri puri pro poena componat, medietatem Cameræ nostræ, reliquam medietatem passis injuriam persolvendam.

Librarum Auri puri poenâ statutâ.

Ad hujus itaque Confirmationis & Constitutionis nostræ memoriam, & Robur perpetuò valiturum, præsens Privilegium per manus *Jacobi de Cathania* Notarii & Fidelis nostri scribi jussimus, Sigillo Majestatis nostræ munitum. Hujus Rei Testes sunt hi. *Eckibertus* Babinbergeñ. Episcopus. *Siffridus* Ratisponensis Episcopus. *Lodoycus* Langravius Tyringiæ. *Raynaldus* Dux Spoleti Tusciæ Legatus. *Hermannus* & *Lodoicus* Comites de Froburc. *Siffridus* de Runckel. Et alii quamplures.

Solemnia hujus Diplomatis.

Signum Domini nostri *Friderici Secundi* DEI gratia Jllustrissimi Romanorum Imperatoris semper Augusti, Jerusalem & Siciliæ Regis.

ACta sunt hæc Anno Dominice Incarnationis Milles.° ducentes.° Vicesimo Septimo Mense Augusti Quinte decime Indict. Regnante Domino nostro FRIDERICO Secundo DEI gracia Inuictissimo Romanor. Imperatore semper Augusto Jerusalem & Sicil. Rege Imperii ejus Anno Septimo, Regni Jerusalem Secundo, Regni verò Sicil. Tricesimo anno feliciter A-M-E-N. Dat. Melfie Anno Mense & Indictione præscriptis.

XIII.

Solicitudo maxima Ducis nostri pro incolumitate Ordinis, ac Campililii.

XIII. Ecce novum summæ in Ordinem nostrum Pietatis argumentum, qua semper fervebat Sereniss.^mus Dux *Leopoldus*, perpetuus Cleri Pater, non unquam desinens, contra malitiam hominum, temporúmque iniquitatem, Religioni, ac Campililio suo, tam apud Sanctam Sedem Apostolicæ Auctoritatis præsidio, quàm apud Culmen Imperiale Clypeo Majestatis providere. Quid nobilius, quàm fateri Cæsarem, *quòd Ordo noster ab exordio suæ Institutionis nullis unquam fuerit obnoxius Advocatis*, ac proinde Monasteria nostra, *tam communi Ordinis Libertate, quàm peculiari sua & Imperiali Constitutione*, ab omni Advocatiæ ratione, & exactione immunia esse debere? Solum Romanum Imperatorem nostrum esse Advocatum, uti nimirum est universæ Sanctæ Ecclesiæ DEI, & *Bona quælibet Imperiali Tuitioni eo ipso subjacere, quòd nostra esse cæperint.* Quàm gratiosum ac religiosum, voluisse Imperatorem *suæ Potestatis Executores suæ pariter Pietatis habere Sectatores*, & firmiter statuisse, ut Advocati à nobis electi *nos liberaliter, sincerè, & pro sola DEI retributione defendant?* Hoc nomen apud Optimum Principem nostrum nulla unquam Sanctæ Crucis, Campililii, cæterorúmque, in quæ Gratia ista extensa est, Monasteriorum ejusdem Filialium quantalibet grata cum laude Reminiscentia pro dignitate expunget.

Wernberus Abbas S. Crucis obiit.

XIV. Sed & ipsum Vigilantissimum Patrem tunc Abbatem *Wernberum*, qui citra dubium humillimis, tam suis, quàm Co-Abbatum, precibûs, Sereniss.^mum Ducem ad interpellandum pro Nobis Cæsarem inclinavit, Meritum suum unquam destituet. Commendat ipsum pariter Solicitudo sua Paterna, quam antea Campililio visitatione impendit: & constat jam ex *Ortilone* nostro, eum à mense Octobri Anni 1215. usque ad Idus Novembris Anni hujus 1227. in Annum tertium decimum Inclito Cænobio suo laudabiliter utilitérque præfuisse.

Item *Gebbardus* Abbas noster.

XV. *Gebbardum* nostrum, qui ab *Ockero* Proto-Abbate nostro Fasces Campililii post Nonas Novembres Ann. 1209. transumsit, eósque perenni cum laude in Annum Nonum decimum gessit, satis *Ortilo* noster, cùm hoc, tum anterioribus Annis, & Gestis egregiis descriptis, & conceptis elogiis prædicavit. Curavit ille sudore suo, postquam jactæ essent nostræ Domus fundamenta, ut ædificia ejusdem congruo decore surgerent, hìc demoratus, & operis intendens, donec Claustrum eò pertingeret, ut habitari, in idque Colonia prima Regularis induci potuerit: inductam deinde ut Proto-Prior direxit, quousque Pater & Abbas ejusdem electus, *Ockero* citiùs ad mercedem in cœlos evocatô, infatigabili cura nuper stantem Domum tanta Virtutis, Disciplinæ, sanctæque Conversationis firmitate, apud insigni-

ſigniter à ſe dilatatam Filiorum Congregationem ſolidaret, quæ Gratiam, & Benedictionem à DEO, amorem à Principe, affectum à Patria, Sanctæ præterea Sedis, & Majeſtatis Auguſtæ Clementiam certatim promereretur. Faveamus igitur piiſſimis Cineribus requiem, & nullo unquam tempore ſpem tam ſoliciti Præſulis culpa noſtra fallamus, qua confidebat, fore certò certiùs, ut Campililium, ſuo ſudore tam cumulatè rigatum, æterno flore vireſcat.

Domini *Ottonis* tertii Abbatis noſtri primordia egregiè commendavit Amor Fratrum, quo omnibus ante omnes dilectus, licèt ſenium provectum eidem diuturnitatem non ſponderet, nihilominùs, *Ortilonis* teſtimonio, univerſorum ſuffragio pro *Gebbardo* ſubvectus eſt. Fuerat jam Anno decimo quarto, poſt laudatum *Gebbardum* deinde Abbatem, & *Gotſchalcum*, Campililii Prior, diſciplinæ proinde Cuſtos: ſed quam tanta cum prudentia & diſcretione curavit, ut omnibus pro ratione diſtrictus, ſingulorum tamen affectum ipſe unus poſſideret. Beatum Gremium, in quo Amor ita gubernat, ut, qui diſciplinæ invigilat, ipſo rigore, quem Charitas ungit, provocet in ſui dilectionem. Egregium hoc caput eſt laudis, apud amantes non minùs, quàm amatum, gratiæque ſupernæ certiſſimus index. Eligitur *Otto.*

Annus 1228.

XVII. At hìc primùm *Ortilo*, ſermonem proſequens de *Ottone* Abbate ſtatim electo. // Eidem ſtatim primo // hoc Anno ſuo Dux LIUPOLDUS à *Friderico* Imperatore ob- // tinuit Privilegium, quo Monaſterium noſtrum in ſuam, & // Imperii protectionem recipit. // Auguſtam hanc Tutelam Campililio ab hoc eodem Cæſare jam An. 1217. gratioſo Diplomate adpromiſſam fuiſſe, *Decade* anteriori audivimus. Iterùm deinde illam communiter cum S. Cruce, Zwetla, & Monte Pomerio, noſtro quoque Monaſterio ab ipſo addictam, ſtatim retuli Anno priori. Nihiloſecius Seren.mus & Clement.mus Dux Fundator noſter eandem nobis Protectionem, tertiùm quoque Regiis Literis conſtabiliri exoravit, propter novas utique Bonorum noſtrorum acceſſiones, poſt Annum 1217. aut ipſius Clementia, vel aliorum pia liberalitate nobis factas: quæ hodie non omnes ſingillatim deſcriptæ apud nos ſupereſſe, temporúmque lapſu, rationabilibus de cauſis, venditione aut commutatione, unacum Literis deſuper confectis abalienatæ videntur. Voluit nimirum & hæc pariter augmenta Scuto Defenſionis Auguſtæ, eóque præſenti, quòd promptè ad manus eſſet, munita, nullam iniquitati temporum hominúmque nimiam curam op- Iteratum Friderici II. Imp. pro Monaſterio Privilegium.

poni posse existimans, cùm probè nosset, illam, ubi præsentis Majestatis metus non est, omnes propè Æquitatis & justitiæ limites disrumpere. Quæ ipsa est ratio, cur Privilegia, quocunque rigore antecedentium Principum constabilita, semper tamen posteriorum novo munimine instaurari, & innovari necesse sit. Datæ à *Friderico* novissimæ istæ Literæ suæ brevi tenore *Fogie* apud Italos, aut Siculos, *Anno Dominicæ Incarnat. Mccxxviij. Mense Aprili Primæ Indictionis.*

Altaria prima Ecclesiæ nostræ decreta, præsente Duce Fundatore.

XVIII. *Ortilo* noster, postquam suprà dictis subjunxisset mortem præmaturam *Henrici*, tùnc Natumajoris, sed immorigeri Filii *Leopoldi*, prolixo deinde gravique sermone sic pergit de Principe nostro. // Ejus animam Dux LIUPODUS // pius Pater, Monasterium nostrum visitans, cum Filio FRI- // DERICO jam unico, Idib. Octobris, nostris orationibus de- // votissimè commendavit. Et quia cognovit, Ecclesiam su- // am apud nos anno altero integrè absolvi posse, tantò magis // operi instare mercenarios jussit, auctô eorum numerô. Cum // Domino *Ottone* Abbate nostro Consilium tractavit de mo- // do, & numero Altarium, & quibus Sanctis ea dedicanda es- // sent. Deliberatum est, Septem Altaria fieri. Primùm sum- // mum in Præsbyterio dedicari debere Sanctæ & individuæ Tri- // nitati, Beatam DEI Genitricem ad se assùmtam coronanti. // Post Præsbyterium fieri Altare Beatæ Mariæ: à dextris Sancti // Legislatoris nostri Benedicti: à sinistris sancti Bernardi. Jux- // ta Præsbyterium ad dextram sancti Michaelis: ad sinistram // Sancti Joannis Baptistæ. In Choro Conversorum Altare San- // ctæ Crucis. Hæc omnia Domino *Ottoni* Abbati optimè cu- // rare jussit. // Nullum horum primævorum Altarium ad nos pervênit. Situs verò, Titulique eorum à successoribus DD. Abbatibus, quoties nova ponerentur, in hanc usque diem servati. Numerus autem ipse in Templo sub Ecclesiæ Navi quatuor aliis auctus est: cui rursum quatuor Altaria in Capellis, Ecclesiæ adjunctis, accessêre.

Idem obtestatus est Filium *Fridericum*.

XIX. Prosequitur *Ortilo* de Fundatore. // FRIDERI- // CUM verò Filium adjuravit in Oratorio, coram DEO, & // Sanctis ejus, ac nobis, & multis Ministerialibus, ut, si ipse // absens esse deberet, vel non ampliùs superesset, Fundationem // suam ante omnia sine defectu perficeret, & Ecclesiam dedica- // ri faceret, eo ritu, quo deceret, mortuíque Ossa huc trans- // ferret, & in Præsbyterio deponeret. Hoc dixit tam ardenti // affectu, ut omnium corda tanta Pietas commoveret, & sibi, // ac nobis, lacrymæ sub oculos festinarent. Sed heu! quòd // nihil horum intelleximus, quomodo Princeps noster sibi pro- // phetaret. O quam longè ardentiùs ruissemus in oscula pii Pa- // ren-

// rentis, si cognovissemus, faciem ejus nos ultra non esse visu- // ros. // Assumsit *Ortilo* hoc loco quasi Ephesiorum exemplum, de quo Actor. 20. ac doluit, factum à nostris non fuisse, futuri quippe ignaris, quod illi egerunt. Quorum videlicet, prædicente eis *Paulo*, quòd faciem ejus haud ampliùs essent visuri, factus est magnus omnium fletus, & quique super collum Pauli procumbentes, deosculabantur eum, maximè in hoc verbo dolentes, quoniam ampliùs faciem ejus non essent visuri. Opinari licet, DEI consilio instans *Leopoldi* fatum nostros latuisse: ne forsitan carni & sanguini licentiùs acquiescerent, & plusquam oportet, contristarentur, tanquam Viri non essent, ad quos pertinuit, amorem spiritu moderari, spémque omnem solo in DEO habere. Certè enim nullibi pronius erat, animos Filiorum emolliri, quàm in adeo boni, adeo pii, adeo Munifici, adeo diligentis, totáque virtute & facultate sua faventis Clementissimi Patris jactura irreparabili. Neglectum tamen illa die fletus, & osculorum, imóque de pectore eductorum à nostris suspiriorum officium, quà poterat, suppleturus *Ortilo*, calamo suo hoc munus imposuit, ut sequentibus adhuc periodis dolorem nostrorum, quem coram contestari non datum est, sera in Secula profiteretur. Quod nostri ignorantes, ultimum eidem Vale non dixerunt.

XX. Subdidit námque flebili lamento. // Discessit Pater // noster à nobis, Pater Cleri, & Patriæ, Pius, Clemens, Glorio- // sus, non ampliùs rediturus, nisi ut dormiat nobiscum in idip- // sum. Cineres suos, & ossa Anno tertio recepimus. Desi- // deravimus Vultum amabilem, & mitem, Oculos fulgentes, & // gratiosos, Os & Linguam dulcissimi Patris, & Manus semper // Munificas, etiam Genua Religiosa, quæ coram nobis, ele- // vatis ad DEUM manibus, toties devotissimè flexit, nobis // in exemplum pietatis. Sed nihil horum erat ampliùs. O // quis dabit aquam Capiti meo, & oculis meis fontem lacrima- // rum! Sicut autem Domino placuit, ita factum est. Bene- // dictus DEUS! Nequaquam, sicut mori solent ignavi, mor- // tuus est Abner noster, ut post paululum dicam. // Hæc pia mœsti Chronographi nostri Rhetorica, me quidem arbitro, prope est, ut nobis omnibus, qui omne Campililium nostrum huic eidem Amantissimo Parenti debemus, & viscera sauciet, & lumina fletibus impleat: si tantum in animis nostris grata reminiscentia, quantum apud Majores nostros felicibus oculis toties hausta præsentia Clementissimi Principis possit. Ortilonis prævium de tam pii Patris jactura lamentum.

Annus 1229.

XXI. Hic brevis in Rebus nostris *Ortilo* sic tantummodo refert. // Ingruente hyeme perfecta est Ecclesia no- // stra usque ad Campanile, & Altaria prædicta. Dominus *Otto* Ecclesiæ nostræ perfectio.

// Abbas, ut plurium nostrorum mortes suppleret, alios & alios // ad Conversionem accepit. // Quæ ulteriùs affert, Acta Principis nostri publica spectant, & idcirco à me jam I.° Decadis hujus §.° relata sunt.

Annus 1230.

Ex annotatis *Ortilonis* ad hunc annum ea solùm hìc ponuntur, quæ Monasterium concernunt.

XXII. HOc anno finem scriptioni suæ impositurus *Ortilo*, propter eventuum, quàm initio lætorum, tam deinde tristium, numerum ac modum quartam in pagellam excurrit. Ego porro, quia solis in Rebus nostris hìc versor, ea, quæ nostri Principis profectionem in Italiam, operam & fatigium gloriosum pro Reconciliatione Papæ ac Cæsaris, morbum supremum, & mortem piissimè obitam, barbaram decocti corporis pietatem, Viscerúmque ac carnium solemnem apud Montem Cassinum Depositionem, Luctum denique publicum Austriæ allatîs in Patriam Ossibus concernunt, non iterum exscribo, suo loco in Rebus Principis jam prolixiùs deducta. Quæ vero Scriba noster de suprema Clementissimi Parentis nostri Cura pro dilecto Campililio suo, déque nostrorum infando, in Exceptione, ac Depositione Funeris ejus dolore, cadentibûs in membranam lachrymis consignavit, Fastis gemebundus nunc infero: iis additîs, & pro merito laudatis, quæ *Friderici* Filii novi Ducis Clementia Paternæ Munificentiæ liberaliter adjecit.

Fridericus omnia clementer præbuit, quæ nobis deerant.

XXIII. Dictô igitur, *Fridericum* Filium à Patre, profectionem Italicam aggressuro, Provinciis interea Rectorem impositum esse, sic *Ortilo* pergit. // Hic, sicut adjuratus erat à // Patre, omne, quod defuit nobis, clementer tribuit: ut in fi- // ne Autumni ad Dedicationem parata essent omnia. Dux // LIUPOLDUS in Italia apud Dominum *Gregorium* Papam // Nonum tam pro Monasterio suo, quàm pro Imperatore soli- // citus fuit. Nobis enim impetravit quatuor Bullas per Me- // rita sua ab eodem Pontifice. Per unam confirmavit omnes // Possessiones nostras simul, & breviter: per alteram distinctè, // & prolixè. Per tertiam mandavit Archiepiscopo, & Præla- // latis Salzeburgensibus, ut nos contra quoscunque defendant. // Per quartam concessit omnibus præsentibus in Dedicatione // Ecclesiæ nostræ Indulgentiam unius anni, & in Anniver- // sario quolibet quadraginta dierum. //

Leopoldus Pater impetravit nobis quatuor à Pontifice Bullas,

Cujus providâ Clementiâ Tranquillitati nostræ per octodecim

XXIV. Miretur amicus Lector curam incessabilem amantissimi Principis vel pro solo Campililio suo: cujus incolumitati, tranquillitati, & securitati, ut nulla non ex parte, quantúmque tota sua facultate posset, amplissimè provideret, octodecim planè solemnibus Chartis Rebus nostris consuluit. Harum

rum quippe tribus, quæ quidem hodie superſunt nobis (quasdam enim deeſſe veroſimillimum eſt) ipſe omnia noſtra communivit) undecim alias à Summis Pontificibus, tres à *Friderico* Auguſto, unam à D. *Manegoldo* Epiſcopo Pataviensi potenti ſuo interventu clementiſſimè impetravit, cùm ſuis de Eccleſia, déque Imperio immortalibus Meritis omnia ab omnibus deberi, probè faciléque intellexiſſet. Quo incomparabili ſtudio Pietatis erga Domum DEI glorioſa profectò veſtigia Hæredibus, & Succeſſoribus omnibus adeò luculentè ſignavit, ut ea non premere, univerſis pudori fuiſſet. Largiente itaque DEO, illa ſtimulo tam vehementi fuêre, ut in Campililii Protectionem, quotquot poſthac Auſtriæ moderabantur, confirmandô noſtra, tuendô, augendóque, certatim ferverent. Quo contigit pacto, Florem Domus noſtræ tot jam per Secula incolumem perſtitiſſe, ac nullum omnino Principum Auſtriacorum Nomen eſſe, cui dica illa ſcribenda foret: *Faſtis careat, qui factis caret.* Chartas consultum fuit.

XXV. Quàm oppidò autem, & Literarum hujusmodi Præſidium, & Summorum tam Pontificum, quàm Principum conſtans ac perpetua tutela, Monaſterio neceſſaria fuerint, prima Bullarum *Gregorii* Papæ IX.[ni] luculentè demonſtrat: quæ cùm de temporum illorum iniquitate manifeſtum teſtimonium perhibeat, integra ſibi hìc locum jure merito depoſcit.

GREGORIUS Epiſcopus

Servus Servorum DEI Venerabilibus Fratribus, Archiepiſcopo Salzburgenſi, & ejus Suffraganeis, & Dilectis Filiis Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconis, Plebanis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, per Salzburgenſem Provinciam conſtitutis, ad quos Literæ iſtæ pervenerint, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NOn absque dolore cordis, & plurima turbatione didicimus, quòd ita in pleriſque partibus Eccleſiaſtica Cenſura diſſolvatur, & Canonicæ Sententiæ ſeveritas enervatur, ut Viri Religioſi, hujusmodi maximè, qui per Sedis Apoſtolicæ Privilegia majori donantur libertate, paſſim à malefactoribus ſuis injurias ſuſtineant, & rapinas, dum vix invenitur, qui congrua illis protectione ſubveniat, & pro fovenda pauperum innocentia ſe murum defenſionis opponat. Tenor Bullæ *Gregorii* IX. quâ jubentur Archiepiſcopus Saliſbur. ſuffraganei, & Prælati, nos & noſtra à malefactoribus defendere.

 Spe-

Specialiter autem Dilecti Filii, Abbas, & Fratres Monasterii de Lilienveld Cistercieñ. Ordinis, tam de frequentibus injuriis, quàm de ipso cottidiano defectu Justitiæ conquerentes, Universitatem vestram Literis petierunt Apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum promta debeatis magnanimitate consurgere, quòd ab angustiis, quas, sustinent, & pressuris, vestro possint præsidio respirare. Ideoque Universitati vestræ per Apostolica Scripta mandamus, atque præcipimus, quatenus illos, qui possessiones, vel res, seu domos prædictorum Fratrum, vel hominum suorum, irreverenter invaserint, aut ea injustè detinuerint, quæ prædictis Fratribus ex testamento decedentium relinquuntur, seu in ipsos Fratres, vel eorum aliquem, contra Apostolicæ Sedis indulta, sententiam excommunicationis, aut interdicti præsumserint promulgare: vel Decimas laborum de possessionibus habitis ante Concilium Generale, quas propriis manibus, aut sumtibus excolunt, seu nutrimentis Animalium ipsorum, spretis Apostolicæ Sedis Privilegiis, extorquere: Monitione præmissa, si Laici fuerint, publicè candelis accensis singuli vestrûm in Dioecesibus, & Ecclesiis vestris, excommunicationis sententia percellatis. Si verò Clerici, aut Canonici Regulares, seu Monachi fuerint, eos, appellatione remota, ab Officio & Beneficio suspendatis, neutram retractaturi sententiam, donec prædictis Fratribus plenariè satisfaciant, & tam Laici, quàm Clerici seculares, pro violenta manuum injectione in Fratres ipsos, vel eorum aliquem, anathematis vinculo innodati, cum Dioecesani Episcopi literis ad Sedem Apostolicam venientes, ab eodem vinculo mereantur absolvi. Datum Laterani XI. Kal. April. Pontificatus nostri Anno Quarto.

Reliquarum trium Bullarum argumentum, quarum una solemnis.

XXVI. Bulla altera brevis, qua Pontifex generatim universa nostra confirmavit, suámque in Protectionem recepit, stilo communi concepta, peculiare nihil habet, ita subsignata. *Datum Laterani VI. Non. Maji* (die ejusdem 2.da) *Pontif. Anno Quar-*

Quarto. Tertia, qua idem Papa disertè ait, se, *Ducis nostri Fundatoris precibus inclinatum, omnibus, qui ad Monasterium ipsum Die, quo annuente DEO consecrabitur, causa devotionis accesserint, Unum Annum, ac deinceps in Anniversario Consecrationis ipsius Quadraginta dies de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxare*, emanavit *Laterani Nonis Maji* (i. e. ejusdem die 7.ª) *Pontificatus Anno Quarto.* Postrema tandem & Solemnis, plurimùmque prolixa, qua omnes Possessiones nostræ, & singula Privilegia, toti aliàs Ordini communia, singillatim recensentur, nobísque confirmantur, Signo, & Monogrammate Pontificio, atque tredecim Cardinalium subscriptione roborata, ita concluditur. *Datum Laterani per manum Martini Sacræ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarii VIII. Id. Maji* (die ejusdem 8.ᵛᵃ) *Indict. III. Incarnationis Dominicæ Anno MCCXXX. Pontificatus verò Domini GREGORII Papæ IX.ⁿⁱ Anno Quarto.*

XXVII. Pergens *Ortilo* in enarratione eorum, quæ Princeps noster Concordiæ, Papam inter ac Imperatorem resarciendæ causa, summa cum industria, & irremissis laboribus egit, atque ad subsecutam supremam ejus infirmitatem delapsus, denuò hæc, ad nos attinentia, interposuit. // Sed in hoc termino // suo pius Parens noster, cùm semper nos dilexisset, usque in // finem dilexit nos, iterum in Testamento suo adjurans Filium // suum FRIDERICUM, ut omnem suam Fundationem in Val- // le Beatæ MARIÆ in Lilienueld integrè confirmaret, perfice- // ret, & conservare studeret, ut Benedictio DEI, & Sua, essent // super ipsum. // Ardens profectò erga nos Charitas Devotissimi Principis! Gravis Obtestatio Filii sub intentato Divinæ, suæque Benedictionis periculo! Sed hic quàm benignè, fidelitérque steterit Supremæ Optimi Patris circa nos voluntati, perspicuè iterum *Ortilo* collaudat, lugubri, sed Gloriosa in Monte Cassino Viscerum ac Carnium Leopoldinarum Depositione, Ossiúmque ad nos Advectione, prolixiùs antè enarratis, ut ex eo §.° I.° Decadis hujus excerpsi.

Leopoldi Ducis suprema in nos Charitas.

XXVIII. Tunc namque ita prosequitur. // Sepulturæ dies // à Duce FRIDERICO idem destinatus fuit, qui Consecrationis // Ecclesiæ nostræ, ultima Novembris, in qua festum erat S. *An-* // *dreæ* Apostoli. Ad utraque Solemnia iij. Cal. Decembr. ver- // sus Vesperam advenerunt Dux FRIDERICUS, & Domina // THEODORA Relicta Ducis LIUPOLDI, Filiæ quoque ejus // CONSTANTIA, & GERTRUDIS, unacum mœstissimo Fu- // nere. Advenerant etiam Dominus EBERHARDUS // Archiepiscopus Salzburgensis: Dominus GEBHARDUS // Episcopus Pataviensis: Dominus RUDIGERUS Episco- // pus Chiemensis: Dominus WERNHARDUS Dux Karin- // thiæ: Comites, & Barones Austriæ & Stiriæ. Dominus *Egi-*

Solemnia Dedicationis nostræ.

// *lolsius*

// *lolfus* Abbas Sanctæ Crucis: Dominus *Hainricus* Abbas in // Zwetla, & alii Clerici plurimi. Item Ministeriales, Milites, // & de Plebe innumeri, largè omnibus providente Duce *Fride*- // *rico*. Ossa Ducis inOratorio nostro collocata, per noctem in- // ter tristes Psalmos nostros pausârunt. Altera die, post Opus // DEI à nobis actum, Dominus Archiepiscopus Solemnia // Consecrationis Ecclesiæ, & Altarium perfecit, atque Missas // cantavit.

Depositio Fundatoris.

// Post Vespertinam verò Sinaxim squallorem induit Eccle- // sia per nigra pallia, & tristia lumina, ac versa est in luctum // cythara nostra. Lectulus Ducis cum maxima lugentium // processione per portam Abbatis ex Oratorio circa Claustrum // elatus, deportabatur ad Ecclesiam, & Ritu Christiano in // Præsbyterio ad cryptam, flentibûs omnibûs nobis, in locum // quietis suæ repositus est. Laus Principis maxima, & major // omnium Oratorum eloquentiâ, fuit gemitus universorum.

Beneficentia novi Ducis, & aliorum, erga nos.

// Dux FRIDERICUS, ut se tanti Patris dignum Hærede n // præberet, omnem Patris Fundationem nobis latè confirma- // vit. Et quia Fratres *Altenburgici* iterum reclamabant, contra // Compensationem, à Duce LIUPOLDO beatæ memoriæ olim // sibi factam: Novus Dux, magna clementia erga nos, & il- // los, de suis terris & reditibus novam, & tam bonam ipsis fe- // cit compensationem, ut coram Altari Beatæ Virginis, Ma- // nus supra Sanctas Reliquias ponentes, firmiter promitterent, // quòd nunquam de cætero nos, & Cœnobium nostrum super // hæc gravare, sed fidelem amicitiam ad nos conservare vellent. // Nobis verò idem Dux FRIDERICUS sua liberalitate donavit // Villam *Wizlinstorf*, & alia plura. Tunc etiam Domina *Eu*- // *femia* Comitissa in *Sirnic* in *Pilstein* fecit nobis bonam Dona- // tionem, & alii plures, multùm nostrum Monasterium pro- // pter Religionem, & propter Ducem Fundatorem diligentes.

Largitio Eleemosinarum.

// Altera die Cal. Decembr. fiebant Missæ pro Duce sepulto // per Dominos, Archiepiscopum, & Episcopos, Abbates, & // Clericos, & Eleemosynæ multæ pauperibus per Ducem, & Do- // minam THEODORAM, atque per Monasterium. Post- // quam verò Principes, & Populi recesserunt, sedimus nos, & // flevimus, dum recordaremur Principis nostri.//

Ex hac narratione multa historiæ lux.

XXIX. Prolixior hic sermo res attamen plurimas maximásque summo compendio, verbísque tam exquisitis enunciat, ut non facilè calamum graviorem desideres. Multùm profectò lucis ex hac Narratione accipit Historia, per quam hucusque haud amplius aliquid noveramus, præter hunc unum Chronographi *Salisburgensis* paragraphum, quem pariter in omnibus Chroni-

Chronicis Austriacis leges. „*Liupoldus* Dux Austriæ apud S. „Germanum obiit: cujus Corpus in Monte Cassino in Mona-„sterio S. Benedicti à Cardinalibus sepelitur: & Ossa ipsius de-„lata in die S. Andreæ Apostoli apud *Lierenvelde* ab Archiepisco-„po sepeliuntur: & eodem die dictum Monasterium ab eodem „consecratur.„ Quo porro, quantóque Principum tam Sacrorum, quàm sæcularium, item Abbatum numero, quanta Clericorum, Illustrium, Nobilium, Plebísque copia frequentata sint apud nos hæc amplissima concelebratissimæ pompæ Solemnia tam Dedicationis, quàm Funeris, quo ordine, qua munificentia Novi Ducis peracta fuerint, unus nobis jam *Ortilo* vulgat. Cui certissimum suffragium addit Charta Ducalis confirmatæ tunc pariter universæ Fundationis nostræ eo, quem exhibet, Testium subscriptorum Catalogo, infrà apponendô. Si qui verò mirentur, quomodo tot Principes, Jllustres, Nobilésque personæ, ac de Plebe innumeri, congruum in Monasterio Diversorium acceperint: equidem illis me facilè adiunxero. Sed persuadeo mihi, exstitisse tunc temporis ponè Monasterium Ædes quaspiam Ducales, usui Principis hìc transeuntis, vel commorantis apparatas, sive veterem Domum Forestariam: cum *Ortilo* testetur, Ducem nostrum Fundatorem aliquoties ad nos accessisse. Præterea Domus antiqua DD.[orum] *de Lilienveld*, quam Abbas inhabitabat, plurium brevi incolatui, & saltem unius alteriúsve noctis hospitio, sine dubio par fuit. Habebat insuper Porta nostra Domum Hospitalem, ubi peregrini ac pauperes toto Anno cum Charitate recipiebantur. Cæteros reor in vicinia juxta Montem, ad quem se statim laudati DD.[ni] *Lilienveldarii* retraxerant, fortè in Viculo, qui hodie Cœnobio proximus exstat, alios paulò ante Monasterium cùm in Oppidulo, si tum quidem jam fuerit, tum apud Trasenam, ubi Plebania S. Joannis erat, alios denique in casis Montanis ruricalibus tectum, lectúmque stramineum reperisse. Non dubium, illâ ipsâ providentiâ novi Ducis, qua singulis de Annona prospexit, etiam de diversorio consultum fuisse.

Qua ratione Campililium Tot hospites capere potuerit.

XXX. Communem interim nobis, Clero, & Patriæ, Patrem *Leopoldum*, magna jam Rerum vicissitudine perfunctum, & à laboribus quiescentem, quod attinet, Tumulum ejus elatum, atque marmoreum, qui hodie superest, & quæ de Venerabilibus Ossibus ejus, tempore paulò superiori lustratis, scitu digna nobis constant, Appendici I.[mæ] Tomi IIII.[ti] *de Monumentis sepulchralibus Campililii*, veluti loco proprio, reservo. Epochas Vitæ & Regiminis ejus §.[o] I.[mo] Decadis hujus subduxi. Vixit ille tempori: vivit verò Æternitati. Nec ibi duntaxat vivit, ubi jam nunc eundem, pro merito devotissimæ Pietatis, torrente voluptatis à DEO potari cum Beatissimis, tota fiducia cre-

Supremum Ducis Fundatoris Elogium.

credimus: verùm etiam in hoc nostro præsenti caducitatis, magnæque vanitatis theatro tanta cum Gloria superest, quantam immortalibus meritis homines per æternam cum laude memoriam reddere possunt. Omnibus quidem ævi sui hominibus quodammodo interiisse censeri possit, omnium propemodum, quoad vixerat, Amor, omniúmque Delicium: quippe qui Ecclesiæ, Patriæ, Imperii commoda, sub Oriente Occiduóque Sole, tam voto complexus, quàm opere executus, talis erat, cujus & salus, & Vita, omnium hominum votis, & voluptate optabatur. Præcipuè tumulo ejus Campililii Felicitas clausa videatur. Errat verò, qui ita metuit. Quousque enim in Mundo supererint Fasti, sic LEOPOLDUS *Gloriosus* legetur, ut, qui Principes fuerint, se cum illo componi unicè cupiant, qui subditi, tali se Principe beari in omnibus aris focísque diligentissimè supplicent. Apud nos porro ille tamdiu superest, quamdiu aliqui nostrûm supererunt. Quotquot enim adsumus, illius Clementiâ sumus, illius Munificentia vivimus. Quisquis igitur Campililium vides, etiam vides LEOPOLDUM: qui, dum nobis præsentibus Beneficiis undique adest, suæ apud nos æternitati incessabiliter interest. Quia verò Magna Principis Anima, quam utique Cælum dudum jam habet, terrena nunc omnia calcat, neque verba, semper imparia meritis, cupit, præterquam illa, quibûs nocte diuque DEI laudes æterno ipsius voto canamus: calamum à Patre, cui æternum sit benè, ad Filium converto.

Friderici Novi Ducis Munificentia collaudata.

XXXI. Clarissima etiam FRIDERICI Munificentiæ testimonia perhibet *Ortilo*, immo & Pietati adversus DEUM non minùs, quàm Patrem, eximiæ: qua proinde suscepti Regiminis primordia sanctissimo auspicio consecravit. Ut námque, adjuratus à Patre, fidem Filii nullibi fefellit, sed, cùm adhuc pro eo apud Italos agente Provincias regeret, *omne, quod defuit nobis, clementer tribuit*, quod ajebat Scriptor noster, hoc pacto Campililii nostri fabricæ integræ perfectam Coronidem imponens: ita ab obitu *Leopoldi* beato, rerum ipse in utroque Ducatu plenissimè potitus, nihil undique deesse voluit, quod & Funeri Paterno, & Consecrationi Ecclesiæ nostræ splendorem conciliaret. Quotquot vel ipse ad hæc utraque Solemnia vocavit, sive qui propria pietate concurrebant, *iis omnibus* in Loco, qui mera Eremus esset, nec haberet, unde Turba saturaretur, *ipse largè providit*: exolutis verò jam Animæ Paternæ Funebribus omnibus Justis, *multas*, præcipuus & sine dubio munificentissimus ipse, præter Matrem Serenissimam, ipsum Monasterium, *pauperibus Eleemosinam fecit*. Nobis verò novum se Patrem præbiturus, Supremarum denuo Paternarum Tabularum imperium, *ut omnem Patris Fundationem integrè confirma-*

firmaret, perficeret, & conservaret, ex asse, támque velox & festinus implevit, ut sine mora obediens, ipso Dedicationis die, in præsentis universæ Multitudinis oculis, amplissimo Diplomate solemni, Dona, & Bona omnia, atque Jura universa, à Patre in nos collata, clementissimè confirmaret.

XXXII. Iterum verò Dominis & Fratribus *Altenburgicis*, non tam jure, quàm importunitate, reclamantibus, ut & suis Ministerialibus favere, & nostræ quieti à turbis querulantium plenè providere se Velle, palàm omnibus redderet, novam eis ad votum proprium, támque abundantem, non de nostro, sed de suo, fecit compensationem, ut, relatis gratiis, se jurejurandô nostram ad amicitiam adstringerent. Insuper Munificentia Patris nequaquam inferior esse cupiens, integro Ditiones nostras Oppido, aliisque Possessionibus, propria Liberalitate, unacum Serenissima Domina Matre adauxit. Chartam ejus, quia maxima sui parte Transumtum quodammodo est posterioris Chartæ Fundationis nostræ, quam Decad. I. §. III. ad ann. 1209. integerrimo tenore adscripsi, hoc loco excerpere duntaxat in iis, quæ peculiaria continet, ut sequitur, visum est.

Conquerentibus denuo Altenburgicis de suo novam fecit compensationem. Monasterium nostrum novo Oppido auxit.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis.

FRIDERICUS DEI Gratia Dux Austriæ & Stiriæ, Omnibus præsentem paginam inspecturis in perpetuum.

Diploma Comfirmationis *Friderici* excerptum.

REctè suorum Decessorum legitimus Hæres nuncupatur, qui non tam ipsorum divitias, & Potestatem, verùm & Virtutes studuerit hæreditare. Igitur ut non solùm Principatus Patris nostri LIUPOLDI divæ memoriæ Ducis Austriæ & Stiriæ, sed etiam Virtutes & Probitatem hæreditemus: placitum DEO & hominibus arbitramur, ut Liberalitatem, quam ipse circa Monasterium *de Lilienveld*, quod ipse *Vallem Beatæ Mariæ* instituit appellari, videlicet pro sua, omniúmque Antecessorum & Successorum salute, Nos quoque Privilegii nostri Auctoritate confirmemus; ut eandem Gratiam apud supernum Judicem Nobis obti-

neat Confirmatio, quam ei Fundationis & Donationis Meritum comparavit. Quæcunque ergo Pater noſter Religioſa Liberalitate jam dicto contulit Monaſterio, & Apoſtolica, Pragmaticaque Sanctione ſolempniter ſunt communita, cum terminis ſuis præſenti Privilegio duximus inſerenda. Extenduntur ergo Termini ejus, ſicut continetur in Inſtrumento Patris noſtri exinde confecto, A Predio *Hertwici* Militis *de Hube &c.* (*ſequentia ad literam, ut in Charta Fundationis, usque poſt enarratam Altenburgenſium Reclamationem, & Compenſationem, à Duce Fundatore factam eisdem. Deinde ſic pergitur.*)

Compenſationem facit Altenburgenſibus.

Hæc autem Recompenſatio proceſſu temporis Miniſterialibus diſplicuit ex parte. Verùm ne Religioſa, & DEO accepta Devotio Patris noſtri, quam habuit circa conſtructionem Monaſterii *de Lilienveld*, quam & Nos meritò cum Principatu ſuo hæreditare debemus, per noſtram incuriam debilitaretur, ita, ut hujus rancoris occaſione Cœnobium à Miniſterialibus, vel ab eorum Succeſſoribus impoſterum turbaretur, & nos ille reatus coram Omnipotente Judice addiceret: In Dedicatione ſæpedictæ Eccleſiæ, juxta Voluntatem Miniſterialium, tam habundantem fecimus Recompenſationem, *Stranzendorf* cum quibusdam aliis ipſis conferendô, & in poſſeſſionem mittendô, quod liberè & quietè poſſederunt, & gratias referentes de tam bona Compenſatione, & ipſo Dedicationis die coram Altari Sanctæ DEI Genitricis promiſerunt, nunquam ſe de cætero ipſum Cænobium ullo gravamine pulſaturos, ſed ad ipſum fidelitatem & Amicitiam conſervaturos. Teſtes hujus Rei ſunt: *Eberhardus* Archiepiſcopus Salzburgenſis. *Gebhardus* Epiſcopus Pataviensis. *Rudigerus* Epiſcopus Chimſeenſis. *Bernhardus* Dux Carintiæ. *Chunradus* Comes de Plaien. *Otto* Tumfogt (i. e. Advocatus Ratisponenſis) *Hainricus* & Frater ejus *Hadmarus* de Chunring. *Chadoldus* de Veldeſperch. *Hadmarus* de Sunneberch. *Chadoldus*

dus de Baumgarten. & Frater ejus *Hadmarus*. *Rugerus* de Antſchowe. *Wichardus* de Zebing. *Chunradus* de Ramenſtein. *Hainricus* de Brunnen. *Ulricus* de Peccah. *Otto* de Traburch. *Rimbertus* de Mureckke. *Leutoldus* de Wildonia.

Porro ne & Nos Munificentia Patris noſtri inveniremur inferiores, immo ut Regni cæleſtis cum ipſo efficeremur participes, præfato Dedicationis die, unacum Matre noſtra, contulimus Eccleſiæ in *Lilienveld* xxxv. Manſos in *Wizlinſtorff*, cum omnibus pertinentiis ſuis, & duas Inſulas. In *Newendorf* vij. Manſos, & dimidium, & Mageriam unam cum attinenciis ſuis, & duos Manſos in Radgerſtorf. (*Exhinc denuo pergit in Charta Fundationis, ac tandem ita concludit.*) Ut ergo hæc omnia Fratribus *de Lilienveld* perhenni ſtabilitate rata maneant, & inconvulſa, Pater noſter ſuo conſtituit Privilegio, congruis in eodem Teſtibus annotatis. Nos ergo conſiderantes, quòd Nobilitatis Inſigne ſit, Patris Teſtamentum, pro ſua ſuorúmque ſalute conditum, poſt mortem ejus confirmare: omnia ſupradicta, ſæpe memoratæ Eccleſiæ *de Lilienveld* à Patre noſtro Religiosè collata, præſenti Privilegio confirmamus, ut & Nos in felici Reſurrectione Sanctorum partem & ſocietatem cum eo pariter habeamus. Datum Anno Incarnationis Dominicæ M. CC. XXX. Prid. Kal.' Decembris in Lilienveld.

Auget noſtras Poſſeſſiones.

XXXIII. Archiepiſcopalium Literarum de peracta apud nos Dedicatione nihil ad me pervênit. In uno tamen à præallatis Coloſſis, quibûs Præsbyterium noſtrum fulcitur, à cornu Evangelii conſiſtente, Tabella antiquiſſimis & fortiſſimis clavis affixa ſupereſt, in cujus Membrana, vitro veſtita, hæc Inſcriptio uncialibus Seculi XIII. Literis comparet.

Anno Domini M. CC. XXX. Epacta IV. Concurrente I. Indict. III. prid. Kl.' Decembr. conſecratum eſt hoc Altare, & Monaſterium à Venerabili Archiepiſcopo EBERHARDO Salzeburgeñ. Eccleſie. In honore Glorioſe Virginis MARIE, & omnium Sanctorum. Reliquie ſunt iſte. De Preſepe Domini, De

Reliquiæ in Altari Summo depoſitæ.

Ligno Domini. De Sanguine Domini. De Sepulchro Domini. De Panno Domini. De Oleo, & Veste S. Marie. Johannis Baptiste. Petri. Pauli. Andree. Jacobi. Bartolomei Apostolorum. Christophori. Magni Martyrum. Martini. Nicholai. Willehelmi Episcoporum & Confessorum. Benedicti. Naboris Confessorum. Agnetis. Katharine. Pinnose. Chunegundis Virginum. Afre Martyris. Undecim Millium Virginum. De Sandaliis Sancti Bartolomei Apostoli.

XXXIV. Dominæ Comitissæ *de Pilstein*, de qua, & Stirpe ejus, Principum famam ac potentiam olim sustinente, largiùs aliquid afferam *Tom. IIII.* inter *Familias in P.*, Chartam Donationis, quia brevis est, & non abs re præsenti, pariter integram adscribere libuit, sic habentem.

Donatio Comitissæ de Pilstein annuente Duce.

Notum sit universis Christi fidelibus tam præsentibus, quàm futuris. Quòd ego EUFEMIA Comitissa *in Pilstein* Curiam in *Sirnich*, quam inhabitat *Chunradus*, & tria Feuda sita in *Sirnich*, cum omnibus attinenciis Curiæ, ob remedium Animæ meæ, & omnium Parentum meorum, Sanctæ MARIÆ in *Lilienuelde*, & DEO ibidem servientibus, viva voce, nullo contradicente, per manus Ducis LIUPOLDI felicis memoriæ, & per manus & consensum Ducis FRIDERICI, liberè donavi. Ne autem hoc factum improborum calumpnia falsitate aliqua possit calumpniari, me vivente Sigillo meo confirmavi. Hujus Rei Testes sunt. Domina THEODORA Ducissa Austriæ. *Eberhardus* Archiepiscopus Salczpurgensis. *Gebehardus* Episcopus Pataviensis. *Rudegerus* Episcopus Chiemensis. *Bernhardus* Dux Karintiæ. Comes *Chunradus* de Hardekk. *Ulricus* de Bekka. *Hadmarus* de Chunringe, & *Henricus* Frater ejus. *Liutoldus* de Altenburch, & *Chunradus* Frater ejus. *Otto* Zant, & Frater ejus *Walchunus*. *Otto* de Sazze. *Hainricus* de Sundpach. *Hainricus* de Schönenbuche. *Chunradus* de Slaeten. *Heinricus* de Cham. *Lupoldus* de Chalchowe. *Ulricus* Muzzil. *Hirzmannus* de Ruprechtshoven. *Sifridus* Officialis Comitissæ prædictæ. *Chunradus* Filius ejus. Et Alii quàm plures.


No-

Novam hìc legimus præsentium in Dedicatione Campililii Nobilium Hospitum turbam. Quorum tamen quinam alii, præter hanc Comitissam, sub hæc solemnia pariter in nos benefici fuerint, quos plures *Ortilo* fuisse testatus est, hodie non constat.

XXXV. Superest verò postrema Scriptoris nostri Clausula, hìc addenda, quam ille *Libello* suo *de Exordio Campililii*, hucusque terna per Secula à me laudato, exscriptóque, his verbis imposuit. //Sed dum eidem (deposito nempe Principi nostro) //à nostris Tumulus Marmoreus, & Carmen mortuale præparatur, ego ORTILO senex debilis multùm & infirmus, caligantibus etiam oculis, & corde nimiùm mœsto, calamum // depono, ac sedens ad sepulchrum Principis, meum sepulchrum // cogito. Suscitet DEUS spiritum Junioris ex nobis, & con- //cedat propitius, ut de Austria, & Monasterio, multa felicia // ipse quoque scribere possit. Vos Fratres hujus Domus, qui // nunc estis, & eritis postea, grati mementote Bonorum LIU- //POLDI. Benedictus DEUS! // *Ortilonis Clausula sui Libelli.*

XXXVI. Sic conticescit jam Olor noster, suo suffragio, dum daret extremas has voces, jam ferè præmortuus: Olor, inquam, cujus cantu universa hodie melior Austria, ac præcipuè Campililium nostrum, haud immeritò vehementer exultant, dum is utrique faustissima Primordia sua, quæ pulvere oblivionis jam penè sepulta credebantur, luculentissimè retexit. Promtum erat mihi, tutúmque lucida hac Pharo præfulgente, perplexas, confusas, confragosas Patriæ Historiæ semitas ita spinis expurgare, ut nemo non deinceps in ea pede multò minùs offenso decurrat. Si quid erat, quod in *Ortilone* desiderarem, id unum certè fuit, eum, qui omnium cæteroquin Principum Babenbergicorum Acta & facta ordine quàm exactissimo recensuit, ad solum ultimum eorundem se non porrexisse, *Fridericum* videlicet *Bellicosum*. Sed magno DEO oppidò favente, admodum feliciter in Bibliotheca nostra reperi Scriptorem æquè gravem, ordinatum, prudentem, & exactum, quamvis non è Gremio nostro, qui & hujus Principis Gesta plena perfectáque in luce collocavit: cujus proinde ductu Patriæ Historiam adhuc in alios annos triginta & ampliùs commodissimè exequar. Verumtamen Res Monasterii non est, qui pariter cum *Ortilone* deinceps mihi pandat, jam è sola Archivii nostri Chartularia suppellectile eruendas. Luctabor tamen propitio DEO in iisdem, quantum ferent industria, & ingenium meum, & conabor, ut verum à falso studiosè secernens, ordine, quo cœpi, per singulas Decades pergam, nec alia afferam, quàm quæ credi tutissimè possint. *Ejus postrema Laus.*

DE-



DECAS IV.

Ab Anno MCCXXXI. usque MCCXL.

§. I.

Res Principum & Patriæ.

Annus 1231.

Papa ac Cæsar mutuis laborant suspicionibus.

I. Conciliati anno superiori *Gregorius* Papa IX. & *Fridericus* II. Imperator, mutuis tamen suspicionibus admodum adversum se ipsos laborabant. Imperator quippe multis, quorum fidem dederat, modò stare distulit: Urbem Castelli Papæ reddere omisit: Militibus Templi, ac Hospitalis, qui Rem Christianam in Oriente uni ferè curare debuerant, suo in Regno Siculo non modò ablata non restituit, sed nova potiùs abstulit: pactos deinde in Conciliatione sponsores fidei, benè multos quà Germaniæ, quà Italiæ Principes, elapso jam octo mensium termino, offerre Pontifici, per eósque tutam Ecclesiam reddere nondum inchoavit. Hæc, & alia, sæpe Literis monenti, nihílque proficienti *Gregorio* metum fecêre. Contrà, edoctus ab amicis *Fridericus*, gliscere in Italia Longobardorum contra se molitiones, & in Germania proprium Filium *Henricum* Regem, ab Italis incitatum, tacitè Imperium ambire: sine Papæ consilio hæc neutiquam fieri, magnoperè verebatur. Divisis itaque Summis Capitibus, scindebatur & Orbis Christianus, & alteram altera partium tacitè ubique observabat. In Germania grandem attentionem, metúmque, ac motum animorum induxit infanda & subita cædes *Ludovici* Bavariæ Ducis: quem Imperator, à parricidio sacrilego *Engelberti* Archiepiscopi Coloniensis, Filio suo Regi *Henrico* Rectorem Juventutis constituit, hic verò odio habuit, Aula ejecit, ferróque & igne, nihil contra nitentem, in Bojaria persecutus est. Omnium opinione causa iræ fuit, quòd *Ludovicus*, Imperatori fidelissimus, Regem juvenem à molitione in Patrem modis omnibus avertere perpetuò conaretur. Unde non etiam deerant, qui firmiùs crederent, sicarium Ducis, qui comprehensus, inter

Inter hos bivisus Orbis.

Ludovicus Bavariæ Dux à sicario occiditur.

ter graviſſima tormenta cauſam tamen nullam, vel Authorem ſui ſceleris faſſus eſt, à Rege immiſſum fuiſſe.

II. Pertinuit hæc ſimultas Filii Regis cum Patre Imperatore, etiam ad *Friderici* Ducis noſtri Auſtriaci fatum iniquum, neque minimam ejusdem partem conſtituit, ferociâ tantâ, ut Principem quemlibet, cujus animus non æquè magnus, ac *Friderici*, fuiſſet, ineluctabili ruina præcipitâſſet. Ita ſe rem habuiſſe, docet me bonis avibus in Bibliotheca noſtra ſervata *Chronica brevis FRIDERICI Bellicoſi Ducis, & MARGARETÆ Reginæ*. Sic námque hoc ſcriptum acephalum, i. e. ſine capite, cùm ejus apud nos initium, ac proinde etiam propria Inſcriptio deſit, argumenti causâ appellare libet. Author ejus in fine his verbis Nomen ſuum & conditionem fatetur: *Hæc ſcripſit fidelis Teſtis & devotus Reginæ Capellanus Fr. PERNOLDUS de Ordine Prædicatorum.* Ipſa Domina *Margareta* Regina in Charta Donationis, nobis factæ An. 1266. laudat eum tanquam *Pœnitentiarium ſuum, & Executorem Teſtamenti.* Ecce igitur Virum novum, qui *Ortiloni* nulla ratione inferior, parem omnino cum eo fidem faciat. Etenim ſinchronus, & Reginæ *Margaretæ* ad latus, immo & ab arcaniſſimo Conſilio, atque Arbitrio ſacro, ea ſanè teſtari potuit, quæ ipſe vidit, & unus omnium optime novit. Fatum tamen ejus apud nos conſimile fato *Ortilonis*: non, quod nobiſcum non eſſet, ſed quòd hærens in pluteis noſtris, manúsque multorum, inſuper & meas, multoties tranſiens, oculos tamen effugerit noſtros, dúmque maximè præſens eſſet, nobis incognitus manſerit, quaſi dedito Divinæ Providentiæ conſilio tectus, quousque nobis illo carere jam nullatenus liceret: quamquam non diffitear, indiligentiæ meæ, & noſtrorum, ejus ignorationem rectè adſcribi. Quæ quidem ſic accidit.

Fr. Pernoldi Ord. Præd. Chronica reperta in Bibliotheca noſtra.

III. Continetur hæc Chronica, tam inſignis, quàm brevis, Volumine quodam apud nos MS.[to] membraneo in fol. formæ majoris, ac quaſi Regiæ, Chartam dumtaxat unicam implens, ſive quatuor paginas, columna gemina ſectas, atque charactere Seculi XIII. plano ſatis, ſed parvo, & attramento valde pallente, ac flaveſcente deſcripta, cum unica duarum fere linearum primigenia litura ſententiæ, bis fortè per incuriam ſcriptæ, per quam tamen ſenſus, atque nexus nequaquam turbatur: cæterùm nulla incruſtatione, cui vix etiam ſpatium fuiſſet. Numerat porrò Volumen hoc, in quo exſtat, non plura quàm ſex & viginti folia, continétque inchoatum *Apparatum JOANNIS ANDREÆ in ſextum Decretalium*: ſed qui hìc non ultrà progreditur, niſi ad *Rubricam de Præſcriptionibus*, & manu Seculi XV. exaratus eſt. Hujus Fragmenti Canonici medio inſerta eſt Chronica noſtra, decumano Compactoris errore: qui, cùm utrius-

Ejusdem conditio exterior.

que scripti paginæ in columnas dissectæ essent, opinabatur, etiam chartam hanc unicam Chronicam eundem ad Apparatum pertinere. Idem deinde error longo tempore, & fortè per Secula, eos quoque involvit, qui postea hunc Codicem inspicientes, principii duntaxat & finis habita ratione, neque singulis paginis evolutis, illum citrà hæsitationem in pluteo Juris Consultorum collocârunt: quod & mihi in Ordinatione Bibliothecæ nostræ haud semel accidisse confiteor. Sed posteaquam Catalogum Codicum nostrorum MSS.torum curatè conficere aggressus, etiam paginas cujuslibet Voluminis numerare occepi, patuit error palmaris, ingénsque mihi gaudium de reperta hac nobili drachma successit.

Conditio interior, sive Argumentum ejus, ac dotes.

IV. Nunc ipse *Pernoldus* inspiciendus. Acephalus est, ut ajebam, his apud nos inchoans verbis: *in Lilienveld ab EBERHARDO Archiepiscopo Salzpurgensi, qui Ecclesiam dedicavit, eadem die sepultus.* Loqui eundem de *Leopoldo* Duce Fundatore nostro, extra dubium est. Statim verò deinde ad *Fridericum* Filium convertitur; cujus famam à calumniis vindicare propositum sibi, & ex condicto statutum certissimè habuit, ut ex ejus Introductione, Chronologiæ suæ præmissa, planè luculentum est. Quæ, & quanta præmiserit, me undique latet; & frustra hìc essem, eorum jacturam plorandô, quæ recuperari non potest, nisi hic Scriptor aliena ex Bibliotheca integer à quoquam in lucem asseri queat. Congaudendum potiùs Campililio, & iterum gratulandum est Patriæ, eadem ex penu nostra domestica, unde *Ortilo* prodiit, cujus ope caligo densa de initio, feliciique progressu Babenbergici in Austria Regiminis, per omnes Principes usque ad *Leopoldum* VII. feliciter dissipata est, nunc etiam extrahi *Pernoldum*, cujus non minùs gravi Authoritate postremi quoque Ducis Babenbergici Gesta, per incautos, ignarósque veri Scriptores infamiâ plurimâ hucusque vitiata, restituantur, Domúsque Serenissima cum honore ad Sepulchrum conducatur. Pandit ille summi momenti res hoc ad argumentum: quas nonnulli meliorum Scriptorum, uti posthac docebo, non minimùm confirmant, plurimi verò prorsùs ignorârunt, grandi propterea calami sui errore. Quinimmo plus ultrà progressus hic Scriptor, etiam nigerrimas illas tenebras perniciosissimi Interregni Austriaci post *Fridericum*, & crassis erroribus involutam D. *Margaretæ* Reginæ, Sororis *Friderici*, veræque Austriæ Hæredis Historiam, ulteriús egregiè illustrat, usque ad repudium, immo & Mortem ejus, ANNOS octo & triginta Chronologiâ suâ complexus: quod sanè Historiæ Patriæ eximiè proficit. Et hoc quidem tantò ampliùs, quantò stili ejus perspicuitas major est, Ordo temporum exactior, modestior affectus. Unde jam Venerabili huic Viro, Testique grandævo, ver-

verbum dudum exoptatum hilariter, omnique cum candore concedo. Quod initio sic habet.

V. // - - - in Lilienueld ab *Eberhardo* Archiepiscopo Salzpurgen., qui Ecclesiam dedicavit, eadem die sepultus. Filius ejus FRIDERICUS, qui unus post Fratres duos defunctos erat superstes, & sui Generis ultimus, magnum animum & bonum habuit, sed supra modum inquietos & infideles Ministeriales, atque iratos vicinos Reges, ipsum postea longo tempore etiam Imperatorem. Quare propter bella assidua, quæ se urgebant, vix potuit aliam virtutem, quàm magnanimitatem in pugnando, ac tolerando, ostendere: quod eximiè fecit. Causa bellorum erant Fœminæ. Prima Græca *Zophia* Filia Theodori Lascaris Græci Imperatoris, Soror *Mariæ*, Conjugis *Belæ* Quarti Ungariæ Regis: quam duxerat post *Gertrudem* Brunswicensem statim defunctam, sed vivente, & sciente Patre, ANNO MCCXXIX. repudiavit. Altera *Agnes*, Filia *Ottonis* Meraniæ Ducis, quæ fuit Neptis *Gertrudis* Reginæ Ungariæ occisæ, & quam iterum duxit *Fridericus*, non attendens, vel non sciens, Propinguitatem, iterúmque postea dimisit. Tertia *Margaretha* propria Soror *Friderici*, Uxor *Henrici* Regis Romanorum. Propter primam *Zophiam* dimissam, *Andreas* & *Bela*, Pater & Filius, Reges Ungariæ, vastaverunt Austriam, & in societatem traxerunt *Premizl* Regem Bohemiæ, qui habuit Sororem *Andreæ* Regis. Propter secundam *Agnetem* iterum *Bela* cum sociis quærebat ultionem. Propter tertiam *Margaretham* sæpè dissensiones erant, & tandem bellum gravissimum pro tota Austria inter Imperatorem & Ducem, Dotis causâ, quam nondum dederat *Liupolaus* Dux, & *Fridericus* Filius ejus ex gravi & non injusta causa dare noluit. Quomodo omnia facta fuerint, per Annorum ordinem sincerè scribam propter multos injuriatores Ducis: qui quærebant eum, si DEUS permisisset, penitus per arma, ac seditiones, & aliorum crimina ipsi imputata, dejicere, mediante Imperatore, quem sciebant ei inimicum, ac pessimè contra eum scribentem, & agentem. //

Introductio illius acephala.

Fontes Bellorum Friderici Ducis Fœminæ.

VI. Hæc vel sola, curatè relecta, & expensa, eum, qui promta est aure ad veritatem, & libero inter Scriptorum declamationes ad æquitatem judicii animo, jam prævîè de Bellorum *Friderici* fontibus genuinis egregiè docent, pandúntque, non illum Authorem eorum, sed vindicem potiùs Aggressorum fuisse. Peculiariùs autem ex prævio hoc sermone *Pernoldi* pro anteriùs à me dictis observare libet, bellè per eum stabiliri, quod priori Decade ad ANN. 1226. ex *Ortilone* audivimus: primam videlicet Conjugem *Friderici* fuisse *Gertrudem* Brunswi-

Testimonia pro dictis Decad. priori de Uxoribus Friderici.

censem, statim defunctam. Item, quod ibidem ex *Alberico* attuli, alteram ejus Uxorem exstitisse Filiam *Theodori Lascaris* Græci Imperatoris, *Mariæ*, Conjugis *Belæ* Regis Ungariæ, Sororem, eique nomen fuisse *Sophiæ*, *ab Alberico* prætermissum. Præterea rectè denuo ab *Ortilone* ad annum 1229. notatum, hujus Græcæ Conjugis Repudium *mala multa occultè semināsse in Patria*. Reliqua capita non pauca in consequentibus distinctè dicet *Pernoldus*: ego verò, collatis coævorum & supparium assertis, Recentiorúmque intempestivis Declamationibûs, ut par est, atque licuerit, deducam, constabiliam, & illustrabo. Chronologiam porro suam sic è vestigio Scriptor noster auspicatur, Annum quidem præfigens anteriorem, sed propter argumenti vinculum hoc etiam paragrapho suo meritò huc differendus.

Chunringarii malum cogitant contra Ducem, & muniunt sibi Villam Zwetel.

VII. // Mccxxx. *Heinricus* & *Hadmarus de Chunringen* Fratres, potentissimi Barones Terræ, quorum primus per fastum assumsit Nomen *Hounde*, quasi *Duæ Manus*, in quibus decem digiti, cùm esset Castrorum decem Dominus, munierunt sibi Villam *Zwetel*, cogitantes malum contra Ducem, // ut sibi refugium pararent. // Tradunt pariter Annales *Zwetlenses* ad Ann. 1231. p. 295. sqq. è domesticis Monumentis, *Henricum* atque *Hadmarum* Chunringios, Cognomento *Canes*, optimi Patris *Hadmari*, qui Fundationem Zwetlensem perfecit, dissimillimos Filios, longo astu perduellionem coquentes, verosimillimè Anno 1229. Mense Decembri, cùm Dux *Leopoldus*, itineri Italico se proximè accincturus, Cremsii, convocato Procerum Conventu, Filium *Fridericum*, se absente, Rectorem Provinciarum instituisset, ab eo, vel à Filio rogâsse, ut Zwetlensis Territorii Jurisdictio sibi feudo concederetur. Quo obtento, *Henricum* quoque Zwetlæ Abbatem officiosis precibus induxerunt, ut in Villa Zwetel nonnullo tempore sibi Forum & Judicium permitteret. Hoc pariter consecuti, non longè post eundem Abbatem rursum convenientes, & illud impetrârunt, ut sibi mox dictam Villam, hucusque duntaxat sepe circumdatam, suo sumtu muris incingere liceret. Quo pacto ipsi tutum latibulum accepêre: Cœnobium verò nobili suarum Possessionum portione subdolè excidit. Sic *Annales*: è quibus proinde jam tutum est, Zwetlam per Chunringios in fraudem communitam fuisse.

Cognomen *Henrici* aliter in Chronicis, aliter à *Pernoldo* interpretatum.

VIII. De Cognomine verò eorum Quæstio restat. Annales laudati illud utrique commune tribuunt, & exponunt per latinum vocabulum *Canes*, quod homini summè propudiosum. Non absimiliter à *Sumthemio* in Tabulis Cl. Neoburgensibus vernaculè appellantur *die Hund*, & ex illo ab *Arenpeckio* latinè *Canes*

nes ob malitiam. Narrant insuper Annales iidem laudati p. 298. ex *Ebrone* Abbate suo, famâ eum accepisse, clamatum Cremsii, cùm eam Civitatem vastâssent Chunringii: *Utinam Canes isti catulos non generarent!* Contra *Pernoldus* noster, soli *Henrico* cognomen hoc tribuens, illúdque veteri dialecto scribens *Hounde*, interpretatur per voculam pluralem *Manus*, tanquam legendam *Haende*, analogiâ desumtâ ab æqualitate numerica decem digitorum utriusque Manus, totidemque Castrorum *Henrici* Chunringii.

IX. Constat porrò Antiquitatum peritis, apud veteres cùm Græcos, tum Latinos, *Computum & Loquelam Digitorum*, ut ait Venerab. *Beda*, notum pariter ac familiarem fuisse: quam *Tritbemius* appellavit *Steganographiam*, & ab ipso traditam, *Carolus Bovillus* Theologus Parisiensis, inconsulto judicio, Negromantiæ præproperè damnavit. Computum hunc Romani varia digitorum exporrectione, retractione, & inflexione factitabant, à primo usque ad Nonagesimum nonum numerantes manu sinistra, centenarium numerum, & qui ultra fuêre, ad usque novena millia, per digitos dextræ manus denotabant. Unde *Juvenalis* Satyr. x. v. 249. de *Nestore* centum Annos habente canebat: Veterum Computus & Loquela Digitorum.

- - - *suos jam dextrâ computat Annos.*

Imagines harum inflexionum ex *Bedæ* schematibus vulgavit *Aventinus*, eúmque Tractatulum, hodie ejusdem Annalibus Boicis adjunctum, inscripsit *Abacum.* Denarius ac Centenarius numerus eadem digitorum figura ostendebantur, hoc solo discrimine, quòd prior lævâ, posterior dextrâ innueretur. Unde Eruditiss. *Wachterus* in præclaro Glossar. German. col. 764. ait, voculam Teutonicam *Hund* varias habere notiones apud varios populos, ac designâsse *Canem*, *Captivum*, *Prædam*, *Hominem abjectissimum*: quæ singula egregiis exemplis illustrat. In cæteris porrò pariter esse Primitivum alterius vocis vernaculæ numeralis *Hundert*: olim verò à veteribus variè scriptum, videlicet *Hond*, *Hount*, *Hunt*, tractúmque verosimillimè à *Hand*, qua utraque uti oportet ad exprimendum numerum denarium, qui decies in centum multiplicatur. Sive enim rustico modo decem exprimere volueris, oportet, ut utriúsque Manus digitos omnes exhibeas, quod vel pueri sapiunt: sive erudito more, de quo dictum est, veterum Quiritum computare cupias, sinistrâ in anterioribus numeris munere suo jam perfunctâ, Centenarium numerum, sive denarium decimum completum, dextrâ exprimere debes. Bellè sententia ista consonat *Pernoldo* nostro, & ab illo vicissim confirmatur, asserente, *Henricum* Chunringium per fastum assumsisse Cognomen *Hount*, ob nume-

Voculæ *Hund* notiones variæ.

& etymologia ab *Hand*.

rum denarium Castrorum suorum. Quamvis enim Computum Romanum forsitan ignoraverit, Rusticum tamen ignorare non potuit, quadrante in eum pariter illo *Ovidii* II. de Pont. Eleg. III. v. 17.

At Reditus jam quisque suos amat, & sibi quid sit
Utile, sollicitis *supputat Articulis*.

Ut porro Cognominis Chunringiani *Hund* etymologiam ductam esse à *Manibus*, tantò certiùs *Pernoldo* credam, argumento sequenti longè fortiori convincor.

Argumenta gravia, Cognomen *Hund* per vocem *Canis* non rectè interpretari, & Convitium non fuisse.

X. Ait ille, *Henricum* hoc Nomen *per fastum assumsisse*. Annales *Zwetlenses* pariter fatentur, Chunringios se *Canes vocari* permisisse. Transiit insuper hoc Nomen in Posteros *Henrici*. Nepos quippe ejus ex Filia *Eufemia*, itidem dictus *Henricus*, unam Chartarum suarum, quam nobis tribuit, conceptis verbis ita inchoavit: *Ich HAINRICH der HUNT von Pottendorf &c.* In Lapide deinde sepulchrali Capituli nostri, sub quo Requiem capiunt D. *Gotschalcus Baro de Neidtperg*, & Uxor ejus *Albaidis*, illa disertè scribitur *Filia D. HAINRICI CANIS de Pottendorf.* Æquum jam censeam, opinari, si cognomentum *Hund*, uti præfertur, Merum Convitium fuisset Parentum, illud à Filiis, & Nepotibus, publicas in Tabulas, & Marmora, ad æternum omnium seculorum dedecus, illatum fuisse? Docet nos ergo *Pernoldus* noster veram ac primigeniam hujus cognominis etymologiam, quæ apud alios Chronographos penitus interciderat, voce *Hount*, vel *Hund*, à quo *Hundert*, sive decies decem juxta *Wachterum*, perperam per vocem *Canis* latinè redditâ, cùm per vocem *Manus* reddi debuisset: quo errore pariter ille, qui Lapidem nostrum sepulchralem incîdit, abreptus fuit.

XI. Non quidem mihi pronum jam est, decem *Henrici* Castra ordine percensere: sed suffragantur huic numero Annales *Zwetlenses*, dum ita conqueruntur p. 296. sq. Cùm *Hadmarus de Cuophurn* Cænobio omne suum Patrimonium in Sylva Nortica donaverit, sæpe dicti Chunringii non modò Villam Zwetel, ac circumiacentia, verùm etiam Weitram versùs quamplures Possessiones nobis abstulerunt, quibûs famulos charos ditârunt. Quorum alii abinde *Preunstorfer*, alii *Hadmarstorfer*, *Prantner* alii, & alii *Rosenauer*, quidam *de Dobra*, quidam *de Weitra*, alii de aliis Locis, ubi Sedes acceperant: appellabantur. Unde infero ego; Qui tanta donârunt, quanta sibi retinuisse putandi sunt? Esto itaque, Cives Chremsenses, ab his Chunringiis vastati, maledicendo clamaverint? *Utinam Canes isti catulos non generarent!* acerbi duntaxat animi hæc derivatio

tio fuit. Satis interim jam remonstratum, ethymologiam Cognominis *Hunt* non à *Canibus*, sed *Manibus*, denarium numerum per digitos referentibus, profectam esse. Quod ad primi paragraphi illustrationem sufficiat.

XII. Pergit *Pernoldus*. // Mccxxxj. *Heinricus* prædictus, // cùm esset Rector Austriæ, officio, & Sigillo Ducis abusus, // ipso absente, è Curia ejus Wiennæ plurima talenta Auri & Ar- // genti carratis per Urbem vehi fecit, nemine dolum suspican- // te. Deinde ipse & Frater ejus, cum conjuratis Sociis Nobili- // bus, suâ malitiâ, & *Andreæ* Regis Ungariæ instigatione, à Wei- // trach & Dirnstain, usque Chremis incenderunt, & prædaban- // tur Loca Sacra cum profanis. Ex altera parte *Wenzel* Rex // Bohemiæ vastavit à Moravia ad Chremis. Dux magnani- // mus colligens, & armans Milites è fidelibus suis, quos potuit, // repulit, ac dispersit rebelles, Villam Zwetel obsedit, ac cepit, // & muros ejus destruxit, de multis captivis poenam latronum // sumens, alios pecunia mulctans. Chunringios, quorum al- // terum *Hadmarum* æquè ceperat, deprecantes in gratiam re- // cepit, dum sibi Castra aliqua, & Filios obsides dedissent, & // multa talenta ablata restituissent. Sed *Hadmarus*, ab Epi- // scopo Pataviense *Gebbardo* excommunicatus, brevì obiit. Bo- // hemi videntes, Ducem potenter vincere, cum suis predis re- // diuerunt. Ineunte Mense Octobri non longè post cædem *Lud- // wici* Bawariæ Ducis, venit Abbas sancti Galli, Legatus Regis // *Heinrici* in Wiennam propter Dotem Dominæ *Margarethæ* // Reginæ: quem Dux magno honore excepit, seque ex præ- // senti Patriæ vastatione excusavit, uti Abbas Regem ob licen- // tiam thori. Et sopita est Discordia. // Multa hìc occurrunt, singillatim pensiculatiùs expendenda.

XIII. *Henricum* Chunringium, qui se in Sigillo Chartæ nostræ de ANN. 1230. appellavit *Marschalum*, & in alia de ANN. 1232. apud *Annal. Zwetl.* p. 300. *Primum vel summum Mareschalcum Austriæ*, apud Cl. *Hueberi* Mellic. Austriam p. 16. n. 9. *Leutoldus* Comes *de Pleien* in Literis de AN. 1229. Testem adhibuit, cum elogio *Rectoris tunc temporis totius Austriæ*. Nihil ergo in hoc primo fefellit *Pernoldus*. Reliquis ita suffragantur Chronicon *Australe*, ac *Cl. Neoburgense*, cum Anonymo *Zwetlensi*, quorum eadem planè dictio est, ad ANNOS 1230. & 1231. „Piæ memoriæ Dux *Liupoldus* apud sanctum Germa- „num obiit: móxque Ministeriales ejus ferè omnes contra Fi- „lium conjuraverunt, primo dolo privantes eum thesauro Pa- „tris, ac postmodum totam ferè Austriam incendio & rapina va- „staverunt. --- Facta est dissensio inter *Fridericum* Ducem Au- „striæ adhuc Puerum, & Ministeriales ejus: tandem humiliati

Henricus Chunringius Rector Austriæ.

de-

„deferunt obsides. - - Orta est dissensio inter Illustrem Ducem „Austriæ & Styriæ *Fridericum*, & Fratres *de Chunringen, Hadmarum* videlicet & *Heinricum*. *Hadmarus* moritur, in Claustro suo Zwetel à Venerabili Pataviensi Episcopo *Gebhardo* sepelitur. - - - Bohemi Austriam rapina & incendio, nullo resistente, vastaverunt. - - Rex Bohemiæ manu valida Austriam „intrans, magnam partem Terræ vastavit incendiis & rapina.„

Chronica Australis Narratio confusa turbarum Chunringicarum.

Maximè confusa hæc Narratio, cum rerum earundem otiosa repetitione, in his Chronicis omnia sus déque ab interpolatoribus conjecta esse, liquidò demonstrat: vix námque primigenio Scriptori chaos tantum imputo. Interim ii, quibus nimia Veterum Religio est, quasi non iisdem, quibus nos, errorum & imperfectionum discriminibus obnoxii fuissent, ex hac Relatione nonnulla falsa, perplexa plura arripuerunt. Falsum est, *Fridericum* Ducem, qui tunc Annum Vicesimum egit, aut etiam explevit, quodque plus est, tertiæ jam Conjugis erat Maritus, Puerum adhuc fuisse: item *Hadmarum* Chunringium à *Gebbardo* Episcopo Zwetlæ sepultum: quem Annales *Zwetlenses* p. 303. in quartum Annum insepultum stetisse, quia Anathemate non exolutum, testantur.

In qua falsa aliqua:

Reliqua perplexa.

XIV. Perplexum deinde ac pariter erroneum est, quod exinde nonnulli tradiderunt, à Chunringiis tribus Annis tumultuatum fuisse. Ordinatiùs multò Chronicon *Mellicense* hæc singula alligat uni Anno 1231. una cum cæde *Ludovici* Bavariæ Ducis, planè consonè *Pernoldo*. Qui primùm docet nos modum doli, quem sanè flagitiosissimum adhibuit *Chunringius*, Ducem Thesauro Patris privandi, abusus Munere, auctoritate, & potestate Marescalci supremi, vel Rectoris Austriæ, itémque sigillo Ducis, idque tantò securiùs, Aurum Argentumque Viennæ publicis curribus avehendo, quò minùs de tanto Viro quispiam dolum aliquem suspicabatur. Exsplicat deinde Vastationem perduellium, hinc ex *Weitra*, inde ex *Tiernstein* factam, nullo sacrorum, profanorúmque habito discrimine. Ulteriùs Oppugnationem, captionem, ac desolationem Murorum Zwetlæ, à Duce factam, cum Vastatione Bohemorum. Hos ait Scriptor noster, videntes, Ducem Rebelles suos potenter vincere, ultrò cum prædis rediisse. Nempe rarior erat fidelium numerus, quam ut *Friderico* geminum ex eis liceret exercitum instruere, quorum alterum Bohemis opponeret: quibus ultionem commodius in tempus reservavit.

Ordinatus verò *Pernoldus*.

Occasio capiendi *Hadmarum*.

XV. Occasionem, qua captus fuerit *Hadmarus* Chunringius, *Ebro* Abbas Zwetlensis Annal. p. 299. ex fama hunc in modum recensuit. „Fertur (ait) Institorem quemdam Viennensem occultis modis & semitis penetrâsse Ratisbonam, & ibi-

„dem

,dem Navem magnam, laminis ferreis intus forísque firmatam, ,magna pecunia Argenti & Auri, cum diversis mercibus, ac , nobilibus pannis fortiter onerâsse, ac in fundo triginta fortes ,armatos occultè collocâsse. Tunc secundo Danubio descendis-,se in Ackstein propè Tiernsteinium, ibique à famulis & pira-,tis *Hadmari* ex more, quo semper Naves prædabantur, com-,pulsum applicuisse ad litus, mox accurrente Domino eorum, ,Quem interea, dum pannos varios cum gaudio exsplicaret, , ceperint armati, & Viennam deduxerint, Duce cum parato ,exercitu mox Tiernsteinium accedente, expugnante, diruen-,te., Sed hanc ego Narrationem suo loco relinquo in multis creditu difficilem. Cujus enim Attentionem in Provincia aliena, & maximè Bavarica, quæ tum ob sicariam sui Ducis internecionem, paulò antè patratam, tota turbata erat, non excitâsset Navis grandis, laminis ferreis intus forísque contra solitum vestita, tótque armatos in fundo occulere apta? Cui tanta Pubes militaris, Ratisbonæ conducta sensum non commovisset? Ne dicam, Arcem Tiernsteiniam seculo adhuc longiùs à *Chunringiis* habitatam fuisse: quod cum desolatione ejusdem non facilè componas. Sed esto, novus hic Sinon Austriacus Neptunum, ut hìc traditur, ad vota habuerit: in hoc certè fallunt Annales *Zwetlenses*, quòd *Hadmari* Captivitatem Anno 1232. mortem verò ejus Anno sequenti accidisse decernant. Neque enim solus duntaxat *Pernoldus* utrámque refert Anno præsenti: verùm etiam apud Cl. *Hueberum* in Austr. p. 18. n. 10. exstat *Friderici* Ducis nostri Diploma *datum Anno Domini MCCXXXI. in Gevella IV. Non. Novembris*, ubi lego. ,Declarare volumus ,omnibus, quòd *Henricus* de *Chunringe*, propter damna gravia, ,quæ Frater suus *Hadmarus beatæ memoriæ* cum suis, in tempe-,state bellorum sævientium, intulerat Monasterio Mellicensi, ,& ob suorum, Fratrísque sui, & Antecessorum suorum remissio-,nem peccatorum, locò & vice suorum, coram Nobis cessit li-,ti &c., Perspicuè fundamento hujus Diplomatis docetur, *Hadmarum* jam Anno 1231. supremùm vixisse: quam epocham tantò minus vereor in mendo cubare, quantò securiùs illa nostri Scriptoris asserto firmatur.

Quæ tamen fidem ægrè promereatur.

Hadmarum Chunringium jam an. 1231. obiisse certum.

XVI. Interim ex hactenus dictis advertant velim, qui legerint, harum primarum turbarum damna, Patriæ illata, nulla ratione Duci nostro, sed *Chunringiorum*, atque Complicum eorundem, infandæ perduellioni jure imputanda esse. Genuinum verò fontem tam intestinæ seditionis hujus, quàm irruptionis Bohemicæ, juxta dicta *Pernoldi* in Introductione, exstitisse *Andream* Hungariæ Regem, indignatum primo Ducis divortio. Et si æquitati locum demus, *Friderico* certè non parvum Clementiæ, & Moderationis elogium enascitur, quòd perduelles Chun-

Observanda ex prædictis.

ringios, Munere, quo præfulgebant, & Sigillo Ducis; quod custodiebant, flagitiosissimè abusos, Thesaurorum fures, Provinciæ Prædones, & incendiarios, salvis nihilominus capitibus exire permiserit. Observari præterea cupio, in hac indignissima causa uno anno debellatum esse, neque, uti è Veterum Chronicorum confusione improvidè tradiderunt Recentes, Vastationes Patrias, hujus perduellionis ergo, altero, vel tertio quoque ANNO instauratas esse: quod ad conflandam Duci nostro tantò majorem invidiam detortum est, quasi qui nihil amori subditorum, nihil juri ac justitiæ tribuens, per vim egerit omnia, cunctorúmque in se iracundiam iniquitate Regiminis concitâsset.

Legationem Abbatis San-Gallensis Patrii omnes Scriptores tacuerunt, summi momenti.

XVII. Residua, quæ narrat *Pernoldus* de Legatione Abbatis S. Galli, altissimè siluerunt omnes Patrii scriptores, hocque pacto genuinum fontem quodammodo obturârunt internecini illius Dissidii, quod postea Cæsarem inter ac Ducem exortum est. Atque hinc factum, ut nemo propè posterorum causam Proscriptionis intelligeret, sed ad unum omnes eapropter Principem nostrum certatim calumniarentur. Hæc autem Cognitio, quia in præsenti Historia, lumen ferè potissimum præfert, *Pernoldo* nostro à me Testes exteri diligentiùs accersendi sunt. Scripsit ille in fine paragraphi sui ad hunc ANNUM, Abbatem San-Gallensem, tanquam Legatum *Henrici* Regis, qui D. *Margaretæ* Reginæ Dotem postularet, à Duce Viennæ magno cum honore exceptum, *excusâsse Regem* apud Principem nostrum *ob licentiam thori*, quemadmodum Dux Dotis exsolutionem ex presenti Patriæ vastatione deprecatus est: & sic *discordiam sopitam.* Duo hìc præcipua sunt, Regem à fide Conjugii exerrâsse, conscio, & indignante Duce nostro, tanquam Fratre Reginæ, nihilominus verò Dotem Nuptialem per Legatum à Principe nostro expetiisse.

Rex *Henricus* D. *Margaretæ* fidem Conjugii infregit.

XVIII. Primum ita pariter testatur *Anonymus*; qui post *Golscherum* Gesta Archiepiscoporum Trevirensium prosecutus est apud *Eccard.* Scriptor. II. col. 2226. sq. ajens de *Henrico* Rege. „Tunc etiam in Tutelam Regni successit *Engilberto* (Ar„chiepiscopo Coloniensi occiso) *Ludovicus* Dux Bavarorum, „qui apud Damiatam fuerat, quando perdita est. Quo, per „cujus machinationes, DEUS scit, interemto, Rex per se ipsum „cœpit agere negotia Regni, habuitque Potentiam Regiam, sed „Vitam Regiam non habuit. *Nam incontinens fuit astrictus* „*multùm, minùs attendens jura Matrimonii, cui adstrictus erat.* „Potens Tum factus est in Regno, & invaluit, contra omnes „adversantes sibi.„ *Conradus* deinde *de Fabaria* Monachus *S. Galli* Libr. *de Casibus Monasterii sui* Cap. XV. apud *Goldast.* Scriptor.

Scriptor. I. p. 88. de Abbate suo *Conrado* ita narrat. „ Conscriptus itaque inter primos Palatii, talem se - - exhibuit, - - ut animum Regis (Henrici) in aliquibus in sinistra parte acclivem, „ ad viam reduceret Veritatis. Habuit námque præfatus Rex „ *Voluntatem faciendi Divortii in Contractu Filiæ Ducis Austrasiorum*, hortatu quorumdam Principum, postquam Sobolem de „ ipsa perceperat. Fuit autem causa Divortii, quia Filiam Ducis Bohemiæ desponsaverat, de futuro tamen, & non contra„ ctu præsenti. Fuit tamen alia Divortii causa, *quia mortuo Duce Austrasiorum prænominato* (Leopoldo) *Dotalia sibi Sponsalitia nondum fuêre exhibita.* Ipse verò Abbas Reverendus, dif„ ficulter licèt, à tali hunc non benè sapidum revocavit infelici „ Divortio, & à Regis Boemiæ Filiæ Contractu. Maximas inde consecutus gratias à Regina, & ab aliis, Justitiæ Regnique „ statui bono applaudentibus. „ Eidem Repudium intentavit.

XIX. De ipsa Legatione idem *Fabriensis* ulteriùs Cap. XIX. hunc in modum prosequitur. „ Mortuo Duce Austrasiorum, „ Serenissimo Regis Gloriosi Socero, rogatus Abbas venerandus (idem, qui suprà, *Conradus* San-Gallensis) ut pro Pecunia Sponsalitia, sibi à Duce jam defuncto promissa, fines Au„ striæ attemptaret, viam aggressus est non sine grandi solicitu„ dine. Propter Occisionem námque Ducis Bavariæ tam in„ fantem (infandam) grave fuit satis alicui Alamannorum, fi„ nes Terræ illius intrare: quia nemo de se præsumebat securo, „ tantô Virô, tam improvisè jugulatô. Aggressus viam, pro„ sperè in omnibus se agebat Divina favente Misericordia, Æmu„ lis suis, quos in Aula habebat, aliter sperantibûs. Mandave„ rant hi clanculò quibusdam Terræ ipsius Magnatibus, Adven„ tum ipsius in Austriæ fines non pacem portantis, sed pacem „ fingentis, affirmantes, quia Sicarios Principum Terræ illius „ interfectores in suo haberet Comitatu. - - - Sed

„ *Cui DEUS est scutum, vehit hunc per devia tutum.*

„ Cujus auxilio protectus non solùm, sed & optimè, prout de„ cuit Principem, Regis, ut ita dicam, Crissarium (*Apocrisiarium*, i. e. quasi Cancellarium) susceptus est, ac aliquanto tem„ pore honorificè habitus. Nescivit tamen dolum liventium „ Æmulorum suorum. Quo audito, non sine timore repeda„ vit, assùmto ducatu potentissimorum, qui Confinia Terræ il„ lius sub suo habebant dominatu. Reversus ad Palatium, be„ nignissimè, hilarique vultu receptus est. „

XX. Prolixiora hæc Testimonia sinchronorum, atque gravium Scriptorum, *Pernoldo* nostro tutissimam fidem faciunt, inque postremam ejusdem periodum insignem nobis Commen- His testimoniis *Pernoldo* constat plena fides.

tarium præbent: ut liquidò jam sciamus, quid hac Legatione postulaverit Rex, quámque licentiam thori *Fridericus* Dux opposuerit, ab Abbate, ut licuit, excusatam, quæ demum Discordia sopita. Cæterùm ad retundendam pariter eam calumniam, qua jactârunt aliqui, *nostrum ad Principem causas DEI, & Ecclesiæ, perpetuum inter Armorum furorem nihil attinuisse*, operam dedi, ut singulis ferè annis fundamento Diplomatum docerem, eundem in commoda Ecclesiarum haud parum solicitum promtúmque fuisse. Quam gratiam in causa *Henrici* Chunringii hoc Anno Mense Novembri impenderit Mellicensibus, jam suprà asserui. Antea verò Cl. Neoburgensibus non solùm Libertatem à Muta Navium in Ascensu & descensu Danubii usque Anasum, à Patre jam antea indultam, rursùm confirmavit, verùm etiam hoc addidit *de Gratia speciali, ut singulis Annis liceat Procuratori Camerarii ejusdem Ecclesiæ, qui pro tempore fuerit, vendere quindecim carratas Vini per pikaria* (i. e. educillandô) *sicut unus de Civibus in Civitate Anasi. Quidquid verò vini ultra quindecim carratas fuerit à Camerario transmissum, hoc non per pikaria, sed per vasa integra in Civitate vendat. --- Datum per Liupoldum Protbonotarium meum Wienne III. Id. Marcii Anno Domini MCCXXXI. feliciter, Amen.*

Fridericus Dux Mellicensibus, & Cl. Neoburgensibus benefacit.

Annus 1232.

Turbæ Italica, & mutua Papæ, ac Cæsaris, de altero formido.

XXI. APud Italos turbæ multæ. Romani *Gregorio* Papæ, Insubres *Friderico* Imperatori officium negabant: Civitatum alia in aliam insurrexit. Et Imperator quidem Pontifici offerebat, velle se Gladium ex Ara S. Petri, manúque Papali sumere in tutelam Ecclesiæ: sed hæc verba erant. *Gregorius* per Legatos turbas Insubrum quidem composuit, ingratiis tamen *Friderici*, conquerentis, Papam in concilianda pace, Juris, & Honoris, & Majestatis Imperialis oblitum. Ita fit, quoties duplex est animus. Sic habuit cum Summis Orbis Romani Capitibus, ut ambo sibi mutuò diffiderent. Non ignorabant hæc Membra: totum itaque corpus contrariis motibus agitabatur. Præcipuum, quod Insubres moliebantur, id fuerat, ut Imperatorem à Concilio Principum Germanorum prohiberent, quorum arma metuerant. Sed Senatus Palatini copiam Augusto *Gregorius* fecit: cui Dux etiam *Fridericus* interfuit. De quo sic pergit *Pernoldus*.

XXII. //Mccxxxij. Dux *Fridericus* in Purificatione apud //Scotos Wienne Gladio accingitur, & Nobiles ducenti cum // eo, in magna Solennitate, & hilari Militum novorum Ludo. // Quorum vestes rubræ erant, albo interstinctæ, juxta formam // consuetam Clypei Austriaci. Deinde Forum Julii profectus

//ad

// ad Imperatorem, ibi cum Rege, fingente, quòd ita vellet Do-
// minus Papa, fœderatus est pro Longobardis. Postquam re-
// divit, paravit exercitum in Bohemos, rapinas eorum Anni
// prioris ulturus. //

XXIII. Chronicon *Mellicense* prima Solemnia sic expressit. ,, *Fridericus* Dux Austriæ & Stiriæ Consecrationis Ensis dignitate sublimatur., At verò *Cl. Neoburgense* pariter, ut *Australe*, stilo eodem hanc Rem ita eloquitur. ,, *Fridericus* Dux Austriæ ,, & Stiriæ apud Wiennam militavit, & accinctus est Gladio in ,, Monasterio Scotorum in Wienna ab *Gebhardo* Pataviensi Episcopo., Ubi vox *militavit* pro Torneamento, sive Ludo Militari posita est, notione, quam non omnes mente assequerentur. *Hagenus* apud Cl. *Hieron. Pezium* in Chron. German. I. 1067. seq. æquè peregrinè infit. ,, Herzog *Fridreich* wolt machen zwayhundert Ritter, und wolt auch selbst zu Ritter werden. Er besamt sich mit ainem grossen Volkch, und rait hinnaucz auf des Abtes von Schotten Erdreich, daz do haizzet ,, Phenczing, und liez das Volkch wunderleich miteinander bohirten., Vocabulum obsoletum *Hirten*, à quo *Hirt*, juxta *Wachter*. Glossar. Germ. col. 734. sq. olim dicebatur pro *Hütten*, i. e. servare, custodire. Unde Antiquis substantivum *Hirt* adhibitum fuit ad innuendos diversos Custodes, uti Corporis, Juventutis, Carceris, Domuum, Thesauri, Pecorum, eáque de causa etiam Prætoriani, aliique Milites, plerúmque ad custodiendum adhibiti, & Custodes Provinciarum, vernaculè *Hirten* veterrimis in Scriptis Theodiscis appellabantur. Videtur itaque *Hageno* vocem *bohirten* idem fuisse, ac *militare*, secúmque pugnare. *Haselbachius* certè, veteri dialecto multùm præ nobis propior, eum sic interpretabatur. ,, Exhinc proposuit, quod ,, ducentos è suis una secum Militaribus Insigniis exornaret, & ,, multis adunatis apud Penzing, eorundem volens agilitatem ,, experiri, se coram posito cursitare, unúmque ibi alium disposuit, more exercituum, hostiliter aggredi., Vestium ornatum peregrinum *Sundhemianis* è Tabulis *Arenpeckius* ita exposuit. ,, Anno Christi 1232. Purificationis Mariæ *Fridericus* ,, Dux cum ducentis Nobilibus in Monasterio Scotorum Wienne, in præsentia *Gebhardi* Episcopi Pataviensis, & aliorum ,, multorum ex Austria Nobilium Miles creatur. Qui cunctos ,, Commilitones suos Scharlato (Scharlach) cum Albo in medio, & subductura de vario (*die Klaide alle mit Vech unterfuetteret*, uti *Suntheimius* habet) vestivit, & Equis, & aliis clenodiis militaribus donavit., Exprimunt hæc Magnificentiam, & Munificentiam Ducis.

Friderici Dux Ense accingitur, Ludúmque Militarem agit.

Aquilejam ad Comitia Imperatoris proficiscitur.

XXIV. Comitia Imperatoris Aquileiensia sic ad Annum præsentem refert *Godefridus* Coloniensis. ,Imperator apud Ravennam manens, bellum molitur contra Longobardos, viam ,præcludentes Filio suo Regi, & Militiæ Germanorum. Circa ,mediam Quadragesimam Imperator, Ravennâ relictâ, navali ,cursu tendit ad Legiam. Inde itinere transiens per Venetias ,(*impulsus vi ventorum*, quod ait Monachus *Paduanus*) ibidem ,honorificè suscipitur. - - Apud Aquilegiam Pascha celebrat, ,Filio suo Rege ad ipsum veniente, & quibusdam Principibus ,Alemanniæ., Chronica, *Augustanum*, & *Salisburgense*, paribus verbis inquiunt. ,Imperator Natalem Domini celebravit ,apud Ravennam, & per Venetias transiens, usque ad Aquilejam, ,& Forum Julii processit: ubi Rex Filius suus, & quidam alii ,Principes, scilicet *Fridericus Dux Austriæ*, qui jam apud Wiennam Gladio Militari accinctus erat, ei occurrerunt. Cum ,quibus de Pace Alemanniæ verbotenus ordinans, in Apuliam ,se recepit., Sed Fœdus ibidem Regem inter ac Ducem pro Longobardis intercessisse, solus pandit *Pernoldus*: quo effectu, ex ipso postea audiemus. Quid sibi verba ejusdem velint, *pro Longobardis*, exponit suprà laudatus Monachus *Paduanus* D. Justini apud *Urstis*. I. p. 586. ad Ann. 1231. scribens. ,Eodem Anno ad petitionem Regis *Henrici*, Filii *Frederici* Imperatoris, ,Mediolanenses, & alii audientes Imperium, Legatos in Alemanniam direxerunt, & cum eo contra Imperatorem societatem firmissimam statuerunt. Concepit enim Rex dolorem, & ,peperit iniquitatem contra proprium Genitorem, ideò, quòd ,videbatur, quòd Imperator plus eo Puerum *Conradum* diligeret, & foveret.,

Ubi cum *Henrico* Rege foedus pro Longobardis init:

XXV. Ast verò *Henricus* Rex veram suæ molitionis caussam in Patrem studiose obtegens, vulgat in Principes, ita *Gregorium* Pontificem velle. Atque sic publico rumore increbuisse, non solus probat *Aventinus* Annal. VII. cap. 4. n. 3. p. m. 636. inquiens: *Cæsar* (quo nomine Regem stilo Quiritum intelligit) *clandestinum fœdus cum Pontifice Romano fecerat, Germaniam, Teutonicúmque Regnum sibi vendicare nitebatur.* Verùm etiam in cæteris Prosecutor *Anonymus* Chronici *Martini Poloni*, Scriptor suppar Seculi XIV. nondum ad medium provecti, apud Jll. Eccard. Scriptor. I. col. 1417. ita innuit, enarrans Filios *Friderici II.* Imperatoris. ,Primus ex prædictis Filiis (nimirum *Henricus*) in ,Germania regnans, apud Patrem delatus, quòd, ad petitionem Papæ, contra Patrem aliquid moliretur, jussu Patris capitur &c., Ergo citra dubium specioso hoc colore, & quodammodo Religionis obtentu, quasi sic Pontifex jussisset, quo etiam Episcopi nonnulli decepti fuêre, similiter inductus est *Fridericus* Dux noster, atque propterea cum Rege fœderatus, nequaquam proinde ut Socius perduellionis damnandus. Quàm porro

Qui eum ad hoc fraude induxit, quasi Papa sic vellet.

porro falsum fuerit, *Gregorium* Papam hac sub molitione latuisse, infrà luculentè docebitur. Interim qualiter hæc simultas Filii cum Patre verè se habuerit, & qua ex radice processerit, tunc, & postea latuisse plurimos, variósque in variam desuper sententiam abiisse, colligas, licet, è relatione, quam *Beneventutus de Rambaldis*, Historiæ pariter ac Poëtices peritia post initium Seculi XIV.[ti] clarus, hac de re inseruit Commentario ad Comœdias *Dantis* Poëtæ: uti extat in Excerptis, à Celeberrimo *Muratorio* Antiquitat. Italicar. Medii Ævi Tom. I. factis à p. 1051. Ait námque ad Canticum *Dantis* XIII. vers. 76. sqq. Alia de simultate Filii Regis cum Patre Imperatore opinio.
„*Fridericus II.* Filium suum Primogenitum similiter innocentem, „& falsò crimine proditionis infamatum, fecit mori in carcere „suo. Unde debes scire, quòd *Henricus* Primogenitus *Friderici*, „operante Patre electus Rex Romanorum, ex conscientia cœpit „cum humilitate rogare Patrem, ut cessaret à turbatione Eccle„siæ, quæ ipsum Pupillum educaverat, & promoverat ad cul„men totius Imperii. Et cum precibus nihil efficere posset, cæ„pit eum etiam justè increpare, ut eum ab obstinata pertinacia „revocaret. *Fridericus* autem accensus indignatione, & ira, „cæpit suspicari, ne Filius faceret conspirationem cum Ecclesia „contra se. Et imposuit sibi falsò, quòd iste *Henricus* voluerat „sibi surripere Regnum Siciliæ, dum ipse iret ultra mare in Sy„riam.„ Hæc *Beneventutus*, qui Orbi etiam *Chronicon ab Origine Mundi*, aliumque Libellum *de Vitis Cæsarum* dedit, Historiæ proinde nequaquam ignarus censendus. An verò benè, probéque satis in hac parte existimaverit, ego in medio relinquo. Si ejus opinione steterimus, & Rex *Henricus*, & Princeps noster cum eo fœderatus, benè de Ecclesia mereri pari Religione contenderunt.

XXVI. Exeunte Augusto, posteaquam è Comitiis Cæsaris jam reversus esset Dux noster, Mellicii præsens interfuit Contractui Ecclesiæ illius cum *Ottone de Berchtolsdorf*, eúmque suo Sigillo firmavit II. Cal. Septembris. *Abinde paravit exercitum in Bohemos, rapinas eorum Anni prioris ulturus*, inquit *Pernoldus*. Ubi non probo recentissimum quemdam ac pereruditum alioquin & eloquentem Scriptorem, ita ratiocinatum. *Belli causa - - - pressus ad eum diem injuriæ sensus. Altera Principi, pacem exoso, sat ponderosa se obtulit, quòd domi quieta omnia reperisset.* Præoccupati hæc & similia animi, atque calami sunt: quasi apud Historicum eadem, quæ apud Oratorem, ingenio licentia foret. Historiæ Regia veritas est: Rhetorum in affectibus Regnum. Illa, cùm Res gestas enunciet, ne unum tolerat verbum, quod æquo testimonio careat, &, si pauca ex vero dicenda suppetant, vetans prolixum sermonem, silentium imperat. Eloquentia, quia tota in verbis est, contendit ad flumen

Dux noster Mellicensibus iterum favit, inde in Bohemos exercitum instruens.

Historico neutiquam par est, quæ Oratori, verborum licentia.

ver-

Fama Principum sacra: calamo, ut ore violatur.

verborum, & colligit, quidquid affectui servit. Meminisse Historicum oportet, sacram esse famam, & maximè Principum: cui æquè, nisi multò ampliùs, calamo, ac ore, detrahi potest, crimine interim consimillimo. Priusquam ergo assereretur, quietem domi repertam Principi nostro belli causam sat ponderosam fuisse, probandum liquidis testimoniis fuerat, eum pacem odisse. De prædonibus provinciæ talionem sumere, adeò Principi succensendum non est, ut, nisi fecerit, inertiæ damnetur.

Annus 1233.

XXVII. SUbsequitur *Pernoldus*. // Mccxxxiij. Dux cum ele-
// cta militia in Bohemos procedens, Castrum Ve-
// tawe, quod est in finibus Austriæ, Moraviæ, & Bohemiæ, ag-
// gressus est, quod optimè munitum, & latibulum insignium
// Prædonum fuit, qui inde in Regiones prædictas pro libitu ex-
// currebant. Id fortissimo insultu capiens, & multa alia in de-
// ditionem accipiens, terruit *Wenzel* Regem, ut paratum jam
// exercitum sine pugna reduceret. Ducem revocârunt Unga-
// ri, sub *Andrea* Rege, & *Bela* Filio ejus, tam Stiriam, quàm
// Austriam aggressi, ut pœnam sumerent de Repudio *Zophiæ*
// Cognatæ: & quia Ungari semper cupiebant Stiriæ partem,
// olim longis retro temporibus sibi ereptam recuperare. Stiria
// non habuit milites: unde Nobiles cum solis Rusticis resisten-
// tes, post fortissimam pugnam, in qua plerique ceciderunt,
// victi, vastatoribus furorem permittere debuerunt. Ex alte-
// ra parte Reges ipsi sæviebant in Austriam. Quibus festinans
// è Bohemia Dux occurrit apud Hovelin, & eos repressit, mul-
// tis eorum occisis. Deinde pax facta, Regibus recedentibus,
// cùm prædas reddidissent. Interea Rex *Heinricus* vastavit Ba-
// wariam: quia Dux ejus *Otto*, Imperatori fidelis, impediebat
// Regem ab affectatione Imperii. *Fridericus* Dux ex fœdere ad
// juvandum Regem, putans, se Pontifici gratum facere, permi-
// sit *Erchenchero de Wesen* Capitaneo Anasi, ut ipse pariter inva-
// deret Bawariam: quod severè egit. //

XXVIII. Tria *Friderici* nostri *Bellicosi* hoc uno Anno bella hìc ex *Pernoldo* discimus, jam ordine examinanda: quorum uno vindictam sumsit de anteriori Bohemorum in Austriam irruptione: altero præsentes prædones Ungaros rejecit: tertio per fœdus, fraudémque *Henrici* Romanorum Regis implicatus fuit. Primum, illúdque Bohemicum, Chronographus *Mellicensis* ita ponit ad Annum sequentem. „ Mccxxxiv. *Fridericus* Dux Au-
„ striæ valida manu Bohemiam ingreditur. Sed capta munitis-
„ sima Urbe, nomine Vetawe, valido morbo præventus, ad pro-
„ pria revertitur.„ Chronica verò, *Australe*, *Neoburgense*, & Anonymi

Dux *Fridericus* semel, non iterum, in Bohemos

nymi *Zwetlense*, iisdem, ut solent, verbis mutò exscriptis, hoc bellum utroque Anno referunt. Et ad Annum quidem 1233. hoc pacto. „Post Octavam Joannis Baptistæ idem Dux F. Bohemiam exercitu maximo congregato intrare volens, processit „usque Castrum Vetau: quod, licèt omnibus inexpugnabile videretur, expugnavit, & alia quædam Castra post prædicti expugnationem sibi fuerunt tradita. Audiens itaque Rex Boëmiæ, quòd tantam multitudinem exercitus haberet, & Castrum prædictum expugnâsset, secessit per sylvam, licèt proposuisset, ei in Campo occurrere.„ Altero Anno sic habent. „*Fridericus* Dux Austriæ & Stiriæ cum magno exercitu, & forti, intravit fines Bohemiæ, & Castrum, nomine Vetaw, cepit. „Cúmque ulteriùs vellet procedere, nemine resistente, infirmatus est usque ad mortem: & sic Omnipotens DEUS conatum „ejus malum restrinxit.„ Hos ambos paragraphos legens *Arenpeckius*, ex una Expeditione geminas construens, An. 1234. suo ingenio sermonem ita composuit. „Dux *Fridericus iteratò* Moraviam ingenti forti exercitu intravit, & Castrum Vettaw *secundariè* cepit: & volens ultrà, vastandô terram, procedere, „incidit in mortalem infirmitatem, & ita Altissimus suam malam Voluntatem impedivit.„ Ecce, Calami licentiam. Vulgarius nihil in Veteribus Chronicis (Lectores eorum diligentes appello) quàm eandem Rem variis Annis iterum, iterúmque notari, quocunque, id errore, sive authorum, sive Librariorum, evenerit. Nemo autem Scriptorum, quod sciam, Veterum ajebat, Ducem nostrum *iteratò* intrâsse Moraviam statim consequentibûs annis, Vettaviámque *secundariè* cepisse, cùm nemo pariter tradiderit, eam Urbem, semel captam, à Duce vel desertam esse, vel rursum eidem ereptam, ut altera occupatione opus fuisset. Quod cùm pariter *Pernoldus* noster taceat, *Arenpeckio*, tertio postea Seculo scribenti, credere tutum non est. Sed & falsum eum in hoc, ea, quæ Princeps noster egit anno sequenti, liquidò redarguent.

ducens, Urbem Vettau una, non altera vice cepit.

XXIX. Libet verò, *Dubravium* quoque, tametsi recentem seculi XVI. Scriptorem, in Scenam deducere, perornata, sed prolixiore cum fabula prodeuntem *Histor Bohem.* Libr. XV. p. m. 124. Hic, cùm priùs, ut aliàs *Decad.* priori jam attuli, commentus esset, *Leopoldum* Ducem in Italia cum copiis in Castris Imperatoris demoratum, de irruptione Bohemorum, se absente facta, Cæsari conquestum, ab ipso promissum ultionis repetendæ tulisse: nunc ita perrexit. „Non exspectabat „*Fridericus*, *Leopoldi* Filius, dum Cæsar ex Italia reverteretur: „sed domi suorum delectum instituit, & præterea oratûm, partim ad Affines, partim ad vicinos misit, qui subsidio sibi „quamprimum venirent. Nec enim injurias à Bohemis acce-

Dubravii fabulatio.

,ptas se diutius inultas tolerare posse dicebat. Conveniunt ad ,tempus in Austriam subsidia: quorum Duces illustriores erant ,Patriarcha Aquileiæ, Pontifex Bambergæ, Marchio Vardæ, Co-,mes Tiroli, sparguntque in vulgus rumorem, quasi in Italiam ,ad Cæsarem proficisci vellent, ut ita improvisi Bohemis, inex-,spectatique supervenirent. Sed dum, Auctore *Friderico*, Ar-,cem in Moravia Vetoviam, opportuno loco sitam, oppugnant ,(finibus námque Austriæ, Moravíæque, & Bohemiæ adjacet, ,facilémque prædonibus in omnes has Regiones excursum præ-,bet) *Venceslaus*, *Premislai* Filius, spatium armandi Boijemos ,nactus, coacta brevì magna vi militum, conatus illorum cele-,riter antevertit, ipse potiùs hostibus de improviso interveniens, ,nemoribûs, qui juxta Arcem sunt, silentio noctis superatis, ,jugisque collium milite occupatis, ne elabendi facultas hosti-,bus daretur.,

,Itaque mandavit, ut taciti, sine quovis strepitu, usque ,ad auroram in stationibus durarent: quoniam videre priùs ho-,stem, quam aggredi placuit. Sed hanc ejus rationem *Boceco à* ,*Cunstatt*, qui colles obsidebat, turbavit, multa adhuc nocte cor-,nua, tympana, tubas personare, tumultum à militibus per sta-,tiones fieri, & clamorem, quantum possent, maximum, cie-,ri, ad deterrendos hostes, jubens. Id verò quonam animo fe-,cerit, dubium quidam reddunt, *Boceconem* insimulantes, qua-,si *Friderico* in hoc gratificantem, ut, Signô ille per tumultum ,& strepitum maturè acceptò, fugam quoque maturaret, an-,tequam insidiis circumveniretur. Id, quod factum fuit, ut ,*Fridericus* cum cæteris, nondum Boiemis propter tenebras con-,spectis, statim dissiparetur, molestè *Venceslao* ferente, adem-,tam sibi fuisse dimicandi facultatem, qua data, Victorem se fu-,turum sperabat.

,Nec tamen fugientem *Fridericum* persequi omisit: quem ,ut, ad Arcem Rhetiam (Reze) assecutus est, obsidione cingen-,dum duxit: Qua aliquamdiu perdurante, nunciat *Venceslao* ,*Fridericus*: Si Vir haberi velit, ut, relicta obsidione, singulare secum ,certamen cras ineat. Accipit *Venceslaus* conditionem, suique ,copiam *Friderico* postera die fecit. At ille, subortam repen-,tè Ægritudinem assimulans, nullus apparuit. Inde *Venceslaus* ,ad populandam Austriam conversus, magnas pecudum, alia-,rúmque Rerum prædas ante se agit, ac mox ad Parentem rever-,titur, gravi morbo laborantem. Adventu Filii *Premislaus* pa-,rumper focillatus, aggravata dein rursus valetudine, morbo ,succubuit.,

XXX. Quis non amet, eleganti ingenio, & uberi eloquentia, tam bellè confibulatam Historiam, haud secus, ac si præsens Author his oculis omnia usurpâsset, & singularibus insuper tantis refertam, quæ Veteres omnes sinchronos ac suppares latuêre? Multi sunt, fateor, qui ejusmodi hypotiposes oppidò ament, & singulare Historiæ decus ac ornamentum esse existiment. Sed, qui eruditi, non credunt. Præterquam enim, quòd coæva solummodo Monumenta Rebus, à sui eventu plura jam Secula numerantibus, fidem pariant: quidquid Æræ justæ, firmatæque non cohæret, se ipsum jugulare censetur. Convenit inter omnes, *Præmislaum* Regem Bohemum, decessisse exeunte Anno 1230. Si ergo Victor Filius *Wenceslaum* Parentem præsentiâ suâ refocillârit, omnia hìc tradita eo anno evenissent. Quod quàm falsum sit, anteriùs à me adducta, expensa, constabilita singula clarissimè docent. Ergo singularia omnia *Dubravii*, ego quidem ingenio tribuo, non veritati, tacente de his *Pernoldo* nostro, cùmque hoc Chronicis omnibus. Principes ad *Fridericum* nostrum Mense Novembri elabente An. 1230. non belli, aut fœderis ergo, sed Funeris Paterni, cum honore deponendi, causâ convenêre. Pedem ille è Bohemia retraxit, non fugiens, sed Ultor novæ Hungaricæ irruptionis futurus. Unde nec in Morbum ejus consentio, quamquam is in Chronica quoque Australia lutulento ex fonte irrepserit: quæ verum eum, & lethalem fuisse tradiderunt, cùm *Dubravius* duntaxat simulatum cavilletur. Neque enim eundem siluisset *Pernoldus*, Gesta *Friderici* curatè exequens: nec ille cum festino ejusdem in Austriam reditu, quem populatio domestica celerrimum poposcerat, ritè componi potest.

Refellitur ille.

XXXI. Putem potiùs, ut error errorem trahere solet, morbum *Echeberti*, Bambergensis Episcopi, Duci nostro imputatum. Hoc eodem quippe Anno, & anteriori, Præsul iste cum Duce Carinthiæ *Bernardo* acerrimas dimicationes habuit, propter Villam Wolfsberg, quam uterque suam esse contendit, Dux occupaverat. De quo bello, præter alios plures, Chronicon *Salisburgense* ad Ann. 1232. ita refert. ,Episcopus Babenbergensis cum Duce Karinthiæ movens bellum, plures ei Munitiones ,destruxit, & terram pro magna parte vastavit., Rursùm verò deinde ad Annum 1233. ,Episcopus Babenbergensis à Ministeriale Ducis Karinthiæ per totam Quadragesimam in captivitate tenetur., Chronica autem, *Cl. Neoburgense*, *Australe*, Anonymique *Zwetlensis*, ac *Leobiensis*, una phrasi inquiunt. ,*Eckebertus* Babenbergensis Episcopus, postquam bellandô vastavit Karinthiam, ab *Hainrico de Vinckenstain* in dolo captivatur, & per Illustrem Ducem Austriæ *Fridericum* liberatur., Novo hìc bello implicatur Dux noster, nempe Carinthiaco: de

Friderici Ducis nullæ partes in Bello Carinthiaco.

quo autem valde vereor, ne magnoperè fallat. Tacet enim *Pernoldus* noster, tacent alii. Præterea *Megiserus* Annal. Carinth. Libr. VIII. cap. xvi. p. 851. sqq. prolixè describens, decretoriam præcipuè Episcopi Ducisque Carni pugnam, ac primi captivitatem, non dolo, sed in acie factam, ait: *Eckebertum*, electâ militiâ instructum, morbo tamen gravi præpeditum fuisse à celeri expeditione: post verò diuturnam captivitatem suam, tandem *Friderici II.* Cæsaris, non Ducis nostri, interventu manumissum esse. Multò hoc ego de Cæsare faciliùs, quàm de Duce nostro crediderim. Hic enim, sub ipsa Bohemorum impugnatione, per irruptionem Hungaricam subitò in Austriam accelerare coactus, non video, quomodo otium reperisset Præsulem eliberandi: quod verosimillimè armis impetrandum fuisset. Cæsari sola Majestas, nudumque imperium ad id suffecerant.

Præsules captivos non duxit.

XXXII. Alium, & non paulò graviorem in errorem *Hoffmannus* in Annal. Bambergens. ab *Aventino* pertractus est. Etenim de *Eckeberti* Bello Carinthiaco altissimè silens, tradidit, hunc eundem Præsulem, unacum Archiepiscopo Salisburgensi, à Duce nostro *Friderico* captivitate acceptum esse. Verba ejus aculeata apud Jll. *Ludewig.* Scriptor. Bamberg. I. col. 155. sunt, ut sequitur. „Inter hæc *Fridericus* Austriæ Dux, *Leopoldi* Filius, seditionem adversus vicinos Populos concitare, & cun„cta sine discrimine diripere, vastare, & magna ex parte inflam„mare instat. Ad quem cùm *Eberhardus* Salisburgensis, & *Ec„bertus* Babenbergensis, Antistites, pacis reconciliandæ causa, „sub principio Jejunii Quadragesimalis essent destinati, eos, „indictâ causâ, confestim in vincula tradidit, ac demum post Re„surrectionis festum in forum productos, certis conditionibus „dimisit.„ Quod quàm longè à vero absit, soláque ex confu„sione vel ignorantia Belli, & Captivitatis Carinthiacæ ortum, jam vidit Cl. *Hansizius* Metrop. Salisb. p. 336. n. 45. Ita undique stridula inconsultis rumoribus fama nostrum in Ducem impegit. Jam ad Bellum Hungaricum transeo.

XXXIII. Chronicon *Mellicense* ad Ann. 1234. post reditum Ducis nostri è Bohemia enarratum subdidit. „Postea Rex Un„garorum Austriam cum exercitu petit: sed nihil ibi proficiens, „concordiâ cum Duce factâ, rediit.„ Prolixiùs reliqui Chronographi Patrii, sed ne litera denuo ab invicem exerrantes, referunt ad Annum 1233. „Ungari intraverunt fines Styriæ, & „vastaverunt eos, rapina & incendio. Stirienses verò congre„gati, sine Rectore persecuti sunt eos. Ungari verò longiùs eos „trahentes à finibus suis, insidias ponentes post eos, converte„bantur: ad ipsos accedebant antè & retro. Multi ex utraque „parte mortui sunt, & multi vulneribus debilitati. Tandem

„Un-

,Ungari victoria potiti, Nobiliores ex eis captiverunt. Ex tan-,ta multitudine vix quinquaginta fugerunt: reliqui omnes aut ,interierunt, aut captivi abducti sunt. - - Rex Ungariæ circa fe-,stum Omnium Sanctorum Austriam exercitu magno intrans, ,partem terræ incendio & rapinis devastavit, & usque ad Hö-,velin (Höflein) pervênit. Et interfectis multis de suo exer-,citu, & Nobilibus quibusdam captivatis, & Civitate Teweyn ,exusta, & depopulata, ulteriùs procedere non valens, pro con-,cordia laboravit., Rursùm inferiùs otiosa repetitione. ,*An-,dreas* Rex Hungariæ cum Filio suo *Bela* partem Austriæ incen-,dio & rapina devastavit.,

XXXIV. Eadem hìc audisti, quæ antea ex *Pernoldo* no-stro: ex quo tamen diligenter meminisse te velim causarum, ob quas Ungari Reges in Austriam incurrerunt. *Ut* nimirum *pœnam sumerent de Repudio Sophiæ cognatæ*, dudum, & adhuc vivente, atque consentiente Patre, nec sine causa facto, cùm viderent, Nobiles Austriæ, quos in seditionem, ac Bohemos, quos in vastationem antehac incitaverant, Virtuti Ducis minimè prævalere potuisse. Et item, *quia Ungari semper cupiebant Stiriæ partem, olim longis retrò temporibus sibi ereptam.* Hinc enim profectò liquet, obortum, extortúmque *Friderico* fuisse hoc bellum, non proprii inquietudine animi spontè provocatum: cujus proinde etiam, quia nullius Gloriæ fuit apud Ungaros, *Bonfinius* ne quidem verbulo meminit. Addit verò Chronicon *Australe*, cum cæteris exempli sui, postquam dixerat, Ungariæ Regem pro Concordia laborâsse. ,Qua habita re-,vertitur ad sua. Et non post multum tempus idem Rex paci-,ficè exeundo processit usque ad Novam Civitatem, & ibi à Du-,ce honorificè susceptus, firmam Concordiam inierunt. Ubi ,factâ Concordia idem Rex Ducem amicabiliter ad Ungariam in-,vitavit. Quo facto cum magno comitatu ad Hungariam ve-,niens, honorificè susceptus, rediit ad sua., Sed præoccupatas hoc loco has esse invitationes, neque meri Hospitii officia fuisse, sed Hymenei Solemnia, altero Anno utrinque agenda, spectâsse, infra patebit.

Hoc ei extortum, non ultro quæsitum.

XXXV. Superest adhuc Anni præsentis Bellum Bavaricum, à Duce nostro ex fœdere, & ad juvandum *Henricum* Regem Socerum suum, dum putaret, fraude inductus, se Pontifici gratum facere, Capitaneo suo Austriæ superioris permissum, & ab illo severè actum, juxta *Pernoldum*. Verumtamen hac de Re Chronica Patria undique tacent. Quare *Aventino* aliquantisper auscultandum, Libr. VII. Annal. Boicor. cap. IV. n. 3. sq. ita querulanti. ,Cæsar (*Henricum* Regem putat) clandestinum fœdus ,cum Pontifice Romano fecerat, Germaniam, Teutonicúm-

Bavaricum in bellum fraude inductus est ex foedere Regio.

„que Regnum sibi vendicare nitebatur. *Otto* Præfectus Præto-„rio (i. e. Comes Palatinus) Rheni, Regulúsque Bojorum, pri-„marius Germaniarum Princeps, ab Augusto, Patre Cæsaris, „deficere nefas ducebat, in Bojariámque se protinus contulit. „Cæsar collecto magno exercitu Bojariæ fines hostili animo in-„trat, nemine omnino resistente, Templa, Vicos, Agros incen-„dit, Castra ante mœnia Urbis Reginoburgensis collocat, ferro, „præda impunè cuncta atterit. - - - Inter hæc *Fridericus* Austria-„cus, magni animi, quietis atque otii impatiens, laudis avidus, „finitimos Armis ultrò lacessere cæpit. Omnibus vicinis suis, „Bojis, Bojemis, Ugris, Charionibus bellum indicit.„ Omnem hìc culpam solus iterum fert *Fridericus* noster: solus ille lupus, vicini omnes innocentissimæ oves. Sed pergit Auctor. „Ejus „Præses *Muringerus Veseno* (putat Erchengerum de Wesen) Schar-„dingii Præfectus, latrociniis infamis, in confinio utriusque „Regni *Varnpach*, Monachis pulsis, occupat, præsidióque fir-„mat. Inde Occidentales Bojos vastat, omnem oram Oeni No-„ricique. Neukirchen & Weihard, Noricorum Sylvam atque „Pagum, ubi tum nundinæ, celebrésque feriæ erant, & popu-„lus frequens coiverat, sexto idus Septembris invadit, Tem-„plum exurit, opes, merces diripit, Cives ditiores, Mercato-„résque, captivos ampliùs quadraginta abducit.„

Licentia militaris in bello: ævo illo communis omnibus, Duci nostro peculiariter succenseri non debet.

XXXVI. Absit, ut probem, quidquid extra limites ac Regulam fit, etiam apud Milites, qui veluti jure belli, flagitiosissima audent. Sed ad omnia Chronica provoco. Lege sis bella illorum temporum, & semper ferro, igne, rapina, populatione peracta reperies. Sive sic, & non aliter gesta sint: sive, quod multò verius mihi, recepta hæc phrasis apud Scriptores tenuerit, qua se brevissimè à bellis recensendis expedirent. Multoties jam aures nostras hujusmodi paragraphus offendit in locis à me hucusque excerptis: toties verò etiam deinceps stomachum nobis commovebit, neque Bojis clementiùs, si calamo fides, agentibus. Ergo crimen, ævo illo omnibus commune, uni *Friderico* Austriaco, vel solis ejusdem Ducibus, graviùs cæteris profectò succenseri non debet, & jactari in illum cum nupero quodam Scriptore, *eundem Villarum incendiis Gloriam suam, quàm quò maximè, illustrandam censuisse.* Interim *Aventinus* hypothiposin suam præmissam insigni hoc commento concludit. „*Eberhardus* Salisburgensis Archimysta, & *Eckbertus* „Bambergensis Pontifex, profecti ad *Fridericum*, ut pacem fa-„cerent, in vincula conjiciuntur, totáque Quadragesima capti-„vi tenentur.„ Ita hunc apud Scriptorem commiscentur Provinciæ; luítque *Fridericus* Austriæ, quod commisit *Bernardus* Carinthiæ Dux.

XXXVII.

XXXVII. Princeps noster cum *Conrado* Episcopo Frisingensi hoc Anno de Locis in Austria, ubi ambo proprios Ministeriales, ac subditos haberent, ita composuit, ut, si isti invicem nubant, hæredes ab eis procreati, itémque possessiones eorum, æqualiter dividantur, parte una sibi, altera Episcopo devota. Sin porro ipse sine Hærede moreretur, Episcopus, & Ecclesia Frisingensis, proles omnes eorum, cum possessionibus, sibi subditas habeat. *Datum Wienne III. Kal. Maji Anno Domini MCCXXXIII.* Ita lego *Histor. Frising. II. p. 12.* Domina *Theodora* Ducissa, Mater Principis, Carthusiæ Seizensi in Stiria hujusmodi Chartam expediit, quæ est apud Cl. *Bern. Pez.* Cod. Dipl. Part. II. p. 83. n. 140. „Notum sit ergo omnibus, ad „quos præsens pagina pervenerit, & maximè Officialibus in *Judenburch:* Quòd ego THEODORA, pro remedio Animæ no„stræ, & dilecti Mariti nostri LIUPOLDI felicis memoriæ, ad „Saumam Olei, quæ singulis annis *de Providentia Domini nostri* „*Ducis* accessit Cœnobio Vallis S. Johannis, statuimus, & fir„miter mandamus, ab Officialibus in Judenburch superaddi sin„gulis Annis alteram Saumam olei, ad Confratrum ejusdem „Cænobii cibaria lautiùs condienda. Ut igitur - - - præsentem „paginam decrevimus Sigilli nostri munimine roborari. Acta „sunt hæc in Judenburch Anno ab Incarnatione Domini „M.CC.XXXIII. Indict. VI.„

Idem composuit cum Episcopo Frisingensi.

D. Theodora benefecit Carthusiæ Seizensi.

Annus 1234.

XXXVIII. DUm Romani turbulenti, libertatem spirantes coegissent *Gregorium* Papam, ut Reatinam in Urbem se reciperet: *Fridericus* Imperator ultro eòdem convolans, se tanquam defensor Ecclesiæ, obtulit ad pugnandum in Romanos. Causa erat, quòd se jam nequaquam lateret, *Henricum* Filium suum affectatione Imperii teneri. Unde *Conradum* natu minorem, cui Jerosolymæ Regis elogium jam tribuerat, Dignitate Regio-Romana sublimare cogitans, Pontificem demereri contendit. Ut verò ad simulationem insigniter ubique compositus erat, Exercitum Ecclesiæ educens, hostes quidem *Gregorii* suspensos, & formidolosos, Orbem verò universum attentum effecit: sed antequam aliquid præstitisset, subitas reperit causas, quibus ad maximè festinum in Regnum Neapolis Recessum se urgeri assereret. Ita spes Pontificis, cùm plenis carbasis navigare videretur, adhæsit in sicco, isque, necessitate compulsus, ære proprio copias nonnullas Germanas, virtute præstantes, conduxit: cæterùm apud omnes Metropoles Christianas, Regésque, & Provincias, opem imploravit. Rogatus eapropter etiam Dux noster *Fridericus*, semper in oculis Pontificis magnus, ut posthac audiemus. Quoniam verò Teutonum Virtus

Imperator ducens in Romanos pro Pontifice, subitò stationem iterum deserit.

tus Romanam contumaciam feliciter fregit: mutato ſtilo, Papa jam reſtitutus, omnes, quos antea, ut ſibi in auxilium venirent, obſecraverat, nunc, ut Orienti ſuccurrerent, exhortatus eſt. Cujusmodi altera Epiſtola rurſum Duci noſtro directa. Ambas ex Regeſtis Pontificiis allegat *Raynaldus*: ſed neutram legendam exhibuit. Dedit verò *Gregorius* ad eum tertiam quoque hoc anno Epiſtolam, exſtantem apud Cl. *Hueberum* Auſtr. p. 21. qua rogat eum, ac monet, ut Mellicenſem Abbatem auxilio atque conſilio juvet in revocatiane alienatorum.

Narratio *Pernoldi*. XXXIX. Sed nunc, quid *Pernoldus* noſter hoc anno iterum doceat, audiamus. Inquit ille. // Mccxxxiv. Cùm Imperator noviſſet, Regem Filium ſuum, & F. Ducem Auſtriæ vaſtare Bawariam, utrique prohibuit Arma. Sed Bawari in Auſtria ſuper Anaſum dirè graſſati, Clauſtrum Lambach, & alia exuſſerunt, Varnbach rejectis noſtris reoccupârunt, & ſic ſeipſos vindicârunt. Tandem pax mediantibus Epiſcopis facta inter Duces. In Octavis Paſchæ Dux F. ſorori ſuæ *Conſtanciæ* Nuptias fecit cum *Heinrico* Marchione de Meuſſen in Stadlawe: quia Cives Wiennenſes de fide ſuſpectierant. Invitati ad has Nuptias venerunt *Andreas* Rex Ungariæ, & *Bela* Filius: *Wenzel* Rex Bohemiæ: *Eberhardus* Archiepiſcopus Salzburg. Epiſcopi Patauieñ. Fris. Babenberg. Duces Saxoniæ, & Carintiæ: Lantgravius Thuringiæ: Marchio Morauiæ, multíque Comites, & Nobiles. Omnia ſplendidè, & cùm pace acta ſunt. F. Duci ob ſuæ Generoſitatis famam Carnioli, defuncto Marchione ſuo *de Crainpurch Angilberto* ſine Liberis, Principatum ſuum obtulerunt. //

Imperator Filio Regi, ac Duci noſtro, pacem cum Boiis imperat. XL. *Aventinus*, narrata, ut ſuprà exercerpſi, *Henrici* Regis in Bavariam ſæva irruptione, ſubdidit. „Hisce coactus *Otto*, „Arbitro *Eberhardo* Archiepiſcopo Salisburgenſi, Filium *Ludovicum* quadrimum Cæſari obſidem dat. Auguſtus, ubi hæc in „Italia reſcivit, Legatos in Bojariam mittit, Cæſarem ab armis „diſcedere, obſidem *Ottoni* reddere jubet.„ Inferiùs porro pergit. „Regulus Bojorum - -- Utini Conventus agit, Auſtriaco, miſſo Caduceatore, bellum indicit, amicitiam ei more „Majorum renunciat, copiiſque contractis, Orientalis Bojariæ „(Auſtriam intelligit Superiorem) fines ingreditur, *Lambach* „exurit, usque Tranum amnem, Valentiámque Urbem, univerſa incendiis, cæde complet.„ (Adverte ſis, obſecro, iſta legens, ſolemnem Veteribus bellandi, aut Chronographis bella deſcribendi morem), Schardingium capit, in ditionem redigit, præſidio atque muro firmat, *Varnpach* expugnat, Templum Monachis reddit, unde quinquaginta, quos ibi ceperat, partim

„partim in Crucem agi, partim Securi percuti jubet, de omnibus „supplicium sumsit.„ Non multùm imparia suo jam tempore retulit *Salisburgensis* Chronologus *Pezianus* ad Annos 1233. & 1234. uterque consonus *Pernoldo* nostro: nisi, quod hic prodat nobis, Mandatum Imperatoris, Duci etiam nostro directum. Unde factum arbitror, Principem nostrum, qui ex foedere duntaxat cum Rege, hujúsque fraude inductus, quasi taliter optaret Pontifex, Præfecto suo Anasi Bavariæ invasionem permiserat, nunc, factæ sibi fraudis conscium, patienter Bavaram populationem, qua ipsi ultionem sumserant, pertulisse, ut Augusto obaudiret. Nemo enim Scriptorum prodidit, eum in Bavaros quidquam ullo postea tempore, nisi dum ablatam sibi Austriam superiorem recuperaret, movisse. Quin potiùs mediantibus Episcopis, quos, ad se missos, à *Friderico* nostro captos *Aventinus* fallissimè confinxit, Pax inter Duces coaluit.

XLI. *Aventino* tamen Discipulum suum adjungere placet Virum cæterà Clarissimum *Joann. Adlzreitterum* IC.tum & Cancellarium Bojariæ, *Friderico* Duci nostro præ Magistro suo neutiquam æquiorem, apud multos interea celebrem, qui sibi eundem tutò sequendum apud se reputârunt. Hic Annal. Boicæ Gentis Part. I. Libr. XXIV. p. 659. §. 2. de Bello Bavarico utrinque gesto sic enunciavit. „Vix *Otho* abs Rege nactus erat par„tem aliquam tranquillitatis, cùm eam *Fridericus* cognomento „*Bellicosus*, Austriæ Dux, nulla lacessitus injuria, abrupit. Hic, „ut erat belli appetens, gravis finitimis, ipsi adeo Cæsari odio„sus, Moravis & Ungaris invisus, ne belli materia deesset, Schar„dingam,„ quæ ea tempestate erat Austriæ contributa, arce „muniit, non tam ad tuendos fines, quàm ad vexandam Bojari„am. Quam ad rem prædonem, insignitè nefarium, *Murin*„*gerum Vesenum* Arci imposuit, qui Oeni confinia latè haberet „infesta. Id cùm homo rapax præstaret gnaviter, & *Varnba*„*cense* Monasterium in spoliarium vertisset: *Otho* subjectorum „excitatus querelis, armatus irrupit in Austriam, actísque latè „prædis, exussit Cænobium *Lambacense*, non sine Virorum cor„datorum offensione, qui probare non poterant id belli genus, „quo soli vexabantur innocentes.„ Pleráque hìc imitatione *Aventini* narrata, cum quo maximè aberravit Vir Clarus, perperam tradens, quòd *Fridericus* noster demum post Mandatum Cæsaris, Regi Filio factum, ut à vexatione Bojariæ absisteret, Præfectum suum Anasi ad infestandos Bojos immiserit, motu proprio soláque bellandi cupidine permotus. Simul enim cum Rege, ex foedere, in quod subdolè pertractus erat, in Ottonem pugnavit, illo cessante jussu Imperatoris, simul & ipse armis abscedens: quod casum omnem immutat. *Schardingam* quod attinet, Decade priori ad Ann. 1225. edocui, eam à Patre *Leopoldo* Du-

Emendatur *Adlzreitterus*.

ce, non à *Friderico* munitam fuisse. Bojos porro nihil clementiùs, quàm Austriacos, bellâsse, ipse hic scriptor detestatur.

Fridericus Dux Constantiæ Sorori Nuptias fecit.

XLII. Nuptiarum Solemnia, Regúmque, ac Præsulum, Principúmque à *Pernoldo* descriptorum præsentiam, omnia propè Patria Chronica similiter prædicant. Unde tantò ineptiùs quædam ex iis, uti *Australe*, *Neoburgense*, Anonymi *Zwetlense*, *Leobiense*, tam Bellum Bohemicum, quàm Hungaricum Anni prioris, huic Connubio conjungunt, manifesto argumento, planè confusè, nullóque penitùs ordine, ibi narrationes cubare: ut proinde his in Fastis perturbatis incautum Lectorem horridus Gradivus omnibus annis fulmine ac tonitru percellat, atque hæc ipsa perplexitas *Friderico* nostro convitium pepererit Genii perpetuò turbulenti, qui nunquam quiescere potuerit. Non circumspectior fuit doctus quoque *Cuspinianus*, sequenti Anno Martem cum Hymeneo isto conjungens. *Constantia* porro, teste *Ortilone* nostro, tertia *Leopoldi* Gloriosi Filia, nata prid. Non. Maji An. 1212., hoc Anno sub Octavas Paschæ Annum ætatis alterum supra vigesimum explevit. Quid verò causæ fuerit, cur Nuptiæ istæ in *Stadlau*, Oppido Transdanubiano è Regione Viennæ celebratæ fuerint, *Civibûs Wiennensibûs de fide suspectîs*, Scriptor noster hoc loco non exponit. Citra dubium verò Imperator per emissarios occultè jam disposuit, quod postea acturus erat, ultionem de Duce nostro propter fœdus cum Filio sumturus. Interim Domina *Constancia*, *Henrico* dicto *Illustri*, Marchioni Misniæ, ac postea Landgravio quoque Thuringiæ, nupta, per Filium *Albertum* evasit Avia Magna, Gloriosa, & felix, universæ hodie adhuc florentis & Augustæ Domus Polonico-Regiæ, atque Saxonicæ Electoralis.

Chronicorum Veterum Confusio.

Dux noster fit Carnioliæ Dominus,

XLIII. Principatu Carniolæ supra Majores accrevisse fortunam Ducis nostri, extra *Pernoldum* nostrum, apud neminem veterum legi: cujus Asserto hujus Provinciæ Comes ultimus de *Crainburg* appellabatur *Angilbertus*, i. e. *Engelbertus*, omnibûs Recentioribûs, quos adii, hoc Nomen dissimulantibûs, quod vetustate interciderat. Invicto autem testimonio jam hoc Anno devolutæ ad Principem nostrum Carnioliæ esse potest Diploma, quo Inclitæ Zwetlæ Bona omnia confirmavit. Inchoat illud apud Annal. Zwetlens. I. p. 305. his cum Elogiis. *DEI Gratia FRIDERICUS Dux Austriæ, & Stiriæ, & Dominus Carnioliæ &c.* Subsignatur: *Datum in Erpurch Anno Dominicæ Incarnationis M.CC.XXXIV. x. Kal. Novembr. VIII. Indict.* Accedit Charta altera solemnis, qua *Immæ* Abbatissæ, & Ecclesiæ S. Petri in Erlach, cujuscunque Telonei Libertatem clementer indulsit. Scribitur & hìc *Carnioliæ Dominus*. Dabatur, ut antè,

Favet Zwetlensibus:

Et Erlacensi Partheno ni.

tè, VII. autem Id. Decembris. Habes illam apud Cl. *Bern. Pez.* Cod. Diplom. Part. II. p. 85. n. 144.

Annus 1235.

XLIV. Singularia planè sunt, lucémque peculiarem postulant, quæ hoc Anno pandit *Pernoldus* noster, ita tradens calamo satis exacto. // Mccxxxv. *Fridericus* Imperator, ut Ambitum Imperii in Filio *Henrico* Rege opprimeret, & puniret, // ex Italia per Aquilegiam profectus est in Germaniam. Cui // *Fridericus* Dux in Stiria cum reverentia occurrit. Sed ibi Imperator ab eo postulavit Dominæ *Margarethæ* Reginæ Dotalia, posito solvendi termino ad tres intra unum Annum dies, // executionem cum armis ei comminatus, si non præstaret. // Quapropter Dux non modicum turbatus discessit. Imperator Filium *Heinricum* Regno deposuit, & primùm in Germania maximo inimico ejus Duci Bawariæ custodiendum tradidit: postea in Apuliam, cum Regina, & duobus Filiolis, transmisit. Pro quo *Conradum* alterum Filium in Regem designavit. F. Dux cum initio Mensis Junii, invitatus ab *Andrea* // Rege, ejus Nuptiis cum *Beatrice* de Athesina interfuit, & ita // placuit multis Ungaris, ut eum Regem optarent. Rex autem *Andreas* jam Senex, & sæpè Æger, medio Mense Novembri obiit, Uxore nova gravida relicta: & *Bela* successit, lividus *Friderico* Duci propter affectum Ungarorum. //

Narratio Pernoldi.

XLV. Dum *Gregorius* Papa cum Romanis transigere, pacémque componere tentaret, idque *Friderico* Imperatori nunciâsset, hic, uti semper, Ecclesiæ tutelam calamo præseferens, rescripsit: Ageret Pontifex, quod expedire videretur, & si pax incommoda foret, eam non componeret. Quamvis enim nunc ipse ab itinere necessario ad remotiora Loca desistere non posset: opere tamen se exhibiturum, quòd Ecclesiam indefensam non sit dimissurus. Has Literas excerptas dedit *Raynaldus* XIII. p. 423. n. 7. Erat porro hoc iter Germanicum, Filii causâ ab Imperatore susceptum: de quo ita *Godefridus* Coloniensis, primùm ad Ann. 1234. „Rex *Henricus* Bobardiæ Conventum „quorundam Principum habuit: ubi à quibusdam nefariis Con„silium accepit, ut se opponeret Imperatori Patri suo, quod & „fecit. „Nam ex tunc cœpit solicitare, quoscunque potuit, „minis, prece, & pretio, ut sibi assisterent contra Patrem, & „non paucos invênit.„ Mox verò iterum ad Ann. 1235. „Imperator ab Apulia Aquilegiam pervênit. Inde cum multa tur„ba, & multis thesauris versus Austriam intrat in Germaniam. „Filium etiam suum Regem rebellem invenit, sed impotentem.„ Cur impotentem, rursum docet *Raynaldus*: Quia videlicet Pon-

Imperator contra Filium in Germaniam proficiscitur.

Pontificiis Literis munitus,

tifex, petente Imperatore, *Henricum* suæ perduellionis causâ anathemate feriit, in eundem per *Eberhardum* Archiepiscopum Salisburgensem pronunciato. Et quia insuper Imperatori profecturo Literas Apostolicas dedit ad omnes Germaniæ Præsules, ac Principes, quibûs eos reprehendit, quòd Regi molitionem permiserint, cúmque comminatione vetat, ne eundem in hoc crimine ullo modo confirment, ac juvent. Jure insuper jurando, quod Regi forsitan contra Imperatorem præstiterint, eosdem exolvit. Quinimmo, delatis apud se Episcopîs, Herbipolensi, & Augustano, quos fama erat, Regis partibus implicitos: utrique, si ita deprehensum fuerit, peremtorium diem dixit, ut intra spatium duorum Mensium Sedi Apostolicæ se coram sisterent. Hinc manifestum est, quàm perperam *Henricus* sparserit in Principes, rumórque ad Imperatorem tulerit, nunc porro tradant nonnulli Sanctæ Sedi adversi, studio Pontificis Filium adversus Patrem concitatum esse, uti antehac adductis testimoniis ad Ann. 1232. adverti.

Unde falsum, Filium à Papa in Patrem concitatum esse.

XLVI. *Friderico* Duci nostro hæc eadem fraus, qua supplantatus est à Rege, cùm propterea se eidem fœdere conjunxerit, indubiè malo fuit, irámque Imperatoris induxit, eidem reservatam, quamvis, fallaciâ detectâ, mox à foedere resilierit. Occurrisse porro illum Reverentis animi ergò Imperatori, Stiriam accedenti, liquidum reddit vel solum Diploma, quo Imperator Admontensibus Privilegia confirmavit, datum *apud Novum Forum in Stiria An. Dom. Incarn. MCCXXXV. Mense Majo Indict. VIII.* exhibitum à Cl. *Bern. Pezio* Anecd. III. in Cod. Dipl. Admont. Part. III. Col. 681. n. 8. Ubi in Testibus disertè occurrit *Fridericus Dux Austriæ.* Verumtamen postulâsse tunc ab eo Imperatorem, ut causam quæreret contra eum, Dotalitia Sororis ejus D. *Margaretæ* Reginæ, constitutis exolutioni terminis, & armorum comminatione apposita, Res est, ad quam nemo Patriorum Scriptorum animum advertit, undecunque id factum: & ideo tam dura de Duce nostro judicia, omnibûs Proscriptionem ejusdem postea factam, odiosissima in capita, causásque rejicientibûs.

Dux Imperatori in Stiria occurit: Qui ab eo Dotalitia D. *Margaretæ* Reginæ acriter postulavit.

XLVII. Sed præter jam antehac adducta ex *Conrado de Fabaria* de exactione Dotis hujus, initio per *Henricum* Regem, submisso in Austriam Legato Abbate San-Gallensi facta, insuper apud *Petrum de Vineis*, vernaculè *Weinstock*, qui *Friderico* II. Imperatori ab Epistolis, & Secretis, tandem & Cancellarius ejus fuit, Epistolar. Cæsaris Libr. III. Cap. V. noviss. Edit. Basileen. de An. 1740. curante *Joan. Rudolpho Iselio* IC. p. 388. Imperator Regi Bohemiæ in cæteris adversus Ducem nostrum criminationibus ita etiam scripsit. „Tantam insuper sibi gratiam

Litem Dotis causâ fuisse, certis Testimoniis confirmatur.

,am facientes, quòd pro ſopienda Lite, quam in exactione ,Dotis ſuæ Filius noſter *Conradus* (legendum *Henricus*) contra ,eum jure, & viribus attentabat, octo millia Marcarum pro-,miſimus exhibenda,, Cæſaris ergo confeſſione tenemus, Litem Dotis causâ interveniſſe. Quod verò ſcripſerit ipſe, ſe, *pro* hac *ſopienda Lite*, Filio ſuo octo Millia Marcarum exhibenda pollicitum: ſic accipio, ut antea forſitan quidem factum ſit, poſtea verò, ad vindicandum cum Filio foedus, retractatum fuerit: vel ea fide ab Imperatore ſcriptum Reor, qua plurimæ aliæ ejus Epiſtolæ exaratæ, videlicet nulla. Adeat Lector, ſi lubet, *Raynaldum*, & in quamplurimis locis Annalium ejus Eccleſiaſticorum, integras, vel excerptas hujus Auguſti Epiſtolas leget, in quibus ille, animo totus ad ſimulationem compoſitus, illud ſe vel feciſſe, vel facturum eſſe aſſeveravit, quod undique averſabatur. Attuli & ego hujusmodi ſcriptitationum ejus, nulla fide ſubnixarum, haud unum in anterioribus exemplum. Sed expendam inferiùs Epiſtolam Imperatoris, de qua loquimur, totam, integrè adſcriptam, ſubjectíſque Notis, quam conſonet vero, oſtendam.

XLVIII. Certè interim *Anonymus* Proſecutor Chronici *Martini Poloni*, qui, Ill. D. *Eccardo* Scriptor. Tom. I.[mo] eundem vulganti, à diligentia commendatur, vicinúſque Ditionibus Auſtriacis, Germanicis & Italicis degiſſe, & vixiſſe videtur temporibus *Ludovici Bavari* Imperatoris, his itaque temporibus omnino ſuppar, Rem proximè attigit, ſcribens apud eundem Collectorem l. c. col. 1418. in hunc modum. ,Interim mortuo ,*Henrico* Primogenito quondam *Leopoldi* prædicti Ducis Auſtriæ, ,*Fridericus* ejus Frater Ducatum illum ſtrenuè gubernavit, mi-,rabili corporis elegantia, & fortitudine præditus. - - - Contra ,*Fredericum* Imperatorem, *de Dotalitiis Sororis ſuæ MARGA-,RETÆ, & de crudeli morte HENRICI Filii ſui turbatus*, ,grandes diſcordias habuit: quæ tandem ſopitæ fuerunt tempo-,re procedenti., Mirum ſanè mihi, hunc Scriptorem, ex occaſione ſolummodo factæ inter Papam ac Cæſarem Reconciliationis, de *Leopoldo* Duce, ac Filiis, & Filiabus ejus, in tranſcurſu loquentem, nihiloſecius noviſſe, quod Auſtriaci Scriptores, noſtrorum Ducum Hiſtoriam latiſſimè pertractantes, ad unum omnes ignorârunt, aut ſaltem altiſſimo ſilentio preſſerunt. *Pernoldus* profectò noſter, tam proprio ipſius Imperatoris, quàm cæteroo, & *Conradi Fabarienſis*, & *Anonymi* ſtatim laudati, teſtimonio adjutus, fide jam ſua laborare non poteſt.

Teſtis alius exterus, qui novit, quod omnes Patrii Scriptores tacuerunt.

XLIX. Quod hic ulterius docuit de præſentia Ducis noſtri, cum initio Junii, apud Nuptias *Andreæ* Hungariæ Regis, ſimiliter Scriptorum noſtrorum calamis excidit. Quamquam, neſci-

Dux noſter interfuit Nuptiis Regis Hungariæ.

nescientes, quid narrarent, id insinuaverint, dum retulerunt ad Ann. 1233. pace post irruptionem Hungaricam facta, Regem à Duce hospitio magnificè acceptum, eum vicissim in Hungariam invitâsse, non minori humanitate, pompáque honoratum. Hymeneus autem hæc mutua visitandi officia imperavit: dum Anno priori Rex Ungarus *Constantiæ* Austriacæ Nuptias, hoc præsente verò Dux noster Connubium Regale condecoravit. Et Regem Ungarum, senem licèt, ægrúmque, adhuc tamen hoc Anno, sibi postremo, tertiùm nupsisse, docuit Monachus, quem ajunt *Paduanum*, Chronicæ suæ Libr. I. ad Ann. 1235. apud *Ursitis*. I. p. 587. ubi ait. „Anno MCCXXXV. *Beatrix*, quondam *Al-*„*drenandini* (aliis *Aldobrandini*) Marchionis Estensis (quod „idem ac Atestini, uti *Pernoldus* habet) Filia, *Andreæ* Regi Hun-„gariæ est Matrimoniali fœdere copulata. Quam *Azo* Marchio „Patruus ejus, condecenti Apparatu, & honorabili Societate, ad „tanti Regis præsentiam destinavit. Hoc autem Matrimonium „Filiis Regis, *Belæ* scilicet & *Colomanno*, displicuit vehementer: „timebant enim, ne Pater senex Filios de Juvencula generaret.„ Tabulas Dotales in Hungaria prid. Idib. Maji exaratas adducit *Joann. Baptista Pigna* Histor. Atestin. Libr. II. p. 155. Connubiô in Mensem Junium ingredientem dilatô. Idem verò, qui mox, *Paduanus*, nonnullis aliis interpositis, ad Annum sequentem ita prosequitur, Reginam hanc novissimam, gravidam ex Rege jam fatis functo, timore Privigni sui *Belæ*, assumto habitu virili, fugisse. *Albericus* pariter ad Ann. 1235. habet: „*Andreas* „Rex Ungariæ moritur, & sepelitur in Civitate Waradino.„ Quem obitus calculum sui Regis, Ungari pariter Scriptores ex *Turoczio* subducunt.

Chronicorum error. L. Plurimum itaque justa ab Epocha denuo exerrant pleráque Chronica Patria, & *Australe* Freherianum, *Pezii*que *Salisburgense*, dum Adventum Imperatoris in Germaniam, irruptionem novam Ungarorum, & Bohemorum in Austriam, *Andreæ* mortem, unum in Annum 1236. conjiciunt, solemni sua, rerum, temporúmque confusione. Postremum *Pernoldi* nostri Assertum, Ducem nostrum in Ungaria multis ita placuisse, ut eum Regem optarent, & *Belam* ei lividum fuisse, hunc propter affectum, Anno mox altero tum ipse uberiùs edicet clariúsque, tum ego alieno testimonio, ut rem nostris rursum planè neglectam, comprobabo. Hìc mihi commemorandum restat, *Fridericum* nostrum, dum Aprili mense Imperatorem in Stiria exspectaret, Carthusiæ Seizensi tradidisse quinque Mansus in Villa, quæ dicitur Lasniz: quas in manus ejus resignaverat Domina *Sophia de Leumbach*, ita satisfactura pro damnis, quæ Maritus ejus *Chunradus* huic Ecclesiæ intulerat. Chartam sub-

Dux noster favet Carthusiæ Seizensi.

sig-

ſignavit *in Petovia v. Kal. Maji An. Incarn. Dominicæ MCCXXXV.* Edidit eam Cl. *Bern. Pez.* Cod. Dipl. Part. II. p. 87. n. 149.

Annus 1236.

LI. HEnricus Rex, Diris Pontificiis laborans, ac propter Literas *Gregorii* Papæ ad Principes, ſuprà commemoratas, omnibus Adjutoribus exſpoliatus, acquievit Conſilio ſaniorum, Patríque ſupplex factus, *Conſilio habito*, ait *Godefridus* Colonienſis, *VI. Non. Julii apud Wormatiam in Gratiam Patris recipitur.* Juſſerat eapropter Pontifex Epiſcopum Ratisbonenſem, ut Regem anathemate exolveret, *Raynaldo* teſtante. Inquit autem *Godefridus* ulteriùs. ,Sed non perſolvens, quæ ,promiſerat, nec reſignans Caſtrum Drivels, quod habuit in ſua ,poteſtate, juſſu Patris Imperatoris eſt cuſtodiæ mancipatus., Alii eundem veneni, quod Patri paraverat, convictum ajunt. Nec tamen è converſo deſunt, qui de eo hac in cauſa benigniùs opinati, in medio, quàm rectè Pater Auguſtus egerit, relinquunt. In quibus eſt *Anonymus* ille *Golſcheri* Proſecutor in Geſt. Archiep. Trevireñ. apud *Eccard.* Scriptor. II. col. 2230. inquiens. ,*Henricus* Rex Filius Imperatoris, qui ſe ab anno præterito pa- ,raverat ad rebellandum contra Patrem, de Conſilio Epiſcopo- ,rum, de meliori pace præſumentium, ſe, & ſua, dedidit in ,Gratiam Patris. Quem Pater ſtatim captivatum, & per di- ,verſas cuſtodias miſſum, tandem in Apuliæ partes relegavit. --- ,Fecerit hoc Pater, quo voluerit, animo: ſed DEUS hoc feciſſe ,creditur in vero judicio ſuo. Multum enim DEUM offendiſſe ,putabatur in delictis juventutis ſuæ.,

Henrici Regis Captivitas.

LII. Quid interim evenerit *Friderico* Duci noſtro, *Pernoldus* noſter animo candido, ſed non licentiùs, ac par fuit, ſolutô calamô, non ſine peculiaribus notitiis, à me ampliùs firmandis, ita eloqui incipit. Prolixior namque hoc anno, partitis à me paragraphis adducendus eſt. //Mccxxxvj. Rex *Bela*, mox in //principio Regni ſui, rigore, vel juſto, vel injuſto, offendit Un- //garos, adeò, ut bis, & ter, per nuncios tacitos *Friderico* Au- //ſtriæ Duci Regnum ſuum obtulerint. Ille Gloriæ cupidus, //nec ſatis prudenter ob juventutem expendens, quantam rem, //quàm periculoſam, nec ſatis æquam, præſumeret, collegit //grandem exercitum fortium ſuorum, & ſpe Regni ingreſſus //eſt ſilenter Ungariam, ſeditionem exſpectans. Sed *Belæ* Res //prodita eſt: qui viciſſim arma potentia paravit. Quod au- //diens Dux, Ungaris, ſe in vanum vocantibus iratus, vaſtare //& prædari cæpit. Cui ſubitò ſupervênit *Bela*, cum *Coloman-* //*no* Fratre, & ingenti numero. Volebat pugnare Dux ſemper //magnanimus, & ſui nolebant: quia prædam divitem timue- //runt

Pernoldi Narratio.

// runt perdere, & causa eis non bona videbatur. Fugere igitur // Dux coactus, nunquam suos, ut starent, persuadere valuit, // maximo dolore, & pudore suo. *Bela* populatus est usque // Wiennam, nec cessavit, ulturus æmulationem Regni, donec // Auro ingenti à Duce sibi exoluto, pacem fecit. //

Ungari conspirantes in Regem suum, Duci nostro Coronam offerunt, & hanc ipse imprudenter affectavit.

LIII. Conspirationem Ungarorum adversus *Belam*, cujus nullum in Scriptoribus Patriis vestigium, probè novit, neque dissimulavit *Bonfinius* Rer. Hungar. Decad. II. Libr. VIII. p. m. 392. quamvis more suo Annos aut negligat, aut malè frequenter subducat. Prolixus ille causas allegat, ob quas Ungari Regi suo iniqui exstiterint: & è converso illa, quæ pro excusando Rege fideliores ejus querulantibus opposuerant. Inter quæ hoc etiam repositum fuisse ait. „Varia *Belam* à subditis convitia, & contu„melias esse perpessum, &, quod multò gravius fuerat, eos ad„versus Majestatem conjurâsse, *Tabellarium ad FRIDERICUM* „*Austriæ Ducem continuò misisse cum Literis, cui coronam & Re*„*gnum se tradituros pollicebantur, si scripta pacta, & conditiones* „*admitteret*. Tabellarium in itinere interceptum, ad *Belám*que „ductum, omnia cum Literis prodidisse. Regem tamen in „conjuratos non extremo, ut par erat, supplicio usum esse, sed „in eos mitiùs agendô, partim in exilium, partim in carcerem „conjiciendô, à nemine vitam exegisse.„ Quamvis autem postea de ingressu *Friderici* Ducis in Hungariam, déque insecutione ejus, quàm *Bela* fecerat, nihil ampliùs addat, statim ad alia conversus: adducta tamen ejus de conjuratione, Regnîque *Friderico* nostro facta oblatione Narratio, *Pernoldo* nostro perspicuum testimonium reddit, viciſsim ab ipso egregium suffragium referens.

Malè propterea à *Bela* Rege multatus.

LIV. Melius jam intelliges, quid credas, dum in Chronicis Austriacis leges. „*Fridericus* Dux Austriæ, congregato „exercitu contra Regem Ungariæ fugam iniit.„ Item: „*An*„*dreas* Rex Hungariæ, cum duobus Filiis suis *Bela*, & *Colo*„*manno*, congregato exercitu magno, ut dicebatur, ducentis mil„libus, intravit fines Austriæ. Dux verò econtra veniens cum „XXX. millibus benè instructis, antequam ad rem venirent, „exercitus Ducis fugam iniit cum Duce ipsorum, vix CCC. „Viris eos prosequentibûs. Postea Rex vastavit rapina, & incen„dio circumquaque ad Civitatem Viennæ, nemine sibi resisten„te. Quod videns Dux, rogavit ea, quæ pacis sunt. Tandem „pace firmata, Dux recepit Regem in Convivium, & exerci„tus Regis remeavit ad propria. Interea Rex Bohemiæ ex alte„ra parte vastavit Austriam rapina & incedio usque Stadlowe. „- - - *Andreas* Rex Ungariæ obiit.„ Sus déque hìc omnia cubant. Rex *Andreas*, anno priore jam defunctus, resuscitatur ab in-

inferis, ac præsentem in aciem introducitur: quam soli Filii ejus instruxerant. Hospitalitas Ducis in Regem biennio antè exhibita, huc revocatur. Bohemi non interea, nec motu proprio, sed serò, & elabente demum anno, jussu Cæsaris irruperunt. Hæc, ut Fasti Patrii corrigantur.

LV. *Pernoldus* porro noster, dum in Duce nostro imprudentem, & incuriam gravitatis, periculi, æquitatisque præsumtionem in affectatione Regni sapienter ac meritò arguit, ejúsque populationem Ungaricam, fugam, & gravia inde secuta, tam sua, quàm Patriæ damna candidè refert, calamum tamen ita continet, ut à declamatione cavens, sibi ipsi fidem non deroget, neque stili & ingenii licentiâ, aut Reverentiam, quæ Principi, aut moderationem, quæ famæ proximi debetur, infringat. Qui, dum laudant, omne florum genus, dum vituperant, omne genus furorum effundunt, eant ad Rostra: ad Senatum Historicorum, à nemine prudentum admittendi, nunquam aspirent. Sed nec fidem sibi unquam polliceantur, ipsi fidem fallentes: quoniam verborum artificio oculis aliorum ad vivum subjicere volunt, quod ipsi minimè viderunt. Infelix Dux noster his nostris temporibus incidit in calamos, qui hanc, puto, laudem referre cupidi, quam nonnulli *Suetonio* dedêre, quòd, quanta Cæsares licentiâ peccârunt, tanta ille libertate eorum crimina percensuerit, Artem omnem expenderunt, ut in *Fridericum* nostrum Philippicam, Tullianâ nullâ inferiorem, procuderent. Quæ guttatim hauserunt à veteribus, vera, falsa, sine lima judicii, toto flumine convitiorum, nulla detrahendi Religione, in Ducem exonerârunt.

Sapiens *Pernoldi* moderatio.

Intemperans aliorum calamus.

LVI. Veterum Relatione discebant: Ducem fecisse omnia Claustra uno die pariter irrumpi, & inquiri pecunias proprias, & alienas, easque inventas diripuisse. Insuper in toto Principatu suo de unoquoque Manso 60. denarios postulâsse. Postea propter multas insolentias, & enormitates suas, Wiennensem, & alias Civitates, & Ministeriales in utroque Principatu cæpisse se ei opponere. Deinde secutus rapinas, & incendia, & irruptiones Claustrorum, & Ecclesiarum, & Castrorum. Matrem etiam Ducis *Theodoram* propter penuriam Rerum, quam patiebatur, & propter timorem Filii, ne se perpetuò includeret, de Austria fugientem venisse in Bohemiam. Ducem ab Imperatore multis Legatis, & Literis accersitum, velut superbum, & contumacem, venire contemsisse, timentem stultitiam suam, & sapientiam Imperatoris, & eos, qui querimoniam faciebant propter res suas, sibi immeritò ablatas. Nuncium Cæsaris, quo, post Augustæ Vindelicorum factam Ducis Proscriptionem, ei gratiâ suâ interdixit, à suis malè tractatum, tandem jussu ip-

Criminationes Veterum in Ducem nostrum.

ſius dimiſſum. Ita ferè ad literam Chronicon *Auſtrale*, & quicunque univerſos ejusdem apices exſcripſerunt. *Hagenus*, notus jam ille inſulſúsque in pluribus fabulator, ſive primus, ſivo poſt alium quemquam, & ex eo denuo Rapſodi poſteriores, addidêre, *Brunhildem*, ſpecioſam Civis Wiennenſis Uxorem, è publica Chorea, à Duce in eam flagrante inſtituta, raptam ad ſcelus: inde verò ei denunciatum à Civibus, Urbe excederet, vel eſſe caſurum. Chronographi *Salisburgenſis* querela fuit: „Dux Auſtriæ, conſilio Judeorum, Terram Auſtriæ clau-„ſit, nec per terram, vel aquam, Annonam in partes ſuperiores „ire permiſit.„

Harum Exegeſis declamatoria recentium.

LVII. Hìs, veluti percommodo Invectivarum argumento, avidiſſimè hauſtis, illi, de quibus antea, nihil hærebant, hunc in modum calumniari. „ Ducem, ægri propudioſâ pace (cum „Ungaris factæ) & jactura (quam inde pertulit) animi crucia-„tus inducturum deliciis, in libidines ſe effudiſſe. Inopiæ con-„ſulturum Ærærii, in ſpoliandos Cives converſum. Immani-„bus vectigalibus merces oneráſſe, Cives exactionibus, & no-„vis Tributorum nominibus penè oppreſſiſſe. Qui facultatum „ampliorum culpa laboráſſent, aſperiùs habitos. Alibi ſatelli-„tes pecunias, domi Ducem pudicitiam Virginum, & Matro-„narum, expugnatum iviſſe. Quam elegantior forma commen-„dáſſet, ſe in thorum *Friderici* rapiendam conſtituere potuiſſe. „Alias, per contemtum luxuriæ, Sociis ad violandum objectas. „Repulſam dare, aut fortiùs obniti, multis Parentum & Mari-„torum Capitale fuiſſe.„ Omnia hìc ſumma. Sic illi auſi fuerunt, Caligulam, Neronem, Commodum, uno in *Friderico* Auſtriaco reſuſcitare. Quò tamen eosdem non animi propoſita, ſed nimia credendi facilitate, veritatis ignorantia, ac præcipuè effundendæ facundiæ, & oſtentandi ingenii cupiditate abreptos exiſtimo. Quoniam verò Lectores non omnes, ii præſertim, qui minùs exercitati, tanto judicio ſunt, ut Artem à Vero ſecernere queant, committere non potui, quin exceſſum hujusmodi Declamationum notandô, Famæ Principis noſtri, ſimul autem & Veritati Hiſtoriæ, apud multos caverem. Hanc porro ex *Pernoldi* noſtri tractatione ulceratæ hujus cauſæ dimetiamur.

Pernoldi ulterior Narratio.

LVIII. Sic ille anteriora de fuga Ducis, & ſuorum coram Ungaris perſequitur. // Dux, ſuis magis iratus, quàm hoſti, // in utraque Provincia inſolitum imperavit tributum de ſingu-// lis domibus, ut aurum, quod per ſuorum ignaviam perdidit, // ex eorum mulcta recuperaret. Nobiles plures, qui priùs pu-// gnare detrectaverant, humiliavit valde, eorum locò humilio-// res, ſed obſequentiores, exaltans. Cænobia, quæ tributum // ne-

// negabant, propter Advocatos vetantes, per milites & Satellites // coëgit ad solvendum. Mitiora suasit, & rogavit Domina *Theodora* // Mater: sed Dux necessitatem excusavit. Quare illa, seditio- // nem timens, tandem fugit. Exasperati enim subditi ob tri- // buti novitatem, qui etiam nimiùm insolentes in alterutrum, // Ducem rigidè judicantem noluerunt ferre, conjurârunt. Et // sicut, qui conferre Principi ultra consuetum debent, per im- // patientiam fiunt impotentes linguæ, falsa multa, ac turpia, // ab aliis commissa, tanquam à Duce permissa, vel etiam jussa // essent, eidem falsis rumoribus, præter vectigalia, affingentes, // apud Imperatorem alium Dominum petebant. Hic Duci, // quia Dotem non solvit, aliunde arma intentans, libenter con- // querentes audivit, & vocavit illum ad Conventus. Sed // Princeps, cùm sciret jam, non tantùm *Henricum* Regem, // sed & parvos Filios ejus F.*ridericum* & H.*enricum*, qui tamen // nihil peccaverunt, in carcere fame ac toxico necatos, & So- // rorem suam Reginam in Calabris detineri, quamvis Impera- // tor Nepotulorum interitum studiossimè celaverit, ut putaren- // tur vivere, & post mortem Imperatoris à *Manfrido* potiona- // ti: propter hæc omnia valde offensus Dux nec nuncios ad- // misit, nec comparuit. Fuit ergò à Cæsare tanquam contumax // proscriptus, magis autem, quia Dotem non solvit, & ipsum // pecunia, & milite adversus Italos non juvit, quàm propter // justitiam querelarum. Immisit in eum, ipse vadens contra // Longobardos, Regem Bohemiæ, Ducem Bawariæ, & multos // alios ex Principibus, qui Austriam, Stiriam, Carnioliam oc- // cupârunt vastatione ingenti. Hanc Rebelles subditi longè // acerbiùs persenserunt, quàm gravamina Ducis. Hic in No- // va Civitate, quæ expugnari non potuit, furoribus cessit: & // etiam permisit Wiennæ se consulenti, ut Portas aperiret, & // vim declinaret. Sub hyemem ipse Cæsar advênit. //

LIX. Ecce, tetricæ Scenæ hujus, ritè introspectæ, quàm alia facies. Vide fontes, causam & modum rerum actarum, ex quibus unis, quàm benè vel malè gesta sint omnia, rectè discernere licet. Tributa Dux imposuit propter bellum à Cæsare impendens, adque pugnæ detrectatæ correptionem: quapropter dejectio quoque Nobilium, plebeorum exaltatio suscepta. Cœnobia quoque solvere jubebantur necessitatis publicæ ergò, quia Dux commodis privatis communem utilitatem instantem, sibique notam, præhabendam censebat. Obsequentibus vis nulla illata: illuc satellites exactores directi, ubi Advocati Monasteriorum, videlicet Nobiles contumaces, vetabant Principi obtemperare. Procul quidem id abiit à Clementia Majorum, cujus, reor, exempla D. *Theodora* proposuit: sed necessitas, quam inimici Cæsaris timor induxit, legem non ferebat: ne- Quæ expenditur

neque adeò difficilis temporum Articulus ullum anteriorum Ducum involvit. Sic Principum Acta suis motivis nituntur, plerumque arcanis, quæ in publicum nota esse non expedit. Vulgus autem, sensu ambulans, non ratione, & ex Actis duntaxat concludens, suísque damnis vel commodis omnia metiens, animum, ac linquam, præcipiti judicio facillimè commodat. Si qua putet se licentia Principum vexari, protinus & ipsum in omnem licentiam proruit, quæ vires à multitudine accipit. Atque hanc præsentiens D. *Theodora*, & seditionem timens, non metu Ducis, vel inclusionis, neque propter penuriam Rerum, se fuga subduxit. *Fridericus* verò insolentiæ subditorum à jure modum repetens, damnabatur sævitiæ, & improborum crimina in alterutrum, quasi eadem ipse voluisset, eidem imputabantur. Sed hoc pacto, qui Scyllam vitare, ipsi convitiandô apud Imperatorem, contenderant, justo DEI judicio, ut semper fit, inciderunt in charybdim, & acerbas post pœnas hostilium vastationum, spretæ Dominationis gratiam suppliciter quærere cogebantur.

Tributorum novitas, non gravitas, tumultum peperit.

LX. Non *Pernoldus*, non ego, Ducem rectissimè egisse, tuemur. Continere debuerat ambitum Coronæ Hungaricæ: sic aurum & suo, & Patriæ bono servâsset. At verò post jacturam, novis armis Cæsaris jam denunciatis, novo bello nervus novus, Ærario opes congruæ quærendæ erant: quas cùm sponte nemo offerret, postulatione parandæ fuerunt. Non infit *Pernoldus*, immane, vel non ferendum, sed insolitum duntaxat Tributum ab ipso imperatum esse. Novitas ergo, non gravitas, peperit subditorum tumultum, causa sanè non illico æqua. Principis certè est, uti curare Rempublicam, ita pariter opportuna curæ remedia adhibere, quæ tempori & necessitati conveniant. Rectè ergo, ut arbitror, *Pernoldus* noster in subditos potissimùm Ævi illius calamitatem refundit, ac prudenter advertit, eosdem pœnam vastationum longè acerbiùs, quàm gravamina Ducis, persensisse. Quales illi sub Duce suo fuerint, optimè colligas ex elogio, quod eis Chronicum *Augustanum* à morte Ducis ad Ann. 1238. attribuit. *Quilibet Nobilium*, inquit, *immo magis ignobilium, nec DEUM, nec hominem reveritus, quæcunque volebat, faciebat.*

Proscriptionis causæ variæ à variis perperam allatæ.

LXI. Proscriptionis causas alter altero acerbiùs, sed & insulsiùs, ut ad quemque fama pervenerat, exposuit. Sic ad phrasin Chronici *Australis* suprà adductam, *Fridericum* videlicet, ut superbum & contumacem, venire ad Imperatorem contemsisse, quòd stultitiam suam, & Sapientiam Imperatoris, & eos, qui quærimoniam faciebant propter Res suas sibi immeritò ablatas, timeret: addit *Augustanum*, „eum hominem severum, in judi-

„cio

, cio districtum & crudelem, magnanimum in preliis, in thesauris congregandis cupidum, terrorem suum sic fudisse super indigenas, & vicinos, ut non solùm non diligeretur, sed ab omnibus timeretur. Nobiles & meliores Terræ oppressisse, & ignobiles exaltâsse: Edicta *Friderici* Imperatoris, inimicitias Principum contemsisse., *Godefridus* Coloniensis ait: , Eum propter multiplices excessus & facinora fama publica laborâsse., Lepidissimè Anonymus *Leobiensis* seipsum confundit, primùm apud Cl. *Hier. Pez.* Col. 804. sic referens de Cæsare. , Hic Imperator Anno 1238. transit per *Leuben* Civitatem Stiriæ, quia vocatus fuerat ab Australibus, ut provideret eis de Duce. Nam Ducem eorum *Fridericum*, Filium *Leopoldi* Ducis, fatuum esse dixerunt. Sed Imperator eundem satis prudentem, & strenuum considerans, contra Australes indignatus, sine determinatione recessit., Mox verò Col. 813. Chronici Australis cantilenam recantat: , *Fridericum* Stultitiam suam, & Sapientiam Imperatoris, ac querimonias timuisse.,

LXII. *Huldericus Mutius* Scriptor Helvetus Seculi XVI. ineuntis, à multis laudatus, in Chron. Germaniæ Libr. XX. apud *Pistor*. Tom. II. p. 819. de Cæsare loquens, criminationem Ducis nostri alio ex capite instruit, ajens. , Quantum per Rerum statum, & conditionem temporum licuit, Rebus per Italiam ordinatis, revertitur in Germaniam, & Arces multas in Austria dejecit ex montibus: nam prædones in illis habitabant, qui rapinis victitabant, nullúmque iter erat tutum. Propterea Reipublicæ præsens pestis erant hæc Castra: incremento enim Civitatum impedimento maximo sunt. Proximo anno ante Adventum Cæsaris in Germaniam, Boëmiæ Rex, & Dux Bawariæ, invaserant hostiliter Austriam, consensu & jussu etiam Imperatoris: *nam Dux Austriacus fovebat illos prædones*. Quare, post dirutas Arces, sæpe ad Conventus Principum citatus, non venit, nuncios, & Literas Imperatorias contemsit, vel, quod magis credendum est, judicium timuit: neque enim habuit, quod accusatoribus responderet. Monasteria enim, & Ecclesiarum bona diripuerat, ac dilapidaverat in omni genere luxus, exactionibúsque non ferendis exhauserat subditos. Quamobrem subditi ejus per totum Ducatum exceperunt *Fridericum* (Cæsarem) ceu Liberatorem à sævissima tyrannide.,

Criminatio nova in Ducem.

LXIII. Vide, quomodo nòn refugiam, partem alteram ad satietatem audiri. Tuæ prudentiæ sit, arbitrari, quantum hæc Testimonia conveniant. Convitiantur quidem omnes, fama omnibus imponente: facti tamen rationem, quæ Duci suberat, nullus intellexit. *Pernoldus* noster Dotem Cæsari negatam, & auxi-

Veræ causæ Aversionis à Cæsare apud eum, & subsecutæ Præscriptionis.

auxilium contra Italos neque pecunia, neque milite impensum, veras Proscriptionis causas exstitisse, querelas porro, in Ducem contortas, colorem duntaxat fuisse tuetur. A quo etiam discimus, Aversionem ejus à Cæsare, ex crudeli nece, non solius *Henrici* Regis, sed innocentium quoque Filiolorum ejus, Reginæ præterea detentione apud Calabros, profluxisse. Quorum omnium nihil boni Scriptores nostri somniârunt. Tanti refert, priusquam ritè pronuncies, providè in causas penetrare, aut verò, si has investigare non detur, sententiam premere. De Dote contentionem fuisse, satis antea docui. Subsidia adversus Italos solicitè undique conquisivisse Cæsarem, innuit *Godefridus* Coloniensis ad Ann. 1236. „Imperator (inquit) veniens „Confluentiam, inferiorum partium militiam invocat contra „Longobardos: sed paucis sibi annuentibûs, Mili .s de Suevia „& Alsatia sibi assumit.„ Occisionem *Henrici* Regis, ac Filiorum ejus, quorum postremorum necem Imperator, teste *Pernoldo* nostro, tam studiosè celari procuravit: ut putarentur vivere, ac post mortem demum ejus à *Manfredo* potionati, i. e. veneno potati, quin tamen cavere potuerit, ne Dux noster è vestigio eam resciret, utique vel ipsius Reginæ, aut eidem fidelium operâ, sanè fide digna relatione enarrat Reverendiss. D. *Gregorius* de Laude, aliàs de Lauro, Abbas Cisterc. Sagittariæ ex Congregat. B. V. utriusque Calabriæ, in Apologia B. *Joachim* Abbatis Neap. in fol. edita An. 1660. Cap. XL. p. 115.

Occisiò *Henrici* Regis, & Filiorum ejus gravibus Testibus probatur.

LXIV. Hic initio retulit, *Henricum Kalam*, Nobilem & Illustrem Virum, Cæsari *Friderico* propinguitate junctum, & in Palestina Comitem, ibique defunctum, tanta gratia hunc apud Imperatorem valuisse, ut super ejusdem obitu Relictam Conjugem hac Epistola, ex *Tabulario Ducis Diani* eductâ, consolaretur. „Foris: *Lucretiæ Ruffæ Affini nostræ.* Intus. FRIDERI„CUS Romanorum Imperator, & Rex Siciliæ, Dilectæ Filiæ, & „Affini nostræ *Lucretiæ Ruffæ* Salutem. Ingenti nostro mœro„re ab humanis exemtus est *Henricus* Vir tuus in Civitate San„cta prope Domini nostri Sepulchrum. Ipse è cælis tuetur te, „Natósque tuos: quos ego ut Filios Paterna charitate usque di„ligam, usque fovebo. Consolare igitur, & vale. Jerusalem „Idibus Aprilis 1229.„ Hæc præmisit, ut lucem sequenti Narrationi accenderet, quæ præsens argumentum meum illustrat, quamque ille *Georgii Fotini* Calabri verbis facit, in ejus *Chron. Regni Neapol.* contentis: quod ex Rapsodiis Regni, Chronicis Cassinensibus, & fide dignis Scriptoribus constructum, editum fuit Venetiis apud Lucam Antonium Juntam An. 1533.

LXV. Ait ille p. 214. „Tunc temporis, conciliatis Re„bus *Friderici* (Cæsaris) cum Pontifice, condemnavit morte *Hen-*

„*Henricum* Filium, quem genuit ex *Constantia* Sorore Regis Ca„stellæ, & *duos Filios ipsius Henrici*, ex eo, quòd, dum Pater „erat occupatus in guerris Syriæ, fovit partes Longobardorum, „& Pontificis. Miser ille cum Filiolis statim, quàm intellexit „Adventum *Friderici* (ex Germania nimirum in Italiam, ait „*Abbas de Lauro*, ubi custoditus jam tenebatur, sed viam ela„bendi reperit) contulit se in Calabriam, & latuit diu in quo„dam Palatio Nemoroso, posito in territorio Civitatis *Mamer„tinæ*, quam vocant *Martiranum*. Ubi administrabat sibi, & „Filiis suis, ea, quæ victui erant necessaria, *Henricus Kala* (Fi„lius supradicti *Henrici* Mariti *Lucretiæ*, opem pariter perfugis „addicente *Johanne Kala*, quem Fratrem habuit *Henricus*) Do„minus prædicti Territorii. Sed tandem re retecta, *Henricus* „Rex fuit fame peremtus, & sepultus in Ecclesia majori Cosen„tiæ. Præsidium illud in pœnam Hospitalitatis fuit ablatum ab „*Henrico Kala*, & traditum Mensæ Episcopali Martiranensi. „ Ita *Lauræ* Abbas ex *Fotino*, cùm antea jam adnotâsset, ambos *Kalas*, miseratione ductos, & refugium *Henrico*, atque Filiolis, & alimenta præbuisse, contra statim vulgata Cæsaris edicta, utrúmque severè inhibentia: proditam verò rem Imperatori fuisse, sive per Satellites, sive, juxta aliquos, per Antistitem Marturanensem. Erat is tum temporis, testante Rever.^mo^ *Ughello* nostro Ital. Sacr. Tom. IX. col. 275. sqq. *Philippus*, utriúsque Siciliæ Regni Magnus Cancellarius, Cæsaris gratia magnoperè valens: cujus etiam jussu *Henricum* Regem captum è Germania in Apuliam conduxit.

LXVI. Adjecit Abbas *Lauri*, corpora occisorum Sepulchro, ingentibus lapidibûs supra Metropolitanæ Ecclesiæ Cusentinæ pavimentum prope Ostium, quo itur ad Cæmeterium, à Cusentinis exstructo, fuisse occlusa usque ad Annum Domini 1574. Ubi jussu *Mathei Aquavivæ*, Andriansium Ducis Filii, Cusentini Archiepiscopi, quòd Ecclesiam transeuntibus impedimento esset, penitus fuit demolitum. Refert deinde ulteriùs ex *Jacobo Græco* in Chronolog. Abbat. Joachim Sect. 52. inter horum Suevorum exuvias exstare visam esse sericeam quamdam vestem insignem, ferè dilaceram, quæ majus Corpus, utique Regis, induebat, cum emblemate, referente duas Alas Aquilæ, Auro intertextas, & catenatas insimul, clavisque confixas, ac ex eodem Auro firmatas. Subjicit postremùm ex *Archivio Marturanen. Ecclesiæ* Imperatoris Diploma, subsignatum *Cremonæ Ann. Dom. Incarn. MCCXXXVII. die 10. Mensis Julii Anno Imperii 27.mo* in quo lego. „Porrecta „Celsitudini nostræ Reverendi Episcopi Martirani querimonia „patefecit, quòd *Henricus & Joannes de Kala*, non habentes „reverentiam & respectum ad Concessionem nostræ Serenitatis,

„qua

, qua ejusdem Civitatis Episcopali Mensæ Bona omnia stabilia, prædictorum *Henrici & Joannis*, quæ habebant in territorio, & tenimento Martirani, & Mottæ sancti Salvatoris, ob eorum, contumaciam & inobedientiam, tradidimus., Culpæ eisdem hìc tribuit violationem Interdicti sui, ne quis *Henrico* Regi Filio subsidium ullum præstaret: Et in consequentibus jubet, eosdem severè & exemplariter argui, atque puniri.

Unde *Pernoldi* Assertum plurimùm firmatur.

LXVII. Tam exacta, ab inquilinis Calabriæ Scriptoribus, quibus Provinciæ Scrinia patebant, concorditer asserta Narratio, Monumentis veteribus constabilita, & ideo à me prolixius adducta, sanè plurimùm firmare debet *Pernoldi* nostri relationem, quòd *Fridericum* Ducem nostrum occisio Soceri, ac Nepotulorum suorum ex D. Margareta Sorore, à Cæsare maximè, nec immeritò, averterit. Nil pertimesco, fore, ut quisquam deinceps Scriptoribus, illa à provincia, ubi contigit miserorum fatum, longissimè distantibus, ampliùs credat, quàm domesticis, dum alii tertio, quarto alii, alii quinto demum anno *Henricum* Regem interriisse, Filiolos verò ejus nonnisi Cæsare jam defuncto, per *Manfredum* occisos esse tradiderunt. Vaga certè Narratio *Benevenuti de Rambaldis*, in Commentario ad Comœdias *Dantis*, jam aliàs laudato, ex varia, quam hausit, notitia dubiè depromta, profectò ulteriùs obtinere non potest, dum loquens de Imperatore, ac Filio Rege infelici, scribebat, , Et breviter ipsum captum tradidit carceri cum duobus Filiis, , ubi inter catenas, & multa incommoda mortuus est. Alii , tamen scribunt, quòd *Fridericus* (Imperator) pœnitentia ductus, misit proFilio, ut conciliaret ipsum sibi. Sed *Henricus* dum , duceretur in via, timens, ne Pater crudeliùs tractaret eum, , cujus crudelitatem jam satis fuerat expertus, præcipitavit se simul cum equo de quodam ponte, sive saxo, & sic infeliciter , exspiravit., Quid colligas è tam diversis narrationibus, & quòd omnes, cum *Henrico* Patre, etiam Filiolos ejus simul in carcerem trusos asseverent, postea tamen Patris duntaxat solius mortem commemorent, nisi, quod *Pernoldus* nos docet, Imperatorem studiosissimè occuluisse maximè parvulorum necem, ut usque ad mortem ejus vivere putarentur? Verumtamen suprà allata descriptio sepulchri eorum, & exuviarum postea repertarum, dubitationem omnem de eorum quoque internectione omnino aufert. Cæterùm nunquam Cæsarem ad Reconciliationem Filii animum adjecisse, quod *Benevenutus* apud nonnullos legit, clarissimè comprobat ipsius Epistola ad universos Principes, Prælatos, & Clericos Regni Siciliæ, super morte illius scripta, quæ apud *Petrum de Vineis* Libri IV. ordine I.ma est, & qua animam ejusdem sanctis suffragiis commendat, inque cæteris ita habet. , Misericordiâ pii Patris, severi Judi-

, cis

, cis exuberante judicium, *Henrici* Primogeniti Filii nostri fa-
, tum lugere compellimur, lachrymarum ab intimis educente
, natura diluvium, quod offensæ dolor, & justitiæ rigor intrin-
, secus obfirmabant. - - Fatemur siquidem, quòd, *qui vivi Re-*
, *gis superbia flecti nequivimus*, sumus ejusdem Filii nostri casu
, commoti &c.,

LXVIII. Ducem nostrum Augustæ Vindelicorum proscriptum esse, tenet: sed in Conventu, & quod majus est, per sententiam septuaginta Principum id factum, iterum confusio. Hoc námque de *Henrici* Regis dejectione Moguntiæ asseruit *Aventinus* exquibuscunque Veteribus: alii, per incuriam lectionis, ad *Fridericum* nostrum transtulerunt. Executio Sententiæ à Cæsare, qui sibi Longobardiam edomandam assumsit, commissa est multis. Nam *Wencerlaus* Rex è Bohemia: inde *Otto* Bavarus, cum *Rudigero* Episcopo Pataviensi, Austriam superiorem adorti sunt. Patriarcha Aquilejensis, cum Archiepiscopo Salisburgensi, ac *Bernardo* Duce Carinthiæ à meridie invaserunt: memorant & Ratisbonensem, & Frisingensem Episcopos. Quo fructu? Compendio eum edicit Chronicon Australe, subdens: *Qui tamen nihil profecerunt, nisi quòd terram rapina & incendio vastaverunt.* Nónne hoc denuo idem cum sententia *Pernoldi* nostri, post parem vastationem enarratam, addentis. *Hanc Rebelles subditi longè acerbiùs persenserunt, quam gravamina Ducis.* Et Bavari quidem, sibique adjunctorum Præsulum, conatum omnem Lincium invictè delusit: quod nulla arte capere potuerunt. Bohemiæ Regi *Dubravius* amplum & magnificum elogium adornat, sed sublesta admodum fide, Histor. Bohem. Libr. XVI. p. m. 128.

Proscriptio Ducis nostri.

Executio sententiæ.

LXIX. , Postremùm (de Cæsare ait) curam ei (*Wences-*
, *lao* Regi) cum Principe Bavarorum invadendæ Austriæ man-
, davit: in qua *Fridericus* Dux captum *Henricum*, Cæsaris Af-
, finem in Arcem quamdam injecerat, nec inde dimittere eum
, volebat. (Novum Principis nostri crimen, quod omnes latuit)
, Hæc mandata Cæsaris Rex eò lubentiùs, maturiúsque exequen-
, da suscepit, quòd idem *Fridericus* Austriacus, quum viribus
, totis non auderet, furtivis tamen excursionibus lædere Mora-
, vos, aut Bojemos, non cessabat. (Antiquus error contra omnia
, hactenus à me constabilita, cùm ipse *Dubravius* antea commen-
, tus fuerit, Principem nostrum coadunato è suis copiis, & om-
, nium Affinium & Vicinorum Auxiliis exercitu, cujus Duces
, fuisse plures Principes asseruit, Bohemiam adortum fuisse.)
, Sed nec Bavarus in mora fuit cum Bavaricis, Suevicísque ag-
, minibus, vastare cum iis Austriam statim à finibus orsus. (Cur
, vastre? quare non occupare? Proscripto enim eripienda Re-

Executorum præcipuus Rex Bohemiæ.

, gio, ut ipſe luat, non deſtruenda, unde ſubditi patiantur. Et , quomodo non facillimè occupetur provincia, in qua omnes Do- , mino ſuo Rebelles, uti de universa Auſtria confictum eſt, alium , Principem flagitant?)

Capitur Vienna: Nova Civitas expugnari non potuit.

LXX. At verò ſeipſum corrigens *Dubravius* ita pergit de Bavaro. , Mox Bojemo conjunctus, præſidia Arcibus impoſi- , ta depellebant, Oppidáque alia pugnandô, alia per deditionem , recipiebant. Exercitum deinde ad Urbem Viennam admove- , runt, modico præſidio munitam: quoniam *Fridericus* omnes , vires ſuas ſecum ad *Civitatem*, quam *Novam* vocant, transtu- , lerat, ei loco potiſſimùm fiſus. Ad quem cùm Viennenſes , miſiſſent nunciatûm, quòd, niſi celeriter Urbi foret ſubven- , tum, actum de illa iri, juſſit renunciari: *Tempori ut cederent*, , *rebúsque ſuis, quò meliùs ſcirent, modò conſulerent.* Tunc Regi , *Wenceslao* ſe tradiderunt. Itum hinc ad oppugnandam No- , vam Civitatem, mœnibus, foſſis, copiis, commeatu, atque , omni tormentorum paratu munitiſſimam, inſtructiſſimám- , que. Ibi quando nihil ſuccedebat, ſed omnis conatus fruſtra , eſſet, oppugnare illam, obſideréque deſtiterunt, firmatáque , præſidiis Viennâ, & Caſtris, Oppidíſque inſignioribûs, Rem , in Auſtria geſtam ſuo ordine Cæſari expoſuerunt. Atque ille , partorum omnium tutelam fidei Regis *Wenceslai* commiſit, , quoad *Fridericus* in gratiam non redierat, amiſsáque non re- , cuperaverat, adnumeratis priùs *Wenceslao* viginti Aureûm Num- , mûm millibûs, quàm de Vienna decederet. Quam ſummam , ille confeſtim inter ſuos, qui aderant, pro ſua cujusque con- , ditione promtiſſimè diſtribuit, non tam ambitione ductus, , quàm ingenita quadam ad liberaliter agendum naturæ ſuæ in- , clinatione.,

Notatur *Dubravius.*

LXXI. Chronica vetera diſertè teſtantur, Cæſarem, cùm ipſe Viennam Menſe Decembri adveniſſet, primùm *Eckebertum* Epiſcopum *B*abenbergenſem, cum Burggravio Nurembergenſi, Præſule antem defuncto, poſtea Comitem *Eberſteinium* Auſtriæ regendæ præfeciſſe. Fallit ergo, Regi Bohemiæ hanc Provinciam concreditam, niſi fortè usque ad adventum Cæſaris, nequaquam verò, quod ex *Dubravio* ſtatim audivimus, usquedum Dux noſter recuperaverit omnia, jámque in gratiam Auguſti redierat. Audiemus námque, Regem poſtea ab Imperatore averſum, Ducíque noſtro conjunctum, hunc ad recuperationem ſui Ducatus ſtrenuè adjuviſſe. Unde nova confuſione Chronographus iſte, quamquam ei *Pulkawa* Bohemus præiverit, Aurum, quo olim Princeps noſter à *Bela* Hungariæ Rege pacem emere debuit, *Wenceslao* Bohemo perſolutum recenſuit. Quod cùm planè ita ſit, aureæ quoque Liberalitatis elogium,

Regi

Regi suo acclamatum, nisi is alia qualibet occasione in hanc munificam profusionem delapsus fuerit, cum verbis ejus in ventum abire necesse est.

LXXII. Mihi restant hujus Anni terna Diplomata, à Duce nostro in favorem Ecclesiarum edita, qualia in hoc turbine, quo involutus erat, vix exspectaveris: quæ proinde & ipsa flumen convitiorum, maledicentiâ calami in eundem ferè absque religione effusum, haud parum retundunt. Primùm dedit *Conrado* Episcopo Frisingensi pro quingentis Marcis argenti, quas Pater ejus Ecclesiæ pro Feudo quodam Marchionis Istriæ adhuc debebat, Forum Aspach, illud in pignus usque ad eliberationem supponens. Conclusio talis est. *Ad cujus rei memoriam præsentem paginam Venerabilis Domini nostri Archiepiscopi Salzburgeñ. & Nostri Sigillis jussimus communiri. Datum An. Incarn. Domini MCCXXXVI. VIIII. Indict. Mense Julii.* Qua occasione, & ubi locorum hoc turbidissimo Anno cum Archiepiscopo convenerit, non facilè liquet. Quamvis enim in vetera Chronica nonnulla irrepserit, inter Executores primos Proscriptionis fuisse pariter Archiepiscopum Salisburgensem, & Episcopum, Frisingensem, ego tamen illud vel hujus Diplomatis fundamento non arbitror. Quis enim sibi facilè persuadeat, in hostico, perennantibûs armis, conventiones tam amicas celebrari, illudque in pignus acceptari, quod supponenti, præsenti executione, jussuque Cæsareo, è vestigio eripi debeat? Sic historia Ducis nostri proscripti cum judicio expensa, nullibi cohæret. Cæterùm Diploma præsens legere licet *Hist. Fris. Tom. II. p. 15.* ex autographo transcriptum.

Diplomata Ducis nostri pro Ecclesiis in hoc medio turbine.

Pro Frisingensi Episcopo.

LXXIII. Alterum expedivit Monasterio S. Crucis Austriæ, edente Cl. *Bern. Pezio* Cod. Dipl. Part. II. p. 91. n. 135. Cui Cænobio, *intuitu DEI præcipuè, & ob reverentiam Sanctorum in Monasterio S. Crucis quiescentium, nec non propter Merita & servitia Eglolfi Abbatis*, concedit possessionem *Sulz*, quam olim *Henricus de Medlico* Dux possederat, & in quam ipse successit. *Datum in Medliko XV. Kal. Novembr. Ann. Dom. MCCXXXVI.* Tertiò favit Mellicensibus, eisdem recognoscendô Jus plenum eligendi Clericum, eúmque præsentandi in Ecclesia S. Martini in Medlich, & fatendô, se in hoc Jus nullum, & potestatem habere. *Datum apud Novam Civitatem III. Id. Novembr. An. Dom. MCCXXXVI.* Vide Cl. *Hueberi* Austriam p. 21. n. 2. & edic præterea, si candidus fueris, quo pacto teneat, *Fridericum* nostrum Ecclesiis ac Cœnobiis omnibus gravem fuisse? Suos omnes à se resiliisse? Malos largior; bonos nequaquam, tutè ipse his è chartis intelliges: nisi dixeris forsitan, Ducem nostrum jam ferè ad extrema redactum, hoc

Pro Sancrucensibus.

Pro Mellicensibus.

pacto gratiam apud suos emendicâsse. Quod verò ne aliter; quàm injuriâ, convitiari queas, anteriora Ducis nostri Diplomata pro Ecclesiis, crebriùs à me adducta, revincent.

Præmonitio ad Lectionem sequentis Epistolæ Imperatoris de criminibus Ducis nostri.

LXXIV. Hìc porro tempus, locúsque est, omnium calumniarum, in *Fridericum* Ducem nostrum alveo pleno exoneratarum, primigenium fontem Retegendi, eam videlicet Epistolam, quam stilo *Petri de Vineis*, Imperator Bohemiæ Regi direxit, cùm ei proximè à se faciendam *Friderici* Austriaci Proscriptionem significaret. Exstat illa inter Epistolas dicti *Petri* Libr. III. n. V. noviss. Edit. Basileeñ. *Iselianæ* p. 386. Novi equidem, quid admoneant Eruditi, causam nimirum, Reipsa malam, ipsa defensione sua pejorem fieri, eò, quòd præcipua ignominiæ capita, quæ aliàs forsitan magna sui parte mansissent oblivione sepulta, ab iis, qui postea adversus Apologias insurgunt, redarguendi causâ plenam in meridiem provehantur. Nihilosecius tamen, fiduciâ veri, ecce, audeo ipse, ne id alii facere cogantur, hanc Epistolam, in qua tota *Friderici* nostri Accusatio, tremenda Declamatione instruitur, integro tenore adscribere, Notis tamen interstinctam, quibûs admoneo, qualiter hìc dicta cum veritate consentiant. Neminem, obsecro, terreat ejus Majestas, qui ita detonat. Etenim in iis, quæ privato affectu, & simultate aguntur, nemo hominum à dolo & simulatione ita exemtus est, ut nunquam eisdem succumbere queat. Alioquin Cæsarum nullus, cùm Imperatoria Majestas omni tempore Augusta & Sacra haberetur, scriptorum calamo vafer, crudelis, & impius depingi debuerat. Quod probè attendens *Pernoldus* noster, non verebatur in fine Introductionis monere, Imperatorem contra Ducem nostrum *pessimè scripsisse, & egisse.* Meminerint præterea, qui hæc legerint, & me pariter in anterioribus advertisse, quàm versipellis animo Cæsar, verba in Epistolis, deditâ operâ, sic frequentissimè composuerit, ut, quod animo minimè sensit, maximè sentire videretur. Oportet profectò, si, quale fuerit factum, æquum, an iniquum, discutere libeat, ingenium facientis non ignorare. Contendo tandem, peramicè ab omnibus, ne de causa Cæsarem inter, ac Ducem nostrum, apud se, ante finem Epistolæ, pronuncient. Ibi enim Imperator, qui semper antea Ducem accusat, tandem seipsum apertissimè Reum agit. Nunc Epistolam audiamus.

Epistola.

Inviti trahimur ad Tuam, & aliorum notitiam Principum adversus HENRICUM (a.) Ducem Austriæ ma-

(a.) *Henricum* pro *Friderico* hìc poni, statim initio scripto huic, tanquam supposito, sublestæ fidei metum affricare, vel insignem errorem Historiæ parere posset, quasi *Leopoldo* Duci *Henricus* Filius natu major, ac impius, non *Fridericus* junior successisset;

materiam publicæ quæstionis afferre: cujus levitas, ducta motibus inconsultis, adeò processit in publicum, & ejus temeritas contra Honorem nostrum, & Imperii Dignitatem, verbo & opere attentata Nos tam graviter provocavit, quòd transire non possumus ulteriùs incorrectos suæ levitatis excessus. (b.) Re vera, quia diliximus Patrem suum, meritò Paterni Servitii cordi nobis est, & curæ, in eundem Ducem, & Filium ejus, favorem Paternæ dilectionis effundere, & affectionem nostram, juxta suum commodum, & honorem, ostendere cum effectu. (c.) Itaque cùm apud Ravennam Curiam indixerimus celebrandam, vocavimus ipsum, sicut cæteros Principes, ut veniret, proponentes, eum Amore paterno recipere, ac fovere. Sed majori parte Principum in multis laboribus & expensis venientibûs à Remotis, ipse, qui opportuniùs venire poterat, suum denegavit accessum. (d.) Deinde nobis transeuntibus Aquilegiam, cùm eum ibidem videre vellemus, vocatus venire pueriliter recusavit. Quod & Nos, habentes respectum ad Paterna servitia, dissimulare voluimus, ætatis suæ moribus adscribentes. Quin potiùs, ut eo non recederemus inviso, contulimus Nos personaliter ad Terram suam Portæ Novæ, quam habebat in Foro Julii. Et ibi moram trahentes, misimus pro eodem, ut, si molestum sibi fuerit, in Civitatibus nostri Imperii Nos vidisse, ad Terram suam pro

cùm interim contrà evenisse, apud omnes in confesso sit. Sinam tamen, Librarium lapsum esse: sed non omnem timorem abjiciam, eum, qui hæc nomina commutavit, uti neque debitè sapuit, neque vigilavit, ita & erroribus frequentibus, immo & liberæ interpolandi audaciæ obnoxium fuisse.

(b.) Fateor quidem, ejus, qui ista scripsisse traditur, Majestatem tantam esse, quæ plurimis fidem summam facere posset, adeo, ut in eam non jurare, capitale existimarent. Verumtamen, qui Imperatoris hujus animum undique duplicem, & studiosissimam verborum compositionem, usu Literarum ejus didicerit, quarum ego plures in superioribus excerpsi, hoc præjudicio liberrimè exibit.

(c.) Nihil æquiùs hac affectione, si Cæsar effectum ejusdem conditioni non alligâsset, quæ æqua non erat, ut infra patebit.

(d.) Curia ista Ravennæ An. 1232. non processit, vetantibûs Longobardis uti disertè perhibent *Godefridus* Coloniensis, & *Salisburgensis* Chronographus *Pezianus*, ac ipse quoque Imperator conquestus est *Gregorio* Pontifici apud *Raynald.* h. a. n. 28. Cur accessisset Dux noster inani sumtu, quò pervenire, ut ipse facilè prænôsse potuerat, Principes mox in egressu Alpium prohibebantur?

pro Nobis accedere non vitaret. Quem venientem, Venerabili affectione recepimus, satagentes, ei verbo & opere complacere. (e.) Tantam insuper sibi gratiam facientes, quòd pro sopienda lite, quam in exactione Dotis suæ Filius noster CONRADUS contra eum jure & viribus attentabat, octo millia marcharum promisimus exhibenda: non ommittentes ei satisfacere de pulchris equis, & aliis donariis, ac libentissimè procurare parati, quæ suis grata essent affectibus, & accepta, ut eum redderemus nostris aspectibus gratiorem. (f.) Nuper autem in Alamanniam venientes, quia de ipso fiduciam habebamus, non dubitavimus, Personam nostram in Terram suam Stiriæ committere, ut ei daretur major de nostra gra-

---

(e.) Ad *Aquilegiam* cum *Henrico* Rege accessisse Ducem nostrum, aliàs ex Chronico *Augustano*, itémque *Salisburgensi* asserui, ita pariter tradente *Pernoldo* nostro: qui insuper asserit, hac occasione eum fœdus cum Rege pepigisse. Quòd si ergo vera sit querela Cæsaris, *Fridericum* nostrum Aquilegiam non accessisse, dicendum sanè foret, Scriptores laudatos principem Locum pro ipsa Provincia, sive Foro Julio posuisse, in quo & *Aquileja*, & *Porta Nova*, hodie *Portus Naonis*, existunt, ubi fatetur Imperator, Ducem nostrum, tanquam in Terra sua & propria, comparuisse. Sed accessum ipsum quod attinet, sine dubio Principi nostro causæ graves non comparendi fuêre, quas & Imperatori cum Reverentia suggesserit, sed hic veluti pueriles explosit. Primùm namque cùm Cæsar à Principibus, & opum, & Militum subsidia, sibi secum adducenda, impensè flagitâsset, Dux autem quàm optimè nôsset, eundem his utrisque non solùm ad refractarios Insubres edomandos, verùm etiam ad vexandam Ecclesiam usurum esse, quod eventus docuit: Cæsari opem ferre, sive addicere, nisi manifestè impium, certè summi periculi Rem esse arbitratus est. Deinde æquissimè sanè pertimuit, ne domi, dum ipse longiùs abesset, discoli subditi, conspirantibûs vicinis, iterum, ut Anno priori, Res novas molirentur. Tandem & aliud aliquid ex his Imperatoris verbis non arguo solùm, sed ferè concludo: *Ut, si molestum sibi fuerit, in Civitatibus nostri Imperii nos vidisse, ad Terram suam pro Nobis accedere non vitaret.* Postulâsse nimirum Imperatorem, ut Feuda sua Dux noster ab eo repeteret, quo eundem, Sacramento recenti sibi dicto, in fœdus, quod optaverat, tantò fortiùs pertraheret: hunc verò, dum contra Ecclesiam Cæsari militare neutiquam vellet, ad evitandum fœdus irreligiosum, declinâsse etiam accessum Imperatoris, insistendô Privilegiis Austriæ, quæ inter, & hæc quoque leguntur. *Dux etiam Austriæ non tenetur aliquam Curiam accedere, edictam per Imperatorem, seu quemvis alium, nisi ultro, [illegible] de sua fecerit voluntate. Dux Austriæ quibusvis Subsidiis, seu servitiis non tenetur, nec esse debet obnoxius Sacro Romano Imperio, nec cuiquam alteri, nisi ea de sui Arbitrii fecerit Libertate. Nec pro conducendis Feudis requirere, seu accedere debet Imperium extra metas Austriæ: verùm in Terra Austriæ sibi debent sua Feuda conferri per Imperium, & locari.* Harum usu gratiarum, maximè in tam ulcerata, quæ Pontificem inter ac Cæsarem tunc vertebatur, causa, Princeps noster odium justum incurrere non potuit.

(f.) Hìc fatetur Imperator, Duci nostro litem de Dote D. *Margaretæ* motam fuisse: cur verò scribatur à *Conrado*, cujus Uxor non fuerat, & non magis ab *Henrico* Rege, in cujus thalamo vixit, quique tunc præsens erat, quando Dux Imperatori colloquebatur, nemo facilè capiet: quin potiùs mendum novum, nec leve, hoc iterum loco cubare fatebitur, maximè cùm ex assertis meis anterioribus liquidò constet, *Henricum* Regem, misso in Austriam Oratore Abbate San-Gallensi, hanc Dotem nostro à Principe postulâsse. Sed largiar denuo hunc merum calami errorem: postulo tamen & mihi è converso tribui, ut arbitrer, Imperatorem, si verè pro sopienda hac lite Aurum Filio promiserit, eo duntaxat consilio pactóque fecisse, si

gratia præſumtio, ac ipſe ad noſtra beneplacita ſe magis obſequioſum & benevolum exhiberet. Idem verò, cùm eſſemus in eadem Terra ſua, non erubuit duo millia Marcharum à Nobis exigere pro guerra, Tibi, & Jlluſtri Regi Hungariæ facienda. Quas quia ſibi non dedimus, dixit, ſe Nobis nunquam, ut antea, ſerviturum: ut quadam violentia non agnoſceret Dominum, coram quo tam improbè loqueretur. Non tamen propter hoc moti nos fuimus, ſed patienter juvenilem ejus diſſimulavimus levitatem, habentes nihilominus in propoſito, ſua commoda promovere. (g.)

Indicta etiam Moguntiæ Curia Generali, convocavimus eum ad eandem Curiam termino conſtituto, prout generaliter & ſpecialiter ſinguli Principum fuerant evocati. Qui cùm præfixo termino conveniſſent, idem Dux nedum venire contumaciter Recuſavit: (h.) quin potiùs cum Campeſtri exercitu, absque noſtra licentia, vel aſſenſu, Terram Regis Ungariæ hoſtiliter, & violenter ingreſſus, adeò tantum

---

Dux noſter Fœderi ſuo accederet, ſibique ſuppetias iret. Quod quia ob cauſas antè allatas deprecatus eſt, quin potiùs, licèt fraude inductus, cum Rege Filio pro Longobardis fœdus iniit, tantum abeſt, litem conſopitam fuiſſe, ut multò acriùs evigilaret, Imperatore ipſo deinceps Actore.

(g.) Conqueſtus eſt Dux noſter, ut facilè auguror, Imperatori, cui contra Eccleſiam non opitulari, ratum apud ſe habuit, damna illa gravia, quibûs initio ſtatim ſui Regiminis Auſtriam ſuam affecerant Hungariæ & Bohemiæ Reges, poſtulans in utrumque vindictam, aut ſaltem, ut ipſe ultionem nón iniquam ſumere poſſet, auri ſubſidia: hoc porro non tam, ut impetraret, quàm ut, graviore momento allato, cur proprios potiùs in hoſtes armis domeſticis indigeret, moleſtam Cæſaris de ſe adjuvando ſolicitationem amoliretur, Hic verò, cùm ab irreligioſi fœderis poſtulatione nulla ratione deſiſteret, credo, Ducem noſtrum conceptis tandem verbis coram Imperatore profeſſum eſſe, DEO plusquam homini obtemperandum eſſe. Quam certè ob rem, apud neminem causâ cadet *Fridericus* Auſtrius, niſi qui negaverit, Imperatorem in Eccleſiam fuiſſe molitum, vel moliendô contra eam, in DEUM offendiſſe. Duci nihilominus noſtro exinde ſubnatæ ſunt iræ Cæſaris, uti jam à me largè probatum eſt, & adhuc probabitur, graviſſimo in omnibus Teſte *Pernoldo*. Cujus etiam Relatu in hoc ipſo intra Stiriæ fines Cæſaris cum Duce colloquio, ille, ut primam irati animi ſui diſtrictionem oſtenderet, imperavit Principi noſtro ſolutionem Dotis, tribus intra unum Annum diebus pro termino conſtitutis, vel ſecus eidem arma denunciavit. Quod verò non modò altiſſimè tacuit in hac Epiſtola, ſed etiam ſe motum non eſſe, ac juvenilem Ducis levitatem patienter diſſimulâſſe, profeſſus eſt, ſemper quippe nolens, ut veræ Actorum ſuorum cauſæ in publicum paterent.

(h.) Curia iſta Moguntina convocata eſt, ut ibidem *Henricus* Filius Cæſaris, & Rex, accuſaretur, condemneretur, ac penitus dejiceretur, eâdem ignominiâ etiam D. *Margaretam* Reginam, *Friderici* noſtri Sororem, contingente. Anne quisquam vitio vertet Principi noſtro, hanc Curiam declinâſſe, ne & ipſe Sententiæ tam nigræ in Socerum ſuum, & Sororem, ſubſcribere cogeretur?

tantum Principem provocavit, quòd, expeditione facta, Imperii fines intravit, non ſine injuria Noſtra, & Imperii læſione, humilians eum ad ſua beneplacita, & mandata. (i.) Interim etiam non contentus quòd conterminum ſibi Regem turbaverat, Principes Imperii, videlicet Te Regem Bohemiæ, Venerabiles, Magdeburgenſem, Patavienſem, Ratisponenſem, Brandenburgenſem, & Frigienſem Epiſcopos, Bavariæ Ducem, & Moraviæ Marchionem, non dubitavit offendere, auferens eis jura, & reditus, quæ in Auſtriæ & Stiriæ Ducatibus poſſidebant. Ad cujus debitam ultionem, tanta moles Principum irruiſſet, niſi, quòd Pacem Imperii turbare vitantes, Nobis & Imperio detulerunt, ſæpe coram Nobis ſpecialiter per Literas, & nuncios, non leves querimonias deponentes. (k.) Delatæ ſunt etiam querelæ multiplices coram Nobis pro parte hominum Terræ ſuæ, quòd juſtitiam & judicium de Terra ſua proſcripſerit, & cum iniquitate foedus iniens, prorſus

(i.) Incipiunt jam criminationes, tantò liberaliùs conglomeratæ, quòd hac ratione Imperator ſuſpicione, ſumtæ de Duce noſtro, privatam ob ſimultatem, vindictæ ſe egregiè exoneraret, & alienas duntaxat injurias ultum ſe eſſe, conteſtaretur. Princeps noſter ſe in bellum Hungaricum ambitu inconſulto oblati ſibi à parte ſeditioſorum Regni pertrahi ſinebat, ut ad Ann. 1236. ex *Pernoldo* audivimus, in quo minimè laudandus eſt. Sed niſi Cæſarem propterea, quod ei ad votum non obaudierit, iratum habuiſſet, infelix hæc ejus Expeditio, & Clades, qua affectus ab Ungaro fuit, intra proprium dedecus, fatúmque conſtitiſſent, neque culpæ publicæ rationem, pœnæque argumentum induiſſent. Valde etenim diſcere averem, quare in *Friderico* noſtro culpam habuerit, abſque facultate & aſſenſu Cæſaris in Ungaros movere, & mutua Ungarorum invaſio finium Imperii, velut injuria, atque læſio Imperatoris, Duci noſtro exprobretur? è converſo autem anterioribùs annis per Hungariæ Regem Nobilium in Auſtria commota ſeditio, itémque Bohemorum irruptio, nullius offenſæ, turbatæque pacis cenſuram promeruerit?

(k.) Hæc periodus, quæ mole Principum offenſorum Ducem noſtrum obruit, ipſa mole ſua admodum laborat. Non *Fridericus* noſter ſcidit orbem, ſed Papæ ac Cæſaris, hujusque item, tanquam Patris, & Filii Regis diſcordia, Præſules Præſulibus, Principibus Principes, pro ſtudiorum in alterutrum diverſitate, commiſit: immo & Subditos à Principe avertit, atque una eádemque in Familia, ac Domo, Parentes ac Filios, Fratres ac Propinquos, Cognatos & Agnatos, animis diviſit. Dux noſter ab Imqeratore non ſtetit, à quo omnes illius Vicini. Hos porro nequaquam tam reverentes Imperii perſenſit, ut, ubi ſe læſos putarent, Imperii pacem turbare vitantes, Cæſari, ut ipſe ſcribit, modeſtè detulerint. Audivimus antehac ſuis annis, Ungaros, Bohemos, Moravos, Bavaros in Auſtriam irrupiſſe, vaſtâſſe, igne ferróque ſæviiſſe. Ubi, quæſo, eorum in Cæſarem reverentia, quam ipſe tamen hìc tam oppidò celebrat? Ubi ſtudium pacis, quod in eis commendat? Solus Auſtrius, illo incuſante, turbavit aquam. Epiſcopos quod attinet, quid Principi noſtro cum Archiepiſcopo Magdeburgenſi diſſidii eſſe potuerit, usque adeò remoto, planè non diſpicio: fortè Salisburgenſem Scriba incurius ponere voluerat, uti & pro Brandenburgenſi Babenbergenſem. Friſingenſem inter ac Ducem noſtrum qui contractus interceſſerint, quæ Transactiones, pacis utique teſtes, adductis publicis Literis edocui. Nihil ergo hac tota periodo moveor.

ſus abjecerit æquitatem. Viduis, & orphanis, quos jure fovere debuerat, moleſtus exiſtens, divites opprimens, pauperes conculcans, humilians Nobiles, & deſtruens populares, diverſis flagitiis afficiens ſubditos, nullam adverſus eos aliam cauſam habens, niſi, quòd pium ſibi eſſe credit, & licitum, quidquid libet. Miniſteriales, & alios infeudatos, quos ab Imperio tenet, tantò graviori perſequitur voluntate, quantò in odium noſtrum, & Imperii, afflictos immaniter ab ipſo percepimus, & quantò de ipſis cogimur dubitare. Datâ igitur per eum effroeni licentiâ luxui, & mente ipſius in omnem viam malitiæ turpiter inquinata, deflorat Virgines, & facit à ſuis complicibus deflorari, Matronas venerabiles dehoneſtat, auferens Filias Patribus, Viris Mulieres per violentiam. Et utinam his contentus, non excogitaret in Patrum Animas, & Virorum: in quorum necem diverſas ſpecies mortis exaggerat, quibûs trucidat miſerabiliùs innocentes. Pro quorum ineffabili malorum cumulo mota fuit ſæpe noſtræ præeminentia Dignitatis. Sed nos, Paterni ſervitii memores, voluimus cum levitate procedere, intendentes à via mala Virum impium Revocare. (l.)

(l.) Terribilis certè Icon iſta *Friderici* noſtri: quam ſi alii, præter hunc Imperatorem, & Scribam ejus *Petrum*, calamo pinxiſſent, Effigiem ejus crederem. Sed hæ manus nimiopere mihi ſuſpectæ, de quibus, Literarum ſuarum infinitis exemplis conſtat, vix alia demum arte ampliùs excelluiſſe, quàm Res quaslibet, ac perſonas, quoties ita è Re ſua fore çenſerent, ſibi ſemper affluentibus verborum grandium pigmentis inficiendi. Nolim jocari, hìc ollam in cacabum pſallere: quamvis Imperatoris hujus hiſtoria carbone immensùm teteriore nigreſcat. Velim tamen eos, qui famam illius invidia majore, quàm culpa, laborare contendunt, ſimilem Duci noſtro opinandi gratiam facere. Non diffiteor, inter tot bella, quibus Auſtria ſub eo flagrabat, multorum fortunas naufragium feciſſe, verumtamen impietate magis tam ſuorum, quàm hoſtilium pariter militum, ac ſubditorum perduellium licentia, quam Ducis jus fásque contemnentis iniquitate. Neque ſpondere poſſum, à lubricitate juventutis eundem penitus immunem fuiſſe: ſed publicum ac proſtitutum ſcortatorem, raptorem, adulterum, inſuper & latronem, carnificem, tortorem exſtitiſſe, non niſi declamatoriè dictum reor, & nunquam convitiatoribus credam. Sit Epiſtolæ huic, per me licet, quæcunque ei debetur, fides & Autoritas: convitia tamen ejus ille ferat *Henricus*, quem initio nominat. Nam *Fridericum* in ea nullibi leges. Mihi gravior, & longè tutior eſt Authoritas *Pernoldi*, teſtantis: „Exaſperati ſubditi ob tributi novitatem, qui etiam, „nimiùm inſolentes in alterutrum, Ducem rigidè judicantem noluerunt ferre, „conjurârunt. Et ſicut, qui conferre Principi ultra conſuetudinem debent, per „impatientiam fiunt impotentes linguæ, falſa multa ac turpia, ab aliis commiſſa, „tanquam à Duce permiſſa, vel etiam juſſa, eidem falſis rumoribus, præter vectigalia, affingentes, apud Imperatorem alium Dominum petebant. Hic Duci quis

Quapropter monuimus eum, benignè rogavimus, ut ad Colloquium præteritæ Curiæ, præterita hyeme indictæ, Augustæ veniret. Ibi de Restitutione status sui, & ipso comparando cum prædictis Principibus, atque Tecum, & abolenda infamia supradicta, eum alloqui, & cum eo disponere volebamus, provisa ei, juxta requisitionem, & velle suum, securitate conductûs de personis, quas, & quot voluit exegisse: illam eidem gratiam exhibentes, quòd, quia dubitabat pro hujusmodi querimoniis diu morari, promisimus ei per Nuncios suos, quòd moram, & reditum, ad suam permitteremus Voluntatem, & quòd eum super objectis ad justitiam nullatenus cogeremus, etiamsi deberemus offensis Principum satisfacere per nos ipsos. Deinde quia apud Augustam Curiam venire noluit, supplicantibus nobis pro iterata citatione sua dilecto Principe nostro Venerabili Archiepiscopo Salzburgensi & aliis Nunciis suis, & acceptantibus, ut apud Agamiensem nostram Provinciam citaretur, indiximus sibi eundem locum, & terminum competentem, in quo apud Agamiam ad nostram

---

, dotem non solvit, aliunde arma intentans, libenter conquerentes audivit, & vocavit illum ad Conventus. Sed Princeps cùm sciret jam, non tantùm *Henricum* Regem, sed & parvulos Filios ejus F. & H. qui tamen nihil peccaverunt, in carcere fame ac toxico necatos, & Sororem suam Reginam in calabris detineri, quamvis Imperator Nepotulorum interitum studiosissimè celaverit, ut putarentur vivere, & post mortem Imperatoris à *Manfrido* potionati: propter hæc omnia valde offensus Dux, nec nuncios admisit, nec comparuit. Fuit ergo à Cæsare tanquam contumax proscriptus, magis autem, quia Dotem non solvit, & ipsum pecunia & milite adversus Italos non juvit, quàm propter justitiam quærelarum., Non opus est, ut his aliud aliquid addam, præterquam, quòd crebra, quæ jam attuli, sacris Locis collata Beneficia, crebriora item, quæ adhuc adducam, luculentè quemlibet revincere debeant, Principem nostrum haudquaquam talem fuisse, qui judicium & justitiam è Terra sua proscripserit, cum iniquitate fœdus pepigerit, neque DEUM, neque hominem reveritus. Sciscitari præterea libet, cùm publica & manifesta peccata, in usum insuper quotidianum deducta, præ omnibus ad Ecclesiæ disciplinam attineant, Dux autem noster, ut antea criminabatur Imperator, in omnes vicinos Episcopos offendens, eos proinde omnes, vel propter detrimenta propria, sibi iratos habere debuisset, sciscitari, inquam, libet, quid sit, quòd nullus horum in eum aliquando fulmen anathematis intorsisse, aut saltem provinciis ejus interstitium Sacrorum indixisse legatur: qualiter tamen Præsules circa, vel sub ipsa hæc tempora, aliis in Regnis, uti Hungaria, Bohemia, Bavaria, fecisse, ex historia certissimum est? Aut, si arma ejusdem ultricia pertimuerint, cur, obsecro, Rem adeo indignam, tremendósque excessus, ad Papam non retulerunt, à quo toties Dux noster, & semper paternè, salutatus est? Diræ postea, cùm Cæsaris gratiam jam iterum plenè possideret, ab *Alberto Bohemo* Canonico Pataviensi in ipsum vibratæ, hujus loci non sunt, quarum Episcopi Principem nostrum undique securum esse jusserunt. Ad Cæsarem recurrisse omnes, quicunque queruli essent, hìc dicitur. Et fateor, ejus est, Principem judicare, sed illum, cujus hostis causâ suâ non existit.

noſtram præſentiam ſe conferret, ibidem de bono ſtatu, & integritate famæ ſuæ diſponere cupientes. Ipſe verò cùm non poſſet vulneratæ conſcientiæ ſuæ nefanda contegere, etſi ſæpius expoſuit, ſe venturum, ſemper illuſit, & Potentiam noſtram in ſuperbia & abuſione contemnens, datus in ſenſum reprobum, & penitus effectus ingratus, cæpit contra Perſonam noſtram, verbo, & opere machinari: ut præter inſidias, quas in captione dudum Filii noſtri *Henrici* in itinere manifeſtè paraverat, cum Mediolanenſibus, & aliis inimicis noſtris, contra honorem noſtrum, & Imperii, moliretur. Sed & nequiter contra animam noſtram excogitans, miſit nuncios ſuos ad Seniorem Montanæ, qui dicitur Aſſaſſinus, promittens ei pecuniam infinitam, ut noſtram læderet Majeſtatem. Alio etiam ſpiritu ſuæ fatuitatis inductus, quod nobis eſt valde moleſtum, non eſt veritus attentare Sanctiſſimum in Chriſto Patrem noſtrum ſum̃um Pontificem, ut ſibi eſſet favorabilis, inducere ſatagendô. Præterea Nuncios noſtros, in ſecuritate ſua & conductu receptos, ſpoliari mandavit. Xenia quoque, per Ducem Roſſiæ nobis transmiſſa, nunciis ejus in contumeliam & injuriam noſtram fecit auferri. Caſtra autem, quæ Ratisbonenſis quondam Advocatus Nobis & Imperio in ſua morte legavit, non eſt veritus occupare. Nec omiſit cuncta præſumere, quæ Nobis eſſent, & Imperio, nocumento. (m.)

(m.) Poſteaquam vafer Imperator jam Ducem noſtrum, cumulô infandorum criminum injectô, quæ in omnes cæteros hominum Ordines nullo penitus diſcrimine perpetraverit, ſummam in invidiam adduxit, & hoc apud eum Regem, cui gratius nihil fore præſumſit, quàm illius audire maledicta, quem dudum hoſtem habuit, & in quem ſtatim etiam Ultor conſtituendus erat: cùm præterea ſpeciem ſat luculentam prætuliſſe ſibi viſus eſſet, ſe non in ſua, ſed aliorum omnium cauſa, judicem agere; tandem, quid ſuam in Majeſtatem à Principe noſtro peccatum ſit, ita annexuit, quaſi id non provocâſſet, ſed æquiorem duntaxat rediddiſſet ſententiam ſuam. Coactus certè, licèt invitus, aliquomodo ſaltem iracundiam propriam fateri debebat, non ignarus, quantumlibet eam celare ſatageret, attamen ſagaciores penitus à ſe falli non poſſe. Confeſſus eſt itaque, ſibi valde moleſtum, Duci noſtro cum Pontifice, Filio Rege, Mediolanenſibus, & aliis inimicis ſuis negotium interceſſiſſe. Sed hic Rhodus, hic ſaltus erat: hæc vera, hæc unica tremendæ ſententiæ cauſa. Ubi mirum, ab Imperatore, qui in aliis creberrimis Epiſtolis, nihil non falſi, acerbi, & propudioſi, ne gravius aliquid conquerar, in

Qui, cùm nec DEUM timeat, ſicut dicit, (n.) nec terrenum velit Dominum revereri, naturæ Reverentiam non obſervans, Nobilem Dominam Matrem ſuam, ſuis bonis omnibus ſpoliatam, de terra ſua turpiter effugavit, & ſi manum in eam mittere potuiſſet, uber ejus infelix homo præcidere minabatur. Et niſi ad Te dilectum Principem noſtrum & Affinem habuiſſet confugium, cum conſilio tuo poſtmodum ad præſentiam noſtram accedens, non haberet, ubi Caput tantæ Nobilitatis Domina reclinaret. Quæ lachrymis apud DEUM, & Nos, clamore continuo querula, non ceſſat, juſtitiam ſibi adverſus tam improbum Filium implorare. (o.) Nec poſſumus ſilentio præterire, qualiter Marchionem Misnenſem, ſibi Sorore ſua nuptui tradita, & in terra ſua Nuptiis celebratis, aggreſſus eſt eos in lecto, & ſurgere non permiſit, donec eos in Manibus ejus omnem Dotem, & Jus, de quibus tenebatur eis pro maritagio, reſpondere oportuit neceſſariò Remiſiſſe, contra ſecuritatem ſibi promiſſam, quòd nullam deberet eis petitionem facere, vel remiſſionem aliquam poſtu-

---

Pontificem congeſſit, hic eum, artifici ſimulatione, ac reverentia, ſanctiſſimum in Chriſto Patrem ſuum perbellè prædicâſſe, ut videlicet rerum ignaros eam in opinionem induceret, ſibi à Duce noſtro ejuſdem perſecutionem per impudentiam ſummam affingi, quem ipſe unicè coleret. Docuit autem, quid verum eſſet, miſerrimus rerum eventus. Quæ cauſatur Imperator de Aſſaſinis, à Duce noſtro ſuam in necem conductis, tale eſt, quale paſſim in invicem, ævo illo, Principes inimici, ſumma cum temeritate, nulláque detrahendi religione, jactabant. Si Nuncii non pro dignitate & fide habiti, ſi Xeniola direpta, ſi Caſtra aliqua occupata, Belli hæc erant, Militúmque inſolentia, non Ducis imperio, teſtantibus Chronicis acta fuêre.

(n.) Nondum ſatis malorum, crimina peſſima fini ſervata ſunt: ut ſcilicet nulla eſſet lex, ſecundum quam Princeps noſter famâ ſuâ mori non deberet. Jactatur, eum dixiſſe, quòd nec DEUM timeat, nec terrenum velit Dominum revereri. Sed quàm longè magis blaſphema, & omni planè Religioni nuntium remittentia dicta, Cæſari imputata fuerint, ejus hiſtoria docet. Ea porro ut excuſent, negent, ac pernegent illius Fautores, ajunt, has calumnias, ipſius & Scriptis publicis, quibùs fidem ſuam apertè profitetur, & Actis Religioſis, apertiſſimè refelli. Pari itaque argumento & ego Famam Ducis noſtri ab hac blaſphemia vindico, per adducta ejuſdem Diplomata, quorum tenore, & religioſiſſimè ſcripſit, & egit.

(o.) *Pernoldi* noſtri teſtimonio, cùm Dux tributum in provinciis duriùs imperaret, & exigeret, *Mitiora ſuaſit, & rogavit Domina THEODORA Mater: ſed Dux neceſſitatem excuſavit. Quare illa ſeditionem timens, tandem fugit.* Ecce, ſubditorum, non Filii, metu, propter ſeditionem, non quia bonis omnibus exſpoliata, quia uberis præciſionem pertimuit, ſe in locum tutiorem recepit. Quanta ergo hujus Epiſtolæ auxeſis? cujus propè omnia, invita planè veritate, per figuram Rhetoricam dicta.

postulare. Metu insuper incusso Ministerialibus suis, quòd nullus evaderet, nisi, quidquid petierit compleretur: ut sibi, & aliis suis intimis, Persecutor & Tirannus, comuni omnium judicio censeretur. (p.)

Quibus omnibus lacessiti, cùm tanta sit ipsius iniquitas, quòd non possit veniam promereri, ad tot querimonias Principum in nostra præsentia replicatas, ad querelas & lachrymas Matris suæ petentis de nostra Sede judicium, ad lachrymosas voces Nobilium, & Popularium, Orphanorum, & Viduarum, & omnium inhabitantium Terram suam, coram DEO, & Nobis clamantium contra eum, attendentes insuper offensas nostras, & Imperii, per eum nequiter attentatas, ad condignam correctionem ejusdem, exigente Justitia, duximus exurgendum, responsuri stulto secundum stultitiam suam, ne sapiens sibi videatur: sed discat per seipsum, qualiter DEUM timere debeat, ac Nos, & Imperium, teneatur omnibus modis revereri. Quæ omnia Tibi, & aliis Principibus nostris, duximus exponenda, ut rei certitudo ad ejus exterminium pateat universis. (q.)

(p.) Nuptiæ Marchionis Misnensis cum Sorore Ducis nostri, tam *Pernoldi*, quàm Chronicorum testimonio, *splendidè & cum pace* actæ fuerunt. Cui asserto nihil horum quæ calumniatur Epistola, uspiam cohæret. Mihi certè Imperator suo se cingulo alligare videtur. Si námque tanta fuêre Ducis nostri crimina, quanta hìc exsplicata sunt, in suam, & Imperii Majestatem, in Matrem, ac Necessarios, in subditos quoslibet, & vicinos omnes Principes commissa: *si talis fuit ejus iniquitas, quæ non posset veniam promereri*, uti statim dicet: *si excessuum Commissorum enormitas*, ut alibi habet, *indignum imperio eum repræsentaverit*: qua religione tam zelans Justitiæ Sacerdos Augustus, Malefactori tanto, ereptas nuper Provincias, se sinente paulò pòst omnes recuperatas, non modò permittere, & amplissimo Privilegio, non sine celebrata fide illius, confirmare, verùm etiam Regiam insuper Dignitatem eidem ultrò adjicere, salvâ justitiâ, quàm Imperator omnibus debet, tam subitò potuit, nullo prorsus testimonio exstante, quid reconciliatus Princeps noster pro Cæsare, pro Imperio tam insigniter egerit, unde etiam Coronam promeritus esset? Hæc qui seria sanáque apud animum suum consideratione combinat, nullo negotio intelliget, quanta fabulâ Imperator Orbem universum fascinaverit, & quomodo privatam suam vindictam exercens, aliud nihil quæsierit, nisi Ducem nostrum, à partibus Pontificis ad suas, metu compellere, aut saltem, ne sibi noxius esset, impotentem efficere. Non voluit eum Cæsar imperio carere: sed è provinciis aliquamdiu occupatis, ac desolatis, belli nervum non capere, quo sibi noxius esset.

(q.) Hanc formam, quæ ex more est, deforis præseferre debuit hoc Judicium, cujus interiùs legem, formámque, ex hactenus dictis omnibus nullam deprehendes. Jam Historia persequenda.

Imperator Viennam jussit esse Civitatem Imperialem.

LXXV. Mox, prædictum ut sensum, animúmque suum, aliorum in oculis, obducto terroris colore, cautè occuleret, serióque rem istam se agere, universis videretur, rigorem magnoperè præseferens, Viennam deinceps Urbem Imperialem esse jussit, Diploma suum, eapropter editum, tremendo iterum exordio auspicatus. Vulgavit hoc dudum *Wolfgangus Lazius* in Commentar. Rer. Viennens. Libr. II. Cap. V. p. m. 66. pluribùs verò resecatis, quæ argumento suo, commendationi nimirum Viennæ, necessaria non esse arbitrabatur. Sed mecum Vir Cl. *Hier. Pezius*, benevolentia non vulgari, communicavit Transumtum alterius Diplomatis, olim à se ex Codice MS^to^ Celeberr. & Antiquiss. Monasterii Hilariensis Ord. Cisterc. Austriæ Superioris extracti: quo idem Imperator decennio postea, *Friderico* nostro jam è vivis ablato, Privilegium Anterius, sigillo suo privatum à Duce nostro restituto, iterum innovavit, prioris tenore integro inserto. Quamquam ego vehementer admirer, plenè reconciliato Duci, támque eximiè postea honorato, nunc porro jam cum Patribus dormienti, easdem adhuc criminationes, quæ eidem antea, cùm Reus haberetur, exprobratæ fuerant, absque limitatione ulla, vel moderatione, denuo intorqueri, atque dudum obductas cicatrices omnes ungue novo indiscreto refricari: quod sanè modestiùs agendum, ego quidem speraveram. Non porro integrum illud affero, sed partem duntaxat illius anteriorem, quæ Ducem spectat, & præsenti argumento deservit, adscribo: residuum apud *Lazium* l. c. legere licebit, apud quem primi Diplomatis subsignatio talis est. *Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCCXXXVII. Mense Aprili, Decima Indictione, Imperante Domino nostro FRIDERICO Secundo, DEI gratia Gloriosissimo Romanorum Imperatore semper Augusto.* Innovationis Exordium ita habet.

Particula Privilegii Cæsarei pro eadem.

FRIDERICUS Secundus &c. Justis fidelium nostrorum petitionibus condescendere cogimur: quas nisi favorabiliter audiremus, quod justè petitur, non obaudire per injuriam videremur. Eapropter noverit tam præsens Ætas, quàm futura posteritas, quòd Cives Wienenses Fideles nostri Culmini nostro attentiùs supplicârunt, quòd, cùm dudum inter Excellentiam nostram, & *Fridericum* quondam Ducem Austriæ & Stiriæ, oborta discordiâ (*), dum iidem Cives ex

(*) Non ait hic Imperator, Cives Wiennenses, Duce ob delicta publica, ob tirannidem, ob contumaciam, ob vicinorum injurias à se proscripto, sibi adhæsisse; sed *obortâ duntaxat discordiâ inter eum, & Excellentiam suam:* quibus verbis certissimum

ex ſervore devotionis, quam ad Celſitudinem noſtram gerebant, Magnificentiæ noſtræ, abdicato ejusdem Ducis dominio, conſtanter & fideliter adhæſerunt, tradentes in Manibus noſtris Civitatem Wiennenſem cum Rebus ſuis pariter, & perſonis, quodam Privilegio noſtro ipſos, & Civitatem Wiennam, duximus muniendam: Idémque Privilegium per Ducem memoratum, poſtquam Gratiæ noſtræ Reformatus, Civitatem Wiennam de Conſenſu & voluntate noſtra recuperavit, (**) ſublatâ in ea Aurea Bulla noſtrâ, qua inſignitum exſtitit, fractum fuerit, ipſum eis Privilegium, Civitate ipſa, poſt obitum ejusdem Ducis, ad noſtrum, & Imperii Dominium liberè devoluta, innovare de noſtra gratia dignaremur. Cujus tenor per omnia talis eſt.

Fridericus &c. Romanum Imperium ad Tuitionem Fidei, & diverſarum Gentium Moderamina, per Eum, qui Cæleſtia ſimul & Terreſtria moderatur, Filium ſummi Regis, qui condit Regna, & firmat Imperia, ſummæ Diſpenſationis munere conſtitutum, ex diſpenſatione Divina, Robur, & Regimen ſuæ Dignitatis, accipit, ut ſubjectos ſibi Populos, in opulentia Pacis, & favore Juſtitiæ foveat, fidem provehat, perfidiam perſequatur, humiles protegat, ſublimes humiliet & faſtuoſos, oppreſſiones relevet ſubditorum, ab improbis & ingratis Dominis, quos exceſſuum commiſſorum enormitas indignos imperio repræſentat, materiam bonorum ſubtrahat, per quæ DEO & hominibus ſe prorſus fecerunt odioſos, & deſuper ſortem juſtorum virgam auferat iniquorum. Eapropter noverit præſens Ætas, & futu-

---

teſtimonium ipſe perhibet, privatam tantùm ſimultatem, non injurias publicas, ſe vindicâſſe.

(**) Ecce, iterum Cæſar fatetur, Ducem *ſuo conſenſu & voluntate* Wiennam, ſic & omnem Ducatum, *recuperâſſe*. Quæ ergo Proſcriptionis efficacia ipſo in animo Imperatoris? Nempe quamdiu Princeps Auſtriacus à partibus Cæſaris alienus erat, capite periclitabatur: ut primùm ad eas ſeſe convertere viſus eſt, ſalvus exivit. Teneo ergo confeſſione propria Imperatoris, quod hac tota Decade, cum *Perſolde*, contendo.

futura posteritas, quòd Nos attendentes, quàm fideliter & devotè Cives Viennenses fideles nostri, universi pariter & singuli, magni & parvi, Nostrum, & Imperii Dominium sunt amplexi, Jugum oppressionis & injustitiæ declinandô, quibus *Fridericus* quondam Dux, à suorum Progenitorum probitate degenerans, oblitus devotionis & fidei Civium prædictorum, contemtâ Imperii & nostrâ reverentiâ, injuriis injuriam contra eos, per fas & nefas, exercens in omnes indifferenter, habens pro judicio voluntatem, ratus, cuncta sibi licere pro libitu, pauperes aggravans, divites inquietans, pupilli causam, & viduæ non admittens, spolia omnium sitiens, & diversas neces excogitans in personas Nobilium, & Virorum quàmplurimum honestorum: Considerantes insuper, qualiter iidem Cives voluntate promtissima, & fide sincera, se Nobis, & Imperio, indissolubiliter alligârunt, & quia nostra interest, comissum Nobis Populum, utpote, qui pro ejus salute, ac de comissa Nobis Reipublicæ Cura, & Universitatis Regimine Generali, tenemur Sumo Regi reddere rationem, potentis dextræ subsidio relevare: Dictam Civitatem, & Cives, in Nostram & Imperii perpetuò irrevocabiliter recipimus Ditionem, ut amodo in nostris Regum, & Imperatorum Successorum nostrorum manibus teneantur, & quòd nunquam, per Concessionem alicujus Beneficii, de Nostra, & Imperii transeant potestate: (*) Quin potiùs speciali nostro & Imperii munimine, Munificentiæ nostræ Privilegiis liberati, & pro bonarum Approbatione Consuetudinum, quasi pro fidei eorum Pignore, velut Murorum propugnaculis muniantur. Satuimus igitur, & præsentis Autho-

(*) Quoniam huic Urbi Prærogativa *Civitatis Liberæ & Imperialis*, hujúsque fortunæ maximæ, ut illa rebatur, *Perpetuitas irrevocabilis, in Pignus* quodammodo *fidei*, tanta verborum ubertate, & energia, summa cum solemnitate adpromissa fuit, adjecta sponsione, *eam nunquam alicujus Beneficii concessione de Cæsaris Potestate transituram:* quàm oppidò se illa delusam experiebatur, cùm, quarto statim anno, eam Dux *Fridericus*, consensu & voluntate sponsoris ejusdem Augusti, recuperatam teneret, hujúsque Privilegii auream bullam avito jure auferret? Ita verba cum rebus in Scriptis hujus Imperatoris conveniebant.

Authoritate Privilegii sancimus, ut amodo in eadem Civitate Judex singularis per nos Reges & Imperatores Successores nostros, Communicato adhoc, si necesse fuerit, Consilio Civium, statui debeat &c. --- Acta sunt hæc -- MCCXXXVII. -- ut suprà.

Nos igitur, qui Fidelium nostrorum Merita irremunerata transire non patimur, --- supra scriptum Privilegium Nostrum, de verbo ad verbum insertum, de Imperialis Præeminentiæ Nostræ Gratia duximus innovandum. -- Acta sunt hæc Dominicæ Incarnat. Año Millesimo Ducentesimo Quadragesimo Septimo Mense Aprili Quintæ Indictionis &c.

Annus 1237.

LXXVI. Confirmat hìc breviter *Pernoldus* noster, quæ in Chronicis Patriis undique leguntur, ajens. //Mccxxxvij. //Postquam reversus est Imperator, qui Urbem Wiennam Imperio // adscripsit, & F. *ridericum* Ducem supplicem frustra exspecta- // vit, ac in Urbe & Austria Rectores posuit: Dux è Nova Ci- // vitate cum electa Militia egressus, hostes variè vicit, fuga- // vit, & cepit. // *Godefridus* Coloniensis, enarratis *Friderici* Imperatoris gravibus Victoris, quibus Anno priori plures Longobardorum Civitates attrivit (neque Ecclesiæ subditis parcens, quod notavit *Raynaldus*) statim addidit. „Imperator Regre- „diens ad Austriam declinat, & apud Viennam nobilem Au- „striæ Civitatem hyemandô, de statu ejusdem Terræ, sibi nu- „per subjugatæ, sagaciter ordinat, & suis munit.„ Uberius Chronicon *Augustanum*, quod alii *Altabense*, alii *Steronis* dicunt. „*Fridericus* Imperator contra *Fridericum* Ducem in Au- „striam vadit, à Civibus Wiennensibus, & quibusdam Ministe- „rialibus invitatus, & hyemavit ibidem, habens secum Princi- „pes Imperii, videlicet *Wenzeslaum* Regem Bohemorum, *Berch-* „*toldum* Patriarcham Aquilegiensem, *Seifridum* Moguntinum, „*Eberhardum* Salisburgensem, *Theodoricum* Trevirensem Ar- „chiepiscopos: *Eckebertum* Babenbergensem, *Seyfridum* Ratis- „ponensem, *Rudgerum* Pataviensem, Episcopos: (omissus *Con-* „*radus* Frisingensis) *Ottonem* Bavariæ, *Burchardum* (lege Ber- „nardum) Carinthiæ, Duces: *Heinricum* Landgravium Thu- „ringiæ, & alios quamplures Comites, & Nobiles. Tunc di- „ctus *Fridericus* Dux, terrore Imperialis fortitudinis non con- „cussus, cum paucis, qui sibi adhæserant, in Oppido, quod di- „citur *Nova Civitas*, se recepit, pro sua defensione, quæ pote- rat,

Imperator Viennæ hyberna ducit.

„rat, exercendô. Imperator itaque cernens, quòd *Fridericus* „Dux parvipenderet illata, nec curaret Gratiam Imperii quæ„rere, recessit ab Austria, relinquens ibi Capitaneos, *Eckeber*„*tum* Bambergensem Episcopum, & *de Eberstain* (hic in annum „sequentem differendus erat) & *de Nurenbercb* Comites, ce„lebrando Festum Dominicæ Resurrectionis Ratisponæ., Laudatô deinde *Eckeberto* à Strenuitate, & Nobilitate Generis, additóque eum Viennæ obiisse, pergit. „Defuncto autem eodem „Anno Episcopo memorato, & Imperatore se ad Apuliam trans„ferente, prædictus Dux *Fridericus* animosior effectus, *Alber*„*tum* Comitem *de Pogen* in Auxilium suum vocat, sicque cum „ipso Comite egressus muros *Novæ Civitatis*, in Campo, qui „dicitur *Stainveld* (ager huic Urbi vicinus ac peramplus) pug„nam iniit cum Wiennensibus, & Capitaneis eorum, repor„tans Victoriam Gloriosam. Capti námque sunt in eodem Bel„lo *Rudgerus* Pataviensis, & *Conradus* Frisingensis, Episcopi & „ex Nobibilibus multi, quos ad Tuitionem Terræ prædictus re„liquerat Imperator.„

Quo abeunte Dux è Nova Civitate erumpens vincit.

LXXVII. Chronographus *Neoburgensis*, & *Australis* cum eo, captionem Episcoporum Adventui Cæsaris perperam anteponunt, de hoc verò pari dictione ajunt. „Tandem Impera„tor per Longobardiam intravit Stiriam, & subjugavit Ca„stra valde munita, & Uxorem Ducis abstulit: quod ei maxi„mum dedecus fuit.„ Pergunt post alia interposita. „Impe„rator intravit Austriam, venítque cum multis Principibus „Wiennam, ibique cum magno honore exceptus est, Filiúsque „ejusRex *Chunradus* per Danubium venit cum magnoComitatu „Principum. Ibíque per tresMenses latitantes, comedentes, & bi„bentes, quæ apud ipsos erant, & nihil aliud utilitatis operan„tes. Deinde Imperator relinquens Austriam, ingressus est Ba„wariam &c.„ Mirum certè maximum, tanto cum apparatu, ex Italia & Germania conscripto, contra Ducem & actum nihil, & effectum. *Adlzreiterus* Annal. Boic. Gent. Part. I. Libr. XXIV. p. 660. §.° III.° non minori stupore defixus, scribebat de Imperatore. „Et sanè tantum quidem traxit Belli Ap„paratum, ut quemvis alium, *Friderico* meticulosiorem, solâ po„tentiæ famâ fuisset debellaturus. - - Et tamen Austrius nihil „territus, cum paucis, quos in fide retinuerat, se Neostadium „recepit, belli impetum moeniis, & præliis levioribus exce„pturus. - - Pro numero Virtus fuit, atque armorum peritia: „quæ *Friderico* Victoriam memorabilem peperêre.„

In Stiria Ducis Uxor abducta.

Cæsar Viennæ inutiliter hæsit.

LXXVIII. Ut quid ergo adunatis viribus Novam in Civitatem impetus nullus? Trojáne fuit, vel Carthago Austriaca, ut expugnari nisi plurimis annis non posset? Suspicabatur Cl. Histo-

Cur Nova Civitas non expugnata?

Historiæ Ducum Stiriæ Author p. 72. Cæsarem vel tacitè adhuc favisse *Friderico*, quem depressum potiùs ad tempus, quàm deperditum vellet: sive Rei summâ ereptâ contentum, exiguam vastæ ditionis laciniam à Duce teneri, nihil pensi habuisse, nec longioris obsidionis metu, cùm ultimæ spei tabulæ pertinacissimæ retinerentur, tempus extrahendum, copiásque atterendas censuisse. Verumtamen Imperator umbratili hoc in theatro fulguribûs duntaxat ludere, non item fulmine conquassare intendit, probè sibi conscius, propriæ duntaxat ultionis expetendæ causâ se agere, non publicam vindictam intorquere. Remordebat eum insontium Nepotulorum *Friderici* Ducis è Sorore occisio, justas in iras, Orbi aliquando facilè probandas, Principem nostrum accendens. Ut ergo scitè omnia sua ad speciem componere studuit, ita & in hac quoque causa, Apparatu, accessuque suo, multis quidem, ne animo graviùs obfirmato pariter sibi obniti auderent, metum fecit: sibi verò ipsi viam percommodam instravit, cùm Dux noster propria virtute, abunde jam sibi cognita, paulò pòst pristinam ad fortunam eluctaturus esset, eidem gratiam vel non rogatam impendendi.

LXXIX. Prætermittenda mihi porro non videbantur *Godefridi* Coloniensis verba hoc Anno, *Fridericus* Imp. ab Au-, stria ascendit usque Ratisbonam, Principibus apud Spiream, ad Colloquium convocatîs. Ubi cùm quidam Principes con-, venissent, ab eo ad Convivium invitantur. Filium etiam su-, um *Chunradum* adhuc puerum, *priùs in Austria Regem Teu-, toniæ designatum*, denuo ab ipsis obtinet approbari. Duca-, tum etiam Austriæ & Stiriæ apud Wiennam Romano Impe-, rio adjecerat: quorum Valentia transcendit LX. Marcarum, Millia annuatim. Sed postmodum eundem Ducatum Duci, Austriæ Remisit, cùm ipsum in gratiam recepisset. Accessit ergo tunc Viennæ hæc Gloria, ut Rex ibi Romanorum primîs votîs renunciaretur, alibi consummandis. *Lazius* in Vienna sua adjicit, huic Urbi, præter Libertatem, ab Imperatore nova quoque Insignia indulta esse: pro Veteri nimirum Deigmate *Albæ Crucis in Clypeo rubro*, nunc *bicipitem Aquilam Auream, coronatámque in Clypeo nigro.* Attamen, uti de simplici Aquila, an à Cæsare venerit, nihil expeditum: ita è converso certissimum habetur, Aquilæ Romanæ & Imperiali, Caput alterum ævo illo adhuc neutiquam natum esse. Coronam quoque omittere debuerat, Sigillis veteribûs Viennæ contradicentibus, qualia & ego Tom. III.tio inter Sigilla Urbium pingam. Eodem quoque Scriptore Antesignano, ulteriori Cæsaris indulto, factum credebatur Academiæ Viennensis initium: cui se opi-

Chunradus Viennæ Rex renunciatur.

An à Cæsare nova Urbis Insignia?

Et Academiæ initium?

nioni Eruditus Auctor *Conspectus Historiæ Universitatis Viennensis* mox in Principio Partis I.ª vehementer opposuit. Hanc verò litem ego meam non facio.

Capti à Duce nostro Episcopi brevì dimissi.

LXXX. Captivitas Præsulum, Pataviensis, & Frisingensis, à Duce nostro facta, postquam Imperator abscessisset, neque aspera, neque diuturna fuit. Nam teste Cl. *Hansizio* Metr. Laur. p. 377. *Rudigerus* Episcopus hoc ipso Anno 1237. tam suo, quàm omnium Canonicorum judicio, *Albertum Behamium* Archidiaconum Patavii expulit. *Conradus* verò Episcopus Frisingensis Frisingæ XV. Cal. Novembris hujus ejusdem Anni Literas publicas pro Monasterio Rotensi expediit: uti lego Histor. Frising. Tom II. p. 15. Principis nostri Chartam de Anno præsenti nullam deprehendi: cui nimirum expellendorum Occupatorum sui Principatus hoc tempore solicitudo una, & maxima fuit.

Annus 1238.

Virtute Ducis conteruntur ac fugantur Stirienses, & Comes Ebersteinius, à Cæsare immissi.

LXXXI. FOrtunam Principis nostri, magnis passibus reducem, ita docet *Pernoldus* noster. // Mccxxxviij. // Licèt Imperator Stirienses, brevì fugatos, & *Ebersteinium* // cum novo exercitu mitteret, apud Tulnam à Duce contritum: F*ridericus* tamen, auxilio Regis Bohemi, qui à Cæsare Recessit, omnes Provincias, magis ultro deditas, quàm // captas, maxima ex parte recuperavit. Erant enim Nobilium affectus vagi, & inconstantes, non jure, sed petulantia // huc illuc moti, & nunquam sibi constantes, semper autem // sibi ipsis malum cudentes. // Totum hoc amplioribus paulò verbis affirmant Chronica, *Neoburgense*, & *Australe*, unius calami exemplo, hunc in modum. „Post recessum (Imperatoris) Dux in brevi quinque Castra vi obtinuit. Deinde Stirienses, conducti ab Imperatore, Austriam intraverant cum „exercitu, ad conservationem Terræ: sed magis venerunt ad „desolationem. Quia in brevi, nonnullis suis interfectis, & „captis, cum confusione ad propria sunt reversi. - - Circa Vindemiam, quæ satis sterilis erat, ipso Anno venit Comes de Eberstayn, cum aliis multis, ex præcepto Imperatoris: cui Dux „occurrit circa Tulnam cum suis. Cui cùm resistere minimè „valeret, reversus est ad Castra sua. Qui Comes in Wienna manens „sine effectu, quia nulli se committere audebat propter infidelitatem, quæ regnabat in Terra.„ Auxilium Regis Bohemi, præfixâ tamen epocha Anni sequentis, ita subnectunt. „Rex „Bohemiæ se opposuit Imperatori: cujus consilio, & auxilio, „Dux cotidie crescendô, intolerabilis factus est hostibus suis, Civitates La, & Ens, & multa Castra obtinuit.„

LXXXII.

LXXXII. His peculariùs illustrandis nihil mihi reliquum est, nisi, ut advertam, Cæsarem, fabulæ, quam luserat, ampliùs nonnihil pertexendæ causâ, novos Duci nostro exercitus obviam emisisse, sic verò comparatos, ut spolia ex eisdem detrahere, non maximo negotio posset. Subditi autem, vagâ inconstantiâ suâ, qua antea Duci, nunc Cæsari, infideles erant, maximè Viennenses, *non jure*, ut *Pernoldus* ait, *sed petulantia huc illuc moti*, quàm animo malè comparati essent, liquidò patefecerunt. Unde prudentum cuilibet tantò rectiùs apud se statuere licet de Æquitate querelarum, quibus Principi suo apud Imperatorem convitiabantur. Interim, ut semper fit, quia Nobiles quasi Capita vulgi sunt, Membra certè præcipua; si ipsi mali, discoli, perduelles fuerint, semper primo impetu secum rapiunt etiam plebem, quò volunt. Dum verò Æstus primus resedit, ac tandem prudentiæ locus datur, maximè si vexatio det intellectum, illa persuadente, facilè turba dissolvitur, quæ priùs concurrit, stultè præsumta damnantur, & contemta priùs Gratia temerè spretæ Dominationis, supplici cum pœnitudine imploratur. Finis rebellium poenitudo.

LXXXIII. In *Catalogo Abbatum Glunicensium*, quod Inclitum Monasterium Benedictinum prope Stiram Urbem est, apud Cl. *Hier. Pez.* II. col. 330. ita in cæteris lego de *Pilgrimo* Abbate. „*Eckebertum* secundum Episcopum Babembergensem „Hospitem habuit: cujus consilio Anno 1238. *Fridericus* Dux „Austriæ & Stiriæ, Monasterium, quod per incendium, casua„liter exortum, magna damna passum fuit, novis proventibus „auxit, simul omnia à Prædecessoribus suis Monasterio collata „Privilegia, Libertates, Exemtiones, & Immunitates confir„mavit„ Quod si mihi chartam ipsam inspicere datum foret, aut saltem ejusdem Transumtum à quoquam redditum esset, certiùs de Epocha justa concluderem, nosémque, qui factum, ut *Eckebertus* Præsul, qui & Anno priori Viennæ jam defunctus asseritur, & si vixisset, Principi nostro tunc hostis erat, Metropolim ejus Viennam Cæsaris nomine servans, hoc Beneficium persuadere potuerit. In hoc nempe adhæreo. Nihil interim ambigo de ipsa Gratia Principis, nisi hoc, certè alio quopiam Anno huic Cœnobio impensa. Dux benefecit Glunicensibus.

LXXXIV. In Italia *Gregorii* Papæ, ac *Friderici* Cæsaris, animi à se invicem quotidie longiùs discesserunt, immensò, quod præ foribus erat, Orbis Christiani malò, quo per terribile, & luctuosissimum, atque diuturnum schisma, Sedisque Sanctæ prolixum in Gallia quodammodo exilium, scindendus erat. Causæ fuerant, quòd Pontifex Palestinam recuperari vellet, & Imperium Latinorum Constantinopoli juvari: præterea Immu- Papæ ac Cæsaris discordia quotidie crescit.

 nita-

nitatem, Causásque & Ordinationem omnium Ecclesiarum, sibi uni relinqui, neque Ecclesiæ Ditiones, & fiduciaria Neapolis, atque Siciliæ Regna, violari. Contra verò Cæsar, qui fidenter scripsit: *Italia mea est*: illuc impetum omnem armorum suorum traduxit, Saracenos, quibus in Apulia domicilium præbuit, copiosè sua sub Signa collegit, Urbes & Respublicas Longobardorum gravissimè attrivit, Seditionem Romanorum fovit, transmarina verò bella quod attinet, ajebat, se Occidentis, non Orientis Imperio præpositum, ac proinde, impacatis domi provinciis, & nolle se pariter, & prudenter non posse pro Palestina, & Græcia belligerare. Verbô, quidquid cuperet, & ageret Pontifex, Cæsari, & quæcunque Cæsar suscepisset, Pontifici suspicionem, ac iram peperêre.

An dissensio ista restitutæ Principis nostri Fortunæ causam dederit?

LXXXV. Multorum idcirco sensus est, hac una decumanæ discordiæ occasione revixisse *Friderici* Ducis nostri fortunam: cùm Cæsaris plurimùm interesset, Principum Germanorum fidem retinere. Atque horum ego subscriberem placito, si pariter faterentur, hanc eandem discordiam, nunc quidem ut maximè crescentem, sed anterioribûs annis Cineribûs adhuc amplioribus tectam, semper tamen gliscentem, illam ipsam causam fuisse, ob quam Imperator Ducis nostri, quem videbat Pontifici faventem, floridam fortunam affligere contendit. Alioquin, si favore fidem emere voluerit, nónne tam indigno, ut præferebatur, tam facinoroso Duce, & insuper sui generis ultimo, penitus ejecto, nova Ducatuum in alium collatione, Statibûs, alium Ducem disertè petentibûs, Clientem sibi longè fideliorem paravisset? Non tam hebes erat sagacissimus Monarcha, adeò Philosophiam, quod ajunt, professus, ut etiam de Avibus, & Animalibus, ipse Libros condiderit: non erat, inquam, tam hebes, ut ignoraret, quod communi paræmia docemur: *Inimico reconciliato ne nimiùm fidas.* Quem igitur jure se penitus ejicere non posse agnovit, redire in pristinam fortunam ultro permisit, ante tamen sic attritum, ne tantum, quantum forsitan vellet, aliquando nocere valeret. Cæterùm Anglici Scriptoris *Mathei Parisii* Glossam intempestivam ad Ann. 1236. Histor. Angl. p. 297. nihil penitus moror, ajentis, vindice DEO factum esse, qui peccata Patrum in Filios, in tertiam, & quartam generationem visitat, ut Princeps noster universis ditionibus exueretur: eò quòd Avus ejus *Leopoldus* VI. *Virtuosus*, Angliæ quondam Regem *Richardum* in vincula conjecerit. Suam huic opinionem relinquo, in quam, ut opinor, non facilè alius quisquam abiturus est.

Mathei Parisii singularis opinio.

An-

Annus 1239.

LXXXVI. OBscuratum diu, & missis hinc inde acrioribus Epistolis, quasi fulguribûs minitans, tonitruisque levioribus immurmurans Cœlum Romanum, tandem hoc Anno primùm Dominica Palmarum, deinde in Cœna Domini terribili cum fragore fulminavit, *Gregorio* Papa in Laterano semel, ac iterum, *Fridericum* Cæsarem, ob recitata quamplurima delictorum capita, Diris Apostolicis execrante, subditos omnes ab Obedientia ejus exolvente, & Loca omnia, quò perveniret, interdicta pronunciante. Quod antequam fieret, Imperator, id indubiè certissiméque futurum prænoscens, jam scripserat Cardinalibus. *Etsi patienter ferre velimus, immanitas negotii non permittit, quin ad ultiones, quibûs Cæsares uti solent, facti violentia nos impellat. Etenim, ut Poëta monuit:*

Gregorius Papa Cæsarem anathemate fecit.

> Leniter, ex merito quidquid patiare, ferendum;
> Cùm venit indignè pœna, dolenda venit.

Quo ab Exordio Cæsarem suum, in publica concione, criminum omnium, eidem à Pontifice imputatorum, penitus immunem, contra verò Papam Judicem, ipso Reo longè nocentiorem demonstrare præsumsit *Petrus de Vineis*, Vir & oris, & calami disertissimi. Non ulla Epistolis, ac Tabellariis quies, Pontifice urgente apud omnes Præsules, ac Principes, ut Imperatoris Execratio, à se facta, in omnibus Cathedris, accensîs cereîs, compulsâtis campanis denunciaretur, sicque diris devoto, consilium omne, & auxilium ab universis undique subtraheretur, sacrîs ubique, quò venturus esset, omissîs. E converso Cæsar Pontifici terribiliter convitiabatur, & quàm citra fas omne, & æquum, contra totum juris ordinem, Papa indomitas in se iras exonerâsset, Principibus, Nobilibus, Plebibus omnibus persuadere conabatur. Inde discordia Orbis, sub qua Pietas, Æquitas, Veritas laborabant, sic regnante affectu, ut nox quodammodo ignorantiæ terram operiret, & vix demum quispiam rectè videret, quid æquius esset. Quare Ducis pariter nostri historiam caligo tam densa infecit, ut nemini hodie contingat, in eadem sine magna errandi formidine lynceum esse. Id, quod ego de Gestis ejusdem sequentibus accipi velim.

LXXXVII. De his porro *Pernoldum* denuo præ omnibus attendere libet. Sic ille. // Mccxxxix. Inter arma & bella Dux // animo insuperabilis Nuptias fecit *Gertrudi* Sorori suæ cum *Hen-* // *rico* Lantgravio Thuringiæ in Nova Civitate Mense Junio. // Wiennenses à Duce undique cincti, & arctissimè conclusi, // perstiterunt hoc Anno in obstinacia sua, nimiùm timentes Ul- // toris

Dux noster inter arma Sorori suæ Gertrudi nuptias fecit cum Henrico Landgravio Thuringiæ

// toris ſeveritatem: licèt ſciverint, quòd *Fridericus* omnes, ſe // humiliter & ſuppliciter tradentes, facillimè ad veniam admi- // ſerit. // De Nuptiis hoc eodem Anno ita pariter Chronicon *Mellicenſe*. „Landtgravius Duringiæ Sororem *Friderici* Ducis „Auſtriæ & Stiriæ, adhuc bellis in Terra ſævientibûs, duxit „Uxorem, Nuptiis in Nova Civitate ſolemniter celebratis.„ Erat *Henricus* Landgravius Thuringiæ & Haſſiæ, Comes Palatinus Saxoniæ, qui Patrem habuit *Hermannum*, Fratrem *Ludovicum*, S. *Eliſabetæ* Hungaricæ Maritum, jam aliquibus annis viduus, cùm biennio antè cum Cæſare præſens Viennæ exiſteret: nec dubium, eundem cum Duce noſtro, contra quem iſte apud hanc Urbem Principum Conventus agebatur, ſecretis internunciis hoc de Connubio tractâſſe. Et ipſi quippe, & aliis Principibus, innotuit fabula Cæſaris: quapropter & ipſi cum eo fictè egerunt. *Anonymus* certè Scriptor *Hiſtoriæ de Landgrav. Thur.* apud *Piſtor.* Tom. I. p. 1327. tradidit, hunc ipſum *Henricum* quamdam Cæſaris *Friderici* ſententiam, Religioni planè contrariam, & ab ipſo in publicis antea Francofurti Comitiis prolatam, dum *Conradi* Filii Regiam Electionem quæreret, arcanis literis Pontifici denunciâſſe. Unde & poſtea, ante omnes, Papæ dignior viſus eſt, quem procuraret contra *Fridericum* in Cæſarem eligi. Probè novi, Cæſaris Fautores contentioſiſſimè tueri, eum ſemper Catholicè ſenſiſſe, ac proinde laudatum *Anonymum* planè falſi redarguere. Sed hujus ego Apologiam non ſuſcipio. Id ſolummodo his è Nuptiis, media inter arma contractis, actiſque, concludo, quod jam toties intuli, Principis noſtri Proſcriptionem, non juſtis de cauſis, eam exigentibus, ſed ex privata duntaxat vindicta Cæſaris, tanquam umbratilem ludum, ſuſceptam eſſe, nec Principes id ignorâſſe. Quid námque magis peregrinum, ne prorſus paradoxum appellem, quàm Principem, Cæſari in Proſcriptionis executione verſanti, ad latus hærentem, proſcripti Socerum, propè in proſcribentis contumeliam fieri? illum colere, quem præſens Imperator modis omnibus execratur? neceſſitudinem ejus ambire, in quem Supremus Monarcha iram, quam poteſt, ſummam actu exonerat? Ubi meritò addiderim, his Nuptiis illud convitium pariter quaſi manifeſtè elidi, quo imputatum fuit *Friderico* noſtro, inque tabulas Proſcriptionis illatum, eum, cùm antea alteram Sororem ſuam Marchioni Misnenſi Nuptui collocâſſet, altero mane, à prima nocte Nuptiali, ante lectum Neo-Conjugum veniſſe, eiſque, ut ſurgerent, non priùs permiſiſſe, quàm omni Doti adpromiſſæ renunciâſſent. Hoc ſi verum fuiſſet, quis Principum Ducis tam inhumani, ac ſanè petulantiſſimi, Socer iterum fieri voluiſſet? His ego argumentis inducor, ut neque in Convitii hujus veritatem conſentiam, neque unquam mihi perſuadeam, Cæſarem Re vera Proſcri-

Nova ex his Nuptiis argumenta pro defenſione Ducis.

ſcriptionem executum, ſed meram offenſam privatam ultum fuiſſe, non ignaris Principibûs.

LXXXVIII. Porro Domina *Gertrudis*, teſte *Ortilone* noſtro, *Leopoldo* Duci nata die 7. Januarii Ann. 1214. nunc, dum nuberet, agebat annum quintum & viceſimum, nequaquam fœcunda prole adoleſcente, vel diu ſuperſtes, ſed antè defuncta, quàm *Henricus* Maritus Romanorum Rex acclamaretur. Cætera hujus Anni Geſta Ducis noſtri, Chronica, *Neoburgenſe* & *Auſtrale*, phraſi eadem ita inſinuant. „Hoc Anno Dux Auſtriæ „cum ſibi adhærentibus magnam copiam frumenti, & vini, col„legit, & reſiſtentes ſibi, in quantum potuit, debellavit. Ma„jores tam in Auſtria, quàm in Stiria fortiter reſiſtebant ei: „quia Ducis fidei ſe committere non audebant.„ Facilè hæc cum *Pernoldi* dictis compoſueris. *Prevenhuebero* interim teſte Hiſt. Urb. Stiræ Libr. II. p. 28. *Fridericus* Dux initio hyemis jam etiam Auſtriam Superiorem ſuum ad officium compulerat, allegatâ Confirmationis chartâ, quam à Principe noſtro *die 6. Decembr. An. 1239. in Caſtro Steyer* pro Glunicenſibus datam aſſeverat. Hanc ego illam ipſam reor, quam anno priori ex *Catalogo Abbatum Glunicenſium* commemoravi. Dominæ Gertrudis Epochæ.

Annus 1240.

LXXXIX. *PErnoldus* noſter ad hunc Annum refert, ut ſequitur. //Mccxl. Hoc tandem Anno Urbs *Wien*//*na*, extrema fame coacta, portas aperuit, cuicunque ſuppli//cio parata. Sed, contra omnem ſpem, à Duce ſumma cle//mentia in gratiam recipitur. Principem diſcrimina, quæ //præterierunt, reddebant mitiorem: & Cives, qui Seditionis //malum finem graviſſimè ſenſerunt, pœnituit turbarum, ut //poſthac obſequentiores permanerent. Interim Cæſar à Papa //excommunicatus, & quærens favorem Principum, Legatos //in Auſtriam, & Hungariam miſit, qui Duci gratiam & pa//cem attulerunt, Ungari verò Regis fœdus quærebant, quod //ille negavit. Sed in Autumno novum bellum Duci cum Bo//hemo ortum eſt: quia Dux Regi, ſi juvaret ipſum ad Prin//cipatum recuperandum, Terram trans Danubium promiſit, //nunc tradere negavit propter vaſtationem, Annis prioribus //in Auſtria factam. Iratus Rex, converſus ad rapinas, citiùs //ingruente magno frigore, coactus fuit reverti domum. Sub //hyemem autem concordia facta eſt, pactîs Nuptîis *Gerdrudis*, //Filiæ Ducis *Heinrici*, cum *Wladulao* ſeniori Filio Regis.// Pernoldi Narratio.

XC. Conſtabiliuntur hæc propè omnia Aſſertîs Chronicorum, *Mellicenſis*, & *Neoburgenſis*, quod poſtremum quoties exſcribo, puta, te pariter Chronicon *Auſtrale*, & Anonymum Zwet- Vienna, & Auſtria tota redivit ad Fridericum: cui

etiam Cæsar Gratiam adjecit.

Zwetlensem audire. *Mellicense* hunc in modum loquitur. „*Fridericus* Dux Austriæ propter frequentes Victorias, quibûs suos „Adversarios crebrò adtrivit, auctus viribûs, *Winnam* poten„ter obsedit: quæ Rerum fessa, ac de salute trepidans, se reddi„dit. Post cujus redditionem, prædicto Duci prosperis succe„dentibûs, Optimates ad eum redeunt, Legati Imperatoris ve„niunt, lætum nuncium, videlicet gratiam Imperatoris, portan„tes eidem.„ In *Cl. Neoburgensi* ita lego. „Civitas Wiennen„sis, ita custodita ab hominibus Ducis, ut vix parum aliquid de„ferretur ad manducandum, & bibendum, in ea manentibus: & „inde factum est, ut modius frumenti venderetur pro septem ta„lentis, & multi homines in terra præ fame interierunt, & ali„qui, ad sublevandam famis inopiam, ut dicebatur, canes come„debant. Vinum etiam valde carum fuit in ipsa Civitate, & in „tota Terra, ut urna venderetur in aliquibus Locis pro duode„cim Solidis. Eodem ANNO Civitas Wiennensis cum tota Au„stria Rerversa est ad Dominum suum Ducem *Fridericum*.

Putatur Orationibûs Cleri restitutus.

XCI. Postquam verò idem *Chronicon*, sed sub Epocha Anni sequentis, delabitur ad enarrandam discordiam Ducis cum Rege Bohemiæ, cujus eandem causam, atque compositionem, uti *Pernoldus*, percenset, hanc in cæteris Periodum interponit. „Deinde, cùm Dux restitutus esset honori suo per Orationes „Monachorum, & Clericorum, ut creditur, quos antè minùs „dilexerat, his peractis, quæsivit Rex à Duce id, quod promi„serat.„ Prætereunda non erat hæc pia primigenii Scriptoris cogitatio, ejus tamen fidei relinquenda. Non malè verò erga Clerum, & Claustra, affectum fuisse Ducem nostrum, nec difficilem ad commoda eorum promovenda, loquuntur, & satis eloquuntur, vel sola illa ejusdem Diplomata, quæ hactenus adducta, mihi innotuêre, cùm sine dubio multò plura, necdum à quopiam vulgata, notitiam meam effugerint. Tanta verò, támque profusa, & supereffluente in Ecclesias pietate, ac munificentia, quanta Pater, eum non fuisse, haud equidem diffiteor. Sed sufficit ei ad laudem, Monasteriis à Parente suo Optimo, alíisque majoribus, collata, eum clementer, quod hucusque frequentiùs vidimus, confirmâsse. Quod ipsum nova quodammodo collatio erat.

Cleméntia Ducis erga Viennenses.

XCII. *Pernoldi* nostri peculiaris Narratio est, Urbem *Wiennam*, extrema fame coactam, *& cuicunque supplicio paratam*, portas aperuisse, *sed contra omnem spem à Duce summâ clementiâ in gratiam receptam* fuisse. Addidit præterea: *Principem discrimina, quæ preterierunt, reddebant mitiorem, & Cives, qui Seditionis malum finem gravissimè senserunt, pœnituit turbarum, ut posthac obsequentiores permanerent.* Egregiè ista confirmant

As-

Assertum *Arenpeckii* scribentis. „Et, acceptâ *Wiennâ*, Cives „magno favore prosequebatur, & eos sincerè dilexit, ac duo„decim eorum Filios in suam Curiam assumsit: quos secum in „Bohemiam duxit, quando Cognatam suam *Gertrudem de Medling*, Filiam Fratris sui, *Wladislao* Marchioni Moraviæ despon„savit: per quod Bellum inter *Wencerlaum* Regem Bohemiæ, „Patrem dicti *Wladislai* ex una, & præfatum Ducem *Fridericum* ex altera parte, concordatum fuit.„ Plurimùm itaque fallebatur, & fallebat *Adlzreiterus* Annal. Boic. Gent. Libr. XXIV. ad Ann. 1238. p. 661. n. 4. enarratis Ducis nostri Victoriis, ita eidem, pervagato plurimorum errore, convitiatus. „*Fridericus* „ea fortuna factus insolentior, cùm nemo foret, qui cursum „Victoriæ sisteret, brevi tempore, quidquid ditione anteà te„nuerat, súsque déque, habita proscriptione, & Austriæ publi„catione, redegit in suam potestatem. Quantum ærumnarum „in universam Austriam invexerit, vix satis potest verbis exspli„cari. Sublata omni, Juris Divini pariter, & humani, Reve„rentia, laxata spatia latrociniis, expilationibus. Nemini sub „lare privato tuta fuit statio. Coacti Cives diffugêre in Sylva„rum avia, & abdita speluncarum. Intra domesticas latebras „deprehensi, exquisitis excruciati tormentis, conjecti in Reo„rum ergastula. Quæ calamitates fuerunt in octennium pro„pagatæ. Tantus furor Principis efferati.„ Sic incautus Viri Clarissimi calamus hoc loco in Ducem nostrum omnino perperam impegit, cùm Animus ejus in lectione inattentus esset. Consimillima quidem sunt lamenta Chronici *Augustani*, & aliorum: at verò non de *Friderico*, ejúsque temporibus, sed illis, quæ mortem ejus proximè consequebantur, uti Decade sequenti patebit. Tantam Historiæ confusionem confusio temporum inducit.

Notatur *Adlzreiterus* graviter halucinatus.

XCIII. *Gertrudem* Medlicensem quod attinet, cautè dixit *Pernoldus*, Concordiam Ducis cum Rege, *pactis* duntaxat, non *initis Nuptiis*, resartam esse. Nupsit quippe *Henricus*, Ducis *Friderici* Frater, An. 1225. Unde *Gertrudis* ejusdem Filia, si etiam proximo statim Anno nata fuerit, hoc Anno 1240. Annum Ætatis decimum quartum sive egit, sive statim finivit, tenerior adhuc, quàm ut jam tum nupsisset, fortè & *Uladislao* Sponso haud multùm adolescentiore. Connubium hoc Anno demum 1246. paululum ante obitum *Friderici*, celebratum fuisse, suo loco nobis *Pernoldus* edicet. Interim pactæ saltem hæ Nuptiæ, *Wenceslaum* Bohemiæ Regem pacârunt, spe sibi proposita, & arridente, cùm *Fridericus* Dux Hærede in eam diem destitueretur, fore, ut improlis decederet, ac proinde Filius *Uladislaus*, tanquam *Gertrudis* Maritus, non Austriam solummodo Transda-

Gertrudis Medlicensis desponsata.

nubianam, de qua nunc concertabatur, sed universum Ducatum jure Uxorio adipisceretur.

Unde Duci nostro gratia Cæsaris?

XCIV. Imperatorem Præsulum operâ, ardua tamen ea, nec statim utili, tandem Principi nostro conciliatum fuisse, plerique arbitrabantur. Hinc traditur, cùm *Gregorius* Papa Anno priori Diras in Cæsarem fulminâsset, *Albertum Bebamium* Archidiaconum Pataviensem, hominem zeli inconsulti, intemperantis caloris, summæque, ut ajunt, proterviæ, suscepisse Papæ Legationem ad Episcopos, ac Principes Germaniæ, ut urgeret anathematis effectum, curarétque, illud ab Archiepiscopis, & Episcopis ubique ex Cathedra denunciari, à Principibus verò è vestigio ad novi Regis Electionem procedi. Sed utrúmque adhæsit. Omnes quippe Germaniæ Præsules, soliciti turbarum, quæ per omnes Imperii provincias orituræ facilè præsentiebantur, apud Summum Pontificem communi suffragio intercessêre. Principes Laici, exemplum Episcoporum intuiti, citra horum vestigia præire recusârunt. Unicus *Otto*, Bavariæ Dux, Papæ causam summa cum facilitate suscepit, ac tuebatur, attrahens in Societatem Generum *Wenceslaum* Bohemum: quibus *Fridericus* Austriacus, propter iram Cæsaris, qua premebatur, citra hæsitationem accessurus credebatur. Quod verò contra accidit, ut nimirum utrámque inter causam incederet medius, & neutram sive impugnaret, sive defenderet, hoc mediô, uti rebatur, tutissimus iturus. Interim *Bebamius* Legatus, non exspectato Pontificis ad Præsulum intercessionem responsô, in Archiepiscopos, & Episcopos, Abbates, Monachos, Clericos, Principes item, ac Comites, Nobiles, plebésque, omisso prudentiæ sale, absque discrimine anathema intorsit, dies ad comparendum dixit, sententiam dejectionis pronunciavit, Successores attentavit imponere, causámque sacram armis & militibus agens, Bona & Beneficia Ecclesiarum diripuit. Quo factum, ut Antistites vicissim, indiscretione tam summa irritati, cúmque potestate sua abuti conquerentes, diras in ipsum retorquerent, & quotidianum esset in Cathedris, anathema denunciari, quanto fidelium scandalo, tanto similiter contemtu. Iis autem, quos *Albertus Bebamius* devoverat, à nonnullis Dux etiam *Fridericus* accensetur, eò, quòd arma contra Cæsarem cum Bavaro, Bohemóque, jungere nolens, utrique potiùs eadem ostenderit. Mox tamen, ajunt, ab *Eberhardo* Archiepiscopo Salisburgensi, & *Rudigero* Episcopo Pataviensi, fulminis hujus undique securum pronunciatum fuisse. Verumtamen hæc omnia, maximè quæ Ducem nostrum attinent, non minimo dubio subjecta, certè nullo hucusque tuto veteri monumento subnixa, docti accuratique Scriptores Recentiores jam dudum pronunciârunt. Videatur Cl. *Hansiz.* Metr. Laur. p. 378. Ea proinde nec ego fir-

Fertur ab *Alberto* Legato anathemate ligatus: quod verò Episcopi irritum dixere.

firmiore loco constituo, præcipuè tam altùm de his tacente *Pernoldo* nostro. Qui & illis non suffragatur, quorum opinione, D. *Margareta* Regina assiduis precibus Fratrem Gratiæ Augustæ restituit.

XCV. Nostri Scriptoris effato *Cæsar, favorem Principum quærens, Legatos in Austriam, & Ungariam misit, qui Duci Gratiam suam & Pacem attulerunt, Ungari verò Regis fœdus quærebant, quod ille negavit.* Cum hoc posteriore Imperatori Tractatum, deinde simultatem fuisse, audiemus altero Anno, quando vicissim *Bela* Rex Ungarus Cæsarem contra Tartaros frustra imploravit. Ab infestatione verò Ducis nostri Imperator ultro desistens, illius potiùs favorem sibi conciliare, quàm suam ei Gratiam reddere satagebat. *Fridericus* autem, ut hostem se manifestè non ostenderit, in Rebus tamen Cæsaris parum aut nihil præstabat. *Salisburgensis* quidem Chronographus *Pezianus* jam ad Ann. 1239. habet: *Dux Austriæ ad gratiam Imperatoris rediit.* Alii ex Epistola Imperatoris ad *Ottonem* Bavariæ Ducem inferunt, *Fridericum* nostrum à Cæsare stetisse: scripsit enim Cæsar, in obsidione Faventiæ versatus, sub dato IV. Non. Octobr. An. 1240. se *ex Literis Eberhardi Archiepiscopi Juvavensis, & Friderici Ducis Austriæ certiorem factum*, quòd *Otto* foveat *Albertum*, nempe *Behamium*. Rursum alii, quo nescio, liquido documento, volunt, Principem nostrum, ad absterrendum Bavariæ Ducem ab ulteriori mox dicti *Alberti* vehementis Legati tutela, quatuor millia armatorum ad Bavariæ fines admovisse. E quibus omnibus conficiunt cum *Aventino*, qui etiam bella, cum Bohemis, Ungarisque, à Duce nostro gesta, ad obsequia Cæsaris detorquet, eum Imperatori à Conciliatione sua perpetuò adhæsisse. Verumtamen quæ postea dicturus sum, ejus constantem erga Papam Venerationem non minùs probant. Unde cùm nemo duobus Dominis, contraria imperantibus, fideliâ unâ servire possit, certissimum fit, *Fridericum*, non infima prudentiæ laude, ac felicitate, ita cautè se gessisse, ut Res proprias curans, & neque Papæ, neque Cæsaris causam studiosiùs agens, in hoc saltem de utroque mereri studuerit, quòd neutri obesset.

Cæsar sibi potiùs Ducis favorem conciliare, quàm suam ei gratiam reddere studuit.

XCVI. In DEUM tamen grati pro Restitutione sua, devotíque animi non minima testimonia edidit. *Zwetlensibus* namque digna cum devotione id recognoscentibus *Annal. I. p. 316.* pro Remedio Animæ suæ Predium in *Radenreute* cum omnibus Attinentibus donavit, jure proprietatis perpetualiter possidendum, postquam ejusdem feudo Comes *de Hardeck Chunradus*, & *Albero de Schwarzenowe*, voluntariè cessissent. Chartam desuper editam subsignavit *In Castro suo Starchenberg Ann. ab Incarn. Dom. MCCXL. Mense Februario.* Cœnobio Seitenstetensi,

Beneficia Ducis in Ecclesias.

 ejus-

ejúsque Venerab. Abbati *Dietrico*, ob salutem animæ suæ, & Progenitorum suorum indulsit, ne quisquam Judicum, seu Officialium suorum, sibi Jurisdictionem aliquam in hominibus, aut possessionibus ejusdem, prætextu Officii, aut occasione Præfecturæ, vendicare audeat, vel usurpare: neque vexatio ulla deinceps hominibus dicti Monasterii inferatur, aut exactio Advocatiæ nomine requiratur. Sed, si reus facinoris quispiam è subditis Cœnobii incusetur, tradatur Judici simplici habitu, non in rebus mobilibus, vel immobilibus, sed in persona juxta meritum puniendus. *In Oppido nostro Lovp Ann. Incarn. Dom. M.CC. XL. Mense Martio xvij. Kal. April.* Ex Transumto mecum communicato à Cl. *Hier. Pezio.* Capellæ S. Joannis Claustro-Neoburgi confirmavit Patris Donationem pro Clerici sustentatione, *Potestate*, ut ait, *sua & Voluntate promptissima, sicut decet Principem Katholicum. - - - In Nüwenburch ex parte Claustri An. ab Incarn. Dom. MCCXL. Mense Martio VI. Kal. Aprilis.* Literas integras ex Autographo reddidit Cl. *Bern. Pez.* Cod. Dipl. P. III. p. 94. n. 161. Græcii Stirorum hoc eodem Anno *Eberhardum* Archiepiscopum Salisburgensem cum Duce nostro convenisse, cum eóque de reddendis Obsidibus, & Immunitate sacrorum Prediorum, quibus Viri quidam Nobiles incubabant, tractâsse, refert Cl. *Hansizius* Metr. Salisb. p. 340. n. 53. Tum verò pariter edidisse Ducem nostrum pro Episcopo, & Ecclesia Pataviensi, Diploma illud existimo, quod rursum vulgatum Cod. Dipl. *Pez.* Part. II. n. 165. p. 96. licèt subsignatio ita habeat: *Actum in Graetze Ann. ab Incarn. Dom. MCCXLIII. Id. Julii.* Vereor enim, potiùs legendam Epocham MCCXL. III. Id. Julii, ternariô nimirum numero ad Idus relato. Usu quippe nostrarum Chartarum didici, punctîs omissîs, aut malè collocatis, sæpe perambiguum relinqui, an postremæ numerales Literæ Anno, vel Mensi, adjungendæ sint, dubiúmque ex ipsa Rei gestæ, vel personarum ratione dirimendum esse. Hanc Chartam non diligentissimè transumtam, inde liquere potest, quod initio statim ita erroneè legatur: *FRIDERICUS Dei Gratia Dux Austriæ & Bavariæ* (pro Stiriæ) *& Dominus Carniolæ &c.*

XCVII. Contextus ejus ita habet. „Tenore præsentium „innotescimus universis: Quod Nos cum Domino nostro & „in Christo Patre RUDEGERO Venerabili Pataviensi Episcopo „in plenam amicitiam reformati, Zelum Dilectionis sincerum „ei semper gerere cupientes, & fidelitatis debitum, quo sibi, & „Ecclesiæ ipsius tenemur, devotissimè attendentes, Ipsum, & ho„mines, & possessiones, & omnia Ecclesiæ suæ pertinentia, in „nostrum favorem specialissimum assumimus, & tutelam, pro„mittentes, & nos fideliter obligantes, quòd ad omnia, quæ ho„nori, & utilitati priùs fati Domini nostri, & Ecclesiæ ipsius, „ex-

„expediunt, consilio & auxilio, totísque nostræ possibilitatis viribus affectu sincerissimo intendimus, ipsum cum Ecclesia sua „in nullo necessitatis articulo deserentes, sed opem ei gratuitam „ad omnia conferentes. Super his itaque duximus ei præsentem Literam porrigendam, Viris idoneis, qui aderant, annotatis, qui sunt. *Eberhardus* Archiepiscopus Salzburgensis. „*Heinricus* Episcopus Sekoviensis. *Liuprandus* Archidiaconus „Karinthiæ. Comes *Chunradus* de Hardeke. Comes *Otto* de „Ortenburch. *Heinricus* Nobilis de Schowenberg.„

XCVIII. Reconciliationem, Concordiam, Reverentiam, ac Devotionem non minimam, spirant hæ Literæ, ac videri possent, quasi Fœdus quoddam involvere, in obsequium Cæsaris: ab hoc enim *Rudigerus* Episcopus inseparabiliter stetit, usque dum à Pontifice gradu suo moveretur. Sed *Fridericus* noster, suis commodis intendens, cùm tertio postea Anno Res ita ferre sibi videretur, & Fautores Cæsaris in *Albertum Behamium*, Legatum Pontificis, nimium prævalerent, ut nuspiam tutus consisteret, & Refugium paraturus, hostem Episcopi induit ex Amico, & Studii Pontificii specimen præbuit adversus Præsulem, ac Bavariæ Ducem, ut suo Anno pleniùs percensebo. Quod agens, præsenti fidei suæ, quam dedit, se refragari haud existimabat, cùm honori & utilitati Antistitis, & Ecclesiæ suæ, nequaquam expedire censeret, Cæsarem sequi, Pontificem relinquere. In quo non fallebatur. Hæc ipsa porro mutatio ipsius, potissima mihi causa est, cur Chartam hanc ad Annum 1240. non 1243. attinere existimem: quia penitus repugnare videtur, tunc, cùm actu in aliquem pugnas, aut pugnæ accingeris, Amicitiam ejus, ac Defensionem, quasi jurejurando affirmare.

Ejus Diploma pro Ecclesia Pataviensi.

XCIX. Superest adhuc peculiare Beneficium, quo Dux noster hoc Anno affecit Inclitam Canoniam Regularem S. Nicolai Pataviæ extra muros, eidem omnium Vectigalium Libertatem indulgens, Chartæ desuper editæ tenore hunc in modum religiosè admodum concepto. „Excellentia sublimitatis desuper nobis collatæ requirit, ut ea, quæ ad usum, & profectum „Ecclesiarum conducunt, & expediunt, studeamus attentiùs „promovere. Multitudinem ergo commissorum à Nobis, sincera mentis intentione, & diligenti consideratione perpendentes, & digna revolventes percunctatione, peccatorum nostrorum vulneribus salubris medicationis cauterium pium adhibere studuimus. Pro Remedio enim videlicet piæ Recordationis „Patris nostri Ducis *Lewpoldi*, & aliorum Antecessorum nostrorum, nostræque salutis intuitu, Fratribus *in Domo S. Nicolai Pataviæ* DEO inibi militantibus, ob Venerationem Reliquiarum ibi reconditarum, Libertatem per Terras nostras, „tam

Pro Canonia S. Nicolai ibidem.

,tam in aquis, quàm in terris, omnium Rerum suarum Transitus, omnium vectigalium exactione inhibita, contulimus, & remota. Volentes etiam, ut Victualia ejusdem Ecclesiæ non debeant, occasione alicujus querimoniæ, ab aliquo detineri. Ut autem hæc &c. - - - Datum apud Medlicum Castrum Anno ab Incarnat. Dom. Millesimo Ducentisimo XL.° Indict. XIII. VIII. Cal. Octobris., Habes has Literas apud *Hundii* Metrop. Salisb. Tom. II. in Additionib. *Gewoldi* p. 396.

§. II.

Res Ordinis Cisterciensis.

Annus 1231.

Jacobus noster de Pecoraria Cardinalis Legatus apud Insubres.

I. FRiderico II. Imperatore Templarios, ac Hospitalarios, quorum præcipuâ curâ Res Christiana in Oriente nitebatur, bonis ac possessionibûs multùm exspoliante, *Joannes* noster Abbas Casæmarii, jussu *Gregorii* Papæ IX.[ui], ivit, redivitque ad Augustum, his Equitibus restitutionem impetraturus. Longobardis autem propè omnibûs adversus Cæsarem conjurantibus, contra quos ipse fidem Pontificis enixè imploravit: *Gregorius* rem per Legatos compositurus, præ omnibus elegit *Jacobum* Placentinum, dictum *de Pecoraria*, Nobili admodum genere oriundum, ex Archidiacono Ravennatensi Clarævallis in Gallia Monachum, deinde Abbatem SS. Vincentii & Anastasii, sive Trium Fontium in Urbe Romana, hoc autem Anno Mense Septembri, ut habet Reveren.[mus] *Ughellus* noster Ital. Sacr. Tom. I. col. 207. creatum Cardinalem Episcopum Prænestinum: quem hac Purpurata in Sede paulò antè duo alii Cistercienses, gemini nimirum *Guidones*, insignibus cum meritis præcesserunt. Huic *Jacobo*, & Socio *Ottoni* Diacono Cardinali, Pontifex negotium dedit, Insubres in fide Cæsaris continendi: quamvis multò magnóque labori fructus dignus haud responderit, Imperatore, ut se aura rerum suarum verteret, jam annuente, jam negante, quæ tractabantur, omnia. Qua animi sui vicissitudine effecit, ut nihil sibi à quoquam crederetur.

Commissiones nostrorum Apostolicæ.

II. *Sylvanus* Monachus noster *Rievallis*, unacum *Gregorio* Archiepiscopo Eboracensi, jussus est à Pontifice, residentiam Clericorum in Anglia omnibus modis, etiam cum facultate instituendi, & destituendi, procurare. Apud Norwegos Coronam Romæ postulante Rege, Abbas noster *Stanleyæ* geminis Episcopis adjunctus fuit, ut inquireret super Electione, Conditione, ac Persona Regis, Regníque statu. Dum in Hungaria postularetur cultus publicus pro Venerabili olim Archiepiscopo Strigoniensi *Luca*, examen Vitæ & miraculorum commissum fuit

fuit Episcopo Csanadiensi, Abbatique nostro *de Cikador.* In Lusitaniam *Vallis Paradisi* Abbas, ut Regis cum Ecclesiis dissidia tolleret, dimissus est. In Gallia Abbates de *Firmitate*, & *Pruliaco* Grandimontensium discordiis Judices dati: Tyronensibus verò Abbates *Eleemosinæ*, ac *Fulcardi Montis* Arbitri constituti. In Italia contentio Præsulum Amalfitani Archiepiscopi, & Episcopi Caput-Aquensis, Abbatis nostri *S. Petri de Amalfia*, & alterius condelegati sententiæ subjecta fuit. Singulas harum Commissionum Literas ex Regestis Pontificiis exhibuit *Manriqueus* noster h. a. Dum porro in Gallia *Fulco* noster Archiepiscopus Tolosanus, grave Albigensium Flagellum, sancto fine hoc Anno concluderet: In Hispaniis *Arnoldus* Abbas *Populetanus* Cathedram Episcopalem Agathensem conscendit.

Annus 1232.

III. J*Acobus* noster Legatus Cardinalis Prænestinus, cum Socio, Patavii pacem inter Cæsarem & Longobardos, ut licuit, ad breve tempus consarciens, promovit Patavinorum preces pro Beato *Antonio* Ulissipponensi, vulgò *Paduano*, nuper defuncto, jam verò innumeris prodigiis celebrato, Sanctorum in Fastos inferendo. In Germania Inquisitio in Sanctitatem B. *Elisabetæ* Landgraviæ Thuringicæ, Regiæ Principis Hungaricæ, præter Archiepiscopum Moguntinum, Abbati quoque *Eberbacensi* Ordinis nostri injuncta fuit. Alii Abbates Cistercienses in Hispania, Gallia, Italia, Anglia, Germania, Livonia, Hungaria, commissas sibi ab Apostolico causas devotissimo obsequendi studio peregerunt. *Petrus de Albalate* Monachus Populetanus factus est Archiepiscopus Taraconensis, citerioris Hispaniæ Primas. *Guilelmus Cerberanus* olim ex Gremio Populetano in Aulam vocatus, *Alfonso* Aragoniæ Regi Tutor constitutus fuit. *Joannes* Abbas Monasterii de Joyaco in Candelabro Cathedræ Episcopalis Meldensis, poscente virtute, refulsit. *Manriqu. h. a.*

Pax Italica per *Jacobum* nostrum Cardinalem confecta.

Episcopi Cistercienses.

Annus 1233.

IV. T*Urbatâ* bellis, miseréque sibi mutuò commissâ Italiâ, multi Viri Nobiles, Clari, Potentes, Conjugati, singularis planè spiritus incitamentô, condixerunt ad novum Cisterciensis Ordinis Monasterium instruendum, dotandum, & à se, sub veteri Ordinis disciplina, incolendum. Delecta est vetus Canonia S. Pantaleonis, tunc deserta: quam, sub Ecclesiæ Cathedralis Luccanensis imperio olim constitutam, *Gregorius* Papa contra omnia, quæ obstare videbantur, novis Candidatis plena cum Approbatione concessit, eandem recèns instructam Domum Abbati S. Galgani Ordinis nostri subjiciens, & spondens, si Luccanensis Ecclesia, cujus Cathedra nunc quasi suppressa erat,

Novum Luccense Monasterium miro spiritu institutum.

erat, iterum restitueretur, ac suo tempore proprium rursus Episcopum obtineret, jacturam Canoniæ hujus à Sancta Sede alia quavis competenti ratione refartûm iri. Cùm deinde *Ludovicus* Franciæ Rex, sancti elogio deinceps honorandus, in Archiepiscopum Rothomagensem, qui Majestati non pro dignitate obsecutus videbatur, Magnatum consilio severiùs vindicâsset, æqua Regis, Antistitísque Compositio, per *Gregorium* Papam, ablegatione Abbatum nostrorum, *Pontigniacensis*, & *Sabigniacensis*, tentata, atque ad votum perfecta est: tametsi Regum causîs haud facilè quidquam majori periculo suscipiatur. Complura alia, quanti honoris, tanti & laboris negotia hoc Anno à Pontifice Abbatibus, Prioribus, vel Monachis nostris, diversis in Provinciis commissa, prolixo iterum Catalogo refert Rever.^mus^ *Manriquez* noster. *Jacobi* Cardinalis nostri Prænestini, in Ungariam directi, operâ & industriâ, Rex *Andreas*, adversus quem Episcopi sui, propter graves in Regno abusus, quos tollere noluerat, vehementer conquesti, totam ferè Terram Interdicto Ecclesiastico supposuerunt, solemni Edicto ea tandem vetuit, quæ Religioni, Justitiæ, bonísque moribus adversabantur, sicque sacra in Regno illo ingenti cum gaudio iterum resumta sunt. *Radulphus de Pinnis*, primùm Igniacensis, deinde Claravallensis Abbas, hoc Anno in Episcopum Agennensem evectus fuit.

Jacobus Cardinalis Ungariam composuit.

Annus 1234.

Gregorius Papa Episcopos, Capitula, Archidiaconos à Vexatione Ordinis compescuit.

V. VEhementer denuo adversus Ordinis Privilegia consurrexerunt Episcopi, Capitula, Archidiaconi. Primùm namque intromiserunt se Institutioni, ac Destitutioni Abbatum, petentes, ut hi eorum se examini sisterent, atque, erga pensum indictum, ab Archidiaconis in gradum suum introducerentur: qui verò Privilegiis insistentes id abnuerent, refractarios, contumaces, malefactores criminabantur. Quoniam autem in eos Diras, & Interdictum intorquere non poterant, famulos eorum, amicos, Benefactores, censuris perstrinxerunt. Iterum, si in alios vindictam meditarentur, Abbatibus, aut saltem Prioribus, & Monachis nostris, Causarum Inquisitiones, Punitiones, Censuras ferendas, Denunciationes publicas Excommunicatorum faciendas injunxerunt, delegârunt, vel subdelegârunt, & sæpissimè in proprios Fundatores, Benefactores, Clientes, ac Famulos, ut eos odibiles redderent. Demum harum commissionum occasione creberrimè, tum ipsi subintrârunt Monasteria, spretísque cibis Regularibûs, carnes, epulásque opiparas postulârunt, tum pariter Fœminas Illustriores in Domus nostras induxerunt: Monachos econtra, & Priores, frequenter claustris egredi, & abesse coëgerunt. Contra quos turbines Gui-

Guilelmus III. Archi-Abbas Cistercii Generalis intrepidè, vigilantérque insurgens, à *Gregorio* Pontifice Summo, humilibus & enixis precibus, quatuor una die editas Bullas obtinuit: quibus originaria, & imperturbata Cisterciensium Immunitas, ac Quies, benè iterum beatéque reducta fuit.

VI. Supererant autem adhuc alii apud malevolos modi, quibûs Ordo nonnullis in Locis peculiariùs vexaretur. In Anglia námque Clerici tres, deputati ad Visitationem Exemtorum Monasteriorum, hanc commissam sibi facultatem etiam ad Ordinem nostrum Exemtum extendere præsumebant. Alibi, cùm ab Origine Monasteria Ordinis unico duntaxat Sigillo, eóque Abbatiali, ad obsignanda quæcunque Instrumenta uterentur, neque Conventus peculiaria Sigilla haberent: nunc, ubi res ad forum delata fuit, hujusmodi Contractus rejiciebantur ex eo, quòd de consensu Conventuum in Actiones Abbatum hac ratione non tutò constare assereretur. Quocirca, vel Abbatibus, vel Monachis, necessarium erat, superfluis itineribus, ac sumtibus, redire ad Monasteria, suorúmque Conventuum Assensum novis Literis confectis, relatísque, attestari. Rursum, statuente Concilio Lateranensi, ut Plebanis de proventibus Ecclesiarum suarum Parochialium sufficiens Provisio assignaretur, nostri quibusdam in Locis ad augmentandas has Provisiones coarctabantur, etiamsi Patroni Ecclesiæ non essent, & juxta moderationem Concilii, nullas eidem Decimas deberent. Tandem si Monachi extra Monasterium demorati, de supellectili Domûs, aut Libros, aut alia, ad usum vitæ secum abduxerint, erant postmodum, qui revocatis, vel aliò transeuntibûs, aut etiam defunctis Monachis, hujusmodi substantiam Monasterii reddere abnuentes, vi apud se detinerent. His omnibus vexationibus iterum *Gregorius* Papa, pro perpetua sua in Ordinem nostrum clementia, quaternis aliis Literis Apostolicis Remedium apposuit. Atque has, & omnes anteriores Bullas, Rever.[mus] *Manriqueus* noster hoc anno, vel ex Autographis, vel Regestis *Gregorianis*, integro tenore redhibuit.

Item alios plures.

VII. Vicissim verò Nostri tàm Summo, támque Benignissimo Ecclesiæ Patri, humillima ubique devotione ad imperata omnia obsequi, mutua æmulatione satagebant. Inde factum, ut ab ipso quamplurima nostris iterum Negotia, variis in Regnis darentur: quorum sanè præcipuum erat felix Abbatum nostrorum *de Verola*, & *Oliva* Legatio ad *Jacobum* Arragoniæ Regem, ac *Theobaldum*, Regni Navarræ Hæredem à morte *Sanctii* Regis. Sævum quippe, & atrox Hispaniæ bellum imminebat, *Jacobo* Arragonio Regnum quoque Navarræ, quasi se jure respiceret, sibi armis attrahere decernente. Valuit verò, adspiran-

Nostrorum operâ sævum Hispaniæ bellum avertitur.

rante Numine, per Episcopum Calaguritanum, nostrósque Abbates Legatos, interposita solicitudo Pontificis, ut malè æmulus Rex legitimo Hæredi Navarram animo pacato dimitteret: ex quo Hispania omnis ab immensa formidine respiravit. Ibidem Venerabilis Abbas noster Sanctarum Crucium *Bernardus*, non modò Virtutum, sed etiam signorum Patrator mirificus, quantumlibet reluctaretur, Episcopatum *Vicensem*, aliàs *Ausetanum*, admittere coactus fuit. In Italia *Matheus* Abbas Florensis, hac in Dignitate duo jam & triginta stipendia meritus, hoc demum Anno Episcopus Geruntinus esse jussus est in Calabria citeriori. *Ughellus* Ital. Sacr. Tom. IX. p. 501.

Episcopi nostri.

Annus 1235.

Varia negotia nostris à Pontifice injuncta.

VIII. Recidivo in Galliis *Raymundo* Comite Tolosano, Fratrésque Prædicatores primùm graviter vexante, deinde penitus expellente, *Gregorius* Papa ad eum reducendum proprium pertentavit calamum, *Ludovici* Regis Majestatem imploravit, Archipræsules, Præsulésque submisit. Cùm verò nihil prodessent hæc singula, quasi fortiorem his omnibus arietem Comiti admoturus, novissimè Abbatem nostrum *de grandi sylva* ad eundem ablegavit. In Hispania hæreticorum Inquisitionem demandavit Venerabili *Bernardo Calvonio*, nunc Episcopo Vicensi, ex Abbate nostro SS. Crucium. In Germania pœnas de nece *Conradi*, Marpurgensis Inquisitoris, reposci voluit per Abbatem nostrum *Buchensem*. Priorem *Riddagesbusanum*, ex Livonia, ubi prædicandò Evangelium ingentem Conversionis fructum fecit, amore Contemplationis reversum, denuo illam in Messem incitavit. Alios Abbates nostros Crucem pro Oriente prædicare jussit. Imminens pro Comitatu Pictaviensi bellum, & jamjam erupturum inter Galliæ & Angliæ Reges, opera Abbatum *de Boxeleya*, de *Ponte Roberti*, de *Altacumba*, Cisterciensium feliciter restinctum est. In Austria grave quoddam & Antiquum Monasterium, cujus Nomen à Rever.^mo *Manriqueo* nostro tacetur, à *Gregorio* Papa Abbatibus *de S. Cruce*, & *Liliempheld*, visitandum committitur, jubetúrque, ut de cujusdam Monachi gravissima in Gremio suo facta turbatione, Abbatis dejectione, suique per opem Laicalem intrusione cognoscant, próque collatæ sibi facultatis amplitudine decernant. Archiepiscopatu Magdeburgensi sub æris alieni pondere undique oppresso, Pontifex, ipso Archipræsule petente, administrationem Ecclesiæ Metropolitanæ geminis Abbatibus, *de Lenin*, ac *de Cinna*, intra Marchiam Brandeburgicam injunxit. In Gallia *Radulphus de Pinnis*, abhinc Anno ex Abbate Clarævallis Episcopus Agennensis, nunc, ut lucem Virtutum tantò latiùs diffunderet, in Archiepiscopum Lugdunensem sublimatus est, mox

verò

verò Anno altero pro Meritorum Corona Alta Cœli subintraturus. *Gallia Christiana Samarthanor. Tom. I. p. 323.* In Britannia, nominante Summo Pontifice, ad Metropolitanam Cantuariæ Cathedram evectus fuit *S. Edmundus*, postea Pontigniaci, totiúsque Cistercii Gloria ingens futurus.

Annus 1236.

IX. MOnasterio nostro S. Salvatoris de Monte Acuto propè Perusium in Italia ad ruinam Ædificiorum vergente, remedium allaturus *Gregorius* Papa, diu Perusii versatus, Anno priori omnibus, qui ad ejus Reparationem eleemosinas, vel quæcunque subsidia conferrent, Indulgentias tribuit. Hoc pacto neglectus antea Locus à Perusinis frequentari cœpit, & Monachorum devotio diligentiùs notari. Quæ cùm placuisset, mirabili compunctione complures iterum Viri Nobiles, Literati, Potentes, Conjugati, ad exemplum eorum, qui abhinc triennio apud Luccam Canoniam S. Pantaleonis, ad Institutum Cisterciensium reformatam, ingressi sunt, Monasterium novum sub Cura ac Potestate Abbatis Montis Acuti erigere, dotare, ibique sub Regulari nostra disciplina, sanctáque professione, vitam reliquam exigere decreverunt. Neque hoc satis. Pari enim spiritu accensæ Uxores, & Filiæ eorum, Cœnobium aliud Monialium, sub invocatione S. Elisabethæ, propriis facultatibus excitârunt, æquè ibidem Monasticen professæ, tanto exemplo, ut sexto postea Mense alter quoquè Parthenon Cisterciensis, consimili aliarum devotione, inchoaretur, DEO eundem spiritum, quo olim Divum *Bernardum* Mellifluum Patrem nostrum cum triginta Sociis ad Cistercium adduxit, nunc iterum clementer de cœlis emittente. Quod perpendens *Gregorius* Papa, admirabilem hanc, insolitam, & inexspectatam in secularium hominum potentium cordibus mutationem Dexteræ Excelsi, summo cum gaudio laudavit pariter, & approbavit.

Tria Monasteria Perusii insolita spiritus operatione excitata.

X. In Gallia *Ebrardus*, Abbas Clarævallis, feliciter egit Angelum Pacis inter Galliæ & Navarræ Reges, ablegante eundem Pontifice, meruitque ab ipsis Regibus Judex eligi, coram quo, positis armis, jam instructis, causam utérque suam jure experiretur. Pari successu Abbas *Lubensis* egit apud *Henricum* Poloniæ Ducem in causa Cathedralis Ecclesiæ Wratislaviensis: & Abbas *Egriensis* in Hungaria apud *Belam* Regem in causa propria. Sed & aliæ multæ appellantium ad Sedem Apostolicam causæ, nostrísque delegatæ, sedulo variis in Provinciis conamine susceptæ sunt. In quibus & Inquisitio fuit, an expediat, quod obtulit Archiepiscopus Trevirensis, in Monasterio, S. Salvatoris de Pruina suæ Metropolis, Episcopatum novum fundari? quod nec ipsi delegati Abbates nostri de *Villario* & *Hemmenrode*

Felices nostrorum in Ecclesiæ obsequiis Labores.

de convenire judicârunt, neque Pontifex indulsit. In Hispania, sub signis victricibus *Ferdinandi* Castellæ Regis, potissima, ut omnes fatebantur, nostrorum Calatravensium virtute, Corduba, Maurici tunc Regni Caput, expugnata, & occupata fuit, primô ejus Urbis Episcopô è Cisterciensibus constitutô, *Lupo* nimirum *Fiterii* Monachô, qui simul & Apostolum ageret, fidémque in Urbe, Christo nuper acquisita, suo sudore plantans, Domino pariter, & sibi, plebem perfectam pararet. In Italia Placentinam Cathedram Episcopalem conscendit *Ægydius*, Monachus Cœnobii Claræyallis de Columba, Vir, ut optimæ & innocentissimæ vitæ, sic & eximiæ doctrinæ, teste Rever.[mo] *Ughello* nostro Ital. II. p. 223.

Finis Annalium Ordinis Rever.[mi] *Manriqui.*

XI. Jam porro in Rebus Ordinis nostri præmaturè destituit me Rever.[mus] ac Jllustr.[mus] *Angelus Manriqueus* noster, cum hoc Anno præsenti Annales Cistercienses, per Annos Centum quadraginta operosis justisque IV. Tomis deductos, concludens. Cuncta sua non solùm sapientissimo suo Judicio ille probè discussit: verùm etiam non imparatus ad scribendum accedens, præter Scriptores egregios, ex ingenti Monumentorum Veterum segete sibi affluente, & præcipuè Regestorum Pontificiorum Adversariis, Româ procuratis, Historiam Ordinis ita conficere, digerere, constabilire potuit, ut Ecclesiasticam pariter Historiam in multis, & illustraret egregiè, & copiosè suppleret, cùm ævo illo in Ecclesia vix quidquam sine Cistercio ageretur. Quamquam verò superfluo sibi ex Apparatu spem fecerit, fore, ut Prosecutori horum Annalium, per Centum Annorum decursum, pro tribus adhuc Tomis abundè materia suppetat, & argumentum, quibûs Ordinem, donec sub Commendarum tirannidem reciderit, perhonorificè celebret: nemo tamen, quem ego noverim, in arenam tam laudabilem ingressus est. Id, quod & nemo etiam audere possit, nisi, quem ibi habitare contigerit, ubi Regia Ordinis est, & communia Patrum Comitia celebrantur: & item, cui Vaticana scrinia patent, ubi omnium Summorum Pontificum Bullæ, Rescripta, Epistolæ Regestis peculiaribûs continentur. Haud enim facilè Monumenta vetera, sine quibus nihil hìc agitur, de Regno in Regnum transferri consueverunt.

Arduitas prosequendi res Ordinis.

XII. Ergo, qui hactenus in copia quodammodo inops fui, ac in eo elaborare maximè debui, quænam, ex tanta in singulos Annos Annalium ubertate, Compendiô meo commemoranda seligerem: nunc è converso, arescente puteo, fodere ubique, & fontium uberum locò, vel pauculas hinc inde stillas Rerum, ad Ordinis nostri honorem, Notitiámque facientium, veluti emendicare compellor. Ubi me maxima exactæ supputationis Chro-

Chronologicæ cura advertit: quippe cui suprà laudatus Chronologus noster studiosè intentus, omnia Documentis, vel sinchronis Authoribus constabilivit: alii è converso permulti, sola rerum narratione contenti, epocharum interim, ac testium, parum, vel nihil soliciti sunt. Cujusmodi scripta omnia solidus Historiæ nervus undique destituit. Pergam tamen, DEO confisus, totáque solertia intentus, ordine ac pede, quo cœpi, non facilè alia, quàm quæ vera sint, allaturus, Epocharum verò fidem illis, quos ubique laudavero, Scriptoribus relicturus. Quousque interim licebit, aliquali saltem adhuc in lumine pergam, quod Reverend. & Jllustriss. Antistes *Manriquetus*, toties mihi laudatus, futuro Annalium suorum Prosecutori, compendiô, in sua usque tempora, prætulit iis Appendicibûs, ad singulos Tomos annexis, quibûs Archi-Abbates Cistercii, Abbates item Primarum quatuor Filiarum, Alcobaciæ deinde, Hortæ, ac Populeti, Supremos tandem Militiarum quarumdam Cisterciensium Magistros, ordinatas in Series operosè digessit.

Annus 1237.

XIII. Consenuerat jam *Guilelmus* III. Archi-Abbas Cistercii Generalis, aliisque lucendô, se plurimùm consumtum esse advertens, Præfecturam Ordinis ultro posuit, in Claramvallem, è qua assumtus erat, reversus, & paulò pòst ibi fine beato consummatus. Fasces post eum suscepit *Bonifacius*, quem numerant Archi-Præsulum Cisterciensium XXIII.[tium], & qui primo mox anno inhibuit, ne Abbatissæ, vel Moniales Cistercienses, ipsæ deinceps propria persona Generale Capitulum accederent. *Simoni* Abbati *Firmitatis* Papa commisit, ut Matisconensem Episcopum Galliæ, iniqua captivitate detentum, in libertatem asseri curaret. *Manriqu. Append. Tomi I. p.* 477. & 494. Cùm fat magnus jam Exercitus Cruce signatorum in Orientem se præparans, postularet, à Pontifice, suaderet Imperatori, ut vel anteiret eosdem, vel saltem itineri se commodum, & adjutorem præberet: *Gregorius*, præter Epistolam cohortatoriam, *Virum* præterea *Cisterciensis Familiæ pietate præstantem* (Nomen tacetur) tanquam Legatum Cæsari submisit. *Raynald. Annal. Eccles. XIII. p.* 459. *n.* 80. Sed maluit Imperator Christianos, & Italos vincere, præcipuè Mediolanenses: quos cùm ex insidiis clade non minima affecisset, Papienses, qui Aquilas Augustas secuti, Mediolano infensissimi erant, in cæteris belli furiis *Morimundum*, Cœnobium Cisterciense juxta hanc Urbem, sacrilegè unacum Templo vastârunt, & Monachos vestibus exspoliatos cædendô, vulnerandô, occidendô, Locum omnem, flammis traditum, in ruinam immerserunt. *Manriqu. Annal. IV. p.* 534. In Bohemia Monachus quidam Cisterciensis

Guilelmus III. Archi-Abbas Cistercii moritur: succedit *Bonifacius*.

Commissiones nostrorum Apostolicæ.

Morimundus noster apud Mediolanum destruitur.

ſis è *ſedlicio*, quem ſcribunt B. *Antonium*, in vicina Sylva ſub Arbore Pſalmos meditatus, advertit, è propingua rupe tres Argenti Virgulas excreviſſe. Suſpicatus, quod res erat, Argenti divitem eſſe Montem illum, hoc ipſo Anno 1237. felix initium dedit Argentifodinis Regni illius celeberrimis, quæ *Cutnenſes*, aliis *Kuttenbergenſes* appellatæ, hodie adhuc divitias uberes Regi ſuppeditant. *Sartor Ciſterc. bis tert. Latin. p. 775.*

Monachus Sedlicenſis reperit Argentifodinas Cutnenſes.

Annus 1238.

Commemorationes SS. in Officio Canonico.

XIV. BOnifacius Archi-Abbas Ciſtercii Commemorationes quotidianas SS. Patrum noſtrorum, *Benedicti*, & *Bernardi*, ex Curſu Mariano, ad Officium Canonicum tranſtulit. *Manriqu. I. Append. 477.* In Italia *Jacobus de Caſtello Arquato* Placentinus, è Nobili Familia *de Porta*, Monachus Ciſtercienſis, deſœcatiſſimis moribus Vir, hoc anno Cathedræ Epiſcopali Mantuanæ ſingulariter quæſitus eſt, tanquam dignus hujusmodi Paſtoris Succeſſor, qui, uti Pontifex in cohortatoria ad Capitulum, novam Electionem facturum, Epiſtola prædicaverat, pro Eccleſia ſibi commiſſâ, & credito ſibi grege defendendo, tuendáque Libertate, ac Fide Catholica, bibit calicem Paſſionis. Fuerat is Præſul *Guidottus*, à ſceleratiſſimis Eccleſiæ Oſoribus immaniter trucidatus. *Ughell. Ital. I. 866.* Venerabilis *Brunonis* Epiſcopi Herbipolenſis Gloria Prodigiorum indies creſcente, inquiſitio eorundem geminis Abbatibus Ciſtercienſibus Herbipolenſis Diœceſis commiſſa refertur à *Raynaldo p. 473. n. 63.* Imperialis Abbatia Ciſtercienſis, dicta *Salemia*, vel *Salemitana*, vulgò *Salmanſweil*, tantam gratiam reperit apud *Eberhardum* II. Archiepiſcopum Salisburgenſem, ut primigenii Fundatoris Familiâ extinctâ, ipſe alterum ſe Fundatorem, non offerret modò, ſed etiam exhiberet: cœnobium verò ſe eidem, cum ſitu, fundóque ſuo, plenè contradiderit, liberè in Annos quoslibet promittens Numum Aureum, vel dimidium fertonem Argenti, tanquam ſubjectionis, & pertinentiæ ſignum. Viciſſim Archiepiſcopus Cœnobio in Oppido Hallein ſuæ provinciæ indulſit jus, patella una, ac propria, ſalem ſtato tempore coquendi. In cujus coctionis participium, communéſque expenſas, & lucrum, Abbas poſtea Salemitanus Metropolitanum Capitulum Salisburgenſe ultro, & approbante Archiepiſcopo, admiſit. Initum præterea hos inter Canonicos, & Monachos, fœdus perpetuæ Hoſpitalitatis pro vivis, pariúmque ſuffragiorum à morte. *Cl. Hanſiz. Metrop. Salisb. p. 338. & alibi.* Item *Apiarium Salemitanum*, additum *Ciſterc. bis tertio* vernaculè transpoſito.

Jacobus Epiſcopus Mantuanus.

Eberhardus Archiepiſc. Salisb. favet Salemiæ.

Annus 1239.

XV. *C*Onrado Lantgravio Thuringiæ, graviſſimorum criminum pœnitentiâ ductô, cúmque Sociis nonnullis, more Fratrum Pœnitentium ſatisfacere pro culpis decernenti, ſed metuenti aliorum vexationes, *Gregorius* Papa, præter Epiſcopos, Hildesheimenſem, & Merſeburgenſem, pariter Abbatem Ciſtercienſem *de Porta* in tutelam deputavit. *Raynald. p. 486. n. 65.* Pontigniaci *Joannes* III. Abbas exulem ab Anglia *Edmundum*, Archiepiſcopum Cantuarienſem, gratiſſimum hoſpitem accepit, & paulò pôſt Profeſſione Religioſa Filium obtinuit. *Manriqu. I. Append. p. 499.* Apud Hiſpanos *Raymundus* Abbas Populetanus evaſit Epiſcopus Jlerdenſis. *Ibid. II. App. p. 73.* Alcantaræ Militia Ciſtercienſis à *Gregorio* Papa pro omnibus, è Gremio ſuo in Acie contra Mauros, aut quoſcunque Paganos occumbentibus, plenam peccatorum Indulgentiam, Bonorum verò omnium, quæ juſtè tenerent, & acquirerent, perpetuam proprietatem conſecuta eſt. *Ibid. IV. Append. p. 570.*

Abbas de Porta.

Edmundus Archiep. Cantuar. Monachus in Pontigniaco.

Jlerdenſis Epiſcopus.

Alcantaræ Militia.

Annus 1240.

XVI. *H*Oc Anno ſummè contraria flagrabant Pontificis atque Cæſaris contentioſiſſima ſtudia. *Gregorius* námque execrationem, dejectionémque Imperatoris, omnibus in Regnis vulgari, & undique Epiſcopos, ac Prælatos, ad Concilium Romanum Anni inſequentis convocari voluit. *Fridericus* econtra ne Legati, Nuncii, Tabellarii Apoſtolici procedere poſſent, itinera omnia arctiſſimè obſedit, & epiſtolis, in omnem Regionem emiſsis, nunciavit, nemini viam ad Concilium tutam ac liberam fore. Quapropter & *Jacobus* Cardinalis noſter Præneſtinus Legatus, viliſſimi Viatoris habitu Purpuram diſſimulans, ægrè admodum in Gallias penetravit. Ubi Albigenſes, eductis in eos Copiis Cruceſignatis, debellavit, *Raymundum* Comitem Toloſanum Eccleſiæ denuo ad tempus reconcilians. Synodo præterea Epiſcoporum ſylvanecti congregata, Viceſimam omnium Redituum Eccleſiaſticorum pro Papa adverſus Cæſarem obtinuit: Galliæ tandem Antiſtites, ac Prælatos, ut Concilio Romano frequentes adeſſe vellent, multo cum fervore exhortatus eſt. *Ughell. Ital.* I. 207. Acceſſui verò Romano ſe præparantes Epiſcopi, & Abbates, è quibus plurimi Ciſtercienſes, ſummo ſuo diſcrimini ſe obviam feſtinare, facillimè præviderunt, ſive mare, ſive terram cogitarent. Verumtamen fidei erga ſacro-ſanctam ſedem puritas, firmitáſque noſtrorum, non reformidavit iram Imperatoris: quam poſtea extremam Ordo noſter incurrit, & ſenſit.

Noſtrorum difficillimus ad Concilium Romanorum Acceſſus.

Bela Hungariæ Regis favor in Ordinem.

XVII. *Bela* Hungariæ Rex *Bonifacio*, Archi-Abbati nostro; quatuor Ecclesias, ad se attinentes, obtulit, è quarum proventibus Annui Capituli Generalis expensæ ex parte desumerentur, hoc cauto, ut Ecclesiarum illarum unaquæque, donec vacarent, in signum proprietatis Cistercio quotannis Aureum solveret, Rex verò interea, usque dum Ordo in earum possessionem introduceretur, singulis Annis Centum Argenti talenta nostris numeraret. Diploma Regium edidit *Henriquez* noster in Volum. Privilegior. Cisterc. post Menologium p. 233. *Datum Budæ Anno Gratiæ Milles. Ducentes. Quadragesimo xij. Kal. Aprilis Regni Anno Quinto.* Sed usum Gratiæ hujus, altero statim Anno, subsecuta immanis Tartarorum in Hungaria Vastatio sufflaminavit. In Claravalle Galliæ hoc Anno vita beatè excessit Archiepiscopus Mitilenensis, cujus Nomen intercidit, Domus ejusdem Professus. *Manriqu. l. Append. p.* 509. In Italia sanctè obiit B. *Alacbrinus*, Casæmarii Monachus, Apostolici sui spiritus causâ ab *Innocentio III.* Papa Romam vocatus, Legatiæ munere, & Episcopi Dignitate insignitus, atque ad prædicationem contra hæreticos dimissus: cujus Virtus B. *Dominico* Prædicatorum Patriarchæ Amori, & admirationi fuit. *Cisterc. bis tert. p.* 305.

Viri honorati in Ordine.

S. *Edmundus* Cantuar. Archiep. apud nos defunctus.

XVIII. Pontigniaci *Joannes* III. Abbas S. *Edmundum* Archiepiscopum Cantuariensem, jam Ordini nostro adscriptum, curandæ valetudinis ergo, ad quamdam sui Monasterii Grangiam deduxit: ubi tamen non longè pòst Vir sanctus inter Manus ejus Animam cælo transmisit, Corpore Pontigniacum reducto. Ita *Manriqu. Tom. I. Append. p.* 499. indubiè tutis è Monasterii Monumentis. Aliter tamen *Matheus Paris* in Histor. Angl. tradidit h. a. referens, Beatum Archiepiscopum obiisse XVI. Cal. Decembr. apud *Soyssy* Domum Canonicorum Regularium, Pontigniaco duabus dietis distantem, Corpore à Pontigniacensibus ad se revecto. Ego arbitror, in eodem Loco *Soyssy*, ubi Domus Canonicorum erat, fuisse pariter Grangiam Pontigniacensem: quam cùm ignoraverit *Parisius*, existimabat, Virum sanctum inter Canonicos ibidem defunctum.

§. III.

Res Monasterii Campililiensis.

Annus 1231.

I. ADhærere jam plurimum etiam in Rebus Domesticis incipit assuetus hucusque *Ortiloni*, nunc obmutescenti, calamus: cui nec alia Monasterii Monumenta, his maximè prio-

prioribûs Annorum Decadibûs, prolixius argumentum ſuppeditant. Haud etenim libet, quæ forſitan apud nos fieri potuerant, aut facta fuiſſe veroſimiliter videantur, niſi temerè, omnino, incertiſſimè ſaltem conjicere. Jllud præſenti pro Anno extra dubium ſit, *Ottonem* Abbatem noſtrum Uſu novæ Eccleſiæ conſecratæ admodum delectatum, in ea Chorum triplicem Monachorum, Novitiorum, Converſorum, ex Ordinis noſtri veterrimo Ritu, quàm diligentiſſimè inſtruxiſſe, Officii Divini penſo quotidiano nunc, ex Oratorio, ubi Annis ſex & viginti agebatur, in Eccleſiam tanslato. Laboratum prætereа perdiligenter fuiſſe in Tumulo marmoreo elato Seren.mi Ducis Fundatoris, tanquam peculiari piiſſimarum exuviarum ejusdem, nobiſcum quieſcentium, Lectulo: in quo aſſiduè, tanquam æternis quibusdam tabulis, legerent Oculi, & Animi noſtri, uncialibus literis deſcriptum, non modò, quid ipſi, verùm etiam, quid, ejus Voluntate, tam DEO, quàm Patriæ debeamus, maximè dum Chori laudes perſolvimus, DEO Gloriam dandô, Patriæ Commoda exorandô, Principi Patri noſtro Optimo Munificentiſſimo, atque Majoribus, & Poſteris ejus, Requiem æternam favendô.

Eccleſiæ conſecratæ novus uſus.

Tumulus Fundatoris paratus.

II. Cæterùm quando hoc ipſo Anno perduelles Principi Chunringii, & complices eorum, à Weitra, Bohemi à Moraviæ finibus, utrique ad usque Cremſium, Auſtriam inclementiſſimè vaſtârunt, uti §.° I.° latiùs expoſui, citra dubium Campililii quoque poſſeſſiones ultra Danubium furoribus hoſtilibus patuerunt, noſtróſque Majores ingemiſcentes, miſero exemplo edocuerunt, quantum ſubitus hujusmodi turbo Ampliſſimis etiam Fundationibus, veluti momento, detrahere poſſit. Quod eis proinde liquido documento fuit, tum demum, nec aliter, ſe verè beatos eſſe poſſe, ſi Nomen Domini ſpes eorum foret, & ſi, quantumcunque, per Fundatoris Regiam propè Clementiam, bonis abundarent, in hoc tamen incerto divitiarum nullo unquam tempore fiduciam collocarent. Sylvam porro, quæ ſupra Viennam eſt, & maximè noſtros Montes, per quos proxima Monaſterii ditio diffunditur, ipſa viarum, eò temporis non modò non tritarum, verùm etiam paucis cognitarum, ſolitudo bellorum tumultibus feliciter exemit.

Bonorum Trans-Danubianorum damna.

Annus 1232.

III. FRidericus Dux Clementiæ ſuæ erga Nos Monumentum reliquit Chartam breviculam, hoc tenore conceptam. „Nos FRIDERICUS Dei Gratia Dux Auſtriæ & Stiriæ notum „facimus præſentibus & futuris: Quòd *Chunradus de Immenerlebe* Feoda in *Recklinſtorf*, & omnia, quæ in eadem Villa à Pa„tre noſtro, & actenus à Nobis habuit, & partem, quæ ad eum

Friderici Ducis Diploma pro nobis, & Conradi de Immenerlebe Donatio.

,de Molendino in Aqua *Traisim* pertinuit, Nobis, ut pius ho-,mo & devotus, resignavit, ut illa omnia, *propter Remedium* ,*Patris nostri*, ad Claustrum *Lilienveld*, & in Usus Fratrum, ,ibidem Domino famulantium, conferremus. Quod quia ,promtè fecimus, præsentem Chartam Sigilli nostri Munimine ,fecimus roborari, ne ab aliquo possit imposterum retractari, ,Datum Wienne Anno ab Incarnatione Domini Mccxxxij. vj. ,Id. Aprilis., Vehementer subditorum cordibus insedisse Amorem Clementissimi sui quondam Ducis *Leopoldi*, vel chartæ nostræ nobis clamant. Ut enim, abhinc biennio, Domina *Eufemia* Comitissa de Pilstein donationem suam tradidit *per Manum ejusdem*, tunc in tumulum depositi: ita & nunc *Chunradus* iste de *Immenerlebe*, cui tributum in hac Charta elogium, Pii hominis & devoti, laudabilem usque hodie memoriam servat, *propter Remedium animæ illius* potiùs, quàm suæ ac propriæ, feuda sua per Ducem Filium nobis tradi, & stabiliri expetiit. Alias aliorum chartas, consimilem affectum pandentes, deinceps commemorabimus.

Amor Subditorum erga *Leopoldum* Ducem etiam defunctum.

Annus 1233.

Alberonis de Piela Contractus

IV. PRæsentis Anni Charta, ab *Ottone* Abbate nostro edita; & in Archivio nostro superstes, sub dato *Lillenveld Anno Domini Mccxxxiij. Petronellæ Virginis*, i. e. die 31. Maji, docet nos, D. *Alberonem de Piela*, acceptantibus Abbate, & Conventu nostro, consentiente quoque Duce *Friderico*, Aream quamdam in Rorbach, unacum jure Advocatiæ, tradidisse Ecclesiæ in Wilhalmspurch Matri, eo pacto, ut sibi liceat, in Capella nuper exstructa, proprium habere Sacerdotem, qui sibi, & suis, atque hospitibus, Divina celebret, absque Baptismo, & Sepultura, salvo in omnibus Jure Matris Ecclesiæ. Familiam DD.[orum] *de Pielach* latiùs deducam Tom. IIII. inter *Familias in P.* Testes in hac Charta in cæteris leguntur hi Professi nostri: *Berchtoldus* Prior, *Leutoldus* Camerarius, *Hertwicus* Cellerarius. Observare in ea insuper libet, quàm omnia, quæ Ecclesiarum erant, tum temporis Advocatis obnoxia fuerint, cùm & unicæ hujus Areæ, quam dedit iste Dominus, Advocatiam pariter remittere debuerit. Cujus vinculi causâ Monasteria, Principum potestate ab Advocatis non exemta, bonis ac possessionibus liberè uti, magna certè incommoditate sua, minimè poterant, Advocato non assentiente.

Advocati incommodi Monasteriis.

Ottonis Abbatis obitus.

V. Erat porro Contractus iste è postremis *Ottonis* grandævi Abbatis nostri Actis: quippe qui mox cum prima Monachorum Colonia è S. Cruce in Campililium immigravit An. 1206. Prioratus munere tertiò locò hìc præfuit ab Anno 1213. usque

1227.

1227. ubi, testimonió *Ortilonis* nostri, licèt jam senèx, cùm tamen à Fratribus nimiùm amaretur, omnium Pater & Abbas communibus votis optatus fuit xvij. Cal. Decembr. die Novembris 15.^m Decessum ejus, indubiè tam laudabilem, quàm Vita amabilis fuit, *Necrologium* nostrum describit xiij. Cal. Augusti, sive Julii die 20.ma: quod si non fallat, Clavum Campililii supremum tenuit Annis 5. mensibus 8. tribúsque diebûs. Subrogatus eidem D. *Berchtoldus* Prior, Virum inter gravissima Patriæ discrimina se insigni cum laude Annis octo & triginta præbiturus. Succedit *Berchtoldus*.

Annus 1234.

VI. NIhil hîc mihi innotuit, nisi, quòd Animæ suæ solicitus *Ditmarus* Nobilis in Potenstein, ad Transfretationem, videlicet in Palestinam, quia Cruce signatus erat, accinctus, plures nobis Reditus in Rezinstorff, & Pottenprunne, veluti suprema voluntate legaverit, apprehendendos à Nobis, ac perpetuò possidendos, si reversus non esset. *Ditmari* de Potenstein Legatum.

Annus 1235.

VII. OCcupatum fuisse hoc Anno *Berchtoldum* Abbatem nostrum, arbitrari licet, Visitatione celebris cujusdam & Antiqui Monasterii in Austria, quam Abbatibus S. Crucis ac Campililii à *Gregorio* Papa IX.^no sub dato *Perusii V. Idus Maji Pontificatus Anno Nono* injunctam fuisse, lego apud Rever.^mum *Manriqueum* nostrum Annal. Tom. IV. p. 511. Literis Papalibus ibidem ex Regesto Pontificio excerptis: quo non admonente, me totum Negotium latuisset, hac Bulla neque Autographa, neque transumta, apud nos exstante. Monasterii visitandi Nomen ibi tacetur. Cæterùm notant Vetera Chronica prioris Anni durissimam hyemem, frigúsque tam longum, & intensum, ut flumina & rivi glacie ferè usque ad imum congelati currere cessarent. Quo deinde factum, ut subsequente Vere, soluta glacies quasi Montes efficeret, & Aquis eliquatis, cum ingenti terribilíque strepitu abrepta, prata, agros, vineas, inundaret, muros, domos, turres, litori utrique viciniores, everteret, secúmque abriperet, Cremsio Urbe damna potissima perferente, maximè illa parte, quæ Vinitorum Pagus appellatur. Ubi cùm & Nobis Villa, ac Vineæ ab origine fuerint, vereor admodum, Campum pariter nostrum, tam Cremsii, quàm in aliis Danubio adjacentibus Insulis, Locisque, grandia detrimenta, nisi DEUS propitius exstiterit, unacum cæteris persensisse. Berchtoldi Abbatis Commissio Apostolica. Damna Danubii.

Annus 1236.

Metus nostrorum publicatâ Austriâ per Cæsarem.

VIII. DUm nutu, jussúque Imperatoris, conjurati hostes Austriam undequaque adorirentur, & occuparent, rei finem cum ingenti animi solicitudine in futurum expendisse, ac præstolatum fuisse *Berchtoldum* Præsulem nostrum, suis cum Filiis attonitis, pronus admodum cogito mecum. An aliæ ejusdem illo in turbine partes fuerint, an domi forísque Grassatorum militum licentiam deplorare debuerit, an ad Principes alienigenas, tunc Austriæ potitos, vel ipsum ad Imperatorem evocatus, déque fide interpellatus? omnia latent. Juribus interim Domus nostræ, & Securitati Possessionum, quâ poterat, vigilantia cavisse, argumento mihi est ab ipso rogata, & impetrata, repetita denuo Charta Dominæ *Eufemiæ* Comitissæ de Pilstein, iisdem verbis concepta, quibus antehac in Dedicatione Ecclesiæ nostræ An. 1230. Donationem Curiæ, triúmque Feudorum in Sirnich descripserat: hoc solùm discrimine, quòd primam Chartam Campililii signaverit, subscriptis in testimonium Præsulibûs, Principibus, Comitibus, ac Baronibus, Dedicationi præsentibûs: posteriorem verò dederit in Castro suo *Pilstein*, sive *Peilstein* coram suis: quos, cum nonnullis aliis vicinis Nobilibus in fidem adhibuit, descripto Anno 1236. Mense ac die omissis.

Annus 1237.

Cæsare Austriam occupante videtur Campililium fuisse pacatum:

IX. CÆsare per Stiriam iter agente, ut Austriam ipse occuparet, & Viennam tendente, opinari fortè quispiam posset, nostram eum per Vallem venisse. Sed iter hoc processui Augusto, cum tanto Principum Nobiliúmque Comitatu, immo exercitu, eò temporis angustum nimis, confragosum, & hyemis insuper tempore præ nivibus inaccessum planè exstitit. Sperem itaque, nisi à vicinis Dominis, ac Nobilibus, in illo Austriæ turbine pariter fortè insolescentibus, de quo tamen certi nihil constat, injurias passum esset, Campililio nostro, tanquam Eremo, à consuetudine hominum remotæ, præ cætera ferè Austria universa, quietem tunc ampliorem fuisse. Immo non planè intutè credere licet, non minimam pauperum, suísque Ædibus depulsorum hominum copiam, nostras ad Valles refugisse, facta *Berchtoldo* Abbati nostro in singulos dies occasione, consuetæ in egentes Misericordiæ sinum vario Charitatis impendendæ genere largissimè exsplicandi. Hæc etenim veteris Campililii laus, diuturna constantique fama, Chartîs clamantibûs, in posteros manavit.

Et Refugium pauperum.

Annus

Annus 1238.

X. LIquidum illico Testem dictorum se quodammodo stiterat Nobilis admodum Dominus *Wiccardus* dictus *Tôpil* (aliàs *Töppel*) *de Domo Pabe*, cum Conjuge *Brunhilde*, Filiisque *Ulrico* & *Heinrico*: quos tantum abest, per iniquitatem temporum, sub qua tunc Austria laborabat, à pietate, nostræque Domus dilectione, ac veneratione, absterritos fuisse, ut potiùs Locum præ Campililio nullum alium aptiorem reputaverint, in quo suæ Religionis erga DEUM tesseram æternam constituerent, suisque à morte cineribus loculum Christianæ quietis appararent. „Unanimi consensu (inquiunt in Charta sua) & pietate in DEUM, ejúsque Sanctissimam Matrem permoti, & „propter Venerationem Gloriosi Sancti *Mauricii* Martyris, pro „Remedio animarum nostrarum, & pro salute Charissimi quondam Genitoris mei *Heinrici Töpil*, & dulcissimæ Matris meæ „*Elizabet*, devotæ Domui Sanctæ MARIÆ in Lilinvelde Griseorum Monachorum Cistercieñ. Ordinis, quorum singularem „Devotionis gratiam, & bonæ operationis fragrantiam in afflictione carnis, & largitione Eleemosinarum novimus, assignavimus tria feoda --- Quod etiam ideo fecimus, ut suæ Fraternitatis gratiam, quam Nobis fecerunt, tantò rectiùs promereamur. --- Acta sunt hæc iiij. Kal. Januarii ANNO MCCXXXVIIJ., Claræ hujus Familiæ, è qua plures nobiscum quiescunt, annuóque apud nos officio etiam hodie expiantur, uberiorem commendationem Genealogicam Tomo IIII.^m reservo, inter *Familias in T.* reperiendam. D. *Wiccardus de Töpel* fundat apud nos Capellam S. Mauritii.

Anni 1239. 1240.

XI. REductis iterum hoc utroque ANNO Provinciis in potestatem *Friderici* Ducis, quid interim Campililii actum sit, me penitus fugit. Si acceperimus, quæ in Chronico *Australi*, & apud Chronographos Patrios leguntur, nimirum communi plurium opinione, *Ducem per Orationes Monachorum, & Clericorum, honori suo restitutum fuisse*: nemo certè in dubium vocabit, Patres nostros, irremissâ precum instantiâ supplici, Cœlum jugiter pro Ducis incolumitate, reductione, expiatione, novâque benedictione fatigâsse, hócque sibi officium præ cæteris omnibus assumsisse Campililium, Paternæ Clementiæ non immemor, quam ipse Dux Filius Confirmatione, ac Conservatione, immo Perfectione eorum, quæ deerant, tam Religiosè promovit. Et esto, nemo aliorum pro Principe apud Superos intercedere voluisset, certus attamen sum, nostrorum saltem lachrymis, piisque suspiriis, tantopere laborantem ejusdem fortunam, comploratam, & assiduo gemitu, Preces nostrorum pro restitutione Ducis.

mi-


miſerentis DEI ineffabili Benignitati, diu noctúque commendatam fuiſſe.

Auſtriâ ſub Interdicto *Alberti Behamii* poſitâ, uti fertur, quid noſtri?

XII. Tradidit deinde *Aventinus*, ſed cui fides magnopere vacillat, tum quia recens eſt, tum quia Pontifici, Cleróque magnopere iniquus, omnia eorum Acta in deterius auget, Cæſari è contra tuendo ubique ſtudioſiſſimus, cujus perperam Geſta altiſſimo plerúmque ſilentio involvit: tradidit, inquam, ille, *Albertum Behamium* Archidiaconum Pataviensem, Legatum Apoſtolicum, cui verò propè nemo nullus obaudiit, cùm ipſe nuſpiam tutus eſſet, maximè Ciſtercienſes ad fulmina Excommunicationis in Præſules, Abbates, Capitula, Monaſteria, Principes, Comites, Urbes, Provincias, deportanda, promulganda, repetenda, turmatim emiſiſſe. In his porro neque Auſtriam fuiſſe immunem, eò, quòd *Fridericus* Dux Arma cum Bohemiæ Rege in Cæſarem, eíque adhærentes, illico, ut poſtulatum fuerat, ſtringere nollet. Sed Præſules tam Principem, quam Provinciam, hujusmodi fulminum, inconſultò, prætérque omnem Papæ mentem quotidie mugientium, terrore ac metu penitus abſolviſſe. Meum verò animum propterea minimè ſubit, Campililienſes noſtros, ab hoc turbine Remotiores, locóque minus acceſſo conſiſtentes, negotiorum ſecularium incurios, Rebúsque Divinis duntaxat, ſanctæque Obſervantiæ intentos, & miſericordiæ operibus vacantes, hujusmodi Dirarum Behamiarum bajulos aliquando fuiſſe: vel etiam, Auſtriâ ſub Interdicto *Albertino* poſitâ, Privilegio ſuo uti compulſos, clauſis januis Divina celebrandi. Tametſi alterutrum, ſive utrúmque agentes, licèt forſitan minùs aliis placuiſſent, haud quaquam incongruè feciſſent.



DE-



DECAS V.

Ab Anno MCCXLI. usque MCCL.

§. I.

Res Principum & Patriæ.

Annus 1241.

I. PRovocaverat *Fridericus* Imperator ad Oecumenicum Concilium, Patribúsque ad illud accessuris, tametsi ferveret Bellum Longobardicum, de publica tamen securitate spopondit, opinione sua deceptus, *Gregorium* Papam Congregatorum Patrum Sententiam, quàm quod maximè, reformidaturum. Ut verò Legatos, Epistolásque indicendo Concilio parari vidit, versâ aleâ, vias omnes, & itinera, Legatis, Nunciísque Papalibus interclusit: ipse contrà missis in omnem Provinciam tabellariis per epistolas nunciavit, caverent Præsules, Prælati, & Oratores ad Concilium accedere: Neque enim se id permittere posse, cùm Præses ejusdem futurus esset *Gregorius*, internecinâ sibi inimicitiâ infensus. Eapropter Papa per Legatum apud Genuenses Classem conduxit, instruxitque, qua Præsules Romam securè advehendos confidebat. Verumtamen Imperator mox aliam Classem ex Pisanis armavit, navibus multò pluribus constantem, quæ Viros fortissimos vehebant, Archithalasso *Entio*, Notho Cæsaris, proclamato Sardiniæ Rege. Ab hoc itaque Classis Præsularis impugnata, facilè expugnabatur, paucis Episcopis fugâ subductis, aliquibus mersis, aliis in pugna trucidatis, plurimis in captivitatem abductis: id, quod factum est die 3.tia Maij ipsa Dominicæ Crucis Inventæ festivitate. Utrinque inaudita hæc in Ecclesiam temeritas calamum excitavit, sed impari maximè affectu. Cæsar quippe non erubuit, laureatis Literis Angliæ Regi, aliísque Principibus hanc Victoriam nunciare, tanquam à DEO sibi destinatum contra persecutores Triumphum. Qua tamen exultatione in Rebus pessimis Mundum omnem, luto meliori conditum, à se plurimùm alienavit. Papa autem immenso dolore sauciatus, Præsulibus, non quomodolibet captivis, verùm eti- Cæsar Præsules primùm invitans ad Concilium postea eos capit.

am citra decus omne ac Reverentiam, Pastoribus Ecclesiæ debitam, durissimè ac contumeliosissimè habitis, quod latè testimoniis firmat *Raynaldus*, Consolationem, quam potuit, Apostolicis Literis impendit: quas inscripsit *Jacobo* Prænestino, *Ottoni* S. Nicolai in Carcere Tulliano Diacono Cardinali, Auxitano, Burdegalensi, & Rotomagensi Archiepiscopis: Neumasensi, Carcassonensi, Agathensi, Papiensi, Astensi, & Terdonensi Episcopis: Cluniacensi, Cisterciensi, Claravallensi, de Pietate DEI, & Fiscanensi Abbatibus: *Gregorio de Romania* Subdiacono & Capellano, Decanis, Præpositis, cæterisque Vinctis in Domino.

Impugnat Romam.

II. Quid ulteriùs Imperator? Egit, ut scripsit. *Versus Romam*, inquit, *Victricia Castra nostra convertimus, ubi sub Vexillis Potentiæ nostræ nos acclamat fortuna felicior: per quam Reliquiæ, si quæ sunt nostrorum Rebellium consternantur.* Pontifex, dum Imperator Urbi appropinguaret, cum SS. Apostolorum Petri & Pauli Capitibus publicam supplicationem agens, è Cathedra vehementi Sermone Romanis iniquitatem *Friderici* sic exposuit, ut Cruce contra ipsum certatim signarentur. Obstupuit Cæsar ad novam hanc Militiam sacram sibi occurrentem: neque tamen propterea resipuit, sed atrocissimâ pugnâ commissâ, in eos, quos capere poterat, barbarâ, & in contemtum Crucis, sacrilegâ sævitiâ usus est. Nam vel ipse *Simon Schardius*, Vir eruditione clarior, quàm fide purior, qui in Vita hujus Imperatoris, *Petri de Vineis* Epistolis præfixa, prolixum illius Elogium contexuit, ita fateri coactus est. „*Fridericus* contra Cruce signatos (Romanos) nihil crudelitatis prætermisit. His enim quatuor plagas in modum Crucis infligi, „aliis Caput quadrifariam instar Crucis diffindi, Clericis, similíque hominum Generi Coronam, Clericalis dignitatis notam, „ad vivam resecari, Crucémque ei imprimi jussit. Urbis verò sanctæ occupandæ spe nihilominus dejectus fuit.

Moritur *Gregorius* Papa IX.

III. In hac autem non longè pòst laboribûs, curîs, & prodigiosô centum ferè Annorum senio confectus sæpè laudatus Pontifex *Gregorius*, postquam Annos quatuordecim, menses non planè quinque, maximo animo sedisset, xij. Cal. Septembris ad ipsum, cujus vices gessit in terris, ærumnosâ morte transivit, Juris Canonici Pater, & Librorum V. Decretalium Editor. Morte ejus in Castris ante Urbem percepta, Imperator Cardinales extra eum demoratos ad Electionem ingredi permisit, exceptîs, quos captivitate in Sicilia tenuerat. Deni itaque numerô, non plures mense Octobri tertiis demum calculis elegêre *Jumfridum*, *Galfridum*, sive *Gaufridum de Castilioneo*, Cardinalem Episcopum Sabinensem, admodum senem: cui *Gregorius* Papa Sedem

Succedit *Cælestinus* IV. mox defunctus.

Sanctam

Sanctam prædixisse refertur. Assumsit Nomen *Cælestini IV.** & Pace per Legatos Cæsari oblata, spem Ecclesiæ plurimam fecerat reparandæ quietis. Verumtamen decima septima Die ab Electione, priusquam ipse coronaretur, vel Cæsar responsum dedisset, Mense Novembri jam decessit è vivis, aliquibûs veneni potum suspicantibûs, sed nulla æqua ratione suffultîs. Abinde *Friderici* Imperatoris metu, & vi, non modò hoc residuo, sed & subsequenti integro Anno, & longè ultra, Cathedra Petri luctu viduitatis squalere coacta fuit.

Cathedra Petri propè biennio vacat.

IV. Porro hæc inter, per sese tristissima, alio flagello acerbissimô visitavit ex alto Dominus peccata hominum, Regiones plures in ira sua percutiens, cæteras, omnémque Germaniam, immo Orbem Christianum lethali formidine ad compunctionem conquassans. Tartari namque Scythicis finibus more Hunnorum egressi, devastatîs Rusciâ, Cumaniâ, Poloniâ, Silesiâ, Moraviâ, vi tota Hungariam quoque inundârunt: ut adeò proximus Austriæ Ucalegon latissimis flammis arderet. Quo decumano in discrimine quia Duci nostro otiandum non erat, quid egerit ipse, *Pernoldus* noster satis luculentè hunc in modum notavit.

Tartarorum irruptio terribilis.

V. //Mccxlj. *Bela* Rex Ungariæ *Fridericum* Ducem vocavit in auxilium contra Tartaros: sed Ungari verterunt arma in Cumanos, quos esse putabant Tartarorum Socios. Quare auxilio *Friderici* Ducis expugnata est Civitas, in qua *Kuthen* Rex Cumanorum sederat, qui etiam occisus fuit. Tartari verò cum Cumanis miserabiliter vastârunt Ungariam, homines, & loca. Rex *Bela* Reginam cum thesauris præmisit in Austriam, tandem ipse sequi coactus: quia sui cum ipso non concordes, ubique victi sunt. Dux *Fridericus* eum hospitio amicè primùm recepit. Sed postea coëgit, ut omnes ferè thesauros sibi tradere deberet pro Restitutione damnorum, quæ Austriæ prioribus Annis fecerat, & pro coactione ad solvendum sibi aurum maximum, & pro extorto à Wiennensibus tributo. Et quia ad hanc Restitutionem non suffecerunt omnes pecuniæ, & Monilia Regis: debuit etiam Duci magnam portionem Terræ Ungariæ, Austriæ vicinam, invadiare, quam Dux contra Tartaros statim munivit. Tunc Regem cum Regina versus Dalmatiam comitatus est: & cautè providens, quod Anno altero factum est, auxilia Vicinorum conduxit.//

Narratio *Pernoldi.*

VI. Cumani Sarmatica Gens infidelis, Ruxolanis, hodie Russis, vicina, cùm prænôssent invasionem Tartarorum, maxima sui parte emigraturi, supplicaverant *Belæ* Ungariæ Regi, ut in hospites admitterentur, non modò quietè ibidem habita-

Cumani in Hungaria hospites occasio Regni in se divisi.

turi, verùm etiam Fidei Christianæ Nomina daturi. Hoc postremo promisso, tanquam Grandi Ecclesiæ Accessione, summóque merito suo, *Bela* illectus, absque consilio & assensu Procerum, ac Nobilium suorum, non modò hanc Gentem recepit, amplam ei provinciam assignandô, verùm etiam, postquam ad Sacra Christiana transiissent eorum plurimi, unacum Rege suo, *Cuthene*, quem *Pernoldus* noster *Kutben* scribit, admodum illis favit, suorúmque ab eis injurias viis omnibus prohibuit. Eapropter æmulati Ungari, in tantum, ut, quemadmodum retuli ad Annum 1236. etiam Austriæ Duci *Friderico* nostro, clam advocato, Regnum detulerint. Nunc Tartaris immani cum barbarie reliquos pariter Cumanos antiqua sede pellentibûs, qui ad Socios in Hungariam accesſêre, Regnicolæ multò ampliùs adversus Regem indignati, peregrinam gentem, sibi inductam, non aliam, nisi æquè Tartaricam esse causabantur: quam Rex in perniciem Regni, plusquam veros indigenas, propriósque subditos, foverit. Hi ergo, ajebant, in Tartaros pugnent, nisi perfidi sint. Sic Regnum, in se divisum, desolationi, quæ instabat, percommodam viam instruxit. Ita ferè, tametsi longè diffusiùs, discurrit *Bonfinius* Decad. II. Libr. VIII. p.m. 392. sqq.

Dux noster contra Tartaros in Hungariam vocatus,

VII. Eodem postea ulteriùs tradente, *Bela* Rex, exercitum comparans è fidelibus, quantum in hac intestina discordia poterat, Tartaris jam ad fores hærentibûs, per Episcopos *Ducem Austriæ, ad quem jam antè Reginam præmiserat*, suo nomine exorari mandavit, ut ad se continuò veniat. Ipse Pestini Castra sua disposuit. „*Vacià* autem per barbaros jam occupatâ, Dux Au„striæ *Fredericus*, à Rege evocatus, cum paucis, veluti hujus „Rei nescius, etiam inermis advênit. Quum una die, ut sole„bant, Tartari propè mœnia Pesthi discurrerent, *Fredericus* ob„viam occurrit. Illi ex more se in fugam vertunt: insequitur „iste, unum hasta transfodit, alteri arrepto ense brachium ab„scidit, cæteri aufugêre. Fuso demum hoste, cum plerisque „captis ad *Belam* redit. Quare Ungari pro data nuperrima an„sa maledicendi, Australium Ducem laudibus multis efferre, „contrà Regem timiditatis arguere, ac nonnullis calumniis sug„gillare occeperunt.„ Hæc prima, teste *Bonfinio* Ducis nostri Adorea: quam ipse faciliùs cum exigua turma referre potuit, atque Rex cum exercitu toto. Barbari enim non in pugna, sed jactu telorum Victoriam constituêre. Quæ ut emittere possent, à longè eisdem standum erat. Unde in arena angustiore irruentes in aciem adversam, mox iterum terga verterunt: tum verò in fuga jacula sua post dorsum exonerantes, eos, qui se persequebantur, imbre telorum confecerunt. Promtiùs autem erat exiguæ turmæ, vel tam velociter assequi hostes, ut intra teli jactum hærerent, vel ita celeriter se retrahere, ut pluviam sagittarum

Ubi semel,

rum

rsum effugerent, quàm integro exercitui, longo ordine insequenti. Et ideo parvis velitationibûs longè plus damni patiebantur barbari, quam aciebus instructis: quod sagaciter Dux noster advertit. Idem si Ungari observâssent, feliciús pugnâssent.

VIII. „Instantibûs postea Nobilibus, ac Plebibûs, narrare „pergit *Bonfinius*, coactus *Bela* Rex, *Cutbenem* Cumanorum „Regem ad se cum suis, in prelium evocavit. Jlle verò, cùm „sciret frementem in se plebem, venire posse absque præsidio „Regio negabat. Quo responso plebs acerbior facta, in *Cutbenis* hospitium impetum fecit. Ipse ab Alamannis, & Ungaris, cum cæteris Cumanis juxta obtruncatur: Capita è fenestris in populum projecta, & Jus Hospitii nefariè læsum. Alii „hoc *Frederico* Duci Austriæ imputant; pars *Belæ*: cæteri Ungarorum vesaniâ factum arbitrantur.„ Sic Annalista Pannonius, tanquam de facto planè indigno, quòd *Cutbenem*, Sacris Christianis imbutum, indultóque hospitio merè utentem, ab omni perfidiæ crimine longè alienum fuisse existimet. *Australis* verò Chronica apud *Freberum*, & alia plura apud *Pezium*, quorum cum illa eadem planè phrasis est, ita narrant ad Annum 1242. „Cumani Gens maledicta intravit fines Hungariæ. - - „Deinde diffundebantur per totam provinciam illam sicut locustæ, sanguinem humanum sitientes, & effundentes, sicut „Aquam. Jlli verò, qui priùs habitare cæperunt in terra, conjunxerunt se cum suis, & facta est turba innumerabilis. Quorum Rex, nomine *Gutan*, se ipsum interfecit, priùs interfectis duabus Reginis, & aliis, qui secum in domo convenerant, „*præ timore Ducis Austriæ*, qui Domum illam impugnabat, & „tandem expugnabat.„ Hæc quia similiter *Fernoldus* noster affirmat; semel & iterum laureatus è Pannonia Dux noster abscessit. „Castris quippe multarum copiarum adventu latè refertis, ait iterum *Bonfinius*, Dux Austriæ abiit.„ Revocâsse illum putem tam suæ Provinciæ præmuniendæ solicitudinem: quàm toedium discordiæ, Regem inter, ac Nobiles, quæ palmas omnes, de hoste referendas, velut in herba infeliciter præcidit.

Et iterum vincit.

Redit abinde.

IX. Quàm porro verum sit illud *Mathei Parisii* ad hunc Annum Histor. Angl. p. 379. ego non urgeo, dum scripsit. „Qui „etiam (nempe Tartari cum Cumanis) sibi conterminis, & jam „confoederatis, *machinante Imperatore*, Regem Hungariæ, cum „quibusdam aliis Magnatibus, expugnabant, ut fatigatus Rex „ad Alas Imperatoris avolaret, Homagium ei pro succursu im„pendendo facturus.„ Id quidem constat, Cæsarem Regi, quòd vocatus ad se non accesserit, foedus detrectaverit, partes ejus non arripuerit, indignatum esse, offensæ causam eam prætexendô,

Hungariæ excidium Cæsari imputatum.

xendô, quam *Albertus Trifontanus* noster ad Ann. 1236. prodidit, ajens. „Imperator F. *ridericus* repetit à Rege Hungariæ Tributum quadraginta septem Annorum, quod videlicet, ex quo mortuus est Avus ejus Magnus *Fridericus*, solutum non fuerat.„ Vide sis par exemplum iræ Augustæ adversus Ungariæ Regem, quale antehac odii in Ducem nostrum, quia neuter secum in Pontificem & Italos conspiravit: quamquam apud Regem Tributum omissum, uti apud Ducem nostrum negatam Dotem, coram Orbe, sic deludendo, causaretur. Cùm verò ad fœderis secum non initi vindictam in Ducem nostrum arma stringeret, è converso parem de Rege ultionem sumturus, eidem auxilium contra Tartaros negavit. Juxta enim *Albertum Stadensem*, cùm timore barbarorum istorum, homines contra eos, in diversis Locis, & Provinciis, Auctoritate Episcoporum, se Crucis charactere insignirent, Papâ *ad instantiam Regis Hungariæ, ac Ducis Austriæ & Domini Carinthiæ* (lege Carniolæ) Generalem Terræ Hierosolymitanæ Indulgentiam contra eos promulgante: addit Chronica *Neoburgensis*: „Sed Dominus Imperator hoc fieri prohibuit, eò, quòd Rex Hungariæ, ab eo vocatus, venire contemsit, & loqui cum eo.„

Qui illud Papæ obtrusit.

X. Ipse tamen Cæsar apud *Petrum de Vineis* Epistolar. Libr. I. Cap. XXIX. & XXX. p. m. 189. & 193. Regi super hæc scribens, increpat eum, quòd hoc de periculo à se præmonitus, neglexerit remedia opponere, loca munire, fines tueri, exercitus conscribere. Se porro à suppetiis excusat, quòd in Italia pacem à perduellibus Imperii, ipsóque Papa consequi nequeat. Admonet tandem eum, sua pariter Auctoritate interposita efficere studeat, ut Regnum inter ac Sacerdotium, cessante discordia, Fides Catholica laborare desistat. Sic ille Tartaricæ tirannidis invalescentis causam Papæ obtrusit. Ope igitur nulla suffultus *Bela* infelix, & apud Pestinum internecinam perferens cladem, Fratre ejus *Colomanno*, Metropolitis geminis, Episcopis pluribus, atque Magnatibus cæsis, ipse se fuga ægerrimè subduxit, Regnum florens propè in desertum transivit.

Bela Rex Ungarus in Austriam fugit.

XI. Sequi proinde eum coactum fuisse Reginam, videlicet *Mariam*, Filiam *Lascaris* Græcorum imperatoris, quam cum Thesauris in Austriam præmiserat, ait *Pernoldus* noster, hospitio primùm amicè receptum. *Bonfinius* verò infit, eum cum paucis elapsum, in sylvas Poloniam versus fugam intendisse. Studûisse autem & fines Austriæ attingere, ut Reginam, quam ibi dimiserat, alloqueretur. Ubi cum aliquantulum curandi corporis causa substitisset, somnúmque exutis armis captaret: ecce, Ducem Austriæ, qui se ad officium venisse simulârat, occurrisse. Regem à somno statim excitatum, viso Duce, quem

jam

jam ſibi reconciliârat, admodum recreatum: cujus hortatu, quo ſecurior foret, trajectô Danubiô ad Oppida ſua invitatum, oblata ejus, quoniam tempus, ac res ita poſtulabant, Lubenter accepiſſe. Quæ omnis Narratio *Pernoldo* noſtro haud obviat. A quo tamen plurimum abiit *Joan. Dubravius* Hiſtor. Bohem. Libr. XVI. p. m. 132. ajens, *Regem in Auſtria latitantem mox proditum fuiſſe.* Pergit poſtea Ducem noſtrum barbaræ inhumanitatis poſtulare, quòd *Belam*, è Regno ſuo profugum, adeò miſeratus non fuerit, ut ad novam inſuper miſeriam, egeſtatem nimirum, illum redigeret, pecuniis ab illo, vasísque aureis extortis, quæ Regina ſecum extulerat: quaſi Rex olim à ſe tantundem extorſiſſet, quando pro damnis, in Hungaria illatis, eidem ſatisfacere cogebatur. A quo Dux noſter Theſauros extorſit.

XII. Hìc ego non video, quare *Bela* latere, & non aliter, ac *proditus*, comparere debuiſſet coram illo Duce, quem paulò antè, auxilii gratia imploratum, in Hungaria præſentem habuit, cujúsque Provinciam Refugii locò habens, illuc Reginam ac theſauros præmiſit? Reliquum factum, in Hiſtoria Ducis noſtri argumentum laudis non eſſe, liberè fateor, atque ultionem hanc de Regè, inopportuno maximè tempore ſumtam, ipſe concedo, cùm afflicto non ſit addenda afflictio, nec facilè hoſpitii fides temeranda. Quod quidem tantò minùs decuit, cùm ſuo ambitu *Fridericus* olim effecerit, Coronam Hungariæ affectans, ut Regno ejectus, auro gravi, tanquam poenâ, & mulcta, non iniquè imperatâ, pacem ac veniam delicti emere debuerit. Sed, uti Potentium animi plurima, quæ audent, haudquaquam ex æquitate metiuntur, & facilè rationem adinveniunt, facta ſua ex alio capite apud ſe ipſos tuendi: ita & hìc Princeps noſter, qui tempore incommodo iram ex more diſtulit quidem, non verò remiſit, præter jus ulciſcendi, quod in omne tempus ſibi integrum exiſtimabat, utilitati præſenti intendens, periculum penſavit, quod Auſtriæ, immo Germaniæ toti, præ foribus eſſet, ſi Tartari ex Hungaria, quo Regno jam exciderat *Bela*, gradum ulteriùs facerent, atque, torpentibûs aliis, nec ipſe obſiſteret. Factum, ſi æquitatem ſpectes, non bonum.

XIII. Eapropter & Opes Regis, quæ nervus belli ſunt, poſtulavit, & Provinciæ partem Ditioni ſuæ propinquam, ut Auſtriæ qualemcunque Murum acquireret, ad quem allideret hoſtis, vel ſaltem aliquamdiu adhærere cogeretur. Unde & illam ſtatim præſidio, aliisque operibûs munivit. Pecunias conducendis Vicinorum ſuppetiis impendit. Atque hoc pacto, tam Neceſſitate, quàm Utilitate publica, inſolentiam facti excuſari credebat, opinatus præterea, neque *Belam* ad id magnoperè invitum eſſe debere: quippe cui, ſi Auſtria barbaros repellere poſſet, recuperandi Regni ſui ſpes multò amplior, ac velocior afful- Si Utilitatem, Reipublicæ percommodum felici eventu.

fulgeret, quàm, si, & hac vastata, ipsi rabiem suam etiam in Germaniam proferrent. Neque hanc industriam felix eventus, DEO propitio, destituit. Spoliato porro Rege, quod ulteriùs execratur *Bonfinius*, cognitione veterum Rerum planè infida deceptus, in Hungariam excurrit Dux noster, & vastandô ibidem pari cum barbaris inclementia sæviit, donec sui, Urbe Jaurino jam potiti, à concurrentibus Ungaris conclusi fuerint, & una cum Arce exusti. Alii addunt, barbaris hanc Ducis nostri Grassationem, qua modum nullum servabat, tanquam suæ consimillimam, ita placuisse, ut eum suam ad Societatem per Nuncios invitarent, si Christo abrenunciaret: quod ille grandi cachinno exceperit. Verumtamen horum nihil *Pernoldus* noster testatur, neque ego illa accipio, cùm ut maximè in Historiam pugnent. Regem etenim ac Reginam versus Dalmatiam comitatus, eâdem operâ ex Carniolia sua, Carinthia, Bohemia, copias auxiliares non minimo numero conduxit. Ita esse, præter Scriptoris nostri testimonium, dilucidè ex iis, quæ Anno altero evenêre, patebit.

Fallit, *Fridericum* nostrum vastâsse Hungariam.

XIV. In hoc interim tanto crudelissimæ irruptionis barbaræ metu, qui Germaniam, immo Christianas omnes Provincias ad Vota & preces coëgit, DEI Clementiam pariter promeriturus Dux noster, suisque armis, quæ Magnanima Virtute sua in hostes meditabatur, virtutem ex alto impetraturus, variè hoc Anno in Ecclesias beneficus exstitit. Et primùm quidem Episcopo, Capitulóque Pataviensi, Feuda omnia, quæ ab ipsis habebat, ut Jurium suorum essent securiores, publico scripto professus est, hoc Exordio præmissô, quod sanè Principem, tam Religionis, quàm suæ salutis eximiè solicitum ostendit. „Nos DEI gratia FRIDERICUS Dux Austriæ, & Stiriæ, & Dominus Carnioliæ, præsentibus Literis profitemur: Quod Nos Materna Beneficia Pataviensis Ecclesiæ Devotione Filiali non immeritò recolentes, ne his, quæ Nobis, tanquam Unigenito, contulerat, si intestati sublati fuissemus de medio, privaretur, sperantes, Nobis apud DEUM esse Meritum, si Saluti Animæ nostræ, & præfatæ Ecclesiæ per Nos caveretur providere in futurum principaliter hac in parte. Ecce, coram Dilecto Domino, & Amico nostro, Venerabili RUDIGERO Episcopo, in forma Confessionis & Pœnitentiæ constituti, adjurati per ipsum, suisque Exhortationibus inclinati, protestati fuimus, subscripta omnia, cum aliis omnibus, quæ memoriter non recolimus, quæ ipse nihilominus processu temporis per scrutinium diligentis Inquisitionis poterit experiri, Nos possidere, ab Ecclesia Pataviensi titulo feudali. Sunt autem hæc, &c. - - Datum Patav. Anno Domini MCCXLI. v. Id. Martii.„ Integrum Diploma hoc leges apud Cl. *Hansiz.* Metr. Laur. p. 379. n. 8.

Idem gratiam à DEO promeriturus, benè mereri studuit de Ecclesiis.

Pataviensi Cathedrali.

XV.

XV. Canoniæ Præmonstratensi in Osterhoven Bavariæ Immunitatem Telonii per Austriam hoc eodem Anno geminâ chartâ confirmavit, quarum prima initio sic habet. „Solitæ Benignitatis affectu in Opera Charitatis, quæ fel. Record. Progenitores nostri specialiter pro Libertate Ecclesiarum quarumlibet fecisse dinoscuntur, non solùm ex Instrumento, & non immeritò inclinamur ad singula conservanda, quæ vel compensandô, aut de mera Liberalitate, dicti Progenitores nostri quomodolibet fecisse videntur: verùm etiam, divinitus stimulati, singulis Ecclesiis de Gratia speciali nostris temporibus taliter adesse volumus, & prodesse, ut & Nos ex his, & aliis, quæ fecerimus Domino inspirante, mereamur fieri participes Regni DEI. Pensatis igitur præmissis &c. - - Acta sunt hæc Patav. Anno Domini MCCXLI. prid. Kalend. Martii.„ Chartæ alterius hæc subsignatio. *Datum in Chrems per Manus Magistri Ulrici de Chirnpach Prothonotarii Anno Domini MCCXLI. VII. Id. Martii XIV. Indict.* Utramque Chartam integram exhibuit *Gewoldus* apud *Hundium* Metrop. Salisb. Tom. III. in Additionib. p. 18. Ibidem porro p. 271. Dux noster parem Immunitatis gratiam fecisse legitur etiam Tegernseensibus Benedictinis, Anno tamen 1251. vitiosè pro 1241. apposito. Canonia Osterhoviensi: Monasterio Tegernseensi.

XVI. Cl. *Raymundus Duellius* Miscellan. Libr. I. in Append. Diplomat. p. 432. Principem nostrum de Inclita quoque sua Canonia Sand-Hippolytana Clementi Donatione, tametsi qualis illa fuerit, prætermissum, hoc eodem Anno benè meruisse testatur, adducto Diplomatis initio duntaxat, ac fine: quorum prius ita habet. „Cùm erga quaslibet Ecclesias pio semper moveri velimus affectu, specialiter tamen Ecclesiam Beatissimi Martyris *Upoliti*, quem apud districtum Judicem pium Nobis eligimus Advocatum, in Eleemosinarum largitione semper intendimus promovere. Hinc est, quod cunctis præsentibus & futuris dignum duximus intimandum, qualiter ob Remedium animæ nostræ, nostrorúmque Parentum, præfatæ Ecclesiæ Beati *Upoliti*, & Canonicis illic Domino servientibus tradimus &c. - - - Acta sunt hæc Anno Domini MCCXLI. in Ecclesia sancti Ypoliti præsentibus Venerabilibus Dominis nostris, *Rudegero*, Pataviensi Episcopo, & *Chunrado*, Frising. Episcopo, & aliis Viris honestis &c. - - - *Data in sancto Ypolito* pridie Kalend. Augusti.„ Insuper Canoniæ Regulari Bavariæ in Suben, Exemtionem Vectigalium apud *Neunburgk*, in Ascensu, sive descensu Eni fluvii, Mansúmque unum juxta Rivum *Pirnpach* in Villa *Harwart*, olim ab *Henrico* Marchione Ustriæ indulta, promtè confirmavit, tali modo, ut omni feria secunda in Missa defunctorum sui memoria solemniter haberetur. Diploma exstat apud *Hundium* Tom. III. p. 261. insertum Con- Sancto Hippolyto, Canoniæ in Suben,

firmationi *Friderici* Puclhri Ducis, ita subsignatum. *Acta sunt haec Anno Domini MCCXLI. Indictione XIII.* (lege XIIII.) *Datum Cremse VI. Calendas Octobris.*

Ecclesiæ Frisigensi. XVII. Tandem fide Literarum publicarum, quas Histor. Fris. Tom. II. Part. I. p. 19. vulgavit Cl. *Meichelbeckius*, Ecclesiam Frisingensem non mediocriter sibi obstrinxit Dux noster, Advocatiam in Enzenstorf, persolutis à se quingentis Talentis, de Manibus, sive potestate *Ulrici de Pilbdorff* Ministerialis sui extrahendô, inductus, ut ait, Meritis & Dilectione sui Domini, & Amici, Venerabilis Episcopi Frisingensis *Conradi* (nimirum I.[mi]) eo pacto, ut Advocatia ista sibi, atque Hæredibus suis perpetuò addicta maneret, sed alienari per se, aut suos, nullatenus posset. Subsignatio: *Acta sunt haec Anno Domini MCCXLI. Indictione XIII. Datum Wienne IIII. Calend. Januarii.* Curatiùs, pluribúsque cum Excerptis hæc Beneficia, & quibûs continentur, Publica Instrumenta recensui, ut, quo animo in causas pias, atque Ecclesias, Dux noster fuerit, luculentiùs adversus eos pateret, qui *Bellicosum* eum solummodo fuisse jactantes, inter perpetuas amorum furias, parum, vel nihil Religionis habuisse, cavillari audebant, ac propè ad illos damnârunt, in quos psallebat Poëta:

Nulla Fides, Pietásque, Viris qui Castra sequuntur.

Neque deinceps consimilibus argumentis Famæ ejus reparandæ destituar.

Annus 1242.

Cæsaris culpâ impedita Electio Papæ. XVIII. DUm Romæ vix demum sex aut septem Cardinales demorarentur, aliis vel demortuis, vel propter Bellum Longobardicum apud amicos degentibus, aut etiam, quòd à Cæsare starent, vi Romanorum expulsis, cæteris per *Fridericum* Imperatorem in captivitate detentis: neque congredi ad eligendum Pontificem sacer Senatus hic potuit, neque per Literas votis convênit. Cæsar, penes quem hæc culpa potissimùm stetit, Patres hos tamen Purpuratos durissimis Literis, moræ, causâ, increpavit. Quæsivit etiam apud eos Reconciliationem suam, sed conditionibûs, quibûs ea sperari non poterat. Quæsivit attamen, non ut obtineret, sed ut calumniari liberiùs possent, qui eum tuerentur, non ipsum, sed Ecclesiam, in mora suspiratæ ab Orbe toto Pacis fuisse. Urbem Romam longiùs integro Mense circumsidens, quasdam ejusdem Turres dejecit, ac tandem recessit. Copiosè hæc omnia disces apud *Raynaldum* h. a.

XIX.

XIX. De Ducis nostri Actis *Pernoldus* paucis verbis valde profectò memorabile quidquam ita suggerit. // Mccxlij. Tartari Mense Augusto inchoante venientes juxta Danubium, // accesserunt usque Wiennam. Dux verò adjunctis sibi auxiliis Bohemorum, Carniolorum, Carentanorum, præter // suos, celeriter advolavit. Cujus exercitu viso, subitò fuga dilapsi Tartari, in Ungariam redierunt. Sed occisi tamen ex eis multi, & alii capti sunt. Sic DEI ope Bawaria, & Germania, terribili metu, & periculo liberatæ fuerunt. // Commentarium insignem hos in brevissimos parographos mihi reddit Epistola illa *Ivonis*, Clerici Narbonensis, ad *Giraldum* Archiepiscopum Burdegalensem: quam bono veluti Austriæ fato servavit, & prolixè vulgavit, *Matheus Parisius* Histor. Angl. Major p. 412. sqq. ad Ann. 1243. Pernoldi Narratio.

XX. Ibi sic inter cætera lego. „Sed ab eodem Fratre po„stero mane solus relictus, Carinthiam pertransiens solivagus, „ac deinde in quodam Oppido Austriæ, quod theutonicè *New„stat* dicitur, i.e. *Nova Civitas*, --- hospitabar. Et in proxi„ma Civitate *Wienna*, Locisque circumjacentibus aliquot an„nos delitui. -- In hac demum æstate ipsa Gens memorata, quæ „*Tartari* nuncupantur, Pannoniam, quam per Traditionem ce„perat, exiens, dictum Oppidum, in quo tunc fortè morabar, „cum infinitis militibus obsedit truculenter. Nec erant ibidem „in ipso ex nostris Viri bellici, præter Milites quinquaginta, „quos cum viginti balistariis Dux in Munitione reliquerat. Hi „omnes ex quibusdam eminentiis circumfusum supervidentes „exercitum, immanem abhorrebant sævitiam satellitum Anti„christi, & ascendentes ad Dominum Christianorum, planctus „miserabiles audiebantur. Qui subitò in circumjacente provincia „præoccupati, sine delectu Conditionis, fortunæ, sexus, & æta„tis, omnes indifferenter diversis suppliciis interiebant. Quo„rum cadaveribûs Principes, cum suis cynocephalis, aliisque „Lothophagis, quasi pane vescentes, nihil præter ossa vulturi„bus relinquebant. --- Videntibûs interim ipsorum Speculato„ribûs ex cujusdam Promontorii summitate, *Ducem Austriæ*, „cum Rege Bohemiæ, Patriarcha Aquilegiæ, Duce Carinthiæ, & „Marchione, ut dicebatur, concomitante de Bade, cúmque „plurimo Potentatu conterminorum, & jam ordinatas ad bel„landum Acies: totus ille nefandus exercitus repentè disparuit, „omnésque illi cursores in miserabilem Hungariam sunt rever„si. Qui, ut subitò aderant, sic & aberant repentini: unde ma„gis omnes, hoc videntes, reddiderunt formidantes. Ex ip„sis verò fugientibus Princeps Dalmatiæ cepit octo: quorum „Dux Austriæ novit unum, Anglicum natione, sed propter quæ„dam maleficia de Regno Angliæ perpetua banniatione proscri-

Tartari Viennam accessere-runt.

Sed solo aspectu Exercitus à Duce nostro adducti effugantur.

„tum. Hic ex parte Regis nequissimi Tartarorum bis venerat „ad Regem Hungariæ Nuncius, & interpres, & mala, quæ post- „modum contigerunt, satis manifestè præmonendô commina- „tus, nisi se, & Regnum suum, Tartareæ dederet servituti. Hic „à Principibus nostris inductus ad dicendum veritatem, de Tar- „taris, nullum visus est prætermittere juramentum: sed tanta „contestatus est, ut & ipsi credi posset diabolo &c. „

Mirum, hoc penitus in Chronicis Patris taceri:

XXI. Quem, amabò, non summa, dum hæc legit, admiratio subeat, Rem adeò Seculorum hominúmque memoria dignam, in omnibus tamen Chronicis Patriis profundo silentio pressam esse? quasi verò condictum fuisset scriptoribus nostris, atramentum suum propemodum omne unicè in criminationesRegis nostri insumere. Nam & hoc ipso Anno novas inUngaros, Bohemos, & Moravos ejusdem Grassationes, damno mutuo, factas, comminiscuntur. Tantæ crudelitatis barbaræ aversio, quam *Parisius* prodigio parem æstimaverat, uti fuit miserentis DEI beneficium ingens, æterna laude cantandum: ita pariter vel sola, & unica, *Friderici* Ducis Nomen Seculis omnibus memorabile reddit. Nomen, inquam, quod ipsis Tartaris, quibus antea Virtutem suam in Hungaria ostenderat solùm, levibúsque velitationibus ex occasione impresserat, formidini ac terrori fuit, cum ipsi cæteroquin suo metu universum quodammodo Orbem implevissent. Verum fateor: Non pugnavit Princeps noster, non ferro & sanguine vicit. Sed Magnanimitas ejus, qua solus pro ponte stare est ausus, sociísque, ut unasecum in aciem egrederentur, animum inspiravit, omni victoria clarior est, tantúmque de rabie barbarà in fugam acta Triumphum retulit, quo feliciorem ab ense quolibet laureato sperare non possis. Quare *Adlzreiterus*, Duci nostro parum aliàs æquus, dum ad Annum 1241. p. m. 662. n. V.to gloriosum hoc factum, pro quo alteras quasdam *Sybotonis* cujusdam Literas V. Id. Januarii datas allegat, recensuit, ita fateri coactus est. „

Quod *Friderico* nostro æternæ laudi est.

„Hoc Anno Tartari, Scytharum Gens truculenta, Turcis prelio „superatisCappadociâ potiti, totúmqueOrbem barbarâ confiden- „tiâ complexi, Ungariæ,Sarmatiæ,Silesiæ,Lusatiæ aliisqueEuropæ „Provinciis foedissima crudelitatis vestigia impresserunt. Ne in „Boicam penetrarent, effecit FRIDERICI *Austrii*, & finitimorum „PrincipumFortitudo: qui admirabili felicitate, innumeram fero- „cissimorum hominum multitudinem, quæ eversâ Cracoviâ, „Strigonio, plurimisque Poloniæ, & Hungariæ Civitatibûs, *Vien-* „*nam* usque victrix pervaserat, solo signorum conspectu sic ter- „ruit, ut nihil ultra tentare ausi, turpi receptu retro, unde „venerant, effugerint. „ Sic eo tempore Germaniæ salus ex Austria.

XXII.

XXII. Tantæ autem DEI Clementiæ, quacunque saltem sanctæ Munificentiæ redhibitione, grates repensurus *Fridericus* Dux, neque hoc anno destitit Ecclesiis favere. Cujus rei Testimonia profero illa, in quæ incidi, neutiquam mihi persuadens, illum non multò plura præstitisse, quàm sola, quæ ego, post omnem in hoc collocatam industriam, novi. Præterquam igitur, quòd factam Nobis *Uritlonis Lilienveldarii* Donationem assensu suo, & Sigillo firmaverit, ut in Rebus nostris uberiùs egisseram: in gratiam Zwetlensium cessit juri, quod habuit, sive habere videbatur in Villa Zwetlern, quantum ad Placita, sive persolutionem Avenæ, aut nomine quocunque, *pro remedio,* ait, *peccatorum nostrorum, ac ob Reverentiam Omnipotentis DEI, & omnium Sanctorum, atque in Recompensationem damnorum, quæ* Ulricus de Chungesprunne *Monasterio S. Mariæ apud Zwetel intulit.* Epochæ tales adscriptæ: *Acta sunt hæc Wiennæ in Domo* Reinheri, *Decani de Chremis III. Cal. April. Anno Domini MCCXLII. Indict. XV.* Ita grati prædicant *Annal. Zwelt.* I. p. 319. Sibi recompensandum Princeps assumsit, quod Servus deliquit. Admontensi Stiriæ Cœnobio Benedictino confirmavit, & innovavit Immunitatem ab omni exactione, suis Judicibus præstanda. *De plenitudine,* inquit: *nostræ Gratiæ, qua Religionis Cultui efficaces semper existere cupimus Zelatores, eidem* (Cœnobio) *duximus concedendum &c. - - Acta in Graetze Anno Domini MCCXLII. pridie Kalend. Julii.* Literas integras edidit Cl. *Bern. Pezius* Anecd. III. Part. III. col. 772. n. 95.

Ducis nostri favores impensi Ecclesiis: Campililio: Zwetlæ: Admontensibus:

XXIII. Ut Mellicensis Ecclesia detrimenta illa, quæ per Milites fecerat, recuperaret, favorem pariter Principis nostri læta persensit, teste Diplomate ejusdem, quod est in Austria Cl. *Hueberi* p. 72. n. 3. ubi sic lego. „FRIDERICUS &c. Cùm propter communis belli turbinem, quod per districtum nostri Dominii sæviebat, diversi diversa Monasteria, & Ecclesias enormiter offendissent, *Otto* Ministerialis noster *de Ottenstein*, qui in multis læserat Monasterium Medlicense, cùm aliter satisfacere non posset, eidem dimidiam partem Lignorum juxta Castrum, quod dicitur *Schala*, & quædam alia bona sua, Nobis publicè resignavit. Quæ & Nos, consueta Gratia, & favore, quo commoditatibus Ecclesiæ Medlicensis semper intendere volumus cum effectu, tradidimus Monasterio supradicto &c. --- Acta sunt hæc apud Newnburck Anno 1242. Datum in Castris apud Weikinstorf IV. Nonas Octobris.„ Liquidò docent hæc, & superior Charta Zwetlensis, ni magnopere fallar, damna ex disturbiis bellicis, quæ nostro sub Duce crebriùs inhorruerunt, culpâ subditorum potiùs, quàm Principis, evenisse, propria eos postea remordente Conscientia, ut non leviter de damnorum, quæ Locis præsertim sacris intulerant compensa-

Mellicensibus:

pensatione angerentur. Præsens verò Instrumentum signatum esse *in Castris apud Weikerstorf* ad Marcham fluvium propè, vel in confinio Hungariæ, argumento mihi non est belli novi adversus Moravos, aut Ungaros, quod nonnulla hoc Anno Chronica anteoccupant, *Pernoldo* nostro altùm tacente: sed vigilem potiùs custodiam indicat, qua solicitus Princeps noster limitem Pannonicum servabat, si novam Tartari fortassis impressionem attentarent. Aliàs etiam cum *Conrado* Episcopo Frisingensi Dux noster Contractu novo super Advocatia in Enzerstorf, quantúmque in singulos Annos pro ejusdem Defensione percipere deberet, præsente *Rudigero* Episcopo Pataviensi convênit. Literæ signatæ *apud Loope VII. Id. Novembr. Anno Domini MCCXLII.* vulgatæ *Histor. Frising.* Tom. II. p. 19.

Ecclesiæ Frisingensi.

Annus 1243.

Diuturna Sedis Apostolicæ Vacatio culpâ Imperatoris.

XXIV. SAcrum Cardinalium Collegium, quod hoc infelicissimo tempore, quam exiguum tam etiam inter se divisum erat, nonnullis à Cæsare stantibûs, in hoc tamen concors fuit, quòd nollet, uti ritè nec etiam poterat, ad novi Pontificis Electionem procedere, priusquam capti ab Imperatore, *Jacobus* noster Cardinalis Episcopus Prænestinus, & *Otto* S. Nicolai Diaconus Cardinalis, in libertatem assererentur. Rogabat ergo Purpuratus hic Ecclesiæ Senatus, rogabant Reges, & Regna, omniúmque hominum Ordines, atque rationibûs gravissimis urgebant, ut eos dimitteret Imperator: qui verò obnitebatur universis. Quare contigit, Ecclesiam à præcoci morte *Cœlestini IV.* Papæ, totis novendecim Mensibus, & quod excurrit, absque capite, sub infinitis discriminibus laborare. Sanctam enim Urbem Jerosolymam Chorasmini ceperunt, & miserè profanârunt. Constantinopolitanum Imperium *Vatacius*, Thessalonicæ Rex, propè extinxit. Europæ Regna Tartari everterunt. In Prussia infideles Pruteni sævierunt. Germaniam divisus in Ecclesiam, & Cæsarem affectus, mutuis bellis secum ipsa commisit. Italiam omnem præsens Imperator, quà potuit, pessumdedit. Galli & Angli armis internecinis sese mutuò confecerunt. Hinc itaque gravissimas adversus Imperatorem querelas non ii tantum, quos infestos, verùm etiam quos promtos aliàs habuit, tamdiu publicè edebant, donec tandem, fessus earum, & solicitus, geminos antè dictos Cardinales è Custodia sua emiserit, hac verò condisione adjecta, ut, nisi eligerentur ipsi, ad captivitatem redirent.

Tandem electus *Innocentius IV.*

XXV. His igitur adventantibûs, demum ad S. Joannis Baptistæ Solemnia, unanimi Cardinalium apud Anagniam voto, Sancta Sedes Romana novum Pontificem accepit *Sinibaldum Fliscum*, Comitem Lavaniæ, dictum *Innocentium* IV.tum. corona-

natum pridie, aut ipso SS. Apostolorum Petri & Pauli festô. Utrùm Presbyter, an solummodo Diaconus Cardinalis fuerit, variam apud Scriptores esse sententiam, tam *Raynaldus*, quàm *Franc. Pagius* asserunt. Quam verò definire potest Bulla nostra solemnis *Gregorii* Papæ IX.[ni] de Anno 1230. ubi disertè cæteros inter Cardinales, qui subscripsêre, legitur: *Ego SIGEBALDUS Sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis.* Imperator porro novo Pontifici, quem ut Cardinalem peramicum habuit, gratulatus est quidem per Nuncios, & Literas, verbis admodum abbandientibûs: quæ tamen cùm sola daret, nihil complens effectu, & nec Præsules atque Clericos captivos dimittens, spes Pacis affulgere non potuit. Cui gratulatus Imperator, nihil tamen detulit.

XXVI. Nostro de Principe *Pernoldus* hoc Anno. // Mccxliij. // Dux *Fridericus* tertiam Uxorem suam *Agnetem* de Merania // Auctoritate Archiepiscopi Salzburgensis, & plurium Episco- // porum apud Friesach Karintiæ ex thoro suo dimisit ob Affini- // tatem, & quia priùs Imperatorem secuta est, nec fœcunda // fuit. Offendit in hoc *Belam*, cujus Mater fuit Soror Patris // *Agnetis*: qui rediens in Regnum suum Ungariæ, è quo Tarta- // ri excesserunt, cum Auxiliis Equitum de Rhodiis, & Nobi- // lium de Frangipanis, voluit in transitu Austriæ, Divortium // bello ulcisci. Sed coactus est à Duce cedere. // Singula hujus paragraphi, valde iterum notabilis, membra paulò à me uberiùs illustrari necesse est. Pernoldi Narratio.

XXVII. Ill. *Eccardus* in Appendice vernacula ad *Origines Saxonicas*, sive Confutatione communis Opinionis, *Friderico* ultimo Duci Babenbergico fuisse Uxorem Brunswicensem, col. 691. sqq. existimabat, Principem nostrum *Agnetem* Meraniensem, Anno 1229. altero matrimonio ductam, postea Anno 1235. repudiâsse, eò, quòd *Stero*, & Chronographus *Augustanus* ad hunc Annum simul retulerint Proscriptionem *Friderici*, & Repudium *Agnetis*. In quo verò Vir cæteroquin sagacissimus malè admodum vidit. Neque enim uno semper Anno evenerunt, quæ una sub epocha in Veteribus Chronicis colliguntur. Si modò Chronicam *Australem*, quam pro Connubio *Agnetis* allegavit, ulteriùs consuluisset, reperisset utique hunc paragraphum ad Annum 1244. „*Fridericus* Dux Austriæ & Stiriæ Uxo- „rem suam, Filiam Ducis de Meran, repudiavit coram *Eberhar*- „*do* Archiepiscopo Salzburgensi, & Episcopo *Rudgero* Pataviensi, „& coram aliis multis Literatis, & illiteratis.„ Idem quoque ipsi, ad Annum vel eundem, vel veriùs anteriorem, suggessissent omnia ferè Chronica Austriaca *Peziana*. E quibus cùm Repudiatio certissima sit, causas tamen ejusdem nullibi reperire est. *Stero* infit, Remissam esse *tanquam Cognatam*. Chronogra- Dux nôster tertiam Conjugem repudiat.

graphi Salisburgensis Narratio est apud Cl. *Hier. Pezium* I. col. 357. ad Ann. 1243. „Dux Austriæ coram Archiepiscopo Salzburgensi, Pataviensi, Sekowensi, & Lavendensi (lege Seccoviensi & Lavantino) & multis Prælatis, tam Austriæ, quàm Marchiæ, Divortium, *oppositis Uxori suæ quibusdam Exceptionibus*, obtinuit celebrari.„ Cl. *Hansiz.* Metr. Laur. p. 380. ex Chronico *Garstensi* addit: Repudiatam nihil in contrariam respondisse, sed ad Sedem tantùm Apostolicam appellâsse.

Causæ Divortii.

XXVIII. Omnibûs proinde istis disertiùs Rem præsentem *Pernoldus* noster edixit in hæc verba. „Dux *Fridericus* tertiam Uxorem suam *Agnetem* de Merania, Auctoritate Archiepiscopi Salzburgensis, & plurium Episcoporum, apud Friesach Karintiæ ex thoro suo dimisit, ob Affinitatem, & quia priùs Imperatorem secuta est, nec foecunda fuit.„ Quod Affinitatem concernit, neque aliam, neque propinguiorem reperio, nisi quæ à Persona *Belæ* Regis Ungariæ ducitur, & admodum remota, immo ferè nulla fuerat. Secunda quippe Uxor Ducis nostri *Sophia* Soror fuit *Mariæ* Græcæ, Uxoris *Belæ*: Tertia vero *Agnes*, de qua hìc sermo, fuit *Gertrudis* Meraniensis, Matris *Belæ* Regis, ex Fratre Nepotis. Alterum Objectionum Caput, Quia *Agnes* priùs Imperatorem secuta est, lumen accipit ex Asserto Chronicæ *Australis*, cum qua plenè consonat *Cl. Neoburgensis*: ubi ad Ann. 1236. lego. „Imperator per Longobardiam intravit Stiriam, & subjugavit Castra valde munita, multáque confregit, & *Uxorem Ducis abstulit*, quod ei maximum dedecus fuit.„ Verosimillimum, immo certum quodammodo est ex verbis *Pernoldi* nostri, *Agnetem* Ducissam ab Imperatore non tam captam fuisse, ut aliàs credere licuisset, quàm sponte ad illum refugisse, vel, quia sibi cum Duce Marito non optimè convenerat, vel, quia Simulationis Cæsareæ ignara, fortunam Viri conclamatam reputavit, & fortè etiam Caput periclitari. Quod si ita, Duci Marito certè pudorem non parvum peperit, iracundiam verò non minorem. Tertiùs, qui eidem exponebatur, *Foecunditatis* defectus, maximi fuisse ponderis mihi videretur, si *Fridericus* novas denuo ad Nuptias transiisset. Vix enim quidquam ægriùs Principes ferunt, in quos unos diu florida Stirps tandem inclinata recumbit, quàm aviti Generis consummationem: ad quam proinde avertendam, ipsa quoque Ecclesiæ Auctoritas implorata, in remittendis impedimentis solito longè indulgentior esse consuevit.

An illæ legitimæ?

XXIX. An porro causæ omnes antelatæ à *Pernoldo* nostro, tantæ fuerint æquitatis, ut Repudium istud, salvis Ecclesiæ legibûs, factum censeatur, quæstionem ancipitem reputo, forique Theologici, cum quo Historiæ scriptor forum suum Politicum

ticum confundere non debet, ad quod nimirum Acta duntaxat atque tempora spectant. Chronographus noster testatur, Ducem *Auctoritate Archiepiscopi Salisburgensis*, *& plurium Episcoporum*, Conjugem suam *Agnetem* ex thoro dimisisse. *Salisburgensis* ait, eum coram hoc Archipræsule, Episcopis, & multis Prælatis, tam Austriæ, quàm Marchiæ, non celebrâsse Divortium istud, quasi sua voluntate, his tantummodo testibûs, verùm *celebrari*, quasi eorum approbatione, assensu, & Auctoritate, *obtinuisse*. Quæ ipsa Meditatio Cl. *Hansizium* induxit, ut fateretur, se factum istud *incessere non audere*. Cúm etiam per *Garstensem* Chronologum repudiata ad Sedem Apostolicam appellarit, ferè sequitur, eam sententiâ Præsulum condemnatam fuisse. Nam Appellatio, nisi à sententia ordinarii & legitimi Judicis inferioris, ad superiorem fieri non solet. Inferas & hoc pariter, si Appellatio facta sit, Sedem Sanctam nihil in hoc Judicio mutâsse: quoniam nullum apud Scriptores vestigium exstat, hujus Repudii causâ, Romæ Principi nostro, vel exprobratum, vel imperatum quidpiam esse. His itaque Argumentis Historicis, nisi vis, vel inobedientia Ducis erga Sanctam Sedem liquidò adstruatur, ille culpâ absolvitur.

XXX. Certum tamen interim est, non paucos, jure vel injuria, inde offensos. In quibus præcipuus *Bela* Ungariæ Rex, qui bilem suam, ob extortos antea à se per Ducem nostrum thesauros, indignante stomacho adhucdum acerbissimè coxit. Vindictæ tentandæ opportunitas adesse sibi visa est, cùm Ungariam suam ab excessu Tartarorum, egregiis adjutoribus propè stipatus, repeteret. Cujus Regni quæ tunc miserrima facies fuerit, Chronica *Australis* hunc ad Annum ita exposuit. „Tartari & Cumani, nemine resistente, & occurrente, recesserunt ab „Ungaria cum infinita præda Auri & Argenti, vestium, Animalium, multósque captivos utriúsque sexus ducebant in opprobrium Christianorum. Qui intrantes Græciam, totam Terram „illam depopulabant, exceptis Castellis, & Civitatibus valdè „munitis. - - - Interea fames horribilis & inaudita invasit terram Hungariæ, & plures perierunt fame, quàm antea à paganis. Canes edebant, & cattos, & homines: humana caro publicè vendebatur in nundinis. Deinde rapaces lupi, & infesti, nemini parcentes, prævaluerunt in terra: ita ut vix aliquis auderet de domo sua inermis procedere. Deinde locusta id, quod „seminatum erat, corrosit. In XV. dietis in longitudine homo „non inveniebatur in Regno illo. A Nativitate Christi non est „tanta plaga & miseria visa, & audita in aliquo Regno, sicut in „Ungaria propter peccata eorum.„ Terribile DEI flagellum! sed quem fructum fecit? *In plaga* (sequitur ibi) *& post plagam tales erant, quales antea fuerant.*

Hungariæ facies miseranda.

Bela in eam rediens frustra tentat ulcisci Divortium Ducis nostri.

XXXI. Hoc igitur in Desertum veriùs, quàm Regnum, reducem *Belam*, offendit nostri Principis Divortium, ait *Pernoldus* noster, eò, quòd Mater *Belæ*, nempe *Gertrudis* Meranica, fuerit Soror Patris *Agnetis* repudiatæ, i. e. *Ottonis*, ultimi Meraniæ, quæ hodie Tirolis est, Ducis. Inde cum auxiliis Equitum de Rhodiis, & Nobilium de Frangipanis, in transitu Austriæ voluisse hoc Repudium bello ulcisci: sed à Duce cedere coactum. Et adduxisse *Belam* hujusmodi copias auxiliares Equitum Crucigerorum, qui, quamdiu Jerosolymis constiterant, *Johannitæ Jerosolymitani*, Palestinâ verò per Saracenos pulsi, Rhodúmque Insulam tuentes *Rhodii* appellabantur, hodie ab Insula Malta *Melitensium* nomen ferentes, item *Frangipanum* Dalmatiæ & Croatiæ Regulorum: pariter *Bonfinius*, atque *Dubravius* tradunt. Prior verò de transitu Austriæ nihil commemorat: sed refert solummodo, cùm Rex Ungariam totam barbaro hoste, fame, ac pestilentia desolutam vidisset, in qua proinde non erat, quod ageret, memorem eum injuriarum *Friderici* Austrii Ducis, subsidiarium exercitum suum ad Novæ Civitatis obsidionem adduxisse, factô paulò pòst prelió, in quo ipse triumphum, Dux Mortem suam retulerit. Sed hæc nimiùm anteoccupata.

Commentum *Dubravii* hac de Re.

XXXII. *Dubravius* verò Histor. Bohem. Libr. XVI. p. m. 133. unde, nescio, hoc iterum in Commentum abductus est, vel sponte sic Ovo mala conjunxit, ut scriberet, quod sequitur, ingenti cum errore, rerúmque confusione. ,Ad hunc Rumo-,rem (rediturum videlicet *Belam* in Regnum) *Fridericus* Au-,striæ Princeps excitus, tumultuarium militem colligit, obviam-,que *Belæ*, quem odisse cœpit, postquam Rebus eum suis spo-,liavit, ire contendit, aliquid iterum ab illo extorquere cupiens. ,Fortè ita accidit, ut *Bela*, nondum toto hostium metu posito, ,ad fines Provinciæ *Friderici* deflecteret. Petit igitur ab illo ve-,ctigal *Fridericus* in singula Militum Capita, & nisi datum fue-,rit, nullam transeundi copiam, ait, fore. Novitate rei, indi-,gnitatéque Comitibus, qui cum *Bela* erant, commotis, expe-,diunt statim arma, impetúmque in Austriacos faciunt, atque ,celeriter pugnam conficiunt, saucio *Friderico*, & mox è vul-,nere mortuo, unica superstite Fratris sui tunc Vidua Filia, cui ,Nomen *Margareta*, ad quam Successio in Austria pertinebat.' Sic etiam bonus iste Præsul Olomucensis Ducem nostrum triennio citiùs, ac par erat, cum invidia novi criminis, iniqui videlicet vectigalis extorti, velúti publicum quemdam Viarum Grassatorem ac prædonem, ad inferos præcipitavit, *Margaretam*, quæ Soror erat, tanquam Filiam Fratris, ei hæredem substituens.

XXXIII.

XXXIII. Chronica *Australis*, ac *Neoburgensis*, itémque Anonymi *Zwetlensis* commune effatum, iisdem verbis conceptum, *Pernoldo* nostro propius accedit, ita habens ad Ann. 1243. „*Fridericus* Dux Austriæ & Stiriæ cum magno exercitu occurrit „Regi Ungariæ apud Lydam (Leitam) ibíque pacificati sunt „sine congressione.„ In eo autem æquè fallunt, quòd illicò addant de Principe nostro. „Moxque cum eodem exercitu transivit Danubium, & intravit fines Moraviæ, statimque Rex Bohemiæ ei insperatò occurrit cum multitudine magna: quo „Dux comperto, fugam iniit, & dilapsus est exercitus ab ipso.„ Chronica meliora, uti *Mellicense*, & *Salisburgense*, rectè omnino otiosè intercalatum hoc Bellum Moravico-Bohemicum reticent, atque differunt, ubi verè accidit, in Annum 1245. cujus & causam tunc nobis *Pernoldus* noster edicet. *Belæ* verò Regis, in transitu ad Regnum suum, attentatam, sed sine effectu, adversus Ducem nostrum Divortii causâ Aggressionem, irritam fuisse propterea crediderim: quòd Rex, cui Virtus Principis nostri abunde comperta erat, optimè comparatum ejus exercitum intuens, ausus non sit, eidem nimis debilia Signa sua inferre, differens iram, non ponens, animóque secum præcipiens, tractâ morâ, contra potentem, potentium quoque sibi fœdera conciliare.

Chronica alia perperam hoc anno tradunt Bellum Ducis nostri Moravico-Bohemicum.

XXXIV. Transeo proinde ad Beneficia Anni hujus, quibûs Dux noster sibi rursum Ecclesias obstrinxit. Quorum primum adducto Diplomate prædicavit *Gewoldus* in Additionib. ad *Hund.* Tom. II. p. 22. inter Chartas Incliti Cœnobii Benedictini Altachiensis, sive Quercus Inferioris in Bojaria. Abbati namque *Hermanno*, quem Cl. *Hansizius* Metr. Laut. p. 380. à *Rudigero* Episcopo Pataviensi hoc ipso Anno Viennæ V. Idus Novembr. in Ecclesia S. Antonii consecratum tradidit: sed Cl. P. *Placidus Haiden* Altachensis Professus in brevi Chron. vernac. Monasterii sui p. 94. jam Anno priori ab eodem Episcopo, eodem loco, ac die, sacrâ Infula donatum asserit, biennio antè à se Antecessori suo Romæ impetratâ, & qui idem ipse *Stero* est, cujus Annales celebrantur: huic, inquam, Abbati, Jurium Domesticorum solertissimo, Dux noster confirmavit Immunitatem Villæ *Absdorf* in Austria ab omni Sub-Advocatorum exactione, constituens, ut, quem ipse huic Loco pro tempore dederit Defensorem, Jura Monasterii in nullo violare præsumat, secus à Cœnobio pro libitu mutandus. *Nos igitur*, ait, *Progenitorum nostrorum in singulis, quæ ad salutaria diriguntur, inhærere vestigiis cupientes, Probationem, & Concessionem memoratam, hujus Scripti testimonio favorabiliter duximus renovandam. &c. - - Actum in Castro Medlico Anno Domini MCCXLIII. Prid. Non. Febr.*

Idem benefecit Altachensibus Cœnobitis.

Canoniæ Sand-Hypolytanæ. XXXV. Consimili Clementia pariter favit Vicinæ Nobis Celeberrimæ Canoniæ Sand-Hippolytanæ, Privilegiô, ejusdem Confirmationi Augustæ *Rudolphi I.* Imperatoris insertô, & exhibito per Cl. *Raymundum Duellium* in Excerpt. Geneal. Historic. Libr. I. p. 25. n. 61. quod inchoat. „FRIDERICUS &c. „Cùm teste Scriptura meliùs sit Nomen bonum, quàm Unguenta pretiosa, & melior sit dies una in Atriis Domini super „Millia, Nos, ad excitandam erga Nos Omnipotentis DEI Clementiam, hac in parte Progenitorum nostrorum vestigiis inhærentes, pro Gloria Crucifixi, & nostra Salute, Tuitioni & „Indemnitati Ecclesiarum, quæ sunt in nostro Dominio constitutæ, utiliter providere volumus, & paternè. Hinc est, quòd „Nos, inclinati precibus Dilectorum & Fidelium Virorum, Venerabilis *Marichardi* Præpositi, & Magistri *Piligrini* Decani, „nec non totius Conventus *S. Yppoliti*, respicientes eosdem oculo pietatis, quam dignis nostra Serenitas claudere nullatenus „consuevit, ipsorum jacturis & pressuris pariter tali subvenire dignati sumus Remedio: Ut videlicet Judex noster in *Tulna*, „quicunque pro tempore fuerit constitutus, nullam in homines „ipsorum Jurisdictionem habeat, sed nec in prediis ipsorum, nisi „forte aliquis morte condemnandus repertus fuerit. Quem tamen &c. - - - Actum apud *Chotwicum* Anno Domini Millesimo Ducentesimo Quadragesimo Tertio sexto Idus Septembris.„

Cœnobio Zwetlensi. XXXVI. Annales *Zwetlenses* hoc Anno Tom. I. p. 320. laudantes beneficentiam Domini *Eberhardi* Archiepiscopi Salisburgensis, qui ob salutem Animæ Domini *Henrici*, ex Cive Oppidi Zwetel Clerici, postea Canonici, ac tandem Episcopi Seccoviensis, hoc Anno defuncti, & in Cœnobio Zwetlæ sua voluntate sepulti, eidem Conventui annua duo talenta nudi Salis donaverat: Collaudant pariter Ducis nostri Clementiam, qua horum salium per districtus Terræ suæ liberam ab omni telonio advectionem indulsit. Præterea ab Excellent.[mo] D. Comite *Wurmbrandio* Collectaneor. Geneal. Histor. p. 276. allegatur Confirmatio Privilegiorum omnium, celeberrimæ Canoniæ S. Floritani Austriæ Superioris à Duce nostro hoc Anno facta, cujus Testis in cæteris fuerit *Gundaccarus de Stahrenberg*: cui pariter Dux An. 1236. Reditus in Riedmarcha feudi beneficio contulerit. Confirmationis antelatæ similiter meminit Jll. D. Baro *ab Hoheneck* in Serie DD. Præpositor. San-Florianens. inserta Descriptioni Geneal. Histor. vernaculæ Inclitor. Statutum Austr. super. Tom. I. p. 109. quamquam ibi erroneè positum sit, *Albertum* (corrige *Fridericum*) *Ditmaro* II. Præposito ab Anno 1242. usque 1249. data ab Antecessoribus Privilegia, & maximè Exemtionem à Jurisdictione Secularium, confirmâsse.

Canoniæ S. Floriani.

Annus

Annus 1244.

XXXVII. FRidericus Imperato, *Balduino* Constantinopolitano Imperatore maximè adnitente, qui, ad Imperium suum ab extremo discrimine tuendum, Latinorum opem imploraturus, Romæ oderat, & se, nisi Papæ & Imperatori benè conveniret, minimè juvandum probè agnoverat, per Comitem *Raymundum* Tolosanum, aliósque, pacem cum *Innocentio* tractari curavit, eóque jam precessum erat, ut suo nomine jurarent Oratores, se omnibus Ecclesiæ imperiis pariturum. Mox tamen, suasu iniquorum, & propria animi mobilitate resiliit, quasi æterno sibi pudori esset, causâ suâ per Arma jam propè evictâ, supplicem Pontifici fieri. Negavit itaque, eas, in quas juratum aut sponsum saltem pro se fuerat, conditiones implere, nisi primùm anathemate exolveretur: quod erat omnem judicii ordinem pervertere. In quod cùm Papa consentire non posset, qui Pacis causâ, ut internunciis proximior esset, se Tiphernum contulerat: Cæsarem cupiditas, animúsque incessit, ut antea Cardinales, ac Præsules, ita & modò summum Pontificem ipsum capiendi, trecentis emissariis in hoc clanculum armatis, & subornatis. Hic autem præmonitus, noctu Centum Cellas evasit, inde Genuam transvectus, tandem in Galliam inter insidias juges elapsus. Hæc Imperatoris audacia eidem apud plurimos manifesti Persecutoris Ecclesiæ odium peperit: & frustra erant, ac sunt, qui negare intentatam hanc Pontificis captionem contenderunt, exstantibûs Cæsaris Literis, quibûs testatus est, quàm iis indignetur, qui Pontificem elabi sinebant. Diffusiùs cuncta enarrat, probátque *Raynaldus* h. a.

Cæsar de Pace cum Ecclesia tractare incipit: Sed mox iterum resilit: Et Pontificem capere machinatur, fugâ in Galliam elapsum.

XXXVIII. *Pernoldus* noster hoc anno in querelam calamum laxat, ut ampliùs commendet. Scribit námque. // Mccxliiij. // Miserabilis fuit discordia Partium, quæ Pontifici, & quæ Cæsari adhærebant, nullâ constantiâ transeuntes ex hoc in illud. // Reges, & Principes, & Nobiles potentiores, pro libitu, & // commodo, vel odio suo, nunc se invicem juvantes, nunc persequentes, dicebant, se id facere pro Pontifice, vel Cæsare, // cùm suâ causâ facerent, misero Clero, & plebe, inenarrabilia // damna sustinente. Valde difficile fuit *Friderico* Duci, in medio horum sic agere, ut neque Pontificis, neque Cæsaris iram // pateretur: & valde laudabile fuit, sic egisse. Hoc Anno propter Nobiles *de Waldeck*, quibus favebat *Rudigerus* Episcopus // Pataviensis, qui sibi multa damna facere volebant, militare debuit in Episcopum, & *Ottonem* Bawariæ Ducem. Rex // etiam *Bela* contra ipsum in foedus traxit Regem Bohemiæ, & Ducem Karintiæ, ut pro altero Anno Arma in ipsum // pararent. //

Pernoldi Narratio.

Miserrima Rerum facies sub discordia Pontificis ac Cæsaris.

XXXIX. Primæ Scriptoris nostri querelæ ad amussim consonat *Aventinus*, qui totus aliàs Cæsarem tuetur, Annal. VII. p. m. 648. sq. n. 11. 12. „Res ait opportuna Nobilitati, atque „Grassatoribus fuit. Pars Imperatori, pars Pontifici, verbis „quidem, verùm factis omnes sibi serviebant. - - Quò utilitas in„vitabat, animum inclinabat. - - Si Adversarii impares fore ti„mebantur, rursus ad eos, quò pares fierent, quibus bellum uti„lius erat, quàm pax, deficiebant. - - - Cùm novus quispiam „accesserat, illi, qui Duces multitudinis erant, suum commo„dum, honorem, dignitatem, sociorum accessione deminui sen„tientes, ad inimicos desciscebant.„ Hæc ille, ac multò plura, de inconstantia præcipuè partiùm conquestus, per quam unusquisque alterum, hodie amicum, cras hostem suum experiri debuerat, insuper contestatus est, quod admodum sanè horribile, ab *Ottone* Bojorum Duce ob unum *Sigebotbonem* Neuburgensem, in Bavaria grassantem, quingenta Templa (utinam hìc error in numero foret) in quæ incolæ Res suas congesserant, vi effracta, atque compilata fuisse, donec hostis caperetur. Hoc vel solo immani exemplo, *Pernoldi* nostri lamentis fides abunde præstatur, sub hoc turbine, undequaque infremente, Clerum, ac plebem, inenarrabilia damna sustinuisse. Quemadmodum igitur hujus calamitosissimi temporis acerbitatem ignorantes, Ducis nostri Historam paulò meliùs cæcis dijudicant: ita è converso eandem pro digitate attendentes facillime consentient *Pernoldo*, tantæ laudis apud illum fuisse, quòd sic egerit, ut neque Pontificem neque Cæsarem in se provocaverit, quantam prudens circumspectio arduitatem secumtulit.

Eximia Ducis nostri laus, qui utriùsque iram declinavit.

Bellum ejus Bavaricum.

XL. Eundem cum Episcopo Pataviensi commissum fuisse propter prædones de Waldeck, quibus Præsul favore suo adfuisse, se variis Actis in suspicionem adduxit, jam pariter Cl. *Hansizius* è Chronographo *Garstensi* notavit Metr. Laur. p. 381. Castro Ebersperg eapropter per Ducem nostrum destructo, qui & alia multa minitabatur. Addit *Hundius* in Metrop. Salisb. de Episcop. Patavieñ. sub *Rudigero* p. 210. cùm *Otto* Bavariæ Dux, desertis Pontificis partibus, defecisset ad Imperatorem, & *Albertum Behamium* Legatum à se expulisset, contrà *Fridericum* nostrum, *Henricô de Waldeck* Ministeriali Pataviensi, Præfectóque Arcis Oberbergensis Episcopalis inductô, ut sibi hoc Castrum extraderet, illud occupatum, *Bernardo* & *Ulrico* Comitibus de Schaunburch, armis & commeatu instructum, commisisse, ut ex eodem *Ottonem* Bavariæ Ducem impugnarent, & *Alberto* Legato Pontificis, quem Bojus persequebatur, tutum ibidem receptum præberent; neque *Ottonem* Bavarum illud expugnare potuisse, tametsi sex mensibus obsedisset.

XLI.

XLI. Dum sic Princeps noster studium Pontificis præsesferret, vicissim eundem in Vota sua perfacilem habuit. Gratiis enim prodigiosis, quas ad invocationem S. *Colomanni* DEUS frequentissimè operatus esse celebrabatur, increbrescentibûs, famáque hujusmodi per Ducem nostrum ad *Innocentium* Papam IV. delatâ, sic ipse *Rudigero* Episcopo Pataviensi rescripsit. „Cùm, sicut ex insinuatione *Dilecti Filii Nobilis Viri Ducis Austriæ* accepimus per Merita Beati *Colomanni* Martyris, cujus „Corpus in Austria sub veneranda Custodia asservatur, Dominus noster multa miracula operetur: præsentium tibi auctoritate mandamus, quatenus, si prædictus Martyr canonizatus „per Apostolicam Sedem exstitit, ejus Festum per totam Austriam, & adjacentes Provincias facias solemniter celebrari. Datum Laterani VI. Idus Maij Pontificatus nostri Anno Primo.„ Obtinet Celebrationem Festi S. Colomanni.

XLII. Chronicon porro Cl. Neoburgense hunc ad Annum ita narrat apud Cl. Hier. Pez. I. col. 460. sq. „Duci Austriæ „erant duo Adolescentes, quos à juventute nutrierat in Curia „sua satis delicatè, quos etiam tenero amore amavit, Contigit autem, ut in quodam conflictu ambo vulnerarentur usque ad „mortem. Unde Dux nimis turbatus, compatiens miseriæ eorum & dolori, quia jam desperati erant à Medicis, & omnibus „in supremo constituti, valde humiliter, & cum lachrymis supplicabat ferè omnibus Viris spiritualibus, in suo Ducatu constitutis, ut DEUM exorarent, qui omnia potest, ut restitueretur Adolescentibus sanitas Corporis. Promisit etiam Carnarium (i. e. Ossuarium, sive Mortuorum Cryptam, in Sancta „Cruce perficere, & in ducentis talentis, & manu potenti ire „contra Prutenos (paganos Prussiæ populos) & Justitiam facere omnibus, maximè Viris spiritualibus, & omnia, quæ injustè possederat à morte Patris, restituere Dominis suis. Quem „DEUS Omnipotens propter Bonitatem suam, & Devotionem „Ducis exaudire dignatus est, restitutique sunt statim Adolescentes sanitati. Quod ipse pro magno miraculo habuit: deinde „valde largam Eleemosinam multis largitis est.„ Idem referunt plura alia *Chronica* Patria: in quibus *Australe* hos Adolescentes ex nomine vocat *Albertum de Zelting*, & *Hermannum de Wolfberstorf*. Anonymus *Leobiensis* addit, *eos postmodum diu viventes*, *Milites effectos esse.* Occurrent in Tomo IIII.^{to} Recensúque nostro Diplomatico, inter *Familias in* W. etiam Domini *de Wolfgerstorf*, inque his pariter *Hermannus*: præterea inter Familias in Z. etiam Domini *de Zelking* uberiùs laudandi, & inter hos non semel *Albero*, quod idem, ac *Albertus*: ambo verosimillimè ii ipsi, de quibus hæc Narratio, si hæc tota historia tuta fide nitatur. Duo Adolescentes eidem perdilecti, & morti proximi, ad votum ejus enixum convalescunt.

XLIII.

Expeditio illius in Prutenos voto nuncupata.

XLIII. Ad confirmandam eam nonnihil valere videtur, quòd ex *Raynaldo* certum reddatur, Ducem nostrum contrà Prutenos Expeditionem ornâsse, dilatandæ fidei studio accensum. Quod ut *Innocentio* Papæ innotuit, omnibus, qui sub signa ejusdem convolarent, easdem Indulgentias, quas Concilium Oecumenicum Lateranense sub *Innocentio* III. Palestinam contrà Saracenos ituris elargitum est, liberaliter indulsit. *Annal. Eccles. XIII. p.* 534 *n.* 52. Atque hoc sanctum nostri Principis Votum non planè inefficax fuisse, Anno sequenti audiemus. Ne totum, quod vellet, exequeretur, *Bela* Ungarus effecit, qui Bohemiæ Regem, Ducémque Carinthiæ in foedus pertractos, narrante *Pernoldo* nostro, in Austriam proximo Anno concitavit, verumtamen devictos, tertio postea Anno ipse insecutus est.

Intercessit pro Zwetlensibus.

XLIV. *Fridericus* Dux, requisitus à Domino *Rudigerò* Episc. Pataviensi, ut *Ulricum de Brunsperch*, quasdam possessiones in *Pronich* feudi Pataviensis nomine sibi usurpantem, ac detinentem, licèt semel & iterum de vi & injustitia à *Dietrico* Abbate Seitenstetensi coram se, & antecessoribus Episcopis convictus fuerit, ab injuria ulteriori prohibeat propter DEUM, jurísque causa, dilectionis item, & obsequii respectu erga se, præcipuè verò ob Advocatiæ, quam gereret Monasterii, titulum: Libenter assensit, conceptóque diplomate, cujus Copiam Cl. *Hier. Pezius* amicissimè mihi fecit, prædicto *Ulrico*, sub obtentu gratiæ suæ, nec non rerum, & personæ, districtè præcepit, ne Monasterium memoratum in his, aliisque ejusdem possessionibus de cætero aggravet, vel molestet: *Alioquin* (ait) *ipsum nostra puniet taliter Celsitudo, quòd cæteri, exemplô suô perterriti, similia pertimescant. Nam, quem DEI timor à malo non revocat, saltem cohercere debet secularis severitas disciplinæ. - - Acta sunt hec Starchen Ann. Dom. Incarnation. MCCXLIV. x. Kal. Jul. II.da Indictionis.* *Zwetlenses* Annales Tom. I. p. 323. novum *Eberhardi* Archiepiscopi Salisburgensis, simúlque Ducis nostri, in Domum suam Beneficium hoc adducto Diplomate laudant.
„*Eberhardus* DEI gratia Salzburgensis Archiepiscopus, Apostolicæ Sedis Legatus, omnibus præsentem paginam inspecturis salutem in Domino. Ut eventus rerum gestarum &c. - - - Hoc ergo Scripto notum facimus tam præsentibus, quàm futuris, quòd *ad petitionem & instantiam Dilecti Amici nostri Friderici Ducis Austriæ & Stiriæ, & Domini Carniolæ*, Decimam quamdam, sitam circa confinia Bohemiæ in Villa *Weicbartesstorf*, quæ Nobis vacare cœpit per mortem *Lupi de Nachmerische* bonæ memoriæ, Conventui tradidimus apud Zwetel, *dantes eis dictum Ducem super eandem Decimam Defensorem &c.* - - - Datum hujus apud Salzpurch II. Id. Augusti Anno Domini MCCXLIV. Indict. II.da.„

An-

Annus 1245.

XLV. INnocentius Papa IV. in Gallia digno cum honore susceptus, Sanctique Regis *Ludovici* præsidio tutus, *Fridericum* Imperatorem, Cujus Anathema, latum à *Gregorio* IX.[mo] adhuc in Italia, priusquam illâ excederet, confirmaverat, nunc per omnem Franciam diris devotum ex Cathedris denunciari præcepit: non propterea desinens, eis, qui illius Reconciliationem curabant, rescribere, promtum se esse, si *Fridericus* Præsules captos cum honore dimitteret, & Ecclesiæ Ditionibûs, quas occupaverat, excederet, ad reliqua, quæ plenæ pacis essent, libenter tractanda. Quod cum neutiquam fieret, Lugduni Gallorum Concilium indixit, convocatîs Episcopîs, Regibúsque, & Principibûs invitatîs: ipso etiam *Friderico* requisito, ut vel ipsemet causam suam ibi diceret, aut per Oratores, debita Auctoritate instructos, id facere, & si posset, etiam tueri vellet. Inchoavit Concilium Sessione prima die 28. Junii: cui altera successit die 5. Julii: tertia demum ac ultima die 17. Mensis ejusdem. Et in hac, terribili spectaculo, 140. Præsules surgentes cum accensis candelis, *Fridericum* sacris omnibus & Ecclesiæ Communione, projectis Cereis, proscripserunt, Imperio dejectum, Imperatoris nomine privatum, subditis omnibus à fide exolutis, novique Imperatoris Electione decreta, & Electoribûs nominatîs. Hæc omnia spectârunt præsentes Nuncii *Friderici:* qui nihil ejus causâ, tametsi, Regum Galliæ, & Angliæ interventu, inducias nonnullas, quapropter & Concilium aliquantisper protractum fuit, impetraverint, spondere poterant, quod in Rem prodesset: nisi quòd inania, & ingentia jactarent promissa, quantas Expeditiones in Saracenos, in Tartaros, in Græcos facere vellet. Uberiora de his omnibus apud *Raynaldum* in Annal. & *Franc. Pagium* in Breviar. Crit. Requiras ad h. a. qui sua uberrimis Scriptorum testimoniis affirmant.

Papa Lugduni Galliæ Concilium agit.

Ubi denuò sacris proscribitur, & Imperio dejicitur Cæsar.

XLVI. *Pernoldus* noster foecundam hanc Rerum Periodum pro Historia Austriæ suppeditat. // Mccxlv. *Fridericus* Dux // Ordini Teutonico contra Prutenos electam Militiam in au- // xilium submisit. Ipse verò cum aliis aliquot Principibus, vo- // cante Imperatore, cum pulchro Comitatu suorum Militum // ad Veronam accessit, rogans ab eo, ut sibi Privilegia Austriæ // confirmaret. Libenter hoc fecit Imperator, ac etiam sponte // Duci Dignitatem Regis obtulit, quam acceptare noluit, ne // Pontificem offenderet. Interea Rex Bohemiæ, & Dux Ka- // rintiæ, uti promiserunt Regi Hungariæ, post Reversionem // Ducis, irruperunt in Austriam ipsa hyeme: sed victi, & fu- // gati sunt, Dux Karintiæ etiam captus. Hic duxit *Agnetem*

Pernoldi Narratio.

// repudiatam *Friderici* Ducis: qui Filio Regis Bohemiæ Fratris // sui Filiam *Gertrudem* iterum in Conjugem spopondit, quam // negavit Imperatori. //

Dux noster Ordini Teutonico electam Militiam contra Prutenos submisit.

XLVII. Ducis nostri Expeditionem in Prussiam ne unum quidem, quod legerim, Chronicon Patrium commemorat, hoc solo excepto, quòd eum, dum conclamatam dilectorum sibi Adolescentum salutem à DEO posceret, promisisse ferant *contra Prutenos ire.* Attamen Excellent.^mus^ D. Comes *Wurmbrandius* Collectaneor. Geneal. p. 187. sqq. in Addend. ad Cap. III. de Principib. de Liechtenstein opportunissimè refert è Domest. Monument. *Liechtensteiniis*: testatum esse Dominum *Hartmannum* Liechtensteinium, sibi An. 1576. die 15. Februarii, dum, Rerum Polonicarum causâ, in Curia Provinciali consideret, ab Jll. D. Barone *Richardo Streunio*, Domino de Schwarzenau, Excerpta quædam è gemina Chronica Prussica, Latina & vernacula, fuisse submissa, *Heinricum Liechtensteinium* concernentia. Excerpto Latino hæc Inscriptio. *De Victoria Fratrum* (nempe Equitum Teutonicorum) *in qua iterum MD.* (i. e. Mille quingenti) *de Pomerania sunt occisi.* Initium ita habet.

„Postquam Legatus Sedis Apostolicæ Crucem in propria „persona prædicavit, & misit per alios in Regnis ac Provinciis, „ad hoc deputatis, prædicari, commoti sunt Principes, & No„biles de Alemannia super contritionem Terræ Prussiæ, *mi„sitque* Dux Austriæ *in subsidium Drusigerum Dapiferum su„um cum multa Militia, & Viris exercitatis in bello.* Venit „etiam *Heinricus de Liechtenstein* Miles, & cum eo plures Pere„grini. Cum his, & Duce *Casimiro* Magistro, & Fratres cum „suis intraverunt Terram Pomeraniæ, & potenter & hostiliter „pertranseundô, novem diebus & noctibus vastaverunt. &c. Prolixiùs postea narratur, quomodo *Swantepoltus* Pomeraniæ Dux, allectis Prussorum Neophytorum suppetiis, opposuerit se, póstque ancipitem pugnam repulsus fuerit, & ad pacis conditiones adductus.

Chronica vernacula sic inchoat. „Anno 1245. hat sich „*Casimirus* Fürst aus der Cojae (Cujavien) und Laurie, Pappe „(i. e. Hochmeister) Hofmeister aus Preussen mit seinen Ordens„Herrn, *Heinrico von Liechtenstein*, und *Trusaliff*, Erb-Schenck „*des Fürsten FRIDERICH von Oesterreich*, mit einer grossen An„zahl Volcks in Pommern begeben. Mit Erwegung der gros„sen Verwüstung des Landlein Coyae und Culmen, haben sye „Pommerland 9. Tag mit Fewer und mit Schwerdt verheeret, „und verbrennet. Welches ihnen der *Swantepoltus* nicht ge-

„gewch-

„wehret: sondern von den ungeziembten Preussen widerum „Hilf begehret &c.„

XLVIII. *Pruteni*, hodie *Prussi*, populus paganus, Polonis, jam conversis ad fidem, valde molesti erant. Quos cum *Conradus* Masoviæ Dux subigere non posset, contra eos Ordinem Teutonicum *Equitum Marianorum*, vulgò *Cruciferorum*, advocavit, cum pacto, ut, quascunque expugnarent Prutenorum terras, Ordinis essent. Vicerunt hi, plurimisque Prutenorum occisis, eos tantùm servârunt, qui fidem vellent amplecti. Quo pacto Equites provincia & opibus valde creverunt. Timens itaque *Swantepoltus* Pomeraniæ Dux Christianus, se quoque ab Ordine subigendum, cum Prutenis Neophytis, aliisque Paganis, fœdus contra Equites panxit, sicque Prutenis, nuper vi potiùs, quàm voluntate conversis, occasionem præbuit, rursum ad idololatriam redeundi. Quam Gentem ut servaret Pontifex, ablegavit *Guilelmum* Cardinalem Episcopum Sabinensem, qui modis omnibus *Swantepoltum*, Equitésque componere studeret, vel secùs Crucem in Prutenos prædicaret: quod & necesse fuit. Patet ex his belli ratio. Allata porro Excerpta, si cum Chronicorum Patriorum Asserto de Promisso Ducis nostri contra Prutenos eundi, itémque cum Bulla, Anno superiore commemorata conferantur, qua Pontifex, sub Signa ejus contra Prutenos convolaturis, pares Indulgentias cum Cruce signatis, in Palestinam tendentibus, contulit: *Pernoldo* nostro æquissimum Testimonium reddunt, asserenti, *Fridericum* Ducem Ordini Teutonico contra Prutenos electam Militiam submisisse. Quæ Belli Prutenici origo?

XLIX. Alterum ejus Membrum de accessu Ducis nostri Veronam *Hagenus*, *Haselbachius*, *Sunthemius*, *Arenpeckius*, & ex his *Lazius* pariter, ac *Cuspinianus*, aliique Recentiores tradiderunt. *Hagenum* tamen, nisi *Enenchelium*, vel alium quemcunque præcessorem habuerit, ea huic Accessui affinxisse metuo, quæ fabulam prorsus redolere videntur: neque tamen à posterioribus resecata, aut saltem dubiæ fidei notata fuêre. Præterquam quòd ab Epocha justa omnes ferè exerraverint. Narrant itaque, Ducem nostrum à Cæsare Veronam advocatum (*Haselbachius* perperam *Neapolim* ponit) illuc cum ducentis Equitibus, Scharlato cum albo in medio vestitis, pervenisse. Cui amicabiliter excepto, honoratóque, & Mensæ Hospiti rogato, sed Epulas Augustas detrectanti, Imperator ligna vendi per totam Urbem prohibuerit, ne cibos curare posset. Sed *Fridericum* nostrum meris è Nucibus coëmtis focum sibi accendisse, ut unacum suis opiparè pranderet. Lepidum hoc à fabulæ suspicione utcunque purgaturus *Haselbachius* glossatur, Principem nostrum *fortassis ob anathematis vinculum in Cæsarem congestum*, Dux noster Veronæ Cæsarem adiit.

cibum cum eo capere noluisse. Hac verò Religione ductus, neque accedere eundem, nec quidquam cum eo Communionis habere debuerat. Pergitur postea, supplicem Ducem ad Curiam Imperatoris venisse, & obsecrâsse, ut Assisiones, i.e. Assesinos, sive Sicarios pretio conductos, ostendere sibi vellet. Annuisse Cæsarem, duos eorum digito designantem, cum dicto: *Hi Viri me, plusquam DEUM verentur*: & mox eis præcepisse, ut altam turrim conscenderent. Deinde mero digiti nutu uni eorum innuisse, ut se deorsum præcipitaret, effractis cruribûs illico extinctum. Promtum ad hoc fuisse & alterum, sed ab adstantibus prohibitum. Tunc Ducem plurimùm admiratum & hominum horum insipientiam, & perditorum desperationem. Hoc denuo credat, qui volet.

Fertur Dux noster dimicâsse cum Italis aggressoribus.

L. Prosequuntur: Tum demum plenè Redintegratâ Cæsarem inter Ducémque Concordiâ, hunc mulis duodecim, eorúmque Curatoribus paganis donatum, magno cum honore dimissum esse, & suscepto Vale ab Imperatore, feliciter usque Veronam pervenisse, nempe ex Urbe Neapoli juxta *Haselbachium*. Ibi verò cùm fessos recreâsset obsequentes, volens per quemdam Pontem supra Athesin egredi, ab Italis invasus, ampliùs centenos aquâ mersit, aut ferro peremit, unico tantùm è suis desideratô. Seditionem porro Veronensium illicò per Cæsaris Præfectum repressam esse. Sit & horum fides penes Authorem.

Lazii commentum.

Lazii peculiaris adhuc Narratio est in Commentar. Rer. Viennens. L.II. c.8. p.m.77. Principem nostrum ad hoc iter magnis impendiis à Viennensibus instructum, & magni Nominis, Locique Civibûs eò conductum fuisse. Ab his Romam deductum, *lætis animis, summo cum honore, cùm à Pontifice, tum à Cæsare, exceptum Illustrissimum Archiducem esse*: cujus Rei causa non minima exstiterint Cives Viennenses, quorum tam splendidus Comitatus. Ita totum Historiæ Orbem, Urbi suæ adulaturus, bonus *Lazius* erravit, Papam in Gallia, Cæsarem in Italia, residentes, séque mutuò diris omnibûs execrantes, ad nostri, ut ille prædicat, Archiducis exceptionem Romæ conjungens.

Genuina Accessus Veronensis causa.

LI. *Pernoldus* noster hoc solummodo testatur, Ducem nostrum cum aliquot Principibus, vocante Imperatore, pulchro Militum suorum comitatu stipatum, Veronam accessisse, atque rogâsse ab eo, ut sibi Privilegia Austriaca confirmaret. Libenter hoc fecisse Imperatorem, & etiam sponte Duci Regis Dignitatem obtulisse: quam verò acceptare noluerit, ne Pontificem offenderet. Nullus dubito, *Fridericum*, qui se in Concilio Lugdunensi, aut jam dejectum imperio, vel proximè dejiciendum noverat (nec enim de certo tempore constat, quo Italiam Dux noster accesserit) quia adversus eligendum contra se novum

novum Regem, in Germania partem suam firmare statuit, eô consilio Principes in Italiam evocâsse, ut illos, qui sibi à præsenti obsequio, tanquam Amici sui, adfuturi essent, gratiis omnibus tantò firmiùs sibi adnecteret: alios, qui Accessum negligerent, ut adversarios tantò securiùs agnosceret, seque adversùm eos diligentiùs præmuniret, eorum contra se consilia studiosè explorandô, Actis obsistendô, hostes in eos provocandô. Præcipuè verò nôsse cupivisse, quo Princeps noster in se animo foret, cujus fidelem adhæsionem exoptabat plurimùm, modisque saltem omnibus pertentare constituit. Austriæ enim Dux quamcunque in partem inclinaret, maximum pondus afferre vulgò, & ex æquo, ab omnibus credebatur: quippe cui par cum potentia Auctoritas perpetuò adesse consueverat. Bellicositas præterea, & Magnanimitas *Friderici* nostri, plus nimiò Cæsari perspecta, cui prævalere ne ipse quidem cum totis quodammodo Imperii viribus potuit, plurima cum de tanto Adjutore præsumere fecit. Quare nullatenus dubitaverit, fidem ejus etiam Coronâ Regiâ emere. Sed Princeps noster illam, uti debuit, Ecclesiæ, maxima cum laude sua, servavit. Speciem tamen Observantiæ Cæsari præbuit accessu suo, ne iram ejus, quam paulò antè tanto cum discrimine sensit, rursum in se, suasque Provincias provocaret. Metus hic sanè gravis erat, qui in constantissimum quemque Virum cadere poterat: nunc etenim, quemadmodum priùs, Cæsari facultas & opportunitas erat, novos iterum hostes in Austriam immittendi. Accessit igitur ad excommunicatum, nequaquam in Contemtum Legis, & Ecclesiæ: sed quia prudenter existimabat, favente pariter Doctorum consensu, nullam Ecclesiæ Legem cum periculo Vitæ, Famæ, Fortunæ, certissimè imminente, obligare. Privilegia Austriæ confirmari expetiit, ne futurus, facilliméque prævisus, immo jamjam impendens gravissimus Imperii turbo ea pessumdaret. Quem etiam favorem eidem, desertus licèt ab ipso Imperator, negare non ausus est: ne tantum Principem, quem socium conducere nequiit, adversùm, hostémque haberet. Qua quidem spe sua non planè delusus est, Duce nostro, non sine multa prudentia, medium callem ita tenente, ut, cui ob fidem Ecclesiæ debitam prodesse non posset, obesse tamen haud vellet. Atque hoc paulò post afferenda luculentè docebunt.

LII. Diploma porro Confirmationis vulgavit *Arenpeckius* in Chron. Austr. apud Cl. *Hier. Pez.* Scriptor. I. col. 1216. sq. mox à me pariter adscribendum, hoc admonito, ei fidem tantò majorem deberi, quòd Autographum ejus, unacum Primigenio *Friderici* I. Imperatoris pro Austria Privilegio, Augustissimus *Leopoldus* Cæsar AN. 1664. ad Comitia Imperialia Ratisbonensia deferri, ibique per Electorem Moguntinum *Joannem* Diploma Confirmationis Privilegiorum Austriacorum indubitatæ fidei est.

 Philip-

Philippum S. R. J. Archi - Cancellarium, sibique adjunctos, accuratè inspici, explorari, & examinari petierit, ac posteaquam ambo integerrimæ fidei esse Reperisset, Authentiam eorum publico Scripto, quale & editum fuit sub dato 2. Maji Anni 1664. comprobari, indeque Transumta legitima confici postulaverit, in publicis Tribunalibus eandem cum Autographis fidem factura: uti legere licet in *Prævia Responsione* Aulæ Augustæ Viennensis ad Sereniss. Electoralis Aulæ Bavaricæ Deductionem Quæstionum de Successione Austriaca p. 147. Diploma ipsum, etiam à *Birckenio* in Speculo Honor. Austr. p. 184. suis cum Solemniis, Monogrammate nimirum Augusto, & Bulla aurea appensa exhibitum, ita sonat.

In Nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Amen.

Ejusdem tenor.

FRIDERICUS Secundus Diuina favente Clementia Romanorum Imperator Semper Augustus, Hierusalem, & Siciliæ Rex.

JUstis Principum nostrorum petitionibus condescendere cogimur: quas nisi favorabiliter audiremus, obaudire, quod justè petitur, non velle videremur. Eapropter per præsens Privilegium noverit tam præsens ætas, quam successura Posteritas: Quòd noster *Excellentissimus Princeps* FRIDERICUS, Dux Austriæ, & Stiriæ, ac Dominus Carniolæ, Dilectus Princeps, ac Consanguineus noster, quoddam Privilegium Divi Augusti Imperatoris quondam FRIDERICI, Avi nostri scilicet, Primi ejus Nominis, memoriæ recolendæ, *Henrico* quondam Duci Austriæ Proavo suo dudum indultum, nostro Culmini præsentavit, supplicans attentiùs, ut ei illud innovare, & omnia, quæ continentur in eo, confirmare de Nostra Gratia dignaremur: cujus tenor per omnia talis est.

In Nomine &c. FRIDERICUS Diuina fauente Clementia &c. Quamquam Rerum Commutatio &c.

Nos

Nos itaque, qui Fidem, & Obſequia noſtrorum Principum non patimur irremunerata tranſire, *attendentes Fidem puram, & Devotionem ſinceram, quam prædictus Princeps ad Majeſtatis noſtræ Perſonam, & Sacrum Imperium habet, pro gratis quoque Servitiis, quæ Nobis & Imperio exhibuit hactenus fideliter, & devotè,* (*) & quæ exhibere poterit, *ut inantea*, gratiora, ipſius ſupplicationibus favorabiliter inclinati, ſuprà ſcriptum Privilegium Divi Auguſti Avi noſtri prædicti, huic noſtro Privilegio de verbo ad verbum inſeri juſſimus, omnia, quæ continentur in eo, de Imperialis Præeminentiæ Noſtræ Gratia confirmantes.

Igitur competit etiam Noſtro Imperiali Imperio, *Illuſtri Principi noſtro Prædilecto FRIDERICO* ſpeciali Gratia gratiandô. Quapropter concedimus ei, & damus eidem Illuſtri Principi Duci Auſtriæ hæc ſubſcripta ad habendum pro Jure plenario. Ut nullus ſuorum Feudalium, aut ſuarum terrarum inhabitantium, vel poſſidentium, nulli alteri aliquid juris obediat, excepto ſibimetipſo FRIDERICO Principi Duci Auſtriæ, ac ſuas vices ſupplentibus, ſive poteſtatem habentibus. (**) *Concedimus etiam* Noſtro Illuſtri Principi *DUCI AUSTRIÆ CRUCEM NOSTRI DIADEMATIS SUO PRINCIPALI PILEO SUFFERENDAM.* (†) Volumus etiam, ut dictus Dux Auſtriæ omnia ſua Feudalia, ſive Jura *liberaliter* ſuſcipiat, *Datione ſine omni.* Igitur Jura omnia præſcripta Illuſtris Dux Auſtriæ *ritè, & liberaliter* tenere debeat in omni-

(*) Conferatur hoc Elogium cum convitiis Epiſtolæ hujus Imperâtoris, antehac Bohemiæ Regi ſubmiſſæ, & in Ducem noſtrum ſummo ſtudio compoſitæ, ut *facinora ejus talia crederentur, quæ veniam promereri non poſſent, eúmque imperio planè indignum repræſentarent*: & concludatur, ſub lingua & calamo hujus Imperatoris fel, & mel, reconditum fuiſſe, útque ſibi libêret, inde profluxiſſe.

(**) Hac Conceſſione manifeſtè jugulata eſt *Libertas Urbis Viennenſis*, priùs ab hoc Cæſare, ſibi nullibi conſtante, indulta.

(†) Solet aliâs Pileus Ducalis per limbum inferiorem ſolis *pellibus hermionicis* veſtiri. Sed *Fridericus I.* Imperator *Henrico Jaſomirgott*, Primo Auſtriæ Duci à ſe inſtituto, etiam conceſſit addere *pinnas*, ſive radios Coronæ Regiæ. *Henricus* Rex *Leopoldo* VII. Glorioſo, Duci Fundatori noſtro, ulterius indulſit, Pileum ſuum *Arcubus* etiam Regiis ornare. Nunc *Fridericus* II. Imperator *Friderico* Bellicoſo facultatem quoque tribuit, his *Arcubus* etiam *Crucem* imponendi: ut adeo *Archiducalis* hodie *Pileus Coronæ Regiæ* Schema quàm proximè referat.

omnibus suis Terris, quas jam possidet, & in futurum possidebit.

Statuimus igitur, & Imperiali sancimus Edicto, quatenus nullus Rex, nullus Marchio, nullus Comes, nullus Prælatus, nulla denique Persona, alta, vel humilis, Ecclesiastica, vel Mundana, contra præsentis Innovationis, & Confirmationis nostræ tenorem venire præsumat. Quod qui præsumserit, indignationem nostri Culminis, & pœnam Mille Librarum Auri se noverit incurrisse: quarum Medietas Cameræ, reliqua verò parti passæ injuriam applicetur. Ad hujus igitur Innovationis & Confirmationis Nostræ futuram memoriam, & robur perpetuò valiturum, præsens Privilegium fieri, & bullâ aureâ, Typario nostræ Majestatis impressâ, jussimus communiri. Hujus Testes sunt: *Conradus* Frisingensis Episcopus: *Heinricus* Bambergensis Electus: *Fridericus* Filius Illustris Regis Castellæ: *RUDOLPHUS* Nobilis Comes de Habspurg: *Rodomerus* Comes de Helffenstein: *Albertus* de Niffre: & alii quàm plures.

Signum &c. Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis MCCXLV. Mense Junio III. Indictione, Imperante Domino nostro FRIDERICO Gloriosissimo Romanorum Imperatore semper Augusto, Hierusalem & Siciliæ Rege, Romani Imperii ejus Anno vicesimo quinto, Regni Hierusalem vicesimo primo, Regni verò Siciliæ Quadragesimo septimo. Datum Veronæ, Anno, Mense, & Indictione prædictis.

De Formula Diplomatis Regii, quod nunquam emanavit.

LIIII. Diplomatis alterius, quo Imperator Ducem nostrum creare Regem voluerat, Formulam reperire licebit Tom. II. Epistolar. *Petri de Vineis* Libr. VI. n. XXVI. p. m. noviss. Edit. 197. sqq. E quo eam, sed variè immutatam, alio videlicet ex Codice MS.to sive impresso excerptam, similiter vulgavit *Birckenius*, unde suprà, p. 180. sq. quoniam, ut ille scribebat, Autographum ejus in Archivio Cæsareo suo tempore haud ampliùs exstitit. Verumtamen citra dubium exstitit nunquam, conceptum

ptum duntaxat, quin aliquando emanaverit: cùm teste *Pernoldo* nostro, Dux noster oblatam sibi Dignitatem Regiam non acceptaverit, ne Pontificem offenderet. Ut adeò multum à vero ipse *Birckenius* aberraverit, ajens, Principem nostrum hac Dignitate elatum, tirannidem sibi in suos, adversus Cæsarem verò cervicositatem sumsisse, quapropter eâdem denuo exciderit. (*) Tenore Formulæ hujus Imperator ambos Ducatus Austriæ & Stiriæ cum pertinentibus ac terminis, quos habebant, transtulisset in Regnum, eo pacto, ne sibi & Imperio quidquam honoris, ac juris decederet: Ne Successores ejus per Electionem quorumlibet Regnum obtineant, sed semper major natu, aut Senior de Generatione ejusdem novi Regis, imperium teneat: qui nullatenus Coronam, aut Consecrationem à quoquam alio, præterquam ab Imperatore, vel quem hic deputaverit, accipiat. Inter Privilegia & Jura novi Regis præcipuum esse debuerat, ut ex Provincia Carnioliæ Ducatum facere, eúmque C. Cognato suo conferre posset. Cæterùm hæc Formula absque Anno & Consule est.

LIV. Reducem in Austriam *Fridericum* excepit, & occupavit Bellum Bohemicum, ajente *Pernoldo* nostro. *Interea Rex Bohemiæ, & Dux Karintiæ, uti promiserunt Regi Ungariæ, post reversionem Ducis irruperunt in Austriam ipsa hyeme, sed victi, & fugati sunt: Dux Karintie etiam captus.* Idem brevissimè confirmat Chronicon *Australe* his verbis ad Annum præsentem 1245. „Dux *Fridericus* Austriæ accepit Victoriam à Rege Bo„hemiæ, captivavit *Ulricum* Ducem Carinthiæ, & multos No„biles, propè *Steier*.„ Porro *Haselbachius* prolixus est in hac Victoria narranda: quam Princeps noster, contra spem fiduciámque Capitaneorum suorum *Preuseliorum*, cum exigua manu, adversus latè insigniterque instructum Bohemorum, & Carenthanorum exercitum, summa sua Generositate, circa Natalem Dominicum, non longè Lua Urbe, cujus Obsidionem Rex Bohemiæ aggressus erat, consecutus fuit. Non minùs quoque *Megiserus* Annal. Carinth. Libr. VIII. Cap. xxv. p. 868. sq. reportatum hunc à Duce nostro clarum Triumphum latè percensect, ambobûs fatentibûs, ab eo *Ulricum* Carinthiæ Ducem, Regis Bohemiæ subsidiarium, propria manu captum fuisse: uti & Capitaneos ejus, *Bernardum* & *Henricum*, dictos *Preusl*, acerrimos sub Signo Carenthano Milites *Seifridum* & *Chadoldum Syroktos*, latinè *Orphanos*, vulgò *Waysen* dictos, cepisse. De quibus Tom. IIII. inter *Familias in O.* amplior mihi sermo recurret. *Dubravius* in Histor. Bohem. Bellum hoc Regi suo tam infaustum penitus omisit.

Triumphus Ducis nostri de Bohemis.

(*) Non certe ullas ego Literas novi, in quibus *Fridericus* noster Nomine Regis usus esset.

Captivum servavit Ducem Carinthiæ.

LV. Quantumvis verò Anonymus *Zwetlensis*, & *Haselbachius*, hanc Victoriam referant ad Annum sequentem, sequendi non sunt: quinimmo posterior Epochâ suâ sibi ipsi contradixit, initio pariter tradens, circa festa Natalis Domini Regem Bohemiæ ad Laa Castra applicuisse. Quod utique hoc Anno factum esse debuit, cùm Dux noster alterius Anni non plus quàm dimidium Junium vivendô exegerit. Accedit, ulteriùs narrare *Megiserum*, cum quo pariter *Aventinus* consentit, *Ulricum* Carinthiæ Ducem longo tempore captivum in Castro Stiriæ *Starz* (alii *Staëz*, sive *Steuz* appellabant) consedisse, ibique Ducem nostrum eidem expostulâsse, quòd Stiriæ Pantheram in Scuto suo referret, quasi hæc Provincia adhuedum pars Carinthiæ esset. Tandem inter eos conventum fuisse de hodierno Carinthiæ deigmate: qua in re ego non pronuncio. Dimissus fuit, grandi pecuniâ numeratâ. *Pernoldus* noster pacem geminis nuptiis confectam tradit: dum *Ulricus* Carenthanus *Agnetem*, Repudiatam nostri Principis duxit: Filio autem Regis Bohemiæ Seniori *Ulrico* Dux noster dedit *Gertrudem*, Neptem suam ex Fratre *Henrico*, vel potiùs in Conjugem iterum spopondit, jam quinquennio antè, cùm puerili adhuc foret ætate, promissam, nupturam Anno sequenti.

Negavit Imperatori nupturo Neptem suam Gertrudim.

LVI. Peculiare verò est, dixisse *Pernoldum*, à Duce nostro Filio Regis Bohemiæ desponsam esse *Gertrudim*, *quam negavit Imperatori*. Egregium hinc testimonium accipit *Raynaldus*, Annal. Ecclef. XIII. p. 541. n. 32. ex *Matheo Parisio* Anglo, aut aliunde referens, rediisse ad Concilium Lugdunense *Thadeum* Suessanum, *Friderici* Imperatoris principem Oratorem, tristem admodum ac dejectum: *quòd per eos dies Cæsar, ad confirmandam potentiam suam, Ducis Austriæ Filiam in Uxorem flagitans, ab ea constanter repulsus fuerit, nisi Ecclesiæ Communioni restitueretur*. De *Gertrude* Medlingensi hìc sermo est, Filia *Henrici*, nati Austriæ Ducis, tametsi cum imperio nunquam præfuerit. Scriptor porro noster ipsum Ducem *Fridericum*, in cujus utique potestate *Gertrudis* fuerat, hoc Connubium negâsse asserit, jam videlicet edoctum, in proximo fore, ut Imperator tam novâ Pontificis, quàm totius Concilii sententiâ, ab Imperio dejiceretur: quo pacto Neptem suam difficillimum in discrimen conjiciendam, facillimè prævidit. Omnino autem videtur, eum hanc Cæsari Repulsam dedisse post iter suum Italicum, & confirmata Privilegia sua: immo tentâsse Imperatorem, posteaquam Dux noster oblatam Regiam Dignitatem non acceptâsset, harum Nuptiarum pacto eum in fidem, fœdúsque suum pellicere. A quo cúm se pariter excusaverit, & facilè quidem, quia *Gertrudis* Filio Regis Bohemiæ jam dudum à se desponsa erat: res utraque Pontifici adeo placuit, ut inter novi Re-

Nominatur Novi Regis Romani Elector.

gis

gis Romani Electores, tam Papæ, quàm Concilii decretô, Dux noster omnium primus nominaretur, teste iterum *Raynaldo* l.c. p. 544. n. 53. Sed ne aggrederetur negotium istud, statim insecutum Bellum Bohemicum, & altero anno Bellum Hungaricum, sibi lethale, effecerunt.

LVII. Sed priusquam hæc omnia fierent, *Innocentius* Papa IV. edoctus à Duce nostro, animum sibi esse novi Viennæ Episcopatus fundandi, qua mente Pater ejus jam fuerat, precibúsque supplicibûs pulsatus, ut ejus erigendi facultatem, itémque S. Colomanni Martyris corpus, novum in Templum Cathedrale transferendi copiam tribueret, nihil hæsitans, Abbatibus Cisterciensibus S. Crucis, Zwetlæ, & Runæ injunxit, ut in tanti negotii decentiam, ac Utilitatem, quámque congruè id fieri possit, & permitti expediat, solicitè inquirerent, sibíque, quod reperirent, fideliter renunciarent. Edita Bulla *Lugduni VIII. Idus Martii Pontificatus Anno II.*[do] i. e. MCCXLV. Adhæsit iterum Opus tam grande, cujus & Voluntas eximiè laudanda, verosimillimè per *Rudigerum* Episcopum Pataviensem, uti olim sub *Leopoldo* per *Manegoldum*, ait Cl. *Hansizius* Metr. Laur. p. 381. Maximè, cùm Dux noster, & Episcopus, Nobilium *Waldeckiorum* causâ, novissimè hostiliter collisi essent. Rogat facultatem novi Episcopatus Viennæ fundandi.

LVIII. Rursum autem Pontifex aliâ Bullâ, statim post anteriorem, quantum esset in Ducem nostrum propensus, demonstravit, ejus petitioni ita respondens. „INNOCENTIUS Episcopus servus servorum DEI Dilecto Filio Nobili Viro „Duci Austriæ Salutem, & Apostolicam Benedictionem. - - „Cupientes igitur, ut Monasterium *S. Crucis* Cisterciensis Or„dinis Pataviensis Diœcesis, *in quo Particula Coronæ Dominicæ*, „*quam Tibi charissimus in Christo Filius noster Rex Franciæ Illu*„*stris transmisisse dicitur, sub veneranda servatur Custodia*, con„gruis honoribus frequentetur: Omnibus verè poenitentibus & „confessis, qui Monasterium ipsum in Die, *qua ibidem Parti*„*cula ipsa Dominicæ Coronæ translata fuit*, venerabiliter visita„verint, annuatim, de Omnipotentis DEI Misericordia, & Bea„torum Petri & Pauli Apostolorum ejus Auctoritate confisi, „quadraginta dies de injuncta sibi poenitentia misericorditer „relaxamus. Datum Lugduni V. Id. Martii Pontificatus Do„mini INNOCENTII Papæ IV. Anno II.[do]„ Vulgavit hanc Bullam è Scriniis San-Crucensibus Cl. *Bernard. Pez.* Cod. Diplom. Epistol. Part. II. p. 97. n. 167. Unde tria Laudum egregiarum Capita in Ducem nostrum promanant, de non vulgari ejusdem pietate, & Existimatione testantia. Quorum primum, eundem à Sancto Rege *Ludovico* Thesauro tam Divino, sive preces pro eo porrexerit, sive ultrò, tam peramanter esse dona- S. Coronæ Dominicæ Spinam donavit Sanctæ Cruci.

natum. Alterum, hac Sancta Particula cum saluberrimam Dominicæ Passionis memoriam, & salvificæ Crucis Reverentiam, publica Populi Veneratione frequentari studuisse. Tertium tandem, eundem, accensæ profectò suæ Devotionis Pietatisque studio, diligentiori Populi Cultui Sacerrimum Indulgentiarum Thesaurum, tanquam vehemens calcar, admovisse, Pontifice pariter, ac Rege, in piissima Vota sua promtissima Voluntate conspirantibûs.

Zwetlensibus favit.

LIX. Superest adhuc Beneficium ejus, in *Zwetlenses* denuo impensum, laudantibus *Annalibus* Monasterii ejusdem Tom. I. p. 324. D. *Rudigerum* Episcopum Pataviensem, ad instantiam *Friderici* Ducis nostri, contulisse sibi Decimam in Villa *Weicbartesdorf*, eundémque Principem Decimæ hujus Defensorem constituisse, signatîs Literîs *apud S. Ypolitum III. Id. Aprilis Anno Domini MCCXLV.* Sic Annos Dux noster benefaciendô numeravit, perpetua inter arma non oblitus, Religioni deferre: quia nimirum haud ignarus erat, quàm incertus esset Belli eventus, quódque jam hunc, jam illum Gladius consumat.

Annus 1246.

Contra Imperatorem Rex novus eligitur, à multis non agnitus.

LX. POstquam *Fridericus* Imperator Communione Fidelium, & Imperii Potestate, sententiâ Pontificis per Concilium firmatâ exclusus erat, contrariis ubique studiis Germania Italia, Sicilia scindebantur. Tametsi enim Pontifex nihil non ageret, ut omnes *Fridericum* detestarentur, atque tandem, ægrè licèt, procurâsset, ut *Henricus* Landgravius Thuringiæ (cui antea *Gertrudis*, Seren.^mi Ducis Fundatoris nostri Filia, Conjunx erat, jam verò defuncta) Romanorum Rex nonnullorum Præsulum votîs eligeretur, idcirco à *Friderico* per contemtum *Rex Clericorum* appellatus: neque tamen, sive sacri omnes in Imperio Antistites, sive Princeps Laici, eundem agnoverunt. Minimè omnium assenserunt Rex Bohemiæ, itémque Bavariæ Dux. Unde cùm *Conradus* Rex, Cæsaris Filius, in *Henricum* Thuringum æmulum improsperè pugnâsset, attritas ejus Vires Bavariæ Dux fortiter instauravit, & insuper ei Filiam suam Conjugem dedit. In *Eberhardum* Archiepiscopum Salisburgensem, tantæ semper Virtutis Principem, item in *Rudigerum* Episcopum Pataviensem, hoc unum, quòd ad novi Regis Electionem non concurrerint, neque eidem postea adhæserint, iras ac diras Pontificis congessit: quibûs necdum, solemniter saltem, exolutus Archipræsul ultimo hujus Anni Mense decessit, fatum ac modum ejusdem deplorantibûs omnibûs: *Rudigerus* tamdiu laborabat, usquedum sede moveretur.

Eberhardus Archiep. Salisb. moritur.

Rudigerus Patav. Episc. deponitur.

LXI. Lachrymabilem periodum Rerum, quæ Austriæ hoc anno evenerunt, *Pernoldus* noster magna cum perspicuitate, mul-

multáque nova Historiæ luce ita exposuit. // Mccxlvj. *Bela* Rex // Ungariæ, videns devictum Regem Bohemiæ fœderatum, cum // grandi exercitu venit ad fluvium Lytam, habens pro Duci- // bus aliquos Equites Rhodios, & unum Frangipanum, in ag- // mine Cumanos plurimos, more Tartarorum telis pugnantes. // Occurrit *Fridericus* Dux, lætus & alacer, cum electa Militia, // & factâ acerrimâ pugnâ hostes repulsi sunt. Dux verò Glo- // riosam Victoriam pleniùs consummare volens, incauto fervo- // re ante suos omnes persecutus est fugitivos. E quibus Cu- // manus unus telum post tergum mittens, eodem Equum Du- // cis in Capite percussit, ut statim caderet. Dux prostratus, // & vix duos comites habens, à revertentibus aliquibus cata- // phractis hostibus obrutus, à Frangipano per oculum ense per- // fossus est, suique comites pariter occisi, antequam alii Austra- // les advenissent. Tunc nova quidem pugna erat, & victoria // in eodem loco: sed heu, Dux jam obierat, magnóque luctu // cadaver ejus reportare oportuit. Quod Austriæ tristius fuit, // quàm si cladem pertulisset. Longo tempore alii alia de inte- // ritu Ducis opinabantur, donec unus captivorum hostium ve- // ritatem fassus est. Funus Ducis cum pompa, quæ decuit, // apud Sanctam Crucem propinguam sepultum fuit. Domi- // na *Theodora* Ducissa, quæ tunc in Curia Kalenperch erat, au- // dita Filii morte adeò expavit, ut ad mortem infirmaretur, // nec Funeri adesse potuerit: quin ipsa quoque octava postea // die mortua est, in Newnburch sepulta. Dux interiit in die // sancti Viti: cujus Animæ sit propitius DEUS. Post ejus mor- // tem ineffabilis calamitas venit super Austriam: quæ tandem // etiam oculos calumniatorum aperuit, ut & ipsi plangerent // Ducem suum sicut Unigenitum, & si fieri posset, modis & // viis omnibus eum è Sepulchro revocarent. Cum eo enim // sepulta est Felicitas Patriæ: postquam rigida illius Justitia ces- // savit abundantem subditorum malitiam coërcere. // *Pernoldi Narratio.*

LXII. Tristissimum hoc fatum Ducis nostri nemo Chro- nographorum, cùm Veterum, tum Recentiorum, in Fastos mittere neglexit, paucisque exceptis, qui illud perperam in An- num 1247. distulêre, de Anno, die, & occasione Mortis, Bel- lo nimirum Hungarico, convenit inter omnes, uti pariter de sta- tim subsecuto Dominæ *Theodoræ* Matris præ nimio dolore mœ- stissimo decessu. Genus verò Mortis plerique dubium, alii va- rium descripserunt. Chronographus *Mellicensis* candidè fassus est. „Mccxlvj. *Fridericus* Illustris Dux Austriæ, collecto exer- „citu contra Regem Ungariæ, juxta fluvium, qui dicitur *Litta*, „contrito atque fugato Regis exercitu, atque potitus Victoria, „*nescio quo casu*, miserabiliter occiditur. „ *Salisburgensis* infit. „Pluribus ex acie Regis Ungariæ interfectis, & multis captivis *Occiditur Dux noster Victor in bello contra Ungaros, dubio diu Mortis genere.*

„tis, ipse Dux Austriæ, *vel à suis, vel ab hostibus, sicut dubitatur*, „fuit interemtus. „ *Neoburgensis* ait: „ *Fridericus* Dux Austriæ „& Stiriæ interfectus est in prelio XVI. Kal. Julii. Octava die „Mater ipsius *Theodora* Ducissa Austriæ obiit. „ *Haselbachii* verò prolixiore, sed & magis aberrante Relatu Dux noster sauciatus duntaxat in prelio fuit, non tamen occubuit: sed haud longè postea venationum solatio inhians, ab uno *Potendorffer*, in cujus Cognatam crimen exercuerit, multo labore equo dejectus, suóque mucrone transfixus, animam exhalavit.

Haselbachii falsa Traditio.

LXIII. Hoc ut probaret, subjunxit, in Epitaphio ejus ad Sanctam Crucem clariùs id ostendi per vestigia laqueorum, & corrigiarum, quibûs Virum fortissimum multo labore ad terram usque de Sella sua sui Carnifices detraxerunt. Patere id insuper ex totius Prosapiæ *de Potendorf* exulatione, ac profligatione de Consilio, & Officiis Ducum Austriæ: usquedum Anno 1410. plusquam sesqui-tertium tandem post Seculum *Leopoldus* Dux Austriæ, *Alberti* V.[ti] postea Imperatoris hoc nomine II.[di] Tutor hunc Bannum ruperit, *Hertnidum de Potendorf* senescalum Austriæ constituens, suóque Consilio admovens. Sed in utróque hoc argumento plurimùm fallit bonus *Haselbachius*, sæpenumero sua in Historia vehementer cespitans, & perplexus. Lapis quippe Sepulchralis *Friderici* in Capitulo S. Crucis, hostili manu dudum valde truncatus, Capellam quamdam, sive Thronum Gothici Operis exhibuit, sub quo Ducis cataphracti imago recumberet: cujus varia Columnularum, fornicúmque, aut Cancellorum ligamina ille ut laqueos & corrigias improvidè suspexit. Neque secum reputavit, quàm à recto judicio aberret, Monumentum Ducis, quod utique Honorarius Tumulus erat, perpetuâ admissi criminis tesserâ, & æternæ infamiæ stigmate dehonestatum fuisse. Exstat & apud nos ejusmodi Tumulus elatus, tabula marmorea contectus, quæ Domini *Friderici de Hohenberg* imaginem toto corpore exhibet, Capiti ejus pulvinaris locò bestia quadrupedi, cornuta, flammásque spuente supposita: de qua rumor in vulgus facillimè ac sine judicio credulum pervasit, genus mortis ejus hìc expressum, eúmque à consimili bestia occisum fuisse. Sed incumbit ille Pantheræ Stiriacæ, certo argumento, Stirpem ejus *Hohenbergicam* è Stiriæ Veteribus Marchionibus descendisse.

Refellitur.

LXIV. Una porro cum Duce nostro, *Haselbachius* Nobilissimam quoque Familiam *Potendorfiam* ingenti calumnia infecit. Non solùm enim in tam copiosis Archivii nostri Chartis, quæ ab Austriæ Principibus, ac Ducibus emanârunt, verùm etiam in *Zwetlensibus*, ubique ferè *Potendorfii* cum honore inter primos in Testibus leguntur: quod Rever.[mus] Annalista *Zwetlensis*

Evertitur penitus.

lenſis diligenter adnotavit. Qui proinde cùm Principi ſemper ad latus hærerent, quis ambigat, eorum plures ipſi à Conſilio quoque fuiſſe? Vellem profectò, vidiſſet *Haſelbachius*, & attendiſſet vel ſolum illud vernaculum Diploma Anni 1281. quo *Albertus*, I.[mus] eò temporis necdum Dux, ſed Vicarius duntaxat Auſtriæ & Stiriæ Generalis, Urbi Viennenſi Jus Emporii, ſive Mercium deponendarum (die Niderlags-Freiheit) confirmavit. Ibi enim enumerans eos, qui ſibi, ordinante Auguſtiſſimo Parente *Rudolpho* I. Imperatore, in *Conſiliarios* adlecti fuerant, diſertè pariter laudat *Chunraden von Potendorf*. Univerſum Catalogum extraxit *Prevenhueberus* Oper. Tom. I. p. 413. quem ego differo in Tomum IIII. ubi inter *Familias in P.* etiam *Potendorfiam* elogiis non breviſſimis commendabo. Hoc ſolo interim argumento *Haſelbachii* propudioſa Traditio penitus evertitur. In eandem tamen complures etiam alii declinârunt: quorum antiquior *Anonymus* Proſecutor Chronici *Martini Poloni*, in hac parte fama non multò ſinceriore inductus, ut ſcriberet apud Jll. *Eccard*. Scriptor. I. Col. 1419. „Anno ſequenti (videlicet 1246.) *Fredericus* Dux Auſtriæ pro defenſione ſuæ Terræ contra Hungaros exercitum ducens, cum eis bellum conſerit, & cùm eis magnam ſtragem faceret, quidam de ſuis Militibus, curioſus ſuarum virium explorator, contra ipſum gradiens, eum ſic ſuo gladio profundè perfodit, quòd eum mortuum ad terram proſtravit. De cujus morte fuerunt omnes Auſtrales ſummè turbati.„ Sic & *Adlzreiterus*, poſt *Aventinum*, Annal. Boic. Gent. Part. I. Libr. XXIV. p. 664. n. 8. ſtilo elegantiori quàm veriori ad An. 1246. effatus eſt. „*Fridericum* quoque *Auſtrium* hic Annus extulit bello Ungariæ. Cùm bis uno die de hoſte triumphâſſet, à Domeſticis eſt trucidatus. Aliqui notârunt, fuiſſe ab iis in venatione interemtum. Ita Princeps cujus Magnanimitati ne unus quidem ſuffeciſſet Orbis, nefaria conſceleratorum Manu ſublatus, ſub anguſto ceſpite ſpes immenſas condidit, nulla prole relicta.„

Ejusdem sequaces.

LXV. Nunc quomodo *Bonfinius* Ducem noſtrum à Marte in mortem præcipitatum confinxerit, audiamus. „*Bela* (ait) non injuriarum immemor inſignium, quas à *Frederico* perfido Auſtriæ Duce præter æquum & fas acceperat, ſuum exercitum, & auxiliares copias, è Dalmatia adductas, adverſus eum duxit, ut à Deorum & hominum contemtore, cumulatas, ut par erat, pœnas exigeret. Obſedit igitur vehementer Auſtralem Neapolim (Novam putat Civitatem) ut ad ſuccurrendum hoſtem adigeret. Pro mœnibus Urbis prelium initum: in quo cum tanta, quicunque ſuperfuerant, Ungari ferocia dimicârant, ut Alamannos graviſſima clade profligârint. *Fredericus*, ne impunitate ſcelerum elaberetur, cum Ungaro ſingulari

Bonfinii commentum.

„gulari certamine pugnans, transfosso ore prostratus occubuit. „Victor à Rege honorificentissimè donatus est: cujus adhuc Do„nationis clarissima exstant Privilegia. Post hæc Victoria po„titus Alamannica, direpta maxima Austriæ parte, in Panno„niam rediit, & ad pacandum Regnum, legendásque Reliquias „animum advertit.„

Expenditur.

LXVI. Perbello sanè artificio Pannonius iste Scriptor Genti, cui calamum sacravit, conciliavit similiter gloriam, & laureatum tropheum erexit. Sed non modò Patrii nostri omnes ferè Scriptores, verùm etiam exteri quoque jam adducti, Australibus palmam adscribunt, Chronographo similiter vernaculo *Brunswicensi* apud *Eccard.* Scriptor. I. col. 1411. attestante. „Des Jares stridde de Hertoge van Osterrik weder die Ungeren, „unde ward geslagen: de sine behelden jedoch den Sege.„ In eo porro, quòd ait *Bonfinius*, Regem *Belam* contra Austriam eduxisse Auxiliares Copias, è Dalmatia adductas, admodum suffragatur *Pernoldo* nostro, asserenti, Duces *Belæ* fuisse *Equites aliquos Rhodios*, *& unum Frangipanum*: nam hi ipsi anno abhinc quarto cum Rege, è Dalmatia per Austriam reduce, advenerant. Confingens verò Monomachiam, per Torneamentum ferale, i. e. Certamen singulare Ducis nostri cum Ungaro, studiosè obtegit fugam Pannonum, & incautam nostri Ducis insecutionem, ictúmque teli, quo Equus Ducis prostratus, pari secum ruina Jllustrissimum Sessorem involvit: quem prostratum, adacto ense plenè conficere, *Frangipano* facillimum, meræque fortunæ, non verò Virtutis fuit. Militem occisorem insignibus à Rege donis, ac privilegiis remuneratum, facilè largior: cùm constet, *Frangipanûm* Gentem in Hungaria summè floruisse, donec ultimus eorum *Franciscus* AN. 1671. perduellionis causâ in *Leopoldum* Augustum attentatæ, Neostadii ense spiculatoris publicas pœnas exolverit. Fateor interim perlubenter, unam Ducis nostri mortem, à *Frangipano* patratam, Ungaris ampliùs, ac consummatam Victoriam fuisse. Hoc enim Ultore eorundem sublato, insequentibus annis semel, iterum, tertiùm in Austriam, nemine, qui obsisteret, invento, cum omni libidine grassabantur, usquedum tandem *Otocarus* cursum ferociæ decumanô triumphô inhibuisset.

Rigida Ducis nostri Justitia malitiæ sui temporis necessaria fuit.

LXVII. Postremæ periodi *Pernoldi* nostri meritò hìc à me repetendæ sunt. *Post ejus mortem*, ait, *ineffabilis Calamitas venit super Austriam, quæ tandem etiam oculos calumniatorum aperuit, ut jam plangant Ducem suum sicut Unigenitum, &, si fieri posset, modis & viis omnibus eum à Sepulchro revocarent. Cum eo enim sepulta est Felicitas Patriæ, postquam rigida illius Justitia cessavit abundantem subditorum malitiam coërcere.* Mirè cum-

cum his consonat Chronicon *Augustanum*, sive *Steronis* ad ANN. 1238. plurima uno cumulo congerens, diversos ad ANNOS attinentia. Postquam enim enarrâsset, Ducem nostrum recuperatas Provincias, quas ei Cæsar eripuerat, *deinceps ita strenuè rexisse, quòd in ipsa quoque Justitia, ut multis videbatur, sæpe tirannidem exerceret*, subjecta ejus morte, tandem ita lamentatur. „Occiso itaque *Friderico*, potentissimo & inquieto Duce „Austriæ & Stiriæ, quanta mala ferè per sex ANNOS utraque Pro„vincia sit perpessa, nullus valet scribere, vel narrare. Nam „quilibet Nobilium, immo magis ignobilium, nec DEUM nec „homines reveritus, quæcunque volebat, faciebat, homines, „ad munitiones, vel cavernas terræ, fugere non valentes, ca„ptivandô, vulnerandô, occidendô, ac excogitatis, & hactenus „inauditis tormentis miserabiliter cruciandô.„ Utrùm hæc nulla penitus auxesi intemperantiùs æquô effusa sint, ambigo quidem, non discutio: interim perspicuum est ipsis è verbis, Chrongraphum istum lamentari de iniquitate Nobilium, à morte Ducis nostri perpetratâ. Quare prorsus intolerabile est, Cl. aliàs *Adlzreiterum*, aut quisquis calamum duxit in *Annalibus Boicæ Gentis*, hæc maximè perperam, ac summè improvidè, *Sterone* falsissimè in testem adducto, ad nostri Principis tempora traduxissè, & mala hæc omnia ipsi per non ferendam incuriam, ne injuriam dixerim, imputâsse, tanquam Princeps latronum, Princeps raptorum, Princeps Carnificum exstiterit: uti *Decade* anteriori ad ANN. 1240. adscriptîs ejusdem verbis conquestus sum.

LXVIII. Sed meliora, spero, de *Friderico* nostro sentiet postea, quisquis hæc singula, quibûs hactenus ejusdem Historiam deduxi, cum ea, qua par est, animi æquitate, itémque discretione judicii perlegerit. Consentiet facilè *Pernoldo* nostro, *sepultam cum eo Patriæ Felicitatem*, *postquam rigida illius Justitia*, quæ suo tempore necessaria fuerat, *cessavit abundantem subditorum malitiam coërcere*. Conspiravit sanè in hæc verba Chronologus pariter *Admontensis*, quem pleniorem vidit Cl. *Hansizius*, & laudavit in Metr. Salisb. p. 343. Qui enarrata tam Ducis nostri, quàm *Eberhardi* Archiepiscopi Salisburgensis, hoc eodem Anno elati, morte subjecit. „Quos Gloriosos Principes „ideo memoriæ commendandos dignum duxerim, quia, ipsis „defunctis, Pax & Securitas totius Terræ unacum ipsis fundi„tus exspiravit.„ Neque defuerunt, qui tam citò sublatum de medio Principem nostrum funebribûs & querulis Cantibus, ac Lessis, prolixiùs defleverunt, atque Epitaphiis honorârunt, Monachi utique, penes quos ævo illo Ars Carminum rythmicè pangendorum ferè unicè fuit: quod luculento mihi testimonio est, nequaquam *Fridericum* nostrum parum admodum, aut nihil

Defletus est à multis.

hil affectus apud Clerum, quod alii calumniantur, possedisse. Consimiles Lessos geminos Cl. *Hieron. Pez.* vulgavit Scriptor. II. col. 397. ex pervetusto Codice MS.[to] *Admontensi*, prolixè excurrentes. Epitaphium ejusdem redhibuit Jll. *Eccardus* Scriptor. II. col. 374. Authore Incerto *Monacho Cisterciensi*. Ego verò, qui seriis argumentis hìc ago, Poëtica ista, quibus robur ac pondus ardua in quæstione ferè apud neminem esse solet, consultò prætermitto, hanc unicam Stropham ad confirmandum Austriæ post funus Ducis nostri miserrimum statum adjiciens.

In diversa spargitur Terræ Dominatus,
Principis in Sedibus regnat Incolatus.
Agnus ovem devorat, Lupus est beatus:
Cattis atque muribus par est Principatus.

Beneficia ejus in Ecclesias incertorum annorum:

LXIX. Jllustrioris longè Cœnotaphii locum subitura credo Beneficia Principis nostri, quæ Annis incertis in diversos Ordines, atque Ecclesias collata, huc congerere placuit. Teste Cl. *Puschio* Chronol. Stir. Part. II. ad Ann. 1202. p. 123. Sacellum illud, quod Parens *Leopoldus Gloriosus* prope Pomerium Græcense Divæ *Chunigundi* è fundamentis erexerat, Filius postea *Fridericus* Ordini, sive Militiæ Equitum Teutonicorum sacros in usus proprium contradidit. Uti deinde *Arenpeckius* fidem interposuit, idem Princeps noster S. Cruci Austriæ Carnarium, sive ossuarium struxit, Wulzendorff cum tredecim Hubis, i.e. fundis, sive agris, donavit, multa præterea Bona alia præstitit. *Bernardo Norico* in Chronico Austriaco, & post eum Cl. P. *Simone Rettenbacher* in Annal. Cremisan. Libr. II. p. 193. eximiè prædicantibûs. „Iste *Fridericus* Dux Austriæ, Stiriæ, Carnio-„liæ, Jura illius Ecclesiæ ampliavit, & Reditus, ac homines (puta servituti adstrictos) in Cravenberg dedit: & pensum Advocatiæ L. talentorum in perpetuum relaxavit, ut ex hoc in Qua-„dragesima Esoces (certum piscium genus, quod Salmones ali-„qui appellant) Fratribus ministrentur.„ Hæc, & alia quamplurima, quibûs extollere Domum DEI curavit, Beneficia, per quæ in anterioribus Annos Regiminis ejus facilè numeravi, tametsi ex multò pluribus ignota mihi plura, quàm nota, rectissimè arbitrer, sanè *Friderico* nostro Religiosi Principis laudem subtrahi minimè patiuntur. Bellicæ Fortitudinis elogio apud omnes afficitur: in Bella tamen, quibûs plerúmque triumphavit, eum non ex innata Animi, quiescere impotentis, audacia prosiliisse, sed ab Adversariis malè multatis, aut subditis perduellibus dignè castigatis, pertractum esse, in omni hucusque illius Historia talibûs, ut confido, testimoniis adstruxi, quæ meritò fidem faciant, aut salva veritate, rectóque judicio, leviter abjici, rejicique neutiquam possint. Jam ergo Serenissimis Cineneribus

In Ordinem: Teutonicum:

Sanctam Crucem:

Cremisanium.

Suprema laus, & Epochæ illius.

neribus ejus extremùm salutatis quietem & opto, & permitto, id unum superaddens: cùm teste *Ortilone*, hanc lucem vitalem primùm aspexerit xvij. Cal. Julii, sive die Junii 15.ta Anni 1211. & hac ipsa die redeunte An. 1246. supremùm spiraverit: eum Annos quinque supra triginta vivendô justè explevisse, Austriámque, ac Stiriam ab excessu Patris annis non planè sedecim gubernâsse, Provinciâ novâ Carnioliæ acquisitâ.

LXX. Jam porro pietas vetat, ne Serenissimam Dominam *Theodoram* Ducissam Fundatricem nostram absque omni devoti calami officio ingratæ oblivioni permittam. Præterquam enim, quòd eam Augustus Græcorum Sanguis, unde genita, Summis quibúsque in Filiabus commendabilem faciat: Conjugii certè felicitate Nuptis omnibus fortunatissimis, Maritum si spectes, meritò accensenda est. Quanto enim, quámque Optimo Principi *Leopoldo* obtigerit sorte Divina, in cujus ornamentis Gloria cum Virtute perpetuò decertavit, cumulatè edocui. Hujus thorum fide integerrima ab Anno 1203. usque 1230. in Annum octavum & vigesimum incoluit: hujus Virtuti operâ constantissimâ collaboravit: sanctæ ejusdem Munificentiæ (quis ambigat?) perfectissima animi consensione congratulata est. Mater verò, sic permittente Domino, doloribûs magis inebriata, quàm honoribus cumulata evasit; ut, quanta Vir ejus fortiter ageret, tanta è converso fortiter illa pateretur. Non defuit Fœcunditas: quam tamen Jucunditas destituit. Trium Filiorum, quatuórque Filiarum Parens, videbatur Marito delicium, sibi solatium, Patriæ gaudium peperisse. Sed iniquissimo fato hæc Cythara ita in luctum conversa est, ut neque Filii, neque Nepotes, gloriam Parentum in secula ventura transmitterent. Non opus est, ut longiùs eam per singula. *Leopoldulum* primogenitum decennem rapuit mors: *Henricus* in impietatem adolevit: *Fridericus* infinitis, iisque decumanis discriminibus jactatus, perpetuis periculis Caput ultra virilem ætatem non extulit. Nepos ex his omnibus nullus. *Margareta* primogenita, dum Auream in Throno Augusto se recepisse Coronam putaret, paulò pòst spineam, enecato Marito Rege, & Filiolis, agnovit, & sensit. Hæc porro omnia Domina *Theodora* Mater, amaritudine plena, suis oculis haurire, mœstissimo animo ebibere debuit: donec subitus *Friderici* interitus gladium doloris pectori ejus tam altè infixerit, ut Animæ portam laxaret. Ita DEUS flagellat, quos diligit: de cujus Bonitate confidimus, tantum eundem huic Dominæ adauxisse proemium in Cœlis, quantis eam tormentis in terra probavit. Sexagenariam decessisse oportet, si in Græcia vel sedecim annis adoleverit: Austriam quippe Annis quatuor & quadraginta illustravit.

Dominæ *Theodoræ* Matris Elogium, & Calculi.

Pernoldi Narratio.

LXXI. Sed ad *Pernoldum* redeundum est, qui, magno certè Historiæ Patriæ commodô, per intricatissimum quoque Interregni Austriaci tempus pluribûs adhuc Annis exactè admodum pergit, ad hunc præsentem post anteriora ita subjungens.
// Post mortem Ducis, sicut constituit, & dedit Privilegium
// *Fridericus* Primus Imperator, Austriæ Ducatus spectabat ad
// Seniorem Filiam Ultimi Ducis, qui talem post se reliquit. *Fri-*
// *dericus* nullam habuit. *Heinricus* Frater ejus nunquam fuit
// Dux. Quare non *Gerdrudis* ejus Filia, nec *Constantia* Uxor
// Marchionis Misniæ, tanquam junior, sed Domina *Margare-*
// *ta* Senior Filia *Liupoldi* Ducis, Romanorum quondam Regina,
// Hæres fuit. Hanc autem *Fridericus* Imperator, postquam
// ejus Maritum Regem, & duos Filiolos, in carcere perire fe-
// cit, non dimiserat ex Apulia, quamdiu Fratri ejus *Friderico*
// inimicus fuit: ne suo fletu, & obsecratione, quosdam Prin-
// cipes in ejus Auxilium commoveret. Sed Anno Mccxlv. cum
// suis Thesauris, multísque Donis dimissa, intravit Germa-
// niam: & licèt ubique cum honore excepta fuerit, quia ta-
// men ex tantis malis suis magnum Gloriæ humanæ tœdium con-
// cepit, & omnia in Austria esse inquieta audivit, ac insuper
// valde Pia Domina erat, ad Monasterium Monialium sanctæ
// Catharinæ Ordinis Beati Dominici apud Treviros recessit, non
// Monialis facta, nec Ordinem professa: sed in Domo Sancta piè
// & quietè victura. //

D. Margareta Regina una & sola legitima Hæres Austriæ.

LXXII. Duodeni numero Serenissimi Principes Babenbergici fuerant, qui à primo *Leopoldi Illustris* An. 944. in Austriam ingressû hanc Provinciam Seculis tribus ritè emensis optimè gubernârunt. His verò, fato, quod omnia urget, volente, esse desinentibus, illi, qui rectè prudentérque sentire noverant, Legem, ac Ordinem Successionis Fœmineæ tam intellexerunt probè, quàm ritè expenderunt. Cujus Testem perspicuum in *Pernoldo* habemus. Quid in ejusmodi eventum *Fridericus* I. Imperator, dum An. 1156. Austriæ Ducatum instituit, præordinaverit, ut hìc iterum adstruam, opus non est: cùm totum ejus Privilegium suo loco in Elogio VI.[to] *Henrici Jasomirgott* Primi Ducis integro tenore descripserim, & illa, quæ in eodem præcipuè observanda duxi, Notulis, quæ expedire visæ sunt, intento veluti digito commonstraverim. Hujus tenore D. *Margareta* Regina, tanquam Senior Filia Ultimi Ducis, prolibûs beati, certissimè una & sola legitima Hæres fuit. Eam porro à *Friderico* Imperatore, post necatum ejus Maritum Regem, itémque Filiolos geminos, in Apulia tamdiu detentam fuisse, usquequo ipse Fratri ejus *Friderico* plenam denuo gratiam suam Reddiderit: sub Annum proinde 1245. in Germaniam advenisse, ac Treviris in Parthenone Prædicatorio, absque voto & velo, quietis duntaxat,

Conversata in Monasterio, sed sine velo, ac voto.

xat, pietatisque causâ habitâsse: hujusmodi Notitiæ sunt, quæ vel penitus usque huc latuerunt, vel perperam omnino inter Scriptores vagabantur. Plerique enim eorum, quibus hujus rei aliquid suboluit, Conversationem Reginæ nostræ in Claustro, cum Voto & Professione Ordinis, eximium per errorem confundendô, in propudiosas admodum huic Dominæ sententias, & opiniones declinârunt. Quàm verò sic tradendo vehementer extra Orbitam saltaverint, postea dicenda luculentè demonstrabunt.

LXXIII. Sed nondum omnem Anni hujus apud *Pernoldum* nostrum Narrationem absolvi, qui ulteriùs ita subsequitur. Pernoldi Narratio.
// Interea paucis diebus ante obitum *Friderici* Ducis, dum ipse // esset occupatus in Apparatu belli contra Ungaros, ex iterato // pacto Pacis *Wladislaus* Marchio Moraviæ, Regis Bohemiæ Se- // nior Filius, nupsit *Gerdrudi* Nepti ejus ex *Henrico* Fratre. Oc- // ciso autem Duce idem *Wladislaus* propter Uxorem statim vo- // lebat esse Hæres Austriæ & Stiriæ: sed ejus Conatus non suc- // cessit, cùm altero statim Anno obiret, neque prolem relin- // queret. Imperator verò, nunciata sibi *Friderici* Ducis mor- // te, statim ex partibus Rheni illustrem *Ottonem* Comitem *de* // *Eberstein* submisit Wiennam, præcipiens, ut Jura Provinciæ // pro Imperio curaret. Ipse enim propter Dominam *Marga-* // *retham*, sui quondam Filii Regiam Uxorem, appetebat Austriæ // Provincias. //

LXXIV. Nuptias, brevémque Cohabitationem *Wladislai* Bohemi cum *Gertrude* Ducissa, Chronica passim commemorant hoc anno, quamvis alii pro *Wladislao Henricum* ponant, quorum utrúmque rectum. Nam in *Serie Chronologico-Historica DD.*^orum^ *Abbatum Lucensium Ord. Præmonstrat. in Moravia*, quæ Znoymæ in 8.vo Anno 1738. vulgata fuit, p. 17. affertur ejusdem Ducis ac Marchionis Diploma pro Canonia Lucena de Anno 1222. ita inchoans: „Ego *Henricus*, qui & *Uladislaus*, „DEI gratia Marchio Moraviæ, notum fore volo &c.„ Ait itaque Chronicon *Mellicense*: „Filius Regis Bohemorum *Gerdru-* „*dem*, Filiam Ducis *Hainrici*, duxit in Uxorem, qui post octo „Menses moritur.„ *Salisburgense* infit: „Filius Regis Bohemiæ „duxit Fratruelem Ducis Austriæ, tunc (i. e. non quando, sed „statim, postquam duxerat) mortui, in Uxorem.„ *Leobiense* more solito rem ita confundit ad An. 1247. „Australes spe „Hæredis *Gertrudim*, quondam eorum Ducis Filiam, Marchio- „ni Moraviæ copulant: quo sine hærede defuncto, Frater ejus „*Otakerus* Marchionatum suscepit.„ Non Australes spe Hæredis, sed ipse Dux *Fridericus* Neptem suam dedit Nuptui, Pacis ergo, bis eo pacto se inter & Bohemos conclusæ: quamquam Nu-
Gertrudis Medlingensis Nuptiæ cum Filio Regis Bohemiæ.

Nuptiis non interfuerit, occupatus, ut ait *Pernoldus* noster, in Apparatu belli adversus Ungaros. Non dubium tamen, Bohemiæ Regem conditione Connubii hujus dedisse pacem, non tam Sponsæ ergo, quàm spei causâ, aliquando in Austriam succedendi. *Arenpeckius* è *Sunthemii* Tabulis Cl. Neoburgensibus ita habet. „*Wladislaus* Marchio Moraviæ, Natus Regis Bohe„miæ *Wenceslai*, occasione Uxoris suæ Dominæ *Gertrudis de* „*Medling* Ducatum Austriæ sibi subjugavit: sed in brevi sine „Liberis defunctus est.„ Omisit, quod rectè *Sunthemius* præmiserat, nimirum: *Die warde verheyrath umb Fridswillen der Land Oesterreich, Behem, und Merherrn, durch Herzog Fridrichen von Oesterreich ihren Vettern.* Tandem *Hageni* verba sunt, quæ pariter sua fecit *Jacob. Unrestus* Sacerdos Carinthus in Chron. Austr. vernaculo apud *Simon. Frider. Hahnium* in Collect. Monum. Tom. I. p. 495. „Die gab man mit der Ehe „des Chunigs Sun von Behem, der waz *Hainrich* genennet: der „lebt bei ihr nuer anderthalb Jar.„ Ubi tempus fallit protracti in semialterum Annum Connubii, Chronico *Mellicensi* octo tantùm, non octodecim Menses statuente. Quod superest apud *Pernoldum* nostrum, à *Friderico* Imperatore submissum esse Comitem *Eberfteinium*, veluti Locumtenentem suum, in Austriam, statim ipse luculentius edicet, & ego aliorum testimoniis firmabo.

Annus 1247.

Pernoldi Narratio.

LXXV. MEritò hìc Scriptori nostro præ omnibus aliis auscultamus, qui de iis, quæ ad rem pertinent, certè nos egregiè edocet. Ait ille. // Unica Pontificis cura fuit, ut // à se dejecto *Friderico* Cæsari, ejúsque Filio *Conrado*, excluso // Romanorum Regi, Adjutores omnes in Germania subtraheret: // quos econtra *Fridericus* studiosissimè procurare, & conservare // laboravit. Quare magno dolore Pontificis *Heinricus* Lantgra// vius Thuringiæ, Anno priori electus Cæsar, hoc Anno obiit, // gaudente *Friderico*. Sed Dominus Papa iterum eligi fecit // *Wilhelmum* Comitem Holandiæ: quem non agnoverunt Sa// xones, Bawari, & Australes, adhærentes *Friderico*, cujus Capi// taneus *de Eberstein* Austriam rexit.

Henrici Thuringi novi Romanorum Regis fatum.

LXXVI. Nihil certè non egit *Innocentius* Papa IV.^tus^, Lugduni in Gallia hærens, suæque Cæsaris execrationi, ac dejectioni, vim procuraturus, quod *Friderici* Res, & vires, in Italia, Germaniáque labefactaret, everteret, penitúsque pessumdaret. Legatîs, & Epistolîs, institit apud omnes. Videatur, si placeat, *Raynaldus*, coævis è Scriptoribus quælibet singillatim percensens: quod meum haud reputo. De *Heinrico* Thuringo, S. Elisa-

Elisabethæ Leviro, & olim *Gertrudis*, Filiæ *Leopoldi* Ducis, nunc jam defunctæ, Marito, novo Romanorum Rege AN. 1246. juxta Herbipolim in Ascensione Domini electo, testatur *Albertus* Stadensis, plurésque Sinchroni: neque minùs de insigni ejusdem Victoria, quam contra *Conradum*, Filium *Friderici*, se, Frankfordiæ Comitia acturum, comparato exercitu aggredi præsumentem, relata. Obtinuisset plenè contra eundem, nisi *Otto* Dux Bavarus *Conradum* sustentâsset, Generum sibi fecisset, & constanter subsidiis novis instruxisset. Quo factum, ut, *Henrico* novo Rege Aquisgranum, Coronæ suscipiendæ causâ, petente, *Conradus* cum exercitu novo supervenerit, altero in insidiis collocato. Et licèt aggressione prima iterum triumphaverit *Henricus*: dum tamen sui jucundè spolia legerent, novi exercitus novo insultu contritus, paulò pòst mœrore confectus fuit. Ita *Matheus Parisius*, aliis hanc pugnam subticentibûs, concordi tamen effato, *Henricum* Regem ANNO 1247. vel sagittæ infixæ vulnere, vel profluvio ventris obiisse.

LXXVII. Sic afflictas Ecclesiæ Res ut repararet, instantissimè egit *Petrus Caputius* Cardinalis in Germania Legatus, quamvis permultis Principibûs abhorrentibûs, & ex *Henrici* præpropero fato, quod illi sinistro penitus omine, ac velut inviti Cæli monito acceperunt, ita perterritis, ut oblatum Regni honorem nemo accipere vellet. Tandem ad *Guilelmum* Holandiæ Comitem, vicennem, ut ajunt, Juvenem, hæc maximè anceps fortuna, qua & ipse brevì ludendus erat, commigravit: quem, teste iterum *Stadensi*, Episcopi, Comitésque nonnulli, Nussiæ feria quinta post Michaëlis Regem Romanorum acclamârunt. Hunc Papa largis opibûs instruxit, Militibus, ejusdem sub Vexillo in *Friderici* asseclas pugnaturis, plurimas Indulgentias contulit, omnes contrà, quotquot ei refragarentur, anathemate percelli, & si de Clero essent, dignitate sua citra veniam Removeri præcepit.

Guilelmus Comes Holandiæ novus Rex eligitur.

LXXVIII. Maximè omnium iratus fuit Archiepiscopo Magdeburgensi, Episcopis item, Pataviensi & Frisingensi, *Friderico* impensè adhærentibus: quorum primus etiam Nuptias cidem cum Filia Ducis Saxoniæ conciliare contendit. His igitur Papa coram se ipso diem dici per Legatum imperavit: in cujus Litteris sic postea pergit. „Accepimus siquidem, quòd „Marchio Misnensis, Bavariæ, ac Saxoniæ Duces, & Filia „ipsius Ducis Saxoniæ, *nec non & Nobiles de Austria, & Stiria, &* „*H.* (legendum O. i. e. *Otto*) *de Ovvurstein* (Eberstein) *qui pro* „*ipsorum Nobilium Capitaneo nomine dicti* Friderici *se gerit*, Vi„ri Nobiles genere, sed suis perversis actibus ignobilitantes se „ipsos, & in Reprobum sensum dati, præfato *Frederico* contra DEUM

Nobiles Austriæ & Stiriæ stabant à Cæsare, qui eis Capitaneum dederat *Eberstei-nium*.

,,DEUM, & ipsam Ecclesiam, assistunt viriliter, & potenter.,, Quos, Monitione præmissa, ni resipuerint, Censuris Ecclesiasticis, Appellatione Remota, compelli, si viderit expedire, mandavit. *Datum Lugduni VII. Kal. Novembri Anno V.*[to] Sic *Raynaldus* h. a. Tom. XIII. p. 566. Perspicuè hinc omnia liquent, à *Pernoldo* nostro anterioribus in paragraphis asserta: præcipuè verò, Cæsarem per Capitaneum procuràsse Austriam, cujus ductu tam Austriæ, quàm Stiriæ Provinciales, in ejusdem officio continebantur. Quid autem contra Australium studia moliri variè cœperit Pontifex, Scriptor noster ulteriùs ita edicit.

Pernoldi Narratio.

LXXIX. // Sed ut hanc Provinciam (Austriam nimirum) // sibi devotam redderet Papa, per Dominam *Margaretham* effi- // cere tentavit. Et cùm novisset, eam in Monasterio habitare, // ac putaret, posse, eidem Consuetudine Monasterii in men- // tem venire Cœlibatum perpetuum, vel Professionem Ordi- // nis: hortatus est illam, ut pro Bono Ecclesiæ in periculo- // so ejusdem Moderno statu cum Fratre Marchionis Misnensis, // *Wilhelmi* Regis Nepote, Nuptias faceret, ut hic per eam Jus // acquireret in Austriam, & sic *Wilhelmus* Rex potentior fieret. // Sed noluit Marchio, timens inanem spem, cùm videret, om- // nes Vicinos Principes, Bavarum, Ungarum, Bohemum, Ca- // rinthum, pro Austria & Stiria contendere. //

Pontifex D. Margaretæ Reginæ suadet Nuptias.

Raynaldus hujus Rei Testis excusatur ob lapsum memoriæ.

LXXX. Nihil de hoc, in Dominæ *Margaretæ* Historia planè singulari paragrapho, commemorant Chronica Patria: quem tamen *Raynaldus*, unde suprà p. 570. n. 26. egregiè confirmat, allegatâ in hanc rem ex Regesto *Innocentii* Libr. IV[ti] Epistolâ 79.[na] ad *Margaretam.* Quam si tenore suo attulisset, multo cum gaudio transcripsissem. Neminem verò offendere debet, *Raynaldum* ad alia distractum, & multitudine rerum cogitandarum oppressum, *Margaretam* ibidem rectè omnino appellare postremi Ducis Austriæ Sororem, & Viduam *Henrici* olim Regis Romanorum, perperam verò addidisse, & *Landgravii Thuringiæ.* Perplexam ejus memoriam indubiè reddidit, quòd Maritus *Margaretæ*, Filius *Friderici* Cæsaris, æquè appellatus fuerit *Henricus*, uti Landgravius Thuringiæ contra *Fridericum* Rex acclamatus: item quòd hic posterior similiter aliquam Sororum *Friderici* ultimi Ducis Austriæ, sed *Gertrudem* nomine, habuerit Uxorem. Hujusmodi lapsus in tam decumana, qualem *Raynaldus* confecit, Historia, si res ipsæ cæteroquin peroptimè sibi constent, uti Scriptori facilè indulgendus est, ita fidei quoque ejusdem apud bonos & æquos derogare nullatenus debet.

Pernoldi Narratio.

LXXXI. Prosequitur *Pernoldus.* // Quare Pontifex con- // vertit favorem suum ad *Belam* Ungariæ Regem, & monuit

// *Wil-*

// *Wilhelmum* Regem, ut pro Ecclesiæ bono, suáque propria // majori securitate, juvaret Ungarum in assequenda Austria, // vel Stiria contra Imperatorem. Dominam verò *Margaretham* // admonuit, ut iret in Austriam, quam novit esse valde Catho- // licam Principem, ut Australes ad Ecclesiæ partes adducere // studeret, promittens ipsi favorem suum, quacunque ratione // eam posset juvare. Quæ etiam obtemperavit, & magno ho- // nore fuit excepta: sed in Wienna propter *Eberfteinium* sede- // re non valens, contulit se Heinburgum. Venit autem pariter // Domina *Gertrudis* Neptis ejus post mortem *Wladislai* Mariti, // & sedit in Medling. Quæ, cùm esset juvenis, Nuptias & // Dominatum vehementer concupivit. Sed Austria miserri- // ma erat, propter Interdicta Sacra, & propter irruptiones *Be-* // *læ* Regis, qui Stiriam, & Austriam, & Ottonis Bawari, qui Pro- // vinciam supra Anasum, rapere studuerunt. //

LXXXII. Cùm inter eos omnes, qui Austriæ inhiabant, videlicet *Fridericum* Imperatorem, *Ottocarum* Bohemiæ Regem, *Ottonem* Bavariæ Ducem, solus *Bela* Ungariæ Rex in Ecclesiæ devotione se persistere præseferret: non mirum, huic uni Pontificem favisse, ac præoptâsse, ut, si Arma Juri legitimæ Hæredis *Margaretæ* locum non relinquerent, *Bela* potiùs, Ecclesiæ obsequens, eam Provinciam caperet, quàm *Fridericus*, vel quisquam Fautorum *Friderici*. Quocirca *Wilhelmum* Regem Romanorum conceptâ Epistolâ, quam denuo *Raynaldus* in Regest. *Innocent.* L. IV. n. 40. contineri testatur, adhortatus est, ut *Belæ* Ungaro contra *Fridericum* opem præstaret. De quo verò rursum nihil Chronologi Patrii: uti neque de eo, quòd multam de Dominæ *Margaretæ* Pietate Catholica spem concipiens Papa, admonuerit eam, ut se in Austriam conferret, & adlaboraret, quatenus Australes ad Ecclesiæ partes accederent, omni suo eidem favore in præmium adpromisso. Conscius horum omnium esse facillimè potuit *Pernoldus*, Dominæ *Margaretæ* Reginæ à sacris confessionibus existens, atque totius conscientiæ Arbiter. Adventum tamen ejus, uti & *Gertrudis*, multóque cum honore factam à Provincialibus Exceptionem, Sedem præterea *Margaretæ* Haimburgi, *Gertrudis* Medlingæ, *Hagenus* quoque cum Anonymo *Leobiensi*, *Haselbachius*, atque *Suntbemius*, itémque *Arenpeckius* enarrant.

Pontifex Belæ Ungaro Austriam favebat.

D. Margaretæ suasit, ut in eam se conferret.

LXXXIII. Suevis, Bavaris, Austriacis, quòd Legati Apostolici dehortationibus à *Friderici*, diris devoti, partibus recedere nollent, Sacrorum usu, hoc, & pluribus deinceps Annis, interdictum fuisse, & impegisse Benedictinos Scotenses Viennæ, Censuræ hujus non satis attentos, Cl. *Hansizius* Metrop. Laur. p. 383. sq. demonstrat. Irruptiones Bojorum in superiorem, Un-

Provincia ista interdicto laborabat.

Irruptiones hostiles in eam.

Ungarorum in inferiorem Austriam, Stiriámque, hoc anno captas, iterum deinde ac iterum summa cum inclementia tentatas, enarrant Chronica, *Garstense*, *San-Petrense* geminum, *Haselbachius*, aliique: quandoquidem in eo res erat, ut neminem non vicinorum Principum communis ambitio scriberet hæredem, lautúmque Patrimonium studia quodammodo singulorum accënderet. Et alii quidem hæreditatem necessitudinis veluti jure repetebant: alii, ne color cupiditati deesset, studiosè prensatîs hæredum Fœminarum Connubiis, seriùs in Gentem Austriacam, non verò segniùs in spem provinciarum immigrârunt: Armis alii, & alii largitionibûs profusis sibi Jura conficere satagebant. Nemini denique Ambitio propter amplitudinem Censûs iniqua videbatur: uti rectè Cl. Scriptor *Historiæ Ducum Stiriæ* conquestus est.

Annus 1248.

Intestina Nobilium Austriacorum discordia.

LXXXIV. Inter tot Austriæ Procos, quorum quilibet, ne imperium, sola tirannide arreptum, certo sibi exitio foret, affectus Provincialium sibi conciliare contendit, adeò distracta fuëre Nobilium studia, ut quémque, non Utilitas Publica, sed sua, illius Clientem faceret, qui de se optimè mereretur. Cui deinde tanta contentione quilibet adhæsit, ut hostes haberet, quicunque in alium propendêrent, sícque Patria infelix, tantum intestinis, quantum exteris armis, laceraretur. Quoniam itaque Procorum singulis aliqui, nulli omnes Magnates ab obsequio essent, factum est quod ulteriùs *Pernoldus* noster percenset in hunc modum. // Mccxliij. Videns // Comes *Eberstenius*, Australes nulla concordia convenire, sed // quémque pro commodo suo, jam huic, jam illi Principi studere: abiit ex Urbe Wienna malæ fidei tædio, fingens, se // Imperatorem Veronæ quærere, & ab eo pro Austriæ Principe *Fridericum*, Seniorem Dominæ *Margarethæ* Filium, petere velle, cùm tamen ambo dudum perierint. Obquem finem // plures Ministeriales, ac Cives secum accepit: quod fraude fecit, // volens Imperatori eosdem, ut ipse ocultè jusserat, quasi obsides fidei tradere. Sed *Philippus* Archiepiscopus Salzburgensis, ut gratiam Pontificis sibi firmaret, dum illi per Karinthiam tenderent, plures ex eis cepit: Reliqui per Longobardos // prohibiti sunt, ne Imperatorem viderent. //

Imperatoris improsperi successus.

LXXXV. Quanto plus irarum *Fridericus* Cæsar in Pontificem coxit, & exerere studuit, tantò magis opera ejus adhæsit. Indignatus, quòd Gallia Papæ præsidio foret, coacto ingenti exercitu, Anno jam superiori Regnum hoc aggredi statuit: Sed cùm jamjam ex Italia illud invadere vellet, non modò Siculorum pluri-

plurimos Rebelles habuit: verùm etiam Parmenses adversum se insurgere sensit. Quare veritus, universam Longobardiam idem facturam, Galliâ ex animo dimissâ, iram omnem in Parmam convertit, huic obsidionem admovit, circum eam erigens Urbem aliam ligneam, cum *Victoriæ* nomine; ipsi interim Civitati par excidium, quale *Fridericus Barbarossa* Avus ejus Mediolano intulit, comminatus est. Et sexto jam mense Parma gravissimè obsessa, ferè ad extrema Redacta fuerat, cùm, urgente sævitia hyemis, Imperator copiarum partem, qua sibi ad consummandum triumphum jam ultra opus non fore existimaverat, in hyberna dimisit. Tum, ecce, unica eruptione, noctu à Civibus facta, devictus, rejectus, propulsatúsque Cæsar, Castris totis, ac præda ingenti exutus fuit, ægrè ipse elapsus: condita à se *Victoria* è fundamentis diruta, atque exusta fuit. Quod factum die 12. Februarii Anni præsentis. In Germania *Conradus* Filius ejus Aquisgrano Urbe, quam cum præsidio fortissimo tenuerat, à *Wilhelmo* novo Rege depulsus fuit, ibidem solemniter coronato. Neque verò etiam in Austria Res eidem ad votum fluxisse, non solùm jam ex *Pernoldo* audivimus, sed etiam aliis è scriptoribus manifestè addiscimus.

LXXXVI. Chronicon *Cl. Neoburgense* MS.[tum] quod vidit & laudat Cl. *Hansizius* Metr. Laur. p. 383. ita infit. „Imperator „præfecit Austriæ *Ottonem* Comitem *de Eberstein*: qui Austri- „am intravit, ut eam medio tempore ab hostibus tueretur, sedít- „que in Civitate Wienna. Sed videns, se non posse defendere „Terram Austriæ ab insultibus hostium, cum quibusdam Mini- „sterialibus, & Civibus utriusque Terræ, ad Imperatorem re- „pedavit Veronam, sperans, ab ipso suscipere Nepotem suum, Fi- „lium Dominæ *Margarethæ* Reginæ, nomine *Fridericum*, in par- „ticipem Terræ Austriæ. Sed cùm sociis suis spe frustratus est, „& in Austriam non est reversus.„ Communis, tam hujus, quàm propè omnium ævo illo Scriptorum, error fuit, quem & posteri arripuêre, Dominæ *Margaretæ* geminos Filiolos, *Fridericum* & *Henricum*, jussu Imperatoris, postquam Filium suum *Henricum* Regem, Patrem eorum, in carcere interire fecisset, arctè custoditos in Apulia, educatósque, *cùm duodennes jam essent*, à morte tandem Cæsaris per *Manfredum*, Nothum ejus, veneno iteremtos fuisse sub Annum 1251. Verumtamen præterquam, quòd anteriori *Decade* ad Ann. 1236. ex Abbate *Joanne de Lauro*, & Monumentis, ac Testibus fide dignissimis, quibus ille utebatur, probè confirmaverim Assertum *Pernoldi* nostri, unacum Patre *Henrico* Filiolos quoque ejusdem inedia & squalore carceris consumtos, ac postea consepultos esse: Item, quòd clarissimè insuper docuerit idem Scriptor noster, Imperatorem nihilo secius parvulorum Nepotum suorum necem, Matre

Ministeriales Austriæ ac Stiriæ Italiam petebant.

Error Scriptorum communis, D. Margaretæ Filios ex Henrico Rege adhuc vixisse.

in Apulia dedenta, ita occuluisse, ut pervulgata omnium opinione vivere crederentur: calculus certò *duodenii* necessariò fallit. Nupta est enim Domina *Margareta* An. 1226. & *Henricus* Rex Maritus ejus captivus abductus An. 1235. Tametsi proinde largirer, ambos Filiolos eidem postremis demum Annis, priusquam à Patre dejiceretur, natos fuisse, i. e. Annis 1233. & 1234. certè tamen An. 1251. quo à *Manfredo* traduntur veneno peremti, Annos ætatis octodecim jam numerâssent. Constat interim ex *Conrado de Fabaria* Monacho S. Galli, à me ad Ann. 1231. adducto, *Henricum* Regem jam ante eum Annum ex D. *Margareta* sobolem habuisse.

Australes dolo à Cæsare advocati, quem nunquam viderunt.

LXXXVII. Provinciales Austriæ, Stiriæque, à Cæsare Veronam advocatos, à *Philippo* autem novo Archiepiscopo Salisburgensi electo, qui hoc pacto studium suum Pontifici egregiè probavit, impeditos, partimque captos fuisse, disertè tradidit Chronographus *Garstensis*, quamvis ad annum anteriorem 1247. quo ait. „Ministeriales, & omnes Majores Austriæ & „Stiriæ, ab Imperatore usque Veronam invitantur: sed quidam „à *Philippo* Salzburgensi Archiepiscopo Electo spoliantur, ca„ptivantur, in itinere constituti.„ Consentit pariter Chronographus *Salisburgensis* ad Annum præsentem 1248. „Majores Terrarum Austriæ & Stiriæ (inquit) pro Domino petendo ad „Dominum *Fridericum* Imperatorem Lombardiam intraverunt. „Qui tandem ibi tota Æstate in Verona manentes, nec Impe„ratorem videre valentes, infectô negotio sunt reversi. Inter „quos *Leutoldus de Plaigen*, *Wilhelmus de Heuneburch* Comites, „post reditum obierunt.„ Ignorârunt isti, fraude hanc Invita„tionem à Cæsare factam, ut ad se accedentes, tanquam obsides fidei retinerentur, quo minus residui Austriæ ac Stiriæ Status alieno se Domino submittere possent: quod *Pernoldus* noster luculentè retexit. Qui & causam reddidit, cur etiam ii, qui insidias Archiepiscopi evaserant, videre Cæsarem nequiverint, quia nimirum eosdem Longobardi prohibuerunt. Unde apparet, quàm falsò hodie arguant nonnulli, Status Austriæ, velut in Libertatem eligendi Principis assertos, neque Jus Fœmineum agnoscentes, ultro, deditóque Consilio suo, Legationem ad Imperatorem submisisse, per quam cum eodem de novo Domino tractarent. Sic error errorem parturit, dum temerè quæcunque à quibuslibet Scriptoribus, Arcanorum Status penitus ignaris, tradita, quasi Oracula suscipiuntur, ac dummodo de facto aliquo constet, eccur illud acciderit, nulla solicitudine investigatur. *Pernoldus* noster, qui dolum Cæsaris in advocandis Australibus jam aperuit, Jus Fœmineum Dominæ *Margaretæ* Reginæ suæ, cui ipse ad latus exstitit, nequaquam in disceptationem tractum, & multò minùs rejectum esse, sed, quantumvis

Falsum est, Status Austriæ rejecisse Jus Fœmineum, & sibi Libertatem eligendi Novi Principis assumsisse.

probè

probè agnosceretur, sub illa hostilium & æmulantium armorum vi, à nemine fortiter satis propugnatum fuisse, manifestissimè docuit, ita sermonem suum anteriorem prosecutus.

LXXXVIII. // Interea (infit) urgente maximè Domina // *Gerdrude*, Ministeriales ab *Ortulpho*, forti & Nobili Equite // Teuthonico, diu renuente, petierunt Castrum Starchenbergk, // quod illi *Fridericus* Dux, unacum Thesauris suis custodiendum // tradiderat. Postquam id recepissent, apertis Thesauris, eos // in tres partes diviserunt. Primam accepit Domina *Margaretha*: altera Dominæ *Constantiæ* Sorori ejus in Misniam directa fuit: tertiam obtinuit Domina *Gerdrudis* earum Neptis. // Statim autem hæc concupivit & Nuptias: quas etiam favore // aliquorum Ministerialium præpotentium, & ope *Ottonis* Bawariæ Ducis, iniit cum *Hermanno Marchione de Baden*, quem // Soror Ducissæ Bawariæ genuerat. Qui etiam sic spem consecutus est, Austriam & Stiriam per Conjugem obtinendi. Nam // Domina *Margaretha* neque desiderium Nuptiarum ostendit, // neque spem tantam Prolis dare videbatur. Et propterea defuit ei præponderans numerus potentium, qui ejus, tanquam // Senioris Filiæ, primum Jus fortiter propugnare vellent adversus tot æmulos Provinciarum. // *Pernoldi Narratio.*

LXXXIX. Divisionem Thesaurorum Ducis *Friderici* post *Hagenum* alii quoque eodem ferè modo, quo *Pernoldus*, percensuerunt: hic tamen solus id factum testatur *urgente maximè Domina Gertrude*. Unus præterea ipse Nomen Equitis illius Teutonici prodit, qui Arcem Stahrenbergicam cum Thesauris custodierat. Lego autem apud Cl. *Bernardum Pezium* Cod. Dipl. Epistolar. Part. II. p. 102. n. 177. Commutationem Curiæ Villicalis in Hiezingem, factam cum D. *Chunrado* Præposito Neoburgensi An. 1253. per *Ortolfum de Draskirchen*, Commendatorem Domus Teutonicæ per Austriam & Stiriam: ubi insuper, inter Testes complures Equites Teutonicos, etiam occurrit Fr. *Ortolfus de Otterfleten*. Item in gemina Charta nostra de Annis 1271. & 1279. Testem reperio *Ortolfum de Utenstein*, Commendatorem Domus Teutonicæ Viennæ. An aliquis horum, aut quisnam ex iis, Thesauri Ducalis Custos extiterit, summè ambiguum. Quisquis fuerit, Castri traditionem diu Renuit, ac tandem summè invitus, coactusque fecit: quod alii fraudi ejus, & avaritiæ imputârunt, ego fidei tribuo. Existimaverit enim citra dubium, Castra Provinciæ, ac Palatinum Thesaurum, quorum utraque Principi ad ritè feliciterque administrandam Rempublicam necessaria sunt, ad sortem Hæredum non attinere, sed Principi Successori integrè servanda, & consignanda esse. *Thesaurorum Ducalium Partitio facta.*

D. *Gertrudis* nupsit Marchioni Badensi.

XC. Dominæ *Gertrudis* Nuptias cum *Hermanno* Marchione Badensi æquè plurimi tradunt: è quibus unicum Chronici *Mellicensis* testimonium audire sufficiat, ad hunc Annum ajentis. „*Hermannus* Marchio *de Baden*, opitulante sibi *Ottone* „Duce Bawariæ, *Gerdrudem* Filiam prædicti *Heinrici* Ducis duxit „in Uxorem, paucis Optimatibûs in Austria faventibûs eidem." Paucitatem Præpotentia Fautorum, juxta *Pernoldum* nostrum, supplevit. *Ottonis* Bavari favorem ei conciliavit Affinitas. Teste siquidem Brevi *Chronico* Austriaco apud Cl. *Hier. Pez.* I. col. 686. *Hermannus* ex *Irmengarde*, Sorore Dominæ *Agnetis*, Ducissæ Bavariæ, genitus fuit. Quemadmodum verò *Pernoldus* noster in Domina *Gerdrude* cupidum nubendi, dominandique animum, jam Anno priore notavit, ita & modò testatus est, eam parte Thesauri postrema, quia nimirum & Jure postrema erat, accepta, statim Nuptias concupiisse: Contrà verò Dominam *Margaretam*, neque desiderium Nuptiarum ostendisse, neque spem tantam prolis dare visam esse, & propterea eidem defuisse præponderantem numerum Potentium, qui ejus, *tanquam Senioris Filiæ*, *primum Jus* fortiter propugnare vellent adversus tot æmulos, Provinciarum. Quæ verba ponderis multi sunt, & generatim luculentè demonstrant, acerbissimo illo tempore Jus admodum sub Vi laborâsse, & non tam actum esse, quod Lex, quàm quod Metus persuaserat. Videbant Austriæ Status plenam hostilibus armis Provinciam, quæ, nisi potentia pari depellerentur, Regimen quietum nemini unquam futurum. Hoc porro per se fieri posse, qui minimè concordes essent, omnes diffidebant. Quare Nuptiis talem Principem procurandum existimabant, cujus potentia hostibûs, & Regia etiam cupidine reprimenda superior esset. Cùm itaque Nobiles nonnulli præpotentes, Dominæ *Margaretæ* non tam Ætatem, quæ Annum quartum supra Quadragesimum necdum excesserat, quàm Animum pensarent, ex præteriti Conjugii sui infandis calamitatibus maximo Gloriæ humanæ fastidio quassatum: in *Gertrudi*, Vidua juvencula, spem longè majorem reposuerunt, & plurimam insuper in Ducis Bavariæ auxiliis fiduciam collocârunt, qui non modò à propria æmulatione sua ob affinem destiturus esset, verùm etiam brachio forti eidem opitulaturus. Sed non, qui paucorum, erat omnium pariter Nobilium, atque Statuum sensus: quibus Jus Dominæ *Margaretæ* longè altiùs cordi hærebat. Quocirca *Hermannus* Badensis, uti postea audiemus, perexiguam Austriæ partem sibi obsequentem habebat.

Quorumdam, non omnium, approbatione.

Charta D. *Margaretæ* Reginæ pro S. Hippolito.

XCI. Interim omittendam hoc loco non duxi Chartam publicam Dominæ *Margaretæ* nostræ, quam ex Archivio Domestico vulgavit Cl. *Raymund. Duellius* Canon. & Bibliothecar. Sand-Hippolytanus Miscellan. Libr. I. p. 401. ita inchoantem.

tem. „ *M. argareta* DEI gratia Romanorum quondam Regi„na sub hujus scripti testimonio notum facimus: Quod Nos vi„dimus Literas & Sigilla Dominorum, *Alberonis* Pincernæ, *Had„mari* Marschalci *de Chunringen*, & H.*enrici* Pincernæ *de Haber„pach*, & quorumdam aliorum Ministerialium Austriæ, teno„rem hujusmodi continentes. - - - Vidimus etiam Literas & Si„gillum Domini *Ottonis Comitis de Eberstein*, continentes, quod „in sua præsentia fuerint prædicta omnia, fide data, & juramen„to præstito confirmata. Præfatus quoque Præpositus (nimi„rum S. Ypoliti) ad nostram accedens præsentiam, à Nobis pe„tiit humiliter, & devotè, ut & Nos factum hujusmodi Scripto, „& Sigillo nostro dignaremur confirmare. Cujus precibus an„nuentes, has Literas fecimus exhiberi, Sigilli nostri munimi„ne roboratas. Datum in Heinburg 6. Kal. Appr. Anno Domi„ni 1248. sexta Indictione. „ Singularis & peropportuna hæc Charta, quamvis Ducalis in hac Domina, plenæque Potestatis argumentum firmum non præbeat, quemadmodum tamen testatur, *Ottonem Ebersteinium* antea Vicaria Supremi Principis in Austria Potestate locò Cæsaris publicè usum esse, cujus Præfectus erat: ita id saltem præterea liquidum reddit, postquam hic jam recesserat, hanc Dominam & Principem tantæ Auctoritatis apud Præpositum istum, utique non absque aliorum exemplo, creditam fuisse, quæ, nisi par Principi Regnanti, certè haud multum impar existeret.

Annus 1249.

XCII. FRriderico Imperatori, ab Ecclesiæ Communione proscripto, flagella DEI graviter imminere pergebant. Quem namque Filiorum omnium Charissimum habuit *Henricum*, vulgò *Enclum* sive *Hencium* dictum, quique gravissimis malis Italiam diu afflixerat, Bononienses, dum Urbem eorum expugnare vellet, captivum duxere, nec dimiserunt, quidquid Pater moliretur, donec diu postea squalore carceris interiret. Ipsum Cæsarem corripuit morbus: quem qui sanare debuerat Medicus, parata veneni potione celerem in mortem promovere attentavit. Conscium criminis, ajunt, vel fuisse, vel creditum esse *Petrum de Vineis*: cujus calamo tantis annis ad omnia, quæ egerat, purganda, excusanda, defendenda, *Fridericus* maxima cum fiducia usus erat. Certum illud, Medicum peremtum, *Petrum* oculis orbatum fuisse: Cæsar verò hac vice, oppidò quidem meticulosus, sed non ideo compunctus, ac emendatus, evasit. Verumtamen *Pertholdus* noster ita, ut sequitur, me in Austriam revocat.

Imperator à DEO flagellatus.

XCIII.

Pernoldi Narratio.

XCIII. //Mccxljx. Imperator Austriæ *Ottonem* Bawariæ Ducem, Stiriæ *Meinhardum* Comitem Goriciæ, Capitaneos dedit, ac voluit, ut eis suo nomine obedirent. Videbatur *Otto*, propter vicinitatem, Rector valde commodus futurus: sed animum non satis Virilem habuit ad internas & externas Austriæ turbas componendas. Unde potiùs Marchioni Badensi ingressum in Austriam fecit: qui receptus ab aliquibus, à pluribus verò agnitus non fuit. Sed hoc boni præstitit, ut persuasus à Domina *Gertrude* Uxore, Pontifici se devoverit, sícque Austriam ab Interdicto liberaverit. Contra *Belam* autem Ungarum Regem, valde miserè terras vastantem, & captivos innumeros abducentem, ferè nihil profecit, neque inquietos Terræ edomare potuit. Genuit ex Uxore Filium *Fridericum*. //

Dux Bavariæ à Cæsare Rector Austriæ Vicario nomine constitutus;

XCIV. Ritè cum his omnibus alia Chronica consonant: è quibus ita *Salisburgense* Pezianum An. 1248. ‚Dominus Dux ‚Bawariæ Terræ Austriæ, Comes *Meinhardus* de Görze Stiriæ, ‚à Domino Imperatore pro Capitaneis deputantur. Propter ‚nimias Gwerras, & pessimum statum Austriæ, Vinum & Vi‚ctualia non fuerunt Claustris, & Civitatibus, sive Terris, ab ‚Austria deportata.‚ *Ottoni* Bavaro, quò minus Austriæ intenderet, haud solus Animus Virilis defuit, verùm etiam grandis alia difficultas obicem difficilem struxerat. Ut námque pergit idem Chronologus ad An. 1249. ‚Concilium ad manda‚tum Domini Papæ Mülldorf à Domino Electo *Philippo* (nem‚pe Salzburgensi) celebratur, cui interfuerunt Frisingensis Ra‚tisponensis, & Seckowensis Episcopi, cum aliquantis Prælatis. ‚ubi Dux Bawariæ citatus, tam Excommunicationis, quàm ‚Gladio materiali, ad Romanam Ecclesiam redire, & ei contra ‚Dominum *Fridericum* adhærere, compelli debebat. Quod ta‚men formâ aliâ treugarum est intermissum.‚ Sic igitur in ar‚cto positus *Otto*, hísque treugis, i. e. induciis, dilatus duntaxat aliquantisper à pœna, non absolutus, maluit alienæ Terræ curâ dimissâ, suis rebus invigilare, Austriam verò, si posset, proprio

Hermannum Marchionem Badensem substituit.

Principi committere. Quo factum, quod ait Chronicon *Neoburgense* Pezianum h. a., Marchio de Padem *Hermannus* intra‚vit Austriam auxilio Ducis Bawariæ, & duxit Uxorem Filiam ‚*Heinrici* Ducis, qui fuit Filius Ducis *Liupoldi*, qui est sepul‚tus in Campo Liliorum. *Hermannus* Marchio de Paden vo‚luit esse Dux Austriæ, sed non valuit.‚ Hæc eadem phrasis est Chronicæ *Australis*. Melius Chronicon *Neoburgense* MS.tum Bibliothecæ Augustæ Vindobonensis, ab *Hansizio* visum, æquè ad Ann. 1249. ‚*Hermannus* de Paden vocatus est Dux Austriæ, ‚Wiennam obtinuit, &alias Civitates.‚

XCV.

XCV. Bonum, quod Austriæ præstitit Princeps iste, clarissimè elucet ex Epistola *Innocentii* Papæ IV. ad *Wilhelmum* Romanorum Regem, vulgata per *Steph. Baluzium* Miscell. Libr. VII. p. 455. & excerpta per Cl. *Hansizium* Metr. Laur. p. 384. In hunc modum. „Cùm (inquit Papa) sicut ex parte Dilecti Filii Nobilis Viri *Marchionis de Baden* fuit propositum coram Nobis, à claræ memoriæ Romanis Imperatoribus, qui fuêre pro tempore, Ducibus Austriæ ex speciali Privilegio sit permissum, ut si iidem Duces absque Liberis Masculis morerentur, Fœminæ tam in Ducatu, quàm Feudis, aliisque Bonis omnibus, possint Jure succedere Masculorum, idémque paratus sit, contra *Fridericum* quondam Imperatorem, *Conradum* Filium ejus, eorúmque Fautores, signum Crucis assumere, Tibique, sicut asserit, totis viribus adhærere &c. „ Inde in consequentibus Rogat Pontifex, & hortatur *Wilhelmum* Regem, ut Austriæ Ducatum, Feuda, & alia Bona, *Nobili Mulieri Uxori Hermanni* conferat, ac ipsum de dictis investire procuret. *Datum Lugduni Idus Februarii Pontificatus Anno VI.*° i. e. Christi 1249. E quibus propè eruere liceret, *Hermannum* à *Wilhelmo* in Austriæ Ducem solemniter quoque inauguratum fuisse, nisi decumanæ, tam Imperii, quàm Austriæ turbæ ita credere vetarent. Vetabat verò & Jus. Iidem quippe Imperatores, qui Austriæ Successionem Fœmineam constituerunt, decernebant & Ordinem Successionis, à Seniore Filia Ultimi Ducis inchoandum: quod Pontifici ex æquo propositum non reor.

Qui à Pontifice stetit, ab hoc pro Feudis obtinendis commendatus.

Sed reclamante Jure.

XCVI. Gessisse se tamen *Hermannum* ut legitimum Ducem, perspicuè testantur Literæ, ab ipso *Zwetlensibus* datæ, quæ exstant in *Annal. Zwetl.* I. p. 335. hoc integro ferè tenore. „Nos *Hermannus* DEI gratia Dux Austriæ & Stiriæ, & Marchio de Baden, hujus Scripti testimonio scire volumus universos: Quòd Abbati & Conventui in Zwetel indulsimus de Gratia speciali, ut duo Talenta Salis Majoris ligaminis transducant in Danubio per Terræ nostræ districtum Annis singulis sine Muta. - - - Testes autem sunt: Magister *Lewpoldus* Plebanus Wiennensis: *Heinricus* Notarius: *Rapoto* de Valchenberch: *Ditricus* Stuhso: *Ulricus* de Habespach: *Heinricus* Preusel: *Otto* Camerarius de Walchunschirchen: *Otto* de Leisse: Et alii quamplures. Datum Anno Domini 1249. XI. Kal. Octobr. in Civitate Wiennensi. „ Alias ejusdem Literas hujus pariter anni allegant iidem Annales *Zwetl.* ex Annal. Austr. super. D. Baronis *Richardi Streun.* quibus initium est. *Nos HERMANNUS DEI gratia Dux Austriæ & Stiriæ, & Nos GERDRUDIS Uxor ipsius &c.* ubi Dilecto Ministeriali suo *Heinrico de Chunringen* in feudum conferunt Predium *Chrumpnowe.* Pandit hæc utraque Charta *præ-*

Hermannus tamen uti Ducem se gessit.

Præpotentes ejus Fautores. *potentes*, uti *Pernoldus* anno superiore ajebat, *Hermanni* Fautores, *Chunringios* videlicet, quorum in Clientela quamplurimæ Familiæ erant, *Valckenbergios*, *Stuchsones*, *Habspachios*, *Preuselios*: quorum potentiam intelliges, ubi *Tomum* IIII.tum. sive Recensum nostrum Diplomatico-Genealogicum adieris, & has Familias in Literis ubique suis inquires.

Ungarorum Vastatio. XCVII. Ungarorum Vastationem, Annis propè singulis repetitam, Chronicon *Mellicense* ad Ann. 1250. & sequentes abunde lamentatur, inquiens. „Rex Ungariæ *Bela* cum Cumanis „Austriam ingressus, magnam stragem hominum fecit, Ecclesias, & Villas per incendium in circuitu Montium devastavit. Item Breve Chronicon *Australe* Incerti apud Cl. *H. Pez*. I. col. 686. „*Bela* etiam Rex Ungariæ orbatas Hæredibûs Terras sibi attrahere cupiens, multa millia hominum per paganos „homines in Captivitatem abduxit, multa occîdit, ac utrius„que Terræ (Austriæ & Stiriæ) Marchias ferè inhabitabiles fe„cit., *Hermanno* adversum hæc impotenti, ex Domina *Gertrude* natum esse hoc Anno Filium *Fridericum*, ipsa temporum ratio in dubium adducere vetat. Nupserunt quippe Serenissimi Conjuges isti Anno priori, & sequenti per inexspectatam *Hermanni* mortem rursum dissoluti, nihilosecius etiam Filiam *Agnetem* procreaverant: quam proinde Frater citra dubium omne hoc Anno præcessit, infelix verò, quòd Austriæ regendæ nequaquam genitus fuerit, sed quòd in fatis esset, ut Collum ejus propudiosissimo Siculi Carnificis ensi adolesceret.

Hermanno Filius nascitur.

Annus 1250.

Pernoldi Narratio. XCVIII. Hîc *Pernoldus* noster plura breviter, sed in his aliquid planè denuo singulare nos edocet. Ait námque. // Mccl. Hoc anno Marchio Badensis etiam accepit Filiam *Agnetem*: ipse verò obiit cum initio Mensis Octobris. Quem Imperator Mense Decembri secutus est in mortem. *Bela* Rex iterum cum Cumanis has Provincias terribiliter vastavit. Defunctô *Hermanno* Papa iterum requisivit Dominam *Margaretam*, ut *Florentio* Comiti Holandiæ, Fratri *Wilhelmi* Romanorum Regis, nubere vellet, cúmque redderet Austriæ Ducem. Sed nulla erat spes Consensus Provincialium in Dominum tam alienigenam, & remotæ provinciæ: cùm insuper Offensam, & Potentiam *Conradi*, qui fuit Filius defuncti Imperatoris, metuerent. //

Hermannus Badensis moritur. XCIX. Marchionis Badensis mortem omnia *Chronica* Patria huic Anno assignant: quorum unicum audire juvat *San-Petrense Anonymi* apud Cl. *Pez*. I. col. 684. „Tunc (ait) *Hermannus* Marchio de Baden, natus ex *Irmengarde*, Sorore Dominæ

Agnetis

,*Agnetis* Ducis Bawariæ, duxit in Uxorem *Gertrudem*, Filiam ,*Hainrici* Ducis, quondam Fratris *Friderici* Ducis Austriæ: & ,Ducatus Austriæ & Stiriæ ratione talis Conjugii sibi usurpavit. ,Qui genuit Filium nomine *Fridericum*, & Filiam nomine *Agnetem*: & hic fuit Dux V^tus. Quæ quidem *Agnes* Duci Karinthiæ postea copulatur. Et cùm dictus *Hermannus* Dux esset impotens, tantam malitiam hominum, quæ jam ,nimiùm invaluerat, morte etiam præpeditus, compescere non ,valebat. Moritur enim IV. Non. Octobr. anno 1250.

C. *Salisburgense* Chronicon *Pezianum* hoc anno multa combinandô sic refert. ,Rex Ungariæ Confinia Austriæ auxilio ,Cumanorum usque ad medium Terræ intrans, plurimam ,multitudinem Australium in ultionem vastationis Terræ suæ ,interemit, destructis aliquibûs Munitionibûs. Marchio de Paden, qui duxerat Ducissam Juniorem Austriæ, obiit. Dominus Electus Salzburgensis Marchiam manu intrans hostili, possessiones quorumdam Stirensium rapinis & incendiis devastavit. Junior Dux Bawariæ circa Anesum & Linzam quædam ,Castra obsidens, Claustra ibidem jacentia plurimum damnificavit. Dominus R*udigerus* Pataviensis Episcopus à Domino ,Papa deponitur, & *Pertholdus* Frater Episcopi Ratisponensis sibi substituitur., Ad Ungarorum Vastationem Chronicon *Neoburgense* adhuc addit. ,Eodem anno in die S. Jacobi combustum est Claustrum *Cellæ Mariæ* à Romanis & Ungaris., Junior Bavariæ Dux erat *Ludovicus*, Filius *Ottonis* natu major, qui Austriam Superiorem, olim ex Bavariæ Ducatu per *Fridericum* I. Imperatorem detractam, Austriæque novo Ducatui creato adjectam, turbulento hoc tempore denuo repetere, juris vicem subeunte vi, opportunissimum credidit.

Ungarorum nova vastatio.

Bavari Austriam superiorem rapuerunt.

CI. Cùm Sacris Præsulibus eo tempore ita res habuit, ut Papæ plurimùm interesset, ne ii, qui proscripti à se Imperatoris Clientelæ addicti essent, Ecclesias gubernarent. Quaproptcr si quam Cathedram tunc vacare contigerit, Successorem ipse plerúmque nominabat, eúmque talem, de cujus erga se fide spem non vanam vel ideo conciperet, quòd soli sibi novus Præsul Gradum suum hoc pacto deberet. Sic defuncto *Eberhardo* II. Archiepiscopo Salisburgensi Pontifex nominavit *Burchardum* quemdam, Lugduni versantem, pallióque donavit: de quo nihil ampliùs docet Cl. *Hansizius* Metrop. Salisb. p. 345. nisi, quòd præmatura morte, quæ sibi adhuc in aditu ad Cathedram contigit, locum fecerit *Philippo*, Carenthani Ducis *Bernardi* Filio, *Ulrici* Ducis tunc imperantis Fratri natu minori, quem Capitulum elegerat, & Papa toleravit ut Procuratorem Archiepiscopatûs, eò quòd nullis Sacris Ordinibûs initiatus esset. Hic porro Miles potiùs, quàm Præsul, neque postea un-

Status Præsulum novorum.

Archiep. Salisb. Burchardus mox defunctus.

Philippus Procurator Archiepiscopatus.

quam ordinatus, & ideo tandem ab Ecclesia denuo remotus, cum Stiriensibus Nobilibus tam graves, quàm crebras turbas habuit, armis actas, immo Stiriæ quasi toti inhiabat. *Rudigerum* Pataviensem Episcopum, alioquin haud infimæ laudis Antistitem, dignitate ac Ordine Pontifex movit, ea sola de causa, quòd Imperatorias partes nunquam deserere vellet. Neque propriis, vel auxiliariis armis *Ottonis* Bavariæ Ducis, in sua se statione tueri prævaluit. Excepit eum in Cathedra, nominante Pontifice, *Bertholdus* Comes *de Sigmaringen*, Frater Episcopi Ratisbonensis, non tamen sine æmulo. Capitulum quippe *Albertum* elegerat, sive Poloniæ, sive Silesiæ natum Ducem, qui tamen pariter Clero nullo adhuc sacro Ordine adscriptus erat. Sed hic, quia Res & Possessio bellum spectabat, turbarum simul ac Cælibatus pertæsus, tertio jam, uti creditur, mense, dimissâ Christi Sponsâ, nuptialem in thorum ingressus est.

Rudigerus Patav. Episc. loco motus.

Sequitur Bertholdus:

Cui Æmulus Albertus cedit.

CII. Mors *Friderici* II. Imperatoris Chronographi nullius calamum hoc anno subterfugit, & extra jam dubium est inter omnes, eam die 13. Mensis Decembris S. Luciæ sacra, in Arce quadam Apuliæ *Florentiola* evenisse. Qua autem ratione, qua spe, & specie pietatis, pro affectuum diversitate, maximè variè descriptum est. Sunt nàmque, qui asserant, eidem vatidica prædictione egregiè illusum esse, ut videlicet *Florentiam* caveret, in qua moriturus esset, cùm interim *Florentiolam* fatalem experiretur. Ibi porro eum, vel sacro igne incensum, vel veneno potatum, vel à *Manfredo* Notho suo, injecto pulvinari, suffocatum, improvisa morte, absque pœnitentia, Sacramentis, & Anathematis exsolutione interiisse. Econverso *Matheus Parisius*, *Albertus* Stadensis, ac *Guilelmus* de *Podio*, seu *Puteo*, sinchroni, quorum in sententiam ipsum Eminent.mum *Baronium* propendisse *Raynaldus* ex Notis ejus testatur, affirmant, *Fridericum* insigniter pœnitentem, ac proinde ab Archiepiscopo Panormitano in Ecclesiæ sinum integrè restitutum, & Sacramentis munitum, Cucullam Cisterciensem induisse, cúmque se Persecutorem Ecclesiæ fassus esset, inhibuisse, ne sibi à morte, quam sola vi morbi, nullâ externâ, obierit, Funera Imperialia, Planctúsque impenderentur: quamvis deinde nihilo secius pompâ verè Augusta curatus fuerit. Ego, ut verè pœnitentem illum decessisse, DEUMque sibi integrè placâsse, totis votis optâssim: subcribere tamen effato *Maynardini* Episcopi Immolensis nullatenus ausim, ex Confessione Imperatoris, sibi facta, statuendum, ipsum *Electum DEI Vas ac Organum fuisse*. Ita ex hujus Episcopi Scriptis, quibûs multas Res gestas *Friderici* complexus est, in cæteris tradidit *Simon Schardius* IC. Vir alioquin Clarissimus, in Vita hujus Imperatoris, ex *Pandulfi Collenutii* Historia Neapolitana à se latinè conversa, & Epistolarum *Petri de Vineis* novissi-

Imperatoris Friderici II. Mors.

novissimæ Editioni præfixa, p. 42. Teste siquidem Rever.mo *Ferdinando Ughello* Ital. Sacr. Tom. II. col. 632. „*Mainardinus* iste, „quem *Rubeus* appellat *Mardinum*, fuit homo sagax, ac in Re„bus humanis tractandis dexteritate mirabili, *Friderico* II. Im„peratori addictus, cujus Res gestas scriptione comprehendit, cu„júsque Auctoritate *Imolæ Tirannus* effectus est., Si *Tyrannus*, profectò hic Pastor non per ostium intravit in Ovile, sed aliunde: cujus proinde prudentia carnis, gratiis Imperatoris penitus infuscata, talis non erat, de qua credere possis, eam *Vas & Organum DEI electum* ritè discernere potuisse.

CIII. Eminentiss.mus porro *Baronium* ad credendam *Friderici* pœnitentiam, ait *Raynaldus*, induxit præ omnibus ejusdem *Testamentum*, à se perantiquo ex Codice erutum: quale pariter edidit *Matheus Parisius*, sed exemplis oppidò disparibûs, & sensu in multis admodum adhærente. Unde hoc scriptum fidem certissimam facere nequit. Allegat hoc pariter *Schardius* antefatus, quantum eruditus, tantum Catholicorum Sacrorum execrator: qui licèt ipse Collectionem Scriptorum Veterum Germanorum Tomis IV. ediderit, neutiquam tamen ubivis optimè legit, *Vitæ* supradictæ p. 10m, cæteros inter errores, hunc etiam ponens, *Fridericum* Imperatorem Octenni Filio *Henrico* Nuptias *Agnetis*, Filiæ *Leopoldi* Austriæ Ducis, depactum esse, cùm ipse *Margaretam* in thorum induxerit. Qui Lapsus cùm tali Viro in tam parvo Scripto acciderit, quód sanè dedito studio ad *Fridericum* tuendum confecit, certissimè probat, ejusdem vestigia non undique tutissimè premi. Quare nec *Testamento* prædicto per hoc fides & firmitas accedunt, quòd ipse laudaverit illud, pérque Capita excerpserit. Ego sublestum id reputo vel ex uno hoc Capite, quòd Imperator in eodem post reliqua *Friderico Nepoti ex Filio Heinrico Majore, eo, qui in carcere obiit, Austriæ Ducatum, cum decem millibus Unciarum Auri contulerit.* Dudum quippe ex *Pernoldo* nostro, & Abbate *de Lauro* demonstravi, Cæsarem in carcere non modò *Henricum* Filium suum, sed & ambos ex eo Nepotulos peremisse.

Sublestum Imperatoris Testamentum.

CIV. Quod residuum est apud *Pernoldum* nostrum, defuncto videlicet *Hermanno* requisitam à Pontifice Dominam *Margaretam*. ut *Florentio* Hollandiæ Comiti, Regis *Wilhelmi* Fratri, nubere vellet, eúmque reddere Austriæ Ducem: peregrinum denuo est in Chronicis Patriis. Affirmatur autem à *Raynaldo*, licèt ad Annum sequentem n. 8vo. allegatâ Papæ Epistolâ ad Reginam nostram, quæ in Regestis *Innocentii* Libr. VIII. Epistolar. Curial. n. 16. occurrat. Cur Voto Pontificis effectus non responderit, fortes, nec imprudentes rationes attulit Scriptor noster, quas putem à Regina Pontifici suggestas, nimirum:

Papa Dominæ *Margaretæ* iterum suasit Nuptias, non persuasit.

Nullam spem fore Consensûs Provincialium in Dominum tam alienigenam, & remotæ Provinciæ, cujus quippe animus, ac mores, neque noti essent Austriæ, neque forsitan congrui. Præterea Potentiam *Conradi*, quem Imperator Parens dudum jam Regem Romanorum, complurium Principum favore, constituerat, meritò timeri: dubitari verò non minùs, an propositus novus Austriæ Dominus hujus Regis conatibus pro Imperio retinendô, salvâ Provinciâ suâ, par esse posset.

§. II.

Res Ordinis Cisterciensis.

Annus 1241.

I. QUoniam DEUS Fidelem Servum suum *Augustinum*, quondam Nidrosiensem in Norwegia Archiepiscopum, prodigiis plurimis celebrem reddiderat, supplicante Regno, ut *Gregorius* Papa IX. publicum ejusdem Cultum decerneret, Examen Vitæ, & Gratiarum, ad ejus invocationem à DEO exhibitarum, *Tauriæ* Abbati Cisterciensi, itémque Holmensi Benedictino, atque Priori Fratrum Prædicatorum Nidrosiensium commissum fuit. *Raynald. h. a. Tom. XIII. p.* 506. *n.* 41. Præsules inter, ex Gallia Classe Januensium ad indictum à *Gregorio* Concilium Romam transvectos, sed per conductam à *Friderico* Imperatore Pisanorum Classem ipso festo Inventionis S. Crucis ausu Sacrilego captos, pérque varios postea carceres in Sicilia dispersos, &, sine Sacerdotii reverentia, oneratos vinculis, fame insuper, & squalore, atque angustia ergastulorum, in quæ non singillatim, sed junctim plures compacti erant, durè ac miserè habitos, in participium contumeliæ, pro Christi nomine subeundæ, ac proinde in Communionem pariter Gloriæ, Cistercium pluribûs nominibûs venit. Nostri quippe erant, *Jacobus de Pecoraria* Cardinalis Episcopus Prænestinus, princeps Legatus: Archiepiscopus Auxitanus: Episcopi, Carcassonensis, Agathensis, Astensis: præter Archi-Abbatem Cistercii *Bonifacium*, Abbatem Clarævallis *Guilelmum*, Abbatem *de Pietate*, & alios plures. Quibus proinde, cæteros inter, dolore immenso saucius Papa Epistolam, compassione ac solatio plenam, quod unum poterat, paternè transcripsit. Vinctorum istorum pro Domino nonnulli ferro ligante tamdiu premebantur, donec eas inter ærumnas ipsis vinculis carnis morte sancta exolverentur. Ne sic omnes interirent, *Ludovicus* IX. sanctus ille Franciæ Rex tandem effecit, severa etiam armorum cominatione ex Cæsare impetrans, ut Regni saltem sui Prælatis redeundi facultatem permitteret. Mortuis Clarevallenses nostri suis in Monumen-

Inter captos ab Imperatore Præsules multi Cistercienses.

mentis accensuerunt, & Obedientiæ Martyrem prædicaverunt *Guilelmum* Abbatem suum, etsi ex carcere cum aliis dimissum, sed ita jam tribulatione maceratum, ut iter vix demum ingressus, spiritum redderet Creatori, corpore solo, sed integerrimo, ad suos relatus. *Raynald.* unde suprà. Rever.mus *Manriquens* Append. Tomi I. p. 509.

II. Cùm deinde piissimum Patrem *Gregorium* Papam mox dicta Filiorum suorum Præsulum calamitas ita lancinâsset, ut usque ad animæ & spiritus ejus divisionem pertingeret inebrians dolor, isque, ætate insuper propè centenaria prægravante, die 21. Mensis Augusti à Domino illam in requiem evocaretur, ubi clamor non erit ampliùs, sed nec ullus dolor: angustissimus eo tempore novem solummodo vel decem Cardinalium Senatus (tot enim, non plures, Cæsar ad Electionem admiserat) concordibûs votîs elegit *Gaufridum Castillioneum* de Mediolano, inclinante Mense Octobri, coronatum die 3.a Novembris, dictúmque *Cælestinum* IV. oppidò senem, neque longiùs, quàm septendecim dies, in Cathedra Petri sedentem. Atque hunc Cisterciensem fuisse, unus, quem legerim, Rever.mus *Ferdinandus Ughellus* noster semel, iterum, ac tertium asseverat, primùm in additis ad *Ciacconium* Notis, Vitæ hujus Pontificis, post Notas *Victorelli*, subjunctis p. m. 690. Rursum *Ital. Sacr.* Tom. I. in Catal. Summor. Pont. col. 30. n. 178. demum, & uberiùs *ibid.* in Episc. Sabinensib. col. 169. n. 36. cujus hìc verba integrè apponere libet.

Mortuo Gregorio IX. eligitur Cælestinus Papa IV.

III. „GAUFRIDUS (ait) Castillioneus Mediolanensis, ex „Præsbytero Cardinali tit. S. Marci, à *Gregorio* IX. sublectus est „Episcopus Cardinalis Sabinensis. Hic ille *Gaufridus* est, *Joan-„nis Castillionei* Filius, *Cassandræque Cribellæ*, Papæ *Urbani* III. So-„roris: qui severiori morum disciplina sub S. *Galdino* Archiepi-„scopo Mediolanensi institutus, Mediolanensis deinde Ecclesiæ „Archipræsbyter, & Cancellarius fuit, quique sub Patrui Pon-„tificatu onus Mediolanensis Ecclesiæ, aurea illa sua mediocri-„tate contentus, contempsit subire: Quique demum, Patruo „*Urbano* defuncto, Rerum humanarum pertæsus, in *Altacum-„ba*, *Cisterciensis Ordinis in Sabaudia celebri Monasterio*, *Mona-„sticam Vitam duxit.* Cæterùm haud illi diuturniori mora frui „licuit illa tranquillitate vitæ: Quippe *Gregorius* IX.us, *cùm il-„lum eduxisset reluctantem è Claustro*, ad Purpuratum Sabinense „Sacerdotium cum acclamatione bonorum evexit AN. 1237. ejús-„demque operâ in plurimis trepidisque Legationibus usus pro-„sperè est: ita, ut, cùm postea *Gregorius* fatis cessisset, ex com-„muni Senatus consensu in demortui locum sub nomine *Cælesti-„ni* IV. sufficeretur AN. 1241.„ Ita *Ughellus* noster in *Episcopis Sa-*

Quem Ughellus tuetur fuisse Cisterciensem.

Sabinensibus: ubi longa postea crisi *Gotifredum*, Diaconum Cardinalem S. Adriani, è Familia *Castillionea*, cujus probam planè Notitiam hausisse videtur, excludit. Ut adeò, quæ hoc loco scripsit, arrosîs certè unguibûs exarâsse, & ideò fidem tantò majorem promereri, ferè in propatulo sit. Apud *Ciacconium* ad Vitam hujus Pontificis ex *Guidone* Claravallensi adnotavit, scripsisse *Cœlestinum* IV. aliquas cùm pias, tum doctas Orationes, dum in Altæcumbæ Cœnobio Monachum ageret: item *Antonii Nigrini* testimonio nonnullas quoque ejusdem Epistolas exstare. Celeberrimi itaque hujus & Eruditissimi *Italiæ Sacræ* Scriptoris, quem neque Cl. *Coletus*, novus ejusdem Recensor, in hac parte notat, sive emendat, Authoritati, ac fidei, Monachatum Cisterciensem *Cœlestini* Papæ IV.ti, quem solus ille, quod reperi, adstruit, committo: modò illi non obstet, quemcunque Magnorum Virorum in Cœnobia aliquanto tempore Recessum, non illico Monastices professionem inferre.

Robertus Episcopus Anglonensis. IV. Eodem porro *Ughello* teste Ital. Tom. VII. col. 83. *Robertus* Monachus Cisterciensis, è Cœnobio *Sagittariensi* assumtus, hoc Anno præsenti jam sedit in Cathedra *Anglonensi*: qui Episcopatus in Lucania, sive Basilicata, ut ajunt, Apuliæ existit. Fidem ille facit allatâ hujus Præsulis Chartâ de hoc Anno, qua cûm Abbate *Sagittariensi* litem super Ecclesiam S. Mariæ de Lauro composuit. Præfuisse eum scribit usque in annum 1253. Excidium nostrorum à Tartaris. Cæterùm quia tum hoc, tum proximis annîs, Polonia, Silesia, Hungaria, Tartarorum immani furore propè funditus pessumdatæ fuerunt, pronum est arbitrari, uti complura integra Monasteria Cisterciensia per barbaros excisa sunt, ita plures Monachorum in eis myriades, in odium fidei, maximè vario Martyrii crudelissimi genere feliciter ad cœlos evolâsse.

Annus 1242.

Sanctimoniales Regiæ. V. Circa hunc Annum postremis illustrium Virtutum radiis coruscâsse, aut etiam supremùm vixisse in Parthenone nostro *Huelgensi*, sive B. Mariæ propè Burgos, *Sanctiam*, Aragonio Regum sanguine genitam, & ibi Antistitem: item *Constantiam* Regis Legionensis Filiam, & Sanctimonialem, notavit Doctiss. P. *Augustin. Sartorius* Cisterc. bis tert. p. 434. sq. In Germania *Henricus* Abbas Benedictinus Tegernseensis in Bavaria, Vir insigni pietate, sponte positô clavô, ad Monasterium Imperiale *Salemitanum* Cisterciense, exactissimæ Disciplinæ fama celeberrimum, transivit, Monachum humilem ibidem induens Persecutio Imperatoris in Cistercienses. Testisque futurus, & suâ patientiâ toleraturus extremam illam inopiam, in quam, uti alia Cœnobia Imperii Cisterciensia, sic & *Salemium* conjectum fuit, propter fidem, quam Pontifici con-

contra Imperatorem *Fridericum*, ejúsque Filium *Conradum*, diris devotos, invictâ constantiâ servavit. *Histor. Frising. Tom. II, p. 20. Apiarium Salemitanum* Cisterc. bis tert. vernaculo adjectum p. *CXXXII. sq*, Haud facilè dicas, quanta sub hoc Cæsare in Regno Siculo, Imperióque Germano, pertulerint Cistercienses: quia se ab obsequio Apostolicæ Sedis nullis pollicitationibûs, nullo turbine persecutionis, dimoveri sinebant. Gloriosum est Filiis, tantæ Constantiæ Patrum recordari: gloriosius erit, pari à fide nunquam recedere.

Annus 1243.

VI. ELectus tandem post diuturnam octodecim, nisi ampliùs, Mensium Vacationem *Innocentius* Papa IV.[tus], in quem suum pariter suffragium contulit *Jacobus* Cardinalis noster Episcopus Prænestinus, tandem carcere dimissus, *Bonifacio* Archi-Abbati nostro Cisterciensi, qui & ipse paulò antè reversus è vinculis erat, Gradum suum per Epistolam, honoris ac reverentiæ plenam, denunciavit, universi Ordinis suffragia perdevotè sibi exposcens. *Manriq.* Append. Tom. I. p. 478. Inclita *Zwetla*, sive Claravallis Austriæ, hoc Anno cohonestata est pio funere D. *Henrici*, nati olim in Oppido *Zwetla*, tantáque virtute adulti, ut ab *Eberhardo* Archiepiscopo Salisburgensi ad candelabrum fundatæ à se Cathedræ Episcopalis Seccoviensis An. 1232. secundo loco sublimatus fuerit: ubi cùm decennio integro, & quod excurrit, egregiè fulsisset, æterna ad præmia abituriens, illò in Cœnobio cum electis dormire constituit, ubi citra dubium prima Virtutis ac Scientiæ Rudimenta puerulus hausit. Cujus Animæ DEUS quò magis esset propitius, Archiepiscopus, Amore Suffraganei sui, eidem Cœnobio annuam Salis Portionem perpetuis temporibûs conceptâ chartâ assignavit. *Annal. Zwetl. I. p. 319, sq.* Clariùs adhuc Silesiam, Poloniam, Cisterciυm, universámque Ecclesiam DEI eodem hoc Anno beatissima morte sua illustravit S. *Hedwigis*, nata Marchionissa Moraviæ, nupta Poloniæ Silesiæque Ducissa, celeberrimi Parthenonis Cisterciensis *Trebnicii* in Silesia Fundatrix, atque Dotatrix propè Regia: à morte verò Mariti sui *Henrici* Barbati Ducis, etiam Civis longè sanctissima, sub B. *Gertrudis* Filiæ, & Antistitis secundæ, Præfectura in finem usque vitæ perseverans. *Raynald. h. a. Cisterc. b. t. p. 455.*

Innocentius Papa IV. expetit Suffragia Ordinis.

Henricus Episc. Seccov. tumulatus in Zwetla.

S. *Hedwigis*.

Annus 1244.

VII. PLurimam hic Annus Cistercio Gloriam attulit. *Innocentius* etenim Papa IV. numerô suô valde imminutum Cardinalium Collegium contuens, ut firmiore Patrum Purpuratorum Senatu, in tanto Fridericianæ Persecutionis turbine, se,

Cardinales Cistercienses.

& Ecclesiam suffulciret; unica Promotione, ipso SS. Trinitatis Festo suscepta, decem novas Aulæ Vaticanæ columnas totidem creatis novis Cardinalibûs excitavit. Horum porro in numero tres Cistercienses fuêre. Primus *Otho de Castro Rudolphi* Gallus, Vernaculâ sua *Chasteauraud*, ex Canonico, & Cancellario Parisiensis Ecclesiæ, amore Contemplationis & Solitudinis, Monachus Cisterciensis in Grandi Sylva, ac paulò pòst tam ibidem, quàm Ursicampi Abbas: donec Anno isto à suprà laudato Pontifice Cardinalis Episcopus Tusculanus crearetur. Mox Legatus in Galliam directus, ut fideles Cruce in Orientem signaret, ipsum Regem *Ludovicum* Sanctum ad vota sua habuit: cui se ita insinuavit, ut ab ipso *Vir secundum Cor suum* appellaretur. Laus ejusdem sequentibus etiam Annis recurret. *Ughell.* Ital. I. col. 234. sq. n. XIX. Alter *Joannes de Toleto* natione Anglus, Monachus æquè Cisterciensis, unacum priore ad Purpuram assumtus, creatúsque Præsbyter Cardinalis tit. S. Laurentii in Lucina: de quo pariter alibi Sermo recurret. *Id. ibid.* col. 135. Tertius *Petrus de Bar*, ex Monacho, & Priore Claravallensi, Abbas primùm de Moris, deinde Igniacensis, hoc eodem Anno Senatui Purpurato Præsbyter Cardinalis tit. S. Marcelli adscriptus est. *Id. ibid. col.* 172. Quibus addere libet *Galganum*, ex Monacho Abbatiæ Cisterciensis S. Galgani electum, & ab *Innocentio* IV. confirmatum Episcopum *Volaterranum*, plurima cum laude usque in Annum 1251. hac in Cathedra præfulgentem. *Id. ibid.* col. 1448.

Episcopus.

Patres nostri in Capitulo Generali exorant Pontifici apud S. *Ludovicum* Regem tutum in Gallia Receptum.

VIII. Cùm porro Pontifex neque se in Italia tutum agere, neque Concilium convocare posse conspiceret, Galliam, tanquam vetus Pontificum Romanorum Asylum, animo pertractans, ut liberum illuc aditum, & potens præsidium Regis tantò promtiùs consequeretur, ingenti fiducia Oratores pro se Abbates Cistercienses, in Capitulo Generali congregatos, constituit: quò Sanctum Regem, in Palestinam cogitantem, ut se precibus Patrum, & universi Ordinis tantò enixiùs commendaret, accessurum prænoverat. Adiit Rex, cum Regina Matre *Blancha*, geminísque Fratribus Comitibus, Pictaviensi, & Atrebatensi. Appropinguantes Cistercio, Locique Religione tacti, longissimo teli jactu equis desilierunt, peditésque prolixæ Abbatum Processioni, ad eos excipiendos cum cantu sacro adventanti, obviam ivêre, eámque præeuntem insecuti sunt. In ipso Comitiorum Loco Rex piissimus Matri primam detulit Sedem. Omnibus verò considentibûs, universi Patres coram Rege in Genua prociderunt, & Verbi duce Archi-Abbate, eidem pro susceptione, atque Tutela afflicti Summi Pontificis, quàm poterant, enixis, humillimis, ardentissimísque precibûs devotissimè supplicabant. Quid Rex Augustus? Admiretur Orbis, obstu-

obstupescat Posteritas, confundatur Superbia. Ecce, quantocius, ut Abbates procidunt, consurgit & *Ludovicus*, Regiæ quodammodo Majestatis oblitus, provolvitur & ipse coram Patribus in genua, fidémque, ipsis Testibûs, dat Summo Veróque DEO, se Vicarium ejusdem, Romanum Pontificem, omni cum benevolentia excepturum totisque, si opus foret, Regni viribûs tutaturum esse. *Raynald.* ex *Math. Paris.* h. a. Item *Cisterc. bis Tert.* p. 682. seq. ex *Juliano Paride* Doctore Theol. & Abbate Montis Fulcardi in *Nomast. Cistercien.* Part. II. Annotat. ad Breve Apostolic. *Urbani IV.* Papæ p. 387. Pinge Scenam istam æternitati, pinge Mater Alma Cisterciensis: parem aliam totus Orbis, puto, nullibi exhibebit. Expavit ad hoc tantum Filii Exemplum, & lætata est Mater *Blancha*, atque ipsa, unacum Rege, Archi-Abbati nostro, pro sustentandis deinceps in Capitulo Generali Patribus, annuos Regios Census piissima Munificentia assignavit.

IX. Pontifex porro jam in Gallia existens, & gratus Oratoribus, pro se tam sedulis & efficacibus, teste *Manriqueo* nostro, quatuor intra Menses *Bonifacio* Archi-Abbati nostro Generali octo Privilegia elargitus est: quorum tamen Gratias tacet, cùm ibi Rerum gestarum summa tantùm Capitula recenseat, Append. Tom. I. p. 478. Cùm verò nulla tam felix esse Gloria soleat, quam nulla æmulatio arrodat: tam summa Cistercii Existimatio aliorum Ordinum Viris incompositum stomachum crebrò commovit. Et quia aliud non erat, quòd salva Religione sua, & absque manifesto invidiæ crimine incurrendo, nostris exponere possent: hoc tandem exprobrabant, inter Cistercienses Literarum studia frigere, nisi penitus exulare. Querimonia ista commovit, *Stephanum* Clarævallis Abbatem, Anglum natione, moribus Angelicum, ait *Manriquem* unde suprà p. 509. sq. ut ab *Innocentio* Papa facultatem rogaret, & consequeretur, Parisiis pro Monachis propriis Collegium construendi. Cui condendo, insigni Aula, quæ Comitum Campaniæ in Carducto fuerat, sive donô, sive pretiô accepta, ipso hoc Anno 1244. initium fecit.

Pontificis pro nostris Privilegia.

Initium Collegii S. Bernardi Parisiis.

Annus 1245.

X. ANtequam *Innocentius* Papa Concilium Lugdunense inchoaret, Universo Ordini nostro trina denuo contulit Privilegia, vel veriùs dudum collata, multiplicatis eorum prævaricatoribûs, innovavit: quæ integro tenore edidit Rever.^mus *Henriquez* noster in *Cod. Constitution. ac Privilegior. Ordinis*, qui Menologio subjectus est, p. 63. sq. nn. XVIII. XIX. XX. Primum, ne trahi possimus ad ullum Forum, sacrum vel seculare, etiam pro

Privilegia pro Ordine.

quibuslibet culpis, excepta fide: cùm Superiores Ordinis quoslibet suorum excessus per se corrigant. Alterum, ne in Benefactores, Famulos, Familiares, & subditos nostros, quælibet Excommunicatio feratur, aut valeat. Tertium, per omnem sui decursum amplissimis Elogiis Ordinis refertum, ne Ordo noster aliorum quorumlibet Visitationibus unquam subjectus esse debeat: *Cùm, propter Vigilantiam Superiorum, aliis Religionibus Rectæ Vitæ sit Speculum, & Salutiferæ Conversationis Exemplum.*

Nostri Concilio intersunt.

XI. Concilio, post festum S. Joannis Baptistæ inchoato, interfuisse Cardinales, Præsules, Abbates Cistercienses quamplurimos, nemini dubium esse possit: quamquam præsentium Patrum Catalogum, neque apud *Raynaldum*, neque in novissima Collectione Conciliorum *Coletana*, vel alibi offenderim. Actô Conciliô, cùm *Fridericus*, Imperio dejectus, quaquaversum Literas in sui defensionem, amarissimo stilo adversum Pontificem detonantes, emitteret, quibus Orbi persuadere contendit, *Innocentium* inconsulto Animi impetu, præcipitique & immaturo Consilio, ad sui damnationem processisse: Papa ad Capitulum quoque nostrum Generale, quemadmodum ad Præsules, Reges, ac Principes, conceptas Literas dedit, quibus demonstravit, se, suis cum Fratribus, in *Friderici* execratione, non, nisi prævio prudentissimo examine, longa in utramque partem disputatione, atque diuturna cum deliberatione, planè secundum DEUM processisse. Quare hortatus est nostros, ne unquam iniquis execrati dicteriis moveantur. Literas attulit *Raynaldus* p. 546. n. 64. subjiciens, iis lectis Patres nostros *Innocentio* maximis animis studuisse.

Pontificis Literæ ad Capitulum Generale.

Odardus Episc. Calvensis.

XII. Insignem inter hæc sui memoriam promeruit *Odardus*, ex Monacho Cisterciensi, incerto aliquo antea Anno Episcopus *Calvensis* electus: in quo Virtus atque Doctrina plurimùm de palma contenderunt, Facundia porro admirabilis erat, & ignea tota, quæ insuper eidem omni tempore præstò fuit. Intererat Concilio Lugdunensi, útque *Bzovius* hunc ad Annum n. 6. habet, vehementissimè omnium in *Fridericum* Imperatorem ibidem concionabatur, ejúsque Oratores confutavit. Merces erat, ut redux ad Ecclesiam suam, quæ est in Campania Felici, à satellitibus Cæsaris captus, raptúsque ad Carcerem, ibidem pro immunitate Ecclesiæ necaretur. *Ughell. Ital. VI. col.* 477. In Gallia *Stephanus*, Clarævallis Abbas, venerandas *Jacobi de Pecoraria* Cardinalis Episcopi Prænestini Exuvias excepit, propè S. Malachiam depositas. *Manriq. App. Tom. I. p.* 510. Obierat Romæ, ab *Innocentio* Papa, in Gallias cogitante, Urbi Vicarius relictus, ipsa die festa SS. Petri & Pauli, qua manè solemniter ad Aram steterat, Populúmque diserta Oratione exhortatus erat: Vir moribûs admodum

Jacobus Cardinalis in Claravalle sepultus.

modum sanctis, Doctrina cultissimus, Scriptis præterea compluribus relictis, & peractis difficillimis Legationibus, memoriam beatam promeritus. *Eggs Purpuræ Doctæ Libr. I. p.* 159.

Annus 1246.

XIII. INnocentius Papa rursum Ordini nostro gemina Privilegia innovavit de Ordinandis, examini Episcoporum non subjiciendis. *Henriqu. Cod. Privil. n. XXI.* Ab eodem *Taquinus* Norwegiæ Rex Legatum & Coronam supplicaturus, Oratorem suum principem Romam, & Lugdunum submisit Abbatem de *Hoducdbeia* Cisterciensem, uti liquet apud *Raynaldum* ex Epistola ad Regem, qua Votis ejusdem plenè assensit. Sub idem deinde tempus, quo Papa beatum *Edmundum* Archiepiscopum Cantuariensem, Professione nostrum, & innumeris miraculis decoratum, publico deinceps Cultu Sanctorum prosequendum declaravit: acceptissima DEO Famula *Lutgardis* sanctissimo fine consummata, in Cælum festinavit. *Thom. Cantipratan. in Vita.* Claravallis nostra hoc Anno Funus *Roberti* Episcopi Leodiensis per Tabulas ejusdem Supremas excepit: cui tanta cum nostris Familiaritas erat, ut S. *Lamberti* Leodiensium Tutelaris festum per universum Ordinem celebrari impetraret. *Manr. App. I. p.* 510. S. Lutgardis obit. S. Lamberti festum in Ordine

Annus 1247.

XIV. JOannes III. Pontigniaci Abbas & Doctor Theologus, qui ante exulem Archipræsulem Cantuariensem *Edmundum* Hospitem, mox etiam Monachum recepit, ægrotantem postea in Grangiam suam deduxit, moribundo ibidem adstitit, defunctum ad Monasterium reduxit, atque pro Cultu ejusdem publico decernendo apud Sanctam Sedem diligentissimè institit: nunc voti sui feliciter damnatus, incorruptum ejusdem Corpus magnifica cum pompa elevavit. Historiam ejus, in Officio legendam, i. e. Lectiones diei festi illius, *Bertrando* Monacho conscribendam injunxit. Porro *Bonifacius*, Archi-Abbas Cistercii, Festum Sancti hujus Pontificis per totum Ordinem cum 12. Lectionibus, in Monasteriis verò Lineæ Pontigniacensis etiam cum prævio Sermone in Capitulo agi, assensu Patrum in Comitiis Generalibus Ordinis congregatorum, præcepit. *Manr. App. I. p.* 478. & 499. Inquisitio in Miracula S. *Brunonis* Episcopi Herbipolensis nonnullis Abbatibus Cisterciensibus à Pontifice commissa fuit. *Raynald. h. a. p.* 569. *n.* 24. Ad sedandas Prutenorum turbas, idem Pontifex Abbates Cistercienses Monasteriorum Poloniæ ac Prussiæ cohortatus est, ut Legato suo, illuc submisso, diligentem operam conjungerent. *Id. ibid.* S. Edmundus Archiep. Cantuarien. elevatur. Commissiones Apostolicæ nostrorum.

Burchardus Archiep. Salisburg. tumulatus apud Salemium.

XV. Cùm *Eberhardus* Archiepiſcopus Salisburgenſis, impetrandæ Reconciliationis causâ, *Burchardum de Ziegenhagen* ſupplex ad *Innocentium* Pontificem direxiſſet, ſed interea defungeretur: Papa hunc Oratorem nominavit Archiepiſcopum, conſecravit, Pallióque veſtivit. Reducem verò morbus, immo & mors ipſa in itinere deprehendit, quam obiit apud *Salemium* noſtrum in diſtrictu Imperii, celeberrimo hoc in Cœnobio, cui cum Capitulo Metropolitico Salisburgenſi perpetui Hoſpitii, & mutuorum ſuffragiorum fœdus interceſſerat, ſepultus. *Cl. Hanſiz. Metr. Salisb. p.* 345. Amplior longè fortuna magnifico *Hortæ* Monaſterio in Hiſpania evênit, dum *Roderici Ximenii* Archiepiſcopi Toletani, & Hiſpaniæ Primatis, Viri Sanctimoniæ fama circumlati, quem in Vita amiciſſimum, ſempérque faventem, & Munificum habuit, nunc piiſſimè demortui Corpus venerandum, quod ferunt prodigiis claruiſſe, unacum duorum SS. Martyrum Corporibus, quæ ipſe Româ attulerat, ſummo cum honore recepit. Obtinuit pariter ejuſdem Bibliothecam Ampliſſimam, in qua & Autographum celeberrimæ Hiſtoriæ Hiſpanicæ, ab hoc Archipræſule conſcriptæ, continebatur. *Manriqu. Append. Tomi II. ſub Bernardo II. Hortæ Abbate p.* 19.

Rodericus Archiep. Toletanus in Monaſterio Hortæ ſepultus.

Annus 1248.

Otho noſter Cardinalis Legatus in Orientem.

XVI. O*Tho* noſter *de Caſtro Rudolphi*, Cardinalis Epiſcopus Tuſculanus, ab *Innocentio IV.* creatus in Syriam Expeditionis Cruciatæ Legatus, hoc anno ſe illuc, cum S. *Ludovico* Franciæ Rege, ampliſſimóque Exercitu contulit. Mora in Cypro facta eſt: cujus Inſulæ Rex, cum ingenti ſuorum Copia, pariter Crucem à Legato ſuſcepit. Idem Græcos ejuſdem Regni Præſules cum Latinis feliciter conjunxit: & in parte Tartarorum ad fidem adducenda plurimùm laboravit. *Raynald. h. a. n.* 28. *ſqq.* Caſtellæ Rege *Ferdinando* Maurorum ferè præcipuam Urbem, ac veluti Regiam, *Hiſpalim* dictam, ſpatio menſium ſexdecim arduè impugnante, tandémque in deditionem adigente, egregiam eidem operam navârunt *Aviſienſes* Milites noſtri ſub *Martino* I. Magiſtro: qui & hoc Anno peculiariter cum ſuis *Albuſeyram* Saracenis eripuit, ſuæque Militiæ cum Aſſenſu Regio acquiſivit, præter Cenſum eximium, à Rege Præmii locò adjectum. *Manriq. Append. Tom. II. p.* 47. Sed non minori fide, ac fortitudine, eundem Regem adjuviſſe Militiam quoque Noſtram *Calatravenſem*, ſub *Ferdinando Ordonio* Supremo Commendatore ſuo, egregiáſque de Mauris Victorias reportâſſe, ex *Chron. Regis Ferdin.* Cap. 49. & 57. refert idem Reverendiſſ. Annaliſta Ciſterc. *App. Tom. III. p.* 23.

Militiarum noſtrarum Hiſpanicarum Victoriæ.

An-

Annus 1249.

XVII. ADfuit hoc anno DEUS, ut ferè semper, primis Cruce signatorum conatibus: in quibus Flos Gallicæ Nobilitatis, sub *Ludovico* Sancto Rege, Anglicæ sub Duce *Wilhelmo de Longa Spatha*, item Græcæ sub Achaiæ Principe, postremùm Cypriæ quoque sub *Henrico* Rege, congregatus erat, dirigente omnes *Othone* nostro Cardinale Legato. Postquam enim Accessus Maritimus ad Urbem generosis preliis & victoriis paratus erat, hostes Damiatam, sive Pelusium, licèt Viris rebúsque instructissimum, incendentes, ultro deseruerunt. Insuper, postquam Nilus defluxisset, progressi nostri, insignem aliam de barbaris Victoriam retulerunt. Tantum, post Adjutorium DEI, concordia Principum valuit, totúmque hunc annum reddidit laureatum. *Raynald. p.* 590. *sqq. à n. 1.* In Gallia Pontigniacum nostrum pulcherrimam vidit Solemnitatem, S. *Edmundi* Corpore, etiamnum integerrimo, V. Id. Junii denuo translato, postquam Sarcophago pretiosissimo, qui auro, argento, & gemmis undique radiaret, impositum fuit. *Math Hist. Angl. h. a.* In Claravalle *Stephanus* Abbas Venerabilem *Nicolaum*, Roschildensem Episcopum, ab Ecclesia sua, quæ in Dania est, Immunitatis ejus strenuè defensæ causâ exulem, hospitio suscepit, ægrotantem summis officiis curavit, morienti fideliter adstitit, piè defunctum digno funere honoravit. *Manriqu. App. Tomi I. p.* 510.

Annus 1250.

XVIII. FElices in Oriente anno superiori Victorias adeò infeliciter prostravit annus præsens, ut non modò Victores propè omnes, morbo, fame, cæde, incendio interirent, dum Principes de Gloria primæ Aggressionis tricarentur, alii nullo consilio, nullo ordine, tantùm ut essènt primi, in hostem irruerent: verùm etiam Sanctus ipse Rex caperetur, Litrùmque ejusdem Damiata essè debuerit, barbaris restituta. *Raynald.* prolixè h. a. Quantus inde dolor *Othoni* nostro Legato subeundus fuerit, quæ tribulatio ab ipso pariter sufferenda, nostri calami lamento non eget. *Fridericum* Imperatorem infelicem, quod *Matheus Parisius* tradidit, hoc Anno in Cuculla Cisterciensi magna cum pœnitudine obiisse, hoc loco à me planè prætereundum non fuit: quamquam Narratio ista summa certitudine nequaquam nitatur. Sin ita, hócque pacto Pœnitens iste Augustus in veste Ordinis Gratiam reperit, quod unicè optem, Res digna est Annalibûs nostrîs. Sed quis cognovit sensum Domini? Nolim in re tam summè incerta, nonnullorum exemplô non probatô, ingenio ludere. Securior Cistercio Gloria enata est ex *Tara-*

Tarasiæ, Reginæ olim Legionensis, *Sanctii* primi Regis Filiæ, Sanctimonialis nostræ, beata consummatione, quæ in hunc Annum 1250. reponitur. *Manr. App. II. p.* 6. Erat etiam, quo gratularetur sibi Claravallis nostra, dum hoc eodem Anno pretiosas B. *Aleydis*, Matris nostri Melliflui Doctoris, Exuvias ex Monasterio S. Benigni illuc transferri contingeret. *Id. ibid. Append. Tomi I. p.* 510.

§. III.

Res Monasterii Campililiensis.

Annus 1241.

Metus nostrorum circumcirca furentibus Tartaris.

I. NIhil quidem ad hunc Annum de Rebus Campililii suggerunt nobis universa Monumenta nostra. Quem verò Patrum nostrorum fata solicitum habent, facilè cum Animo suo reputabit, quanta formido *Berchtoldum* Abbatem nostrum, omnésque Filios, haud secùs, atque Austriam, immo Germaniam totam, dicam, universum Orbem Christianum succusserit, dum rapidissimi torrentis instar, furor Tartarorum Regna & Provincias, Poloniam, Silesiam, Moraviam, deinde Hungariam omnem, crudelissimo excidio in solitudinem redigeret. Erat profectò Virtuti tunc locus, cùm nullum ex hominibus auxilium appareret, omnésque pavor ac metus, antequam hostem contuerentur, prosterneret: id, quod accidit semper, quoties DEUS flagellare constituit. Tunc etenim ratio, vires, & animus, toto quasi à populo exulant, ut manifestum sit omnibus, non esse Consilium contra Dominum. Ergo truculento illo in Articulo hoc unum supererat nostris, ut fide radicati, spem immobilem, charitatem accensam intra pectora sua colligentes, respicerent in Adjutorium Altissimi, & gemitibûs inenarrabilibûs diu noctúque, sibi, Patriæ, Ecclesiæ, Protectionem DEI Cæli, & Liberationem in tempore malo exorarent.

Annus 1242.

Amplior, dum ipsam Viennam obsiderent.

II. Cùm fulgurantes Anno priori barbarorum acinaces adhuc à longè terrentes, nunc, circumcinctâ ab ipsis Viennâ, nostrorum veluti jugulis jam proximè imminerent, fugisse nostros haud mihi persuadeo. Ubi enim spes tuta Salutis? Multò certiùs est, eos potiùs colla sua morti veluti præsenti, Divinæque circa se Voluntati, humiliter præparâsse. Sed ô quanta Vox laudis eorum, dum, occultâ DEI providentiâ, caderent à latere Austriæ mille, decémque millia à dextris ejus vicinis in Regionibus, ad eam autem Mors fera, mors barbara, mors

Gaudium ex Liberatione.

mors crudelis non appropinquaret: sed fugerent hostes, non repulsi, à facie *Friderici* Bellicosi Ducis, Arma fœderata ostentantis, exurgente DEO, inimicos dissipante, & salvos facientes sperantes in se!

III. Fortè timor, qui præcessit, vel Gratitudo, quòd evanuerit, incitabat unum ex Dominis *Lilienveldariis*, qui ante nos hanc Vallem tenuerunt: ut in nostros, tanquam Pauperes Christi, dispergeret, darétque eis omnia Bona sua, Monasterio vicina, & feudo Ducis possessa, Principe libenter annuente, háncque Donationem sui robore Sigilli affirmante. Chartula ejus apud nos Autographa sic inchoat. *Ego VRITEL* (quod *Fridericus* interpretor) *omnibus hanc Literam videntibus in æternum &c.* Subsignatio est: *Datum aput sanctum Yppolitum Anno Domini M.mo CC.mo xlij. x.o Kalendas Maji.* Hæc Donatio, non admodum longo postea tempore, Monasterio litem, haud una vice à Propinguis *Friderici* hujus instauratam, parturiit, justa tamen nostrorum causa feliciter triumphante. De Dominis *Lilienveldariis* prolixè agetur *Tom. IIII.* inter *Familias in L.* Donatio *Vritlonis* Lilienveldarii.

Annus 1243.

IV. Libet hoc loco, dum aliud non suppetit, *Friderici* Ducis Beneficentiam, incerto licèt, hoc tamen verosimillimè, aut proximo aliquo Anno, nostris impensam, laudare: qua Campililio suo Decimas in Probstorf benignè indulsit. Quamquam enim Collationis hujus neque Autographum, neque Transsumtum, quod sciam, hodie apud nos exstet: factam tamen ab ipso esse, certissimè disco ex Literis *Rudigeri* Episcopi Pataviensis, infrà An. 1247. adducendis, quarum tenore has Decimas à mortè Ducis, qui eas ab Ecclesia Pataviensi Feudi nomine tenuit, numerata pecunia redimere debuimus. Beneficentia *Friderici* Ducis.

Annus 1244.

V. INsigniter in Cistercium Austriacum largus exstitit Optimus Antistes *Eberhardus* II. Archi-Præsul Salisburgensis: dum Salis defectum in Monasteriis S. Crucis, Zwetlæ, ac Campililii, ex abundantia salinarum suarum, annua Munificentiâ sublevavit. Prima Zwetla id gratiæ ab eodem Anno superiore consecuta, in Refrigerium Animæ D. *Henrici* Episcopi Seccoviensis ibidem sepulti. Quod *Berchtoldo* Abbati nostro, qui nihil utilium pro Campililio neglexit, incitamento fuisse existimo, ut & ipse parem pro nobis gratiam ab eodem Pontifice Magno, sive per se, sive quorumlibet Fautorum Suffragio, forsitan ipsius *Friderici* Ducis, vel Seren.mae Dominæ *Theodoræ* Matris ejus, humiliter flagitaverit, voti feliciter potitus. Charta ejus ita ferè habet. *Eberhardi* Archiepisc. Salisburg. Largitio Salis annui.

Tenor Chartæ ejusdem.

VI. „EBERHARDUS DEI Gratia Salzburgeñ. Archiepi-„ſcopus, Apoſtolicæ Sedis Legatus. Cùm nullum bonum ſit, „quod non pulchriùs eluceſcat, ſi plurimorum notitia compro-„betur: ideo præſenti Scripto patere volumus, tam præſentibus, „quàm futuris. Quòd Nos defectum Monaſterii in *Lilienveld*, „quem in Sale patitur, adtendentes, *ob Remedium Ducis LEU-„POLDI Auſtriæ bonæ memoriæ, qui Nobis ſuo tempore grata ex-„hibuit Obſequia, & devota*, ac etiam pro noſtrorum Præde-„ceſſorum, & propriorum venia delictorum, eidem Monaſterio „nudi Salis Libras duas Cuppularum, de Conſenſu Noſtri Capi-„tuli, apud Salinam noſtram, in Feſto Aſcenſionis Domini, ab „Officialibus Noſtris, qui ibidem Officium Salinæ pro tempo-„re tenuerint, dicta Salis Quantitas annis ſingulis aſſignetur. „Ut autem talis Donatio perpetuo gaudeat robore firmitatis, „memorato Conventui in Signum evidens hanc paginam dedi-„mus, Sigilli noſtri munimine roboratam. Sunt & hujus Rei „Teſtes. *Otto* Præpoſitus Salzburgenſis. Frater *Chunradus* Vi-„cedominus ejusdem Eccleſiæ. Dominus *Gerochus* de Weieren. „Dominus *Yſengrinus* Tiſingarius, Cives Salzburgenſes. *Hain-„ricus* Cleutzer. *Ulricus* de Alben, & alii quamplures. Datum „hujus apud Golingen Anno Domini Mccxliiij. x. Kl. Junii.„ Ita Autographum. Factum verò hoc eſſe de Conſenſu ſuo, atque plenaria Voluntate, peculiari Charta teſtatum eſt pariter Reverendiſſimum Capitulum Metropolitanum, quæ inchoat. „OTTO Dei gratia Præpoſitus, HAINRICUS Decanus, Totúm-„que Capitulum Salzburgenſis Eccleſiæ &c.„

Perpetuitas Beneficii hujus per quid diſſoluta?

VII. Perpetuum eſſe debuerat hoc Beneficium. Sed injuriæ temporum, uti ſolent res omnes confundere, eodem poſt initium Seculi XVI[ti] nos, ac cætera Monaſteria ſupradicta, privârunt. Eousque enim perdurâſſe, certo mihi argumento ſunt Privilegia Sereniſſimorum Bavariæ Ducum: qui nobis, jugi Succeſſionis Ordine, in horum Salium advectione immunitatem Telonii per omnem Provinciam ſuam clementer indulſerunt, usque ad *Gregorium* Ducem ab An- 1480. usque 1503. gubernantem, cujus literas ultimas tenemus. Inſequebantur poſtea, funeſtiſſimum Religionis diſſidium, Tumultus ruſtici, Obſidio prima Turcica Viennenſis: quæ horribilia mala, quibûs Auſtria cum Germania fluctuabat, quamplurima pulcherrima pietatis antiquæ opera peſſumdederunt. Atque in his, & hanc pariter Eleemoſinam fuiſſe, vix demum animi pendeo: quæ nullis poſtea ſupplicationibûs reſuſcitari potuit, donec eam *Ferdinandus* II. Auguſtus, poſt hominum memoriam Piiſſimus, Clementiâ ſuâ è Salinis Auſtriacis reparaverit.

An-

Annus 1245.

VIII. AN bellum, quod hyeme Anni hujus, Rex Bohemiæ, Dúxque Carinthiæ, ex fœdere cum *Bela* Hungariæ Rege, *Friderico* Austriæ Duci intulerant, sed victi, fugatique, nihil Campililio in ditionibus ultra-saltem Danubianis obfuerit, ignoro. Solicitudinem peperisse non ambigo. Illud ferè certum, sub confertam hanc Austriæ vexationem, ubi Mars tantum non perpetuus in ea inhoruit, locum ampliorem Eleemosinis, consueta nostrorum charitate in pauperes expendendis, quàm piæ Benefactorum liberalitati, in Campililium profundendæ, superfuisse. Belli Bohemici periculum.

Annus 1246.

IX. MOnumentis haud eget, ut credamus, tristissima hujus Anni funera, quæ à nostris Nœniarum Exequialium apparatu deflenda fuerunt, Monasterio luctus maximos induxisse, *Friderico* Magnanimo, sed ultimo Duce, *Theodora* Matre ejusdem Serenissima, & *Eberhardo* Archiepiscopo Salisburgensi perBenefico, è vita migrantibûs: cum quibus Pax quoque & Securitas Provinciæ planè consepultæ sunt. Dux, quia S. Cruci, quàm nobis, vicinior occubuit, ibi pariter quietem cepit. D. *Theodora*, in Monte Cæcio ex improvisa morte Filii dolore nimio suffocata, Claustro-Neoburgi tumulum sortita est. Apud nos porro, uti Justa Funebria solemniter tunc ambo accepêre, ita etiamnum Sacris Anniversariis, circa probè lucidam tumbam, cùm pro Dignitate sua, tum pro Merito suo immortali, Catholico more diligentissimè expiantur. Luctus Campililii è Funeribus maximis.

Annus 1247.

X. B*Erchtoldus* Abbas noster hoc, atque deinceps ferè omnibûs, quibûs rexerat, annis, felicem dicam, an infelicem, arduam certè, ac plenam discriminibûs copiam nactus est, se Virum demonstrandi. In extremis etenim Provinciæ Orphanæ, ac Duce legitimo destitutæ miseriis, inter perpetua contendentium pro Principatu Armorum contrariorum litigia, Monasterium gubernare, útque DEI ope poterat, illæsum conservare, labore profectò non vulgari, prudentia summa, vigilantia perpetua, & irremissò ardentium Orationum studio conniti debuerat. Bonum factum ipsius, quòd à Domino *Rudegero* Episcopo Pataviensi ære non modico, si ævi illius rationem habueris, Decimam Probstorfensem redemerit, & Monasterio perpetuam fecerit. Clariùs rem edicet Charta Præsularis in Autographo sic concepta. D. Berchtoldi Abbatis Regimen arduum. Redemit ab Ecclesia Pataviensi Decimam Probstorfensem.

XI. „ROGERUS DEI Gratia Pataviensis Episcopus omnibus „ præsentem Literam inspecturis Salutem in Domino. Notum „Vo- Tenor Chartæ Episcopalis.

„ Vobis facimus, quòd, cùm Decima Parochialis Ecclesiæ in
„ Probstorf, quam Ecclesia S. Mariæ in Lilienveld, ex Donatione
„ Ducis Austriæ, dum viveret, possidebat, post obitum Domi-
„ ni *Friderici* Ducis, qui eam ab Ecclesia Pataviensi feudaliter
„ possedit, ad nostrum devoluta Dominium, esset vacans, Nos
„ Devotionem ejusdem Ecclesiæ, & continua Servitia Nobis ex-
„ hibita, & exhibenda imposterum advertentes, ob Remedium
„ quoque Animæ nostræ, Antecessorum, Successorúmque No-
„ strorum, receptis ab ipsa Ecclesia Centum Libris, quas in ne-
„ cessitates Reædificationis *Castri nostri in Griefenstain*, & Muni-
„ tionis *Civitatis nostræ in Sancto Ypolito* convertimus, ipsam
„ Decimam ad Usus Fratrum dictæ Ecclesiæ tradidimus perpe-
„ tuò possidendam. Ut autem hæc nostra Donatio, præfatæ Ec-
„ clesiæ cum consensu Capituli nostri facta, observetur eidem
„ Ecclesiæ à nostris Successoribus, & Robur obtineat firmitatis:
„ ad Confirmationem & Testimonium hujus Rei, præsentem
„ Literam ipsi Ecclesiæ dedimus, robore nostri Sigilli, & Ca-
„ pituli communitam. Hujus Rei Testes sunt- *Pilgrimus* Ab-
„ bas de Sancta Cruce: *Pertoldus* Abbas de Paumgartenberg.
„ *Ditricus* Abbas de Alderspach. *Ernestus* Abbas in Wilhering
„ Cisterciens. Ordinis. *Gerbochus* Archidiaconus. *Ditmarus*
„ Plebanus, Canonici Patavienses. *Hadmarus* de Wesen. *Otto*
„ de Possemünster, Laici. Datum Pataviæ Anno Domini
„ MCCXLVIJ. IIIJ. Id^us Julii Pontificatus nostri Anno XIIIJ^to. „

Observationes nonnullæ.

XII. Commendatur hìc laudabilis Devotio Campililii erga Reverendissimam Cathedram Diæcesanam: cum qua eidem aliquando Controversiam difficiliorem intercessisse, Monumenta nostra nullibi produnt, Monasterio in omnibus, in quibus par erat, devotè semper obsequente, ac proinde vicissim Præsulibûs Cathedralibûs Locum nostrum, salvîs Privilegiîs Ordinis, benignissimo ubique favore prosequentibûs. Patet præterea, quód suprà ad Ann. 1243. laudaveram, Decimam in Probstorf primùm nobis benigna Donatione *Friderici* Ducis advenisse, eáque non minimâ, cùm exolutione Centum Librarum, pretio ævi illius notabili, redimi debuerit, neutiquam, ut arbitror, tanti, quanti valuerit, æstimata, ut Beneficentiæ quoque Episcopi hoc in Contractu Redemtionis locus esset, quem ipse Donationem quoque suam appellat. Insuper verò liquet, ea, quæ primùm Cœnobiis meri Doni nomine accesserant, non infrequenter, quia jure alieno haud satis exemta fuêre, lapsu temporum proprio peculio redimi debuisse. Non obscurè tandem colligitur, *Rudigerum* Episcopum, hìc scriptum *Rogerum*, cùm, ob Imperatoris *Friderici* partes nunquam desertas, apud Pontificem, Ordinis, ac Dignitatis reus judicatus, se loco movendum prævidisset, stationem suam Armis quoque tueri cogitan-

tantem, de muniendis Ditionibus curâsse. Quas inter disertè *Greiffensteinium* vocat *Castrum suum*, ipsámque S. *Hyppoliti* Urbem tanquam *Civitatem suam* connumeravit.

Annus 1248.

XIII. CL. *Bernard. Pezius* Cod. Diplom. Epistolar. Part. II. p. 98. n. 169. exhibet Instrumentum Donationis Dñi *Liutoldi* Comitis *de Hardeck*, quo Claustro-Neoburgo donavit Villam *Höflein* prope Castrum Grifenstein, editum ANNO MCCXLVIII. III. Nonas Julii: ubi inter Testes, ex tota ferè ejus temporis Nobilitate Austriaca ingenti numero descriptos, omnium primi leguntur *Sanctæ Crucis*, *Ecclesiæ Scotorum in Wienna*, *Ecclesiæ de Lirenvelde Abbates*, tacitis eorum Nominibus. Unde forsitan non leviter conjicere liceat, Abbatem nostrum *Berchtoldum* solemni cuidam Provincialium Conventui tunc interfuisse: quo, sive de dividendo *Friderici* Ducis Thesauro inter Ducissas, sive de Nuptiis Dominæ *Gertrudis* cum *Hermanno* Marchione Badensi, in medium consulebatur.

Videtur D. Abbas noster interfuisse Conventui statuum Publico.

Annus 1249.

XIV. UTi tempore hoc iniquissimo, quo Austria sub Imperatoriis Præfectis Interdicto Ecclesiastico laborabat, vix aliud Campililio nostro supererat, nisi, ut communi Ordinis Privilegio lugendum in usum, necessitate cogente, deducto, clausis januis Divina pro se ageret, ac præterea pro communi, tantàque Patriæ necessitate, preces DEO incensa cum pietate incessabiliter funderet: ita citra dubium gaudio rursum ingenti perfusum est, dum ex *Hermanni* Marchionis Badensis Conversione ad Pontificem, publicus omnium Sacrorum splendor charæ Patriæ iterum reduceretur, ac cessarent plebes, potissimùm innocuæ, subtracto sibi, in quo maximè consolari poterant, consueto publico Religionis Cultu, flebiliter luere, quod Primores deliquerant. At, ne gaudium plenum foret, citra dubium Ungarorum & Cumanorum, identidem incursantium, furor, Tartarica rabie non multùm inferior, haud immeritò effecit.

Tristitia Interdicti communis in Austria.

Annus 1250.

XV. QUantus horror Campililium incesserit, dum hoc ANNO flamma quasi ejusdem parietes lamberet, inclitùmque Cœnobium Benedictinum *Cellæ MARIÆ* in Austria, Oppidis *Kaunberg* & *Hainfeld* vicinum, immo ferè contiguum, ab Ungaris ac Cumanis in favillas & cineres redigeretur, nemo non cogitandô facillimè assequetur. Fieri vix potuit, ut proximas fal-

Timor ab Ungaris.

faltem nostrorum ditiones absque omni damno exierint. Sed satis est gratiæ, flagellantem DEUM iracundiæ suæ Manum ab ipso Monasterio nostro clementissimè continuisse. Ejusdem pariter Muneri debuit Præsul noster fortitudinem Pectoris sui, verè mirabilem: quem, in tam atrocium, séque semper mutuò excipientium calamitatum tempestate, Curæ tamen Præsulares per Annos octo & triginta non fregerunt. Frustra hujusmodi Robur ab homine speres, qui ponit carnem brachium suum. Solus ille tam beatus Vir, cujus est Nomen Domini spes ejus. Qui ambulat simpliciter, neutiquam animo duplex, DEUMque inter ac Mundum divisus, ille ambulat confidenter.



DECAS VI.

Ab Anno MCCLI. usque MCCLX.

§. I.

Res Principum & Patriæ.

Annus 1251.

Pontifex in Italiam redux.

I. A Morte *Friderici II.* Imperatoris *Innocentius* Papa IV. in Italiam rediens, omni studio impedire contendit, ne *Conradus*, Filius ejusdem, Germaniæ, Siciliæque Regna consequi, & vindicare posset, ipsum, & quotquot illi consilio auxilióque adesse auderent, anathemate execratus: quo *Conradus* aliunde semper innodatus erat, cúm studia Patris constanter exequeretur. Contrà verò *Wilbelmum* Hollandicum, electum Romanorum Regem, maximo affectu prosecutus, quidquid pro eo potuit, per se, ac Legatos, quàm diligentissimè efficere tentavit. Interim ambo Rivales Imperii hoc Anno, alter quasi initio, in fine alter, summum Vitæ discrimen adiverunt. *Wilbelmus* quippe Rex, actis Brunswici in die Conversionis S. Pauli Nuptiis, ipsa nocte insequenti, flammâ per incuriam luminis Palatium corripiente, ægrè evasit, manu Reginæ eductus, juxta *Albertum* Stadensem. *Conradus* porro, Natalem Domini Ratisbonæ in Monasterio S. Emmerammi agens, ea nocte, quæ festum SS. Innocentium præcessit, occidendus erat, nonnisi cum quatuor Custodibus, ut existimabant Sicarii, dormiens. Media quippe nocte *Chunradus de Hohenvels*, aliique Ministeriales Ra-

Æmulorum Regum Wilhelmi & Conradi discrimina.

Ratisbonenſes, in cubiculum ſubeuntes, duos occiderunt, tres Captivos abduxerunt, rati, Regem indubiè periiſſe. Sed fortuitò antea Sextus ſe dormientibus adjunxerat, & occiſus eſt, Rege, qui per tumultum excitatus erat, ſub lecto, vel ſcamno, feliciter ſe occultante. Ita *Stero*, & Chronographus Salisburgenſis apud *Caniſium*, & *Pezium*.

II. Quid in Auſtria evenerit, ſatis longa, exactáque Periodo iterum lego apud *Pernoldum* noſtrum, ſic referentem. // MCCLj. Cùm obiret *Hermannus*, Domina *Gertrudis* Uxor // ejus, propter tumultus in Auſtria, cum Filiolo erat in Miſnia // apud Amitam ſuam Dominam *Conſtantiam*: ubi puerperium // Filiolæ egit. Provinciales, opinionibûs de Novo Duce quæ- // rendo maximè diviſi, valde contra ſe invicem ſentiebant. // Quorum concordia cùm haberi Wiennæ non poſſet, princi- // pes eorum in Oppido Triewenſe juxta Tulnam convenientes, // decreverunt, Nuncios quatuor in Miſniam ad Marchionem // pro uno Filiorum Dominæ *Conſtantiæ* mittere, qui ambos // Ducatus pro Domina *Margareta* regendos ſuſciperet. Sed // hos Nuncios Rex Bohemiæ *Wencislaus*, cùm terras illius tran- // ſirent, ſibi proditos, detinuit, & ad ſe vocatos, bonis verbis, // epulis, donis, ac etiam minis, negato progreſſu coëgit, ut // redirent in Auſtriam, & Provincialibus utriúſque Ducatus // Filium ſuum *Premizl* pro Duce ſuaderent, multa bona ter- // ris promittens. Plurimi verò Nobiles ad hoc ſurdi erant, // donec auri fulgor, & clangor, eis aures cum oculis aperuit. // Stirienſes tamen alio Nuncio invitârunt *Heinricum* Filium // *Ottonis* Bawariæ Ducis. Sed quia *Bela* Hungariæ Rex has // Provincias vehementiſſimè cupiebat pro Filio, non auſus eſt // *Heinricus* Bawarus, licèt *Belæ* Gener, ſine ejus Conſilio eas- // dem occupare, nec valuit. Quem etiam Auſtrales ſupra // Anaſum prohibuerunt ab ingreſſu.

Pernoldi Narratio.

Provinciales Auſtriæ mittunt in Miſniam:

Quorum Nuncii detinentur in Bohemia.

Stirienſes invitant Bavarum.

III. // *Premizl* verò, quem *Otakarum* appellârunt, ſtatim // poſt nuncios Auſtralium prædictos, cum exercitu Patris, & // Theſauris, venit in Auſtriam, & quædam Loca oſtenſis ar- // mis, plura, uti etiam Wiennam, diſpenſatis pecuniis ſibi ape- // ruit: nulla inſuper pacta, quæ petebantur, inire detrectans. // Conſilium erat, ut nuberet Dominæ *Margaretæ*, & per eam // Dux legitimus fieret. Sed hæc noſcens, ſe provinciæ tantùm // cauſa in Conjugem peti, & parum boni de hoc Conjugio // ſperans, diu & graviter, etiam propter Cognationem, ob- // ſtitit. Domina *Gertrudis* autem, his auditis, citò venit in // Auſtriam, ſperans inclinare Provinciales ad Filium ſuum *Fri-* // *dericum*. Sed hic Infans erat, de cujus tutela nulla conſenſio: // quia *Otakarus*, & *Bela*, pro Auſtria fortiſſimè pugnabant. Hinc

Otocarus venit in Auſtriam, jus acquiſiturus Connubio Dominæ Margaretæ.

Domina Gertrudis fruſtra laborat pro Filiolo, & confugit ad Belam.

„ Hinc illa ad *Belam* confugiens, Jus, quod ſe habere putaba
„ in illum transtulit, novarum Nuptiarum referens promiſſum. „

Quinam fuerint Auſtralium, & Stirienſium Nuncil.

IV. Cuncta hæc, ſi eos adire libuerit, æquè tibi *Hagenus*, Anonymus *Leobienſis*, Chronicon *Garſtenſe*, *Haſelbachius* & *Arenpeckius* percenſebunt. Quare non vacat, *Pernoldo* noſtro longa hìc exſcriptione fidem conciliare, cùm ipſe potiùs, tanquam certè Sinchronus, rerúmque certus, dictis eorum robur, pondúsque adjiciat. Nuncios Provincialium ablegatos in Miſniam, ſed in Bohemia detentos, ac redire compulſos, volunt fuiſſe Abbatem Scotorum, *Ditmarum* Præpoſitum Cl. Neoburgenſem, Pincernam *de Haubenſpach* (aliis *Habſpach*) & Dominum *Heinricum de Lichtenſtein*. Finem Legationis Scriptorum Veterum propè nullus aliter exprimit, niſi ut colligas, Principis duntaxat ex Miſnia obtinendi causâ eandem adornatum eſſe. Unus, quod ſciam, *Gerardus de Roo* Annal. Auſtr. p. 15. ſq. tradidit, Provinciales Auſtriacos *Theodorico* Miſniæ Marchioni Dominam *Margaretam* Nuptui collocare voluiſſe. Quod unde hauſerit, non dixit: neque, quod ipſe dixit, mihi placet, cùm nimis incongruum fuiſſet, Reginam noſtram ſuæ Sororis Filio conjungi. Aliter *Pernoldus* docet, miſſos in Miſniam ad Marchionem hos Nuncios *pro uno Filiorum Dominæ Conſtantiæ, qui ambos Ducatus pro Domina Margareta regendos ſuſciperet*, nimirum nunc quidem Adminiſtratorio Nomine, donec aliquando Materno ac proprio Jure ſuccederet.

Finis hujus Legationis.

V. A Stirienſibus verò, quibus *Ottocarus* non placuit, ad Bavariæ Ducem ſubmiſſum fuiſſe tradunt *Ditmarum Weiſſeneckium*: qui rogatu Ducis, inde rurſus Hungariam adiit, Regis animum exploraturus. Ubi accidit ei, quod aliis Legatis in Bohemia: ut nempe Stirienſibus *Stephanum* Regis *Belæ* Filium commendare ſuaderetur. Auro vim plurimam, qua ſemper fuit, in conciliandis Provincialium animis fuiſſe, *Pernoldus* noſter cæteris manifeſtiùs edicit, eâ tamen cautelâ tam apud Largientes, quàm Emtitios, pro more ſemper fallentis Mundi, adhibitâ, ut Mercimonium iſtud ſummæ Juſtitiæ ſpeciem præſeferret. Vendebatur Dña *Margareta*, ut unacum illa jus ejus emeretur. Neque tamen hæc aſtutia tam ſubtilis erat, quin eam Regina noſtra primis veſtigiis deprehenderet. Propterea *diu & graviter obſtitit*, fatente Scriptore noſtro, probè intelligens, non ſe ab *Ottocaro*, ſed Provinciam quæri, malè ſibi, ſed rectè, ominata ex Hymeneo, cujus faces non amor, ſed ambitio accenderet. Quæ cùm ita ſe haberent, plurimùm ſanè Lectores fefellit *Haſelbachius*, aiens de Regina iſta, hos in compedes per Provincialium avaritiam concluſa. „Quæ tandem à „ Secretariis ſuis perſuaſa, *licèt jam provectæ Ætatis Vetula* eſſet, „ & non in Matrimonio, ſed, ut alibi habetur, in Monaſterio „ dies

Auri vis apud Provinciales: quô vendebatur Domina *Margareta*, ut ejus Jus emeretur.

De conſenſu ejus falſa *Haſelbachii* traditio.

„ dies concludere ſibi conceſſos decreviſſet, aut, ut aliis viſum „ eſt, tacitè profeſſa, finaliter tamen conſenſit ad diſplicentiam „ plurimorum.„ Agebat eò temporis hæc Domina, nata IV. Id. Aprilis An. 1205. Annum Ætatis ſeptimum & quadrageſimum: quod ipſe *Haſelbachius*, modò Annum Nuptialem *Leopoldi* Ducis Parentis ejus, à ſe ipſo traditum, cum hoc præſenti conferre voluiſſet, facilè deprehendere poterat. Perperam igitur ei *Vetulæ*, vel, ut alii fecerant, *Anûs* nomen, quaſi per Contemtum impingebatur. Ne viduitatem omnem intra Monaſterii habitaculum exigere, minus Cœlibatum vovere, aut planè Religionem profiteri vellet, Authorem habuit *Innocentium* Papam: quod ſatis *Decade* priori oſtenſum fuit. Nuptiis *Ottocari* eam tandem conſenſiſſe, *precibûs & Conſilio Provincialium pro Bono publico cedentem*, mox infra ex *Pernoldo* audiemus. Unde profectò fluit, in Aſſerto *Haſelbachii* ferè tot falſa, quam verba occurrere. (†)

VI. Dominam *Gertrudem*, poſt alterius Mariti *Hermanni* Marchionis Badenſis obitum, in Auſtriam veniſſe, plerique Scriptorum ſimiliter referunt, nemine interim eorum, unde illa venerit, exſplicante. Singulare itaque eſt apud *Pernoldum* noſtrum, eam, cùm defungeretur *Hermannus*, propter tumultus in Auſtria, cum Filiolo (Friderico) fuiſſe in Miſnia apud Amitam ſuam Dominam *Conſtantiam*, ibique Puerperium Filiolæ egiſſe, i. e. *Agnetem* perperiſſe. Item, poſtquam inaudiiſſet, quæ *Ottocarus* moliretur, cito veniſſe in Auſtriam, quia ſperabat, inclinari à ſe poſſe Provinciales, in Filiolum ſuum: fruſtra tamen, cùm hic Infans eſſet, ac de Tutela ejus, quæ ſanè neceſſaria fuerat, nulla foret Conſenſio, inter acerrima *Belæ & Ottocari* prelia. Fortè, ac veroſimillimè abblandiebatur ſibi, Tutelam ſibi ipſi, adjuncto nonnullorum Procerum auxilio, committendam, ut imperii cupidiſſima fuit. Verumtamen, quod jam aliàs adverti, horrida pro Auſtria bella Virum Principem poſtulabant, qui egredi ante Patrias acies poſſet. Spe porro ſua deluſam hanc Dominam, tandem confugiſſe ad *Belam* Ungarum, ſuique potiùs, quàm Patriæ, rationem habuiſſe, Regis hujus patrocinium implorandô, & in eum jus Auſtriæ hæreditarium, quod ipſa ſibi confinxerat, transferendô: cæteri quoque Scriptores deteſtandô enarrârunt.

Dominæ *Gertrudis* vanus pro Filiolo conatus.

(†) *Horneckius* certè apud Cl. Pez. Cap. XX. poſt longam Orationem eorum, qui Reginæ novas Nuptias ægrè ſuadebant, ita ſubdidit:

Daz bewegt ir den Mut,
Sy ward ainvaltig und gut,
Daz Sy gehiezze gewern
Wez di Herren nicht wolden enpern.
Dez waz das Landtvolkch vil fro &c.

Conradus Rex contra votum Pontificis Siciliam obsequentem habet.

VII. IN Sicilia longè secus, atque voluerat *Innocentius* Papa, pertentata ab ipso alea cecidit. *Manfredus* etenim, *Friderici* defuncti Imperatoris Nothus, hoc Regnum ita continuit à defectione, ut illud Regi *Conrado* Fratri, hoc anno cum plurimo & lectissimo Milite ex Germania adventanti, totum ferè pacatum, compositúmque tradiderit, Neapoli duntaxat, Capua, atque Nuceria, paucísque aliis Locis, ejusdem Imperia adhucdum detrectantibûs. Hoc ipsum porro Pontifici, partium suarum solicito, vehementer persuasit, ut Regibus, ac Principibus exteris, in quacunque re id æquum esse arbitrabatur, tanto propensiùs faveret, eosdem hoc pacto sibi conciliaturus, & *Conradi* asseclas depressurus. Atque hujus Gratiæ Pontificiæ magna pars etiam ad *Ottocarum* derivata fuit. Pergit siquidem *Pernoldus* noster.

Pernoldi Narratio.

VIII. // Mcclij. Propter hoc *Otakarus* tantò magis pro Nu- // ptiis Dominæ *Margarethæ* institit. Quæ tandem precibus & // Consilio Provincialium pro Bono publico cedens, initio Fe- // bruarii consensit, si Dominus Papa impedimentum tollere // vellet Cognationis. Hoc valde perurgente *Otakaro*, venit // Legatus Pontificis cum his Pactis, Ut Pater *Otakari* Rex Bo- // hemiæ, & ipse, Ecclesiæ jurarent esse devoti, *Conrado* Suevo // non adhærerent, sed *Wilhelmum* Regem agnoscerent, & juva- // rent. Juramentum coram Legato, & Episcopis, & Clericis // factum est. Statímque Nuptiæ in Heimburch VI. Id^us^ Aprilis // celebratæ fuerunt. Tunc Domina *Margaretha* protulit Au- // reas Bullas *Friderici* Primi, & Secundi, Imperatorum de Insti- // tutione Austriæ in Ducatum, & Successione Senioris Filiæ Ul- // timi Ducis: & suum Jus *Otakaro* secum commune fecit coram // Provincialibus. Postea bellum cum Ungaro iterum factum, // qui in Austria terribiliter vastavit. Stiriam sibi pecuniis conci- // liavit pro Filio *Stephano*. Sed hanc Provinciam vastavit magna // parte *Philippus* Electus Salzburgensis. Domina verò *Gertrudis* // similiter festinavit cum Nuptiis, cùm ei *Bela* Rex Ungariæ Ma- // ritum procurâsset *Romanum*, quemdam Rusciæ Ducem: Cui // nupsit in Castro Hindperch, cum Conjuge dimissâ ad Juden- // burch Stiriæ, sperans, se à *Bela* Rege, postquam Austriam oc- // cupâsset, in ejus Ducatum instituendam: in quo valde delu- // sa fuit.

Otocari Nuptiæ cum D. *Margareta*, variis epochis consignatæ.

IX. Veniam impedimenti Cognationis *Ottocarum* inter ac Dominam *Margaretam* fecisse Pontificem per *Velascum*, Ordinis Minorum, Pœnitentiarium atque Nuncium suum, ad sequentem demum ANNUM commemorat *Raynaldus* p. 631. n. 30. subjungens Literas *Ottocari*, Papæ submissas, & subsignatas *in Chremis XV. Kal. Octob. Anno Domini MCCLIII.* Quibûs *Innocentio*

centio nunciavit, se jurejurando, tactis Sacrosanctis Evangeliis, in manu prædicti Nuncii, coram Episcopis, *Conrado* Frisingensi, *Alberto* Ratisbonensi, *Berchtoldo* Pataviensi, item *Friderico* Guardiano Minorum in Stein, & *Menbardo* Subpriore Prædicatorum in Chremis spopondisse, se cum omni facultate, pecuniis, & armis adstiturum Ecclesiæ, Regíque *Wilhelmo*, & ab hoc, quamprimum id opportunum fuerit, feuda recepturum. Chronicon quoque *Garstense* ad Ann. 1253. habet. „*Otakarus* Marchio „Moraviæ, jam venatus Nomen Ducis Austriæ, *Margaretham* „Viduam Regis *Heinrici*, Filiam Ducis *Leopoldi*, duxit Uxorem, „Nuptiis apud Heimburch solemniter celebratis, præsentibus „quatuor Episcopis, *Chunrado* Frisingensi, *Bertholdo* Pataviensi, „*Friderico* (corrige *Alberto*) tunc Ratisbonensi, & *Brunone* Olo-„mucensi, nec non omnibus Nobilibûs Austriæ & Stiriæ.„

X. Ego porro, Epocham quod attinet, horum duorum Scriptorum Auctoritate à *Pernoldo* nostro non discedo, has Nuptias in diem 8vam Aprilis Anni 1252. consignante, quæ erat Feria 2da post Dominicam in Albis, cùm eo Anno Pascha in diem 31. Martii inciderit. Transumtum Epistolæ *Ottocari* ad Pontificem, adductum à *Raynaldo*, in Epochæ transscriptione facilè uno numero eum fallere poterat, ut pro Anno Mcclij. legerit Mccliij. Apud Scriptores Veteres aliunde sexcentis exemplis patet, eos potiùs Rebus, quàm Annis ritè consignandis, industriam consecrâsse. Uti & has ipsas Nuptias meliora Chronica, *Mellicense*, *Salisburgense*, *Steronis*, alligant Anno 1252. *Australe*, *Neoburgense*, *Leobiense* ad Ann. 1251. enarrant: Anonymus *Zwetlensis* plané Ann. 1250. percenset. *Pernoldus* noster caussam festinationis disertè expressit, inquiens: *Propter hoc* (nimirum quia Domina *Gertrudis* Regi Ungaro Jus in Austriam, quod sibi imaginabatur, cessit, & Nuptiarum novarum promissum evicit) *Otakarus tantò magis pro Nuptiis Dominæ Margarethæ institit.* Clarissimis quoque Viris *Bobuslao Balbino*, itémque *Hansizio*, quibus exactus Chronologiæ calculus primæ quodammodo Curæ fuit, Annus 1252. his Nuptiis justissimus visus est. Et prior quidem in *Epitome Rer. Bohem.* p. 266. eisdem assignavit diem 11mam Februarii: quæ tamen de Sponsaliis duntaxat, non de Connubio accipienda, dicente *Pernoldo* nostro, Reginam nostram *initio Februarii consensisse.* Posterior *Metr. Laur.* p. 339. post adductum Chronographum *Garstensem*, qui Annum 1253. posuit, illico subdidit: „Tempus Nuptiarum Chronographi „cum *Sterone* plerique ad Annum 1252. conferunt, diem xi. Fe-„bruarii, teste *Balbino*: quod haud dubiè Rerum Ordini me-„liús respondet.

Sed anno præsenti omnino affigendæ.

XI. Probè porro observari, ac notari velim, tam *Pernoldi* nostri effatô, consensisse *Margaretam* Reginam, *si Domi-nus*

Pontifex in his Nuptiis Impe-

dimenti Cognationis veniam fecit.

nus Papa impedimentum Cognationis tollere vellet: quàm *Raynaldi* dilucido assertô, à Pontifice submissum esse Nuncium *Velascum*, ut *Ottocarum*, Dominæ *Margaretæ* nupturum, *quam tertio & quarto Consanguinitatis gradu attigerat, à Canonicis Legibus, quæ id vetabant, eximeret.* Nam & Regia Bohemica, & Austriaca Ducalis Propago, Augusto Suevico Sanguine, ab avis propinguioribus ducto, profluxerat, Beata *Agnete*, Conjuge S. *Leopoldi* Austriæ Marchionis, in suis Nepotibus natos Austriacos Duces, & nuptas Bohemiæ Reginas connumerante, è quibus alterutris *Ottocarus* & *Margareta* proximiùs descenderunt. Quare veniâ Apostolicâ impedimentum Consanguinitatis condonari omnino debuit: ac proinde falsi sunt undique Annales *Colmarienses* apud *Urstisium* Tom. II. p. 41. tradentes.

Nequaquam Voti Religiosi,

„Rex, (nempe *Ottocarus*) ter Dispensationem obtinuit à Papa, ut „Matrimonium contraheret cum Sorore *Margaretha*, Regina „quondam Teutoniæ, Moniali in Claustro Fratrum Prædicato„rum apud Trevirim. Paucis annis pòst per hanc Austriam „possedit.„ Quasi Pontificis indulgentia non tam cognati sanguinis obicem, quàm longè fortiorem Religiosæ Professionis pessulum removisset: uti luculentiùs adhuc Anonymus *Leobiensis* confinxit ajens ad Ann. 1251. de Domina *Margareta*: „Quæ post obitum sui prædicti Mariti in quodam Cœnobio Re„ligiosa fuit facta: sed nunc ex licentia Apostolici *Otakero* Bohe„mo tradebatur ad suscitandum Australibus hæredes.„ Hoc utroque impurissimo latice seducti multi, gravissimum in errorem, ampliùs à me posthac confutandum, præcipitati sunt. Transierunt jam illa tempora, quibûs facilè creditum fuit, Viros omnes, ac Fœminas Principes, quæ in Monasteriis nonnullo tempore habitârunt, Vota fecisse, & Regulares evasisse.

D. *Margareta* Successionis Jus Otocaro secum commune fecit, non in eum transtulit,

XII. Quod ulteriùs asseruit *Pernoldus* noster, peractis Nuptiis Reginam *protulisse Aureas Bullas Friderici Primi, & Secundi, Imperatorum, de Institutione Austriæ in Ducatum, & Successione Senioris Filiæ Ultimi Ducis: ac suum Jus Otakaro secum commune fecisse coram Provincialibus*: novum quidem non est, utpote plurium consensu stabilitum, modo tamen singulari expressum. Dum enim conceptis verbis commemoravit *Successionem Senioris Filiæ Ultimi Ducis*, cui nimirum imperanti Filia superstes erat, disertè Dominam *Gertrudem* exclusit, Patre, nato quidem, sed nunquam gubernante Duce, progenita. Dum ait, Novam Conjugem *Jus suum Ottocaro commune fecisse*, planè docere voluit, Jus Dominæ *Margarethæ* communicatum quidem *Ottocaro*, non planè in eum translatum fuisse: qui proinde, mox ut à Regina nostra se deinde divortio sejunxit, communioné pariter Juris se ipsum exspoliavit. Atque hoc sensu accipiendi Scriptores, quicunque idem, quod noster, formulis variis enarrârunt.

ſârunt. In quibus Chronographus *Garſtenſis*, percenſitis Regalibus Nuptiîs, quæ multis præſentibûs factæ, ita inquiebat. „Coram quibus ipſa Vidua *Privilegia Terræ Marito ſuo exhibuit, & Jus ſuum ſibi tribuit ſolemniter*, nemine penitus in „contarium allegante.„ Proſecutor Chronici *Martini Poloni* apud Jll. *Eccardum* Scriptor. Tom. II. col. 1421. retulit in hunc modum. „Poſt hæc *Ottocarus*, ut ſe fortiús in Domino robo„raret, *Margaretam* Reginam, Filiam *Liupoldi* Ducis Auſtriæ „in Uxorem accepit. *Quæ Nuptiis exactis Imperiale Privi„legium conſignavit Marito: per quod Jus plenum in omnibus Bo„nis Patrimonialibus ſe habere monſtrabat.* Quo valde gaviſus „*Otocarus*, omnia, quæ per ipſum geſta proſperè fuerant, Pa„tri ſuo per Literas & nuncios intimavit.„ *Ottocarus* quoque *Hornekius* Stiriæ Eques, horum temporum ſuppar, & Scriptor Chronicus vernaculo-Rythmicus, qui totius Interregni Auſtriaci Hiſtoriam, à morte Friderici Ducis usque ad Nuptias *Otocari*, apud Cl. *Hier. Pez.* Script. III. à cap. XI. ad XXII. multis centenis Rythmis vernaculis cecinerat, itémque *Jacobus Unreſtus* Carinthus in Chron. Auſtr. ſic conteſtati ſunt. „Die (nempe „*Margareta*) gab Im das Land (i. e. *Ottocaro*) und verveſt Im „das mit Guldein Handveſten vom Kayſer *Fridreich*.„ Simile quidquam de Domina *Gertrude* & *Hermanno* Badenſi nullibi legitur. Unde meritò arguas, quamvis nonnullorum Provincialium animos vis, & metus, ſpes quoque vaga, tandem & avaritia, aliquanto antea tempore diſtraxerint, communi tamen omnium recto internóque ſenſu, Jus Dominæ *Margaretæ* ſic agnitum fuiſſe, ut nulli obnoxium Exceptioni, quæ jure ſuffulta eſſet, videretur. Quocirca Privilegia *Fridericiana* Auguſta, vel Dominæ *Margarethæ* manibus conſtanter permiſſa, vel ſaltem, dum illa nuberet, è Scriniis publicis Provincialibus è veſtigio ultrò libentérque exhibita fuêre.

XIII. Cæterùm quo ex fonte profluxerit *Ottocari* Poteſtas, ipſemet confiteri non erubuit in Donatione, facta Eccleſiæ Friſingenſi An. 1254 uti lego *Hiſtor. Friſing.* Tom. II. Part. I. p. 41. In Diplomate námque ſuo, quod inchoat: *OTOKARUS Dei Gratia Dominus Regni Bohemiæ, Dux Auſtriæ & Stiriæ, Marchio Moraviæ*, ita pergit. „Notum ſit univerſis --- Quòd ex „Dominæ MARGARETÆ Dilectiſſimæ Uxoris noſtræ conſen„ſu, & bona Ipſius Voluntate plenariter accedente, ad inſtan„tiam & favorem dicti Friſingenſis Epiſcopi (Conradi I[mi]) --- „Univerſos Homines, cum eorum Hæredibus, quondam No„bilis Comitis *Albrechti de Weiſſelberch*, & qui Nobilis Viri di„cti *Preis* fuerunt, *qui nunc ad eandem Uxorem Noſtram, & ex „Illa ad nos titulo Donationis facta propter Nuptias devoluti* --- „Memoratæ Friſingenſi Eccleſiæ Nos, & eadem Uxor noſtra, „do-

Ipſe Ottocarus faſſus eſt, Poteſtatem ſuam eſſe ab Uxore.

, donamus liberè in perpetuum possidenda &c. Laudantur porro à Cl. *Meichelbeckio* Chronographo Frisingensi aliæ adhuc geminæ Chartæ, hanc eandem Donationem concernentes: quarum unam Regina sola suo unius nomine dederit, altera communi utriusque Auctoritate emanaverit, sic exordiens. *OTOKARUS Dei Gratia Dominus Regni Bohemiæ, Dux Austriæ & Stiriæ, & Marchio Moraviæ, pariter & Domina MARGARETHA Uxor sua, dilectis eorum fidelibus &c.*

Vastatio Ungarorum.

XIV. Fœdissimam Ungarorum Vastationem hoc Anno omnia Chronica deflent, neque Claustris Templisque immunibûs, rapinâ usque Tulnam prolatâ, nulliúsque sexus, vel ætatis discrimine habito. In Stiriam Anno jam superiore grassatus est *Philippus* Electus Salzburgensis, idem hoc Anno pertentans: donec in Carinthia hostes haberet Comites, Tirolensem & Goritiensem, quos tamen cum victoria repressit, Miles magis, quàm Præsul, & hunc propterea paulò pòst exuere compulsus. De Domina *Gerdrude* Anonymus *Leobiensis*, h.a. „ *Gerdrudis* Ducissa de Medlich duxit Maritum Regem Rusciæ in contumeliam „ Amitæ suæ Ducissæ Austriæ *Margaretæ*, quam duxit *Otakerus* „ Rex Bohemiæ.„ Item *Unrestus* apud *Habnium* Collect. Monument. I. p. 495. „ Wan Fraw *Gerdrud*, Frawn *Margarethn* „ Swester, (lege Mumme) gab den Kunig *Wela* iren Tayl an „ Landt Osterreich uber. Da gab Ir Kunig *Wela* zu der Ee des „ Kunigs Sun von Reussen.„ *Haselbachius* tandem, quamvis cum rerum temporúmque confusione, inquit. „ Concitatus „ *Bela*, adunato gravi exercitu octoginta millium armatorum, „ Viennam occupat, & igne vastat cuncta per gyrum. Ad quem „ etiam Domina *Gertrudis*, Ducis *Henrici* de Medling Filia, & „ Marchionis Badensis Relicta, nuncios transmisit, & Paternam „ sibi hæreditatem resignavit. Quæ sibi tertio Dominum *Romanum*, Filium Regis Rusciæ *Leonis*, sociavit in Conjugium in „ Oppido Hindperg: cui Portio in Stiria circa Judenburg fuit assignata, & Voigtberg.

Connubium tertium Dominæ *Gertrudis*.

Annus 1253.

Conradus Rex in Sicilia Victor perpetuus.

XV. *Conradus* Rex in Apulia, omníque Sicilia Victor, quoscunque renitentes acribus armis rapidóque triumpho edomuit, & in eos, qui Pontifici fidem servaverant, Clericos & Laicos, omni suppliciorum genere vindicavit. Impulit hæc res *Innocentium* Papam in ejusmodi Consilium, quod postea terribilibus factis occasio exstitit, quorum fama Orbem cum horrore implevit. Quia námque Siculum Regnum, tanquam fiduciarium Ecclesiæ, per se tueri nequivit, illud primùm quidem Cornubiæ Comiti *Richardo*, Regis Angliæ Fratri, obtulit, armis vindi-

vindicandum. Sed hoc abnuente, ad *Carolum* Comitem Andegavensem, S. *Ludovici* Franciæ Regis Fratrem, animum adjecit: si exercitum, debellandis hostibus parem, adducere, Regnúmque occupatum Clientelari obsequio à se suscipere, & adjecta plurima pacta spondere vellet, quibûs Ecclesiæ Jura sua in hoc Regno integra essent, & insuper ex eodem emolumenta congrua provenirent. Non respuit oblata *Carolus*, siculáque Coronâ labentibûs annis potitus est. Sed *Innocentii* vota, qui, statim *Conradum*, & residuam Suevorum Gentem Augustam opprimi voluit, ut Ecclesia, tirannide soluta, in pace respiraret, impleta non sunt. Sancto enim Rege *Ludovico* adhuc contra Saracenos in partibus transmarinis piè militante, non licuit Franciæ, Militem suum in Italiam educere, ne intestinis discordiis ipsa laceraretur.

Contra quem Papa hoc Regnum obtulit Carolo Andegavensi.

XVI. In Austria quid actum, *Pernoldus* ita denuo docet. // Mccliij. *Bela* populationem Austriæ facere perrexit, & Moraviam quoque vastavit auxilio Bawarorum, in Stiria etiam plurima occupans. Mense Septembri *Wencislaus* Bohemiæ Rex, & Novembri *Otto* Dux Bawariæ moriuntur. Tunc bellum abrumpitur. Domina *Gerdrudis* à Marito suo *Romano* gravida deseritur.// Testantur his omnibus etiam Chronica Patria: ad quæ proinde tutò remitterem, nisi Lectorem illâ molestiâ, quæ me fatigat, res nimirum tot locis dispersas cum labore exquirendi, levare constituissem. Audiamus ergo Chronicon *Mellicense* ad hunc annum. „Rex Ungariæ (ait) faventibûs, „atque opitulantibus sibi quibusdam Optimatibus Austriæ, ac „Stiriæ, Austriam atque Moraviam, rapina, igne, gladio devastat. Rex Bohemiæ moritur.„ *Salisburgense* infit. „Rex Ungariæ cum maximo exercitu tam Ungarorum, quàm Cumanorum, Moraviam intravit, ipsam, exceptis munitionibûs, penitus destruendô, & populum infinitum abducendô. „ Parum sanè Christiani Principis erat, cum barbaris ita rem agere, ut, præter provinciarum excidium, homines quoque in servitutem raperentur. Cautè repetitas has Vastationes *Bonfinius* tacuit, ut *Belæ* honoribus consuleret. Et cùm hic, concordi nostrorum testimonio, tam Austriæ, quàm Stiriæ inhiaverit, cuperet è converso Annalista ille Pannonius credi sibi, *Ottocarum*, Hungariæ funditus per Tartaros excisæ, & habitatoribûs vacuatæ, iniquo ambitu accensum, *Belæ* afflicto afflictionem addidisse. Sed è dictis multò veriùs elucet, *Belam*, abductis innumeris ex Austria, Moravia, Stiria captivis, novos Ungariæ suæ habitatores dedito studio conquisivisse.

Pernoldi Narratio.

Inhumana Ungarorum Grassatio.

XVII. *Henricum* Bavarum, *Ottonis* Ducis Filium, & *Belæ* Ungari Generum, cùm per Austriam, Ditionésque Salisburgen-

Quos Bavarus adjuvit.

burgenses, ac Carenthanas nequiret, per Alpes Noricas, lubente *Menhardo* Goritiensi Toparcha, auctum *Ezelini* Dynastæ Tarvisini Copiis, ad Socerum penetrâsse, fidámque illi operam præstitisse, amplissimè suis è Monumentis fatentur Scriptores Bavari, *Aventinus Adlzreiterus*, *Brunnerus*, cavillantes, quòd Boii hoc pacto in occasione captanda remissiores, alienæ potiùs, quàm suæ Magnitudini manus commodârint. Sed Marti per Mortem ferias indictas, & Bellum, nondum quidem compositum, abruptum tamen fuisse, rectè tradidit *Pernoldus* noster, Pace, sequenti demum anno, in conditiones certas confecta. Obiit enim *Wenceslaus* Bohemiæ Rex, uti computat *Balbinus* Epitom. Rer. Boh. p. 267. die 22.[da] Septembris: quod fatum compulit *Ottocarum* Filium, dimissis armis, in Regnum suum reverti, ut ibi turbas præverteret. *Ottoni* Bavariæ Duci *Aventinus* fatalem diem assignavit III. Kal. Decembris, i. e. Novembris diem 29.[nam]. Hujus verò morti à multis timetur: quia anathemate Pontificis defixus, insuper statim ab epulis ludísque genialiter actis, veluti momentô extinctus fuit. Hic acerbissimus luctus, extrema gaudii tam infeliciter occupans, etiam *Henricum* Filium è Castris Ungari celeriter avocavit.

Rex Bohemiæ, Dúxque Bavariæ moriuntur.

XVIII. Dominam *Gertrudem* à novo Conjuge suo magno contemtu desertam, Chronica, *Australe* ac *Neoburgense* disertè ad hunc Annum tradunt his verbis: „MCCLIII. Rex Rusciæ relicta Uxore rediit ad Terram suam.„ Confirmat hoc pariter *Hasselbachius*, more tamen suo pacem *Belæ* cum *Ottocaro* huic Desertioni conjungens, corrumpit epochas, & utrúmque factum, ultra debitum differt, dum res rebus prudenter conferre plerúmque neglexit, ajens. „Sed dum hoc intervallo „Pater *Ottokari* Regis Bohemiæ *Wenceslaus* vitæ suæ diem clau„sit extremum, & Patris sui Filius *Ottokarus* Exequiis inten„dere non posset; compositis treugis anno Domini 1255. in pa„cem reducti sunt ad tempus, & quilibet ad propria remeavit. „Cum *Bela* ergo Rege abiit *Romanus* nomine, Filius *Leonis* Re„gis Rusciæ, nec unquam ad Uxorem suam *Gertrudem* rediit, li„cèt illam imprægnatam reliquerit. Quæ postea enixa est Fi„liam, quam Duci *Stephano* de Zagrabia in Sclavonia, propriè „*Agram* dicta, sociavit in Conjugio. Alteram verò Filiam, quam „*Hermanno* Marchioni de Baaden genuerat, *Agnetem*, *Udalrico* „Duci Carinthiæ dedit in Uxorem. Ipsa quoque, malè respe„cta in Austria, tandem ad Judenburgam se convertit.„

Hinc Induciæ factæ.

XIX. Hac in Narratione ipsa certè causa treugarum, sive Pacem, sive Inducias hoc nomine intelligat, Epochæ illius obelum figit. Obiit enim Rex Bohemus Mense Septembri Anno 1253. & quomodo Justa ejus toto biennio dilata fuissent? A morte

Stiria *Belæ* concessa.

morte igitur illius illico Induciæ factæ, & in id conventum, ut *Bela* Stiriam, *Ottocarus* Austriam teneret: quod Anno altero solemni tractatu Pacis confirmatum. Liquere hoc potest vel ex ipsis Diplomatibus. Frisingensi quippe Ecclesiæ, ut est in Annal. II. p. 39. *Ottocarus* Chartam dedit *Wiennæ in Domo sua XIII. Kal. Februarii.* Item Cænobitis Monseensibus Benedictinis Austriæ Superioris, *in Chrembs IV. Non. Martii*, quam exhibet Cl. *Bern. Pez.* Cod. Dipl. Part. II. p. 101. n. 175. utrámque signatam An. 1253. & utrobique sic inchoavit: *Nos OTOKARUS Dei Gratia Dominus Regni Bohemiæ, Dux Austriæ, & Stiriæ, Marchio Moraviæ.* Contrà verò in Diplomate *Zwetlensibus* dato sub Autumnum, videlicet *In Castris ante Weickendorf duodecimo Kal. Octobris Anno Domini MCCLIII.* omissâ jam Stiriâ, sic exorsus est: *OTOKARUS Dei Gratia Dux Austriæ, & Marchio Moraviæ.* Vide Annal. *Zwetl.* I. p. 344. Videns itaque *Romanus*, ex pacto Induciarum Australes *Ottocaro*, & *Belæ* Stirienses devotos, sibi porro ac Conjugi jam neminem obsequi: cúm & ipse Dotem præ Uxore adamâsset, fugitivum pedem è vestigio impulit.

Annus 1254.

XX. **W**Ilhelmus Romanorum Rex Franciam quidem, absente *Ludovico* Sancto Rege, lacessivit: sed in Germania ejusdem Auctoritas ferè tota emarcuit. Contrà verò *Conradi* Potentia maxima sumsit incrementa. *Innocentius* Pontifex multa eidem crimina, & in his etiam hæresin objecit: sed Rege Oratores ad eum submittente, ad mitiora declinavit. Princeps tamen iste, maximè vegeta ætate, rebúsque egregiè florentibûs, mortem inopinam subivit, è Sicilia Germaniam petiturus. Cujus rei causâ *Manfredus* Frater ejus, sed Nothus, plurimam in suspicionem adductus fuit. Siciliæ Hæredem *Conradus* Filiolum suum *Conradinum* designavit: Papa verò interim Siciliæ & Neapolis dominium quasi postliminiò ad Ecclesiam reduxit, *Conradinum* Regni duntaxat Hierusalem, Suevicique Ducatus Dominum pronucians, jure tamen ad Siciliam non penitus excludens. Assentiri videbatur *Manfredus* Tarenti Princeps: clam tamen adversùm tamdiu moliebatur, usquedum viribûs auctus, Pontificii Exercitus Ducem *Ottonem* Marchionem, decumano prelio superatum, unacum Legato Apostolicò in fugam conjecerit. Qui ad *Innocentium* Papam Neapolim festinantes, eum ibidem, novo dolore suo, jam defunctum repererunt. Obiit enim die 7. Decembris, postquam Annos undecim, & Menses quinque ferè cum dimidio, infinitas inter turbas & acerbitates, Ecclesiæ Auctoritatem viribûs, quibûs poterat, omnibûs, propugnare studuisset. Successorem die 12. Decembris accepit *Raynaldum*, è Si-

Conradus Rex moritur.

Papa Siciliam ad se reducit:

Sed à Manfredo repellitur.

Innocentius Papa IV. obiit.

Successit Alexander IV

è Signiæ Comitibus, Episcopum Cardinalem Ostiensem, dictum *Alexandrum* IV.[tum], Coronatione ejus in diem 22[dam] ejusdem Mensis dilata. *Raynald.* in fine Tomi XIII[tii] *Franc. Pagi* Breviar. Crit. Part. III. p. 280. sq.

Pax Ottocari cum Bela.

XXI. In Patriæ Rebus brevissimus *Pernoldus* noster hoc solùm dicit. // Mccliv. Inter *Belam* & *Otakarum* Regem fit Pax: // & *Bela* totam Stiriam, usque ad partem proximam Austriæ, // & Montem Semhring obtinuit. // Chronicon *Cl. Neoburgense* sub Epocha Anni 1253. post alia erroneè prosequitur. „*Bela* „ Rex Ungariæ, & *Otakarus* Dux Austriæ reconciliantur in Po„ sonio post Pascha.„ Nam Chronica *Australis*, cujus phrasis cum *Neoburgensi* Peziano in plerisque omnibus plane eadem est, rectè præponit huic paragrapho Annum Mccliv. ac voces postremas *post Pascha* anteposito punctô separat, cum attineant ad paragraphum sequentem, sicque legendum sit. Post Pascha„ „ *Conradus* Rex Filius Imperatoris obiit.„ sic errores Librariorum, Historiæ, Chronologiæ, fideíque Scriptorum incommodant.

Quæ ejus causa?

Inducias duntaxat Anno priori pactus est *Ottocarus*, nunciata sibi morte Patris, ejúsque Rei gravissimas causas habuit. Anterioribûs etenim Annîs acerrima cum Patre simultate collisus, Proceribûs, uti solet, inter utrúmque divisîs, Oppida plura & Castra occupaverat: quibus deinde, Filiô ad officium redactô, & ea tradere coactô, Rex Parens partium suarum Præfectos imposuerat. Quare, ne, *Wenceslao* defunctô, horum Castrorum factiosi Præsides *Ottocaro* in adeundo Regno negotium facesserent, Regis Obitus solicito Consilio tamdiu celatus fuit, donec Filius ex Moravia, ubi cum Ungaris pugnaverat, festinè redux, Pragæ convocatos Proceres, qui dicto ejus audientes erant, in fidem recepisset, obnitentes custodiæ tradidisset, teste horum omnium *Balbino* in Epit. Rer. Boh. p. 268.

Pacta illius.

XXII. Concordia itaque cum Ungaris hoc demum Anno integrè sancita est, uti rectè notavit *Pernoldus* noster, assentiente Chronico *Mellicensi* ad h. a. his verbis. „*Ottakkero* Filio Regis „ Bohemorum Austriam & Stiriam nomine Dotis obtinente, „ pluribûs ac Majoribus de Stiria rebellantibûs, immo Regi Un„ gariæ faventibûs, inter ipsum Regem & *Ottakkerum*, post mul„ tas & graves bellorum tempestates, amicabilis compositio in„ tercessit tali pacto; quòd partem Stiriæ, videlicèt à Monte, „ qui dicitur Semtririch (Semmering) donec per Montana in „ Agmunt (Admunt) veniatur, relinquat Regis dominio, & „ hoc, secundum quod Aquæ pluviales distinquunt decurrentes.„ Addunt alii hoc pariter cautum, quod quidem aliunde involvitur, ne *Ottocarus* elogio Stiriæ Ducis uteretur. Confirmat hoc pariter Chronicon *Augustanum*, quod alii *Steronis* dicunt, hoc eodem Anno sic referens. „*Bela* Rex Ungarorum, qui jam

„ plus

„ plus, quàm per biennium Austriam, & Stiriam, & Moraviam „ vastaverat, multis millibus hominum interfectis, & in captivitatem abductis, concordiam facit cum *Otakero* Duce, „ accipiens Ducatum Stiriæ, suæque potestati subjiciens ipsam „ Terram. Ipse autem *Otakerus* Dux in tribus suis Principatibus, videlicet Bohemia, Moravia, Austria, tanquam Princeps „ omni probitate præclarus, inopinatam & optimam pacem facit: vadens in hyeme subsequenti in Prussiam Cruce signatus, „ & magnam partem ipsius Terræ Cultui subdidit Christiano. „ Cui postremo Asserto *Balbinus* unde suprà p. 272. addidit ex Chronico *Francisci* Canonici Pragensis, Ingentem Nobilitatis Bohemicæ, Moravicæ, & Austriacæ numerum hoc ad Bellum Sacrum cum Rege profectum fuisse, Marchionis quoque Brandenburgici exercitu conjuncto: quorum communibus armis, & virtute, non vulgariter de hostibus triumphatum.

Ottocarus Cruce signatus in Prussiam duxit.

XXIII. Pataviæ primis mensibus Anni hujus decessisse traditur *Berchtoldus* Episcopus: cujus famam, non paucis criminibus apud nonnullos Scriptores laborantem, Cl. *Hansizius* vindicare connisus est Metr. Laur. p. 394. sq. Cætera inter dicteriorum Capita hoc etiam ponitur: Eum *Ottocaro* Feuda utriúsque Ducatus, Austriæ videlicet & Stiriæ, quibûs infeudari eorum Princeps á Pataviensi Episcopo consueverat, cum Advocatiis multorum Monasteriorum, & duodecim Parochialibus Ecclesiis, quatuor millibus marcharum argenti vendidisse: Sedisse putatur annis tribus, mensibus propè octo, melior initio, quàm fine. Successit *Otto de Lonsdorf*, elogia summa promeritus, statímque in Austriam, visitandi verosimillimè causâ, ut auguratur Cl. *Hansizius*, descendit, Literis ejus testibûs, quas *in S. Hippolyto dedit A. 1254. Indict. XII. VII. Kal. Novembris.* Idem quoque subdit, velificatum indubiè Zelo Novi Præsulis fuisse *Ottocarum* Probitate sua, suprà per *Steronem* laudatâ. Cui ego non immeritò addendum existimo, percommodam pariter Episcopo fuisse Probitatem Reginæ *Margaretæ*: quæ pietatem, & amorem in Clerum, atque Ecclesias, à Serenissimo Duce *Leopoldo* Patre suo utique cum lacte haustam, citra dubium etiam Conjugi Regi frequenter persuasit, quamdiu affectum illius possedit. Expertus id consimiliter fuit hoc Anno *Conradus* I. Episcopus Frisingensis illa Donatione, quam eidem Prid. Kal. Aprilis fecêre *Ottocarus* & *Margareta*, tam communibus, quàm singularibûs utriúsque Literis, à me ex *Histor. Frising.* jam suprà ad An. 1252. allegatis, *In Recompensationem*, ut ajunt, *damnorum, quæ per cædem, incendium, & rapinam, prælibatum Dominum ejusdem Ecclesiæ Episcopum in suis prædiis & hominibus propter Nos à Rege Hungariæ recognoscimus recepisse.*

Berchtoldus Episc. Patav. obiit.

Successit *Otto*.

Ottocari & *Margaretæ* Pietas in Ecclesias.

Annus 1255.

Wilbelmi Regis acta. XXIV. **W**Ilhelmus Romanorum Rex ad Coronam Romanam à Papa vocatus, Italiam explorare priùs voluit, quàm se eidem palam committere, in qua tot Augusti in summa discrimina conjecti sunt. Quare privatus illuc se contulit, didicítque, *Manfredum* Siciliam omnem, ejecto Pontificis exercitu, suam in potestatem redegisse. Neque ignoravit, *Alexandrum* Papam IV. hoc Regnum *Edmundo*, Regio Angliæ Principi adhuc Puero, Feudi Ecclesiastici nomine detulisse, cum plurimis pactis, quorum primum erat, ut Angliæ Rex, morâ nullâ interpositâ, Siciliam è potestate *Manfredi* eliberaret: qua quidem in spe Pontifex iterum frustra fuit. *Wilbelmus* Hollandus Rex, cui prædicta neque grata, neque commoda visa sunt, ex Italis reversus, domi Frisones rebelles invênit, ac prelio uno alteróque felici ad officium redegit. Papa verò prospero *Ottocari* Regis contra Prutenos progressu, eventúque lætatus est. *Raynald. Tom. XIV. b. a. p.* 2. 4. 12.

Papa Siciliam Anglis defert.

Austriam pax recreat, sed fames affligit. XXV. Apud *Pernoldum* nostrum ad Annum præsentem hoc unicum lego. // Mcclv. Austria per Pacem aliquatenus respi- // rare incepit: sed frugum sterilitate afflicta fuit. // Primo consonare videtur illud *Bernardi Norici* Cremifanensis in Brevi Chron. Austr. apud Cl. *Hier. Pez.* I. 687. enarrata pace *Ottocari* cum *Bela* Rege, subdentis. „Ex tunc, Gratia divina do- „nante, ac probitate dicti Domini faciente, Pax ibidem aliquan- „tò renovatur.„ De Sterilitate refert Chronicon *Mellicense* in hunc modum. „Hoc anno tanta fuit aeris inclementia, ac ter- „ra siccitate depressa, ut nec agri segetes, nec uvas Vineta, nec „arbores fructus redderent suis cultoribus, in tantum, ut divites „cum pauperibus famis inediam angustiati sustinerent.

Annus 1256.

Wilbelmus Rex occisus est. XXVI. **F**Atalis hic Annus *Wilbelmo* Romanorum Regi, virilem ætatem necdum assecuto, cum fine primi Mensis evasit. Dum enim, ducto contra Frisones exercitu, paludem glacie obductam exploraret, hac resoluta, unacum sonipede loricato, repentè luto immersus, ab hostibus, post arida arbusta eidem insidiantibus, vitæ gratiam nullis precibus, promissis, ac conditionibus consecutus, telîs viritim emissis miserrimè interiit. Qui casus Pontifici summo quoque dolori fuit, anxiè Principes novam ad Electionem adhortanti. Verumtamen integer hic Annus infecto negtio effluxit, egregia multorum commoditate, Jura Patriæ domesticâ licentiâ convellendi. *Raynald. b. a.* Eodem primo Anni Mense XV. Cal. Februarii, ut habet *Aventinus* Annal. Libr. VII. cap. 7. n. 6. p. m. 664. *Ludovicus Severus*, Comes Palati-

nus

nus Rheni, & Superioris Bavariæ Dux, *Mariam* Brabantinam priorem Conjugem ſuam, Mulierem clariſſimam, levi ſuſpicione, ex ejus Literis, per errorem ſibi traditis, hauſta, decolari præcepit, aliis ejus familiaribus acerbiori morte de medio ſublatis. Sed paulò pòſt, compertâ Uxoris innocentiâ, præceps factum ſuum ita doluit, ut annos ætatis non niſi ſeptem & viginti numerans, una tamen nocte toto Capite incaneſceret. Expiandi criminis pœnam à Pontifice dictari ſibi flagitans, juſſus eſt Carthuſianis Cœnobium condere. Sed cùm ea Religio ſacra per Bavariam ævo illo necdum cognita eſſet, Fundatio Ciſtercienſibus facta eſt, non longè Monachio, dictúsque Locus *Campus Principum*, vulgò *Fürſtenfeld*, cæptus ſub Annum 1262. *Ludovico* autem ex hoc facto *Severi* Cognomen per omne ævum adhæſit.

Ludovici Severi Electoris Palatini præceps facinus in Uxorem.

XXVII. *Ottocaro* novi Belli occaſionem præbuit *Philippus* Electus Archiepiſcopus, vel potiùs, ut eum Pontifex recognovit, Procurator Archiepiſcopatus Salisburgenſis: qui jam propè decennio integro ſedem illam, absque ſacris omnibus Ordinibus, occupavit, ea de cauſa omiſſis, quòd eſſet Frater *Ulrici* Carinthiæ Ducis, Filio carentis, ac proinde ſpem Ducatus, poſt Fratrem ineundi, retineret. Spei moras attemperavit, Poteſtate ſua merè ſeculariter, támque liberè uſus, ut, quibus vellet è ſubditis, clemens eſſet, & largus, aliis contrà durus & aſper, lege omni inſuper habita. Redituum tam intemperans erat, ut bella pro libitu gereret; pacis verò tempore, Caſtra, & aciem, publico torneamentorum ludo ſimularet. Mirabilis hæc Antiſtitis Vita Salisburgo, Sanctiſſimorum Archipræſulum exemplis aſſueto, Scena tam turpis eſt viſa, quam pati non poſſent, Summíque eapropter Pontificis curam implorarent. Commodum erat, *Alexandrum* IV. Papam mox initio Pontificatus Epiſcopis omnibus, adhuc Ordinum defectu Laicis, indixiſſe, ut intra Anni unius decurſum ad ſui Conſecrationem procederent, Sede alioquin, & Gradu movendi. Hanc fabam in ſe quoque cuſam facilè auguratus *Philippus*, Mandato quidem non obaudiit: adverſus tamen Æmulum futurum munitiones Caſtrorum pro Receptu, Milites pro acie, Fœdera pro ſuppetiis paravit. Quocirca hoc Anno Wiennam accedens, *Ottocarum* quibuscunque demum ſpebûs, pactis, promiſſis inductum, in belli ſocietatem, præcipuè adverſus Bavariæ Ducem, quem ſibi hoſtem futurum facilè prænoverat, & Regi propter auxilia antehac Ungaris præbita, non plenè reconciliatum, multis conatibus conduxit. Hinc in Diplomate Regio Mellicenſibus dato *Wiennæ per Manus Protonotariorum ſuorum Magiſtri Wilhelmi Plebani de Buzbach, & Magiſtri Arnoldi Plebani de Hollabrunne Anno Domini MCCLVI. IV. Idus Decembris*, ante omnes alios Teſtes legitur *Philippus Venerabilis*

Ottocarus à Philippo Electo Salisburgenſi in fœdus ac bellum pertrahitur.

 Archi-

Archiepiscopus Salisburgensis, invicto suæ præsentiæ apud Regem testimoniô. Videantur Cl. *Hansizius* Metrop. Sal. p. 349. Item Cl. *Hueberus* Melliceñ. in Austr. p. 21. n. 6. Arma altero ANNO educta fuêre.

Idem Rex fidem Conjugii fallit.

XXVIII. Interim Regi *Pernoldus* noster aliud aliquid hoc brevi paragrapho exponit. // Mcclvj. *Otakarus* ex Domina // *Margaretha* nullam prolem obtinens, violata fide Conjugii, // post carnem alteram abire cœpit cum pudore suo, & maxi- // mo dolore Reginæ. // Cl. *Balbinus* in Epit. p. 273. ad annum 1257. pellicem, sive *Amasiam*, ut ille loquitur, *Premizlai Ottocari* Regis, è qua Proles quatuor suscepit, appellat Sororem *Alberonis* & *Henrici* Chunringiorum, cui, juxta Tabulam Stemmatologicam Zwetlensem, quæ Tom. I. Annal. ad pag. 342. adjecta est, Nomen *Gislæ* fuit, postea nuptæ *Schetsboni de Willitschin* in Budwayss L. Baroni. Ampliùs huic rei, quam honestiorem vellem, sua Veritas constabit, dum infra audiemus, *Ottocarum* his Nothis à Pontifice veniam Natalium contentiosis precibus exorâsse. Piget verò, aut magis pudet, fœdissimum *Dubravii* Commentum hìc multis referre, atque refellere, quo Historiam suam Bohemicam Libr. XVII. p. m. 139. inquinavit, tradere non erubescens: Postulâsse *Ottocarum* à Regina Conjuge usum pellicis, & ipsam admisisse, immo tradidisse eidem Puellam quamdam Nobilem Gynecei sui ex Austriaco Genere, periculi faciundi causâ, utra ex parte defectus prolium contingeret. Quàm rectè hæc legerit, ubicunque legit *Dubravius*, illicò prodit, subdens. „Cæterùm statim post datum fœcun- „ditatis specimen Divortium cum *Margaretha* Uxore fecit --- „quartóque demum ANNO *Kunigunde* legitima Uxore rursus su- „perducta.„ Quòd egregiè contra omnium Chronicorum fidem est, unanimi consensu asserentium, eodem ANNO, quo Divortium, alterum quoque Connubium evenisse, ut suo loco docebitur. Interim *Balbinus* quoque ab hac fabula, ex Chron. *Francisci* Canon. Pragensi adducta, sibi cavere oblitus est, manifesto documento, Bohemicos quoque Scriptores, more cæterorum, se invicem facili fide exscripsisse, suisque Regibus demerendis calamum consecrâsse. Probo testium numerum, & Patrium affectum: si audita & altera parte, causáque maturè discussâ, eadem gravibûs rationum ponderibûs uni sic addicatur, ut alteri nulla injuria fiat. Usum pellicis permittere crimen est in Sacramentum, piaculum in publicam Honestatem: quod sanè nemini famâ publicâ, nisi gravissima evicerint argumenta, citra crimen æque grave impingere licet. Teste *Pernoldo* nostro, *Ottocarus* violata fide Conjugii post carnem alteram abire cæpit cum pudore suo, *& maximo dolore Reginæ*. Quomodo cum dolore, sic hoc ipsum voluerit Regina, & ipsa pellicem

Regina defenditur à consensu criminis.

licem obtulerit? Hoc itaque turpe commentum cæteris de Regina nostra jactatis mendaciis, jam à me retectis, & adhuc retegendis addatur.

Annus 1257.

XXIX. STerone referente. , Principes Regni, pro eligendo , Rege jam diu habitis diversis Conventibûs, tandem , definitum Electionis diem in Octava Epiphaniæ statuunt, in , Franckenfurt celebrandum. Ubi dum quidam convenissent, , Moguntinus, Coloniensis Archiepiscopus, & *Ludwicus* Comes , Palatinus Rheni, ac Frater suus Dominus *Heinricus* Dux Ba-, variæ, in *Richardum* Fratrem Regis Angliæ convenerunt, & , Electus ab ipsis subsequenter in die Ascensionis Domini apud , Aquisgranum in Regem ungitur, & potenter in Regni solio , collocatur. Dominus autem Trevirensis Episcopus cum aliis , quibusdam Principibus consentire nolens Electioni prædictæ, , in media Quadragesima, fretus Literis & auctoritate Regis , Bohemiæ, Ducis Saxoniæ, Marchionum de Brandenburch, & , multorum Principum, elegit Dominum *Alphonsum* Regem Hi-, spaniæ: qui Electioni de se factæ consensit, persuasus à Regibus, , & Principibus, & Amicis. , Ita *Stero*, vel Chronicon Augustanum h. a.

Discors Richardi Angli, & Alphonsi Aragonii in Reges Romanorum Electio.

XXX. Peregrina fuit hæc Electio, præterque morem omnem: quia postpositis omnibus Patriis Principibûs, inaudito antea Consilio, Sceptrum Imperii Romani Exteris delatum est. Fuit etiam inauspicata, quia discors, turbísque pariendis copiam fecit. Sed neque Pontifici *Alexandro* IV. grata exstitit, in dubium conjecto, quò se verteret, uti aliquando saltem facere necesse foret, licèt initiò, utróque Electo Confirmationem suam petente, sententiam arduitatis causa suspenderit. Præterquam, quòd eum summopere affligeret cassa jam spes, fore, ut per Angliæ Regem Sicilia potestate *Manfredi* eximeretur. Facilè quippe conjectu erat, eundem Regem eò potiùs vires collaturum, ut Fratri *Richardo* Germaniæ Regnum assereret. Quid verò Principes? Quousque *Richardus* thesauris opibúsque valebat, splendidâ eum pompâ per Urbes Imperii circumduxerunt: languente jam Copiæ Cornu relictum, coëgerunt ad reditum, cupidine nova in *Alphonsi* Hispani divitias, postea pariter effundendas, porrecta, donec & ipse largiendô deficeret: interim, nullo subjurium vindice, securè, quod libêret, acturi. Sic Corpus interitum spectat, ubi Membris imperium Capitis deest.

Tam sine commodo, quàm sine exemplo.

XXXI. *Pernoldus* noster denuo brevis admodum, hoc unum conqueritur. // Mcclvij. *Otakarus* malam causam *Philippi* Electi Salzeburgensis, amore Karintiæ obtinendæ, contra Bawa- // ros

Contra Philippum Salisburgi eligitur Udalricus Ar-

chiepiscopus: // ros infeliciter propugnare cæpit, & cladem turpem pertulit. // *Philippo* Salisburgensi Ordinum susceptionem constanter negligente, Papa tandem *Alexander* novam à Capitulo Electionem fieri, Laicóque Principi verum Præsulem sacrum æquis votis, ut par erat, substitui demandavit. Placuit compromissi via, Canonicis Nominationem novi Archipræsulis *Henrico* præcipuè Chiemensi Episcopo committentibûs: qui cum aliis tribus ad hunc Actum sibi aggregatis, *Ulricum* Episcopum Seccoviensem, quantumlibet reluctantem, ad Sedem Metropolitanam, gratulantibûs omnibus postulavit. Pondus postulantium precibus addidit *Stephanus*, Regis Ungariæ Filius, eóque temporis per pacta pacis in Stiria, ubi Seccovium est, à Patre *Bela* Rege Dux institutus: qui, cùm *Philippum* turbatæ Stiriæ causâ aliunde odisset. *Ulrico* tantò promtiùs opem spopondit. *Philippus* verò, intellectô Æmulo suô, omnia permiscebat auxiliaribûs *Ottocari* copiis, cui, ut habet *Pernoldus* noster, Carinthiæ sibi promissæ amor insederat. Bona, ac ditiones Canonicorum, Episcopique Chiemensis, rapina, & igne pessumdedit, Nobiles & ignobiles pariter impariter persecutus, & postquam eapropter Diris Pontificiis ictus fuit, tantò implacabiliùs inhorrescens. Cl. *Hansiz.* è *Chronicis Veterib. Metr. Salisb. p.* 349. *sqq.*

In quem prior armis ulciscitur.

Salisburgenses juvit *Henricus* Bavariæ Dux:

XXXII. Salisburgensibus opitulabatur *Henricus*, inferioris Bavariæ Dux; contra quem causæ malæ, ut rectè ait *Pernoldus*, Propugnator *Ottocarus* florentem exercitum duxit, in quo Nobilium plurimi ac præcipui, antè vastans, quàm adesse, & hostem agere nosceretur. Pataviam transiens, nemine obnitente, populandô Landshutum usque pertigit, ubi *Henricus* Dux residebat. Sed ibi fortuna iniqua adhæsit. Fratri enim *Ludovicus* Palatinus, Bavariæ superioris Dux, auxilia subita tulit: quibus hic militem suum conjungens, & in hostes egressus, ita *Ottocarum* terruit, ut, Religione prætenta, pro sequenti S. Bartolomei festiva die inducias consecutus, nocte Mülldorffium versus cum Primoribus fugam arriperet. Exercitus exemplum Regis imitatus, & ipse profugus ibat. Cùm verò ad pontem, qui supra Oenum duceret, perventum, fortissimæ Cohortes adversus Bojos constitêre, donec cæteri flumen superarent. Sed pons, multitudine festinantium confractus, miseros in aquas excussit: unde ab hostibus exire non permissi, sed lanceis, telis, ensibus ex litore repulsi, cum aqua, sanguine mixta, lethum hauserunt. Qui adhuc ante pontem steterant, præcipitem receptum in Oppido Mülldorf Salisburgensis ditionis quæsiverunt. Ex his tamen à Boiis in suburbio deprehensi, succensis domibûs, duriore fato vivi cremati sunt: qui se Urbe concluserant, deditionem brevem, nulla conditione, facere compulsi, & vinculis omnes excepti. Longum captorum Catalogum, ex Bohemica

Adversus quem *Ottocarus* duxit,

Clade turpi multatus.

&

& Austriaca Nobilitate, *Stero* in Annalibus descripsit, addens, Generositate Ducis Victoris cunctos, hoc tamen pacto, dimissos, ut apud *Ottocarum* pacem, congruis legibûs firmatam, procurarent, secus in compedes reverterentur. Meritò itaque *Pernoldus* noster *Ottocarum*, rebûs ita se habentibûs, *turpem cladem pertulisse* scribebat.

Annus 1258.

XXXIII. ÆMulabantur ambo Reges Germaniæ, non Germani, electi, de Imperio, attamen sine armis, petebátque *Alfonsus* à Pontifice Confirmationem. Qui reposuit: Curaret, ut omnes in se Principes consentirent, neutiquam tunc Ecclesiam eidem ope, & Auctoritate sua defuturam. Magis interim Papa in *Richardum* Anglum inclinabat, à quo commoda majora, Siciliæ causâ, exspectaverat, inscius futurorum, fore nimirum aliquando, ut Regnum istud Aragonicæ potestatis evaderet. Hoc porro nunc quidem totum & integrum, ne una quidem Arce excepta, *Manfredus* pro *Conradino*, uti ajebat, obtinuit. Tum verò dolo suo in omni Sicilia famam sparsit, decessisse *Conradinum*, aut saltem fatali morbo laborare, tantam commento huic fidem faciens, ut, inquirendæ veritatis causâ, Regni nomine, Legati in Germaniam submitterentur. Atque per hos *Manfredus* Munerum locò fructus, alioquin saluberrimos, sed veneno infectos, juveni Principi submisit. Præmonita verò ab amicis Regia Mater, ante Legatos puerum alium in locum *Conradini* statuebat, comestis è frugibûs, inutili qualibet Medica Arte, pòst paulò extinctum. Hi proinde, fraudem Patrui fraude Materna elusam ignorantes, toti Siciliæ *Conradini* mortem, quasi oculis haustam, certissimè, nunciârunt. Quo pacto, quod volebat *Manfredus*, omne Regnum, quod suo periculo vindicaverat, sibi supplex, atque deditum accepit, ejusdem Coronâ hilariter sibi impositâ. Romæ quoque Anno priori seditionem subornavit: quam propter *Alexander* Papa primùm Viterbium, tandem Anagniam fugere coactus, postremò, cùm hostes & hanc, quæ sibi Patria erat, evertere vellent, ad conditiones quoque cum eis descendere compulsus est. *Alfonsus* Castiliensis, electus Romanorum Rex, ingenti Armorum Apparatu Imperium sibi à *Richardo* vindicare jamjam aggressus erat: sed Mauris Cordubam infestantibûs, in illos iter, & arma vertere compellebatur. Ampliùs hæc omnia enarrat, & firmat *Raynaldus XIV. p.* 37. & 39.

Alfonsus Castiliensis electus Romanorum Rex Confirmationem Papæ non obtinet.

Manfredus occupatâ Siciliâ, ejus Coronam fraude sibi imponit.

Italiam turbans Papam fugere, immo pacisci compulit.

XXXIV. *Pernoldus* noster hoc anno sic refert. // Mcclviij, // Stiriensium conspirationes contra ducem suum *Stephanum* // Ungarum occultè fovens *Otakarus*, & non desinens *Philippum* // juvare, contra quem *Bela* erat, futuri belli semina jecit, Sed ne-

// neque cessavit, Dominæ *Margarethæ* thorum violare, tertiâ // jam prole illegitima procreata. // Adversus *Philippum* Salisburgensem, jam gradu dejectum, institutus novus Archipræsul *Ulricus*, hortante Pontifice, imploravit Regem Hungariæ. Hic porro Stiriæ Nobilibus plurimùm indignabatur, & maximè *Hartnido* Pettoviæ Comiti, quod Oppidum Salisburgo devotum est. Aspernati enim Stiri Præfectum suum Comitem Zagrabiensem, qui nomine *Stephani* Ducis, Filii *Belæ* Regis, Provinciam duriter administrabat, & querulantibus identidem respondit, meminerint, se emtitios esse, proinde & Servos, eum aliquando, Castrum Merenberg obsidentem, adorti, ita premebant, ut fugâ ægrè ad Regem suum elaberetur. Iratus *Bela* cum Filio, ultionem illicò parabant, *Stephanúsque* Filius Oppidum Pettau milite multo gravissimè infestavit. Advênit inter hæc, Româ redux, novus Archiepiscopus Salisburgensis *Ulricus*, commendationem Pontificis Regio Ungariæ Principi exhibiturus, suique defensionem, & Oppidi liberationem exoraturus. Et auxilium quidem *Stephanus* non detrectavit: Oppidi verò causâ, quidquid Antistes deprecaretur, aliud nihil obtinuit, nisi, ut culpa Pettoviensis Comitis tribus marcarum millibûs dilueretur, interea verò Oppidum pignoris locò Duci cederet, Regique Patri, restituendum Salisburgo, mulctâ exsolutâ. Hæc erant semina, & præludia secuturi pro Stiria Belli: cùm Ungaros minimè fugeret, sub hac seditione latere *Ottocarum*, neque hoc ausuram Provinciam, nisi Regia pollicitatione sustentaretur. Idque tantò magis, quia Bohemi, quamvis Carenthanorum nomine latere vellent, *Philippo* perpetua subsidia ferebant. Firmavit metum, quòd *Stephanus* ipse Dux, per se Stiriam gubernaturus, atque Pettoviæ residens, adeò quietem reducere nequiverit, ut Stirienses apertam potiùs defectionem ab Ungaris fatentes, jam veluti palàm *Ottocarum* implorarent. Hic verò callidè, dum occulta Consilia daret, manifesta tamen auxilia anno uno ac altero distulit, quasi qui pacem infringere neque vellet, neque posset. Ita ex *Horneckio*, aliisque, Clarissimi Patres, *Hansiz.* Metr. Salisb. p. 354. & *Schezius* Histor. Ducum Stir. p. 90. Violatam ab *Ottocaro* thori Conjugalis fidem, plusquam satis, antea audivimus.

Stiriensium Seditio contra Ungaros, quam *Ottocarus* fovit.

Annus 1259.

XXXV. REgia *Conradini* Suevi Mater *Elisabeta*, Filia *Ottonis* Bavariæ Ducis, hortantibus Fratribûs Bojis, Nepotuli tutelam gerentibûs, postquam intellexit, *Manfredum* Coronam Regni Siciliæ usurpare, Abbatem quemdam, canitie & Auctoritate magnopere spectabilem, ad Siculos ablegâsse traditur. Qui studiosè captata occasione, in publicis Regni, Comitiis

Conradini Mater pro Filio Regnum Siciliæ à *Manfredo* repetiit.

mitiis coram Proceribus, ipsóque *Manfredo* præsidente, intrepidè palámque vulgavit, *Conradinum* legitimum Regni Hæredem vivere, ac petere, ut, relicto Patruo, debita Clientelæ professione, ab Optimatibus omnibus tanquam Rex proclametur. Stupefactus ad hæc *Manfredus* reposuit, Siciliam suis armis à Pontifice vindicatam, jure Belli nunc suam esse, qua, dum viveret, abscessurus non sit: à morte verò sua, ut *Conradinus* regnare possit, se nequaquam abnuere. Abbatem porro in itinere capi, & interfici jussit. *Alexander* Papa eum pro Usurpatione Siculæ Coronæ anathemate feriit. Ambo æmuli Germaniæ Reges hoc anno nihil invicem molestiæ intulerunt. Tartari verò *Belæ* Ungariæ Regi denuo nunciârunt, vel cum ipsis fœdus adversus Christianos pacisceretur, vel Regni sui novum excidium exspectaret. Quod ille Pontifici conquestus, promissum retulit Crucis in barbaros prædicandæ, quamprimum de eorum progressu, & invasione, fama certior insonaret. Hæc singula iterum uberrimè *Raynaldus* h. a. suis è fontibus.

Tartari *Belæ* Ungaro iterum minitantur.

XXXVI. Apud *Pernoldum* nostrum lego. // MCCLIX. Stirienses in Ungaros insurgunt, & omnes, exceptis, qui in Petouia fuerunt, sive occidunt, sive pellunt, intra paucos dies ipsa hyeme: & Legatos ad *Otakarum* Wiennam mittunt, Ducatum illi deferentes. Hic, licèt id unicè cupierit, dubium tamen se simulavit. Statim verò ipse in Stiriam venit, sed sine exercitu, ne pacem violâsse culparetur. Consimilia ex *Horneckio* MS^to^ sibi viso, Scriptore Rythmico vernaculo Nobili Stiriensi dudum retulit Cl. *Hansizius* Metr. Salisb. p. 358. sq. & ideo se paulò dissertiùs exposuisse, ait, quia alibi ferè non leguntur. Jam porro Seditionem hanc Stiriensium in Ungaros, impetu ad votum felici concitatam, teste quoque *Pernoldo* nostro addiscimus. Addit *Horneckius* causam, emanâsse in vulgus, *Stephanum* Ungarum, Stiriæ Ducem, Pettoviæ residentem, compedes & vincula magno numero parâsse, quibûs Provinciales, ad Comitia convocatos, captivos accipere, & in Hungariam traducere vellet, odiorum causâ, quæ adversum se non obscurè præseferrent. Expulsionem Ungarorum sub acerrimo hyemis frigore undecim duntaxat, non plurium dierum spatio, patratam esse affirmant. Quantumlibet autem simularet *Ottocarus*, non latuit Ungarum Legatio Stiriensium ad ipsum, ejúsque in Stiriam adventus: unde non poterat non pessimam, quæ in se communi utrorúmque studio adornaretur, Scenam prævidere, eapropter Arma, quæ valuerat, universa expediens. Id verò quia fama è vestigio ad *Ottocarum* tulit, hic quoque non segniùs Militem lectissimum, amplissimúmque sub Signa vocavit.

Ungari à Stiriensibus expelluntur, & *Ottocaro* Principatus defertur.

Ego porro, cùm apud Rev. Doctiss. P. *Placidum Herzog* in Cosmographia Austriaco-Franciscana edita in fol. Colon. Agripp.

an. 1740. p. 397. ubi agit de Conventu *Judenburgensi*, repererim Diploma *Friderici*, Filii *Hermanni* Badensis & *Gertrudis* Austriacæ, quod ipse hoc anno præsenti, tanquam Dux Austriæ & Stiriæ Hæreditarius, dederat, in Conventus Franciscani Græcensis Archivio adhuc autographum existens, committere non potui, quin illud maxima sui parte hìc exscriberem, cùm Literas infelicis hujus Principis, qui tunc decennis adhuc puer erat, in Historia Austriaca albo veluti corvo rariores existimem. Sic autem scripsit.

Fridericus Filius Hermanni Badens. & Gertrudis, ut Austriæ ac Stiriæ Ducem se gessit.

Ejus Diploma.

„FRIDERICUS D.G. Dux Austriæ & Stiriæ &c. Universis --- „Decursio & varietas humanæ Naturæ --- Inde est, quòd *Wisentus* Carnifex (puta Lanio) Civis Judenburgensis, consensu „& bona voluntate *Albeidis* Uxoris suæ nihilominus accedente, „casum humanæ Naturæ ante mentis suæ oculos volvens, sanus „corpore, mente pariter & lingua sui compos, spontaneè, & „non coactus, *Nobis Illustri Duci Austriæ & Stiriæ, ad quos „Terra utraque pertinet Hæreditatis jure & Successionis, à Nostris „Progenitoribus ex antiquo Allodiis, & aliis Juribus, & Privilegiis nihilominus ab Aula Imperiali multipliciter prædotatis*, licèt „*Reges conterminales Confinium nostrorum eam in præsentiarum „detineant per potentiam violentam*: Fundum, sive Aream, quod „vulgò *Hofftat* dicitur, cum domo & Curia, situm apud murum & portam Civitatis *Judenburg*, immediatè contra valvam „Ecclesiæ Fratrum Minorum ibidem commorantium, Juri Civili, quod vulgò *Burgrecht* nuncupatur, quod possidebat, resignavit. Nos verò, attendentes piam intentionem & devotionem prædicti *Wisenti*, & *Albeidis* Uxoris suæ, & devota obsequia, quæ diu FF. Minoribus propter Dominum, & salutem „Animarum suarum exhibuerunt alternatim: eandem Domum „cum Area & fundo, in quo sita est, Fratrum eorundem Procuratoribus contulimus pleno jure: assumentes prædictum „*Wisentum*, & fidelem Uxorem ejus *Albeidem*, quoad vixerint, „in nostram Protectionem, & Gratiam specialem, eximentes „eosdem, & cæteros inquilinos ejusdem Domus, Procuratores, „vel Procuratrices Fratrum, quibus per Fratres supradictos locata fuerit Domus memorata, ab omni Jure Civili, Pensione, „sive Steura qualibet, & aliis servitiis, quæ Cives alii in Judenburg facere consueverunt. Ne verò super his Concessionibus, „& Donationibus imposterum alicui valeat ambiguitas aliqua „generari, & ut stabiliter & inconcussè perseverent, & gaudeant „perpetua firmitate, præsentem paginam Nostri Sigilli Munimine duximus roborandam. Acta sunt hæc An. Domini „MCCLIX. Indict. III. Mense Aprili XIII. Cal. Maji. Præsentibus „DD. *Ditmaro*, *Chunrado*, *Ortolfo* Militibus, dictis de Stretwiz (Streitwisen) *Ottone* de Pfaffendorf, *Ottmaro* & *Ernesto* de „Lobinch. Civibus: *Chunrado* dicto Lagelarit, *Gymberto*,

„*Otto-*

, *Ottone*, *Ottmaro* Institore, *Henrico* Sellatore, Conrado de, Scheufling, *Maraldo* & aliis quàm pluribûs.

Signata est sine dubio hæc Charta *Judenburgi*, ubi demorata est D. *Gerdrudis* Ducissa cum hoc Filiolo suo, & non sine omni Auctoritate fuisse videtur, cùm implorata fuerit Filii Gratia, neque sine Potestate, quia Resignatio fundi *Friderico* facta, & ejusdem per ipsum Collatio pleno jure, susceptio adhæc in Protectionem ac Gratiam suam, exemtio insuper à pensione & Steura Civili, verè sunt Actus Jurisdictionis, in Principem convenientis. Quæ singula Meditationi ulteriori aliorum, quorum ampliùs intererit, committo. Mihi mirum est, nullam Dñæ Matris, vel aliorum quorumlibet Curatorum, in tam tenera Principis largientis ætate, memoriam fieri: cuperem quoque Sigillum videre, si supersit. Dominorum *de Streitwisen*, qui Testium primi hac in Charta leguntur, Nobilis olim, ac diuturna Familia fuit, & mihi in Tomo IV. laudanda.

Annus 1260.

XXXVII. POterat hoc Anno *Manfredus* utriusque Siciliæ Regnum, quòd, antea armis obtentum, nunc etiam potestate continuit, Authoritate consensûque Pontificis sibi firmare: qui in Anglis frustra confisus, bellique per se gerendi jam fessus, Principem Occupatorem, quem depellere non posset, bonis pactis Ecclesiæ conciliare tentavit. Pactorum, quæ proposuit, ferè primum atque princeps erat, ut *Manfredus* Gentem pessimam Saracenorum, quam Pater ejus *Fridericus II.* Imperator in Sicilia maximo numero Civitate donaverat, expelleret. Sed maluit Princeps, perverso sanè animo, minúsque Christianæ Religioni, publicóque Reipublicæ suæ emolumento, quàm proprio commodo intendens, hos impios colonos augere potiùs, quàm tollere, ea maximè de causa, quòd in his tam sui Patris, quàm propriarum victoriarum pars maxima steterit. Causabatur itaque, cum fortes essent Saraceni, ac multi, dictóque suo probè audientes, hoc voto Pontificis adimplendo aliud nihil eventurum esse, nisi ut Sicilia novo, difficillimo, & maximè dubio bello laceraretur. Sine causa enim lacessitos, vindictam non injustis armis quæsituros, dubitare prudentum neminem posse. Sic Consilium Pontificis adhæsit. Neque eidem in Germania successit feliciùs, dum suaderet Principibus, cùm *Richardus* Anglus, & *Alfonsus* Castiliensis, in discordia electi, ambo exteri essent, inque nullum eorum omnes consentire vellent, ac præterea neuter officium Principis faceret, ut utrique nuncium remittentes, è Gremio potiùs Principum, Imperio providerent. Licèt enim ad hanc Monitionem apud plures *Ottocarus*

Manfredus cum Pontifice pascisci, & Saracenos expellere negat.

Bohemus veniret in censum: ipse tamen, malô suô, quod eventus docuit, Fortunam Imperialem non sine fastu contemsit. Latè ista *Raynaldus b. a.*

Pernoldi Narratio.

XXXVIII. Ego rursum *Pernoldo* nostro ausculto, ita prolixiùs docenti. „ Mcclx. Permisit *Otakarus*, ut, ineunte Vere, „ ambo Strenuissimi Comites Hardekkenses, & mille Viri electi, „ quasi ultro, & propria voluntate, pecunia Stiriensium con„ducti, quod ipse clam disposuit, Vicinis auxilium fer„rent. Quod audientes Ungari, contra Stiros egressi, cùm non „ satis numerosi essent, sponte recesserunt. Sed uterque Rex „ ad subsequens bellum grandem exercitum præparavit. *Bela*, „ & *Stephanus* Filius, contra Austriam ad Marcham fluvium „ cum ingenti exercitu venerunt, ingrediente Julio: quibus *Ota*„*karus* cum multò paucioribus obviam stetit. Principio *Ste*„*phanus* fluvium transiens, aliquam Victoriam habuit, & pe„rierunt Comites Hardekkenses. Deinde in die sanctæ Marga„rethæ idem cum dimidia parte exercitus penitus contritus est. „ *Bela* ex altera parte fluminis fugit, Castris relictis. *Otaka*„*rus* eum secutus, vastavit usque Poson: ubi *Bela* pacem ro„gavit, & obtinuit, totam Stiriam, & Jus ad illam cedens, at„que Nuptias Filii sui *Belæ* cum Nepte *Otakari* Brandeburgica „ paciscens. Pacta pacis fiebant per Patrem Sponsæ, & Ducem „ Karintiæ. „

Ungari è Stiria recedunt advenientibus Australium suppetiis.

XXXIX. Comites *Hardekkios* auxilia tulisse Stiriensibus, eorúmque adventu territos Ungaros à Stiria retrocessisse, ex uno hucusque *Horneckio*, per Cl. *Hansizium* laudato constitit: nunc etiam à *Pernoldo* nostro firmatur. Ut adeo tenere ritè non possit Assertum Chronici *Cl. Neoburgensis* ad hunc Annum, *eos contra Ungaros pro Stiriis pugnantes infeliciter cecidisse*: nisi sententiam istam hoc sensu exponamus, occubuisse illos in acie *Ottocari*, qua contra Ungaros pro vindicanda sibi Stiria constitit. Liquidum ferè hoc reddit ipsa temporum ratio, attestante *Pernoldo* nostro, Stiriensibus Australes, quasi mercede conducti fuissent, suppetias ivisse *ineunte vere*: contrà verò Chronico *Neoburgensi* infelicem Comitum pugnam & internecionem referente in diem festum SS. Joannis & Pauli Martyrum, i. e. 26.tam Junii, adstipulante pariter *Necrologio* nostro: in quo manu Seculi XIII. notatum lego. „ VI. Calend. Jul. Hic (puta hac „ die) occisus est Comes *Otto de Hardeck*, & Frater suus *Chun*„*radus*, & *Chadoldus* (adde *Orphanus*, vulgò *Wayse*) Ministeria„les, & *Ulricus Krafsto* (nempe de Sleunz.„ Cui non admodum obstat, dicere *Pernoldum* nostrum, *Belam* Regem cum *Stephano* Filio contra Austriam ad Marcham fluvium venisse *ingrediente Julio*. Vel enim largiore sensu postremos dies Junii pro ingressu

Comites Hardekii occumbunt.

ſu Julii mox inſecuturi accepit, vel quod veroſimillimum eſt, ajens poſtea, *Principio Stephanus fluvium tranſiens aliquam victoriam habuit*, eum cum aliqua exercitus parte Patrem Regem præceſſiſſe, ut paucioribus copiis velociorem incurſum tentaret. Neque enim noſtros viciſſet, acie compoſita ſtantes, niſi incautè pabulatûm euntes circumveniſſet inſidiis: quibus repellendis Comites, cum exigua ſuorum cohorte ſupervenientes, pares non fuerunt. Chronicon *Zwetlenſe* hanc cædem referens AN. 1259 fallitur: ampliùs autem falſus eſt *Lazius* Libr. VII. de Migrat, Gent. p. 322. illam ſtatuens in AN. 1262. & iterum Commentarior. Reip. Rom. Libr. XII. p. m. 1097. in Annum 1265. Communem porro omnium Genealogorum errorem, cum laudatis Comitibus primam Stirpem *Hardeckianam* (hodierna quippe jam tertia eſt) interiiſſe, perſpicuè refellam *Tom. IIII. Diplom. Genealog.* inter *Familias in H.*

XL. Geminus itaque Conflictus erat ad Marcham fluvium (alii Moravam ſcribunt, vulgò die March) Primus in die SS. Martyrum Joannis & Pauli: quo Quingenti Auſtralium, ducibûs *Hardeckiis* Fratribus, à multis Ungarorum millibus ex inſidiis intercepti, perierunt. Alter per Menſem propè dilatus eſt: cùm uterque Exercitus ad Marchæ fluminis ripas hinc & inde conſiſtens, alter alteri tranſitum negaret, neque *Belæ* animus eſſet, fortunam uni prelio committere. Moram rupiſſe *Ottocarum* ferunt, impatientem, tanto ſub æſtu medii Julii, Militem ſuum adeò graviter laborare, maximè, quia in exercitu ſuo ſeptena integrè cataphractorum numeràſſe Millia traditur, quibus uſtio ſyrii prorſus intolerabilis erat. Quare Ungaris tranſeundi fluminis copiam ſponte feciſſe, immo & unius alteriúsve diei ſpatium, exercitum ſuum traductum ritè ad aciem inſtruendi, ultro conceſſiſſe perhibetur. Pugnatum tandem in die S. Margarethæ, à *Stephano*, qui nulli virtuti pepercit. Cumani verò ſui, telis duntaxat poſt tergum emiſsis, quorum nullus hic uſus, vincere aſſueti, conſiſtere, impetúmque Bohemorum & Auſtralium acie firma excipere impotentes, cadendò, fugiendóque, dubiam initiò aleam, *Ottocaro* inclinârunt. Fugam flumen infeliciorem reddidit, per quod unum evadendi via patuerat. Jlluc enim præcipiti nimis gradu feſtinantes Cumani, hoſtibûs terga horribiliter prementibûs, ita ſe invicem in aquas præcipitârunt, ſequentibûs priores mergentibûs, ut quatuordecim eorum, quod volunt, millia ſubmergerentur.

Ungari prima velitatione felices: Decretorio poſtea prelio ab *Ottocaro* ſuperantur.

XLI. Infandum hoc naufragium ſuorum in flumine, cædémque in litore, Rex *Bela* flentibus oculis hauriens, cùm ex adverſa fluminis ripa pereuntibus opitulari nullatenus poſſet, fugit & ipſe: ut proinde decumanum exercitum, quod ajunt, cente-

Bela fugit.

centenorum & quadraginta millium, juxta nonnullos adhuc ampliorem, ſolam ad lanienam, turpémque fugam adduxerit. Quamquam *Bonfinius* in millia quatuordecim ſubmerſorum conſentire nolens, inquiat, Ungariam Tartarico bello tunc ita effœtam fuiſſe, ut vix integer *Belæ* exercitus totidem complectęretur: in quo ſanè nimium negat, ſi tot irruptionum anteriorum in Auſtriam ab ipſo factarum rationem habuerimus, quibûs tot millia in ſervitutem abduxiſſe in omnibus Chronicis Patriis traditur, *Bonfinio* de his altiſſimè obmuteſcente. Quidquid verò de hoſtium numero ſit, Rex *Ottocarus* Victor Marcham tranſiens, opulentiſſima primùm Caſtra, quorum prædam ferè ultra fidem fuiſſe divitem narrant, fortè ſpoliis anterioribus Auſtriacis aggregatam, lætus diripuit: deinde Provinciam *Belæ* militari Triumphatorum licentia ad usque Poſonium vaſtavit. Rex itaque victus, & miſer, cùm inſuper triſtibûs nunciis percepiſſet, ex altera Regni parte Tartaros proximè irrupturos eſſe, non planè, ut opinor, *quia ingenita probitate præditus, ad pacem magis quàm ad bellum natus erat*, uti *Bonfinius* de ipſo prædicat, ſed quia neceſſitate undique coarctatus, Victori *Ottocaro* ſupplices palmas tetendit.

Ottocarus Victor Caſtra opulenta diripit, & Ungariam populatur.

Bela pacem rogat.

Quam obtinet.

XLII. Tanti Negotii Arbitrium in Marchionem Brandeburgenſem, qui *Ottocari* Sororem habebat, & Carenthanum Ducem, ambos Victoris ex fœdere, & neçeſſitudine Socios, nunc quidem remiſſum eſt, hac principe conditione, ut *Bela*, atque *Stephanus* Filius, *Ottocaro* Pettoviam traderet, totáque Stiriæ poſſeſſione, omnique ejusdem voto, & jure ad illam perpetua renunciatione abſcederent. Pactæ porro Nuptiæ inter *Belæ* Regis Filium juniorem, pariter *Belam* dictum, & Filiam *Ottonis* Marchionis de Brandenburg, quam *Chunigundim* appellant, *Ottocari* Neptem è Sorore. Quibûs conſtitutîs miles ex Ungaria revocatus. Plenæ tamen Pacis Tabulæ ipſis Regibus, Conventum facturis reſervatæ. *Ottocaro* quippe Nuptiæ propriæ, quibûs plerúmque horrida bella ſolvuntur, animo ſedebant: quarum tamen, præter ſe, alium aliquem jam nunc conſcium eſſe, penitus noluit. Præterire porro non planè debui, confuſionis apud Lectorem tollendæ causâ, malè in Chronico *Auguſtano* apud *Freber*. Scriptor. I. p. 533. ad ANN. 1260. quæ ipſa epocha juſta quidem eſt, gemina prelia *Ottocari* cum Ungaris perverſo planè Ordine recenſeri: dum illud, in quo *Bela* devictus eſt, initio ponitur, & rectè aſſignatur in diem S. *Margaretæ*: perperam tamen ſubditur: „Eidem etiam *Otakero* Re„gi Bohemiæ *pôſt, videlicet in feſto SS. Johannis & Pauli*, triſtem „obtulerat ſe fortuna &c. ſubjuncta cæde Auſtralium ſub Comitibus *Hardeckiis*. Inconſultô Calendariô iſta ſcripta ſunt. Feſtum quippe *SS. Joannis & Pauli* multò anterius eſt feſtô S. *Margare-*

Notantur Scriptorum errores.

garetæ, cùm illud die 26. Junii, hoc verò die 20. Julii occurrat. Quod ſphalma non minimum neque Cl. *Balbinus* in Epitome p. 274. ad alia diſtractus obſervavit. Sed neque Chronicon *Elwangenſe* apud eundem *Freherum* p.679.ad Ann. 1260. rem acu tetigit, referens: „Rex Boëmiæ cum Rege Ungarorum dimicat, & Filium ejus, & Regem, cum manu captivavit.„ Triumphus hic nimius eſt, *Belæ*, & *Stephani* Captivitatem, nemine Scriptorum, quod ſciam, alio commemorante.

XLIII. *Gerardi de Roo* relatione Annal. Habſpurgicor. p. m. 18. Edit. vernac. Auguſt. de An. 1621. in hoc *Ottocari* triumphali Prelio Supremus Equitum Ductor & Magiſter fuerat *Rudolphus* Comes Habſpurgicus, poſtea Imperator: & quoniam rem optimè geſſit, in præmium à Rege, quod *Fuggerus* addidit, Militari Cingulo donatus, i. e. Eques creatus fuit. Quod ego, poſt alios multos, hoc loco non omnino tacere debui, fidei tamen laudatorum Scriptorum undique committo. Dubium his Traditionibus injicere poſſit Charta illa, qua *Eberhardus* Epiſcopus Conſtantienſis, & *Bertholdus* Abbas S. Galli, An. 1259. inter ſe compoſuerunt de dominio Villæ in Diezonhoven, ſimúlque adverſus *Rudolphum* Comitem *de Habeſpurg*, & *Hartmannum* juniorem Comitem *de Kiburc* fœdus inierunt. Inde enim forſitan eruas, *Rudolphum* Comitem eò temporis domi in Helvetis arma adverſum Vicinos fortiter ſtrinxiſſe, ſi qui iram illius promererentur: certè concludas, eum jam tunc bellica fortitudine circumjacentibus Principibus formidinem ſui non minimam incuſſiſſe. Quod & mihi argumento eſt, quo ægriùs *Fuggero* credam, tantæ Strenuitatis, ac Nobilitatis Comitem, Militaris Cinguli ſuſcipiendi Honorem usque ad Annum 1260. diſtuliſſe, quo, ſub Annum 1218. genitus, jam Annum Ætatis tertium & quadrageſimum ingreſſus eſt. Chartam porro ſuprà laudatam dedit Cl. *Marquardus Herrgott* Genealog. Diplomat. Aug. Gent. Habſp. Tom. 2. p. 349. N. 430.

An *Rudolphus* Comes Habſpurg. Victoriæ interfuerit.

XLIV *Ottocarus* ab hac Victoria maximam famam adeptus, Triumphum, quem retulit, *Alexandro* Papæ conceptis Literis perſcripſit, ſoli eundem DEO, quemadmodum decuit, adſcribens, ſimúlque tam ſui Coronationem Regiam à Pontifice decerni, quam per eum Nothis ſuis Natalium veniam concedi exoravit,& obtinuit, *Raynaldo* Añal. XIV, ad h. a. p. 58. & 59. n. 17.-21. utrámque Papæ Epiſtolam in medium afferente. Prima Epiſcopis, Pragenſi, & Olomucenſi, cum ingentibus Regis laudibus directâ, facultatem illis indulſit; eundem coronandi, cùm *Wernerus* Electus Archiepiſcopus Moguntinus, ad quem Jure antiquo hæc Solemnia pertinuerant, necdum à Sancta Sede confirmatus exiſteret, ſalva tamen deinceps Moguntinæ Sedis prærogativâ. Altera, ipſi Regi inſcripta, excipit, ne venia Natalium, quam No-

Ottocarus à Papa obtinet veniam Natalium pro Nothis ſuis.

this ejus de singulari gratia facit, ad ipsam Regni Successionem extendatur. Ubi advertit *Raynaldus*, non levem suæ Gloriæ labem effusa libidine impressisse *Ottocarum*, violata Matrimonii lege, iterum iterúmque vetito thoro deliciatum.

§. II.

Res Ordinis Cisterciensis.

Annus 1251.

Epocharum tutarum defectus sæpe cogit res ipsas quoque silere.

I. NOn deforet huic paragrapho tam in hac Decade, quàm sequentibus, ubertas ac copia rerum, quæ Sacro Ordini nostro Gloriam plurimam conciliarent, si, quàm tutò res gestæ, tam certè pariter Anni, quibûs evenerant, apud Scriptores constarent. Quoniam verò propositum mihi habeo, silere potiùs, quàm absque sincerioribus epochis loqui: brevior esse in Rebus Ordinis cogor, ut verior sim. Ipse certè Rever^mus. & Illustr^mus. *Manriquens* noster, dum in usum futuri Prosecutoris Annalium suorum, ad singulos Tomos, Appendices, atque Catalogos Abbatiales præcipuorum, primorúmque in Ordine Monasteriorum annexuit, quantumvis ipsi Archivia Galliæ, Hispaniæque patuerint, perfrequenter tamen cogebatur sine Anno & Consule loqui, magnopere eam negligentiam dolens, qua, præcipuè hoc, & sequenti Seculo, pleráque Monasteria in ritè condendis Fastis, tabulísque suis fuêre. Idem proinde incommodum & aliis quoque Scriptoribus accidit, ut Epochas maximè dubias, ad se delatas, transscribere debuerint. Mihi porrò earum omnium fidem è fontibus explorare, tantò minùs licet, quantò magis amplissimæ cujusdam Bibliothecæ, omniúmque Gentium Scriptoribus instructæ, usu destituor: qua sanè ad Ordinis, toto Orbe diffusi, Fastos condendos unicè opus esset. Interim tamen, non modò, ut seges mihi amplior foret, verùm etiam, ac potissimum quidem, quia Fundationes novæ de constanti Flore, & Existimatione Ordinis cum primis testantur, meum esse jam duco, quod antea ferè neglexi, Ortum & Initia Monasteriorum Cisterciensium, tam præsentis, quàm sequentium Seculorum, diligentiùs deinde & studiosiùs exequi: sed eorum duntaxat, quorum Epochæ certiores videbantur. Quidquid verò affero, fide illorum accipi velim, quibûs Testibûs loquor.

S. *Ludovici* Regis Franciæ Pietas in Oriente, Cooperatore *Othone*

II. *Otho* noster Cardinalis Legatus Tusculanus in Palestina felicibûs oculis & auribus usurpavit S. *Ludovici* Galliæ Regis præcepta, & opera sanctissima, quibûs in Oriente Rem Christianam longè ampliùs, ac si victricibûs armis perpetuò ibidem tri-

triumphâsset, extulit, atque promovit. Sanctissimis quippe Legibus, ac singularibus criminum pœnis, efficacissimis præterea monitis, Christianam in exercitu suo Disciplinam procuravit: exemplis magnificis omnium animos ad virtutem accendit: ipsis quoque paganis Christi fidem, ac Religionem tam admirabilem, quàm honorabilem reddidit. Quale in cæteris fuit, cùm Sidone, per barbaros interfecta fidelium corpora, plurium dierum putredine jam fœtidissima, ipse primus aggressus est humeris propriis tollere, cúmque Martyres DEI esse reputaret, suis manibûs emundare, abluere, sepelire, nonnullas verò eorum Reliquias vasculis ad cultum includere. Latè ista ex *Guilelmo* Carnotensi, *Gaufrido* de Bello loco, & *Nangio* enarrat *Raynaldus* Annal. Eccles. XIII. p. 614. sq. Neque existimo ego, *Othonem*, horum omnium otiosum Spectatorem fuisse: sed arbitror potiùs, Cooperatorem strenuum, immo sæpiùs Præceptorem egisse. *Bonifacius* Archi-Abbas Cistercii, ad solemniorem in Ordine DEIparæ Cultum quotidianum, in Capitulo Generali hujus Anni legem tulit, qua hodie etiamnum diligentissimè vivitur, ut Antiphonam Virgineam *Salve Regina*, quotidie finitô Completoriô decantari solitam, deinceps Cantor solemniter incipiat, ac ipse Præsidens Chori cum versu & Collecta absolvat. Idem Burgundiæ Duci, & Abbati Cluniacensi, Conservator adscribitur, ait Rever.mus *Manriquesus* Append. Tomi I. p. 478. neque rem istam ulteriùs exsplicat.

nostro Cardinale Legato.

Antiphonæ Salve Regina solemnior decantatio statuta.

Annus 1252.

III. JAcobus, è Nobili Familia *de Porta* de Castro Arquato, Placentinus, è Monacho Claravallensi olim Episcopus Mantuanus, hoc Anno ab *Innocentio IV.* creatus est Episcopus Cardinalis Portuensis, vitæ innocentia, morum candore, animíque demissione, eidem Pontifici, dum viveret, Charissimus. In Purpuræ honore à Seculi negotiis, quantum potuit, sese subtraxit, jam Anno 1254. paucis ante ipsum *Innocentium* diebus, fine beato consummatus, atque per supremas, quas condidit, tabulas, in Claravalle sua, juxta S. Malachiam, sepultus. *Ughellus Ital. Sacr. Tom. I. col.* 133. *Eggs Purpur. Doct. Supplement. p.* 99. Ad Sulmonensem, simúlque Valvensem Ecclesiam *Innocentius* Papa promovit *Jacobum* alterum, Monachum nostrum Casæ Novæ, spectatæ Virtutis Virum, omníque scientia præditum, & mira in agendis dexteritate præstantem: qui Cathedram hanc, duplicis nominis, usque in Annum 1263. ita illustravit, ut æternâ memoriâ dignus prædicetur ab *Ughello unde suprà col. 1374. sqq.* In Candelabro Marturanensis Ecclesiæ, quæ est in Regno Neapolitano, ejusdem laudati Pontificis jussu lucere hoc Anno cœpit *Thomas* Monachus & Abbas Cisterciensis

Cardinalis Cisterciensis.

Episcopi.

S. Stephani de Bosco, vitæ doctrinæque merito summam apud omnes existimationem consecutus, spémque sui egregiam excitans. Quam tamen vita brevior abrupit, dum Pedum Pastorale non ultra biennium gessit. *Ughell. Ital. IX. col. 277. sqq.*

Reginæ Moniales nostræ, & apud nos sepultæ.

IV. *Stephanum* Abbatem Claravallensem *Innocentius* Papa IV. constituit Visitatorem Conventus Benedictini S. Petri Naumacensis. *Manriqu. Append. Tomi I. p. 510.* *Blancha* S. *Ludovici* Franciæ Regis hoc nomine IX.[ni] Mater, Princeps tam pia, quà prudens, &, absente in Palestina Filio, Regnum adeò providè gubernans, ut, *Gaufrido è Bello Loco* teste in Vita S. *Ludovici* Cap. IV.[to], „tota Virago semper existens, fœmineæ Cogitationi, ac sexui, masculinum animum semper inferret, ac perturbatores Regni semper confusos succumbere cogeret, videns, mortem imminere, Corpus suum legavit ad sepeliendum Domui Sanctimonialium apud *Pentoyse* (Cisterciensis Ordinis) quam ipsa à fundamentis magnificè construxerat. Facta est autem Sanctimonialis Professa, Velata ante mortem: & supra Velum apposita est Corona, & vestita est Reginaliter, & sic sepulta est, ut decuit, redimita. „ Ita ille. Apud Lusitanos *Mafalda*, quondam Castellæ Regina, in Monasterio Virginum nostrarum *de Aurouca* longis annis Religionem sanctissimè colens, æternam ad requiem festinavit die 2. Maji hoc Anno, teste *Bernardo Brito*, Vitæ ejus Scriptore. Neque obstat, *Anton. Vasconzelium*, qui Acta Pietatis ejus in *Sanctio I.* Lusitaniæ Rege latè deprædicat, morti ejus beatæ adnotâsse Annum 1290. Æram quippe Hispanicam pro Anno Christi posuit, quæ computum Romanum totis propè 40. annis præcurrit.

Fundationes novæ.

V. Cœnobia tria, quod constat, Ordini hoc anno accessêre, Monachorum unum, duo Monialium. Viris novam vitæ perfectioris palestram in Silesia instruxit *Wladislaus* Oppeliensis Dux ad Rudam amnem, unde nunc Cœnobio Nomen *Rauda*, cùm initio *Wladislaw* appellaretur. Colonia prima ducebatur ex *Andreovia* Poloniæ minoris: Literæ Fundationis Ann. 1258. expeditæ. Cænobium adhuc floret, Matérque *Gemielnici* effectum est. *Sartor. Cist. bis tert. Latin. p. 1122.* Virginibus DEO sacrandis Parthenonem primum intra Basileam proximè Rhenum excitavit *Bertoldus* Comes *de Ferreto* Episcopus Basileensis, auxilio Propinquorum suorum, hoc, aut proximo Anno, imposito nomine *Michelfelden*, Sororibus primis è Denninga evocatis. Comperta porro Loci insalubritate, translatum est Cœnobium in Blazheim Ann. 1267. à Successore Episcopo *Henrico* Comite *de Neuenburg*. Excidium eidem inclinante Seculo XV. proximè attulerunt bella, & incendia: quapropter hæc Fundatio, statuente Capitulo Generali, Gremio Lucellensis

Raudæ.

Michelfeldæ.

Mona-

Monasterii fuit inserta. *Epitom. Fastor. Lucellens. p. 147.* Parthenon alter Fundatorem suum gratâ memoriâ recolit *Cunonem de Feldbach*, à quo & Nomen *Feldbach* retinuit, situs in Helvetia ad Lacum Podamicum Constantiensem, & Visitationi Abbatum Wettingensium jam ab uno & sesqui seculo subest. *Notit. Salemitanæ.* Feldbachii.

Annus 1253.

VI. SEculari hoc Anno, ex quo Mellifluus Pater noster *Bernardus* dives meritis penetravit in Sancta, *Otho* noster Cardinalis Legatus Palestinæ, postulante S. *Ludovico* Franciæ Rege, ac præcipiente Pontifice, plures ex Ordine Prædicatorum, itémque Minorum, doctrina & pietate insignes, Episcopali Dignitate instituit eo pacto, ut Fidem Christianam inter Tartaros disseminarent, facta illis Potestate, remittendi Neo-conversis rigorem Jejuniorum Ecclesiasticorum, donec fides in eis firmiùs radicaretur, item dispensandi circa Matrimonia in Gradibus, solo Jure Canonico prohibitis. Quæ res, adspirante DEO, lætissimum fructum tulit. Idem Cardinalis, cùm in Syria Christianæ Urbes nonnullæ, magno cæterorum fidelium scandalô, byzantios & drachmas, cum nomine & Æra Mahometis, in auro argentóque signâssent: hujusmodi Numis mercimonia fieri, talésque deinceps iterum signari, anathemate vetuit. *Innocentio* Papa IV. id multùm probante. *Raynald. h. a. p.* 637. *n.* 5. & 7.mo

Otho noster Cardinalis Legatus promovet Conversionem Tartarorum.

Inhibet Numos Mahumeticos.

VII. Juvenacensi Ecclesiæ Cathedrali, quæ Peucetiorum est in Provincia Terræ Barii Regni Neapolitani, Præsul hoc Anno datus fuit *Leonardus de Serminecto* Monachus Cisterciensis Fossæ Novæ, Vir probatis moribûs, Literis instructus, miráque animi Constantia in tuendis Ecclesiæ suæ Juribus oppidò commendatus: qui Annis multis egregiè gubernans, inflexibilem à recto se semper exhibuit. *Ughell. VII. col. 727.* *Bonifacio* Archi-Abbati nostro Cisterciensi à Pontifice demandata est Inquisitio in Civitatem ac Provinciam Burdigalensem, plurimis flagitiis pollutam. *Manriqu. Append. I. p.* 478. In Germania porro ad Oppidum *Hedersleben* in Episcopatu Hildesheimensi, & Præfectura *Gatterslebiana* sub sylva Hakelia, initium hoc Anno sumsit Parthenon Cisterciensis, cui nomen *Hedersleben*, sive *S. Gertrudis*, pia Liberalitate *Alberti* ac *Ludovici* Fratrum, & Nobilium Dominorum *de Hackelborn*, è quorum Stirpe antehac Diva *Gertrudis* exorta erat, fundatus, usque hodie lætè subsistens. *Leuckfeld. in Chron. Walckenried. p.* 262.

Episcopus Cisterc.

Hadersleбia fundata.

Annus 1254.

Otho noster Cardinalis cum S. Ludovico Rege ex Palestina redit.

VIII. O*Tho* noster Cardinalis Legatus cum S. *Ludovico* Rege è Palestina rediens, eidem roganti facultatem fecit, ut in ipsa Navi, qua veherentur, veluti Oratorium quoddam esset; in quo non modò Divina quotidie fierent, verùm etiam SS. Eucharistia, quasi in Ecclesia pro jugi Veneratione semper asservaretur. *Gaufred. è Bellol. in Vita S. Ludov.* In Italia Tiraram Pontificiam apud Capream Insulam Principatus Citerioris hoc Anno sucepit *Joannes* Abbas S. Marinæ de Stella Ordinis Cisterciensis Congregationis Florensis. Item Turtibulensem *Stephanus de Ferrentino* Monachus noster Fossæ Novæ. *Ughell. Ital. VII. col.* 258. & *VIII. col.* 389. Dum *Innocentius* IV. Papa in Vitam & Miracula beati *Nicolai*, qui *Canuti* quondam Daniæ Regis Filius fuerat, ad illius Regni ferventes preces, inquiri juberet, Episcopis geminis Abbatem Cisterciensem *de Clara* in hoc sancto Negotio Socium decrevit. *Raynald. h. a. p.* 642. *n.* 30. In Gallia *Stephanus* Clarævallis Abbas, jam defunctô *Innocentio*, ab *Alexandro IV.* novo Pontifice, litigantibus super Seneschallia Lugdunensi Judex constituitur. Qui hoc eodem pariter Anno Collegium suum Parisiense consumavit, & pro eodem sustentando Ecclesiam accepit. *Bonifacius* verò Archi-Abbas Cistercii inclinante Anno Supremum Ordinis Magistratum, quem octodecim Annis sanctè admodum gesserat, ultro deposuit, paulò post morte beata æternam ad requiem evocatus. *Manriqu. Append. Tomi I. p.* 478. & 510.

Episcopi Cisterc.

Comissiones nostrorum Apostolicæ.

Collegium S. Bernardi Parisiis absolutum.

Bonifacius Archi-Abbas cedit.

Guido III. novus Abbas Generalis Cistercii.

IX. *Guido III.* novus Cistercii Archi-Abbas miro Zelo exarsit in Veterem Ordinis Disciplinam conservandam, ac promovendam, hujúsque rei causâ privatis personarum quarumlibet singularium commodis ea, quæ publica & Ordinis essent, constanti animo semper antehabuit. Documentum Zeli sui mox initio edidit: quo sanctum & salutarem sui timorem, sine quo Disciplina non stabit, toti Ordini incussit. *Stephanum* quippe Clarævallis Abbatem, licèt omni virtute, summáque existimatione pollentem, eò, quòd Collegium Parisiense inconsultô Capitulo Generali erexisset, tametsi facultatem expressam Summi Pontificis obtinuerit ad inchoandum, Ordóque totus id vidisset, nec unquam contradixisset, adeóque Consensum tacitum præbuisse sit visus, opus prætérea in se summè laudabile, maximæque Utilitatis existeret, perfectúmque ac consummatum, penitus nullo vel sumtu, vel detrimento, sive præjudicio Ordinis foret, attamen pro neglectu Regularis facultatis exorandæ, Gradu Abbatiali dejecit. Sed quoniam non omnes habent Spiritum DEI, humilísque Obedientiæ Verbum intelligunt, erant non pauci, quibus hæc Severitas adeò displicuit, ut querelis *Alexandrum* Papam pulsarent,

Zeli Abbatialis, & humilis Obedientiæ memorabile Exemplum,

rent, ex eóque Mandatum elicerent, quo jussus est *Guido*, dejectum Claravallensem restituere. Ipse verò, tanquam fortis Columna Domus DEI Regularis, dissimulavit hoc Mandatum exequi, Pontificis animum longè rectiùs, quàm cæteri, interpretatus: neque se dimoveri à lata sententia passus est, tametsi Papa *Stephani* restitutionem Theologis nonnullis Parisienbus injunxerit, tolerabilius esse reputans, Ordini, quamvis nullo hucusque exemplo, exteros Judices dari, quàm Obedientiæ ordinem intra Ordinem perverti. Verumtamen idem DEUS, dives in omnes, qui Capiti fortitudinem tribuit, dedit & membro Virtutem. Patiens disciplinæ *Stephanus* Claravallensis, Obedientiam illam, quam antea, dum suis præesset, ab illis poposcit, nunc subditus ipse, ad plurimorum exemplum, & æternum Ordinis decus, perfectè exhibuit, spontè renuncians Privilegio Pontificis, noléńsque illud, sui restitutione, in præjudicium Ordinis effectu compleri, & ultro in Ursicampo privatus remansit. Miratus utrúmque *Alexander* Pontifex, utriùsque Virtutem præmio dignam existimavit. Et *Stephanum* quidem non multò pòst vacanti cuidam Ecclesiæ Anglicanæ, nam & Anglus erat natione, Præsulem nominatione sua constituit, à DEO tamen præventus, qui celeri morte humiliantem se super terram in Cælo exaltavit. *Guidonem* nonnullos post annos Purpura Cardinali vestivit. *Manriqu. Append. I. p.* 478. & 510.

Annus 1255.

X. INterim idem Pontifex hoc unico anno Disciplinæ & Incolumitati Ordinis nostri, rogatu *Guidonis*, aure facillima septimùm consuluit, totidem universo Cistercio Privilegia indulgens, vel indulta innovans denuo, atque confirmans. Primum, ut Abbates non solùm Prioribus, verùm etiam aliis discretis & literatis Personis Ordinis, committere possint facultatem, absolvendi Monachos ab excommunicatione propter violentam manuum in invicem injectionem. Secundum, ne Monachi audeant cuiquam alteri Sacerdoti, præterquam Abbati suo, confiteri, vel aliorum Confessiones excipere. Tertium, ut audeant nostri in Grangiis, vel aliis Locis Ordinis, remotis ab Ecclesia Parochiali, ad quas commodè pro audiendis Missis transire non possunt, Divina ipsi celebrare. Quartum, ut Abbates Cistercienses adversus Capellanos, & Conversos Monialium, quique ad seculum, vel alios Ordines transierunt, ita, ut contra alios Apostatas procedere possint. Quintum, ne Episcopi Diæcesani, vel alii, ad Monasteria, vel Grangias nostras divertentes, dum necessaria pro facultate Domus ex officio Hospitii recipiunt, ea sibi ex debito præstita dicere, & in futurum, præscribere Privilegia Ordinis.

re audeant. Sextum, ut Monachi nostri per solos proprios Abbates, aut Visitatores, nullatenus verò per Diœcesanos, visitentur, & corrigantur: itémque, ne quisquam à Cisterciensibus præstationes pecuniarias extorqueat, nec ipsi easdem cuiquam exhibeant. Septimum, ne Monachi Cistercienses teneri putentur ad ullas Collectas, vel subsidia, & Exactiones, à Summis Pontificibus, aut Legatis eorum indictas, nisi in Literis expressa mentio fiat Ordinis Cisterciensis, & hujus Privilegii: quamvis alioquin ibidem legatur hæc Clausula: *Aliqua Indulgentia non obstante*: utque Censuræ in contrarium non teneant. Integrum horum Privilegiorum tenorem exhibuit *Henriquez* noster post *Menologium* in Cod. Privilegior. p. 68. & 69. N. 29. - 32. Ad hunc deinde, vel proximum Annum in Epitom. Fastor. Lucellens. p. 149. refertur Fundatio Parthenonis, cui nomen *Vallis Rhenana*, vernaculè *Rheintball.*: quæ in Diœcesi Constantiensi, Comitatúque Friburgano, facta est à *Conrado* Comite *de Friburg*, Visitatione Abbatibus Lucellensibus comissa. Tertio à Fundatione Seculo Domus hæc bellis atque disturbiis adeò ad incitas redacta fuit, ut Prioratui Monachorum ægrè sufficiens, Lucellensis Monasterii Gremio adscripta fuerit: deinceps, mutata Viciniæ Religione, per Marchiones Hachbergenses Ordini penitus erepta.

Vallis Rhenana fundata.

Annus 1256.

Cœli Porta erecta.

XI. QUatuor hoc Anno Monasteria Cistercio accrevisse reperio. Primùm námque *Cœli Portam* in Voitlandia, quæ ad Bohemiæ & Franconiæ fines est, hoc Anno fundatam refert *Chronologia Monasterior. Ord.* quam è MS.[to] Dunensi vulgavit *Carolus de Visch* post *Biblioth. Scriptor. Cisterc.* & item *Jongelinus* in *Notit. Abbatiar. Cisterc.* Libr. III. p. 69. Authores ejusdem pietate munifica fuerunt, *Otto* Comes *de Orlemund*, cum Conjuge *Agnete* Ducissa Meraniæ. Coloni primi ex *Leninio* Marchionatus Brandeburgici Asceterio Griseo venerunt. *Grisei* quippe à colore vestium olim Cistercienses audiebant. *Michelbacum* deinde, initio Parthenon Benedictinus in Diœcesi Basileensi, Authoribus Comitibus *de Ferreto*, sub Annum præsentem à *Bertoldo* Basileæ Episcopo, Sanctæ Sedis Apostolicæ Auctoritate, Monasterio Lucellensi Ordinis nostri innexus fuit, inque Præposituram sub Invocatione S. Apollinaris transivit. *Epitom. Fastor. Lucellens. p.* 146. Pariformiter *Wohnentbalum* Brisgoiæ in Diœcesi Constantiensi, nonnullarum piarum Fœminarum, collatis opibus, ad cultum suæ Virginitatis dudum antè constructum, æquè sub hunc annum, largiente *Alexandro* Papa IV.[to] ad preces *Rudolphi* Comitis *de Isenburg*, qui novi Fundatoris officium in se suscepit, Parthenonis Cisterciensis formam induit, Antistite prima præfati Comitis Filia. *Franc. Petr. Suev.*

Michelbacum;

Et Wohnenthalum Ordini data.

Eccle-

Ecclesiast. p. 907. In Scotiæ Regno Dominus *Sorlius Maderdi*, Dynasta *de Kentire*, condidisse nostris prædicatur Cœnobium *Sandal* Diæcesis Cathanesiensis, Monachis primis ex Cænobio Mellifontis in Hybernia assumtis, teste *Jongelino Libr. VIII. Notitiar. p.* 17. & *Chronologiâ* suprà laudatâ. Privilegia *Alexandri* Papæ IV. pro *Calatravensibus* nostris, item pro *Guilelmitis*, Instituto nostro viventibus, edidit *Henriqu. Cod. Priv. p.* 458. & 489. Sandal fundatur.

Annus 1257.

XII. *Firmitas* Monasterium Galliæ, & omnium prima universo in Ordine Cisterciensis Archi-Cœnobii Filia, hoc anno septimùm genuisse, & produxisse è Gremio suo Cœnobium *S. Severi* Diœcesis Raveñatensis, testatur *Manriqu.* in Catal. Abbat. Firmitat. sub *Gerardo* Append. Tom. I. p. 494. Idem *App. Tomi IV. p.* 5. sub Abbatissa *Elvira* refert: Postquam *Alfonsus*, Cognomento *Sapiens*, Castellæ, ac postea Electus Romanorum Rex, in Monasterio *S. Mariæ Regalis* propè Burgos, vulgò *de las Huelas* dicto, An. 1255. *Eduardum* Regium Angliæ Principem Militari primùm baltheo accinxisset, deinde eidem Sponsam *Eleonoram* Sororem suam tradidisset, biennio postea, i. e. hoc anno præsenti, Monialium numerum Centenariò definiisse: Puellas Nobiles quadraginta educandas concessisse, quæ deinceps adultæ, defunctis Monialibus subrogarentur: quadraginta item Sorores conversas, Monialibus inservituras. Unde Splendor parthenonis hujus verè Regii insigniter elucet. In Comitatu Turgovico Helvetiæ infra *Frauenfeldam* hoc anno per Nobiles Dominos *de Bichelsee* excitatus est Parthenon, cui nomen *Tannikon*, latinè *Vallis Liliorum*, Visitatore ac Patre Immediato Abbate Wettingano, Regularis Observantiæ, ac Temporalium flore etiamnum integra persistens. *Sartor. Cist. bis tert. vernac. p.* 947. *sq.* ex *Notit. Salemitanis.*

Cœnobium S. Severi surgit. S. Mariæ Regalis Splendor. Vallis Liliorum oritur.

Annus 1258.

XIII. *Guido* III. Archi-Abbas Cistercii, hoc, sive propinquo aliquo anno, primus lege publica Capituli Generalis vetus illud & primigenium in Ordine Interdictum, quo nostris prohibitum erat, ad vestes Sacerdotales, & Ornatum Altarium, sericos & holosericos pannos adhibere, solvit, & sustulit. Quæ ei causæ hanc mentem induxerint, haud dubiè graves, qui aliàs Disciplinæ veteris tenacissimus erat, non facilè dixero. Verosimillimè, quòd Legati, Episcopi, aliorúmque Ordinum Præsules, in Ecclesiis nostris frequenter celebrantes, casulas laneas despexerint, sanctúmque paupertatis Cultum verterint in contemtum, ídque tantò liberiùs, quantò noverant opulentiora

Permittitur in Ordine Serici usus in Ecclesiis.

Cœnobia nostra, quasi Altarium decenter ornandorum neglectus simulata duntaxat virtute, re autem vera mero vitio, & avaritia fieret, opposito nostris Mendicantium Religionum Exemplo, quæ quamvis vestibus, domibusque altissimam profiterentur paupertatem, nullisque possessionibus essent, Ecclesiæ tamen cultum cum nitore curarent. Crebrò dictos Prælatos apud nostros divertisse, tantoque crebriùs, cùm aliàs nihil utilitatis êx Ordine nostro perciperent, utpote à decimis, collectis, ac præstationibus omnibus immuni: argumento esse potest, quòd *Alexander* Papa IV. Privilegium suum, quod abhinc annis tribus contulerat, ne Prælati transeuntes per nos, quidquam quasi ex debito exigant, hoc anno jam denuo innovaverit, uti videre est apud *Henriqu. Cod. Privil. p. 69.* Apud Scotos in Comitatu Marchiæ, ac Diœcesi Glascuensi, fundatum esse sub annum istum Cisterciense Cœnobium, *Egles* dictum excitante Domina N. Comitissa Marchiæ, leges apud *Jongel. Notit. VIII. p. 18.*

Egles fundatur.

Annus 1259.

Prohibetur petitio pro quoquam, Sanctorum in cætum referendo.

XIV. PEregrinum denuo animi sui sensum, & à cæterorum opinione plurimùm remotum, patefecit hoc tempore Archi-Abbas noster *Guido*: dum, se præsidente, ad Generale Capitulum delata esset Commendatio Vitæ, ac Prodigiorum, quibus DEUS fidelem servum suum beatum *Arnulphum*, Conversum Villariensem, non ita pridem defunctum, & semper, dum viveret, sanctimoniæ famâ propè inter omnes celebratum, glorificaret. Addebantur namque preces, & omnino sperabatur, fore, ut Patrum Congregatorum Concilium communi supplicatione, veluti totius Ordinis nomine, apud sanctam sedem pro cultu publico Viri hujus beati permittendo, ac decernendo instaret. Sed abnuit *Guido*, reponens, Laudandum jure merito DEUM in Sancto suo: huic tamen Gloriam illam, qua perfrui in cælis crederetur, sufficere posse. In terris nova quotidie festa non expedire, *ne Sancti multitudine vilescerent.* Quo mirabili sermone universos Patres ita suam in sententiam pertraxit, ut Lege Publica vetarent, ne deinceps in Ordine nostro de ulla Persona, quantalibet sanctitate fulsisset, & inclaruisset prodigiis, in Album Sanctorum inferenda, ulla apud Apostolicum Thronum supplicatio, immo Mentio fieret. *Manriqu.* Append. Tomi I. p. 478. *Henriqu.* in Apparat. Menolog. cap. XI. p. XXXVI. *Joann. Molanus* Doct. Theol. Lovanien. in Natalib. SS.orum Belgii de B. *Arnulpho* Converso Villar. Nescio sanè, an in Sancti ullius alterius Ordinis Historia Decretum tale reperias. Omnes certè omnium hominum Status summam Gloriam suam collocare solent in Sanctis, quos Omnipotens DEUS,

DEUS, Gratiis planè singularibus, in hoc, vel illo devotorum hominum Gremio, tantam ad eminentiam Virtutis provexit, ut universo Mundo tam exemplo quàm speculo imitationis perpetuo essent. Nulla Gloria creditur innocentiùs admitti, nulla justior, & à vanitate remotior esse, quàm quæ Domesticis à Sanctis proficiscitur. Illa Religio sanctior habetur, in qua Sancti plures evaserunt, toto in Orbe promulgati. Sic Mundus ferè omnis existimat. Soli tamen Cistercio datum videtur, ut velit, latere Orbem Sanctos suos, nullámque Gloriam præ illa, quam fugit, ampliorem possideat, & concupiscat.

XV. Teste Cl. P. *Josepho Mezger* Benedictino San-Petrensi sub finem Histor. Salisb. in Catal. Episcopor. Lavantinor. in Carinthia p. 1152. & item in Catal. altero DD. Abbatum Runensium Ordinis nostri in Stiria, quos ut Patres Immediatos hodie veneramur, p. 1211. Rever.[mus] D. *Almericus Grafendorfer* ex Vigilantissimo Runensium Præsule nominatus ab Archiepiscopo Salisburgensi Episcopus Lavantinus An. 1259. Cathedram illam usque in Annum 1275. tantò clariori virtute gubernans, quantò acerbiora tempora erant, in quæ à DEO provisus est, dum pro Carinthiæ Ducatu ab Æmulis Principibus acerrimè dimicaretur. Epochæ quidem allegatis in *Catalogis* non omnino consonant: cùm in Catalogo Abbatiali Vir laudatus ad Regimen Monasterii assumtus dicatur An. 1255. atque decennio toto diebúsque tredecim Runæ præfuisse, antequam Episcopi honorem adeptus fuerit: in Catalogo verò *Lavantino* An. 1259. Sedem illam ascendisse prædicetur. Neque Cl. *Hansizius* hìc aliquid evolvit, hujus Antistitis, quemadmodum & aliorum complurium, nullibi memor. Puto tamen, Epocharum exploratam necdum certitudinem Veritati ipsius rei non officere.

Almericus Abbas Runensis fit Episcopus Lavantinus.

XVI. Doctiss. *Carolus de Visch* Prior Dunensis Biblioth. Cisterc. p. 1. laudat *Adamum*, Aldersbacensis Monasterii in Bavaria Ordinis nostri Religiosum, Theologum Eximium, qui floruerit post medium Seculi XIII.[tii], & universam Theologiam Moralem versibus hexametris eleganter complexus, à Reverendissimo Domino nostro *Caramule* Theolog. Regular. Part. 1. in Epistól. Dedicat. eapropter insigniter laudetur. Theologum hunc Versificatorem ideo non prætereundum censui, quia Opusculum ejusdem semel ac iterum in Bibliotheca nostra MS.[tum] in Membrana asservari videtur, licèt in Codice uno formæ 12. absque Nomine Authoris, in altero, qui est in folio, perperam cum nomine *Adami à S. Victore* Canonici Regularis, addito Commentariolo prosaico alterius *Adami* Magistri de Ordine Minorum. Metrica porro hæc Summula Theologiæ moralis, in Partes plures tributa, Compendium est magnæ illius Summæ

Adam Scriptor.

Raymundi de Pennaforti Ord. Prædicatorum, cùm ejus Prologus inchoet:

Summula de *Summa* REMUNDI prodiit iſta.

Initium primæ Partis, quæ eſt *de Officio Miſſæ*, ita apud nos habet:

In Summis Feſtis ad Miſſam dicitur una
Tantùm Collecta &c.

In Calce Operis Author utcunque ſe prodidit, ſed Nomine ſolùm, dum cecinit:

ADAM jure minùs doctis verſus dedit iſtos,
Ut diſcant, quæ ſint fugienda, per hósque tenenda.

Exemplum primum Summulæ hujus, folio integro & charactere tenui Seculi XIV. exaratum, unacum Commento ſuo breviculo, ac ſæpe Interlineari, explet ſedecim paginas. Alterum formæ 12.° numerat pagellas quinquaginta. Bona in hujusmodi Seculorum illorum ſcriptis Voluntas, qua indoctis prodeſſe doctiores voluerant, ampliùs utique laudanda eſt, quàm doctrina: ſed ſalvâ prudentia contemni non poteſt. Cùm enim eò temporis Libri alii, præterquam manu operoſa deſcripti, non exſtarent, quorum copia pauciſſimis erat, magna laude, meritóque certè non minori, & indubio in cælis præmiô, hujusmodi Compendia, facilè ab unoquoque transſcribenda, per doctiores compoſita fuêre, tanquam unicum propè medium apud multos, neceſſaria diſcendi. Hæc illis in aurem, qui ſua tempora præteritis paria omnino reputantes, eam proficiendi facilitatem, qua in tanto Librorum impreſſorum affluxu ipſi nunc beantur, etiam Veteribus fuiſſe exiſtimant: & ideo Majorum ſuorum Simplicitatem perpetuis dicteriis proſcindentes, magna ſanè inconſideratione Veteres Codices abjiciunt, ac ferè nulla venerandæ Antiquitatis reverentiâ tanguntur. Sed heus tu, qui ita ſpernis, nónne & ipſe ſpernêris?

Codices Veteres imprudenter contemnuntur.

XVII. Superſunt Monaſteria quinque percenſenda, quibus Ordo noſter hoc anno rurſum auctus eſſe perhibetur. In Bohemia námque ad Moldavam fluvium, alterô à Crumlovia Bohemica Milliario, *Petrus Wocko Urſinus de Roſenberg* ex voto condidit Monaſterium Ciſtercienſe AN. 1259. proximè Capellam Gratioſam S. *Annæ*: ad quam conſueta pietate, equo vectus cum Comitibus, aliquando tendere volens, ac præterfluentem Moldavam ex more tranare aggreſſus, ita ſubitò intumeſcentem reperit, ut aquis jamjam everti inciperet. Sed nuncupatô Monaſteriô, ad ripam conſtruendô, æque ſubitò decrevit fluvius, & ipſe periculo exemtus fuit. Cœnobium itaque ab hoc eventu

Fundationes novæ.

Altovadi origo.

tu compellari voluit *Altum Vadum*, communiùs *Altovadum*, vernaculè *Hohenfurt*. Subdidit hanc Domum, tanquam Filiam, Cœnobio *Hilariensi* Austriæ Superioris, unde Abbatem primum *Ottonem* cum Colonia Religiosâ excepit. Totam Fundationem contineri in *Historia* Veteri MS.[to] *Rosensi*, testatur Cl. *Bobusl. Balbinus* in Epitom. Rer. Bohem. p. 273. qui eandem apud se conservaverat. Idem ibid. p. 285. in Notis ad Cap. xv. refert, Dominos *Rosenses*, aliàs *Rosenbergenses*, ab *Ursinis* Romanis ortos, Comites olim, immo Principes præpotentes, magno numerô *Altovadi* requiescere: ita tamen, ut in crypta grandi subter chorum, non pro more recepto universorum, dormiant in tumbis, sed in Sellis, ut in Comitiis, considеant, meræ osseæ compages. Cujusmodi parem Consessum Osseum *Guelforum*, quondam Regulorum Sueviæ, *Bruschius* Centur. I. Monasterior. German. spectari similiter tradit in Monasterio Benedictino Suevico *Vinearum*, vulgò *Weingartensi*. Flos *Altovadi*, DEO Servatore, etiamnum incolumis est.

XVIII. Apud Sobernheim Palatinatus Inferioris in Archidiœcesi Moguntina jam sub Annum 560. S. *Disibodus* Episcopus Ordini Benedictino Monasterium excitaverat infra Montem, deinde An. 976. in Montem translatum. Hoc porro ut An. 1259. traderetur Cistercienſibus, qui & ipsi Lege S. Benedicti vivunt, curavit, & effecit *Gerardus* I. Archiepiscopus Moguntinus, itémque Capitulum Metropolitanum, primìs Griseìs ex *Otterburgo* evocatìs. Nomen Cœnobio S. *Disibodi* vulgò *Diesenberg*. Anno 1576. rapuerunt illud Acatholici: *Ferdinandus* verò II. Imperator Ordini restituit. Anno 1640. hanc Abbatiam, Suecico bello magnopere afflictam, restaurandam suscepit Rever.[mus] ejus Præsul *Gaspar Jongelinus*, qui dedit Notitias *Abbatiarum Cisterciensium*, quas hodie legimus, & alia multa. Quia verò è Voto in re tanta progredi temporum iniquitas vetabat, eandem Domum, curámque, *Joanni Caramueli Lobkowiczio*, à prodigioso Ingenio, Scriptisque plurimis in Orbem notissimo, ultrò cessit, ut habet *Epitome Fastor. Lucellens.* p. 138. qui eam tenuit, usquedum An. 1648. fatali Pace Westphalica, cum innumeris aliis Fundationibus Sacris, Laicas profanásque ad manus perpetuò devoluta fuit. Sic ferè Doctiss. *Sertorius* Cist. bis tert. vernac. p. 656. Mihi hoc unum advertere libet, *Dodechinum*, qui *Mariani Scoti* Chronicon prosecutus est, & *Abbas S. Disibodi* fuisse putatur, apud *Pistorium* Scriptor. Tom I. p. 667. ita notâsse. „Anno 1108. -- Hoc etiam Anno cæptum est Novum „Monasterium construi *in Monte S. Dysibodi*. Piæ nàmque me„moriæ *Burchardus*, Abbas Divi Jacobi Moguntiæ, quem Do„minus Archiepiscopus *Ruchardus* Ecclesiæ beati *Dysibodi* pri„mum Abbatem præfecerat, II. Cal. Julii primum fundamenti

S. Dysibodi Mons nostris traditus.

 „Lapi-

„Lapidem juſſu præfati Præſulis poſuit.„ Hoc ſi ita ſit, ſtare non poteſt, quod ſuprà traditum eſt, Monaſterium iſtud jam an. 976. in Montem translatum eſſe; niſi dicta hujus Chronici accipienda forſitan ſint de nova quadam inſtauratione Cœnobii hujus, dum in Monte jam conſiſteret, collapſi. Sed huic Acceptioni obſtare videntur Verba: *quem --- Eccleſiæ S. Dyſibodi primum Abbatem præfecerat.*

Bacherach. XIX. Parthenon *ad omnes SS.*[um] infra *Bacheracum* ad Rhenum in ditione Electoris Palatini An. 1447. igne totus exuſtus, Documenta vetera ita deperdidit, ut ne quidem de Fundatoribus ritè conſtet, ſine dubio tamen Antiquiſſimus habendus. Ciſtercienſibus Virginibus traditus fuit An. 1259. & invaleſcente diſſidio Religionis ægerrimè Ordini ſervatus. An. 1574. ab Abbate Ciſtercii Generali *Nicolao Boucherat*, in Archidiæceſi Trevirenſi Viſitationem inſtituente, cum conſenſu Archipræſulis, curæ Abbatum Hemmenrodenſium commiſſus, vigilanti eorum operâ in hanc diem egregiè floret. *Sartor. Ciſt. bis tert. vernac. p. 614. ex Notit. Hemmenrodeñ.* Alterum Sanctimonialium noſtrarum Ciſtercienſium Cænobium, Magdeburgum inter & Hil-

Sedes Mariana. desheimium, cum nomine *Sedis Marianæ*, vulgò *Marien-Stuhl*, exiſtens in Ducatu Magdeburgico, ortum debet *Ottoni* Comiti *de Hadersleben*, Domino *in Egelen*, & Conjugi ejuſdem *Juttæ*, natæ Comitiſſæ *Blanckenburgicæ*. Moniales primas dedit Blanckenburgum: Abbatiſſæ plerúmque Illuſtri Genere eſſe ſolent: Viſitatores agunt Abbates Hemmenrodenſes. Habet hic Parthenon etiam Præpoſitum Regularem Perpetuum, Votis Abbatiſſæ & Monialium electum, à Rege Pruſſiæ confirmatum, & Curam temporalium gerentem. *Sartor. ubi ſuprà p. 799. ſeqq.*

Wurmsbacum. Aſceterium tertium Virginale, *Wurmsbacum* dictum, propè Rapperswillim in Helvetia eſt, Fundatore *Rudolpho* Comite *Habſpurgico*: an illo, qui poſtea Auguſtus evaſit, an alio, & quo illo, decernere nequeo. Viſitatio fit per Abbatem Wettingenſem. *Id. Ibid. p. 1006.*

Annus 1260.

XX. AD hunc ferè Annum ſequentia referunt ii, quos ad ſingula laudo. *Arnoldus Wion* Ligni Vitæ Libr. II. Cap.

B. Bernardus Comes Lippiæ. 46. & IV. cap. 39. prædicat Beatum *Bernardum*, primum Lippiæ Comitem creatum à *Conrado* Rege, Filio *Friderici II.* Imperatoris, poſtquam è Conjugio Liberos quatuor procreaſſet, conſentiente Uxore *Sophia* Comite *Arnsbergica*, in Campo B. Mariæ, Cænobio Ordinis noſtri Weſtphalico, Monachum, ac paulò pòſt Abbatem effectum eſſe. Zelo deinde Apoſtolico ſuccenſum, in Livoniam prædicandi Evangelii causâ profectum,

ejus

ejus Gentis Apostolum, ac pro merito Virtutis Episcopum Letalhensem evasisse, à proprio Filio *Ottone* Trajectensi Episcopo consecratum. Rursum verò ipsum, cum Filio suo mox laudato, alterum Filium *Gerardum* Archiepiscopali Mitra Bremensi, prævia Unctione sacra, inaugurâsse. Mirus Parens, qui verè DEO, & Mundo genuit, Sanctimonia Vitæ mirabilior. Ordini nostro Nomen dedisse sub hunc Annum putatur. (†)

XXI. Eodem quoque Anno ad Gloriam transivisse creditur B. *Bonifacius*, ex Lausanæ in Sabaudia Episcopo, & fortissimo tam Disciplinæ, quàm Immunitatis Ecclesiasticæ Propugnatore, cujus causâ à *Friderico II.* Imperatore semel ac iterum in acerbissimæ mortis discrimen conjectus, sola DEI ope evasit, humilis tandem Cisterciensis Instituti Monachus in *Camera B. Mariæ* propè Bruxelas, qua ex Civitate oriundus erat. Tametsi enim hoc Monasterium sit Virginum, ait *Henriquez* in Menologio ad diem 19.[nam] Februarii: olim tamen propè Parthenones includebantur & Monachi, sive Contemplationi vacantes, sive temporalium curam gerentes. Crudelis Tartarorum, Poloniam semel iterúmque vastantium, rabies circa hunc Annum Nobilissima duo Cœnobia Cisterciensia habitatoribûs penitus exspoliavit, & funditus evertit. In primo, quod erat S. Crucis propè Cracoviam, B. *Stanislaus* Abbas, Regis *Boleslai Pudici* Propinguus, cum duobus & octoginta Monachis trucidatus fuit. In altero Monialium Vitaviæ, quotquot erant ibidem Virgines, Christo Sponso animas crudeli barbarorum acinace consignârunt. *Sartor. Cist. bis tert. Latin. p.* 281.

B. Bonifacius Episcopus Lausannensis.

Martyres Cistercienses.

XXII. Hanc in Polonia Cistercii jacturam aliis in Regnis cum lucro DEUS resarcivit novis tribus Monasteriis. In Gallia námque surrexit *Ramerudum*, vulgò *Ramerii*, pietate *Gerardi* Comitis Briennæ, & in *Rameru* Domini, atque *Philippæ* de Champagne Conjugis, Monialibus primùm nostris excitatum, Abbatissâ primâ Sibyllâ, Fundatorum Filiâ. Sub Annum verò 1490. infatuatis Virginibus Monachi subrogati sunt. *Jongel. Libr. I.* 74. In Hybernia Cœnobium antea Benedictinum *de Rupe Cashell*, vernaculè *Hore Abbey*, Cisterciensibus traditum est per *Davidem Meccarwil*, cognomento *O Corroll*, Archiepiscopum Castellensem An. 1260. fide solennis Instrumenti Concessionis: Monachis primis ex Mellifonte, vel ipsa Claravalle evocatis. Novennio postea ipse Archi-Antistes Largitor, immo Fundator, in hoc Cœnobio habitum Religionis assumsit, & postquam

Fundationes novæ.

Ramerudum.

Rupe Cashell.

(†) *Henr. Wolterus* Canon. Bremens. in Chron. Archiepiscopat. Bremens. apud *Meibom.* Scriptor. II. p. 58. hujus *Gerardi II.* Consecrationem, à Patre, ac Fratre factam ponit inter annos 1226. & 1231. atque *Bernardum* Patrem ait ex Comite Monachum, ex Monacho factum Episcopum *de Aldensee.* Quæ ab anterioribus, præcipuè quoad Epocham, admodum distant, combinanda ab eo, cui hoc vacaverit.

quam Annis quinque supra triginta Metropoli suæ optimè præfuisset, hìc requiem cepit An. 1289. *Id. Libr. VIII. p.* 30. In Germania, duabûs à Bamberga leucis, Parthenonem Cisterciensem DEO consecrârunt DD. Liberi Barones *de Schlüsselberg*, cui Nomen *Ager Clavium*, vernaculè *Schlüsselau*, aut *Schlüsselberg*: ubi Abbatissa altera *Anna* è Fundatorum Familia publicam Sanctimoniæ famam sustinuit. Sed An. 1527. propè erat, ut rustico tumultu Sacra hæc Domus penitus intercideret, nihilosecius postea primum ad florem reversa. *Bucellin. Germ. Sacr. Part. I. p.* 4. & 79.

Ager Clavium.

§. III.

Res Monasterii.

Anni 1251.-1254.

Quis Campililii status inter medias Patriæ turbas.

I. HIs Annis, cùm initus ab *Ottocaro* Principatus Austriæ, vehementer sævientibûs bellis, valde adhuc fluctuaret, ejúsque stabilitas metu ac dubio plurimo laboraret, noluit Abbas noster D. *Bertoldus* tam parum securi Principis Gratiam implorare: donec rerum ut maximè dubiarum eventus, quid charæ Patriæ DEUS ex alto providerit, manifestiùs panderet, Páxque aurea reducta stabilem denuo Gratiæ Sedem constitueret. Hoc igitur quadriennio Campililii quid actum sit, an Præsuli nostro, immenso utique solicitudine quassato, in deliberatione illa Provincialium de futuro Principe, in acceptatione *Ottocari*, in Solemniis Nuptiarum ejus cum Domina *Margareta*, in Communicatione Privilegiorum cum illo per hanc Dominam publicè coram Statibus facta, sive Consilii, sive Operæ commodatæ, peculiares aliquæ partes fuerint, nullis Monumentis domesticis, exterísve, edoceor. Nihil planè ad eum hæc attinuisse, ut ægrè mihi persuadeam, faciunt constantes, eæque insignes Gratiæ, tam Regis, quàm Reginæ, in Campililium, postea exsplicandæ: quas non immeritò tanquam mercedem probè gratorum obsequiorum, utrique à Præsule nostro exhibitorum, contemplor. Pariter verò neque id etiam constat, quæ damna Miles, præcipuè Ungarus, immo barbarus Cumanus, Monasterii ditionibus, hominibus, ac subditis intulerit; quæ vel nulla, vel minima fuisse, æquè non credam. Id sanè mihi certissimum est, hunc eundem furorem inhumanum, qui Patriam omnem in singulos annos turbavit, protritâ Legum & Justitiæ semitâ, dum Tribunalia Forúmque Principis clauderet, licentiæ malevolorum, & insolentium Vicinorum, peropportunam copiam fecisse, Jura Monasteriorum multis certè modis tem-

temerandi, subditos vexandi, bona & possessiones diripiendi: pietatem porro ac devotionem fidelium à benefaciendo plurimùm prohibuisse. Quapropter omne Archivium nostrum, & chartularia, hîs annis unam unicam duntaxat Donationem testantur, tantò pluris habendam, quantò clariùs egregiam Nobilissimi Benefactoris Pietatem, vel in mediis Calamitatum Patriarum turbinibus non aversam, luculentè manifestat.

II. Fuit is Dominus *Godeschalchus de Neittespech* (Neidberg) Camerarius, & Ministerialis in Stiria: quam Nobilem olim, & perinsignem Familiam, cujus Nomen, & Possessiones, nunc penes Jll.^mos DD. Comites *Herbersteinios* existunt, ego *Tom. IIII.* inter *Familias in N.* longiori præconio deducam. Hic, ut scribit in Charta sua, *in fine Vitæ suæ, senex, & multùm infirmus, ac de salute sua solicitus*, cum dilectissima Consorte sua *Gertrude*, assentientibus Filio *Godeschalcho*, ejúsque Conjuge *Brunhildi*, liberè nobis donavit redditus annuos duorum Talentorum *in Malmanchesdorffe juxta Tullinam* (i. e. Malmanstorf prope Tulnam) *ad structuram Capellæ Capituli nostri. Datum Anno Domini Mcclj. Non. Octobr.* Initium hoc erat Fundationis Capellæ Capituli nostri, S. *Wolfgango* dicatæ: cui, ut perfici posset, DD. *Neitpergii* posteri, semel iterúmque, Proventus ampliores, tum veterum Com̃utatione in utiliores, tum novarum donatione, tamdiu adjecerunt, usquedum Sacri etiam quotidiani Fundationi, pro ævi illius felici ubertate, sufficerent, quibûsdam eorum in Capitulo nostro quietem etiam suam perpetuam constituentibûs.

Donatio Domini *Gottscalci de Neidperg* pro extructione Capellæ S. *Wolfgangi* in Capitulo.

Annus 1255.

III. G*Neussone* Milite quodam Curiam nostram in *Gezenstorf* detinente, & nescio quid juris in eam allegante, *Bertholdus* Abbas noster litem præcisurus, Laudum Viennæ per Patrem suum tunc Immediatum D. *Henricum* Abbatem S. Crucis celebrari rogavit, atque futuram vexationem quinque talentorum exsolutione libens redemit. *Gneussonum* Stirps Nobilis, cum qua plura nostris negotia intercesserant, mox adducto Tom. IIII. inter *Familias in G.* suam quoque paginam faciet: quippe quæ ad præcellentia Aulæ Munera suo tempore gradum fecit. Neque leviter unquam censendi sunt, quotquot in Chartis veteribus ævi medii, Elogio Militum afficiuntur: quia Generis obscuri hominibus, nullóque insigni Virtutis documento illustribus, Militaris Cinguli honor, sive, quod idem propè est, Equestris Dignitas, neutiquam impendebatur: & injuriæ non parvæ creditum fuit, si *Militi* populares Natales, Ensisque emtitius exprobrarentur. Consuli de hoc potest D. *Pfeffingerus* Tom. II. *Vitriarii* Jllustrati ad Libri I. Titul. XX.^um nota c. verbô *Milites* p. m. 866. sqq.

Cum *Gneussone* Milite transactio.

Milites Nobiles.

Annus 1256.

Plebanus Meuslingensis vexatione liberatus.

IV. Cùm superioribûs Annîs *Meinhardus* Plebanus in Meusling, ob decimas ac possessiones Capellarum Resbach & Heinrichslage, ad Ecclesiam suam tunc ritè attinentes, multùm gravitérque à Decano Cremsensi, Plebano S. Michaëlis, *Chunrado de Liechteneck* Milite, aliisque infestaretur: recurrit ad *Bertholdum* Abbatem nostrum, tanquam Ecclesiæ suæ Patronum. Hic porro, dum Pataviensis Ecclesia eo tempore mirè turbata esset, Pontificem Summum interpellavit. Quare *Alexander* Papa IV. ex Laterano II. Non. April. Anno II. Pontificatus, i. e. Christi 1256. mox laudatum D. *Henricum* Abbatem S. Crucis, partes vocare, audire, & compulsis ad Veritatis Confessionem Testibûs, causam ex lege Justitiæ decidere, partémque ream ad sententiæ executionem, si opus fuerit, censuris quoque compellere jussit. *Rudolphus* Burggravius in *Gors*, de cujus Propagine *Tom.* IIII. inter *Familias in G.* pluribûs agetur, hoc eodem Anno vendidit nobis Jus Advocatiæ, atque Denarios censuales, vulgò *Schweinpfening* in *Newendorf.*

Contractus Emtionis cum Burggravio in Gors.

Annus 1257.

Ottocarus Rex confirmat universa Jura & Bona nostra.

V. AUstriâ *Ottocaro* Regi jam plenè, ut videbatur, firmatâ per Pacem Ungaricam, tandem *Bertholdus* Abbas noster, plurimorum injuriis jam diu fatigatus, Regiam Clementiam suppliciter implorans, primùm quidem universam Fundationem nostram extenso Diplomate confirmari rogavit, Vigilantissimi in Jura domestica Præsulis officium integrè expleturus, debitámque novo Terræ Principi Reverentiam, humillimámque subjectionem palàm professurus. Inclinata est ejus humilitati Majestas, & ipso hoc Anno, quo *Ottocarus* infelicem per Pataviam in Bavaros Expeditionem, turpi clade luendam, adornavit, geminam ab eo Pan-chartam, ut ajunt, i. e. longum latúmque Confirmationis Diploma, singula Jura, atque Possessiones, diserto distinctóque tenore complectens, obtinuit. Quorum prius ita subsignatum: *Acta sunt hæc in Nova Civitate Anno Domini Mcclvij. septimo Idus Maii per manus Magistri* Arnoldi *Notarii.* Quoniam verò in eodem nonnullæ Possessiones nominibûs haud ritè scriptîs perperam legebantur, aliquæ etiam omissæ fuerant: impetratum est Autographum aliud emendatius, hunc in modum subnotatum: *Acta sunt hæc primò in nova Civitate, postea in Minchindorf, Anno Domini Mcclvij. Septimo Idus Maii Indictione XV. Datum per manus Magistri* Arnoldi *Notarii.* Opus erat Præcepto Regio, sive supremi Terræ Principis quàm exactissimo, clarissiméque expedito, propter sum-

summam exterorum in vexandis Monasteriis licentiam: cùm & illo jam Seculo in Foro, quod contentiosum appellant, minimi apices Instrumentorum, perverso Actorum & Procuratorum studio, quæstionibus captiosis subjici consueverint. Unde vel spitamæ agellus absque Charta & Sigillo Monachis jam tutus non erat. Nemo probus eisdem tantum favere poterat, quantum improbi invidebant.

Necessitas justorum Instrumentorum apud Monachos.

VI. Præcipua porro Confirmationem universæ Fundationis rogandi causa fuerat, quòd, cùm Fratres ac Domini *Altenburgici*, nobis vicini, ipsis Fundationis Literis statim initio, dum ederentur, querulandò reclamaverint, se in Foresto nobis donato aliquid juris habere, ac proinde à Serenissimo Fundatore Compensationem acceperint: hoc verò defuncto, etiam apud Filium, nostra confirmantem, contra ipsam Compensationem, tanquam non satis dignam, exceperint, rursum per ipsum nova largitione placati: nunc à Patrum decessu Filii eorum, post obitum ultimi Ducis, in eas nostrarum ditionum partes vi & potentia involaverint, pro quibus antea Patribus eorum semel ac iterum Clementiâ Ducum satisfactum fuit. Pandit hæc omnia præsens *Ottocari* Regia Charta: damna præterea, quæ Domini isti Campililio intulerant, nequaquam levia fuisse, sed quodammodo toti Fundationi convellendæ viam aperuisse, his verbis manifestè testatur. „Hoc quoque Principe (*Friderico Bellicoso* Filio „Fundatoris) & duobus præfatis Ministerialibus jam defunctis, „cùm Filii ipsorum possessiones Ecclesiæ, quæ suprà memoratis terminis sunt inclusæ, videlicet Mageriam in Wilhalmspurch, „cum Prædiis ante jam fatis, per violentiam occupâssent, & ad „Nos Principatus Austriæ devenisset; *compassi Monasterio jam* „*quodammodo desolato*, ea videlicet devotione, ut eandem Gra„tiam apud supremum Judicem nobis obtineat Confirmatio, & „Promotio, quam Fundatori Fundationis & Donationis Meri„tum comparavit, in nova Civitate nostros Consiliarios convocan„tes, inter dictos Ministeriales, & Fratres Cænobii, omnem de„cidimus discordiam, & querelam, & priores Recompensationes „studuimus augmentare &c.

DD.nis Altenburgicis denuo Compensatio de nostris bonis jam tertiùm à Rege facta.

VII. Hoc augmentum annuorum LX. talentorum, è nostris redditibus in *Stranzendorf*, *Neuendorf*, *Oberndorf*, & *Ruprechshofen* decerptum, si perpetuitas abalienationis consideretur, non modicam Campililio jacturam attulit, sola pace ac quiete in futurum compensandam. Quarum fiducia ut nostros tantò minùs fallere posset, præterquam quòd Ministeriales compulsi fuerint, coram Rege, & universo Concilio, omni Actioni & liti circa hæc in perpetuum cedere, Laudúmque & Senten-

Ulterioribus verò litibus cautum pœnâ caducitatis.

tia ista huic Panchartæ solemiter illata sint: sapientissimè insuper utrique partium adversus hanc litem instaurandam sequens gravissima Comminatio adjecta fuit. „Quòd si dicti Ministe„riales nostræ Compositioni & Ordinationi de cætero præsum„serint obviare, & Monasterium super præmissis aliquatenus „molestare: omnia Bona ipsorum, in predio, & feodo, Nobis, „aut Successoribus Nostris in Ducatu Austriæ, adjudicata vaca„bunt, & ad Nos, vel ad Successores Nostros in Ducatu Austriæ, „ex debito pertinebunt. Si verò Fratres Cænobii super Stran„zendorf, & Nuindorf, & Reditibus X. talentorum in Obern„dorf, & Ruprechteshoven, præfatos Ministeriales impetere at„temptaverint, aut gravare, tantundem Prediorum suorum „nobis cedent, quantum Bona Ministerialium poterunt æstima„ri.„ Nihil quidem de Nobis timendum erat: sed Adversarios nostros nihilosecius adhuc semel, tametsi non per se, attamen suas per Sorores, contra nos ausos esse, statim verò destitisse, aliàs audiemus.

VIII. Tertio adhuc Diplomate Rex idem confirmavit nobis Privilegium *Friderici* II. Imperatoris de Judicio Provinciali, Compositionibus, Bannis, Marchfuter, Fodinis, in omni loco Possessionis nostræ. Testium primus *Heinricus* Abbas S. Crucis. Subsignatio: *Datum in Lilinveld xiiij. Kal. Augusti Anno Domini Mcclvij. Indictione quinta decima per manus Magistri Arnoldi.* Ex qua subsignatione tutò fluere videtur, Campililium ipsa Regis, quem semper Clementissimum habuit, præsentiâ honoratum fuisse. Sed qua de causa, qua occasione hanc vallem nostram tunc transiverit, altero mox mense in Bavaria vastaturus, an præviè Stiriam, Carinthiámve ingressus, an, quod verosimilius putem, inde reversus, definire perambiguum est.

Idem Rex Campililii præsens confirmat Nobis Jura alta.

Annus 1258.

IX. POsteaquam, tenore anterioris Laudi ac Sententiæ Regiæ, DD.ni Altenburgenses, *Rapoto*, *Wulfingus*, *Chunradus*, & alter *Chunradus*, invicem Fratres, à nostris in possessionem redditum immissi sunt: id uno communi Instrumento pro se, ac hæredibus, publicè fassi, renunciarunt omni Liti, & Actioni, síque contrà attentarent, se pœnæ Caducitatis, i. e. omnium Bonorum suorum in Predio Libero, sive allodialium, & in Feudo, quæ Principis beneficio tenerent, in Fiscum trahendorum, quam Rex summa profectò severitate propter efficacem nos à vexatione liberandi voluntatem indixit, humiliter subjecerunt. Subsignatio: *Acta sunt hæc Wienne in domo Ottonis in Foro, Anno Domini M.° CC.° LVIII.vo pridie Id.us Februarii Indictione prima.*

Altenburgici renunciant omni liti, & actioni.

ma. Idem altero mox die eodem in Loco consimillima forma pariter egit D. *Dietricus de Hobenberg* Affinis eorum propter Uxorem, Litisque anteactæ ferè potissimus Complex. In subscriptione verò Testium plurimorum tale aliquid reperio, quod præterire non debui, tanquam ævo nostro planè peregrinum. Nimirum utroque in Instrumento disertè quoque lego *Ottocarum Dominum Regni Bohemiæ, Ducem Austriæ, & Marchionem Moraviæ*: &, quod ampliùs mireris, non primo inter Testes loco, sed non solùm Abbate S. Crucis, verùm etiam nostris Monachis, immo Conversis, & ipso Regis Notario, quia Clerico, præeuntibûs. Tanta tunc Cleri reverentia; tanta Regis dignatio. Qui, cùm coronatus necdum esset, tantâ quoque modestiâ fuit, ut se non *Regem*, sed solummodo *Regni Bohemiæ Dominum* scripserit. Prætermisit insuper elogium *Stiriæ Ducis*: cùm *Bela* Hungariæ Rex pacto Pacis tunc Stiriam teneret. Cæterùm inter Testes hìc pariter leguntur *Rudolphus Camerarius, Otto Cellerarius, Fratres in Lilienvelde*. Hoc arbitror ego tenore illius Privilegii factum, quod Ordini nostro universo, & singillatim Campililio quoque, per *Innocentium III.* Papam, concessum est, ut Fratres nostri in causa etiam propria validè possint testari.

Testis ipse Rex post omnes Clericos descriptus,

& post Fratres etiam nostros.

Annus 1259.

X. PErfrequenter Parochiæ Monasterio annexæ, & cum dominio fundi ad nos transeuntes, occasio & causa litium fuêre, quamdiu Curati Seculares à nostris Abbatibus ibidem præsentati sunt. Sic *Bertholdus* Abbas præsentaverat *Johannem* Præsbyterum ad Parochiam Dürnizensem, invitô *Hermanno* Plebano Wilhelmspurgensi, ac contendente, utrámque Ecclesiam ab invicem dependere, & unius Rectoris esse, atque eapropter Romam appellante. Hinc *Alexander* Papa IV. Episcopo Pataviensi *Ottoni*, itémque *Ortolpho* Abbati Mellicensi, causæ hujus Cognitionem, æquámque sententiam injunxit: qui, Justitia poscente, pro nobis pronunciârunt. Similiter *Irnfridus* Decanus Cremsensis in iis, quæ Strazingæ ad Ecclesiam suam attinebant, aliquamdiu Jura indebita requirens, tandem hoc Anno publicis Literis confessus est, præter statuta Servitia, in reliquis, cùm fundus & proprietas Campililium respiciant, sibi nihil competere.

Lites Parochiarum causâ.

Annus 1260.

XI. UTilitatibus Monasterii ampliùs undique prospicere laborans, pervigil in commoda nostra Præsul *Bertholdus*, à D. *Nicolao* Præposito Claustro-Neoburgensi, parato ære, Domum

Emta Domus Viennæ.


mum in Civitate Wiennensi, juxta Conventum RR. PP. Prædicatorum comparavit, Venditionis Chartâ confectâ *Wiennæ XV. Kal. Junii.* Cùm deinde *Henricus de Mizzelbarndorf*, & *Margareta de Puebberch*, sive donâssent nobis, aut vendidissent geminos Mansos in Radeprunne, Jllustribus DD.^nis *Henrico de Seveld*, & *Alberoni* Dapifero *de Veldsperch* feudô obligatos: hi ambo pro remedio animarum suarum, ac Parentelæ suæ, nobis clientelam ultro, & in perpetuum condonârunt, præfatos Mansos onere omni feudali exolventes. *Datum Anno Domini M. cc. lx.^mo Quarto Kal. April. in Civitate Wienn.* Pauca sunt, fateor, quæ de rebus Monasterii nobis in hac Decade constant, sed profectò perutilia: quippe quæ ad pacem nostrorum, ac tranquillitatem non minimum contulerunt, Clementiâ Regiâ tam feliciter imploratâ. In hac porro impetranda, ut nullus dubito, utilissimam nobis operam, gratiámque commodavit Domina *Margaretha* Regina, *Ottocari* Conjunx: quæ in finem usque vitæ, quemadmodum è subsequentibus manifestius fiet, adversus Campililium, tanquam Serenissimi quondam Patris sui Fundationem, constantem affectum, Clementiámque conservavit. Unde non vanus augurari mihi videor, *Bertholdum* Abbatem nostrum se Augustæ hujus Dominæ animo iis virtutibûs, quæ gratiam provocant, peregregiè insinuâsse, & fortè ab ea non rarò, dum ipsa tantis Calamitatibûs à DEO probaretur, in Consilium, ac Solamen adhibitum esse.

Beneficia nobis impensa.

Clementia *Ottocari* erga nos debita videtur D. *Margarethæ* Reginæ.



DE-



DECAS VII.

Ab Anno MCCLXI. usque MCCLXX.

§. I.

Res Principum & Patriæ.

Annus 1261.

I. Alexander Papa IV. gravitate curarum adactus, Concilium Romæ indixerat. Tartarorum tamen Ungariam adorientium causâ dilatum illud fuit: denuo verò decretum, postquam *Bela* hos barbaros, ingenti strage quinquaginta millium & amplius in eis facta, retudit. Sed intervênit Viterbii Mors *Alexandri* die 25. Majî. Non erant nisi octo Cardinales, cùm Pontifex defunctus neminem Purpurâ donaverit: nihilominus paucissimi illi Votis ita discordes erant, ut Novi Pontificis Electio, postquam sancta sedes tribûs jam integris mensibûs elapsis vacâsset, die 29. tandem Augusti evenerit. Suffragia nulli è Gremio suo obtigêre, sed *Jacobo*, patriâ Trecensi gallo, Patriarchæ Jerosolymitano: qui tum Ecclesiæ suæ, atque Orientis causâ, Romæ aderat, Noménque *Urbani IV.* assumsit, eò, quòd *Alexander* ipso S. Urbani festo decesserit. Mox verò eundem novum Exercitum Cruce signatum conflare oportuit, qui *Manfredo* Siculo resisteret, Saracenorum cuneum in Campaniam intromittenti. Tumultuabatur etiam Roma, ejusdem subsidio freta. *Raynald. h. a. Franc. Pagi* Brev. Part. III. p. 296. & 298.

Alexander Papa IV. decessit.

Successore *Urbano* IV.

II. Graviter præterea hunc novum Summúmque Ecclesiæ Pastorem afflixit calamitas maxima Salisburgensis Ecclesiæ, in quam eandem conjecit *Philippus*, olim ibidem electus, & adjutus *Ottocari* Regis præsidio. Provincia námque tota Salisburgensis maximè contrariis in se studiis divisa, dum hi quidem *Ulrico*, novo veróque Archipræsuli ferventer adhærerent, illi contrà, metu armorum prævalentium, *Philippo*, Sententia Apostolicâ jam dejecto, adhuc fidem servarent: necesse erat, sub his

Calamitas Ecclesiæ Salisburgensis ex æmulorum Antistitum contentione, quorum unum fovit *Ottocarus*.

his æmulantium Archipræsulum contentionibus, quæ armis & incendiis fiebant, Disciplinam Ecclesiasticam, & morum honestatem ampliùs indies collabi, ac ferè penitus intercidere. Auxit malorum cumulum indignatio Pontificis in *Ulricum*, non alia de causa suborta, nisi quòd subsidium pro Oriente quatuor millium marcharum, in tam turbido & undique desolato Ecclesiæ suæ statu, pendere intra constitutum sibi anni unius terminum omnino nequiret. Nihilominus malevolorum studio sententia dejectionis eidem intentata fuit: cùm paulò ante ab Adversariis etiam captus, *Ottocari* tamen Regis jussu mox iterum dimissus fuisset. Volebat quidem his malis remedium apponere Pontifex, & Salisburgensem Ecclesiam semel, iterum, ac tertiùm, *Ottocaro* defendendam commisit: hoc autem erat oleum igni affundere. Præterquam enim quòd *Ottocarus* ille ipse erat, quo maximè nitebatur *Philippus*, turbarum Salisburgensium sola & una fax funestissima: insuper Bavariæ Dux ob hanc rem summè indignatus est, qui Advocatiam omnium in Provincia sua Ecclesiarum sibi uni competere asseruit, maximè Salisburgensis, quæ pia Bavariæ Principum liberalitate tota fundata sit. Quapropter externum Principem in Jura sua immitti, & involare, acerbissimè tulit, armísque expeditis ulcisci decrevit. Sensit has iras proximis annis miserum Salisburgum, semel ac iterum à Bavaris infestatum, & media sui parte exustum. *Cl. Hansiz. Metr. Salisb. p.* 359.

Pernoldi Narratio.

III. De Austria postremùm adhuc audiamus *Pernoldum* nostrum, hoc ultimo suæ Chronologiæ Anno inquientem. // Mclxj. // *Bela* Rex ad *Otakarum* venit Wiennam, & pacem firmavit, // & Sponsalia Filii fecit: clam præterea *Otakaro* depactus est // pro Uxore *Kunegundem* Neptem suam ex Filia *Constantia*. Abe- // unte Rege *Otakarus*, de quieta Austriæ & Stiriæ possessione // jam tutus, ausus est facere, quod diu jam animo coxit, & // Dominam *Margaretham*, cujus oderat Senectutem, sua vo- // luntate, sine Auctoritate Ecclesiæ, repudiavit. Non solùm // conquestus de Sterilitate ejus, sed etiam falsò spargens invul- // gus, quòd certè jam sciret, eam esse Monialem Professam, // jussit eam sedere in Chremis, dedítque ei Castrum Chrumpe- // nawe, Villam Greuenperch, & alia. Ipse verò Pragæ nupsit // *Chunigundi* prædictæ, quam secum coronari fecit. Sic po- // tens iste Dominus, quem omnes timuerunt propter nimiam // Potentiam, egit, quod libuit. Nescio, quamdiu taceat DEUS, // donec in vindictam exurgat. //

Belæ & *Otocari* Regum Conventus Viennæ.

IV. Regium Viennæ Conventum, de quo plurima Chronica tacent, ex *Hageno* latè descripserunt *Haselbachius*, & *Arenpeckius*, cum summa utrinque pompæ ostentatione factum. *Be-*

la quippe Rex, uti volunt, una secum ambos Filios, *Stephanum* & *Belam*, Russiæ item, Serviæque Reges, quinquaginta præterea Duces adduxerat. *Ottocarus* ex adverso, splendore non impari gloriaturus, præter plures Principes, primi insuper Ordinis Proceres Bohemiæ, Moraviæque, hoc ad festum conscripsit, Austriæ verò Dominis Clientelaribus, Feudorum suorum professionem indixit, maximo ac splendidissimo numero concurrentibùs. Rei summa, quam quidem publicè profiteri libuit, hæc erat, ut Pacem, quam Arbitri Duces Anno priori apud Posonium conciliaverant, nunc ipsi Reges publicis tabulis probarent, hujúsque ex pactis, Neptis *Ottocari* ex Sorore Marchionissa Brandenburgica, *Belæ* juniori desponderetur. Clàm verò omnibûs, sese inter tacitè convenerunt Reges de nova *Ottocari* Uxore, *Belæ* Regis ex Filia Nepte. Posteaquam verò jam condictum hoc erat, media inter Hilaria ista, *Bela* cum Filiis clanculùm discessit cum insigni *Ottocari* tædio: novam deinde Filii Sponsam literis repetiit, sibi certò certiùs negandam, nisi & ab illo Neptis depacta *Ottocaro* submittenda fuisset. Discessûs, qui fugæ simillimus erat, causam in terrorem refundunt, quem *Belæ* tam ingens congregatorum Procerum numerus fecerit, accedente nonnullo hos inter exorto tumultu, quem Rex in se concitari existimaverit. Ego rectiùs arbitrari mihi videor, eundem occultò potiùs nuncio ingruentium jam jam Tartarorum tam insalutato hospite revocatum esse: in quos ut Signa sua expediret, nec momento tardandum erat. Sed si ita, Conventum hunc Regium primis Anni mensibûs factum fuisse oportet, cùm *Alexander* Papa, post jam relatam à *Bela* de Tartaris decumanam victoriam, mense Majo decesserit.

Ubi *Ottocarus* novam sibi Sponsam depactus.

V. Gesta post abitum Regis ita narrat Cl. *Balbinus* in Epitom. Rer. Bohemicar. p. 275. „Anno 1261. *Przemylaus Ottogarus* Bohemiæ Rex, *Margaretâ* Austriacâ, ingentis Animi Fœminâ, ob sterilitatem repudiatâ, neque ob id solùm, sed quòd, ut ait *Pulkava*, Treviris Parthenonem Sacrum Prædicatorii Ordinis post *Henrici* Cæsaris mortem ingressa, Cælibem Vitam diu professa fuisset, quod postea cognitum est, *Cunegundam* Filiam *Rosislai*, vel *Hostislai* Russiæ Regis (*Weleslavinus* habet, Bulgariæ Ducis) Neptem *Belæ* Ungariæ Regis, Pontifice annuente, Moguntino Archiepiscopo caussam priùs cognoscente, duxit Uxorem. Hanc, unacum Rege, hoc ipso Anno, die Natalis Domini, *Wernerus* Moguntinus Archiepiscopus Pragæ coronavit.„ In hunc sensum Scriptores Bohemi ferè omnes: in quibus etiam *Christoph. Hofmannus* Ostro-Francus Benedictinus Sant-Emeranensis Ratisbonæ, veterum Chronicorum Bohemicorum Teutonicus Interpres: item *Neplacho* Abbas Oppaviensis, utérque Seculi XVI.[ti] apud Cl. *Hier. Pez.* Tom. II. col. 1033. &

Repudium Dominæ *Margaretæ* quasi Auctoritate Ecclesiæ factum, cùm innotesceret, eam esse Monialem professam.

& 1102. Ac tandem Recentiorum plurimi, cum his, quos in re Patria, Regísque Bohemi factis præ omnibus audiendos putaverant, communi propemodum errore graviter aberrantes.

VI. Sed clarè satis in anterioribus ad Ann. 1246. à *Pernoldo* nostro dictum est, Dominam Margaretam ad Monasterium Monialium S. Catharinæ Ordinis Beati Dominici omnino quidem recessisse, *non verò Monialem factam, nec Ordinem professam, sed in Domo sancta piè & quiete victuram.* Item ad Ann. 1247. *Ut Provinciam Austriacam sibi dovotam redderet Papa* (Innocentius IV.) *per Dominam* Margaretham *efficere tentavit. Et cùm novisset, eam in Monasterio habitare, ac putaret, posse eidem consuetudine Monasterii in mentem venire Cælibatum perpetuum, vel Professionem Ordinis: hortatus est illam, ut pro Bono Ecclesiæ in periculoso ejusdem moderno statu cum Fratre Marchionis Misnensis*, Wilhelmi *Regis Nepote, nuptias faceret, ut hic per eam Jus acquireret in Austriam, & sic* Wilhelmus *Rex potentior fieret. Sed noluisse Marchionem, ac timuisse inanem spem &c.* Rursum deinde, postquam subjecisset, favorem Pontificis tunc ad *Belam* Ungariæ Regem conversum esse, denuo addidit: *Dominam verò Margaretham admonuit, ut iret in Austriam: quam novit esse ualde Catholicam Principem, ut Australes ad Ecclesiæ partes adducere studeret.* Postremùm tandem ad An. 1250. iterum tradidit. *Defuncto Hermanno Papa iterum requisivit Dominam* Margaretham, *ut* Florentio *Comiti Hollandiæ, Fratri* Wilhelmi *Romanorum Regis, nubere vellet, eúmque redderet Austriæ Ducem.* Adduxi præterea suis locis *Raynaldum*, hæc singula in Annalibus Ecclesiasticis ad suos Annos pariter tradentem, & ex Regesto *Innocentii* Epistolas quoque hujus Pontificis his de rebus ad Reginam nostram scriptis allegantem. Ad refellendos itaque Bohemos, ut *Ottocarum* Regem suum excusarent, *Margaretham* in Monialem transformantes, & ad fidem *Pernoldi* nostri stabiliendam, dum hoc Anno scripsit, *Ottocarum falsò sparsisse in vulgus, quòd certè jam sciret, Margaretham esse Monialem professam*, jam alio verbo opus non esset. Libet attamen cuneo cuneum opponere, aliorúmque etiam Scriptorum testistimonia audire.

Refellitur hoc Authoritate Pernoldi.

Et Raynaldi.

VII. Et primùm quidem Cl. *Hansizius* Metr. Laur. p. 402. excerpsit *Anonymum* quemdam Bohemum Sinchronum ad Ann. 1261. ita scribentem. „Regina *Margaretha* exivit de Bohemia „versus Austriam xv. Cal. Novembris: quas ob causas, DEUS „novit. Eodem Anno VII. Cal. Novembris Princeps Regni Bohe„morum duxit in Uxorem *Chunegundem* - - - quam venientem „Pragam cum solemni processione recepimus in Ecclesia Pra„gensi

Item aliorum Scriptorum testimoniis.

Anonymi Sinchroni Bohemi.

„gensi x. Cal. Januarii.„ Mirum profectò maximum, si Archiepiscopus Moguntinus, Mandatô Pontificis, discusserit, probaverit, & ipse fecerit hoc Divortium, eundem ad Regis famam, quæ deinceps hac de causâ adeò graviter & undique laboravit, eliberandam, rei hujus Æquitatem, vel pro concione, vel scriptô, aut suo, sive Apostolico, nuspiam evulgâsse, aut evulgari fecisse. Ut quid ejus causæ, si justæ, tam occultè latere debuerant, *ut*, fatente Coævo, rebúsque præsenti Scriptore, *solus DEUS eas noverit?* Alius Chronographus Bohemus, nisi pariter ejus omnino temporis, certè proximi, cùm ultra *Ottocari* Filium in Historia sua non progressus fuerit, apud Cl. *Hier. Pez.* Tom. II. col. 1113. sic refert. „Anno autem MCCLXI. „ipse *Odoacker* duxit in Uxorem *Chunigundim* - - - sed Dominâ „*Margarethâ sine judicio* Ecclesiæ repudiatâ.„ Idipsum his iisdem verbis repetit Chronicon *Augustanum* h. a. apud *Freberum* Tom. I. p. 535. Annales *Colmarienses* apud *Urstisium* Tom. II. p. 41. initio quidem perperam planè ajunt. „Rex (Otocarus) „ter dispensationem obtinuit à Papa, ut Matrimonium contra„heret cum Sorore *Margaretha*, Regina quondam Teutoniæ, „Moniali in Claustro Fratrum Prædicatorum apud Trevirim.„ Tertiùm nàmque obtigisse *Ottocaro* Dispensationem ab *Innocentio* Papa IV. „*Raynaldus* pariter asseruit, sed primùm ob Consanguinitatem inter ipsum & Reginam: deinde, ut, Electô Moguntinô nondum confirmatô, coronari possit ab Episcopis Pragensi & Olomucensi, absque præjudicio Moguntinæ Sedis in futurum: ultimò tandem pro Nothis, quos genuerat, veniam Natalium consecutus, nunquam autem, ut Monialem professam ducere posset. Quod verò postea subdunt iidem *Annales*, verius est, nimirum: „Paucis Annis per hanc Austriam „possedit. Cùm Liberos ex ea non haberet, petiit ab Episco„pis licentiam, cum alia contrahendi. Cui Episcopi responde„runt: *Quod DEUS conjunxit, homo non separet.* Rex ei Civi„tatem cum redditibus assignavit, in qua Regina quasi Vidua „residebat, ac paucis annis postea mortua est.„

Alterius ejusmodi. Chronici Augustani. Annalium Colmariensium.

VIII. Incertus Prosecutor Chronici *Martini Poloni* apud Ill. *Eccardum* Scriptor. Tom. II. col. 1423. sensum suum hac de re ita aperuit. „Anno sequenti scilicet MCCLXI. *Otokarus in fu„niculis iniquitatis trahens iniquitatem*, Conjugem prædictam „*Margaretham* repudiavit, non aliud ei quàm sterilitatis defe„ctum imputans.„ Hic percontari liceat, si legitimo Ecclesiæ judicio hoc in divortio processum sit, quis iniquitati locus fuisset? *Leobiensis* apud Cl. *Pez.* I. col. 826. ita effatus est. „Isto „anno *Otakerus Margaretam* Reginam, quia sterilis fuerat, *re„pudiat minùs justè*, & in Cremsa locat.„ *Hagenus* apud eundem col. 1080. in hunc modum discurrit. „Der Tewfl bracht

Prosecutoris Martini Poloni. Anonymi Leobiensis.

Hageni, & Horneckii. „daz zu weg, daz Chunig *Ottaker* seinen Weipp Fraw *Margarethen* veind ward, und versucht mit grozzen Gut gen Rom „an die Cardinael, daz si es zu weg prechten, daz er von Ir „ward geschaiden, und ein ander Weipp mecht genemen. Daz „der Papst nicht tun mecht, noch mit nichte nicht tun wolt. „Darnach sacz er die Frawen gen Krems, und liess sey selbes do „siczen &c.„ Hunc deinde *Haselbachius* & *Arenpeckius* latinè transcripserunt. In eundem planè sensum fusè *Horneckius* cecinit, ac planxit apud Cl. *Pezium* p. 90. cap. LXXVII.

Æneæ Sylvii. IX. Accedat his pariter *Æneas Sylvius*, postea factus *Pius* Papa II. Histor. Bohem. Cap. XXVII. apud *Freherum* in Scriptor. Rer. Bohem. p. 135. ubi de *Margareta* nostra loquens infit. „Eadem jam Anus (præpropere hoc, quia nubens An. 1252. „Annum duntaxat quadragesimum septimum egit) *Otocarum* „sibi Virum ascivit: qui non tam Conjugis ætatem, quàm do„tem animo volvens, sterile Matrimonium contraxit, & Prin„cipatum Nobilem consecutus, more humano, quantò plura „possedit, tantò majora concupivit. --- Sed quantum aucta est „ejus Potentia, tantum etiam insolentia crevit. Qui vivente le„gitima Uxore, & quæ sibi tantum Imperium adjecerat, alte„ram superduxit *Chunigundam* Regis Maschoviæ Filiam.„ Coacervata hæc Testimonia tot Veterum, potissima ex parte coævorum, antestare sanè videntur quorumlibet Recentiorum, Bohemicis è Scriptoribus de hoc Repudio garrientium, farragini.

Neque obstat dissimulatio Pontificis. X. Neque movent me illi, qui ingerunt, Æquitatem hujus Divortii abinde ferè fluere, quod nemo offensi Pontificis, aut pœnæ dictatæ meminerit. Oppono námque, & ajo, qui temporum illorum statum ritè introspexerit, minimè sic illaturum. Non continuò probata, vel excusata censere licet, quæ, cùm castigare non expedit, tolerari necesse est. *Pernoldi* verba sunt: *Sic potens iste Dominus, quem omnes timuerunt propter nimiam potentiam, egit, quod libuit. Raynaldus* deinde luculentè quemlibet edocet, quanto studiò acerbissimis illis Romanæ Sedis temporibûs adlaboraverint Summi Pontifices, ne *Ottocarum* sibi adversum haberent: qui unus omnium Imperii Principum ævo suo potentissimus exstitit. Nihil ergo omiserunt, quo affectum illius demererentur, laudandô, rogandô, favendô, dissimulandô ea præcipuè, ad quæ, nisi ultro vellet, cogi non posset. Quare nihil tam exiguum in ejus Historia, quod eum inter ac Pontifices intercesserat, à *Raynaldo* non diligentissimè expositum: qui tamen Mandatum Apostolicum, caussas Divortii cognoscendi, sive Legatorum alicui, sive Archiprææsuli Moguntino, aliquando directum, altissimè tacet. Quinimmo *Excusatorias* potiùs Regis Literas Pontifici submissas ex *Regesto*

Regesto allegat : quarum utique loco *Gratiarum Actorias* dare debuerat, si, quod *Balbinus* tradidit, *Pontifice annuente* hoc Divortium processisset.

XI. Unde rectissimè *Pernoldus* antè dictis adjecit : *Nescio quamdiu taceat DEUS, donec in vindictam exurgat.* Et addidit : // Propter probrosum & injustum hoc Repudium multo- // rum Australium affectus, & fides in *Otakarum* valde vacilla- // vit : *qui sic ex justo Possessore transivit in injustum.* Sed con- // tra hos ipse crudelem se gerere incepit. // Omnes hìc Apices contra vindicem Domini sui turbam Bohemicorum Scriptorum apertè depugnant, factum *Ottocari*, quem ego, si sineret veritas, innocentem immenso cum gaudio tuerer, manifestè tanquam injustum damnantes, quòd ex libidine duntaxat agendi, quidquid placuerat, per potentiam omnibus metuendam suffulta, processerit, ac talis fuerit, ut in ejus vindictam DEUS ipse aliquando exurrecturus meritò timeretur. Addunt & occasionem futuræ vindictæ : quòd nimirum *Ottocarus ex justo Possessore transiverit in injustum* ; cùm Regina, ut *Pernoldus* alibi ad Ann. 1252. dixit, *suum Jus illi commune* tantùm *secum fecerit*, nequaquam à se in illum plenè integréque transtulerit. Unde Thori communione soluta , cessavit quoque Communio Juris. Deinde, quòd erga illos, quorum in se affectum & fidem propter repudium istud vacillare advertit, crudelem se gerere incepit. Injusta possessione provocavit ejectionem suam : Crudelitate subditis extorsit querelas. Exurrexit autem verè DEUS, quando *Rudolphus* Habspurgicus ad ImperiumRomanum, quod *Ottocarus* detrectaverat, DEO mirabiliter providente, subvectus fuit. Quo pacto eum, quem sibi aliquando ab obsequio vidit, Dominum accepit, injustè occupata justè à se repetentem : cui cum, impulsu illius ipsius Conjugis secundæ, quam primæ legitimæ illegitimè superinduxit, novâ inobedientiâ obniteretur, etiam sanguine suo, & vita, pœnam exolvere, vindice Rhamnea compulsus est. Et hoc in Austria quidem, in cujus legitimam Principem Hæredem adeo turpiter offendit. Verùm de his ampliùs Anno locóque debito; *Pernoldo* interim nostro eoúsque se non extendente : qui Regis hujus infelicis tragœdiam usque in finem exequi noluit, quoniam calamum suum uni & soli Honori ac Famæ *Friderici Bellicosi* Ducis, & Dominæ *Margaretæ* Reginæ Sororis ejus Augustæ, vindicandis consecrare constituit. Residuis pauculis lineis nil nisi Mortem Dominæ hujus ac Sepulturam exponit : quas proinde ad Annum 1267. quò attinent, meritò reservo. Ego porro reliquum Historiæ Patriæ prolixum adhuc iter, non sine formidine, inter ambigua multoties Chronicorum diverticula, sæpenumero ad falsi veri-

Prævisa hujus facti sumenda à DEO vindicta.

Pernoldi Chronica cessat.

verique, certi & incerti bivium deducentia, intutus prosequi compellor.

Annus 1262.

Alfonsus Castiliensis à Pontificè Coronam Romanam frustra quærit.

XII. **R**Ichardo Anglo, & *Alphonso* Castellano Rege, discorditer in Germania Electis, de Imperio Romano adhuc æmulantibûs, posterior per Oratorem suum expetiit à Pontifice *Urbano IV.*, ut Imperator confirmatus, ad Coronam Romæ capiendam evocaretur. Respondit verò Papa: Jurium ambiguitatem, quæ ille, & quæ *Richardus* allegaret, non ferre, ut, ipsi, quantumvis tanquam verè Catholico Principi, impensè faveat, eidem Imperii causam, tanquam pronunciatò, adjudicet, dissensione Principum nullatenus adhuc in concordiam reducta. Dum autem idem *Alfonsus* Rex, alioquin *Sapientis* cognomine celeber, in partes *Manfredi* Siculi declinans, acceptâsset ab eo mutuum Connubiale Pactum, ut Filio suo Filia illius desponderetur: recepisset præterea in se, *Manfredo* Pontificem vel bonis conciliare, vel viis denique omnibûs pacem, usúmque Regni tranquillum eidem evincere: vehementer offensus *Urbanus*, seriò eundem, gravissimísque literis, quamvis incassum, dehortatus est, ne tam publico Ecclesiæ hosti manum commodare, amicum agere, suæque Regiæ, ac semper Catholicæ Prosapiæ, æternum dedecus inurere vellet. Ipse pariter S. *Ludovicus* Franciæ Rex, qui similiter cum *Alfonso* Rege tam pacem, quàm Nuptias inter Filium suum ejúsque Filiam, nuperrimè pepigerat, audita ejus cum Siculo Conventione, illico suis à pactis, etiam post pronubos annulos jam ultro citróque commutatos, resiliit, nolens illi Affinis fieri, qui Ecclesiæ hosti studeret. Quem propterea Summus Pontifex speciosissimis laudibus deprædicavit. *Raynald. h.a. XIV. p. 71. sqq.*

Transit ad partes Manfredi Siculi;

Correptus idcirco à Pontifice, & S. Ludovico Rege.

Circumlatum Diploma Richardi Angli alterius Romanorum Regis Electi: quo conferuntur Ottocaro Feuda Austriæ & Stiriæ,

XIII. De *Richardo* Anglo, altero Imperii Romani Æmulo, circumfertur Diploma, editum *Aquisgrani nona die Augusti Indictione quinta Anno Domini Millesimo Ducentesimo Sexagesimo secundo, Regni verò sexto*: quod *Melchior Heiminsfeldius Goldastus* (vulgò *Guldenast*) *in Append. Documentor. ad Commentarios* suos *de Regno Bohemiæ* p. 26. & item 46. geminô exemplô vulgavit: quorum primum velut ex Authographo transscriptum sit, alterum insertum exstet *Caroli IV.* Imperatoris & Regis Bohemiæ Diplomati Confirmatorio de Anno 1348. Eodem *Richardus*, initiô commendat *Ottocarum*, quod nullis provocatus beneficiis, ultro se in ejus fidem & obsequium transtulerit: deinde in grati animi signum confert ei Feuda Principatuum Regni Bohemiæ, & Marchionatus Moraviæ. Quò autem, pro suæ devotionis Merito, eum pleniùs & insigniùs honoret, ipsi, &

& Hæredibus ejus, insuper duos Nobiles Principatus, Ducatum videlicet Austriæ, & Marchionatum Stiriæ, ad manus Imperii, & suas, de jure liberè devolutos, in perpetuum confert integerrimè possidendos. Huic verò Chartæ dudum jam obelum fixit Cl. P. *Antonius Steyrer* in Additionib. ad Commentar. pro Histor. *Alberti II.* Ducis Austr. ad Cap. I. Col. 141. seqq. illúdque compluribûs, ac sanè fortibûs rationibûs, in medium prolixiùs adductis, sublestæ fidei propè penitus convicit.

XIV. Nam I.^mo Ambo ejus Exempla, per *Goldastum* proposita, verbis ac Sententiis admodum discrepant. II.^do Subsignatio hujus Chartæ notat *Aquisgranum* Germaniæ Urbem, & Annum 1262. Verumtamen *Richardus*, profusô aurô suô neglectum se videns, Mense jam Januario Anni 1259. tædio plenus in Angliam redivit, negotia Imperii deinceps gerere negligens, nullóque fido testimonio constat, eum deinceps iterum in Germaniam rediisse: quinimmo à Rebellibus in Anglia captus est. Quomodo ergo isto Anno Aquisgrani hoc suum Diploma signare potuerat? III.^tio Commendatur in eodem *Ottocarus* à fide & obsequio singulari, quibûs de *Richardo* insigniter meruerit: sed quomodo, quando, & ubi hoc factum, apud neminem Scriptorum offendes. E converso autem ex his exploratum est, ideo scissam fuisse initio statim Electionem, quia *Ottocarus* in Anglum se consensurum esse pernegans, Authoritate sua Trevirensem Archiepiscopum ad secessionem votorum præcipuè impulit, & animavit. Quoniam verò deinde *Richardus* nihilominus in Germaniam venit, coronatus fuit, & propè bienniô, quamdiu crumena turgebat, à Principibus, quasi ad spectaculum pompâ scenicâ per Urbes circumducebatur: *Ottocarus*, cui tum temporis cum Bavaris, Stirisque negotium erat, ne Electi Regis Arma in se irritaret, callidô consiliô & ipse speciem obsequentis exhibuit. Mox verò, vel ipso *Goldasto* fatente, ab eodem rursum desciscens, eúmque contumeliosè deferens, conspiravit cum cæteris Principibus, effecítque, ut *Richardus*, opibûs per inanes conviviorum & Ludorum pompas probè emunctus, cum damno & dedecore in Angliam reverti cogeretur. Quæ ergo huic Regi causa esse poterat, quadriennio postea Regem *Ottocarum* ab insigni erga se fide, & obsequio, vehementer deprædicandi, &, ad compensanda peregregia de se Merita, eundem duobus Nobilibus Principatibûs, Austriâ, Stiriáque donandi?

Sed hoc subleſtæ fidei esse fortibûs rationibûs propè evincitur.

XV. Mitto cætera Cl. P. *Steyreri* argumenta, ex ipsâ phrasi, & verbis prætentæ hujus Chartæ, contra ævi, ac curiæ stilum, graviter impingentibus, desumta: qualia sunt, Stiriam, quæ ab octoginta jam Annis Ducatûs elogium tulit, hìc Marchiona-

Argumenta alia contra hoc Diploma.

chionatum appellari: Regnum Bohemiæ dici *Principatum*: cùm *Ottocarus* Austriam, Stiriámque jam pluribûs annis tenuerit, utrámque eidem nunc in præmium fidei ac Meritorum veluti novissimè conferri, non confirmari, nulla penitus juris, quo illas hucusque possederit, facta commemoratione. Unde necessariò fluit, eum pro anterioribus Annis injustæ Usurpationis tacitè argui: quæ sanè cum antea laudata ejusdem fide nullatenus cohæret. Quibus meritò addas, falsissimè ibi dici, *Ducatum Austriæ*, tanquam ab Institutione sua per Constitutionem *Friderici* I. Imperatoris Feudum Fœmineum, *ad Manum Imperii, & ad suam, de jure liberè esse devolutum.* Quo, obsecro, jure, vivente adhuc D. *Margareta* Seniore Filia Ultimi Ducis imperantis, aliisque Principibus Babenbergicis Fœminis? Aliud est, si ad *Rudolphi* Augusti tempora respicias. Hic námque Augustus, convulso per *Ottocari* violentiam Hæreditario Jure, Austriam armis, ac Sanguine suo, sibi & Imperio vindicavit.

Ottocarus Feuda Austriæ ac Stiriæ ab Imperio non consecutus est.

XVI. Judico itaque cum Cl. *Steyrero*, Regem *Ottocarum* nullâ unquam Chartâ Regiâ Feudorum Austriacorum, ac Stiriensium, Beneficium consecutum esse, sed, juxta effatum superius *Pernoldi* nostri, repudiatâ Dominâ *Margarethâ*, esto, Divortium ipsum judicio Ecclesiæ legitimum fuisset, Principatum tamen quod attinet, justo ex Possessore in injustum transivisse: quod sanè nemo Regum Romanorum justè probare, quinimmo nec dissimulare potuerat. Unde postea à Legatis *Rudolphi* Imperatoris de Usurpatione, & Restitutione horum Ducatuum interpellatus *Ottocarus*, nullam de Diplomate *Richardi*, quo peroptimè in speciem defensus fuisset, mentionem ingessit. Diploma quoque *Rudolphi* Cæsaris *Cassatorium*, ut ajunt, Actorum *Richardi*, quod Cl. P. *Martene* Thesaur. Anecdotor. Tom. I. p. 1169. in lucem eduxit, huic Chartæ *Richardi* pro *Ottocaro* nullam fidem conciliat. Neque enim ejusdem in individuo, vel argumenti illius memor est: sed universim duntaxat irrita declarat omnia Privilegia, quæ *Richardus*, absque præhabito Principum consensu, elargitus fuit.

Animadversionem verò Pontificis propter divortium timens, eum studiosè delinivit.

XVII. Id verò multò certius, *Ottocarum*, propter divortium cum Domina *Margareta*, passim in Orbe, maximè apud Australes, peiori fama indies laborantem, pertimuisse tandem, ne & ipse pariter Summus Pontifex, tot murmurantium querelis incitatus, gravius aliquid in se statueret: quem proinde modis omnibûs delinire contendit. Opportunum ad hoc accidit, quòd Imperii Principes, æmulorum Regum Electorum tædiò correpti, cogitationem adjecerint ad utrúmque deserendum, tertiúmque assumendum, animo in *Conradinum Friderici II.* Imperatoris ex Filio *Conrado* Rege Nepotem, conjecto. Summè

id

id nolle, immo aversari Pontificem, probè *Ottocarus* novit: Quocirca, quamprimùm Vota Principum in hunc exosum Papæ Regium Adolescentem collimare intellexit, extemplo id *Urbano* IV.[to] submisso Oratore *Petro* Capellano, contestandæ summæ fidei suæ causâ, nunciavit. Quantam porro hac re gratiam apud Pontificem inierit, conjicere licet è Verbis istis Epistolæ ab *Urbano* rescriptæ, quæ speciosissimis cæteris *Ottocari* Elogiis adjecit. „Propter quod, ait, ad Personam Tuam copiosa men„tis affectione dirigimur, & intra cordis intima revolventes, „quid Gratiæ, quid favoris Filio possimus impendere tam ex„celso, & quibus honorificentiis suum insignire Statum Magni„ficum valeamus.„ Imperii verò Principibus anathemate vetuit, ne in favorem *Conradini* ad promovendum eum in Regem quidquam agerent, contestatus, & addens, qui contrà ausi forent, ipso facto à se diris esse perculsos, ac proinde ad Electionem, ut excommunicatos, accessuros, omnéque factum eorum irritum & inane futurum esse. *Raynaldus b. a.*

Urbanus Papa *Conradinum* eligi vetuit in Regem Romanorum.

XVIII. Quò autem fortiùs *Urbanus* novæ Exaltationi Familiæ Regiæ Suevorum obniteretur; arripuit vetus *Innocentii* Papæ IV.[ti] Consilium, Regna Sicula in Franciæ Principem transferendi. Quapropter eadem *Carolo* Provinciæ Comiti, S. *Ludovici* Regis Fratri, novis pactis deferri per Nuncium jubebat. Adhæsit primùm tenerrimæ conscientiæ Rex, ne cum aliorum injuria, hæc Regna Domui suæ accrescerent: dum fortè neque *Conradini* jura tam essent protrita, ut nulla planè religione mererentur contemni: neque Angliæ Rex impunè laturus esset, Siculam Coronam, quam *Alexander* Papa IV. *Edmundo*, Regio ibidem Principi, depactus fuerat, nunc à Francis occupari. Sed *Urbanus* Religiosissimum Principem utróque dubio liberrimum esse jussit: quòd Ecclesia in conferendo Regno, sibi fiduciario, meritò reformidaret illum Sanguinem, in *Conradinum* una cum vitiis facillimè transfusum ejusmodi à Progentoribus, qui illam acerbissimè persecuti, sua in malitia impœnitenti animo usque ad mortem perstiterunt. Pacta porro cum Anglis olim inita, eo ipso dissoluta esse, quod *Henricus* Angliæ Rex, Pater *Edmundi*, iisdem tanto tempore non steterit, promissam Ecclesiæ opem contra *Manfredum* eductis armis nunquam impendens. His cùm acquiesceret *Ludovicus* Gallicus, infibulatum est illud tristissimum & exitiabile filum, quo fatum *Conradini*, simúlque *Friderici* Austriaci, Dominæ *Gertrudis* Filii ex *Hermanno* Badensi, colligatum erat, non nisi tandem ense infami, qui utriusque colla Neapoli succideret, abrumpendum. Dominam *Gertrudim* ab *Ottocaro* Austriâ expulsam, neque in Stiria toleratam, profugam tandem in Misnia apud *Materteram Constantiam* (lege Amitam) veluti delituisse, Author est *Haselbachius*.

Siciliam *Carolo* Principi Gallico detulit.

Inde cœpit miserum fatum *Conradini* Suevi, & *Friderici* Austriaci juvenum Principum.

Domina *Gertudis* ab *Ottocaro* expulsa,

Filiolum ejus *Fridericum*, qui hoc Anno ætatis 14.[tum] ingressus est, apud *Conradinum* in Suevia, Ducum Bavariæ favore, plenè educatum fuisse, mihi ratio Historiæ suadet. Inde etenim animi Conjunctionem utrorúmque Principum natam existimo. De *Agnete* Filia alibi sermo erit.

Annus 1263.

Gesta diversa variorum.

XIX. UMbratilem denuo contentionem pro Imperio Romano instruxit *Alfonsus* Castellanus per Oratores, postulans, à Sede Sancta, se inter, ac æmulum *Richardum* Anglum, decretoriam Sententiam dici, sibique Coronam decerni. Dicta ergo utrique à Pontifice dies, qua essent comparituri, &, ad amoliendam invidiam, ambo Regis Romanorum Electi axiomate salutati. *Manfredus* pariter ea, quæ pacis essent, perpetuò offerens, armîs interim victricibûs quotidie ampliùs in Ecclesiæ ditionibus grassari perrexit. Angli insurrexerunt in Regem suum. Constantinopoli *Paleologus* tantùm jam triumphavit, ut *Balduinum* Imperatorem propè omni Provincia expulerit. Tartari *Belæ* Ungariæ Regi, qui neque cum propriis Filiis pacem coluit, jam denuo, sive fœdus, sive excidium denunciârunt: nisi hoc otiosa Chronicorum, ut solent, repetitione, proximis ex Annis transcriptum sit. *Raynald. h. a.*

Salisburgum à Bavaris propter *Ottocarum* inclementer habitum.

XX. Salisburgensis Provincia miserè & inclementissimè habebatur. *Ottocarus* quippe *Philippum* olim electum iterum imponere studuit: Contrà *Henricus* Bavariæ Dux, Regem persecuturus, vastavit Provinciam. Cùm itaque Anno superiore Urbem Salisburgum aggressus, partem ejus minorem, quæ trans fluvium Salzam est, dextrámque ad ripam, cepisset, & exussisset, inspectante Archiepiscopo *Ulrico*, itémque Legato Apostolico, in Urbe existentibûs: hoc anno graviorem fecit assultum Civitatis, sed irritum, & abruptum, quia ipsum quodammodo Cœlum se irasci palam testabatur subitaneo fulmine, quod in Oppugnatores terribili cum fragore, sudo penitus Cœlo, excussit. *Cl. Hansiz. Metrop. Salisb. p.* 360. *sq.* Si deinde Chronicæ *Australi* fides, cum qua & *Cl. Neoburgensis*, aliæque Chronicæ Patriæ plures, eadem plerúmque verba faciunt, hoc anno *Dux Carinthiæ* (Ulricus III.) *cum Domina Agnete, Filia Hermanni Ducis Austriæ* (secundis Nuptiis) *contraxit.* Prima quippe aut saltem anterior Conjux eidem fuit *Agnes* alia, Ducissa Meraniæ, olim à *Friderico II. Bellicoso* Duce Austriæ repudiata. Paria retulit *Megiserus* Annal. Carinth. L. VIII. Cap. 25. p. 870. Si tamen ita, nupsit *Agnes* anno ætatis decimo tertio (quippe nata anno 1250.) Hymeneô sanè præproperô, qui fidem vix reperiat.

Agnes Filia Dominæ *Gertrudis* nupsisse jam dicitur.

Annus

Annus 1264.

XXI. PRopter nimiam in Ecclesiæ Ditiones *Manfredi* licentiam urgebat Pontifex Francorum auxilium. Quia verò S. *Ludovicus* Rex nullum Filiorum suorum Siculis in Regem concedere voluit: *Urbanus* ad *Carolum*, Fratrem Regis, Andegaviæ & Provinciæ Comitem, dimisit Legatos, Regnum obtulit, Pacta exsplicuit, illóque, & Fratre annuentibûs, præsentem Redemtorem invocavit. Romani eundem Principem supremi sui Senatoris, i. e. Præfecti, Dignitate extulerunt. Sed hanc ab ipso acceptari, tenerique per Quinguennium duntaxat, certísque sub conditionibus Papa annuit: ne, quem defensionis causâ vocavit, ob nimiam deinde potentiam formidare cogeretur. Sui igitur locò *Carolus* Romam Vicarium submisit, qui in Italia inchoaret *Manfredi* depressionem, dum ipse in Francia exercitum instrueret. In Anglia subditorum perduellio eam in licentiam excrevit, ut *Henricum III.* Regem suum, Filiúmque *Eduardum*, insuper & Fratrem Regis *Richardum*, Electum Romanorum Regem in acie caperent. Salisburgi *Ulricus* Archiepiscopus, possessione tranquilla nunquam gavisus, immensis terroribus, periculis, malis usque ad carcerem exagitatus, opibûs destitutus, & nihilosecius diris quoque Pontificiis laborans, quòd Summam, pro subsidio Terræ Sanctæ sibi indictam, exolvere nequiret, Archipræsulatu, quem summè invitus acceptaverat, ultro se abdicavit coram Capitulo Metropolitano, Literis veró coram *Urbano* Pontifice. Sed hic initio Octobris die ejusdem 2.da Perusii decessit ad Dominum, cujus in terris Vicarium egerat Annis tribus, mense uno, diebus quatuor, hoc anno Successorem non habiturus. *Rayn. & Franc. Pagi Breviar. Crit. III. p. 311.*

Carolus Francus Andegavensis acceptat Siciliæ Regnû, & exercitum parat.

Richardus Rex Roman. capitur.

Ulricus Archiep. Salisb. abdicat.

Urbanus Papa moritur.

XXII. Rhuteniis & Lithuaniis Prussiam infestantibûs, incessit *Ottocarum* cupido, sanctâ operâ de Ecclesia denuo benè merendi. Qua de causa Crucem in eos cùm ipse suscepit, tum à plurimis in Bohemia, Moravia, Austria, & Stiria suscipi procuravit, collaudante, ac incitante Pontifice, ut habet *Raynaldus*. Expeditio verò quadriennio dilata. „ Hoc interim Anno „ (ait Chronica Australis) Juvenis Rex Ungariæ *Bela* (natu minor „ *Belæ* IV. Regis Filius) contraxit cum Domina Filia Marchio„ nis Brandenburgensis (cujus Uxor *Ottocari* Soror fuit) Ob cu„ jus honorem Rex Bohemiæ *Otakarus* Avunculus suus maxi„ mum Festum in Campo, qui *Vizze* (Fischa) dicitur, cele„ bravit, vocatis ad hoc multis Principibus de partibus diver„ sis: cum quibus expensas fecit infinitas. „ Idem testatur Chronicon *Salisburgense* Pezianum, & apud Cl. *Balbinum* Epit. p. 277. Scriptor coævus Bohemus, inter alia recensens veterem

Ottocarus Crucem pro Prussiâ accipit.

Nepti suæ Nuptias magnificas instruit.

apud Ungaros Reges sponsam capiendi ritum : Ubi *ab Equite Hungaro stricto ense ex Capite Reginæ Corona decutiebatur.* Gloriam sui Regis his verbis, Narrationi adjectis celebravit. „Quis „autem non possit mirari tam Magnificum Principem, qui ab „utero Matris suæ ab auro & argento vocatus est Rex Aureus? „Qui datâ sibi sapientia desuper, Pontem per Danubium jam „altera vice, ut sui exercitus irent, ac redirent, mirabili arti„ficio fabricavit? „

Domina *Margaretha* Regina benefecit Zwetlæ.

XXIII. Annales *Zwetlenses* h. a. p. 371. de Dña *Margareta* Regina, rejecta *Ottocari* ita prædicant. „Dedit integrum Orna„tum Missæ Domui nostræ, videlicet subtilem Dalmaticam, „cum Casula, & cum aliis Ornamentis Ecclesiæ, Liberta„tésque hominum nostrorum & confirmavit, & auxit. „ Paginâ alterâ ait Rever^mus Annalista *Linckius* de suo tempore, sive Seculo superiori. „De Ornatu Reginæ, quem obtulit, viden„tur hodie duæ Dalmaticæ, cum sua Casula, ex serico vel ho„loserico rubro superesse : item Pluviale ex panno subtili ni„grum, textis ex aureo filo floribûs, per totum Aquilis & Leo„nibus prominentibus sparsum, & variatum, quæ Seculum il„lud sapiunt. Pluviale præfatum hodie conversum est in An„tipendium pro Altari summo, in usum pro Defunctis appli„catum. „ Sic pia hæc Domina dies malos obtrusæ sibi cum opprobrio Viduitatis in bono vincere studuit, cultum illius, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, in consecratis eidem Domibus devotis, & opum suarum sancta prodigalitate, & fortè propriarum quoque Manuum Regiarum pio labore, identidem promovere contendens. Id, quod paulò post pleniùs audiemus.

Annus 1265.

Clemens IV. Papa electus.

XXIV. TAndem in Sanctam Sedem Apostolicam, quinto Mense jam Viduam, communibus Votis die 9na Februarii subrogatus est iterum *Guido Fulcodius* ex Provincia Narbonensi, Cardinalis Episcopus Sabinensis, antea Archiepiscopus Narbonensis, coronatus, ut putatur, die Mensis ejusdem 22da, dictúsque *Clemens IV^tus*, cùm Sancti hujus festum diem, Natalem habuisset. Primum erat, ut *Carolo* Andegavensi, Duci Francico, Regna Siciliæ & Neapolis denuo addiceret, ídque tantò magis, quia *Manfredus* vias omnes cautissimè munierat, ne Papa novus, absens in Legatione Gallica electus, Italiam veniro posset, quin in casses ejus incideret : quos tamen, sive Mercatorem, sive Mendicantem Fratrem habitu præseferens, evasit. *Carolo* itaque Romæ existenti, ut Supremi Senatoris Dignitatem iniret, Pontifex per Cardinales Regalia, & Feudum Siculum impendit. Urbem interim obsederat *Manfredus* : & cùm in eo

Carolo Francico Feuda Siciliæ contulit.

frustra

frustra esset, *Carolum*, apertam in aciem provocavit, non malè ratus, moram sibi obesse. Pronus etiam erat Andegravensis in arma : suasit verò *Clemens*, ut Exercitum Gallicum exspectans, fortunam suam uni prelio, incertæ dubiæque aleæ, nequaquam exponeret.

XXV. *Alphonso* Castellæ Regi idem Papa persuadere nitebatur, ut Electioni suæ in Regem Romanorum ultro renunciaret. Sibi enim eandem inutilem fore, nec unquam effectu complendam : Germaniæ contrà, cujus omnis disciplina sine Capite interitura erat, & Ecclesiæ, quæ Defensore carere deberet, summè esse nocivam. In Angliam Legatum submisit, qui Subditos rebelles modis omnibûs componere, atque compescere studeret : simul verò illi Regno à S. *Ludovico* Franciæ Rege auxiliares copias obtinuit. Quibûs postea mediis, *Eduardus* Princeps Regius, carcere iniquo perduellium elapsus, egregiam de iis victoriam obtinuit, ipso capite eorum *Simone Montfortio* cæso, hócque pacto *Henricum* Regem Patrem, & *Richardum* Electum Romanorum Regem Patruum suum, feliciter in libertatem asseruit. *Raynald. h. a. & Franc. Pag. p.* 312.

Alfonso suafit renunciare Imperio Romano.

Angliam pacavit.

XXVI. In Austria patuit hoc anno, quomodo, teste suprà *Pernoldo* nostro, propter probrosum & injustum Dominæ *Margaretæ* repudium, multorum Australium affectus & fides in *Ottocarum* vacillaverit : ipse verò erga sibi suspectos crudelem se gerere inceperit. Referunt quippe Chronica *Australis*, & *Neoburgensis*, cum *Leobiensi* hunc ad annum. „Dominus Rex Bo„hemiæ eodem anno *Missowarium*, & *Benesum*, & Dominum „*Mylotum* Fratrem ejusdem, redegit, in captivitatem *in Ay*„*chorns* : in qua *Missowarius* est mortuus.„ Nomine *Missowarii* venit *Otto de Meissau*, Vir clarissimæ ævô suô Familiæ : de qua prolixiùs dísseram Tom. IIII. inter *Familias in M.* Ubi & miserum, & planè peculiare hujus Domini fatum latiùs exequar: qui vicinis Principibus charissimus, hac ipsa Existimatione sua *Ottocaro*, semper malè de Usurpatione Austriæ sibi metuenti, grandem solicitudinem, licèt fidelissimus, injecit: qua se, nisi morte innocentis, eliberari non posse putavit. *Benesi* minorem notitiam habeo : quem puto interim, fuisse *Bonesstium* illum, Moraviæ Camerarium, qui in Diplomate quodam *Ottocari* pro Mellicensibus de AN. 1256. Testis legitur apud Cl. *Hueberum* Austr. p. 24. n. 6.° *Mylotum* Fratrem ejus nullibi offendi.

Ottocarus in Australes crudelis esse incepit.

XXVII. Pataviæ V. Id. April. pio decessit agone *Otto* Episcopus Vir piissimus, & Pater Cleri, omnium laudum genere inclitus. Cui Successorem Canonicorum Vota destinaverant *Wladislaum* Silesiæ Ducem, *Ottocari* Regis ex *Anna* Sorore Nepotem, Juvenem non minùs eruditione ac moribus, quàm Genere

Otto Episc. Patav. moritur.

Wladislaus novus electus.

nere illustrem: in cujus Commendationem ipse Summus Pontifex *Clemens* ita ad Canonicos rescripsit. „De cujus meritis, „ac probitate, quia multa laude digna nobis relata fuerant, cer„tam volentes notitiam obtinere, eundem Electum ad nostram „duximus præsentiam evocandum. Qui velut obedientiæ Fi„lius se nostro Conspectui præsentavit.„ Cùm verò deliberâsset Pontifex, uti persequitur, Electionem Pataviensium admittere, Archiepiscopus Salisburgensis *Ulricus* dimissionem suam apud ipsum efficaciter ursit, Oratoribûs pariter Salisburgensibûs pro eodem *Uladislao*, sibi præficiendo, supplicatione ardenti instantibûs. Quibûs permotus Papa, hunc ornatum & juvenem Virum constituit Metropolitam Salisburgensem. „Non „obstante defectu, ait, quem in Ordinibus pateris, & Ætate, „spem grandem ac fiduciam obtinentes, quòd, cùm sis multo„rum Principum Consanguinitate & Affinitate subnixus, Litera „sufficienti donatus, gravis moribus, conversatione placidus, vi„tæ honestate conspicuus, aliisque Virtutibus multipliciter in„signitus, in spiritualibus nihilominus providentiam, ac in tem„poralibus discretionem obtinens, Ecclesia eadem per tuam „potentiam, & circumspectionem fructuosam, ab instantibus pe„riculis efficaciter erueretur.„ Postulârunt itaque *Wladislaum* duntaxat, non obtinuerunt Pataviensés: pro quo eisdem Papa præposuit *Petrum*, illius Magistrum ac Præceptorem, pariter ab integritate Vitæ, atque doctrina laudatum. *Cl. Hansizius Metr. Laur. p. 405. sq.*

Sed â Pontifice Salisburgensis Archiepiscopus esse jussus.

Patavie Cathedram *Petrus* conscendit.

Annus 1266.

Carolus coronatur Siciliæ Rex: *Manfredum* superat, & occidit.

XXVIII. IN die Epiphaniæ Domini hujus Anni *Clemens* Papa *Carolo*, novo Siciliæ Regi, & Beatrici Reginæ, Romæ per delegatos Cardinales Diadema Regium imponi curavit. Abinde Rex contra *Manfredum* procedens, è Campania citeriorem in Siciliam Signa traduxit, nemine sibi resistente. Primô preliô hostem contrivit ad S. Germanum: profugum deinde Beneventanam ad Urbem, hac occupata, ad internecionem cæcidit, atque dispersit, ipso *Manfredo* cadente, & Conjuge in captivitatem abducta. Quo successu lætatus Pontifex, Imperio quoque Romano, certo dignóque de Capite consulturus, *Richardo* per Legatum, qui in Anglia versabatur, certum diem dicendi, si quod habere sibi videretur, Juris præfigi voluit, *Alfonso* Castellano id suis ipse Literis injunxit: cùm Ecclesia Defensore ultra carere non posset. *Raynald. p. 132. sqq.*

Papa Electis Romanorum Regibus diem dicendi juris constituit.

Ottocarus in Bojos irrumpit:

XXIX. *Ottocarus*, veteres iras *Henrico* Bavariæ Duci jam dudum reservans, nunc Salisburgô per inaugurationem *Ladislai* pacatô, inde novi Belli Boici causam decerpsit, quòd *Henricus* anterioribûs Annîs huic Ecclesiæ damna gravissima intulisset: quorum recompensationem quærere, sibi, quem Papa semel, iterum,

rum, ac tertiùm, Salisburgensibus Defensorem constituisset, ex munere incumberet. Quocirca conscripto amplissimo, lectissimóque exercitu, inde quidem ex Agro Salisburgensi Episcopum Olomucensem immisit, hinc per ditionem Chambensem ipsemet Bavariam, nihil tale præstolantem, inundavit, & utrinque dirè satis inclementérque sævitum, donec Annonæ inopia reditum indiceret. Sed interea exciti, iratique Boii, *Ottocaro* jam reversô, exercitum ejus malèmultârunt, permagno Nobilium Austriacorum & Bohemorum numerô vinculis exceptô. Austriæ deinde talionem admensi, Urbe Pataviæ noctu, per fraudem, ac proditionem capta, eandem majori ex parte direptam, flammis exusserunt, hominibúsque compluribûs unacum præda abductîs, triumphabundi abscesserunt. Ita *Ottocarus* nunquam in Bavaros fœlix pugnavit, lætîs initiis tristî semper epilogo exceptîs: neque sociis postea Bojorum armis, quia ubique invitâ Justitiâ, felicior futurus.

malè denuò multatur.

Annus 1267.

XXX. GAudentem, ac respirantem de oppressione *Manfredi* Italiam, jam iterum hoc Anno turbo novus vehementer perculluit: dum *Conradinus* Sueviæ Dux, & natus Jerusalem atque Siciliæ Rex, stipatus Duce Bavariæ *Ludovico Severo*, item *Meinhardo* Comite Tirolis, & *Friderico* Austriaco, *Hermanni* Badensis atque *Gertrudis* Filio, florentissimóque accinctus Equitatu, illuc adveniret, factiosîs plurimis in Sicilia, Italia, immo & Romæ, eum cum desiderio præstolantibûs. Unde & Regem se scripsit, Sigillo Regio usus est, suósque Vicarios instituit. Romæ eidem favebat *Henricus*, Frater *Alfonsi* Regis Castellæ: quem Romani supremum suum senatorem dixerunt, postquam *Carolus*, Siciliâ jam obtentâ, ex initis cum Pontifice pactis, illo munere ampliùs frui non poterat. *Henricus* iste, *Carolo* Regnum Siciliæ non favens, cum Fratre *Friderico* promovit partes *Conradini*, ac præcipuus erat, qui eum in Italiam pellexit.

Conradinus Suevus cum exercitu in Italiam venit atque cum eo *Fridericus* Austrius.

XXXI. Pontifex porro nihil non egit ad *Carolum* tuendum, ac depellendum *Conradinum*. Mox ergo fines Italiæ attingenti, interdixit bellum sub anathemate, relinquens ipsi liberum, ut, si jure se fretum existimaret, illud per judicium quæreret, non armis persequeretur. Parem sententiam Comitibus ejusdem universis, & quoquo Locorum degerent, Fautoribus, atque Adjutoribus intentavit. Cùm verò his tonitruis frustra esset, híque animosiùs pergerent, fulmen Dirarum in omnes iterum iterúmque intentavit. Contrà verò *Carolum*, vacante Romano Imperio, salutavit *servatorem Pacis Italiæ*, eique commisit,

Feriuntur Anathemate Pontificis.

Qui *Carolum* constituit Servatorem Italiæ.

fit, ut, vice Imperatoris, Longobardiam interea contra *Conradinum* in officio contineret, hoc cauto, ne inde quidpiam sibi arrogaret, sed futuro Imperatori salva omnia Italiæ Jura relinqueret, & resignaret. Præcipuè autem *Ottocarum*, maximi nominis Principem, novi hujus turbinis, qui premeret Ecclesiam, commonuit, hortatus eundem, ne unquam à *Conradino* stare vellet, eò maximè, quòd hic in Exercitu secum haberet Bavariæ Dùcem, Regi magnopere infensum, & *Fridericum*, qui se Ducem Austriæ appellet. *Raynald. h. a. p. 141. sqq.*

Ottocarum hortatus est, ne Conradinum juvaret.

Electis Romanorum Regibus diem dixit.

XXXII. Quoniam verò multis vehementer displicuit, Pontificem pro Imperatore Vicarium Italiæ constituisse, & audax hoc facinus dicerent, quod in Manifestum Juris Publici, ac Imperatorii præjudicium vergeret, præcipuè verò *Alfonsus* Castellanus, ut Electus Romanorum Rex, illud resensit, publicáque reclamatione detestatus est : Animosior *Clemens*, ipsi, & *Richardo* Anglo, iterum diem dixit ad excipiendam de Imperio sententiam, constitutis in Germania, Italia, Gallia, & Hispania Urbibûs, ubi Testes pro *Alfonso* audirentur. Nam languentibûs Principibûs, ajebat, nec officium suum facientibûs, pertinere ad Vicarium Christi, Imperio Caput, Ecclesiæ Defensorem providere. *Raynald. unde suprà pag. 145.* Pax, quæ operâ *Guidonis* nostri, Cardinalis Legati per Germaniam, Viennæ *Ottocarum* inter & *Henricum* Bavariæ Ducem coaluit, haud è voto Pontificis fuit, metuentis, ne inde res *Conradini*, cujus Mater Dux Bavara, & *Ludovici*, atque *Henrici* Ducum Soror erat, accessionem non modicam sumeret.

Pax inter *Ottocarum* & Bavarũ.

Pernoldi clausula de obitu *Margaretæ* Reginæ.

XXXIII. Nunc porro adhuc semel, omnium verò postremùm audiendus est nobis *Pernoldus* noster, qui diu obmutuit, de Domina *Margareta* Regina repudiata ita testatus. // Afflicta Regina, cum honesta tamen Curia, vixit usque ad Annum // Mcclxvij. ubi V. Kl'. Novembris piè obivit, sepulta in Monasterio Lilienvelt Griseorum Monachorum. Nam in illa // Fundatione sui piissimi Patris *Liupoldi* Ducis, testamento sibi sepulturam elegit, donans illi Monasterio Villam *Graeuenperch*. Benefecit & aliis Monasteriis, & pauperibus multas // Eleemosinas dedit. Quorum magna turba eam cum lachrymis ad Sepulchrum deduxit, præter multam Nobilitatem. // Hæc scripsit fidelis Testis, & Devotus Reginæ Capellanus Fr. // PERNOLDUS de Ordine Fratrum Prædicatorum. //

Quæ ab *Ottocaro* non fuit veneno peremta.

XXXIV. Mortem Reginæ Chronicon *Mellicense* hoc eodem Anno ita literis consignavit. „ *Margaretha*, quondam Alamanniæ Regina, carni debitum solvens, in Lilienvelde Sepulturæ traditur. „ Et Chronicon *Zwetlense* Recentius ad Ann. 1266.

1266. „Obiit Domina *Margaretha*, verus Hæres Terræ, & „sic Terra vero Hærede orbata.„ At verò *Hagenus* ita habet. „Fraw *Margareth* sacz ze Krems alz lang, unz Ir Chunig Ot-„taker hiez vergeben.„ Postquem *Haselbachius* quoque, *Suntheimius*, *Arenpeckius*, & Anonymus *Zwetlensis*, *Ottocarum* in ejusdem criminis, porrecti nempe Reginæ veneni, suspicionem adducunt: quemadmodum *Anonymus* pariter Prosecutor *Martini Poloni* apud *Eccard.* Scriptor. II. col. 1423. inquiens. „*Ottokarus* - - - Conjugem prædictam *Margaretham* repudiavit, - - - „& tandem, ut fertur, extingui per toxicum procuravit.„ Antiquiores istos, deinceps Recentiorum Scriptorum plerique secuti sunt. Nonnulli rationem addiderunt: Cùm nimirum *Ottocarus* facultatem Repudii, sibi per Pontificem factam, diu mentitus esset, emanâsse tandem in vulgus, eum divortium istud absque judicio Ecclesiæ fecisse, & inde Regem quotidiè pejus in Provincia audiisse. Eapropter itaque commotum, Reginam è medio tolli mandâsse, ut, illâ sublatâ, ignominia quoque sua ex oculis, & animis hominum evanesceret. Sed quoniam *Pernoldus* noster, rerum omnium Reginæ optimè conscius, quia Domesticus ejus, eam duntaxat piè obiisse retulit, vim nullam Vitæ ejus factam commemorans, quod profectò nullatenus tacuisset: ego quidem *Ottocarum* Regem apud me hoc crimine liberum pronuncio, & antè allatos Scriptores, ex rumore duntaxat malè suspicantis Vulgi, scripsisse omnino existimo.

XXXV. In his autem gravissimè omnium impegerunt *Haselbachius*, & nostro Seculo *Czerwenka* Canonicus Lithomericensis Bohemus. Primus námque hunc in modum, cùm esset Doctor Theologus, Canonicus, itémque Plebanus Viennensis, Concionem suam adornavit. „*Tandem* (ait) præfata „*Margareta* sedit diu privatè in Chrembs, donec haustô vene-„nô vitam finivit, & in Campo Liliorum cum Patre sepelitur. „Ecce, quomodo extrema gaudii occupat luctus! Dum hæc „*Margareta*, aliàs flebiliter Regis Romanorum *Henrici* - - - so-„latio orbata *Regi Cælorum se imantea devovisset*, & his oblita, so-„latio mortalis hominis incumbere decrevisset, etiam despecta, „tandem ante tempus cogitur inire mortem, *omnibus in exem-„plum votivis DEO, ne post vota retro respiciant*, & per hoc „DEI flagella etiam pro præsenti, ut plurimùm contingit, non „evadant.„ Saluberrimum sanè doctrinæ moralis parergon, si ex antecedenti probato, veróque eductum esset. *Czerwenka* deinde in Actis Pietat. Habspurg. Austr. p. 223. ait.„ Injurius „est *Vernulæus* Regi *Ottogaro*, asserens, *Margaretham* priorem „Uxorem venenô ab eo sublatam: cùm clarè constet ex Anna-„lib. Trevirens. Tom. II. ad ANN. 1279. n. 10. illam desiderio, ut „Scriptor Annalium (Cl. *Browerus*) existimat, Progenitorum

Graves *Haselbachii*, & *Czerwenka* errores.

„ *Leopoldi* & *Popponis* Austriæ Stirpis, *postquam repudiata fuisset,* „ *Treviri in S. Catharinæ Monasterio S. Dominici Institutum amplexam, & ibidem mortuam.* „

Manifestè revicti.

XXXVI. Reginam nostram, cùm ex Apulia in Germaniam denuo reverteretur, Parthenonem Dominicanum Trevirensem, quietæ duntaxat piæque habitationis, nullatenus verò professionis Religiosæ causâ, ingressam esse, dudum à me ita constabilitum reor, ut nemo prudentum id inficias ire posse videatur. Posteaquam verò ab *Ottocaro* injustè repudiata fuerat, eam cum honesta, i. e. Statum suum condecente Curia, in Austria ad usque vitæ finem perstitisse, non solùm *Pernoldus* noster, cæterique omnes Scriptores Patrii, unanimes asseverant, verùm etiam Autographa ejus Donatio Villæ Gravenberg nobis facta, quam Chartam adhuc tenemus, invictè evincit, integro tenore à me §° III. in Rebus Monasterii, ut loco proprio adscribenda. In ea disertè fatetur, *se in Monasterio Lirnveld sepeliri elegisse*, adhibens in Testem *Pernoldum*, quem appellat *Pœnitentiarium suum*, & *Executorem Testamenti.* Hic porro eam actu apud nos, *præter multam Nobilitatem, à magna quoque pauperum turba, quibus amplissimè benefecerat, cum lachrymis ad Sepulchrum deductam*, perspicuè enarrat. Ad hæc *Ottocarus* ipse hanc prætactam Reginæ Donationem libenter confirmavit Monasterio nostro, adducto Motivô, *quia apud Nos elegerat sepeliri*: cujus Literas Originarias æquè suo loco transcribam.

Promovetur argumentum.

XXXVII. Quo igitur pacto ex Annalibus Trevirensibus *Browerianis* clarè jam constat, Reginam nostram Treviri S. Dominici Institutum amplexam, & ibidem demortuam esse? Quomodo item factum credamus, ut ipsa, si hujus S. Patriarchæ Ordinem, antequam nupsisset *Ottocaro*, professa fuisset, clanculum tamen id annis pluribûs celâsset, Virum de Ordine Prædicatorum suæ conscientiæ Arbitrum deligere auderet? Vel quis, hujusmodi Ordini adstrictus, hanc spartam apud Sacrilegam, suíque Instituti desertricem, ad quod redire contemserat, sustinere voluisset? Quiescant ergo Augustæ Reginæ hujus apud nos cineres, & æternæ Resurrectionis Pascha feliciter exspectent, securi jam deinceps calumniæ Votorum Regularium sacrilegè violatorum. Vixit illa à die 10. Aprilis Anni 1205. usque in diem 28. Octobris Anni 1267. Annos duos & Sexaginta, menses insuper sex, diesque octodecim. Quamvis porro non omnino parvi, certè oppidò mali dies ejus fuerunt. Ubi verò abundavit Tribulatio, superabundavit & fortitudo veniens de Cœlo: per quam Princeps nostra, in corpore Fœmineo, Virilem animum, cum immortali sui elogio, collegit.

Epochæ Reginæ nostræ.

Annus

Annus 1268.

XXXVIII. C*Onradini* partes mirum in modum accrescere visæ sunt, dum Siculi ferè omnes in eum studia sua conferrent: ex reliqua Italia ejus exercitus quotidie vehementer augeretur: ipse Romæ magnificentia paulò minori, atque Imperator assolet, exciperetur: *Henricus* insuper Aragonius, cum Fratre *Friderico*, apertè Signa pro ipso educeret: & illa quidem, Viterbium transeundô, ubi Pontifex demorabatur, magna ostentatione in conspectu *Clementis* exsplicaret, nemine, ob rei novitatem, quidquam difficultatis pulcherrimo huic processui objiciente. Papa tamen, ut Exercitum vidit, tantopere gestientem, dixisse fertur: *Ecce, ut oves ad macellum saltant!* Longè autem aberat, ut huic Expeditioni benediceret. Quin potiùs *Conradinum*, tanquam Turbatorem Ecclesiasticæ Pacis, injustum Siciliæ invasorem, inobedientem Ecclesiæ Filium, qui minas Anathematis, immo ipsum anathema, quo jam laboraret, superbè contemnere pergeret, rursum diris omnibus devovit, Jure quoque Regni Jerosolymitani, quod ei aliàs fassùs erat, & omni habilitate ad quamcunque Regiam Dignitatem privavit. Similiter verò ejusdem Complices omnes, Fautores, Adjutores, omnium Graduum, & Ordinum, execratus est. Terruerunt hæc fulmina *Ludovicum Severum* Electorem Palatinum, Ducémque Bavariæ Superioris, ut *Conradinum*, cui Avunculus erat, ac dextra quodammodo Manus, Consilio & Auxilio præ omnibus utilis, desereret, & Veronâ domum repedaret, maximo Regii Juvennis nocumentô: quamvis ab hoc, constantis Adjutorii impendendi causâ, & spe, in eventum mortis suæ, Suevici totius Ducatus Hæres institutus fuisset. Discessum ejus Chronica *Salisburgense* Pezianum, atque *Australe*, & alia, uti & *Monachus Paduanus* apud *Urstisium*, testantur.

Conradini processus felix in Italia.

De eo Vaticinium Papæ, & nova ejusdem execratio:

Ob quam à Ludovico Bavaro deseritur,

XXXIX. *Conradinus*, cui Claritas præsens propinguum in interitum prælucebat, semel, ac iterum in Italia Victor, processit in Apuliam tali cum Apparatu, cui propemodum omnes Triumphum tam faverent, quàm pollicerentur. *Sed DEUS Omnipotens aliter --- quàm putabant homines, de Adolescentulo disponebat*, ait, *Monachus Paduanus* statim laudatus. Ibat is gemina Acie: quarum unam ipse, alteram *Henricus* Princeps Aragonius ducebat. Quibus *Carolus*, Rex novus utriúsque Siciliæ, tribûs agminibûs obviabat: duobûs tamen duntaxat, per stratagema bellicum, in hostium conspectum eductis, tertiô in insidiis collocatô. Decretoria pugna in Agro Palentino ipsâ Vigiliâ S. Bartolomei Apostoli facta: stetit Victoria à *Conradino*, tam ipso, quàm *Henrico* Aragonio, utramque *Caroli* Regis

Ejusdem Victoria fallax:

gis Aciem, quæ congreſſa erat, fortiſſimis armis cònterente. Fuiſſet pariter triumphatum, ſi de tertio cuneo *Carolino*, in inſidiis latente, ſuſpicio prudens, providúmque explorandi conſilium, aut ſaltem ſolicitus, cautúſque metus adfuiſſet. Sed ut hæc plerumque juvenibus deſunt, peractâ primâ Victoriâ, tuta omnia reputans *Conradinus*, exercitui ſuo prædas permiſit. Super quem diſperſum, *Carolus* tertio Agmine, quod adhuc integrarum virium erat, ſubitò irruit, & paulò antè Victores, internecina clade, quamvis plurimo ſuorum ſanguine, confecit. Accurrerat quidem compoſito exercitu *Henricus* Aragonius, Dux aliàs præſtantiſſimus, & rurſum viciſſet. Verumtamen *Carolus*, aſtu novo fugam ſimulans, nonnullas è ſuis turmas per ſemitam variam diſperſit. Quos dum inſequebantur *Henriciani* ruptis ordinibus, ipſe nova impreſſione, nulli ſuorum ſanguini parcens, hanc quoque Aciem ſtravit, pleno tandem Triumpho potitus.

In fine verò Clades interneci-na.

XL. Infelices Principes, *Conradinus*, *Fridericus* Auſtrius, *Henricus* Aragonius, cum pluribus Primoribus Exercituum devictorum, fugâ quidem, fatali ſe ex arena ſubduxerunt: verumtamen in ſolitudine diebus aliquot errantes, nuſpiam receptum, ſive tranſitum tutum ad vacuas periculo regiones repererunt, donec agniti (fatum quippe eos perurſerat) *Carolo* extraderentur, arctiſſimæ cuſtodiæ dati. Modum, quo proditi, traditique ſunt, varii varium referunt: quod ego ſtudiosè non exquiro. Receptiſſimum eſt, cùm piſcatorem ad transfretandum conſtituiſſent, ſed annona in aliquos dies providenda eſſet, *Conradinum*, aut *Fridericum* Auſtrium, in vicem pecuniæ, annulum pretioſum ad Oppidum proximum transmiſiſſe. Qui delatus ad Præfectum *Joannem Frangipanum*, mox eidem ſuſpicionem Germanorum Principum, in fuga errantium, ingeſſerit: quapropter eos per ſatellites inquiri juſſit, & ad ſe adductos, *Carolo* Regi ſive ultro, vel ab ipſo coactus, conſignavit. Hic, cùm poſt relatum triumphum de iis, qui *Conradinum* juverant, per omnem Siciliam acerbiſſimas, ac planè crudeles pœnas repetiiſſet, eapropter à Pontifice haud leviter perſtrictus: de captis juvenibus Principibus quid faceret, diu cum ſuis, cúmque exteris Regibus ac Dominis conſuluit, tametſi veroſimillimè occiſionem eorum cum animo ſuo jam ſtatim initiò præceperit. Eam tamen nequaquam hoc Anno, uti multi, & in his propè omnia Chronica Auſtriaca perperam habent, ſed inclinante demum altero Anno perpetravit.

Fugitivi Principes capti *Carolo* Victori extraditi.

Qui variorum Conſilium exquiſivit, de iis quid faceret.

XLI. *Clementem* Papam ei reſcripſiſſe ferunt: *Vita Conradini Mors Caroli, Mors Conradini Vita Caroli.* Quod alii inde rejiciunt, quia totus ferè Annus fluxit à morte Papæ hujus, uſque

Conſilium *Clementi* Papæ imputatum.

usque ad Principum percussionem. Sed hi non satis probant: quid enim credere vetat, Consilium longè antè datum, quàm effectu completum? *Ricordanus* in Histor. Florentin. & item *Jornandus*. MS.tus in Bibliotheca Vaticana, apud *Raynald.* h. a. p. 165. n. 34. tradiderunt, *Carolum* Regem propter feralem in hos Principes latam, expletámque sententiam, à *Clemente* gravissimè increpatum fuisse. Quod verò cum Historia non cohæret, eo ipso, quia Pontifex longè antè, exeunte nimirum Novembri hujus Anni, decessit, ut habet *Franc. Pagi* Breviar. Crit. III. p. 324. n. 24. Petri sede post eum, per discordiam Cardinalium, propè triennium totum vacante. Quare *Raynaldus* à sanguinario Consilio isto *Clementem* purgat per ipsam perpetuam ejus Mansuetudinem, cujus laudem apud omnes tulit: cùm cæteroquin, Orationi pariter, & Jejuniis mirè deditus, putatus fuerit quidam veluti Murus Ecclesiæ, cujus Meritô DEUS mala multa, & flagella peccatorum continuerit. Hujus Obitus.

XLII. Alter, qui *Carolo* fundendi Serenissimi, immo Regii Sanguinis vehemens Author fuerit, à plurimis incusatur *Ottocarus*, tantò, ut ajunt, in hoc proclivior, quòd oderit *Fridericum*, Marchionis Badensis *Hermanni*, ac Dominæ *Gertrudis* Filium, Ducis Austriæ axioma ferentem, sibique æmulum. Neque enim ignorabat, quod Scriptor *Anonymus* Brevis Chronici Austriaci *San-Petrensis* apud Cl. *Hier. Pez.* I. col. 687. notavit, *Spem non modicam fuisse, quòd* (Fridericus) *deberet aliquando Paternas Ditiones, Austriæ videlicet & Stiriæ obtinere.* Cæterùm idem Rex præterita hyeme Exercitum Cruce signatum, è Bohemis, Australibus, & Stiris instructum, in Prussiam duxit contra infideles, voto tamen meliori, quàm fructu. Hyeme námque illa præter spem clementiore, paludes, ac fluvios, quos congelandos putaverat, toto agmine uti rebatur, pertransire minimè potuit. Castrum tamen construxit, cui *Montis Regii* nomen imposuit, illúdque Equitibus Marianis defensandum tradidit: quod Paganis, Prussiam invasuris, obici atque remoræ esset. Redux in Stiriam, ejus Provinciæ Primores, sibi de molitione rerum novarum suspectos, atque delatos, longa captivitate maceravit, haud antè dimissos, priusquam sibi omnia eorum Castra ab Uxoribus redderentur. Quorum deinde aliqua confregit, alia retinuit, alia dimissis è carcere restituit, ipse universæ Provinciæ eapropter calumniam referens. Principes in his erant Comites *de Pfannberg*, Domini *de Wildonia, Petovia, Liechtenstein*, & *Stubenberg*: quarum omnium Jllustrium Prosapiarum clara memoria *Tom. IIII.* inter Familias occurret.

Ottocarus pariter Carolo captorum Principum necem suasisse dicitur.

Duxit in Prussiam.

Stiriæ Nobiles captivavit.

Annus 1269.

Conradinus Suevus, & *Fridericus* Austrius Neapoli sub ense Carnificis cadunt.

XLIII. VAcante Sede Sancta, & Imperio Romano sub gemino Rege, quorum neuter illud curabat, sibi relicto, res Ecclesiæ pariter, & Imperii, detrimenti plurimum capiebant, erantque duo Reges, in Italia *Carolus* Siculus, in Germania *Ottocarus* Bohemus, qui cuncta pro libitu egerunt. *Carolus* cruento & indignissimo Suppliciô, quod de captivis Principibus, *Conradino* Suevo, & *Friderico* Austriaco, prostremo utrinque Augustarum Stirpium Surculo, die 29. Octobris hujus Anni, Neapoli in publica & ferali Orchestra, carnificis ense crudeliter sumsit, invidiam Orbis terrarum incurrit. Causæ Supplicii ex ambone prælectæ: Quòd *Conradinus* Pacem Italiæ turbaverit: perduellionem ac Rebellionem Italorum, ac Siculorum excitaverit: Regium Nomen, & Sigillum assumserit: Regem legitimum, à Papa institutum, cum plurima sanguinis effusione, vi deturbare sit ausus. Quibus omnibus animosus Princeps ore rotundo contradixit, natum se Hæredem Siciliæ contestatus, qui nil, nisi Patrimonium suum, liquido jure vindicare quæsiverit. A quo cùm nunc per summam iniquitatem dejectus, vita etiam privetur, projectâ ad *Henricum* Truchsessium *de Waldburg* Chyrothecâ suâ, unacum Annulo suo Signatorio, Jus omne suum *Petro* Aragoniæ Regi, Propinguo suo, supremis veluti tabulis transcripsit.

Ut se in morte habuerint.

XLIV. Tunc, ajunt, ad lamenta conversus, *Friderici* Austriaci calamitati præsenti, plusquam suæ, indoluit, eò maximè, quòd ipsum ab invita Matre abstraxerit, & una secum hanc in acerbitatem præcipitaverit. Postquam verò is ante se à spiculatore securi percussus jam fuisset, caput cruore tabidum in manus accepit, & amaris osculis aliquoties extremùm salutavit: donec & ipse pariter fatalem ad ictum vocaretur, quem Coronæ Siculæ locô, ad quam venerat, intrepidus excepit. *Friderici* caput, uti notavit *Adlzreiterus*, jam resectum, clara adhuc voce Nomen MARIÆ ingeminavit. Adolevit in sortem hanc miseram Annis 20. natus An. 1249. Ne autem quis metuat, malè mortuos Principes istos, quia anathemate Pontificis innodati erant, testatur de iis *Guilelm. Nangius* in Gest. S. *Ludovici* Regis hunc in modum. „Antequam eos feriret Lictoris Gladius, juxta „quamdam Capellam Missam pro animabus suis, secundùm mo„rem Christianæ Religionis, propriis auribus audierunt, indultô „etiam sibi spatio crimina confitendi.„ Hoc dum fieret, sine dubio anathemate exoluti, & Ecclesiæ integrè reconciliati sunt, pœnitentiam omnem ipsa morte compensantes. Doctiss. porro *Sartorius* noster Cisterc. bis tert. vernac. p. 933. è Notitiis Incliti Monasterii nostri Stambensis in Comitatu Tirolis refert:

Domi-

Dominam *Elisabetham* Bavariæ Ducissam, quondam *Conradi* Romanorum Regis Uxorem, & ex eo *Conradini* Matrem, nunc *Meinhardi* Comitis Tirolis Conjugem, ingentibûs Thesaurîs collectis, Neapolim se contulisse, animo, ac spe, Filium redimendi. Cùm verò in ejus adventu fœda percussio Principum, post annos non multos omnium Gallorum in Sicilia existentium sanguine pianda, facta jam fuisset: supplicâsse eandem *Carolo* Regi pro facultate, Ecclesiam in Urbe pro memoria, & salute Filii fundandi. Quæ verò negata est, solius Columnæ, in loco Supplicii erigendæ, permissione sibi facta. Unde tristem rediisse hanc Dominam, & annuente Marito, domi Stambensem Domum Regularem proximis annis excitâsse: de qua ego plura Decade altera in Rebus Ordinis.

Mater *Conradini* ad eum redimendum serò venit.

XLV. Cùm die 8.[va] Septembris obiisset *Gregorius* Patriarcha Aquilegiensis, *Ulricus III.* Dux Carinthiæ, & Carniolæ, ad Forum Julium se contulit, cum commendatione *Ottocari* Regis, ut *Philippo* Fratri suo, olim Electo Salisburgensi, vota pro Patriarchatu impetraret. Auditus è voto pro Fratre suo, ipsemet insuper Fori Julii Præfectus constitutus est. Sed subita *Ulrici* infirmitas, & Mors, quam in Civitate, quæ Austria dicitur, paulò post subivit, cuncta iterum pessumdedit. Capitulum quippe Aquilegiense, quòd à potentia Ducis tutelam, atque securitatem sibi spoponderat, eo defuncto hac à spe sua dejectum, etiam *Philippo* Fratri ejus, quem nuper elegerat, nuncium remisit, ac Vota sua novo scrutinio in *Raymundum* Mediolanensem direxit. Tunc *Philippus*, ut ait *Leobiensis* Anonymus, *duarum Ecclesiarum Electus, sed neutrolibet confirmatus*, festinus in Carinthiam rediit, Ducatum istum post Fratrem improlem initurus, cùm eundem semper præ utraque Ecclesia ambivisset, sacrorum propterea Ordinum susceptione perpetuò neglecta. At verò *Ulricus* Frater ejus ambos, tam Carinthiæ, quàm Carniolæ, Ducatus *Ottocaro* Regi dudum solemnibus pactis, utque ajunt, Emtionis & Venditionis contractu, inconsultô tamen Imperiô, transcripserat, à morte sua, nisi hæredem relingueret, ineundos: hoc porro, conscio, nec intercedente *Philippo*. Nihilosecius iste nunc subito impetu Urbes, & Castra, quæ potuit, occupavit, re ista *Ottocari* vindictam in se graviter, summóque malo suo proritans. Conferatur Cl. *Hansiz.* Metrop. Salisb. p. 364. Cæterùm *Ulricus* Carinthiæ Dux Viduam, quod volunt, *Agnetem* reliquit, Filiam *Hermanni* Marchionis Badensis & *Gertrudis*, Sororem *Friderici*, cum *Conradino* decollati: de qua sæpiùs deinde dicendum erit.

Ottocaro Bellum Carinthiacum nascitur.

An-

Annus 1270.

Sancta Sedes Romana vacat.

XLVI. Dissentientibûs magnopere Cardinalibûs, toto hoc anno Ecclesiæ de Summo ac Universali Pastore necdum provisum fuit. S. *Ludovicus* Franciæ Rex denuo Expeditionem sacram in Orientem instruxit. Mutatô verò Consilio, decreta est expugnatio Tuneti: unde excurrentes barbari, navigaturos in Orientem Christianos, piratico more, vehementer infestare consueverant. Sed moras trahente *Carolo* Siciliæ Rege, qui exspectabatur, pestis invaluit in classe *Ludoviciana*: qua ipse pariter Sanctus Rex correptus, piam animam, dum laboraret ut bonus Miles Christi, cælo transmisit. Adventante postea *Carolo*, ac Tuneto jam in discrimen non parvum adductô, ipse, præter omnium exspectationem, barbaris pacem dedit. Redux itaque Classis Christiana, ad Siciliæ litora grandem sui jacturam fecit, DEO quasi ignaviam castigante, quod aliquibus visum erat.

S. Ludovicus Rex ante Tunetum peste moritur.

Ottocarus cum Ungaris inducias paciscitur.

XLVII. *Ottocaro* Regi bellum cum Ungaris instabat. Nam *Bela* & *Stephanus* Filius, minabantur injuriarum ultionem, quas *Ottocarus* anterioribûs annîs, non parcâ mensurâ Stiriæ Proceribus intulerat: iisdem quippe Regem punire voluisse antiquam fidem interpretabantur, quam olim Nobiles illi Ungaris præstiterant. Ut verò audivit *Ottocarus*, à *Philippo* Carinthiam occupari, Ungaros, ut potuit, interim pacans, Militem contra eos jam delectum, ocyus, Duce *Ulrico Liechtensteinio*, in Carnioliam primùm, ubi potissimæ *Philippi* opes, direxit, ipse deinde in Carinthiam duxit, facilis ubique Victor. Ita plenè humiliatus *Philippus*, altero anno etiam Carinthiâ excedere, & in Austria Vectigalibûs Cremsensibûs, atque Castro Persenbeug vivere jussus est. Ut porro *Ottocarus* Carinthiæ, insuper autem & Austriæ, atque Stiriæ securior esset, „Illustris Domina „*Agnes*, Proneptis Incliti *Leupoldi* Ducis Austriæ, Relicta *Ulri*„*ci* Ducis Karinthiæ, *ad Generis depressionem*, ab eodem Rege „Bohemiæ cuidam Comiti *Ulrico de Haynburch* tradita est in „Uxorem.„ Ita Anonymus *Leobiensis* apud *Pez.* I. col. 834. Item Anonymus *Zwetlensis* ibid. col. 984. præter *Arenpekium* Col. 1211. qui & addit: „Ex quo genuit Filios, & Filias: è quibus „descenderunt (propagatione nimirum ulteriori, non origine „primigenia) *Ulricus* Comes *de Pfannberg*, *Fridericus* Liber *de* „*Cilia*, postea Comes *de Cilia*, & plures aliæ potentes Progenies.„ De his alibi ampliùs.

Philippum Carinthia pellit.

Agnetem Austriacam Comiti despondet ad generis depressioné.

XLVIII. Interea verò *Bela* Hungariæ Rege sub medium Julii mensis defuncto, Stephanus novus Rex, induciarum incurius, *Ottocaro* ex Carinthia per Stiriam in Austriam tendenti, *in-*

sidias

fidias per multos Cumanos & Ungaros (ut habet Chronicon Cl. *Neoburgense* MS.[tum] apud Cl. *Hansizium* Metr. Sal. p. 365.) *obviam destinavit, ut sic posset eum occidere, vel captivare. Quo comperto prædictus Rex Ottacarus per aliam viam Austriam intravit.* Quod idem ab *Hageno* ita vernaculè traditur. „Dornach „chomen Mer (Zeitungen) Chunig *Ottakern*, wie die Ungern „in Oesterreich sein gezogen. Der Chunig kam gen Judenburch: „dem entpüten die Newnsteter, daz Chunig Stepfan von Ungern „bey dem *Semerinck* auf In wortet. Darum Chunig *Ottacker* „rayt (reisete, oder ritte) für *Lienueld* (Lilienfeld) gen *Mawrberch*, und cham des Gefertes von Behem do er sich besambt „Kreftigleich.„ Pergit Chronographus *Neoburgensis* MS.[tus], „Insidiæ verò sentientes ejus evasionem, totam terram, inter novam Civitatem, & Wiennam, occisione hominum, vel captivatione, nec non & præda destruxerunt, multam stragem „in Clericos, Matronas, pueros, juvenes, & senes, tempore „hyemis exercentes.„ Hæc §.° III.° in Rebus Monasterii fundamento Diplomatico constabiliam.

XLIX. Salisburgum pariter hoc Anno infelix fuit, non modò maxima Civitatis parte incendio consumta, verùm etiam peregregio ejusdem Archi-Antistite præmaturum, ac planè indignum fatum subeunte. Ut enim, conformiter Anonymo *Leobiensi*, narrat *Serlingerus* apud Cl. *Hansizium* Metr. Sal. p. 370. „*Uladislaus*, omnibus in Bavaria, Stiria, Carinthia, aliisque Locis, ritè ordinatis, ac recuperatis, profectus est in Patriam „(Silesiam) postulans Hæreditatem suam: cujus partem voluit „Episcopatui unire. Quo comperto, propinatum est ei venenum, ex quo debilitari cæpit. Festinus igitur Salisburgum „rediit, ibique placidè in Domino obiit Anno MCCLXX. cùm „rexisset magno fructu, & utilitate, Ecclesiam quinque Annis „(non integris) sepultus in summo Templo ante Aram DEIparæ Virginis.„ Cathedram post eum conscendit Gremialis Metropoliticus, quod rarum Salisburgi jam evaserat, *Fridericus* nimirum, hoc nomine II.[dus], Comes *de Leonstein*, hucusque Præpositus. Sed Interpontificii causâ Pallium seriùs consecutus est, annis quatuordecim insigni cum laude præfuturus.

Uladislaus Archiep. Salisburg. obiit.

Succedit *Fridericus* II.

§. II.

Res Ordinis Cisterciensis.

Annus 1261.

I. Binis mensibus, antequam decederet *Alexander* Papa IV. gratiosa adhuc Bullâ Ordini Cisterciensi consuluit adversus nonnullos Locorum Ordinarios, *qui*, ait, *prædictis Libertatibus & Immunitatibus vestris incessanter invident, & frequenter*

Privilegiũ *Alexandri* IV. pro Ordine.

ter obsistunt. Quibûs inhibet, ne occasione Constitutionum, quæ à Sede Apostolica, aut à se ipso aliquando emanârunt, ut Episcopi etiam Exemtos, ratione delicti, vel contractus, ad sua tribunalia evocare possint, idem etiam ad Cistercienses extendant, cùm nulla Ordinis nostri Mentio ibidem occurrat. *Datum Laterani Nonis Martii Pontificatûs Anno septimô.* Bulla exstat apud *Henriqu.* post *Menolog.* in Cod. Privileg. n. 35. p. 71. Obiit *Alexander* die 25. Maji, eíque die 29. Augusti subrogatus est *Urbanus* IV.[tus] : quem idem *Henriquez* in *Menologio* die 2.[da] Octobr. adstruit fuisse Cisterciensem, & Monachum Fossæ Novæ, nixus Authoritate *Findin. Ughelli* nostri, qui sic tradat *in Elogiis Pontificum & Cardinalium* ex Ordine Cisterciensi. Ego verò apud hunc *Ital. Sacr. Tom. I.* in prævio Recensu summorum Pontificum, ubi ad *Urbanum IV.* delabitur, col. 30. n. 181. ita disertè lego. *Non desunt, qui dicant, hunc Pontificem Cisterciensis Ordinis fuisse, sed hallucinantur.* Vel ergo *Ughellus* priorem sententiam suam, gravioribûs argumentis inductus, hoc loco correxit: vel *Henriquez* eundem festinantiùs inspiciens, quam forsitan retulit aliorum sententiam, suam esse existimavit. *Menologium* secutus est doctiss. *Sartorius* Cisterc. bis tert. p. 327. sq.

Urbanus Papa IV. non fuit Cisterciensis.

II. Verumtamen Cl. *Franc. Pagius* Ord. Min. Breviar. Crit. Part. III. p. 299. geminos adducit Biographos, sive Vitæ *Urbani* IV.[ti] Scriptores metricum unum *Theodoricum Vallicolorem*, alterum soluta Oratione scribentem, *Gregorium* Decanum Bajocensis Ecclesiæ: quorum utrúmque *Ancherus* Cardinalis, *Urbani* ex Fratre Nepos, ad scribendam hujus Pontificis Vitam simulavit. Utérque horum docet, *Urbanum* antea dictum fuisse *Jacobum*, patriâ Trecensem, egisse Archidiaconum Laudunensem, postea Leodiensem: hinc factum Episcopum Virdunensem. Deinde evasisse Patriarcham Jerosolymitanum, & Legatum Apostolicum Septentrionis, & Orientis, donec Sanctam Petri Cathedram ascenderet. Neuter verò Monachatum ejus vel tenuissimè subindicat: quem utique ignorare non poterant, vel eidem inhonorificum, & comemoratione indignum æstimare, si eum unquam professus esset. Consimiliter neque Epitaphium ejus coævum, in quo omnes, per quos ascendit, Dignitatum gradus, ut apud Biographos laudatos, ordine undique pariformi exprimuntur, quodque exstat apud *Raynaldum, Pagium, Papebrochium*, ullam Ordinis mentionem ingerit. Unde nostrum ut reputem hunc Papam, omni Authoritate, & fundamento idoneo careo. Familiaritas quondam ejus cum B. *Juliana* nostra Corneliensi, & *Eva* Reclusa nostra, dum esset Leodii Archidiaconus, & facta postea ad earum preces ab Ipso Institutio Solemnitatis SS. Corporis Christi, quæ pluribus *Urbani*

Ratio ulterior negandi.

Mo-

Monachatum Cistercienſem facilè credibilem effecerunt, eundem neutiquam evincunt.

III. Idem verò Pontifex mox primo, quo ſedebat, Anno *Joannem de Toleto* Anglum, Monachum olim Cistercienſem, ſed ab Anno 1244. Cardinalem Præsbyterum tit. S. Laurentii in Lucina, Virum ſcientia clarum, & Arte Poëtica admodum facilem, nominavit Cardinalem Epiſcopum Portuenſem. *Ughell, Ital. l. col. 135. ſqq.* Ubi *Ciacconium*, aliósque claros Authores arguit, ipſe aliquando per eos in errorem inductus, dum ex uno *Joanne* Cardinale, per *Innocentium* IV. An. 1244. creato, duos fabricant ſinchronos, utrúmque Cistercienſem: quorum unus natione Gallus, dictus *Francoigia*, ex electo Archiepiſcopo Biſuntino Cardinalis Præsbyter tit. S. Laurentii in Lucina ab eodem Papa eodem Anno creatus fuerit, quo *Joannes de Toleto* pari Titulo. Implicat enim, Cardinales duos uno tempore eundem Titulum gerere. Interim *Joanni de Toleto* in Titulo S. Laurentii ſubrogavit *Urbanus* Papa IV. *Guidonem* III. Archi-Abbatem Cistercii prima hujus Anni Promotione: quamvis *Ciacconius* hoc differat in Annum ſequentem, & alteram Promotionem: quo illud etiam notavit *Manriquens* noster *Append. Tomi I. p. 478.* In Claravalle nostra *Joannes* I. Abbas excepit Auguſtum Funus Dominæ *Margaretæ* Reginæ Navarreæ, Comitiſſæ Campaniæ. *Id. ibid. p. 510.*

Cardinales Cistercienſes.

Guido III. Archi-Abbas Cistercii fit Cardinalis.

Annus 1262.

VI. GUidone III. ad Purpuram evocato, Archi-Cœnobitæ nostri Cistercienſes, quibûs neſcio causîs inducti, non exſpectatis quatuor Primis Abbatibûs, ad quos, ex præſcripto Chartæ Charitatis, attinebat præſidere Cistercii, quin & vota conferre, Electionémque dirigere, ſe ſolîs in Apicem Archi-Abbatialem extulêre *Jacobum* hoc nomine II.[dum.] Interceſſêre Electioni, tanquam non Canonicæ, dicti Abbates de Firmitate, Pontigniaco, Claravalle, ac Morimundo. Vehementior omnium *Philippus*, nuper electus Claræ Vallis Abbas, Vir eloquens, doctus, Zelúmque præcipuum præſeferens, ſuſcitata lite, quæ Ordinem totô trienniô tam infeliciter ſcidit, ut, niſi *Urbanus* Papa IV. maturiùs deceſſiſſet, Cistercium externos Judices, ab ipſo jam decretos, paſſum fuiſſet, quod hucusque judicatum à neminè, alios contrà ſæpenumero judicare jubebatur. Tantum valet ad concuſſionem etiam in Domo DEI, neglecta humilitate, diſrupta Charitas: quæ aliàs, dum ſanctam compagem ſuam ſervat, Religionem totam hoſtibus omnibus terribilem facit, ut Caſtrorum acies ordinata. Nihil porro Pontificem adverſus Cistercium ſiniſtro affectu, ſed mera ſug-

Eligitur Cistercii *Jacobus* II. propter quem gravis in Ordine Sciſſio.

Urbanus Papa Privilegia Ordinis tuetur.

ſuggeſtione egiſſe; manifeſto argumento eſt, quòd hoc ipſo Anno quinque Bullis Ordinem defenderit, disertè mandans Legatis & Epiſcopis, ut Privilegia noſtra integra omnino conſervent, & nec ipſi quoquo modo violent, vel ab aliis temerari permittant. Exſtant hæ omnes Literæ integro tenore apud *Henriquezum* noſtrum p. 71. ſqq. n. 36. - 40. Ad Epiſcopalem in Aprutio Cathedram Teatinam hoc Anno vocatus eſt *Nicolaus* de Foſſa nova Monachus Ciſtercienſis: quam viginti Annis multa cum laude ac ſolicitudine tenuit. *Ughell. Ital. VI. col.* 728. *ſqq.*

Epiſcopus Teatinus.

Annus 1263.

Item Biteſtenſis.

V. AD Bitectenſem hoc Anno Epiſcopatum in Ducatu Barenſi Apuliæ aſcendit *Joannes de Colopardo*, Monachus Ciſtercienſis Monaſterii Mormoſolii: cujus Antiſtitis memoriam in Chartis Anni 1281. adhuc reperit *Ughellus Ital. VII. col.* 680. Papa verò *Urbanus*, incaleſcente Ordinis noſtri diſcordia, *Philippum* Claræyallis Abbatem, vehementiſſimum litis Oratorem, ut flammæ oleum ſubtraheret, cùm nec Viro egregia Merita deeſſent, Maclovienſem Epiſcopum deſignavit. Deprecantem autem, cùm ſuis, tum Archi-Abbatis Ciſtercii Epiſtolis, ut acceptaret, exhortari ſtuduit, intentatîs demum & minis Cenſurarum. Sed fruſtra. Quæ Cathedram reſpuendi conſtantia diſcordiæ inter noſtros inteſtinæ flammam admodum intendit. Virtutis quippe peculiaris in *Philippo* argumentum habebatur iſte contemtus dignitatis: & ideo contentio pariter ejus opinionem zeli valde boni eidem conciliavit, cauſæ autem ſuæ grave pondus adjecit. Id verò tantò magis, quòd eam non ſolùm adverſus Electionem Archi-Abbatis, verùm etiam graſſantia alia in Ordine primigenii fervoris laxamenta inſtruxerit, cauſatus, ſub ſpecie antiquæ Sanctitatis plurimum ambitum obvelari. Quò iſtud ſpectaret, ambiguum non eſt: ad ultionem videlicet, quòd anterioribûs Annîs *Guido* Archi-Abbas *Stephanum* Abbatem Claravallenſem ea ſolùm de cauſa gradu moverit, nec unquam, jubente licèt Pontifice, ac intercedentibus plurimis, reſtituerit, quia exſtruendi Pariſienſis Collegii facultatem ab Ordine rogare negligens, in veterem diſciplinam peccâſſe condemnatus eſt. Hoc ambitui, non zelo bono, à *Philippo* imputatum eſt. Quo quidem pacto lis iſta in tantam perniciem crevit, faciliore in has querelas audiendas Pontifice, ut Author *Dialogi de proſpero & adverſo Statu Ordinis* hanc primam & ſummam Ciſtercii Perſecutionem appellet, Filiis contra Matrem pugnantibûs. *Manriqu. Append. Tomi I. p.* 510. *ſq.* Ita vices mutat omnis hominum conditio: & ubi vis externa contra florem Ordinis nihilum valet, nata in gremio mutua æmulatio eundem flacceſcere facit.

Incrementum vehemens diſcordiæ Ciſtercium inter, primósque Quatuor Abbates.

VI.

VI. Propitius tamen DEUS, hìc aliquanto tempore percutiens Cistercium, alibi sanavit: ut ostenderet, non quorumlibet culpis, qui intellectu magis errant, quàm voluntate, totum sibi Cætum displicere. In Scotia enim hoc anno surrexisse *Bellum Locum*, in Diœcesi Rossensi pro nostris constructum, tradidit *Jongelinus Notiar. Libr. VIII. p. 18.* In Bavaria *Ludovicus Severus* Bojariæ Dux, in pœnam innocentis Conjugis, ob levem thori Conjugalis violati suspicionem, præcipiti consilio occisæ, haud longè Monachio erexit Monasterium, *Campum Principum* dictum, vulgò *Fürstenfeld*: quod licèt Pontifex Carthusianis tradi præceperit, cùm tamen hic Devotissimus Ordo Bavariæ tum necdum cognitus esset, facultate pro Cisterciensibus inducendis obtenta, primi Monachi ex Alderspaco advocati fuêre. Nihil piæ Munificentiæ prætermisit Serenissimus Fundator, hìc sepultus cum duabus Conjugibus: quarum posterior *Mathildis* Filia fuit *Rudolphi* I. Habspurgici Augusti. Quiescere hìc pariter dicitur *Ludovicus*, vulgò *Bavarus*, Imperator, Filius Fundatoris. Flos Cœnobii hujus etiamnum inclitus persistit. *Sartor. Cist. b. t. vern. p. 673. sq.* Rex Bohemiæ *Ottocarus*, votô ante congressum cum Ungaris An. 1260. nuncupatô, relatâ de iis ad Marcham fluvium amplissimâ Victoriâ, hoc Anno in Bohemia juxta Crumlaviam Civitatem, ad Moldavam fluvium, Regiâ Munificentiâ construxit *Spineam Coronam*, Monasterium Ordinis Cisterciensis, quod postea, ditissimæ Fundationis causâ, *Aurea Corona*, vulgò *Gulden-Cron*, dici consuevit, Coloniâ ejusdem primâ è S. Cruce Austriæ sub *Henrico* Primo Abbate illuc introductâ. Sed quia hæc Domus jam Ann. 1278. bello inter Cæsarem & *Ottocarum* fervente, qui Regius Fundator tunc ipse perivit, militari licentia in cineres redacta fuit: recèns à *Wenceslao II.* Rege, Filio *Ottocari*, exstructa, primos deinde Incolas Regulares è Gremio Plassensi accipiens, nunc Plassium pro Matre colit. *Sartor. ibid. p. 684. sqq.*

Fundationes novæ: Belli Loci: Campi Principum. Spineæ, vel aureæ coronæ.

Annus 1264.

VII. PErdurante infelici primorum Quatuor Abbatum cum Archi-Abbate Cistercii dissidio, dum illi Manutentionis, ac Exemtionis à Capite Ordinis, ac Capitulo Generali, quamdiu penderet lis, Apostolicas jam Literas obtinuissent: *Urbanus* Papa, molestiæ pertæsus, Trecensi Episcopo, Abbatique Majoris Monasterii Benedictino, Causæ inquisitionem, discussionem, ac decisionem injunxit. Qui, nisi reverentiâ Ordinis, & operis difficultate absterriti, moras traxissent, & ipsius Pontificis Mors intervenisset, stetisset Cistercium, obstupescente Orbe, coram tribunali, in quo hucusque non nisi sedere consueverat. Videntur verò preces apud Omnipotentem auditæ: quin & am-

Cistercium externos judices accipit, sed non patitur.

ambigo nullus, Ordini gratiam DEI conciliâsse Cultum novissimum Sacrosancti Corporis Dominici, in Orbem totum stata annua solemnitate tunc introductum: cujus Originem è Cistercio esse, Divinæ Clementiæ placuit.

Origo Solemnitatis SS Corporis Christi à B. *Juliana* Sanctimoniali nostra.

VIII. Jussa est enim à DEO B. *Juliana* Corneliensis, Monialis nostra, ac Priorissa in Monte S. Cornelii prope Leodium, urgere specialis Festi SS. Corporis Christi institutionem, ac celebrationem in Ecclesia: & inspirante DEO, per quemdam Fratrem *Joannem* Ordinis nostri, componi fecit novum de Venerabili Sacramento Officium. Quæ facta sunt eo tempore, quo *Urbanus*, postea Papa, Leodii Archidiaconum egerat. Approbata, & instituta fuit per Dœcesin Leodiensem hæc Solemnitas cum officio suo, primùm à *Roberto* Episcopo Leodiensi. Deinde ab *Hugone* tit. S. Sabinæ Præsbytero Cardinali Legato: iterum verò à *Petro* ad Velum Aureum Diacono Cardinali similiter Legato: & constituta est huic Devotioni in singulos Annos proxima Feria quinta post Octavas Pentecostes. Quòd verò res nova, & à Fœmina mota esset, plurimas plurimorum peperit contradictiones: ita, ut hæc Solemnia, neque singulis Annis, neque in omnibus Ecclesiis Leodiensibus, acta fuerint, ipsâ interim *Juliana* An. 1257. æternam ad Vitam introductâ.

Prima ejus Celebratio in Diœcesi Leodiensi.

Promotrix B. *Eva* Reclusa nostra.

IX. Quoniam autem Divina Providentia in sui dispositione non fallitur, neque Consilium ullum cujuscunque Prudentiæ, discussionis, ac renitentiæ humanæ, contra Dominum esse potest, sed ipse à fine usque ad finem attingit fortiter, omnia suaviter disponens: & quia de procurando honore Sacramenti illius, quod simplicissima fide adorandum est, non nisi cum simplicibus sermocinari voluit; substituta fuit ab eo B. *Julianæ* Virgo alia Reclusa Cisterciensis, B. *Eva*, in Ecclesia S. Martini Leodiensis piissimè conversata, *Julianæ* olim plurimùm familiaris: cui pariformem cum hac affectum, ingénsque desiderium promovendæ hujus Festivitatis inspiravit. Hæc itaque apud *Urbanum* Pontificem, cui *Leodii* olim existenti optimè nota erat, devotissima supplicatione perpetuò institit, ut Festum SS. Corporis Christi, quod antehac Leodii probavit, ac devotissimè egit, nunc Apostolica Auctoritate universæ Ecclesiæ celebrandum indiceret. Adfuit voto, cujus & Author erat, præsenti ope ipse DEUS, & Pontifice apud Urbem Veterem demorante, manifesto, quod ajunt, prodigio in propinquo Bolsenæ Oppido sacram Hostiam in ara, ubi Sacerdos de Veritate Sacramenti dubius Divinis operabatur, copioso sanguine coram populo inspectante fluere fecit.

Institutio pro omni Ecclesia

X. Hoc igitur signo recenti, & publico, permotus Papa, coacto Purpuratorum suorum Senatu, unacum iis annuam SS. Cor-

Corporis Christi Solemnitatem in universa Ecclesia DEI ea ipsa die, quam olim Legati Leodii constituerant, & qua hodie fit, agendam decrevit, Bulla benè longa emanante hoc anno: cui in cæteris hæc etiam verba inserta. „Intelleximus autem olim, „dum in minori essemus officio constituti, quòd fuerat quibusdam Catholicis divinitus revelatum, Festum hujusmodi „generaliter in Ecclesia celebrandum.„ Novi Festi novum Officium, quo nunc pariter utimur, B. Thomæ Aquinati conscribendum injunxit. Porro B. *Evæ* nostræ *Urbanus* paucis ante mortem suam diebûs peculiari Epistola de voti sui consecutione gratulari dignatus est, quæ inchoat. „*Urbanus* Episco„pus Servus Servorum DEI Dilectæ in Christo Filiæ *Evæ* Re„clusæ S. Martini Leodiensis Salutem & Apostolicam Benedi„ctionem. Scimus, ô Filia, quòd magno desiderio desideravit „Anima tua, ut solenne Festum Sacratissimi Corporis Domini „nostri JESU Christi institueretur in Ecclesia DEI, à Christi fi„delibus perpetuis temporibus celebrandum; & ideo tibi signi„ficamus ad gaudium, quòd Nos &c.„ Et inferiùs. Magni„ficet igitur Anima tua Dominum, & exultet spiritus tuus in „DEO salutari tuo: quia viderunt oculi tui salutare tuum, „quod paravimus ante faciem omnium populorum. Lætare „insuper, quia Omipotens DEUS tribuit tibi desiderium Cor„dis tui, & voluntate labiorum tuorum non fraudavit te cæ„lestis Gratiæ plenitudo &c.„

per Urbanum IV.

Idem gratulatus Evæ nostræ.

XI. Quæ porro DEUS egerit cum B. *Juliana*, & Eva, circa Divinum hoc suum negotium inchoandum, urgendum, perficiendum, Lector cupidus prolixè descriptum legere poterit apud Rever.^mum *Henriqueum* nostrum in *Liliis Cistercii* Libr. I. Distinct. III. à p. 94. Peculiariter verò B. *Evæ* solertiam, *Urbani* Bullam pro universa Ecclesia, ejúsque ad *Evam* Gratulatorias, *ibid.* Distinct. IV. à p. 146. Quas postremas pariter vulgavit Cl. *Papebrochius* in Conat. Chronico-Histor. ad Catalog. Pontif. Romanor. Part. II. in *Urbano* IV. p. 52. Meritò itaque in hac die Jucunditatis & Lætitiæ, qua usque modo Christianus Orbis DEO suo Eucharistico quotannis amabilissimè jubilat, Sacer Ordo noster præ cæteris exultat: cui datum est desuper, per Membra sua sanctissimæ huic Celebritati beatum initium dare.

Ubi hæc cuncta diffusiùs legenda sint.

XII. Rebellibûs in *Alfonsum* Castellæ Regem pluribûs Castris, *Petrus Joannis*, supremus Militiæ nostræ Calatravensis Magister, non modò, cum eximia laude sua, in fide Regis integerrimè perstitit, verùm etiam perduellibus fortissimè obsistens, Castrum de Utrera, longa ab hostibus obsidione gravissimè pressum, invictè Regi servavit, eapropter Conventu apud Ossunam, quin & ipsa hac Civitate, in præmium fidei donatus. *Manriqu.*

Merita Calatravensium.

Ap-

Stella Mariæ fundata. *Append. Tomi IV. p. 24.* In Lusatia superiori *Bernardus* Misniæ Episcopus, Comes *de Camenz*, Virginibus Cisterciensibus excitavit Parthenonem, à se dictum *Stellam S. Mariæ*, vernaculè *Marienstern*, aut *Morgenstern*: cujus ædificium hoc Anno cæpit, Anno 1284. consummavit, primis interim Virginibus proximo quopiam in loco sustentatis. Quibus prima & secunda Abbatissa fuerant, *Amabilia*, & *Agnes* Comitissæ, Sorores Germanæ Rever.mi & Jll.mi Præsulis Fundatoris. Hic Parthenon in hæc usque tempora à DEO cum flore servatus est. *Sartor.* Cist. b. t. vern. p. 794. Lat. 1072. In Moravia hoc Anno pietate *Smilonis*, Filii *Gebhardi* Comitis *de Berneck à Nidde*, surrexit Monasterium Cisterciense, dictum *Wizowiz*, aliàs *Rosa Mariæ*, vel etiam *Smilheim*, Filia Weleradii: quod Hussitico furore excisum est. *Id. ib. vern. p. 1004.*

Item Rosa Mariæ.

Annus 1265.

Clemens Papa IV. Controversiam Ordinis per se ipsum feliciter dissolvit.

XIII. CLemens Papa IV.tus, qui post *Urbanum* Petri Cathedram conscendit, nihil antiquius habens, quàm Cistercium, quod ipse suis in Literis *Nobilissimum totius Ecclesiæ Membrum esse* prædicavit, salvum & incolume conservare, sublatô *Urbani* decretô de externis Judicibus, Archi-Abbatem & Quatuor Primos Abbates ad se vocavit, disceptantes paternè audivit, & cùm in utrisque zelum bonum, sed ferventiorem, quàm Charitas ferat, adverteret, capita omnia, quæ controversa erant, ipse resolvit, atque Decisiones suas Bulla singulari, quæ in Ordine *Clementina* appellatur, tanquam Legem perpetuam posuit. *Jacobus* porro Archi-Abbas, cujus Probitas peculiariter commendatur, lapidem offensionis penitus de medio ablaturus, sive inductus à Pontifice, sive jussus, vel veriùs ultro, pacisque amore, Clavum Ordinis posuit, *Joanni I.mo* delatum. *Manriqu. Append. Tomi I. p. 479. & 511.* Laudatam *Clementinam* habes apud *Henriqueum* nostrum post *Menolog.* p. 74. n. 41. præter gemina alia hujus Anni pro Ordine Privilegia. Novum Ordinis Caput *Joannes*, disciplinæ sedulò intendens, & Archi-Cœnobium Cisterciense, litium anteriorum causâ maximo ære alieno gravatum, eliberaturus, favente sibi Pontifice, ut erga annuam quatuor millium librarum solutionem, usquedum nomina omnia dissolverentur, usuræ creditorum cessarent, laudabili parsimonia Domum suam breviter felicitérque debitis fecit immunem.

Jacobus Archi-Abbas abdicavit. succeffit *Joannes* I.

Guido Cardinalis Germaniæ Legatus.

XIV. *Guido* noster Cardinalis à Pontifice in Daniam primùm, deinde Germaniam omnem directus est Legatus à Latere. *Raynald. h. a. p. 127. sq.* *Guido* alius, Nobili genere, ex Monacho Cisterciensi electus Episcopus Sassenatensis Flaminiæ, mox in aditu Episcopatus, priusquam inaugurraretur, creditæ

ditæ sibi Ecclesiæ Jura fortiter defensans, à duobus Bonorum Ecclesiasticorum rapacissimis detentoribus immaniter occisus fuit. Qùa de re *Clemens* Papa scribens Archiepiscopo Ravennatensi, ita inchoavit. „Exitiale facinus, piaculare flagitium, & „scelus horrendum, perpetratum in bonæ memoriæ *G.uidonem* „Saxenatensem Electum, Cisterciensis Ordinis Professorem, audientibus horrorem ingerit, Jus dicentis pulsat Officium, & se„veritatem ultionis exposcit.„ Item in aliis ad *Simeonem* Cardinalem Legatum Literis ita exorsus est. „Vox horroris & mæ„roris, vox gemitus & lamenti sensibus nostris intonuit, dum „nuper audivimus, quòd bon. mem. G. Saxinatensis Electus à „quibusdam Ministris Sathanæ, de illis partibus, fuit more fe„rino jugulatus immaniter, ejúsque Corpus crudeliter in frusta „divisum.„ *Ughell. Ital. II. col.* 661. *seqq.* In Bohemia, quà ad Moraviam excurrit, Jllustres duæ Sorores, *Utha*, atque *Ludmilla*, Nobilissimæ Comitum Prosapiæ *de Berck*, sibi, & Sodalibus pluribus, Cisterciensis Instituti hoc anno excitârunt Ascerium, cui Nomem *Vallis Virginum*, vulgò *Frauenthal*: quod accedente Protectione Regia, & aliorum Pietate Munifica, satis opulentum evasit. Et quamvis per Ziskam, trucidatis Virginibûs, exustum conciderit, attamen è cineribus feliciter denuo exurrexit, hodieque lætissimè vernat. *Sartor. Cist. b. t. vernac. p. 669.*

Vallis Virginum fundata.

Annus 1266.

XV. HOc atque proximis Annis *Garsias Ferdinandus*, Militiæ nostræ Alcantariensis Magister Summus, *Alfonso* Sapienti Lusitanorum Regi, tam adversus exteros & barbaros hostes, quàm adversus Propinguos, multùm eidem infestos, egregiam & utilissimam operam commodavit, expugnatis Castris, *Arcos*, *Lebricoxa*, *Niebla*, & *Iurdetanorum* provincia, hodie peculiare Regnum constituente, cui *Algarbiæ* Nomen. *Manr. App. Tom. IV. p.* 571. Apud Frisones usque in hunc Annum, quo decessit, virtute simul & Eruditione magnoperè claruit *Richardus*, Artium & Theosophiæ Parisiis Magister, Astronomus excellens, natione Anglus: qui, cùm Cruce signatus Palestinam adire statuisset, consilio cujusdam Reclusæ nostræ Ordinem Cisterciensem in Aldweard propè Groningam Frisiæ professus, 30. bonis annis virtuti usque ad prodigia operam dedit: præterea varios à se conscriptos Libros posteritati reliquit: *quibûs, ut Sol Mundum, Sic ille Frisiam illustravit.* Ita Anonymus ejus *Biographus* in Vita MS.[ta], quam Doctiss. *Vischius* noster Biblioth. Cisterc. p. 286. in Monasterio Veteris Campi se reperisse testatur.

Merita Alcantariensium.

Richardus vir pius, & doctus, atque scriptis Clarus.

Annus 1267.

Guidonis nostri Cardinalis Legatia utilissima.

XVI. GUido noster Cardinalis Legatus, postquam superioribûs annis Daniæ Regno feliciter admodum tranquillitatem diu suspiratam reddidisset, *Erico* Rege ad frugem reducto, subditis eidem conciliatis, Upsaliâ septennali interdicto exsolutâ: deinde in Suecia, & Polonia, vocatis Episcoporum & Clericorum Cætibus, morum Reformationi saluberrima præcepta sanxisset, teste *Raynaldo*: tandem Germaniam ingressus, Viennam Austriæ venit primo vere Anni hujus, ibique Concilium indixit Feria tertiâ post festum S. Joannis ante Portam Latinam. Encyclicas Literas dedit *Petrus* Episcopus Pataviensis ad Abbates, ac Præpositos omnes: qui magno numero præter Episcopos, *Johannem* Pragensem, *Petrum* Pataviensem, *Brunonem* Brixinensem, *Conradum* Frisingensem, *Leonem* Ratisponensem, *Almaricum* Lavantinensem, interfuêre: ut hoc Consilio nullum celebrius Viennæ aliquando habitum fuerit. Viennæ, inquam, Austriæ, non Galliæ, uti per errorem scripsit Doctiss. *Eggsius* Purpur. Doct. Libr. I. p. 195. in *Guidone* nostro. Anonymus quidam Prosecutor *Hermanni Contracti*, quem Cl. *Hansizius* Metr. Laur. p. 410. ex MS.^to^ Biblioth. August. Vindobonens. allegat, hoc de Concilio ita scripsit. „Anno Domini „MCCLXVII. Dominus *Gwido* Apostolicæ Sedis Legatus, Tituli S. Laurentii in Lucina Præsbyter Cardinalis, Abbas Cisterciensis, magna fultus Authoritate, venit Wiennam: omnes „Episcopos, Prælatos, Abbates, Præpositos, Decanos, in Salzburgensi Episcopio constitutos, convocat: post Joannis ante „Portam Latinam Feria tertiâ, in Parochiali Ecclesia Wiennæ, „tribus diebus Concilium celebrat: cum jam dictis Prælatis „de profectibus sanctæ Ecclesiæ, & utilitatibus, sicuti Vir Apostolicus, pertractat, honorificè suæ Legationis Officium adimplendô, sanctæ Ecclesiæ studuit prodesse potiùs, quàm præesse.„

Viennæ Conilium celebrat.

Acta nonnulla hujus Concilii.

XVII. Constitutiones hujus Concilii, breviculô compendio extractas, reddidit Cl. *Hansizius* l. c. In quibus cætera inter hoc pariter sancitum: Ut Episcopi Provinciæ Salisburgensis intra dimidium Anni, assumtis secum duobus Abbatibus Ordinis Cisterciensis, visitent, & reforment omnia Claustra Nigrorum Monachorum suæ Diœcesis, præterquam Exemta. Absentiam *Uladislai* Archiepiscopi Salisburgensis hoc à Concilio Vir idem Clarissimus in id confert, quòd postea demum à *Petro* Pataviensi Sacros Ordines, & Consecrationem, Palliúmque à Pontifice acceperit, ac proinde Locum suum decenti cum dignitate tueri vix potuisset. Præstitit interim *Guido* aliud non mediocre bonum, Patribûs Concilii mediantibûs: ut nimirum

Otto-

Ottocarus Rex, & *Henricus* Bavariæ Dux, pacem sese inter componerent, & Rex Expeditionem Sacram in Prussiam susciperet.

XVIII. *Clemens* Papa IV. *Nicolaum de Sinistro* Monachum Cisterciensem Aquilanum: & Abbatem *SS. Vincentii & Anastasii* de Urbe, elegit Episcopum Aquilanum: cui Ecclesiæ in Aprutiis adhuc Ann. 1292. cum utilitate plurima præfuit. *Ughell. Ital. l. col.* 381. In Germania, quarto milliari à Magdeburgo, Nobiles duo Fratres Germani *de Gronnenberg*, quorum unus Præpositus S. Nicolai Magdeburgi, alter *Geverbardus* dictus, Eques erat, Patrimonium suum DEO consecrantes, fundârunt Parthenonem Cisterciensem *S. Andreæ in Meyendorf*: quem DEI gratia etiamnum in medio Acatholicorum florentem servavit. *Sartor. Cist. b. t. vern. p. 809.* Celebre *Hortæ* Monasterium in finibus Regni Castellæ, sub Abbate *Petro*, hoc Anno præsentiâ suâ honorârunt *Jacobus* Aragoniæ, & *Alfonsus Castellæ* Rex, ibidem grandium negotiorum causâ Conventum cum Proceribus agentes. *Manriqu. App. Tom. II. p.* 20.

Episcopus Aquilanus. Meyendorfii Fundatio.

Annus 1268.

XIX. Cùm DEUS B. *Augustinum*, Archiepiscopum Nidrosiensem Norwegiæ, multarum gratiarum famâ, ejus intercessione fidelibus exhibitarum, clarum fecisset, Clerúsque ibidem, ac Provincia, pro publico ejus cultu permittendo, sanctæ Sedi iterum supplicâsset, *Clemens* Papa, solitam Inquisitionem exactam Vitæ, ac Gratiarum prædictarum, sub *Innocentio IV.* jam cœptam, deinde verò propter mortes intercurrentes intermissam, iterum reassumi præcepit per Episcopum Bergensem, Tutrensem item, atque Holmensem Abbates, ambos Cistercienses. *Raynald. h. a. p.* 169. *n.* 48. Apud Romelingshausen Wetteraviæ, quinto lapide à Francofurto, Nobiles Domini, & Germani Fratres, *Conradus*, *Rupertus*, & *Hardegenus de Büches*, itémque *Fridericus* Domînus, *de Carbes*, Burggravii omnes *Fridbergenses*, collata Stipe, Sanctimonialibus Cisterciensibus Domum novam construxêre, dictam *Vallem Angelorum.* In qua, his nostris adhuc temporibûs, Regulari Disciplina perexactâ, invigilante Abbate Arnsburgensi, devotus DEO famulatus exhibetur. *Sartor. Cist. b. t. vern. p.* 663.

Comissio nostrorum Apostolica. Vallis Angelorum fundata.

Annus 1269.

XX. JOannes I. Archi-Abbas Cistercii, communi Decreto Capituli Generalis, singulis annis Anniversarium solemne pro defunctis Abbatibus & Superioribus Ordinis fieri instituit. *Manriqu. Append. Tom. I. p.* 479. Anglonensem Calabriæ Veteris Cathedram Episcopalem hoc Anno, testibus publicis Literis ab

Anniversarium pro Superioribus. Episcopus Anglonensis.

ab ipso datis, tenuit *Leonardus*, quondam B. Mariæ de Sagittario Monachus Cisterciensis, Promotionis ejus, Obitúsque Anno latente. *Ughell. Ital. VII. col. 84. sq.* In Claravalle Franciæ, sub Abbate *Philippo*, Sexcentorum Corporum Sanctorum altera Translatio facta est per *Jacobum* Archiepiscopum Lugdunensem, & *Petrum* Episcopum Othoniensem. *Manr. App. Tom. I. p. 511.*

Translatio SS.orum Claræyallis.

Arcta Vallis fundata.

XXI. In Diœcesi Basileensi sub hunc Annum pietate, uti creditur, DD.[orum] Comitum *de Homburg*, surrexit Parthenon Cisterciensis, cui *Arctæ Vallis* Nomen erat, Rustico tumultu An. 1525. destructus, Fundatione per Senatum Basileensem, à Catholica fide desciscentem, ad se attracta. *Sartor. Cist. b. t. vernac. p.* 665. In Austria inferiori, versus tamen Superiorem, intra Sylvam Norticam, in Districtu Castri Rapotenstein, Locóque horroris, ac vastæ Solitudinis, *Meilan* dicto, Dominus Comes *Henricus de Hardeck* cum Jllustri Conjuge *Wilburgi*, Locum concedente Domino *Henrico Chunringio de Weitra*, hoc anno excitârunt Odeum Sacrum Virginum Cisterciensium, Coloniâ primâ ex Zimerensi Parthenone Sueviæ deductâ, sub Visitatione Monasterii *Zwetalensis*. Verumtamen paucos post Annos, ob nimiam insalubritatem Loci, Beneficiô Domini *Stephani de Meissau*, Sanctimoniales istæ translatæ sunt in Pagum *Chrueg*: cujus Parochialis Ecclesia, S. *Bernardo* dicata, Novum in Parthenonem conversa est, cui deinceps Nomen S. *Bernardi* adhæsit. Perstitit flore suo, usquedum in Austria sub medium Seculi XVI. Religio Catholica turbaretur, hujusque turbinis vexatione increscente, sub annum 1580. desertus, & Sexennio postea ab Ordine planè avulsus est, inque Manus alienas devolutus: de quo alibi latiùs, ac præcipuè Tom. IIII. Parte I. Libr. I. Sect. VIII. sub Rubrica: *Moniales variorum Ordinum.*

Item Parthenon S. Bernardi.

Annus 1270.

Episcopus Suanensis.

XXII. DAvid Senensis, è Monacho Cisterciensi S. Galgani electus Episcopus Suanensis in Hetruria, non minùs probitate morum, quàm doctrina eximius, Cathedram suam annis tredecim sapientissimè pariter ac utilissimè rexit, sub annum 1283. cum opinione Sanctimoniæ defunctus. *Ughell. Ital. III.* 741. *sq.* Pari super Candelabro prælucere jussus est, hoc, aut proximo quopiam anno, certè sub *Clemente* Papa IV.[to] *Stephanus* Monachus Cisterciensis, evectus ad Episcopalem Cathedram Cupersanam Regni Neapolitani in Provincia Bariensi, Vir illustri genere, Virtute, & Eruditione. Sub hoc celebre Monasterium Benedictinum *Cupersanum* à *Rudolpho* Cardinali Episcopo Albanensi, Legato Apostolico, probante Pontifice summo, traditum est Virginibus Cisterciensibus *S. Mariæ de Verga*. Gubernavit hic Præsul, optiméque rexit Ecclesiam suam

Item Cupersanus.

am tempore non minimo: quamquam de certo obitus Anno non constet. Successoris *Joannis* prima Mentio non ante Annum 1283. occurrit. *Idem Tom. VII. col. 705. sqq.* In Westphalia *Engelbertus* Comes marckæ hoc Anno proximè Hammonam (vulgariter Hamm) nostri Ordinis Monialibus Asceterium struxit, dictam *Curiam B. M. Virginis*: cui verò nunc Nomen *Kentorffii* adhæret, ex quo *Eberhardus*, Filius Fundatoris, huic Parthenoni Villam propinguam paris nominis contradidit. Loci hujus Flos integer adhuc hodie perstat. *Sartor. Cist. b. t. vern. p. 735.* Pari religione, suæque Salutis cura incitatus *Ludovicus* Comes *de Oettingen*, in Pago Kircheim, lapide uno post Nördlingam Urbem in Ascensu Montis, consimile Odeum Virginale Cisterciense è fundamentis erexit, B. Mariam *Kirchemii* dictum, ne Advocatiâ quidem sibi, vel Jllustri Familiæ suæ reservatâ. Qui Parthenius Cætus adhuc numero quinquagenario consistit. *Id. ibid. p. 736.*

Kentorffium fundatum

Item Kirchemium.

§. III.

Res Monasterii.

Annus 1261.

I. GRaviter Domino Abbati nostro *Bertholdo*, totique Campililio doluisse *Ottocari* Regis insolens factum, ubi Dominam *Margaretam* Reginam cum contumelia repudiavit, facilè quilibet secum existimet. Et augurari fas est, Nostros consolandò Reginæ non defuisse: quo & affectum ejus singularem ampliùs promeruerint, postea ab ipsa exsplicatum. Rex verò, priusquam hoc auderet, nobiscum de Jure Patronatus in Oppido Wizelstorf disceptabat: quod sibi, ut Principi Terræ competere, ex nonnullorum erronea suggestione, opinabatur. Constituit ergo Inquisitores: à quibus de Jure nostro luculentè edoctus, cessit liti, Literisque illud publicis confessus est. Ubi in cæteris ajebat: „Nos itaque cupientes, nostra Nobis Jura sic „servari, ut tamen aliis nolimus injurias irrogari, Viros pro„vidos & discretos ad hujusmodi negotium duximus deputan„dos &c. -- Acta sunt hæc Wiennæ Anno Domini MCCLXI. „iij. Kl. April.„ Exploratores nostri Juris ex parte Regis erant *Henricus* Plebanus de Ponte: *Henricus* Dapifer de Lengenpach, *Rapoto* de Altenburg, *Albero* de Leize. Causa, quia cum Rege fuit, oppidò delicata erat: sed Jus planè liquidum, quod stabat à nobis, pronúsque in æquitatem Regis animus, minitantem hanc tempestatem feliciter dissolverunt.

Nostris dolet Repudium D. Margaretæ.

Rex Ottocarus cedit liti nobiscum.

II. Nobilis Dominus *Lupoldus de Sachsengang*, & Uxor *Margareta*, assentientibus Liberis *Leopoldo*, *Hainrico*, & *Chunrado*,

Donatio Lupoldi de Sachsengang.

do, nec unquam poſtea reclamantibûs, donârunt nobis areas, ponè Grangiam noſtram in Pfaffſteten propè Badenam Urbem ſitas, & ad ſe pertinentes. „Quia (inquiunt) deſideratum Fra„ternitatis conſortium à præfati Conventu Cœnobii ſumus, „DEO propitio, conſecuti, & ſinceri affectus gratiam eidem „Congregationi ſervare ſemper diſponimus, locum in prænota„to Monaſterio nobis eligimus ſepulturæ: quatenus apud eos „etiam, favente DEI Clementia, noſtra Corpora requieſcant, „quorum nos committimus, & credimus orationibus adjuvari.„ Datum die I. Marcii ANNO MCCLXI. Percommodum nobis uſum Areæ iſtæ adhuc hodie præſtant: quibus modò Ædiculæ Vinitorum noſtrorum inſiſtunt. De Stirpe *Sachſengangia* latior erit agendi locus *Tom. IIII.* inter *Familias in S.*

Anni 1262. 1263.

Urbanus Papa IV. Fundationem noſtram confirmat.

III. B*ertholdus* Abbas noſter, nullo non tempore ſuæ Domus commoda vigilantiſſimè curans, turbis tamen cùm Romanis, tum Auſtriacis, diuturnis ac gravibûs prohibitus, ne anteriorum Pontificum, *Innocentii*, & *Alexandri*, utriúsque IV.[ti] Clementiam implorare poſſet, anno demum 1262. pacatis jam rebûs, Fundationis noſtræ ulteriorem Confirmationem Apoſtolicam ab *Urbano* IV. Papa devotus requiſivit, móxque primo Menſe anni inſequentis Bulla brevi, generatim omnia complectente, obtinuit: quæ dabatur *apud Urbem Veterem V. Kal. Februarii* (die Januarii 28.[va]) *Pontificatus Anno Secundo*, i. e. Chriſti MCCLXIII. Quo ſimiliter *Otto*, Præſul Vigilantiſſimus Pataviensis, præſentiam ſuam Campo noſtro indulgens, trium Altarium, quorum Titulos Literæ non exprimunt, Conſecrationem Nobis X. Kal. Maji benignè impendit, Collatis de More Indulgentiis, & adjecta propter preces noſtrorum facultate, Memoriam Aniverſariam horum Altarium conſecratorum, ſub uno cum Dedicatione totius Eccleſiæ, celebrandi: cujus proinde Diei Indulgentiam veniâ XL. dierum conſequendâ amplificavit, Unde advertas pro pleniori Diſciplinæ Veteris Eccleſiaſticæ Notitia, olim non modò Eccleſiarum duntaxat, ut hodie, ubi ſemper Devotio remittit, verùm etiam ſingularium Altarium Dedicationem, Anniverſaria die celebratam fuiſſe, idque ommittere absque peculiari facultate, rationabilem cauſam ſupponente, neutiquam licuiſſe.

Otto Episc. Patav. dedicat apud nos tria Altaria.

Idem decidit litem noſtram cum Plebano Meuslingenſi.

IV. Idem Antiſtes, à nobis imploratus, cauſam quampiam Nos inter, & Plebanum Meuslingenſem, per Arbitros examinari, compertóque Jure, in favorem noſtri decîdi juſſit, Literis datis *Pataviæ xvj. Cal. Septembris.* Cauſa in eo præcipuè vertebatur, quòd Plebanus Eccleſiæ Meuslingenſis, absque nutu conſenſu noſtrorum, *Rudolphum de Lichtenowe* Advoca-

vocatum constituerit. Laudum primum deferebatur Domino *Henrico* Præposito S. Hippolyti: *cujus à sententia Plebanus*, uti Charta loquitur, *frivolè ad Episcopum appellavit.* Hic Judicem dedit D. Abbatem Altaichensem (celebrem illum *Hermanum*, Scriptorem Chronici, à *Secrone* ulteriùs producti) Cujus admonitione Partes compromiserunt in Arbitros, D. Præpositum S. Nicolai Pataviæ (Leupoldum) & Magistrum *Dietricum* Plebanum de Polan, atque *Bonifacium* Capellanum Domini Papæ. Horum novâ Sententiâ Plebanus Meuslingensis *Meinhardus* totâ causâ cecidit, & in expensas xij. Solidorum denariorum condemnatus. Nostro nomine in foro comparuerunt *Henricus* Prior, Fr. *Engilbertus*, & alii, quorum nomina tacentur. Domini *Chunradus*, itémque *Rapoto de Altenburg*, quosdam nobis annuos census, Cognatus quoque eorum *Rapoto de Wildeck* aream aliquam, vendiderunt. In cujus prostremi Charta primo inter Testes locô leguntur Fratres nostri, *Ludwicus* Cellerarius, *Sifridus* Camerarius.

Prioris, ac Fratrum nostrorum Nomina.

Anni 1264. 1265.

V. PRimo horum Annorum D. *Ulricus de Töppel*, & Uxor *Pendit*, donatione unius Mansi in Grüffelinge se nobis beneficos, suæque Capellæ S. *Mauritii*, apud nos constitutæ, Promotores exhibuerunt. Motivum Donationis assignant *formidinem districti Judicis, & peccaminum suorum nonnullam in hac vita satisfactionem.* Anno posteriori Campililium Clementiâ Regiâ multùm adjutum fuit. Primùm námque Rex *Ottocarus* omnes Immunitates, ac Libertates nostras, peculiariter verò Judicium Provinciale, contra tenorem Privilegiorum nostrorum à quoquam temerari minimè ferens, non solùm universis hujusmodi violationem districtè inhibuit: verùm etiam *Hainrico* Comiti *de Hardeck*, & *Alberoni* Dapifero *de Veldsperch*, Judicibus Provincialibus Austriæ, concepto efficacíque mandatô præcepit, ut Monasterium nostrum, atque homines nostros, in omnibus Juribus locô sui manuteneant, quotiescunque per nos fuerint requisiti. *Datum in Wienna Anno Domini M.° cc.° lx.° Quinto iij. Id. April.* Quàm porro industriè hi Domini injuncto sibi Muneri iterum iterúmque satisfecerint, æternam sui cum laude memoriam eapropter à nobis promeriti, statim infra patebit.

Töppeliorum Donatio.

Ottocarus Rex Jura nostra salva esse jubet.

VI. Adhortante deinde, ac perurgente Domina *Margareta* Regina, licèt affectu Regis *Ottocari* jam exclusâ, propter Authoritatem tamen ac reverentiam, quam in Provincia habuit, *Dietricus de Hohenberg*, præpotens, admodum verò gravis Monasterio Vicinus, Mansum quemdam propè Dürniz, malè à se emtum, cùm nostri Juris esset, erga septem libras Nummo-

D. Margareta Regina urget, nobis Jura nostra restitui.

morum sibi exolutas Nobis restituit, omni ad eum Jure ac postulatione abscedens *vij. Id. Junii.* Item instante, ac petente eadem Regina, Domina *Elisabetha de Siedenberg* Jus nostrum Provinciale, indebitè à se occupatum, liberè nobis reddidit, idque publicis Literis fassa est *in Lilienveld X. Cal. Novembris.* Non parva injuriam patientium fortuna, immo & sola quodammodo, promtam habere Clementiam Principis.

Annus 1266.

Alberti de Liechtenstein Transactio.

VII. PLura *Bertholdo* Abbati nostro hoc anno negotia fuêre, fatentibûs publicis Chartis. Quarum primam iij. Non. Januarii dedit *Albertus de Liechtenstein*, qui, acceptîs à nobis xj. talentis, cessit omni liti & actioni super proprietate Predii *Gaurelle* in ripa Danubii juxta *Petronellam*, reservato sibi, & hæredibus, accessu unius navis, in litore prædicti Predii onerandæ, pactâque tuitione adversus omnes, qui illud lite impetere per-

Wichardi de Ramenstein abscessio à lite, & occupatione mala.

tentarent. *Wichardus* quoque *de Ramensteine* quæstiones nobis intentatas de limitibus circa ipsum Monasterium dimisit erga promissum, si olim obierit, suffragia pro Anima ejus à Nobis futura, ut pro Confratre, Corpúsque ipsius apud nos tumulandum esse. Compulsus est autem ad hanc Renunciationem, simúlque ad desistendum aliquando à detentione, ac violatione finium nostrorum à Monte *Chögilperch* usque *Oetschan*, longo tempore, cùm à Majoribus suis, tum à se facta, in Placito publico per Dominos Judices Provinciales, *Henricum* Comitem *de Hardeck*, & *Alberonem de Veldsperch*, editâ desuper triplici chartâ: quarum una est ipsius Renunciantis, altera *Gotschalci de Neitperg*, cui Wichardus Gener erat, tertia laudatorum Judicum Provincialium. Dabantur *Crembsii in Pomerio Ducis* 4. *April.* & 28.va *Maji Anni* 1266.

Reassignatio veterum finium nostrorum versus Cellas Marianas nobis facta;

VIII. Fuerat præterea etiam Celeberrimo S. Lamberti Stiriæ Monasterio, de Finibus circa Cellas Marianas, diuturnior cum Campililio concertatio, ut nullæ Lites præ iis, quæ de metis ac terminis fiunt, pertinaciores esse solent. Hæc dissidia Virorum Religiosorum, inter quos contentio minimè omnium expedit, ut componeret *Ottocarus* Rex, *Gotschalco de Neitperg*, & *Erbengero de Landeser*, magnæ Nobilitatis Viris, novam finium ac terminorum nostrorum, versus Cellas, recognitionem concepto mandato injunxit, eò maximè, quòd ambo jam olim huic metarum nostrarum discretioni præsentes interfuerint, quando ab ipso Serenissimo Duce omnium primò est facta. Hi itaque, uti habet Charta eorum adhuc apud nos Autographa, editô priùs ante Aram Divæ Virginis Cellensis Jurejurando, fines nostros de loco in locum ita rursum nobis reassignârunt, quali-

qualiter olim, se in multa Nobilium frequentia præsentibus, eosdem Nobis ab ipso Duce assignatos fuisse, de bona rectáque conscientia sua probè memores cognoverunt, nostris in Antiquam Possessionem immissis per Militarem Virum *Chunradum de Nusdorf*, à Domino Comite *Henrico de Hardeck* ad hanc Immissionem sui locò peculiariter delegatum. Signata Charta *Non. Junii An. Dom. Mcclxvj.*

IX. Dominus *Petrus* Episcopus Pataviensis, vulgatâ Charta *in S. Hippolyto XVII. Kal. Septembr.* i. e. die Augusti 16.[ta] hoc Anno, Anniversaria Dedicationis Templi nostri Solemnia, quæ, cùm aliàs ex ordine recurrerent in Festo S. *Andreæ* Apostoli, jam antea; ob Apostolica Sacra eo die agenda, reducta fuerant in 21.[am] Octobris, nunc, cùm in hanc diem constitueretur Festivitas *S. Ursulæ*, & Sociarum ejus, quarum nobis insignes Reliquiæ, ac tria Capita sunt, iterum transtulit in diem Octavam S. Martini, sive diem Novembris 18.[vam] Quod perdurâsse existimo, donec eadem die ab Ordine decerneretur Anniversarium Solemne Parentum, Fratrum, atque Sororum nostrarum. Atque tunc Dedicationis Celebritatem ab immobili die ad mobile festum, Dominicam videlicet *Exaudi*, quæ Ascensionem Dominicam proximè insequitur, & qua hodie adhuc apud nos agitur, longa licèt Anticipatione translatam, affixámque fuisse, mihi plurimùm persuadeo.

Petrus Episc. Pataviens. transtulit Anniversarium Dedicationis nostræ.

X. Superest hujus Anni Donatio princeps, facta nobis à Domina *Margareta* Regina, quæ hac Chartâ Regiâ, desuper editâ, continetur. „In Nomine Domini, & Indiuiduæ Trinitatis Sanctæ. MARGARETA quondam Filia LIUPOLDI Jllustris „Ducis Austriæ & Stiriæ, & Romanorum Regina, omnibus „tam præsentibus, quàm futuris, in perpetuum. Cùm Redemtor noster à DEO Patre acceperit omnia, & cùm ipse det „omnia, & ab eo plus exigat, cui plus donaverit: Nos MARGARETA hoc animadvertentes, ipsi Creatori nostro de ejus „Gratiâ Nobis collatis Mundi Rebus, & transitoriis honoribus „Gratias agimus: & ad honorem Nominis ejus, & ad laudem Genitricis suæ Virginis MARIÆ, libera & bona voluntate, habito „diu, & deliberato consilio prudentûm, damus & legamus *Monasterio in Lirenveld, ubi eligimus sepeliri*, & Fratribus ibidem „Domino servientibus, pro Remedio Animæ nostræ, & pro Salute Progenitorum nostrorum, Villam *Graeuenperch*, sitam in „plebe de *Egenburch*, cum omnibus attinenciis, spectantibus „ad eandem, tam jure Donacionis inter uiuos, quàm jure defunctorum ex nostro condito Testamento. Hanc ipsi Monasterio, & prædictis Fratribus, factam Donationem ratam haberi volentes, & firmam, nostri Sigilli munimine duximus

Dominæ *Margaretæ* Reginæ facta nobis Donatio Oppidi Grauenberg.

Tenor Instrumenti.

„confirmandam. Præſentibûs Teſtibûs, & Executoribûs no-„ſtri Teſtamenti: F. *ratris PERNOLDI Penitenciarii noſtri Or-„dinis Predicatorum*: Ottonis de Chornſpach Camerarii noſtri: „Aloldi de Chiawe: Ortolfi de Ronnberch: Marquardi de Strit-„weſen: Friderici de Horſendorf: Hugonis Hartungi de Gevel-„le, *de Familia Curiæ noſtræ.* Pilgrini de Zwarzenawe: Fride-„rici de Porſenprunne, & aliis quàm multis. *Actum, & Da-„tum in Caſtro noſtro Chrumbenawe Anno Domini M.cc.lxvj. vj. „Cal. Novembris.*„

Obſervantur in eo nonnulla.

XI. Hæ Literæ manifeſtiſſimè revincunt omnes illos, qui ex Regina noſtra Monialem Ordinis Prædicatorum confinxerunt, Votorum ſacrilegè oblitam, & crimine hoc in publicum emanante, eam ab *Ottocaro* Treviros in Monaſterium, quod antè ſacrilegè deſeruerat, relegatam calumniabantur. Scribit, ut Regina, donat nobis *Villam ſuam*, ſeu Oppidum integrum, ut Regina, *libera & bona voluntate, habito diu & deliberato Conſilio prudentûm*, palàm itaque, non clanculum: conſcio præterea Arbitro Conſcientiæ, & Executore Teſtamenti, Viro illius ipſius Ordinis Prædicatorii, cujus eam Apoſtatam criminati ſunt, Fratre nimirum *Pernoldo*. Meminit *Camerarii*, ac *Curiæ ſuæ*: Caſtrum *Chrumpenaw*, quod ultra Danubium Zwetlam inter ac Cremſium eſt, *ſuum* dicit: denique, ut Regina, ſignat Imagine ſua in throno conſidente. Quomodo, obſecro, hæc omnia Moniali Relegatæ conveniunt? Cæterùm Donationem integri Oppidi Auſtriaci jure, ut ſcribit, vivorum pariter ac defunctorum factura, meritò ſe *Filiam quondam LIUPOLDI Illuſtris Ducis Auſtriæ ac Stiriæ*, ante Elogium *Romanorum Reginæ*, appellavit: ut hoc pacto veram ſe Auſtriæ Hæredem, ac legitimam Dominam profiteretur. Quapropter factum pariter putem, quòd in Sigillo ſuo, uti in ejuſdem icone *Tom. IIII. Tab. XXI. n. III.* videre licebit, Parmulam Auſtriacam ad pedes ſuos apponi curaverit. Cui adeò nihil deinde contradixit *Ottocarus* Rex, ut Chartàm hanc, ſibi exhibitam à noſtris, non confirmaverit ſolùm libenter, verùm etiam ſuo in Diplomate ipſe allegaverit.

Annus 1267.

Guido noſter Cardinalis Legatus rem noſtram quinque Bullis gratioſis promovit.

XII. ET hic pariter Annus Actis memoria dignis apud nos fœcundus eſt, dum Campililium plurimis iterum variorum, iiſque inſignibus Gratiis affectum eſt. Cùm etenim *Guido*, ex Archi-Abbate Generali Ciſtercii, Titulô S. Laurentii in Lucina Præsbyter Cardinalis, & Sacræ Sedis Apoſtolicæ per omnem Germaniam Legatus, Viennam adveniſſet, humillimè ſalutatus à *Bertholdo* Abbate noſtro, quinas nobis patentes

tes Literas, priusquam Concilium celebrâsset, magna benè volendi facilitate indulsit, sub dato *Wiennæ II. Calend.* & item *VI. Non. Maij Pontificatus Domini Clementis Papæ Anno Tertio*, i. e. Christi 1267. Primîs earum, quas ita exorsus est: *GUIDO - - - Ob favorem Cisterciensis Ordinis, cujus Nos fatemur DEI munere Professores, inducimur &c.* innexuit, sive incorporavit, ut ajunt, Campililio Parochiam in *Wizestorf*: ita, ut extra Portionem Canonicam, Plebano, à nobis præsentato, cum Approbatione Episcopi Diœcesani à nobis præstandam, fructus reliquos nostris usibus addixerit. Secundis confirmavit Nobis Privilegium *Friderici* II. Imperatoris de Judicio Provinciali, in omnibus Locis nostris plenè ad nos attinente, cum aliis Juribus Altis. Tertîs mandavit *Ortolfo* Abbati Mellicensi, ut nos adversus omnes, Judicium nostrum Provinciale violantes, tueatur. Quartîs innovavit nobis Privilegium *Alexandri* Papæ IV[ti], toti Ordini concessum, ne Legatis, & Nunciis Apostolicis, aliisque Prælatis, teneamur persolvere Procurationes pecuniarias, omnibus aliis communiter indictas: & ad illum quoque casum extendit, quo in Literis Apostolicis diserta Mentio Ordinis Cisterciensis haberetur, etiam tunc Campililium immune pronuncians, & quaslibet Sententias Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, propterea in Nos, vel nostros homines ferendas, tanquam irritas & inanes decernens. Postremîs denique addixit nobis Decimas ad Parochiam Dürnizensem attinentes. Utrùm postea *Berchtoldus* Abbas noster ipsi Concilio interfuerit, &, juxta quod in eo statutum erat, à D. *Petro* Episcopo Pataviensi ad visitanda non exemta Monasteria sit adhibitus, equidem totus ignoro.

XIII. Domini *Altenburgenses* nobis vicini, & adhuc ad litigandum proni, cùm per se ipsos rursum nos immeritos impetere non auderent, subornârunt Sorores proprias, earúmque Maritos, ad litem resuscitandam. Verumtamen commodè accidit, ut *Ottocarus* Rex è Stiria in Austriam tendens, aut è converso Stiriam revisere cupiens, hoc Anno Campililium transierit, & in Wilhelmspurg, cui Oppido nostro DD.[ni] Altenburgenses admodum vicini erant, ex itinere nonnihil respiraret. Cui proinde supplex ibidem *Berchtoldus* Abbas noster, vexationem novam humillimè exposuit. Quocirca Rex, advocatis ad suam præsentiam *Chunrado*, *Rapotone*, *Wülfingo*, & alio *Chunrado* Altenburgicîs, item *Dietrico de Hohenberg*, districtè mandavit eisdem, ut, siquidem nostri nihil earum possessionum tenerent, de quibus per Sorores eorum convenirentur, sed ipsi ea occuparent, in proximo Placito Wiennæ celebrando, præter Abbatem nostrum, unacum Sororibus comparerent, atque cum

Ultima lis Altenburgensium nobiscum,

nunc penitus abolita per *Ottocari* Regis Clementiam.

cum iisdem componentes, Monasterio plenam tranquillitatem integrè restituant, nisi pœnam Caducitatis omnium bonorum, olim à se in cautionem litis constitutam, certissimè incurrere velint. Disco hæc omnia ex Literis publicis DD.orum Judicum Provincialium, *Henrici* Comitis *de Hardeck*, *Alberonis* Dapiferi *de Veldsperg*, & *Ottonis de Berchtolsdorf* Camerarii: qui causæ huic cognoscendæ, Jussu Regio diem dixerunt *Wiennæ in Crastino S. Martini.* Ibi cùm *Altenbergenses*, & *Hohenbergius*, metu pœnæ decretæ, ultro fassi essent, *quòd, Monasteriô ab omni conventionis molestia justè, & in perpetuum absolutô, omnis in eos transire deberet Actio, quandoquidem possessiones, litis causativas, ipsi detinerent, velléntque nihilominus pro eis, sicut dictaret justitia, respondere*: Non solum sorores *Altenburgicæ* ex ore Fratrum suorum, verùm etiam *omnis Judicii Concio communi decrevit sententia, Monasterium deinceps ab omni Reconventione, lite, quæstione super eisdem Possessionibus, ex parte totius Cognationis de Altenburg, quietum semper & liberum permansurum.* Quod ingenti Catalogo Nobilium, huic Placito præsentium, & subscriptorum, veluti totidem Testibus, comprobatum est. Atque sic tandem, DEO propitio, & *Ottocari* Regis industriâ Clementiâ, Campililium à gravissima, fatigiis & sumtibus, aliisque detrimentis plurimis plena, octo & quinquaginta Annorum Vexatione, feliciter absolutum fuit.

Alia ejusdem Regis Gratia.

XIV. Idem deinde Rex *Ottocarus* Legatum quoddam pium *Leopoldi* Ducis Fundatoris nostri, pro luminibus ad Altare S. Andreæ in Ecclesia nostra, Annuorum videlicet duorum talentorum, ex Urbaria Crems levandorum, propter laborem & expensas nostras, in hac repetitione faciendas, Regiâ Clementiâ suâ cummutavit in æquivalentes Annuos reditus è duabus Curiis Salzburgensibus, ad S. Petri Monasterium attinentibus, à nobis percipiendos. *Actum in Praga Anno Domini MCCLXVII. & Datum ibidem per manus Ulrici Notarii, Plebani in Hartperch iij. Idus Decembris.*

Albero de Arenberg resipiscit à nostra vexatione.

XV. Cæteros inter duriores Campililii vicinos fuêre pariter DD.ni *Arenbergenses*, quorum Castrum ad Montem Comagenum Oppido nostro *Kaumberg* planè propinguum exstiterat. Hujus vetustus Possessor *Albero* Senior, aliquando damna, quæ Monasterio nostro intulerat, valorem ducentorum talentorum excedentia, ad memoriam revocans, & compunctus, nonnullius satisfactionis ergò, nobis dimidii talenti reditus Annuos ac perpetuos in *Spilbach* assignavit: quos tamen paulò pòst iterum occupans, usque ad mortem suam retinuit. Eo defuncto nobis extraditi sunt: verumtamen ab *Alberone* juniore, Fratre prioris, rursum nobis subtracti. Tandem ad justam nostrorum querelam,

relam, ipso detentore per Divini Judicis formidinem salubriter territo, solemnibus nobis Literis, unde hæc omnia excerpta, adjudicati sunt per *Ottonem de Berchtolsdorf* Camerarium Regis, & *Ulricum de Wolfgersdorf*, Ministeriales Austriæ, IV. Id. Maij hoc Anno, hujusmodi Exordiô præmissô. „Quia Religiosorum „modesta simplicitas nonnullos reddit ad eorum injuriam prom„tiores: optimum valde videtur, ut ea, quæ perpetua debent „firmitate subsistere, Scriptis & Attestationibus roborentur &c.„ Pari metu Salutis, in infirmitate gravi positus *Henricus de Meienberg*, aliàs *Mainberg*, timore mortis, ut ipse ait, & exspectatione solicitus, tum in Recompensationem damnorum, quæ aliquando se Monasterio nostro intulisse cum dolore meminit, tum ut sui, Sepulturam apud nos eligentis, devotam haberemus in precibus memoriam, legavit nobis Curiam in *Haekilmansperge* IV. Cal. Septembris.

Qualem etiam nobis compensare studuit *Henricus de Mainberg*.

XVI. Pinguius Domino holocaustum oblatura Domina *Herradis de Rosenberg*, quæ nihil in nos peccaverat, mera devotionis liberalitate, eleemosinis peccata redimere cupiens, geminas nobis Villas in *Voitslag*, & *Haidpach*, cum attinentibus omnibus perpetua proprietate transcripsit II. Non. Novembris. Quod idem imitata est *Catharina*, Filia *Schuttwirflonis*, relicta *Baumwolli* Civis Viennensis: cujusmodi hominum illo ævo conditio non minima erat. Qui enim se Cives tum profitebantur, nihilominus potentes fuêre, & sæpe Nobiles, aut primi Satores Nobilis Posteritatis. Donavit nobis hæc Domina Vineam in *Pezlinstorf*, datâ Chartâ *in Crastino-Nicolai Confessoris*, Testem inter alios adhibens *Herwicum* Priorem nostrum. Harum porro omnium Familiarum amplior notitia præbebitur *Tomo IIII.*ᵒ sub *literis suis*.

Donationes Dominæ *Herradis de Rosenberg*: Et *Catharinæ Baumwollinæ*.

XVII. Præcipua tamen Campililii, sed mœsta hoc anno Celebritas fuit Augusti Corporis Dominæ *Margaretæ*, Romanorum quondam, deinde Bohemorum Reginæ, Ducissæ Austriæ, ac Stiriæ, & Carnioliæ, Marchionissæ Moraviæ, Filiæ Seren.ᵐⁱ Ducis Fundatoris nostri, Depositio: cujus quidem dies hodie nobis exactè non constat. Agimus nos Anniversarium solemne illius diei, qua piè obiit, quæque fuerat 28.ᵛᵃ Octobris. Et quoniam verosimillimè in Castro suo Chrumpenau, sive Cremsii, aut certè alicubi ultra Danubium defuncta est: facilè infero, advectionem ejus Campililium usque, moram tantam injecisse, ut ante initium Novembris apud nos deponi nequiverit. Multam Nobilitatem ad suprema hæc ejus Justa confluxisse, præter magnam Pauperum turbam, quæ Munificæ huic in largiendis eleemosinis Principi amaris cum lachrymis parentaverat, jam §.° I.° hoc Anno ex *Pernoldo*, Arbitro Conscientiæ

Mœsta Depositio D. *Margaretæ* Reginæ.

ejus, audivimus. Nihil devotionis, nihil reverentiæ, piæque compassionis, in deducendo, excipiendo, deponendóque Augusto hoc Funere, à nostris prætermissum fuisse, nemo, ut arbitror, omnium ambiget. Locum quietis in Præsbyterio nostro ad cornu Evangelii, è regione Serenissimi Parentis, in Tumulo elato, ac declivi, sed non multum ornato, accepit: quem latiùs *Tom. IIII. in Append. priori*, cætera inter *Monumenta nostra Sepulchralia*, describam.

Annus 1268.

Ottocarus Rex confirmat nobis D. *Margaretæ* Reginæ Donationem Oppidi Gravenberg.

Tenor Privilegii ejus.

XVIII. MUlta hoc quoque Anno utilia Campililio suo *Bertholdus* Abbas noster laudabiliter efficere studuit. Sic paulò pòst initium Anni ab *Ottocaro* Rege Confirmationem Villæ *Gravenberg* exoravit, Diplomate hunc in modum concepto. „OTACHARUS &c. Cùm nostra Regia Celsitudo Largitiones, seu Donationes, per quemcunque piæ Devotionis zelo Famulantibus DEO factas, Divinæ Remunerationis intuitu, debitis prosequi effectibus jugiter sit intenta, scire volumus quoslibet, præsentium notitiam habituros: Quòd Donationem, seu Legationem Testamenti, felicis memoriæ Dominæ MARGARETHÆ, quondam Romanorum Reginæ, factam *Monasterio in Lilienveld, ubi sui elegit Corporis Sepulturam*, super Villa in *Greuenperg*, & suis Attinenciis, ac Juribus universis, spectantibus ad eandem, secundùm quod ipsa Villa à nostris Antecessoribus, quondam Ducibus Austriæ, est possessa, juxta continenciam Privilegii ipsius Dominæ M.*argarethæ* jam dictæ, dati desuper Monasterio prænotato, ratam habere volumus, nostris nihilominus Privilegiis confirmantes. Et ne aliqua de hujusmodi Donatione, in Testamento præfatæ Dominæ M.*argarethæ* tam ritè & legitimè promulgata, possit calumpnia imposterum à Nostris Successoribus exoriri: dicto *Monasterio in Lilienueld* damus præsentem Paginam, nostrorum Sigillorum perpetuo Munimine roboratam. Actum *Wienne* cum Testibus, qui aderant, subnotatis ----- Datum *in La* per manus Magistri *Ulrici* nostri Prothonotarii Anno Domini Mcclxviij, xiiij. Kl. Februarii.„ Hæc luculenta Recognitio Regia Testamenti Reginæ nostræ, *tam ritè*, uti *Ottocarus* ait, *& legitimè promulgati*, plenæque apud eam facultatis etiam de iis testandi, quorum Possessio apud ipsum Terræ Principem erat, vehementer iterum confundit sæpe jam Revictam Calumniam de Professione Religiosa Dominæ hujus, demum ab *Ottocaro* cognita, ac proinde facta per eum Retrusione illius in idem Cœnobium, quod antehac deseruerat.

Observatio exinde.

Varii Contractus Emtionis.

XIX. A *Dietrico Berner* Abbas noster *Bertholdus* emit Curiam quamdam in *Erstinberg*, eámque pariter feudô apud *Rudolphum*

dolphum de Planckenstein, condictô litrô exemit. Consimiliter & à *Wichardo de Peugen* comparavit Predium in Villa *Grauenberg*, non exigui pretii, ac reditus. Sic & *Otto in Langwand* vendidit eidem Jus in Curia *Ocenstorf*. Item *Otto Castor*, vernaculè *Püber*, Mageriam in *Strazing*.

XX. Quia porro in cætera Vicinorum Nobilium turba, Campililio litibûs identidem instauratîs molesta, aliquanto tempore pariter fuêre DD.[ni] *Lilienveldarii*, videlicet *Chunradus* dictus *de Monte*, qui est post Monasterium, Fratrésque ejusdem *Otto* & *Leupoldus*, Predium in Monte, nobis à Patruo suo *Vritlone* donatum, jugiter affectantes, & infestantes: coactus tandem *Bertholdus* Abbas noster Regem *Ottocarum* denuo peculiariter implorare, eundem in opem justam rursus promtissimum habuit. Jussu quippe illius totâ causâ per Dominum *Henricum* Comitem *de Hardeck* ab ovo exploratâ, *Lilienveldarii*, æquitate sic dictante, ab omni jure præmemorati predii prorsus alieni renunciati, & solemni Concilii præsentis definitione adstricti sunt, ab omni deinceps lite, quæ similiter Campililium nostrum plusquam triginta annis vexaverat, perpetuò abstinere. *Actum in Chremis xviij. Kl. Augusti Anno Mcclxviij.* Ubi peculiariter adverti meretur, D. *Ottonem de Wald*, quondam Testem Donationis à *Vritlone* nobis factæ, tametsi nominatum solummodo, neutiquam in Charta subscriptum, attamen à D. Comite Judice, dicendi Testimonii causâ, in forum evocatum fuisse: unde patet onus & obligatio Testium. Quoniam verò, infirmitate gravi detentus, comparere non poterat, Fassionem suam pro nobis, quam ex Autographo transcriptam *Tom. IIII.*[to], acturus de hoc Domino inter *Familias in W.* exhibebo, vernaculâ linguâ Germanicâ editam, suóque Sigillo munitam, Judicio transmisit, omnino præter morem ævi illius, ubi adhuc omnia Instrumenta publica, latinè exarata reperiuntur. Quæ proinde Charta Autographa, in omnibus nostris prima vernacula est. Non interim ignoro, tantam quæstionem inter Eruditos de Chartis privatorum, quantam de Chartis Regiis, idiomatis causâ non versari.

Ottocarus Rex liberat nos à lite & vexatione longa DD. Lilienveldariorum.

Prima Charta nostra vernacula.

Annus 1269.

XXI. SIquidem inter gemina Monasteria, S. Lamberti in Stiria, itémque Campililium, lis & quæstio gravis super quodam circuitu Nemoris circa *Weissenbach*, Cella, Lacu, & Salina, ita invaluit, ut magnis laboribûs, ac impensis, diu jam agitata fuerit: tandem interventu Magistri *Ulrici* Protonotarii Regii, ambo DD. Abbates, *Gotschalcus* Lambertinus, & *Bertholdus* Campililiensis noster, assentiente utrinque Conven-

Laudum inter Monasteria, Lambertinum & Campililiense.

tu, rem Laudô dirimendam statuentes, primùm apud Novam Civitatem 18. Cal. Maij hujus anni compromiserunt in Arbitros, D. *Bernardum* Episcopum Seccoviensem, *Theodoricum* Plebanum de Polan, & *Chunradum* Plebanum Novæ Civitatis, Laudi Celebratione apud *Graez* (Græcium) in Ecclesia S. Ægydii ipsis Octavis Pentecostalibus constitutâ. Cùm verò D. Plebanus de Polan, ægritudine correptus, verbo suo stare nequiret, novo compromissô Græcii factô 18. Cal. Junii pro eo substitutus est *Hainricus* Prior de Runa: qui proinde hoc Laudum celebrârunt, publicis postea Literis descriptum *in Graez xij. Cal. Junii*, adhibitis inter cæteros Testibûs, *Herwico* Priore, Magistro *Bonifacio, Ludwico* Cellerario, Præsbyteris & Fratribus Campililii.

Ecclesia nova in Razlenstorf, & Sacerdos proprius.

XXII. Plebis Catholicæ, sibique subditæ in *Razlenstorf*, ampliori in rebus, quæ ad Salutem sunt, opportunitati consulturus *Bertholdus* Abbas, olim dissipatam eorundem Ecclesiam reædificavit, multáque precum instantiâ obtinuit à Magistro *Gerhardo* Plebano in *Wienna & Gars*, ut, quoniam *Razlenstorf* attinebat ad *Gars* tanquam ad Matrem, liceret attamen Plebi illi proprium habere Sacerdotem, Divina sibi facientem, Summîs Festîs exceptîs, & urgente necessitate Sacramenta administrantem, erga Reditus dimidiæ libræ, *Garsensi* Ecclesiæ singulis annis propterea pendendos. Quod compromissum Chartâ publicâ explicuit, & cum Gratulatione approbavit D. *Petrus* Episcopus Pataviensis *In Monasterio S. Crucis VII. Idus Julii Mcclxix.*

Contractus diversi.

XXII. Cum D. *Altmanno de Stain*, & Uxore *Chunigunde* ita convênit Abbas noster, ut ipsîs 80. Libras donantibûs, hac pecunia Predium in *Gravenberg* compararet, annua pensione decem modios reddens: quibûs donantes vita comite fruerentur, à morte eorum obventuros Monasterio, erga Anniversarium geminum, pro utroque singillatim agendum. Concessit præterea eisdem habitationem Domus nostræ Viennensis, sumtibûs eorum potissima ex parte instauratæ, assensus insuper nonnullis aliis conditionibûs. *Ulrico Treumel* Civi Cremensi vendidit vineam in *Pruel*, certîs juribûs Campililio de ea perpetuò reservatis.

Bertholdus Abbas inspicit Locum novi Parthenonis S. Bernardi.

XXIV. Si porro Poëtæ vernaculo fides, qui apud Cl. *Hier. Pezium* Tom. II. à col. 288. Historiam Fundationis Parthenonis Cisterciensis ad *S. Bernardum* versibus compilavit: *Bertholdus* Abbas noster, mandante Capitulo Generali, & rogante Domino *Henrico* Comite *Hardeckio*, Domino in *Töbein*, Fundatore, tot causîs nostrîs cognitîs ac decisîs immortaliter de nobis merito, simul cum Dominis Abbatibus S. Crucis, ac Zwetlæ, profectus est ad Inspectionem Loci *Meilan*, ubi hoc

Odeum


Odeum Virginale initio conditum fuit, non longò poſtea tempore, ſalubritatis amplioris causâ, translatum in *Chrueg.* Ita námque cecinit hic Vates de Patribus Capituli Ciſtercienſis.

Sie ſchriben herwider haim
Den Abbten hie ze Lande:
Die ſcholten ſa ze handte
Kommen an dieſelbe Statt.
Dez ouch der Graf mit Vleizze batt.
Von *Heiligen Creuz* war der Ain,
Und der Erſt derſelben Gmain.
Von *Zwetel*, und von *Lilgenfeldt*,
Kommen da mit In ze Veld.
Sie ſchouten recht die Gmercke,
Und lobten Gottes Stercke,
Der in der finſtern Wilde
Behölte ſo ſchöne Bilde.
In gfiell ouch wol die Statt,
Di Gott dazu erwöllet hat.
Die ward dem Apt von *Zwetel* geben:
Der ſchold Ir mit Geſcheffte pflegen.

Annus 1270.

XXV. BEneficos hoc Anno *Bertholdus* habebat Nobiles Dominos *Dietricum* & *Gottſchalcum Neitpergios*, Fratres Germanos: qui Reditus, ſuis à Majoribus olim, pro exſtructione Capellæ *S. Wolfgangi* in fronte Capituli noſtri, nobis olim donatos, ſed in diſparatis, minúsque comodis Locis conſtitutos, ad modum Concambii, commodioribûs aliis, nobísque utilioribus commutârunt in Raceinſtorf, i. e. Razelſtorf, cum augmento propria pietate ſuperaddito. Sic pariter Domina *Euſemia de Potendorf*, Relicta Domini *Rudolfi*, cùm *Ulricus Sartor* de Potendorf ſubditus ejus Vineam nobis legâſſet in *Frigido Monte* (quaſi *Kaltenberg*, quod hodie adhuc multi dicunt pro *Kalenberg*) juxta Villam *Suzze*, condonavit nobis Jus Montanum trium Urnarum, ſibi abinde debitarum, cenſúsque præterea annui 24. denariorum dimidiam partem. Ab *Hertnido de Zwentendorf* Abbas noſter paratâ pecuniâ nobilem Vineam in *Gumpoltskirchen* Monaſterio comparavit. Quidquid in his, aliisque Inſtrumentis quarumcunque Familiarum, Chronologiæ, Geographiæ, Genealogiæ, & Heraldicæ, cæteræque Antiquitatis, ac Conſuetudinum Veterum Cognitioni deſervire poſſe arbitratus fui, totum *Tomo* IIII sive Recenſui *Genealogico-Diplomatico* reſervavi; hìc porrò omnibúsque Decadibûs, & Seculis inſequentibûs, unam [illegible] Hiſtoriam exequor. Id, quod Lectorem Benevolum in univerſum advertere velim.

Alii ejus Contractus varii.



DECAS VIII.

Ab Anno MCCLXXI. usque MCCLXXX.

§. I.

Res Principum & Patriæ.

Annus 1271.

Eligitur tandem novus Pontifex, absens in Palestina.

I. Biennio jam, novémque Mensibus, ab excessu *Clementis* Papæ IV.ti Christianus Orbis Pontificem novum suspiraverat, Cardinalium studiis perpetuò diversis: donec ambo Reges, *Philippus* Francus, & *Carolus* Siculus, ex Tuneti pace Romam reduces, Purpureum Ecclesiæ Senatum, ut noxiæ contentioni finem tandem imponeret, Orbíque Pastorem daret, seria cohortatione impulerint. Tunc, quod multorum suffragiis tantam in moram protelatum fuit, paucorum calculis breviter absolvere decretum. Pontificii nimirum Culminis, dignissimum in Virum conferendi, sex Arbitri à cæteris delecti sunt, in quos reliqui compromisêre. Atque sic tandem, propitio DEO, die 1.a Septembris electus est Leodiensis Archidiaconus *Thealdus* Placentinus non solùm, neque Mitra, neque Purpura conspicuus, sed ne Presbyter quidem, insuper & absens, sancta in Peregrinatione Palestinæ constitutus: ad quem proinde, ut consentiret, Nuncii destinati.

Filius Richardi electi Romanorum Regis Romæ trucidatur:

II. Dum verò hæc Electio fieret, Romæ factum atrox, Regibûs præsentibûs, accidit. Agebat ibidem *Henricus*, cui Pater fuerat *Richardus*, Anglorum Regis Frater, olim quoque Romanorum Imperator electus. Is, dum die quadam Sacris in Ecclesia interesset, Amitini ejus, *Guido*, *Simónque* *Montsfortii*, eum sacrilegè ipso in templo, quamvis inopino scelere perterritus Aram celebrantis teneret, quamplurimis ictibûs atque vulneribûs miserrimè contrucidârunt. Domi verò in Anglia mors ipsum *Richardum* Patrem ejus, vita longiore dignum, prævio morbo de medio sustulit, juxta *Matheum Parisium*, IV. Nonas Aprilis. Quamvis autem hoc pacto *Alfonsus* Castellæ Rex Æmulô liberaretur, Romani tamen Diadema Imperii biennio postea,

Rex in Anglia moritur.

ſtea DEUS alteri, longéque digniori Capiti miro ſuffragio imponi diſpoſuit.

III. Auſtriam pariter, atque Moraviam *Stephanus* Ungariæ Rex, à *Philippo* Electo quondam Salisburgenſi, nunc Carinthiam ut Patrimonium repetente, ſtimulatus, igne ferróque acerbiſſimum in modum vaſtavit, juncto tam Ungarorum, quàm Cumanorum exercitu: quorum barbaries, præter cædem, incendia, prædas, uti Chronica Patria deplorant, quamplurima inſuper millia hominum injectis vinculis captiva in ſervitutem abripuit. Quod ſi toties, ac Chronographi id factum, recepta jam, ſempérque ſimillima phraſi, lamentantur, tam ſævùm accidiſſet, opinari oporteret, immo largiri, Auſtrales propè omnes in Ungariam compedibûs attractos eſſe. *Otocarus* Bohemiæ Rex, cui Carinthiam acquirere fortius animo ſederat, illic triumphans, pro Auſtriis, Moravíſque, apud Ungarum prece, ſed irrita, interceſſit. Tandem pro his quoque in vindictam exurgens, conciliatîs antea ſibi Stiriæ Proceribûs, quibus Caſtra ademta reſtituit, cum ſubſidiariis quoque Marchionis Brandenburgici copiis, ex Auſtria Pannoniam invaſit: cùm interim Ungari in Moravia furerent, domíque ſuæ de hoſte non ſomniarent. Occupavit Poſonium, aliáque plurima Loca, ipſe quoque ferro & igni licentiam grandem permittens: donec eidem fœmineo ploratu Socrus occurreret, reditúmque, & à ſtrage ceſſationem perſuaderet. Sic ferè Scriptores Auſtriaci: tametſi *Bonfinius* Regem *Otocarum* inſigni clade repulſum tradiderit.

Ungari Auſtriam & Moraviam populantur.

Otocarus Rex Ungariam invadit.

IV. Quacunque verò ratione ceſſatum, id ſaltem certum eſt, ambos Reges cum initio Julii Menſis Pacem ſolemnibus inſtrumentis feriiſſe, ea cum diſtrictione, ut à Sacris utriúſque Regni Præſulibus anathema promulgari curaverint: cui, tanquam latæ ſententiæ, ſubjaceret, quiſquis ipſorum hanc Pacem prior infringeret. Bohemus initio Literarum hæc Elogia præfetulit: *OTOCHARUS Dei gratia Rex Bohemiæ, Dux Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Marchióque Moraviæ, Dominus Carniolæ, Marchiæ, Egræ, & Portus Näonis.* Præſules, quibus ipſe hanc Pacem obligavit, erant, Archiepiſcopus Salisburgenſis, Epiſcopi, Pataviensis, Friſingenſis, Ratisbonenſis, Pragenſis, Olomucenſis, & Seccovienſis. Cautum præterea, ut ambo Reges ſui hujus Fœderis Literas Romano Pontifici confirmandas offerrent: quapropter *Raynaldus* h. a. à n. 22. utrarúmque tenorem in Annalibus exhibuit. Æternum hoc Pactum putâſſes: quod nihilo ſecius annum vix unum integrum conſtitit.

Pax utrorúmque Regum ſummè diſtricta, attamen breviſſima.

Annus 1272.

Gregorius X. Papa novus inauguratus, hanc Pacem confirmavit.

V. TAmetsi námque Papa novus, qui Nomen *Gregorii* X. assumsit, diéque 27. Martii, præmissa Sacerdotali ordinatione, Summi Pontificatus Coronam, & Inaugurationem acceperat, hanc Pacem cum gaudio non vulgari confirmaverit, permittens Præsulibus, immo imponens, ut alterutri Regi, ejusdem infractori futuro, depactas diras è vestigio intorquerent: Obitus tamen *Stephani* Ungariæ Regis facem novam Gradivi accendit. Successerant enim intestinæ in Ungaria turbæ sub initia *Ladislai IV.*ti impuberis Regis, quidámque Comites eapropter in Austriam profugerunt, benignè ab *Otocaro* excepti, pluribúsque ditionibûs donati. Movit hæc indulgentia, aut metum, aut bilem, *Henrico* Comiti Ginsiensi, qui antè ab *Otocaro* steterat, ut patriam repeteret, ac, concitato tumultu, *Belam* Ducem, Reginæ Bohemicæ, Fratrem occideret. Sed & Comitum quidam suprà dictorum, *Ægydius* nomine, nullâ injuriâ læsus, animi solummodo mobilitate, iterum in Ungariam festinans, Posonium, quod sibi *Otocarus* ex pacto pacis retinuerat, *Ladislao* Ungaro tradi procuravit. Non deerant quidem Pannonum Legati, qui hæc facta, tanquam privatorum, excusarent Bohemo: ast ille atrociora credidit, quàm, ut inulta manerent. Ungari itaque, bello petendi, prævenerunt, nováque populatione Austriam ingressi sunt. Verùm *Otocari* exercitu, qui, quantò major erat, tantò longiùs conscribebatur, tandem educto, disparuêre grassatores, atque Bohemus quatuordecim hebdomadibûs, ferro, multorúmque Oppidorum occupatione, vindictam Hungariæ reposuit. Hunc in modum rem enarrat Chronicon *Australe Freberianum*, quod Anonymus *Zwetlensis* apud Cl. *Pezium* ad verbum excepit, *Bonfinio* hæc singula altùm tacente.

Unde rupta?

Mutuæ iterum incursiones.

Pontifex Concilium indicit.

VI. *Gregorius* Papa, cùm afflictum Palestinæ statum oculis ipse suis pervidisset, ejusdem commiseratione tactus, simúlque cupidine uniendæ Ecclesiæ Græcæ cum Latina succensus, utriúsque hujus rei, ac præterea Disciplinæ Ecclesiasticæ reformandæ causâ, Concilium Generale, post biennium cum initio Maji celebrandum, indixit. *Alfonso* Castellæ Regi, defunctô *Richardo* Anglô Æmulô, Imperium Romanum sibi confirmari, & Germaniæ Principibus novam Electionem vetari postulanti, minimè obsecundavit: quin potiùs factiosos Italiæ, quos pro se Rex iste conduxerat, intentatis diris cohibuit. Prudenter quippe pertimuit, ne Principes Germani, qui olim *Richardi* Electores fuerant, nunc jure suo iterum utentes, alium Regem eligerent, novúmque Imperii schisma procurarent. Nihil itaque *Alfonso* supererat, quàm, ut Nomine Regio-Romano con-

Alfonso Confirmationem Imperii Romani negat.

contentus, Regnum, quod neque jure, neque armis asserere sibi poterat, ultrò ex animo dimitteret: quamquam haud statim id à se impetraverit.

Annus 1273.

VII. Pontifex, vergente hoc anno, Lugdunum Galliæ, quem locum Concilio futuro præfixerat, se contulit, Italiæ turbas atque discordiam veritus. Priusquam tamen eò moveret, Germaniæ Principes graviter ad unanimem novi Regis Romani Electionem per Legatum, ac Literas, adhortatus est, ut Ecclesia Defensorem, Imperium Restitutorem, quo utrique maximè opus erat, acciperet. Si segnes essent in Jure suo, se, ut summum Ecclesiæ Pastorem, suprema Potestate in denominando Imperii Capite usurum edixit. Torquet hoc factum Juris Publici Romano-Germanici Scriptores, atque illos præcipuè, qui Pontifici, extra *nudam*, ut ajunt, *Coronationis Ceremoniam*, in probando, instituendóque Imperatore nihil omnino juris permittere volunt. Unde vehementer hìc obstrepunt, hócque *Gregorii* X.mi Præceptum, aut negant, aut otiosum appellant. Sed editum illud esse, ac compulisse Principes ad Electionem, tradiderunt *Eberhardus* Altahensis Archidiaconus Ratisbonæ in Chronico suo ad h. a. apud Cl. *Canisium* Antiquar. Lection. Tom. I. p. 307. *Ricordanus Malespina* Histor. Florent. Cap. 198. *Joan. Villanus* in pari Historia Libr. VII. cap. 43. *Fragmentum Historicum* præmissum *Alberto* Argentinensi apud *Urstis*. Tom. II. p. 93. ut alios veteres, cum *Nauclero* Generat. XLIII. ac cæteris Junioribus mittam. Rectè porro ita præcipere potuisse Pontificem, nemo, ut arbitror, cui sanam rationem affectus non pervertit, inficias ibit. Cùm námque Imperatorem ex munere suo, tam fidem, quàm Ecclesiam, non secus, ac Regnum, & justitiam, defendere oporteat, princeps certè officium suum neutiquam implet, nisi Religionis conservandæ curam apud se primam reputaverit, quam DEO omnes homines ante omnia debent. Ecclesiæ enim, & Regni, fidei, ac justitiæ causâ, potestatem, ac Gladium à DEO accepit. Ergo Summum ad Pontificem, ad quem, uti Caput Sacrum, fideles ômnes in causa Religionis respiciunt, præ omnibus attinet, prospicere, procurare, evincere, ut Imperio Christiano neque desit Rector, neque non optimus præsit. Ipsius itaque est, Electores, vacante Imperio, ad æqua suffragia hortari, negligentes & morosos compellere, sique planè officio suo deessent, suffragiorum apud eos defectum Nominatione sua supplere. Quod si facere forsitan, ne quidquam detrimenti Religio faceret, compelleretur, ut Electorum culpâ hoc fieret, ita ipse nequaquam à linea Pontificiæ Potestatis exerraret. Quantumvis enim Imperator, quem

Lugdunum abit.

Germaniæ Principibus Electionem unanimem novi Imperatoris præcipit.

Id, quod jure facere potuit.

quem nominaret, sit veluti Ductor Gregis Dominici, uti ovium Aries: nihilosecius tamen & hic Pastori, quem Christus, Ovilis Dominus, constituit, omnino subjectus est. Facilè saperent, qui ex adverso Romanæ Ecclesiæ consistunt, nisi nollent, cur inter se tanta scissio, quia nimirum Judicem non habent: vellent & hunc suffurari Catholicis, ut ad eosdem pariter Mercenariis, quorum non sunt oves, aditum promtiorem patefacerent. Inde est, quòd Romano Pontifici nullam, nisi Cæremoniarum, potestatem fateri, sed irato maximè Jove, cujus pleni sibi videntur, condictâ sententiâ velint.

Intercessit suffragiis DEUS, quæ *Rudolpho* Habspurgico dispofuit.

VIII. Providum interim ac Omnipotens Numen, proprio nutu, Imperii vitia, quæ ab excessu *Friderici* II. viginti trium ferè annorum Interregnum induxit, dum jura privati Gladii vim undique paterentur, mirabili fato correxit, &, quæ diu parturiebant, Principum suffragia, RUDOLPHO Habspurgico Augusto Optimo Maximo arcanâ providentiâ servabantur. Quo id ordine factum, prolixiùs nonnihil excutere vel ideo operæ pretium duxi, quia terauspicatæ huic Electioni manum olim commodâsse, hodie nonnulli summo in merito ponunt, ac tantùm non planè improperant. Sunt itaque primùm, qui eventum hunc faustum atque felicem non uno præsagio celebratum affirment. Recepta propemodum est, quàm aliàs jam retuli, Prædictio piæ cujusdam Reclusæ, posteaquam *Rudolphus* Comes Presbytero, Sacrum Viaticum ad ægrum deportanti, nobilem Sonipedem suum ad obsequia detulisset, fore, ut hanc ejus humiliationem DEUS maxima in terris ad usque Culmen Imperiale exaltatione recompensaret. Vulgatum quoque illud, Astrologum quempiam in Aula *Friderici* II. Imperatoris, ubi *Rudolphus* Comes morabatur, ei transeunti profundiùs, ac cæteris omnibus, non semel inclinâsse, quòd aliquando imperaturum prævidisset. Addunt porro & hoc Annales *Colmarienses*, Prænobilem aliquem Virum, *de Chlingen* dictum, cùm Electio instaret, somniò non vanò, in quem suffragia conspiratura essent, perdidicisse. „Vidit (inquiunt) Principes & Electores congregatos, & dicentes: Quicunque ex nobis hanc Coronam levare poterit, Rex ab omnibus habebitur. Singulis autem se probantibus, nullus eorum levare potuit eam. Tandem *Rudolphus de Habspurch* Comes, Coronam potenter elevavit, séque coronavit. Visionem hanc Eventus subsequens approbavit.„ Valeant hæc, quantum valere posse prudentibus videbitur.

Præsagia Electionis ejus à nonnullis allata.

Comitia mense Septembri facta.

IX. Ad Comitia Electionis Regio-Romanæ, quantum è Scriptoribus constat, sub ingressum Autumni processum fuit, neque subitò, vel facillimè in suffragia conventum. Quo tunc essent

essent animo Principes, *Bruno* Episcopus Olomucensis *Gregorio* Pontifici hunc in modum Literis, quarum *Raynaldus* maximam recitat partem, candidè insinuavit. ,Non solùm in Regno ,Alemanniæ (scribit) sed ubique hæc pestis tantum invaluit, ,quòd, quantum est in hominibus, sive spiritualibus, sive se- ,cularibus, horrentes juga Superiorum, in Regum electionibus, ,aut etiam Prælatorum, aut tales eligunt, quos eis subesse po- ,tiùs oporteat, quàm præesse: aut in diversos dividunt vota ,sua, ut plus emungant à pluribus, quàm ab uno: aut ideo, ut, ,si voluerit unus procedere per rigorem justitiæ contra ipsos, ,per alium defendantur., Hujusmodi perversa eligentium studia quamdiu vigent, difficillima sanè suffragia reddunt: quæ tamen in unum, præter spem omnium, dirigere, Magno illi Cœli terræque Domino, qui solus Regna Regésque constituit, nullum negotium facit.

Prava eligentium dispositio ævi illius.

X. Scenam præsentis, de qua sermocinamur, Electionis princeps quodammodo ingressus est *Otocarus* Rex. Si námque *Hageccium, Dubravium, Balbinum*, qui veteribûs Annalibûs usi sunt, audiamus, Principes Germani in eum præ omnibus oculos conjecerunt, Legationem, omnium nomine, *Conrado* Archiepiscopo Coloniensi injungentes, qui eidem Imperium detulerit. (*) Regem porro, communicato suis cum Proceribus consilio, sinceriores quidem nonnullos novæ Majestatis omnino suscipiendæ Authores habuisse: ab aliis contrà, qui potentiam ejus aliunde nimiam oderant, ei suggestum fuisse, ut ea gloria, qua jam fulgeret, ipsíque Imperatori futuro formidabilis esse posset, contentus ageret. Novas Imperii curas, & sibi, & Regno, oneri magis, quàm honori, futuras. Atque his postremis *Otocarum* acquievisse, reponentem Legato, sibi majus, ac gloriosius videri, Bohemiæ, quàm Germaniæ Regem esse. Hoc deinde fastu, atque Germanici Diadematis insigni contemtu, offensos, permotósque fuisse Electores, ut, ad eum ampliùs confundendum, in *Rudolphum* Habspurgicum potiùs, quàm in alium quemvis, vota dirigerent, eò, quòd ipse olim *Otocaro* ab Aulæ, Bellíque obsequiis fuisset.

Ottocarus Regnum delatum respuisse ab aliis dicitur.

XI. E converso *Gerardus de Roo*, qui tamen Scriptores, in quorum sententiam se concedere profitetur, ex nomine non laudat, plurimíque alii post eum, nôsse multò certiùs volunt, *Otocarum*, qui & summa erat regnandi cupidine, & Imperii Romano-Germanici Majestatem cumprimis intellexit, nec extra formidinem esse poterat, per futurum Imperatorem Provincias, ab se variis artibus acquisitas, certò certiùs reposcendas fore, quæ tamen,

Alii tradunt, eundem, id omni studio quæsivisse.

(*) Coloniæ tum temporis non ampliùs *Conradus*, sed *Engelbertus de Falkenberg* jam ab anno 1262. sedit.

„confirmandam. Præfentibus Teftibus, & Executoribus no-„ftri Teftamenti: F.*ratris PERNOLDI Penitenciarii noftri Or-„dinis Predicatorum*: Ottonis de Chornfpach Camerarii noftri: „Aloldi de Chiawe: Ortolfi de Ronnberch: Marquardi de Strit-„wefen: Friderici de Horfendorf: Hugonis Hartungi de Gevel-„le, *de Familia Curiæ noftræ.* Pilgrini de Zwarzenawe: Fride-„rici de Porfenprunne, & aliis quàm multis. *Actum, & Da-„tum in Caftro noftro Chrumbenawe Anno Domini M.cc.lxvj. vj. „Cal. Novembris.*„

Obfervantur in eo nonnulla.

XI. Hæ Literæ manifeftiffimè revincunt omnes illos, qui ex Regina noftra Monialem Ordinis Prædicatorum confinxerunt, Votorum facrilegè oblitam, & crimine hoc in publicum emanante, eam ab *Ottocaro* Treviros in Monafterium, quod antè facrilegè defcruerat, relegatam calumniabantur. Scribit, ut Regina, donat nobis *Villam fuam*, feu Oppidum integrum, ut Regina, *libera & bona voluntate, habito diu & deliberato Confilio prudentûm*, palàm itaque, non clanculum: confcio præterea Arbitro Confcientiæ, & Executore Teftamenti, Viro illius ipfius Ordinis Prædicatorii, cujus eam Apoftatam criminati funt, Fratre nimirum *Pernoldo.* Meminit *Camerarii*, ac *Curiæ fuæ*: Caftrum *Chrumpenaw*, quod ultra Danubium Zwetlam inter ac Cremfium eft, *fuum* dicit: denique, ut Regina, fignat Imagine fua in throno confidente. Quomodo, obfecro, hæc omnia Moniali Relegatæ conveniunt? Cæterùm Donationem integri Oppidi Auftriaci jure, ut fcribit, vivorum pariter ac defunctorum factura, meritò fe *Filiam quondam LIUPOLDI Illuftris Ducis Auftriæ ac Stiriæ*, ante Elogium *Romanorum Reginæ*, appellavit: ut hoc pacto veram fe Auftriæ Hæredem, ac legitimam Dominam profiteretur. Quapropter factum pariter putem, quòd in Sigillo fuo, uti in ejusdem icone *Tom. IIII. Tab. XXI. n. III.* videre licebit, Parmulam Auftriacam ad pedes fuos apponi curaverit. Cui adeò nihil deinde contradixit *Ottocarus* Rex, ut Chartàm hanc, fibi exhibitam à noftris, non confirmaverit folùm libenter, verùm etiam fuo in Diplomate ipfe allegaverit.

Annus 1267.

Guido nofter Cardinalis Legatus rem noftram quinque Bullis gratiofis promovit.

XII. ET hic pariter Annus Actis memoria dignis apud nos fœcundus eft, dum Campililium plurimis iterum variorum, iisque infignibus Gratiis affectum eft. Cùm etenim *Guido*, ex Archi-Abbate Generali Ciftercii, Titulô S. Laurentii in Lucina Præsbyter Cardinalis, & Sacræ Sedis Apoftolicæ per omnem Germaniam Legatus, Viennam advenisset, humillimè falutatus à *Bertholdo* Abbate noftro, quinas nobis patentes

tes Literas, priusquam Concilium celebrâsset, magna benè volendi facilitate indulsit, sub dato *Wiennæ II. Calend.* & item *VI. Non. Maij Pontificatus Domini Clementis Papæ Anno Tertio*, i. e. Christi 1267. Primis earum, quas ita exorsus est: *GUIDO - - - Ob favorem Cistercienfis Ordinis, cujus Nos fatemur DEI munere Professores, inducimur &c.* innexuit; sive incorporavit, ut ajunt, Campililio Parochiam in *Wizestorf*: ita, ut extra Portionem Canonicam, Plebano, à nobis præsentato, cum Approbatione Episcopi Diœcesani à nobis præstandam, fructus reliquos nostris usibus addixerit. Secundis confirmavit Nobis Privilegium *Friderici* II. Imperatoris de Judicio Provinciali, in omnibus Locis nostris plenè ad nos attinente, cum aliis Juribus Altis. Tertiis mandavit *Ortolfo* Abbati Mellicensi, ut nos adversus omnes, Judicium nostrum Provinciale violantes, tueatur. Quartis innovavit nobis Privilegium *Alexandri* Papæ IV[ti], toti Ordini concessum, ne Legatis, & Nunciis Apostolicis, aliisque Prælatis, teneamur persolvere Procurationes pecuniarias, omnibus aliis communiter indictas: & ad illum quoque casum extendit, quo in Literis Apostolicis diserta Mentio Ordinis Cisterciensis haberetur, etiam tunc Campililium immune pronuncians, & quaslibet Sententias Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti, propterea in Nos, vel nostros homines ferendas, tanquam irritas & inanes decernens. Postremis denique addixit nobis Decimas ad Parochiam Dürnizensem attinentes. Utrùm postea *Berchtoldus* Abbas noster ipsi Concilio interfuerit, &, juxta quod in eo statutum erat, à D. *Petro* Episcopo Pataviensi ad visitanda non exemta Monasteria sit adhibitus, equidem totus ignoro.

XIII. Domini *Altenburgenses* nobis vicini, & adhuc ad litigandum proni, cùm per se ipsos rursum nos immeritos impetere non auderent, subornârunt Sorores proprias, earúmque Maritos, ad litem resuscitandam. Verumtamen commodè accidit, ut *Ottocarus* Rex è Stiria in Austriam tendens, aut è converso Stiriam revisere cupiens, hoc Anno Campililium transierit, & in Wilhelmspurg, cui Oppido nostro DD.[ni] Altenburgenses admodum vicini erant, ex itinere nonnihil respiraret. Cui proinde supplex ibidem *Berchtoldus* Abbas noster, vexationem novam humillimè exposuit. Quocirca Rex, advocatis ad suam præsentiam *Chunrado*, *Rapotone*, *Wülfingo*, & alio *Chunrado* Altenburgicis, item *Dietrico de Hohenberg*, districtè mandavit eisdem, ut, siquidem nostri nihil earum possessionum tenerent, de quibus per Sorores eorum convenirentur, sed ipsi ea occuparent, in proximo Placito Wiennæ celebrando, præter Abbatem nostrum, unacum Sororibus comparerent, atque cum

Ultima lis Altenburgensium nobiscum.

nunc penitus abolita per *Ottocari* Regis Clementiam.

cum iisdem componentes, Monasterio plenam tranquillitatem integrè restituant, nisi pœnam Caducitatis omnium bonorum, olim à se in cautionem litis constitutam, certissimè incurrere velint. Disco hæc omnia ex Literis publicis DD.orum Judicum Provincialium, *Henrici* Comitis *de Hardeck*, *Alberonis* Dapiferi *de Veldsperg*, & *Ottonis de Berchtolsdorf* Camerarii: qui causæ huic cognoscendæ, Jussu Regio diem dixerunt *Wiennæ in Crastino S. Martini.* Ibi cùm *Altenbergenses*, & *Hohenbergius*, metu pœnæ decretæ, ultro fassi essent, *quòd, Monasteriô ab omni conventionis molestia justè, & in perpetuum absolutô, omnis in eos transire deberet Actio, quandoquidem possessiones, litis causativas, ipsi detinerent, velléntque nihilominus pro eis, sicut dictaret justitia, respondere*: Non solum sorores *Altenburgicæ* ex ore Fratrum suorum, verùm etiam *omnis Judicii Concio communi decrevit sententia, Monasterium deinceps ab omni Reconventione, lite, quæstione super eisdem Possessionibus, ex parte totius Cognationis de Altenburg, quietum semper & liberum permansurum.* Quod ingenti Catalogo Nobilium, huic Placito præsentium, & subscriptorum, veluti totidem Testibus, comprobatum est. Atque sic tandem, DEO propitio, & *Ottocari* Regis industriâ Clementiâ, Campililium à gravissima, fatigiis & sumtibus, aliisque detrimentis plurimis plena, octo & quinquaginta Annorum Vexatione, feliciter absolutum fuit.

Alia ejusdem Regis Gratia.

XIV. Idem deinde Rex *Ottocarus* Legatum quoddam pium *Leopoldi* Ducis Fundatoris nostri, pro luminibus ad Altare S. Andreæ in Ecclesia nostra, Annuorum videlicet duorum talentorum, ex Urbaria Crems levandorum, propter laborem & expensas nostras, in hac repetitione faciendas, Regiâ Clementiâ suâ cummutavit in æquivalentes Annuos reditus è duabus Curiis Salzburgensibus, ad S. Petri Monasterium attinentibus, à nobis percipiendos. *Actum in Praga Anno Domini MCCLXVII. & Datum ibidem per manus Ulrici Notarii, Plebani in Hartperch iij. Idus Decembris.*

Albero de Arenberg resipiscit à nostra vexatione.

XV. Cæteros inter duriores Campililii vicinos fuêre pariter DD.ni *Arenbergenses*, quorum Castrum ad Montem Comagenum Oppido nostro *Kaumberg* planè propinguum exstiterat. Hujus vetustus Possessor *Albero* Senior, aliquando damna, quæ Monasterio nostro intulerat, valorem ducentorum talentorum excedentia, ad memoriam revocans, & compunctus, nonnullius satisfactionis ergò, nobis dimidii talenti reditus Annuos ac perpetuos in *Spilbach* assignavit: quos tamen paulò pòst iterum occupans, usque ad mortem suam retinuit. Eo defuncto nobis extraditi sunt: verumtamen ab *Alberone* juniore, Fratre prioris, rursum nobis subtracti. Tandem ad justam nostrorum querelam,

relam, ipso detentore per Divini Judicis formidinem salubriter territo, solemnibus nobis Literis, unde hæc omnia excerpta, adjudicati sunt per *Ottonem de Berchtolsdorf* Camerarium Regis, & *Ulricum de Wolfgersdorf*, Ministeriales Austriæ, IV. Id. Maij hoc ANNO, hujusmodi Exordiô præmissô. „Quia Religiosorum „modesta simplicitas nonnullos reddit ad eorum injuriam promptiores: optimum valde videtur, ut ea, quæ perpetua debent „firmitate subsistere, Scriptis & Attestationibus roborentur &c.„ Pari metu Salutis, in infirmitate gravi positus *Henricus de Meienberg*, aliàs *Mainberg*, timore mortis, ut ipse ait, & exspectatione solicitus, tum in Recompensationem damnorum, quæ aliquando se Monasterio nostro intulisse cum dolore meminit, tum ut sui, Sepulturam apud nos eligentis, devotam haberemus in precibus memoriam, legavit nobis Curiam in *Haekilmansperge* IV. Cal. Septembris.

Qualem etiam nobis compensare studuit *Henricus de Mainberg*.

XVI. Pinguius Domino holocaustum oblatura Domina *Herradis de Rosenberg*, quæ nihil in nos peccaverat, mera devotionis liberalitate, eleemosinis peccata redimere cupiens, geminas nobis Villas in *Voitslag*, & *Haidpach*, cum attinentibus omnibus perpetua proprietate transcripsit II. Non. Novembris. Quod idem imitata est *Catharina*, Filia *Schuttwirflonis*, relicta *Baumwolli* Civis Viennensis: cujusmodi hominum illo ævo conditio non minima erat. Qui enim se Cives tum profitebantur, nihilominus potentes fuêre, & sæpe Nobiles, aut primi Satores Nobilis Posteritatis. Donavit nobis hæc Domina Vineam in *Pezlinstorf*, datâ Chartâ *in Crastino-Nicolai Confessoris*, Testem inter alios adhibens *Herwicum* Priorem nostrum. Harum porro omnium Familiarum amplior notitia præbebitur *Tomo IIII.*° sub *literis suis*.

Donationes Dominæ *Herradis de Rosenberg*: Et *Catharinæ Baumwollinæ*.

XVII. Præcipua tamen Campililii, sed mœsta hoc anno Celebritas fuit Augusti Corporis Dominæ *Margaretæ*, Romanorum quondam, deinde Bohemorum Reginæ, Ducissæ Austriæ, ac Stiriæ, & Carnioliæ, Marchionissæ Moraviæ, Filiæ Seren.mi Ducis Fundatoris nostri, Depositio: cujus quidem dies hodie nobis exactè non constat. Agimus nos Anniversarium solemne illius diei, qua piè obiit, quæque fuerat 28.va Octobris. Et quoniam verosimillimè in Castro suo Chrumpenau, sive Cremsii, aut certè alicubi ultra Danubium defuncta est: facilè infero, advectionem ejus Campililium usque, moram tantam injecisse, ut ante initium Novembris apud nos deponi nequiverit. Multam Nobilitatem ad suprema hæc ejus Justa confluxisse, præter magnam Pauperum turbam, quæ Munificæ huic in largiendis eleemosinis Principi amaris cum lachrymis parentaverat, jam §.° I.° hoc ANNO ex *Pernoldo*, Arbitro Conscientiæ

Mœsta Depositio D. *Margaretæ* Reginæ.

ejus, audivimus. Nihil devotionis, nihil reverentiæ, piæque compassionis, in deducendo, excipiendo, deponendóque Augusto hoc Funere, à nostris prætermissum fuisse, nemo, ut arbitror, omnium ambiget. Locum quietis in Præsbyterio nostro ad cornu Evangelii, è regione Serenissimi Parentis, in Tumulo elato, ac declivi, sed non multum ornato, accepit: quem latiùs *Tom. IIII. in Append. priori*, cætera inter *Monumenta nostra Sepulchralia*, describam.

Annus 1268.

Ottocarus Rex confirmat nobis D. *Margarettæ* Reginæ Donationem Oppidi Gravenberg.

Tenor Privilegii ejus.

XVIII. Multa hoc quoque Anno utilia Campililio suo *Bertholdus* Abbas noster laudabiliter efficere studuit. Sic paulò pòst initium Anni ab *Ottocaro* Rege Confirmationem Villæ *Gravenberg* exoravit, Diplomate hunc in modum concepto. ,OTACHARUS &c. Cùm nostra Regia Celsitudo Largitiones, seu Donationes, per quemcunque piæ Devotionis zelo Famulantibus DEO factas, Divinæ Remunerationis intuitu, debitis prosequi effectibus jugiter sit intenta, scire volumus quoslibet, præsentium notitiam habituros: Quòd Donationem, seu Legationem Testamenti, felicis memoriæ Dominæ MARGARETHÆ, quondam Romanorum Reginæ, factam *Monasterio in Lilienveld, ubi sui elegit Corporis Sepulturam*, super Villa in *Greuenperg*, & suis Attinenciis, ac Juribus universis, spectantibus ad eandem, secundùm quod ipsa Villa à nostris Antecessoribus, quondam Ducibus Austriæ, est possessa, juxta continenciam Privilegii ipsius Dominæ M.*argarethæ* jam dictæ, dati desuper Monasterio prænotato, ratam habere volumus, nostris nihilominus Privilegiis confirmantes. Et ne aliqua de hujusmodi Donatione, in Testamento præfatæ Dominæ M.*argarethæ* tam ritè & legitimè promulgata, possit calumpnia imposterum à Nostris Successoribus exoriri: dicto *Monasterio in Lilienueld* damus præsentem Paginam, nostrorum Sigillorum perpetuo Munimine roboratam. Actum *Wienne* cum Testibus, qui aderant, subnotatis ----- Datum *in La* per manus Magistri *Ulrici* nostri Prothonotarii Anno Domini Mcclxviij. xiiij. Kl.' Februarii.,

Observatio exinde.

Hæc luculenta Recognitio Regia Testamenti Reginæ nostræ, *tam ritè*, uti *Ottocarus* ait, & *legitimè promulgati*, plenæque apud eam facultatis etiam de iis testandi, quorum Possessio apud ipsum Terræ Principem erat, vehementer iterum confundit sæpe jam Revictam Calumniam de Professione Religiosa Dominæ hujus, demum ab *Ottocaro* cognita, ac proinde facta per eum Retrusione illius in idem Cœnobium, quod antehac deseruerat.

Varii Contractus Emtionis.

XIX. A *Dietrico Berner* Abbas noster *Bertholdus* emit Curiam quamdam in *Erstinberg*, eámque pariter feudô apud *Rudolphum*

dolphum de Planckenstein, condictô litrô exemit. Consimiliter & à *Wichardo de Peugen* comparavit Predium in Villa *Grauenberg*, non exigui pretii, ac reditus. Sic & *Otto in Langwand* vendidit eidem Jus in Curia *Ocenstorf*. Item *Otto Castor*, vernaculè *Püber*, Mageriam in *Strazing*.

XX. Quia porro in cætera Vicinorum Nobilium turba, Campililio litibûs identidem instauratîs molesta, aliquanto tempore pariter fuêre DD.^ni *Lilienveldarii*, videlicet *Chunradus* dictus *de Monte*, qui est post Monasterium, Fratrésque ejusdem *Otto* & *Leupoldus*, Predium in Monte, nobis à Patruo suo *Vritlone* donatum, jugiter affectantes, & infestantes: coactus tandem *Bertholdus* Abbas noster Regem *Ottocarum* denuo peculiariter implorare, eundem in opem justam rursus promtissimum habuit. Jussu quippe illius totâ causâ per Dominum *Henricum* Comitem *de Hardeck* ab ovo exploratâ, *Lilienveldarii*, æquitate sic dictante, ab omni jure præmemorati predii prorsus alieni renunciati, & solemni Concilii præsentis definitione adstricti sunt, ab omni deinceps lite, quæ similiter Campililium nostrum plusquam triginta Annis vexaverat, perpetuò abstinere. *Actum in Cremis xviij. Kl.' Augusti Anno Mcclxviij.* Ubi peculiariter adverti meretur, D. *Ottonem de Wald*, quondam Testem Donationis à *Vritlone* nobis factæ, tametsi nominatum solummodo, neutiquam in Charta subscriptum, attamen à D. Comite Judice, dicendi Testimonii causâ, in forum evocatum fuisse: unde patet onus & obligatio Testium. Quoniam verò, infirmitate gravi detentus, comparere non poterat, Fassionem suam pro nobis, quam ex Autographo transcriptam *Tom. IIII.^to*, acturus de hoc Domino inter *Familias in W.* exhibebo, vernaculâ linguâ Germanicâ editam, suóque Sigillo munitam, Judicio transmisit, omnino præter morem ævi illius, ubi adhuc omnia Instrumenta publica, latinè exarata reperiuntur. Quæ proinde Charta Autographa, in omnibus nostris prima vernacula est. Non interim ignoro, tantam quæstionem inter Eruditos de Chartis privatorum, quantam de Chartis Regiis, idiomatis causâ non versari.

Ottocarus Rex liberat nos à lite & vexatione longa DD. Lilienveldariorum.

Prima Charta nostra vernacula.

Annus 1269.

XXI. Siquidem inter gemina Monasteria, S. Lamberti in Stiria, itémque Campililium, lis & quæstio gravis super quodam circuitu Nemoris circa *Weissenbach*, Cella, Lacu, & Salina, ita invaluit, ut magnis laboribûs, ac impensis, diu jam agitata fuerit: tandem interventu Magistri *Ulrici* Protonotarii Regii, ambo DD. Abbates, *Gotschalcus* Lambertinus, & *Bertholdus* Campililiensis noster, assentiente utrinque Conventu,

Laudum inter Monasteria, Lambertinum & Campililiense.

tu, rem Laudô dirimendam statuentes, primùm apud Novam Civitatem 18. Cal. Maij hujus anni compromiserunt in Arbitros, D. *Bernardum* Episcopum Seccoviensem, *Theodoricum* Plebanum de Polan, & *Chunradum* Plebanum Novæ Civitatis, Laudi Celebratione apud *Graez* (Græcium) in Ecclesia S. Ægydii ipsis Octavis Pentecostalibus constitutâ. Cùm verò D. Plebanus de Polan, ægritudine correptus, verbo suo stare nequiret, novo compromissô Græcii factô 18. Cal. Junii pro eo substitutus est *Hainricus* Prior de Runa: qui proinde hoc Laudum celebrârunt, publicis postea Literis descriptum *in Graez xij. Cal. Junii*, adhibitis inter cæteros Testibûs, *Herwico* Priore, Magistro *Bonifacio, Ludwico* Cellerario, Præsbyteris & Fratribus Campililii.

Ecclesia nova in *Razlenstorf*, & Sacerdos proprius.

XXII. Plebis Catholicæ, sibique subditæ in *Razlenstorf*, ampliori in rebus, quæ ad Salutem sunt, opportunitati consulturus *Bertholdus* Abbas, olim dissipatam eorundem Ecclesiam reædificavit, multáque precum instantiâ obtinuit à Magistro *Gerhardo* Plebano in *Wienna & Gars*, ut, quoniam *Razlenstorf* attinebat ad *Gars* tanquam ad Matrem, liceret attamen Plebi illi proprium habere Sacerdotem, Divina sibi facientem, Summîs Festîs exceptîs, & urgente necessitate Sacramenta administrantem, erga Reditus dimidiæ libræ, *Garsensi* Ecclesiæ singulis annis propterea pendendos. Quod compromissùm Chartâ publicâ explicuit, & cum Gratulatione approbavit D. *Petrus* Episcopus Pataviensis *In Monasterio S. Crucis VII. Idus Julii Mcclxjx.*

Contractus diversi.

XXII. Cum D. *Altmanno de Stain*, & Uxore *Chunigunde* ita convênit Abbas noster, ut ipsîs 80. Libras donantibûs, hac pecunia Predium in *Gravenberg* compararet, annua pensione decem modios reddens: quibûs donantes vita comite fruerentur, à morte eorum obventuros Monasterio, erga Anniversarium geminum, pro utroque singillatim agendum. Concessit præterea eisdem habitationem Domus nostræ Viennensis, sumtibûs eorum potissima ex parte instauratæ, assensus insuper nonnullis aliis conditionibûs. *Ulrico Treumel* Civi Cremsensi vendidit vineam in *Pruel*, certîs juribûs Campililio de ea perpetuò reservatis.

Bertholdus Abbas inspicit Locum novi Parthenonis S. Bernardi.

XXIV. Si porro Poëtæ vernaculo fides, qui apud Cl. *Hier. Pezium* Tom. II. à col. 288. Historiam Fundationis Parthenonis Cisterciensis ad *S. Bernardum* versibus compilavit: *Bertholdus* Abbas noster, mandante Capitulo Generali, & rogante Domino *Henrico* Comite *Hardeckio*, Domino in *Töbein*, Fundatore, tot causîs nostrîs cognitûs ac decisîs immortaliter de nobis merito, simul cum Dominis Abbatibus S. Crucis, ac Zwetlæ, profectus est ad Inspectionem Loci *Meilan*, ubi hoc


Odeum

Odeum Virginale initio conditum fuit, non longo postea tempore, salubritatis amplioris causâ, translatum in *Chrueg*. Ita námque cecinit hic Vates de Patribus Capituli Cisterciensis.

Sie schriben herwider haim
Den Abbten hie ze Lande:
Die scholten sa ze handte
Kommen an dieselbe Statt.
Dez ouch der Graf mit Vleizze batt.
Von *Heiligen Creuz* war der Ain,
Und der Erst derselben Gmain.
Von *Zwetel*, und von *Lilgenfeldt*,
Kommen da mit In ze Veld.
Sie schouten recht die Gmercke,
Und lobten Gottes Stercke,
Der in der finstern Wilde
Behölte so schöne Bilde.
In gfiell ouch wol die Statt,
Di Gott dazu erwöllet hat.
Die ward dem Apt von *Zwetel* geben:
Der schold Ir mit Gescheffte pflegen.

Annus 1270.

XXV. BEneficos hoc Anno *Bertholdus* habebat Nobiles Dominos *Dietricum* & *Gottschalcum Neitpergios*, Fratres Germanos: qui Reditus, suis à Majoribus olim, pro exstructione Capellæ *S. Wolfgangi* in fronte Capituli nostri, nobis olim donatos, sed in disparatis, minúsque comodis Locis constitutos, ad modum Concambii, commodioribûs aliis, nobísque utilioribus commutârunt in Raceinstorf, i. e. Razelstorf, cum augmento propria pietate superaddito. Sic pariter Domina *Eufemia de Potendorf*, Relicta Domini *Rudolfi*, cùm *Ulricus Sartor* de Potendorf subditus ejus Vineam nobis legâsset in *Frigido Monte* (quasi *Kaltenberg*, quod hodie adhuc multi dicunt pro *Kalenberg*) juxta Villam *Suzze*, condonavit nobis Jus Montanum trium Urnarum, sibi abinde debitarum, censûsque præterea Annui 24. denariorum dimidiam partem. Ab *Hertnido de Zwentendorf* Abbas noster paratâ pecuniâ nobilem Vineam in *Gumpoltskirchen* Monasterio comparavit. Quidquid in his, aliisque Instrumentis quarumcunque Familiarum, Chronologiæ, Geographiæ, Genealogiæ, & Heraldicæ, cæteræque Antiquitatis, ac Consuetudinum Veterum Cognitioni deservire posse arbitratus fui, totum *Tomo* IIII.^to^, sive Recensui *Genealogico-Diplomatico* reservavi; hic porro, omnibúsque Decadibûs, & Seculis insequentibûs, unam Historiam exequor. Id, quod Lectorem Benevolum in universum advertere velim. Alii ejus Contractus varii.



DECAS VIII.

Ab Anno MCCLXXI. usque MCCLXXX.

§. I.

Res Principum & Patriæ.

Annus 1271.

Eligitur tandem novus Pontifex, absens in Palestina.

I. Biennio jam, novémque Mensibus, ab excessu *Clementis* Papæ IV.[ti] Christianus Orbis Pontificem novum suspiraverat, Cardinalium studiis perpetuò diversis: donec ambo Reges, *Philippus* Francus, & *Carolus* Siculus, ex Tuneti pace Romam reduces, Purpureum Ecclesiæ Senatum, ut noxiæ contentioni finem tandem imponeret, Orbíque Pastorem daret, seria cohortatione impulerint. Tunc, quod multorum suffragiis tantam in moram protelatum fuit, paucorum calculis breviter absolvere decretum. Pontificii nimirum Culminis, dignissimum in Virum conferendi, sex Arbitri à cæteris delecti sunt, in quos reliqui compromisêre. Atque sic tandem, propitio DEO, die 1.[a] Septembris electus est Leodiensis Archidiaconus *Thealdus* Placentinus non solùm, neque Mitra, neque Purpura conspicuus, sed ne Presbyter quidem, insuper & absens, sancta in Peregrinatione Palestinæ constitutus: ad quem proinde, ut consentiret, Nuncii destinati.

Filius Richardi electi Romanorum Regis Romæ trucidatur:

II. Dum verò hæc Electio fieret, Romæ factum atrox, Regibûs præsentibûs, accidit. Agebat ibidem *Henricus*, cui Pater fuerat *Richardus*, Anglorum Regis Frater, olim quoque Romanorum Imperator electus. Is, dum die quadam Sacris in Ecclesia interesset, Amitini ejus, *Guido*, *Simón*que *Montsfortii*, eum sacrilegè ipso in templo, quamvis inopino scelere perterritus Aram celebrantis teneret, quamplurimis ictibûs atque vulneribûs miserrimè contrucidârunt. Domi verò in Anglia mors ipsum *Richardum* Patrem ejus, vita longiore dignum, prævio morbo de medio sustulit, juxta *Matheum Parisium*, IV. Nonas Aprilis. Quamvis autem hoc pacto *Alfonsus* Castellæ Rex Æmulô liberaretur, Romani tamen Diadema Imperii biennio postea,

Rex in Anglia moritur.

ſtea DEUS alteri, longéque digniori Capiti miro ſuffragio imponi diſpoſuit.

III. Auſtriam pariter, atque Moraviam *Stephanus* Ungariæ Rex, à *Philippo* Electo quondam Salisburgenſi, nunc Carinthiam ut Patrimonium repetente, ſtimulatus, igne ferróque acerbiſſimum in modum vaſtavit, juncto tam Ungarorum, quàm Cumanorum exercitu: quorum barbaries, præter cædem, incendia, prædas, uti Chronica Patria deplorant, quamplurima inſuper millia hominum injectis vinculis captiva in ſervitutem abripuit. Quod ſi toties, ac Chronographi id factum, recepta jam, ſempérque ſimillima phraſi, lamentantur, tam ſævùm accidiſſet, opinari oporteret, immo largiri, Auſtrales propè omnes in Ungariam compedibûs attractos eſſe. *Otocarus* Bohemiæ Rex, cui Carinthiam acquirere fortius animo ſederat, illic triumphans, pro Auſtriis, Moravíſque, apud Ungarum prece, ſed irrita, interceſſit. Tandem pro his quoque in vindictam exurgens, conciliatis antea ſibi Stiriæ Proceribûs, quibus Caſtra ademta reſtituit, cum ſubſidiariis quoque Marchionis Brandenburgici copiis, ex Auſtria Pannoniam invaſit: cùm interim Ungari in Moravia furerent, domíque ſuæ de hoſte non ſomniarent. Occupavit Poſonium, aliáque plurima Loca, ipſe quoque ferro & igni licentiam grandem permittens: donec eidem fœmineo ploratu Socrus occurreret, reditúmque, & à ſtrage ceſſationem perſuaderet. Sic ferè Scriptores Auſtriaci; tametſi *Bonfinius* Regem *Otocarum* inſigni clade repulſum tradiderit.

Ungari Auſtriam & Moraviam populantur.

Otocarus Rex Ungariam invadit.

IV. Quacunque verò ratione ceſſatum, id ſaltem certum eſt, ambos Reges cum initio Julii Menſis Pacem ſolemnibus inſtrumentis feriiſſe, ea cum diſtrictione, ut à Sacris utriúſque Regni Præſulibus anathema promulgari curaverint: cui, tanquam latæ ſententiæ, ſubjaceret, quisquis ipſorum hanc Pacem prior infringeret. Bohemus initio Literarum hæc Elogia præfetulit: *OTOCHARUS Dei gratia Rex Bohemiæ, Dux Auſtriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Marchióque Moraviæ, Dominus Carniolæ, Marchiæ, Egræ, & Portus Näonis.* Præſules, quibus ipſe hanc Pacem obligavit, erant, Archiepiſcopus Salisburgenſis, Epiſcopi, Pataviensis, Friſingenſis, Ratisbonenſis, Pragenſis, Olomucenſis, & Seccovienſis. Cautum præterea, ut ambo Reges ſui hujus Fœderis Literas Romano Pontifici confirmandas offerrent: quapropter *Raynaldus* h. a. à n. 22. utrarúmque tenorem in Annalibus exhibuit. Æternum hoc Pactum putâſſes: quod nihiloſecius annum vix unum integrum conſtitit.

Pax utrorúmque Regum ſummè diſtricta, attamen breviſſima.

Annus 1272.

Gregorius X. Papa novus inauguratus, hanc Pacem confirmavit.

V. TAmetsi námque Papa novus, qui Nomen *Gregorii* X. assumsit, diéque 27. Martii, præmissa Sacerdotali ordinatione, Summi Pontificatus Coronam, & Inaugurationem acceperat, hanc Pacem cum gaudio non vulgari confirmaverit, permittens Præsulibus, immo imponens, ut alterutri Regi, ejusdem infractori futuro, depactas diras è vestigio intorquerent: Obitus tamen *Stephani* Ungariæ Regis facem novam Gradivi accendit. Successerant enim intestinæ in Ungaria turbæ sub initia *Ladislai IV.*ti impuberis Regis, quidámque Comites eapropter in Austriam profugerunt, benignè ab *Otocaro* excepti, pluribúsque ditionibûs donati. Movit hæc indulgentia, aut metum, aut bilem, *Henrico* Comiti Ginsiensi, qui antè ab *Otocaro* steterat, ut patriam repeteret, ac, concitato tumultu, *Belam* Ducem, Reginæ Bohemicæ, Fratrem occideret. Sed & Comitum quidam suprà dictorum, *Ægydius* nomine, nullâ injuriâ læsus, animi solummodo mobilitate, iterum in Ungariam festinans, Posonium, quod sibi *Otocarus* ex pacto pacis retinuerat, *Ladislao* Ungaro tradi procuravit. Non deerant quidem Pannonum Legati, qui hæc facta, tanquam privatorum, excusarent Bohemo: ast ille atrociora credidit, quàm, ut inulta manerent. Ungari itaque, bello petendi, prævenerunt, nováque populatione Austriam ingressi sunt. Verùm *Otocari* exercitu, qui, quantò major erat, tantò longiùs conscribebatur, tandem educto, disparuêre grassatores, atque Bohemus quatuordecim hebdomadibûs, ferro, multorúmque Oppidorum occupatione, vindictam Hungariæ reposuit. Hunc in modum rem enarrat Chronicon *Australe Freberianum*, quod Anonymus *Zwetlensis* apud Cl. *Pezium* ad verbum excepit, *Bonfinio* hæc singula altùm tacente.

Unde rupta?

Mutuæ iterum incursiones.

VI. *Gregorius* Papa, cùm afflictum Palestinæ statum oculis ipse suis pervidisset, ejusdem commiseratione tactus, simúlque cupidine uniendæ Ecclesiæ Græcæ cum Latina succensus, utriúsque hujus rei, ac præterea Disciplinæ Ecclesiasticæ reformandæ causâ, Concilium Generale, post biennium cum initio Maji celebrandum, indixit. *Alfonso* Castellæ Regi, defunctô *Richardo* Anglô Æmulô, Imperium Romanum sibi confirmari, & Germaniæ Principibus novam Electionem vetari postulanti, minimè obsecundavit: quin potiùs factiosos Italiæ, quos pro se Rex iste conduxerat, intentatis diris cohibuit. Prudenter quippe pertimuit, ne Principes Germani, qui olim *Richardi* Electores fuerant, nunc jure suo iterum utentes, alium Regem eligerent, novúmque Imperii schisma procurarent. Nihil itaque *Alfonso* supererat, quàm, ut Nomine Regio-Romano con-

Pontifex Concilium indicit.

Alfonso Confirmationem Imperii Romani negat.

contentus, Regnum, quod neque jure, neque armis asserere sibi poterat, ultrò ex animo dimitteret: quamquam haud statim id à se impetraverit.

Annus 1273.

VII. POntifex, vergente hoc anno, Lugdunum Galliæ, quem locum Concilio futuro præfixerat, se contulit, Italiæ turbas atque discordiam veritus. Priusquam tamen eò moveret, Germaniæ Principes graviter ad unanimem novi Regis Romani Electionem per Legatum, ac Literas, adhortatus est, ut Ecclesia Defensorem, Imperium Restitutorem, quo utrique maximè opus erat, acciperet. Si segnes essent in Jure suo, se, ut summum Ecclesiæ Pastorem, suprema Potestate in denominando Imperii Capite usurum edixit. Torquet hoc factum Juris Publici Romano-Germanici Scriptores, atque illos præcipuè, qui Pontifici, extra *nudam*, ut ajunt, *Coronationis Cæremoniam*, in probando, instituendóque Imperatore nihil omnino juris permittere volunt. Unde vehementer hìc obstrepunt, hócque *Gregorii* X.[mi] Præceptum, aut negant, aut otiosum appellant. Sed editum illud esse, ac compulisse Principes ad Electionem, tradiderunt *Eberhardus* Altahensis Archidiaconus Ratisbonæ in Chronico suo ad h. a. apud Cl. *Canisium* Antiquar. Lection. Tom. I. p. 307. *Ricordanus Malespina* Histor. Florent. Cap. 198. *Joan. Villanus* in pari Historia Libr. VII. cap. 43. *Fragmentum Historicum* præmissum *Alberto* Argentinensi apud *Urstis.* Tom. II. p. 93. ut alios veteres, cum *Nauclero* Generat. XLIII. ac cæteris Junioribus mittam. Rectè porro ita præcipere potuisse Pontificem, nemo, ut arbitror, cui sanam rationem affectus non pervertit, inficias ibit. Cùm námque Imperatorem ex munere suo, tam fidem, quàm Ecclesiam, non secus, ac Regnum, & justitiam, defendere oporteat, princeps certè officium suum neutiquam implet, nisi Religionis conservandæ curam apud se primam reputaverit, quam DEO omnes homines ante omnia debent. Ecclesiæ enim, & Regni, fidei, ac justitiæ causâ, potestatem, ac Gladium à DEO accepit. Ergo Summum ad Pontificem, ad quem, uti Caput Sacrum, fideles omnes in causa Religionis respiciunt, præ omnibus attinet, prospicere, procurare, evincere, ut Imperio Christiano neque desit Rector, neque non optimus præsit. Ipsius itaque est, Electores, vacante Imperio, ad æqua suffragia hortari, negligentes & morosos compellere, sique planè officio suo deessent, suffragiorum apud eos defectum Nominatione sua supplere. Quod si facere forsitan, ne quidquam detrimenti Religio faceret, compelleretur, ut Electorum culpâ hoc fieret, ita ipse nequaquam à linea Pontificiæ Potestatis exerraret. Quantumvis enim Imperator, quem

Lugdunum abit.

Germaniæ Principibus Electionem unanimem novi Imperatoris præcipit.

Id, quod jure facere potuit.

quem nominaret, sit veluti Ductor Gregis Dominici, uti ovium Aries: nihilosecius tamen & hic Pastori, quem Christus, Ovilis Dominus, constituit, omnino subjectus est. Facilè saperent, qui ex adverso Romanæ Ecclesiæ consistunt, nisi nollent, cur inter se tanta scissio, quia nimirum Judicem non habent: vellent & hunc suffurari Catholicis, ut ad eosdem pariter Mercenariis, quorum non sunt oves, aditum promtiorem patefacerent. Inde est, quòd Romano Pontifici nullam, nisi Cæremoniarum, potestatem fateri, sed irato maximè Jove, cujus pleni sibi videntur, condictâ sententiâ velint.

Intercessit suffragiis DEUS, quæ *Rudolpho* Habspurgico disposuit.

VIII. Providum interim ac Omnipotens Numen, proprio nutu, Imperii vitia, quæ ab excessu *Friderici* II. viginti trium ferè annorum Interregnum induxit, dum jura privati Gladii vim undique paterentur, mirabili fato correxit, &, quæ diu parturiebant, Principum suffragia, RUDOLPHO Habspurgico Augusto Optimo Maximo arcanâ providentiâ servabantur. Quo id ordine factum, prolixiùs nonnihil excutere vel ideo operæ pretium duxi, quia terauspicatæ huic Electioni manum olim commodâsse, hodie nonnulli summo in merito ponunt, ac tantùm non planè improperant. Sunt itaque primùm, qui eventum hunc faustum atque felicem non uno præsagio celebratum affirment. Recepta propemodum est, quàm aliàs jam retuli, Prædictio piæ cujusdam Reclusæ, posteaquam *Rudolphus* Comes Presbytero, Sacrum Viaticum ad ægrum deportanti, nobilem Sonipedem suum ad obsequia detulisset, fore, ut hanc ejus humiliationem DEUS maxima in terris ad usque Culmen Imperiale exaltatione recompensaret. Vulgatum quoque illud, Astrologum quempiam in Aula *Friderici* II. Imperatoris, ubi *Rudolphus* Comes morabatur, ei transeunti profundiùs, ac cæteris omnibus, non semel inclinâsse, quòd aliquando imperaturum prævidisset. Addunt porro & hoc Annales *Colmarienses*, Prænobilem aliquem Virum, *de Chlingen* dictum, cùm Electio instaret, somniô non vanô, in quem suffragia conspiratura essent, perdidicisse. „Vidit (inquiunt) Principes & Ele-„ctores congregatos, & dicentes: Quicunque ex nobis hanc Co-„ronam levare poterit, Rex ab omnibus habebitur. Singulis „autem se probantibus, nullus eorum levare potuit eam. Tan-„dem *Rudolphus de Habspurch* Comes, Coronam potenter ele-„vavit, séque coronavit. Visionem hanc Eventus subsequens „approbavit. „ Valeant hæc, quantum valere posse prudentibus videbitur.

Præsagia Electionis ejus à nonnullis allata.

IX. Ad Comitia Electionis Regio-Romanæ, quantum è Scriptoribus constat, sub ingressum Autumni processum fuit, neque subitò, vel facillimè in suffragia conventum. Quo tunc essent

Comitia mense Septembri facta.

essent animo Principes, *Bruno* Episcopus Olomucensis *Gregorio* Pontifici, hunc in modum Literis, quarum *Raynaldus* maximam recitat partem, candidè insinuavit. ,Non solùm in Regno ,Alemanniæ (scribit) sed ubique hæc pestis tantum invaluit, ,quòd, quantum est in hominibus, sive spiritualibus, sive se- ,cularibus, horrentes juga Superiorum, in Regum electionibus, ,aut etiam Prælatorum, aut tales eligunt, quos eis subesse po- ,tiùs oporteat, quàm præesse: aut in diversos dividunt vota ,sua, ut plus emungant à pluribus, quàm ab uno: aut ideo, ut, ,si voluerit unus procedere per rigorem justitiæ contra ipsos, ,per alium defendantur., Hujusmodi perversa eligentium studia quamdiu vigent, difficillima sanè suffragia reddunt: quæ tamen in unum, præter spem omnium, dirigere, Magno illi Cœli terræque Domino, qui solus Regna Regésque constituit, nullum negotium facit.

Prava eligentium dispositio ævi illius.

X. Scenam præsentis, de qua sermocinamur, Electionis princeps quodammodo ingressus est *Otocarus* Rex. Si námque *Hageccium, Dubravium, Balbinum*, qui veteribûs Annalibûs usi sunt, audiamus, Principes Germani in eum præ omnibus oculos conjecerunt, Legationem, omnium nomine, *Conrado* Archiepiscopo Coloniensi injungentes, qui eidem Imperium detulerit. (*) Regem porro, communicato suis cum Proceribus consilio, sinceriores quidem nonnullos novæ Majestatis omnino suscipiendæ Authores habuisse: ab aliis contrà, qui potentiam ejus aliunde nimiam oderant, ei suggestum fuisse, ut ea gloria, qua jam fulgeret, ipsíque Imperatori futuro formidabilis esse posset, contentus ageret. Novas Imperii curas, & sibi, & Regno, oneri magis, quàm honori, futuras. Atque his postremis *Otocarum* acquievisse, reponentem Legato, sibi majus, ac gloriosius videri, Bohemiæ, quàm Germaniæ Regem esse. Hoc deinde fastu, atque Germanici Diadematis insigni contemtu, offensos, permotósque fuisse Electores, ut, ad eum ampliùs confundendum, in *Rudolphum* Habspurgicum potiùs, quàm in alium quemvis, vota dirigerent, eò, quòd ipse olim *Otocaro* ab Aulæ, Bellíque obsequiis fuisset.

Ottocarus Regnum delatum respuisse ab aliis dicitur.

XI. E converso *Gerardus de Roo*, qui tamen Scriptores, in quorum sententiam se concedere profitetur, ex nomine non laudat, plurimíque alii post eum, nôsse multò certiùs volunt, *Otocarum*, qui & summa erat regnandi cupidine, & Imperii Romano-Germanici Majestatem cumprimis intellexit, nec extra formidinem esse poterat, per futurum Imperatorem Provincias, ab se variis artibus acquisitas, certò certiùs reposcendas fore, quæ tamen,

Alii tradunt, eundem, id omni studio quæsivisse.

(*) Coloniæ tum temporis non ampliùs *Conradus*, sed *Engelbertus de Falkenberg* jam ab anno 1262. sedit.

tamen, si ipse Cæsar fieret, sibi tutissimæ essent, modis potiùs omnibus Principum suffragia pro se emendicare, multo tempore studuisse. Ajunt igitur, eum profusis muneribus emere tentâsse Electorum affectum: cum *Henrico* Bavariæ Duce idcirco diuturna jurgia subitò composuisse: quin & ipsum Summum Pontificem, ingentibûs obsequiorum promissis, & ære grandi, ad sui favorem per submissos Lugdunum Oratores inclinare voluisse: qui tamen responderit, tantis Principibûs abundare Germaniam, ut Slavo opus non esset. Nihil hìc ego pronuncio: qui solam ejus Epistolam ad *Gregorium* X.mum lego apud *Raynaldum* h. a. n. 37. qua se Crucem pro Palestina suscepisse testatur, Sacræque se Expeditioni liberaliter obtulit. Eum tamen postea indignatum fuisse Pontifici, quòd *Rudolphi* electionem probaverit, novóque huic Electo, quousque vita sibi comes fuerat, manibus pedibúsque obnisum esse, Historia subsequens pandet.

Rudolphi Commendatores præcipui.

XII. Teste interim *Alberto Argentinensi* ferè coævo, qui Historiam suam à *Rudolpho* I. cœpit, cujusque proinde in hac parte Authoritas apud omnes quasi præcipua est, *Wernerus* Archiepiscopus Moguntinensis omnium disertissimè persuasit Principibus, ut in *Rudolphum*, quem ipse magnopere, non tam à divitiis, quàm à Probitate, ac Magnanimitate commendaverat, votis conspirarent. Incitatum eum ad id fuisse traditur, præterquam, quòd Imperio, tanquam Electoralis Collegii Primas, ex munere suo quàm optimè cupere teneretur, cùm à Capellano quodam suo, quem illum ipsum putant, cui Sacrum Viaticum ad ægrum deferenti *Rudolphus* olim Comes equum suum obtulerat, tum propriæ Gratitudinis nomine, immo & Sacramenti quodammodo causâ, quo se Domino huic ad insigne aliquod officii genus obstrinxerat. Accidit quippe anteriori paululum tempore, ut idem Archipræsul, Romam pro impetranda sui Confirmatione iturus, & periculi ex grassatoribus metuens, requisiverit *Rudolphum*, ut se cum præsidiariis nonnullis ex Argentina usque ad Alpes comitari dignaretur. Quod Nobilissimus iste Comes non modò accedenti, sed & revertenti, pari cum reverentia, & benevolentiæ promtitudine præstitit. Unde gratiis actis addidit hoc votum Antistes, ne se DEUS mori permitteret, priusquam Comiti gratissimum animum egregio quopiam ac mutuo officio probaverit.

Wernerus Archiepiscopus Moguntinus.

XIII. Ut ergo Electionis Regiæ negotium agebatur, ibántque fluctuantes per varios animi, Archipræsul beneficii redhostiandi peropportuno tempore memor, *Rudolphi* panegyrim coram Principibus ea facundia dixit, ut omnes illi conciliaret, si *Otocari*, & qui cum eo fœdus coluerat, *Henrici* inferioris Bavariæ Ducis Oratores excipias. *Ludovicus* quidem, *Henrici* Fra-

Frater, Elector Palatinus, qui & Superiori Bavariæ præfuit, ob Uxorem suam, à se ob falsam adulterii suspicionem præcipiti sententia decollari jussam, sibi metuens, percontabatur, num à *Rudolpho* veniam, & si is Filiam haberet, eam quoque conjugem, tanquam amplioris gratiæ vadem, sperare posset. Cui *Fridericus* Comes *Zolleranus*, Maritus *Elisabethæ* Habspurgicæ & Sororis *Rudolphi*, cùm dixisset, Socero suo non unam solùm, sed sex omnino Filias esse, veniam præterea, & Conjugem, tanta cum fiducia spopondit, ut, ni obtineret, bonorum suorum omnium se reum esse velle affirmavit. Hoc audito, & *Ludovicus* acquievit, & præterea Saxoniæ pariter Dux, & Marchio Brandenburgicus, ambo innupti, spe paris Affinitatis Augustæ illecti, assenserunt. Omnium itaque consilio designatus jam erat in Regem *Rudolphus*: ne tamen, si suffragia in Electione viritim rogarentur, quidam, ab *Otocaro*, & *Henrico* Bavaro in partem abstracti, aliò rursum diverterent, præsentes omnes Electores nominationem novi Regis uni Palatino *Ludovico* solemni compromisso injunxerunt, cui de omnium sententia ac voto jam optimè constitit. Diu quidem ille, ex more hujusmodi solemnium, hanc spartam deprecatus est, ut ne importunus in eam irrumpere videretur: explevit verò tandem, omniúmque Interpres, *Rudolphum* nominavit.

Fridericus Comes Zolleranus.

Ludovicus Elector Palatinus.

XIV. Sic ferè rem enarrat *Argentinensis*: à quo parum admodùm dissidet *Gerardus de Roo*. Nisi, quod addiderit, primùm Principibus à *Meinhardo* Comite Tirolis, veluti consulendô, tres benè dignos Coronæ Romanæ Candidatos propositos fuisse, *Bernardum* videlicet Carinthiæ Ducem, *Albertum* Goritiæ Comitem, & *Rudolphum* Habspurgicum. Tum demum, audito *Rudolphi* nomine, evigilâsse memoriam Archipræsulis Moguntini, ut in longam latámque ejus commendationem os facundum resolveret. Utrósque porro hos Authores *Pfeffingerus* Vitriar. illustrat. I. p. m. 161. cum ingenti laudatorum à se Scriptorum numero, *Köhlerus in der* Reichs-Historie Period. V. §. 9. *Struvius* Corpor. Histor. German. Per. IX. §. 10. aliique propè omnes insequuntur.

Meinhardus Comes Tirolis.

XV. De die Cl. quidem P. *Marquardus Herrgott* Geneal. Aug. Diplom. Habspurg. Volum. I. p. 122. asseruit, communiter statui 29.na Septembris, ipsúmque adeò festum S. Michaelis Archangeli. Ego tamen varios apud Scriptores æquè varios quoque calculos reperi. Ut enim refert Cl. *David Kölerus* in der Wochentl. Münz-Belustigung. Part. VII. p. 400. exstant quidem in MS.^{to} Volumine Monasterii Murensis gemina Poëmata Latina, *Rudolphi* Augusti honoribus cantata, in quorum primo legitur:

De die Electionis traditiones variæ.

Franckenfurt Festo MICHAELIS Stemate septus
Magnatum, Regni Romani culmen adeptus:
In altero:
Franckenfurt Rex eligitur Festo MICHAELIS.

Verumtamen aliter Historici, quibus laudatus D. *Kölerus* plus credendum esse, quàm Poëtis, existimat. *Alberti* námque Argentin. Verba sunt apud *Urstis.* II. p. 100. - - *sicque concorditer est electus Anno Domini MCCLXXIII. XII. pridie Calendas Octobris.* Ubi cùm calculus *XII.* & vocula *pridie* cohærere non possint, manifestum recubat mendum. Unde, si locus iste diem 29. Septembris innuere deberet, locò X. nota numeralis I. supponi, & omissâ voculâ *pridie*, legi oporteret, *III. Calendas Octobris.* Sed huic Epochæ denuo repugnant Annales *Colmarienses*, quorum phrasis est apud eundem *Urstisium* I. p. 40. *Eligitur enim in crastino Michaelis Anno MCCLXXIII.* i. e. altera die, hoc festum proximè insequente, sive 30. Septembris. Aliter iterum computavit Chronici *Steronis* Prosecutor *Eberhardus* Altaichensis Monachus, Archidiaconus Ratisbonensis, ab ipso *Rudolpho* inchoans, qui ait apud *Freber.* I. 559. *Principes Imperii circa Octavam S. Michaelis ad eligendum Regem in Franckenfurt convenerunt.* Cum hoc sentiunt, nulla die certa assignata, Cll. PP. *Hansizius*, & *Meichelbeckius*. Alii Electionem alligant VI. Nonis Octobris, sive diei ejusdem 2.[da] Quas ego lites tutò decidere nequeo.

Nunciata Rudolpho Electio.

XVI. Peracta Electione, pergit *Albertus* Argentinas, jucundum ejus Nuncium egisse *Fridericum* Comitem *Zolleranum*, quem ipse Burggravium Norimbergensem appellat, ad castra *Rudolphi*, ante Basileam tunc posita, concubia nocte adventantem. Mox deinde Regem, Episcopo ac civibus pace per Burggravium oblata, se itineri, Aquisgranum instituendo, cum Conjuge, Filiis, ac Filiabus, comparâsse. Annales verò *Colmarienses* Parte altera Burggravium *Rudolpho* sic locutum tradunt. *Electores Vobis significant, quod si volueritis Filias vestras nuptui dare talibus Dominis, in Regem vos eligent Romanorum. Qui respondit : Hæc, & quæcunque alia implebo. Tunc Literas Electionis & Confirmationis omnibus patefecit. Rex, his visis, suis omnibus dixit : Pacem cum omnibus habete, & omnes Captivos restituite pristinæ Libertati.* Mox deinde acclamatum esse : *Vivat Rex !* Prosequitur *Albertus* de Rege profecto. „Venit Maguntiam : hìc præsentantur ei Regalia, quæ Prædecessores Reges magna pecunia non poterant obtinere. Hinc Aquisgranum. Multitudinem hominum strata publica usque ad tria milliaria vix commodè recipiebant. Occurrunt Dux Bavariæ, Saxoniæ, & alii, cum XX. millibus Equitum. - - - In Vigilia

Adventus ejus Aquisgrani.

„ lia omnium Sanctorum RUDOLFUS Rex coronatur: & tum „ spatio horæ apparuit Nubes candida, in modum Crucis for- „ mata, quæ postea in ruborem Sanguinis est transformata. „ Cùm Principes hoc Regi retulissent, dixit RUDOLFUS: *Si „ Dominus mihi vitam, prosperitatemque dederit, transmarinas „ partes adibo, & pro peccatis meis maximis sanguinem meum con- „ secrabo Domino JESU Christo.*„ Postremum hoc Ostentum Historiæ suæ Ecclesiasticæ pariter intulit *Ptolomeus Lucensis* Præsul Venetus, Scriptor Seculi XIV.[ti] Libr. XXIII. Cap. 3.

Coronatio, cum Ostento.

XVII. Si porro, quæ laudatis è Scriptoribus relata sunt hactenus, ungue critico pertentare libeat: Primùm quidem subsistere nequit *Gerardi de Roo* Assertum, Principibus Electoribus à *Mainhardo* Tirolensi inter cæteros, qui suffragia mererentur, primo loco *Bernardum* Carinthiæ Ducem proponi potuisse. Non enim solùm hic Princeps, sed & Filius ejus *Ulricus*, quem Successorem habuit, pluribûs jam annis cum Patribus suis dormierunt: neque de Stemmate eorum alius quisquam supererat, præter *Philippum*, Electum quondam Salzburgensem, & *Bernardi* Ducis Filium juniorem: quem, uti Decade anteriori amplè perhibitum fuit, *Otocarus* Rex totâ Carinthiâ depulit, in Austria extorrem, ipso sibi eum Ducatum usurpante. Atque hic sanè nodus historicus fortiter admodùm stringit, totam Comitis Tirolensis commendationem Principibus factam in dubium adducens.

Hactenus dicta criticè examinantur.

Bernardus Carinthiæ Dux malè adnumeratus Candidatis Imperii.

XVIII. Quòd *Argentinensis* tradiderit, Electionem *Rudolphi* à Burggravio Norimbergensi, i. e. *Friderico* Comite Zollerano, quasi pactis nuptialibus, & sponsione Filiarum, *Ludovico* Palatino, *Alberto* Saxonico, & *Ottoni* Brandenburgico facta, procuratam esse, non valde probatum est Cl. *Marquardo Herrgott* Vol. I. p. 205. §. V.[to] Quamvis enim ipse Vol. III. p. 433. n. 524. Instrumentum *Rudolphi* nondum electi, datum *Brugge in Octava Epiphaniæ MCCLXXIII.* adducat, & exhibeat, ubi Cœnobio Maris-Stellano, sive Wettingensi Ordinis nostri Cisterciensis, Usum fructuum certarum Possessionum se concedere ait, cum consensu Uxoris suæ *Gertrudis*, Filiorúmque *Alberti & Hartmanni, ac Filiarum suarum, tam puberum, quàm impuberum,* unde liquidum fit, plures ei Filias fuisse: nullibi tamen ex tot Instrumentis *Rudolphinis*, à se conquisitis, & vulgatis, numerum earum definiri, vel Nomine exprimi advertit. *Unde mirari eum subit, qua Authoritate nixus Albertus Argent. præter suprà laudatos Filios, sex numero Filias RUDOLPHO asserat: quibus singulis non tantùm Nomina propria, sed & singulos Maritos nominat, ac felicissimè eis attribuit.* Sed jejuna erit Historia, & innumeris partibus mutila, si nulla alia sui parte, quàm

Quæstio de Filiabus Cæsaris.

Integritas Historiæ poscit, ad-

hiberi fidem Chronographis, ubi Diplomata desunt.

quàm quæ fundamento Diplomatico nixa sit, fidem promereri credatur. Quantula enim sunt, quæ publicas in tabulas Instrumentorum referuntur? Sanè igitur dandum est aliquid fidei quoque Scriptorum, præcipuè, si talis eorum conditio fuerit, ut ætas, & Patria sua, rectæ eorum Cognitioni suffragium ferant, & quoties talia referunt, quæ cum ipsa Historia, Chronologia, & Genealogia, alibi tutiùs asserta, hucusque non pugnant.

Dubium, an *Rudolphus* Electionis nuncium in obsidione Basileæ acceperit.

XIX. Sed eidem Viro Clarissimo, unde suprà Vol. I. p. 122. insuper & hoc quoque, *Rudolphum*, cùm nuncium reciperet Electionis suæ, Basileensi obsidione occupatum fuisse, & caduceatore Burggravio, tam Episcopo, quàm Urbi, pacem dedisse, *protsus extra fidem dici videtur.* Causam porrigit Instrumentum Pacis cum Episcopo Basileensi conclusæ, à se Volum. III. pag. 436. sub n. DXXVIII. vulgatum, *datúm*que *Ann. MCCLXXIII. Festo B. Mauritii*, sive die 22.[da] Septembris: cùm interim Electio Regia cum fine demum hujus Mensis evenerit. Sunt huic argumento suæ vires, quas ego elevare non ausim. Quòd si obsidio Urbis jam antè soluta fuerit, páxque sancita: cætera pariter, quæ adhuc addidit *Albertus* Argentinus, talô non firmissimô stabunt. Renunciâsse nimirum Cives Basileenses fœderi suo cum Episcopo, ajentes, se contra Comitem *Rudolphum*, non contra Regem, cum eo pepigisse. Jllum verò, ab adjutoribus desertum, & ad pacem feriendam compulsum, percussâ fronte sua dixisse: *Sede fortiter, Domine DEUS, vel locum occupabit RUDOLPHUS tuum.* Quod aliunde lepidulum, attamen pervagatum est.

Item de die Coronationis.

XX. Coronationis Diem Cl. *Kölerus* in der Wochentl. Münz-Belustig. Part. VII. p. 400. æquè necdum exploratam esse observavit. Dum enim Annales *Colmarienses* eam in Vigilia Omnium SS[orum], i. e. Ultima Octobris, factam tradiderunt: Poëtæ contrà MS.[ti] *Murenses*, jam suprà laudati, à se ipsis diversi, aliam diem, aliámque assignârunt, involventes magis rem illam, quam suffragio antiquitatis, extricare putabantur, dum singuli seorsim legerentur. Cantabat námque

Prior:

Téque *coronat* ea Procerum Collectio Luce,
Quando *dies Martis* est post solemnia *Lucæ*.

Erat porro hæc *dies Martis* eo anno 1273. proxima à festo S. Lucæ dies 21. Octobris. Aliter

Posterior:

Ungit *Aquisgranum* Regem sub posteriore
Luce *Severini*, sub *Crispini*que priore:

Die

Die itaque inter utrosque horum Sanctorum Natales intermedia, sive 25. Octobris. Ternæ dies istæ cùm in unam conflari non possint, quænam tutior, nemo certissimè dixerit. Nihil hìc pronunciat rarissimus Coronationis Numus Argenteus, minuti moduli, ac formæ summè rudis, quem *Kölerus* c. l. vulgavit, ac missilem, & pro memoria Coronationis sparsum in vulgus existimat. Sedentem hic in *Adversa* exhibet Regem Coronatum, qui dextra Ensem, leva Pomum Imperii gestat, cum epigraphe: RUDOLPH. ROM. REX. *Aversa* tres Turres supra fornicem ostendit, subtúsque Coronam Regiam apertam. circùm legas: URBS. AQUENSIS. VINCE. Numus Missilis in eadem.

XXI. Cum *Rudolpho* coronata quoque fuit Conjux ejus, ajentibûs Annalibûs Colmariensibûs de eo: *Deinde cum Uxore, Filiis, & Filiabus, ad Rhenum perrexit.* Inferiùs autem de illa, ex Basilea cum comitibus movente: *Descendit multis navibus ad Regem, ut cum ipso coronaretur.* Quale verò eidem Nomen fuerit, tam Scriptores, quàm Instrumenta, sic implexum reddunt, ut fatente Cl. *Herrgott* p. 125. sqq. *has tricas & apinas mittere, quàm evellere, prudentius æstimetur.* Nominari quidem *Gertrudim*, & *Annam*, in *Rudolphi* Instrumentis ait, sed ita ambiguè, ut, an de una eadémque, an de gemina ibidem sermo sit, ritè intelligi nequeat. Parum itaque abest Vir Clarissimus, ut credat, verum esse, quod *Crusius* Annal. Suevicor. Libr. VI. Part. II. cap. 8. asseruit, atque hic pariter evenisse: scilicet *interdum etiam Reginarum Nomina in Coronationibus, aut Consecrationibus, fuisse aliis Nominibus permutata.* Quod licèt ab ævi nostri memoria ac more prorsus alienum sit, alia tamen pariter, quæ certè solis Regibus conveniunt, Reginæ quoque ævo illo sibi assumserunt. Testem certissimam agit ipsa *Rudolphi* Conjux, cujus est hoc Diploma apud Cl. *Herrgott* Vol. III. p. 437. n. 529. Cum Rudolpho pariter coronata Conjux: de cujus verò Nomine quæstio peranceps.

XXII. „*Gertrudis* Comitissa de Habspurc, & de Kyburc, „Asatiæque Lantgravia, *nutu DEI in Romanorum Reginam electa*, *Burcardo* Ministro suo, cæterisque Ministris, ac hominibus universis Vallis Uraniæ suam Gratiam. Cùm Nos dilectos „in Christo Regulares Monasterii in *Engloberc* Ordinis S. Benedicti, cum personis, & rerum omnium facultatibus, *in Nostram Protectionem, & Tuitionem receperimus specialem*: universis vobis *præcipimus, & mandamus*, quatenus dictam Protectionem nostram taliter observare velitis, *sicut nostram diligitis Gratiam, & Amorem*, maximè in Alpibus, secundùm quod hactenus *Regio Imperio* tuebantur, & prout in suis Privilegiis „sunt *ab eodem Imperio* privilegiati. *Datum in Brugge Anno Domini M.CC.LXXIII. VI. Idus Octobris.* Ejus Diploma miri stili.

Paradoxa hujus Chartæ.

XXIII. Plura certè hìc mira, ac tantùm non paradoxa videantur. I. Quòd se hæc Domina scribat *Electam*, votis tamen Principum in illam nequaquam directis. II. Quòd Monasterium Engelbergense *suam in Protectionem ac Tuitionem* recipiat, quod aliàs tantummodo Reges facere, ac scribere consueverunt. III. Quòd mandet, ac præcipiat Regis adinstar, *sicut nostram*, ajens, *diligitis Gratiam & Amorem*, quasi dixisset, *sub obtentu nostræ Gratiæ*, vernaculè, *so lieb euch unsere Gnad ist*: qua comminatione aliam graviorem ab ipsis Regibus rarò adhibitam videas. IV. Quòd Protectiones anteriorum Regum ipsa veluti confirmet, ac innovet, addens: *Secundùm quod hactenus Regio Imperio tuebantur, & prout in suis privilegiis sunt ab eodem Imperio privilegiati.* Adeò potenter hæc Regina radiis Mariti coruscabat. Nomen ejus quod attinet, in Charta pariter, ac Sigillo, appellatur *Gertrudis*. At verò in alio Diplomate apud Cl. *Herrgott* p. 468. n. 565. quod *Henricus* Marchio *de Hachberc* Parthenoni Monialium Cisterciensium Oelsbergæ *in Rinwelden An. 1277. feria II. proxima ante Carnisprivium tribuerat*, ipsa sic subscripsit: *Et Nos ANNA DEI gratia Romanorum Regina ad petitionem ipsius Heinrici Marchionis de Hachberc, Avunculi nostri dilecti, Sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum.* Legisti hìc nomen *Annæ*: nihilominus verò Sigillum ejus appensum iterum refert nomen *Gertrudis*. Quod profectò ad perplexitatem antè dictam egregiè juvat. Verumtamen de hoc ænigmate, in quo & ego me Davum confiteor, satis.

Magis paradoxum, eandem Dominam duo Nomina ferre.

Cæsar Cruce locò Sceptri usus.

XXIV. Superest adhuc peculiare certè, ac planè Religiosissimum aliquid, ab *Eberhardo* Altahensi in Annales, quos prosecutus est, *Steronis* illatum. „Electus est (ait) RUDOLPHUS „Comes *de Habspurg* in Romanum Regem, postea in Impera„torem consecrandus, Qui RUDOLPHUS statim exegit à „Principibus, Clericis, & Laicis, fidei juramentum. Quod „cùm recusarent propter Sceptri absentiam: ipse Electus Signum „Crucis accipiens, talia dixisse fertur. *Ecce signum, in quo nos, „& totus Mundus est redemtus, & hoc Signo utamur locò Sceptri.* „Et deosculata Cruce, omnes Principes, tam spirituales, quàm „seculares, ipsam Crucem locò Sceptri osculantes, recipientes „feoda, sibi Fidelitatis juramentum præstiterunt." Erunt fortasse nonnulli, nimis emunctis naribus turgidi, qui & hoc quoque in disceptationem trahere velint, arguentes: Coronationem aliter peragi non solere, nisi Diademate imposito, Ense ad latus appenso, Sceptro, Pomóque per Episcopos in Manus Regias contraditis. Si ergo *Rudolphus* acta Coronatione *statim*, ut ait hic Scriptor, in fidem recipere Principes voluerit, quo pacto tam subitò Sceptrum deesse potuerat? aut si revera defuerit, quomodo absque eo ritus Coronationis debitè observatus fuit? Sed non ita premenda sunt verba, ut sensum accom-

commodum excludant. *Eberhardus* non asserit, Signum Crucis in vicem Sceptri adhibitum illico ab Actu Coronationis completo: qui, cum sit maximè solemnis, & longiori egeat mora, non patitur, Feudorum collationem, quam disertè hic Chronographus commemorat, è vestigio sibi conjungi. Unde vocula *statim* non pro nulla, sed pro non longa temporis intercapedine accipi debet, atque propinguam, vel proximam à Coronatione diem designat: qua nihil obstat, ministrorum incuria, aut forsitan fraude, Sceptri defectum accidisse.

XXV. Sed gaudeat Imperium, gaudeat Ecclesia, gaudeat Orbis Christianus beata hac sorte, quæ cecidit in RUDOLPHUM. Haud etenim ipse solus illustravit, beavitque tempora sua, quando rem Imperii Romani, ex perniciosissimi Interregni diuturnitate gravissimè languentis, Pietate, Justitia, ac Fortitudine sua per sese restituit: verùm etiam Orbi Germanico sedecim alios post se Publicæ Felicitatis, Religionis, Incolumitatisque Sta ores, Romanos totidem Reges ac Cæsares, plura per Secula, æviterna cum laude, ac Gloria immortali dominatos, fortunatissimus Austriæ Habspurgicæ Protoplasta progenuit. Ut adeò, quod nonnemini, quamvis præter affectum ac voluntatem, nihilosecius excidit, Augustissima Austriaca Regum ac Cæsarum Gens nullam aliam in Orbe Christiano Dominum sibi parem agnoscere velit, ac possit. Cæterùm nihil hic ego disquiro, quod sanè post aliorum Clarissimorum Virorum ingentes in hac parte sudores frustra & ineptè iterum agerem: An Augusta Gens Habspurgica à *Pharamundo* Franciæ Proto-Monarcha, quod præ cæteris *Wolfgangus Lazius* tuitus est: An à Comitibus & Præfectis Veteris Vindonissæ Helvetorum, uti *Franciscus Guillimannus* arte summa contendit: An à *Perleoniis Aniciis* Romanis, ad mentem Reverend.[mi] Doctissimique Præsulis Zwetalensis *Joannis Seyfridi*: an demum ex *Veteribus Alemannis* in Burgundiæ Regno prosata fuerit, quemadmodum novissimè omnium Cl. P. *Marquardus Herrgott* ineluctabili Diplomatum suffragio penitus evincere adlaboravit. Qui & peculiari Chorographia, sive Comitatuum ac Possessionum Habspurgicarum studiosa recensione, illorum ora obturare & obstruere contendit, quorum perpetua in tenuem Habspurgicorum fortunam declamatio fuit: è converso commonstrans, Comites Habspurgenses, etiam priusquam eosdem ter adoranda providentia Numinis ad fastigium Imperiale extulerit, Comitatuum, Dynastiarum, Vasallorum, ac Subditorum amplitudine sic valuisse, ut nulli fortè Comitum, Ducúmque ejusdem ævi, multùm inferiores exstiterint. Ego sic denique apud me statuo, sive *Rudolphus* Augustus Dignitatem Regiam, in Antiquissimis Prosapiæ suæ Avis olim coruscantem, Genti suæ rursum indu-

Felix Imperii Sors, quæ cecidit in *Rudolphum.*

Sive Regibûs Atavis ortus, sive primus Regum Prosapiæ suæ fuerit, semper Gloriosum Cæsarum Protoparentem.

induxerit, sive primus ipse fuerit, qui eam consecutus, cum honorificentia ad Posteros transmiserit, tantum illum ac talem, sua potiùs Virtute, quàm fortuna, fuisse, ut, quamvis Majestas Austriacorum, post ipsum, decumanis accessionibus accreverit, perpetua tamen eorum gloria, testimonio Orbis, meritò censeatur, eos RUDOLPHO Satore descendisse.

An Filiæ ejus statim nupserint Electoribus incertum.

XXVI. Alius adhuc *Eberhardi* Altahensis paragraphus est. „Ipse etiam Rex, adhuc existens in Palatio Aquensi, ad quod „jam pridem inthronizatus à Principibus fuerat, duas Filias su„as, unam Domino *Ludowico* Comiti Palatino Rheni, alteram „Duci Saxoniæ matrimonialiter copulavit„ Hoc idem *Vitus Arenpeckius* etiam in Chronico Bavariæ transcripsit. *Albertus* porro Argentinensis ita habet. „Tempore autem Electionis *Rudolfi* Regis iverat *Albertus* (Filius ejus Primogenitus) ad Co„mitem Tirolis ad recipiendam *Elisabet* Filiam suam: & intelli„gens Comes electionem Regis, *Alberto* Filiam illico copulavit.„ Nimis quàm præproperus est hic paragraphus, pluresque annos anteoccupat: ego de Nuptiis istis eo, quo convenerit, loco exactiùs disseram. Cæsar interim sibi Thronum suum Pietate, Justitia, Clementia firmare è vestigio contendit. Primùm námque Summo Pontifici *Gregorio X.*^mo Electionem suam, cum summa certè reverentiæ significatione, per Oratorem, ac Epistolam nuncians, confirmari, atque Coronæ Romanæ promissum sibi fieri flagitavit. Literarum tenorem legere licebit apud Rever.^mum *Czerwenkam* in Annal. & Act. Pietat. Habsp. Austriacæ Part. I. p. 32. sq. epochis tamen omissis, quas neque apud Reverend.^mum *Seyfridum* Abbatem Zwetlensem, Codicis Epistolaris *Rudolphini* Collectorem, repererat. Communicarunt autem & Electores Principes cum Papa jucunditatem suam: in quibus Archiepiscopus Coloniensis ita Lugdunum perscripsit. „Et, ut Regis „Electi, sic & Coronati Personâ, Sarosanctæ Romanæ Ecclesiæ „Matri nostræ nova gaudia cumulentur: idem Rex est fide Ca„tholicus, Ecclesiarum Amator, Justitiæ Cultor, pollens con„silio, fulgens pietate, propriis potens viribus, & multorum „Potentium Affinitate connexus, DEO, ut firmiter opinamur, „amabilis, & humanis aspectibus, ut cernitur, gratiosus: insu„per corpore strenuus, & in rebus bellicis contra infideles for„tunatus.„ Sic Præsul iste *Engelbertus* Falckenbergius, tantò in omnibus verior, quantò luculentiùs Cæsar hæc singula Elogia manifestissimis Actis comprobavit. Ejus Epistola rursum est in Cod. *Seyfrid.* Libr. I. n. 2.

Filium ejus *Albertum* hoc anno jam nupsisse, falsum.

Cæsar Pontifici Electionem nunciat, atque Coronam rogat.

Jllustre *Rudolphi* Elogium.

Friderico Comiti Zollerano confert Burg-

XXVII. Juxta *Paralipomena*, Chronico Abbatis *Urspergensis* annexa, h. a. p. 285. *Imperator venit Argentoratum, & pacem cum omnibus Rheni Civitatibus firmabat.* Jisdem testibus, quam,

quamvis hoc perperam in Annum sequentem distulerint, *Friderico* Comiti *Zollerano*, cujus tantæ in ejus Electione procuranda partes fuisse feruntur, Burggraviatum Norimbergensem jure hæreditario possidendum indulsit, Diplomate dato *Aquisgrani Anno Domini* 1273. *Octavo Calend. Novembr. Indict. III.* ubi legendum I.ma. *Pfeffingerus* Vitriar.illustr. Part. I. p.m.629. Uberiora reperi Beneficia, ab eo in Ecclesias, & sacras domos DEO dicatas, collata: quorum Instrumenta lego apud Cl. *Herrgott.* Vol. III. n. 531. 533. & 534. *Beronensi* námque Ecclesiæ, quæ intra Diœcesim Constantiensem est, Privilegia omnia confirmavit *Aquisgrani IV. Kal. Novembris Regni Anno Primo.* Mendosè autem & hìc notatur Indictio III.tia Idem beneficium Confirmationis pariter contulit in Ecclesiam *Basileensem*, ídque *Hagenoæ X. Kal. Januar. Indict.* II.da. quæ iterum fallit. Advocatis Civitatis *Thuricensis* biennium duntaxat gerendi Muneris, rogatu Civium, indulsit, atque decrevit *Coloniæ Non. Novembris.* Insuper & Ordinis nostri Cisterciensis Monasterium *Maulbrunnense* prope Pforzheimium in suam & Imperii Protectionem benignè recepit *Spiræ XVIII. Kal. Januar. Indict. II.* eodem, quo antea Notarii sphalmate. *Besoldus* in Docum. Monaster. Würtenberg. p. 806. sq.

graviatum Norimbergensem.

Benefacit Ecclesiis variis.

XXVIII. Ita Clementiam Imperatoris adorante Imperio, *Otocarus* contrà, *Rudolphi* obsequia penitus abnuens, nihil omisit, quo se contra iram ejus impendentem præmuniret. Inde est, quòd ultro se iterum Summo Pontifici ad Crucem pro Palestina suscipiendam, ut illi præ omnibus unicè in votis esse quàm optimè noverat, liberaliter obtulerit, hoc pacto, si Cæsarem ultorem haberet, Pontificis gratia adversus eum usurus. Egit & alia omnia, quæ sibi metum adimere, aut saltem diminuere possent. Quale erat, quòd in Austria maximè, ac Stiria, à potentioribus quibuslibet, quorum de fide erga se gravius hæsitabat, Liberos charissimos, tanquam obsides, postulaverit. Quamquam ne hoc quidem contentus, Patres nihilominus in Castris munitis obsederit, &, ni dedere se vellent, machinis admotis, quod sanè admodùm sævum, Filiolos eorum imponi præceperit, perseverante obsessorum contumacia, in murum excutiendos. Tabellionibûs insuper apud omnem Septentrionem fœdera, & suppetias ursit. Ita ferè *Historia Australis plenior* h. a. & sqq. Quod si ita, sacrum ad bellum, quod Papæ spoponderat, se Rex iste peregregiè planè accinxit.

Otocarus Rex obsequium omne detrectatus est.

Annus 1274.

XXIX. G*Regorius* Pontifex egit, quod Optimi Ecclesiæ Patris esse putabat. Cùm nimirum ipse tam in Græcia, quàm Palestina olim versatus, utriusque statum optimè nosset,

Gregorius Papa cupiebat vehementer Unionem

cum Græci, & libertatem Palestinæ.

nosset, & *Michaelem Paleologum* Constantinopolitanum Imperatorem admodum promtum ad unionem cum Romana Ecclesia sciret, se verò ex frequenti infirmitate diuturnum fore, sperare vix valeret: omni, quo poterat, nisu, summáque cum festinatione, mediante Concilio, mox dictam utriúsque Ecclesiæ Concordiam efficere, Terrámque sanctam ab infidelium tirannide eripere contendit. Qua etiam ipsa de causa unicè adlaboraverat procurandi novi Imperatoris unanimi Electioni, & postquam illa facta jam fuerat, illius festinæ Coronationi Romanæ. Firmiter quippe decreverat, si vita comes esset, ut primum fieri liceret, unacum novo Imperatore, & Cruce signatorum numeroso exercitu, sacram Expeditionem ipse suscipere. Quare vanæ sunt multorum cavillationes, *Gregorium* Papam ideo duntaxat ursisse electionem Cæsaris, ejúsque postea Romanam Coronationem, quia, durantibus Interregni turbis, Roma parum admodùm olei ex Germania collegerat, sacculísque Pontificii ære cæsareo egebant, ac præterea Laici Principes magnis jam conatibus pingues Ecclesiarum præbendas diripere occipiebant. Fallacia hæc causæ non causæ est, quæ verum Philosophum Christianum non decipit.

Egit Concilium Lugdunense II. his ipsis de causis.

XXX. Quantumvis autem, DEO homines in manu Consilii sui permittente, Unio Græcorum illico iterum disrupta fuerit, sacrúmque Bellum profanis armis dissipatum: Pontifex nihilominus egit, quod potuit, Concilium Oecumenicum Lugdunense II.[dum] die 17. Maji Anni præsentis ipse aperuit, & senis ejusdem Sessionibus, nihil motus infirmitate sua, semper ipse præsedit. Aderant Cardinales quindecim, Episcopi quingenti, Abbatum, aliorúmque Prælatorum ampliùs mille, Imperatorum, tam Romani, quàm Græci, Oratores, ipsemet *Jacobus I.* Aragonum Rex, Principúmque, ac Provinciarum Deputati: ut ferè bis mille Personis hic Cœtus constiterit.

Acta Concilii.

XXXI. Præcipua Concilii Acta, cujus ultima Sessio soluta fuit die 17.[ma] Julii, præter Canones, qui Fidem, Disciplinam, ac hæreses attinuerant, hæc quidem fuerunt. Primùm confecta Ecclesiæ Græcæ Unio cum Romana, per confessionem Processionis Spiritus sancti, receptam Romanam Liturgiam, & agnitum Romani Pontificis Primatum. Deinde decreta Expeditio sacra in Palestinam, statuta Prædicatio Crucis, indictæ Ecclesiasticis omnibus Collectæ in subsidium Terræ Sanctæ. Postremùm tandem Ordo novus in Electione summi Pontificis præscriptus, ad avertenda deinceps maxima longioris Interpontificii incommoda.

Rudolphus Imperator

XXXII. Præterea non in ipso Concilii consessu, sed Cardinalium duntaxat Consistorio, præstito præviè solito per Oratores

tores Jurejurando, facta est Confirmatio novi Imperatoris, ejúsque Coronatio Romana decreta. Quæ antequam fieri posset, útque facta vigorem retineret, graves curæ Pontifici incumbebant. *Alfonsus* etenim Castellæ Rex iterum, nunc per Oratores, nunc ipse Belliquadri *Gregorium* conveniens, haud parum fortiter sui potiùs confirmationem urgebat, comminatus, exercitum se pro vindicando sibi Imperio Romano in Italiam, quæ in se magis, quàm in *Rudolphum* propendêre videbatur, immissurum esse. Hunc verò Papa tam argumentis gravissimis, quàm favoribus concessis, in quibus Decimæ sexennales de fructibus Ecclesiasticis pro bello contra Mauros, à proposito revocavit. Conquestus erat Rex iste apud Pontificem, ut undique causam quæreret in *Rudolphum*, ab hoc debitum sibi Sueviæ Ducatum cum injuria sui detineri, cùm Principatus iste ad se Materno jure respiceret, quia genitus erat à Filia *Philippi* Suevi, olim Imperatoris. Quapropter Papa exhortatus est *Rudolphum* Cæsarem, ut, si ita foret, reddat *Alfonso*, quod ei debetur, nec bellum injuria provocet. Sed respondit Imperator, Sueviam feudum esse Imperii, solíque sibi nunc apertum vacare, in quod nemini alteri jus esse possit. Utrámque tam Papæ, quàm Cæsaris Epistolam, Cl. *Herrgott* ex MS.[to] Codice *Epistolar. Rudolphinar.* in Biblioth. August. Vindobon. exstante, vulgavit *Vol. III. Genealog. Habspurg. Diplomat.* sub nn. DXLV. & DXLVI. p. 450. & 451. Ubi & subnotat, hanc litem, exeunte hoc anno, resignatione *Alfonsi* Regis consopitam fuisse: quippe qui aliunde, quàm infirma, immo quàm nulla esset postulatio sua, probè intellexit.

confirmatur à Pontifice:

fortiter, sed frustra, reclamante *Alfonso* Castellano Æmulo.

XXXIII. Insuper *Otocarus* quoque Bohemus per submissos Oratores vehementissimè contra *Rudolphum* Electum excepit, bellum & ipse denuncians. Cui *Gregorius* per Literas, veluti vaticinandô suggessit, aliud esse persæpe bellorum initium, alium postea exitum: Ecclesiam Defensore carere ultra non posse: Electionem *Rudolphi*, ipso uno duntaxat contradicente, alioquin unanimem, ac liberam fuisse. Crederet ergo, multò sibi magis expediens futurum, si, uti spoponderat, Militem Christi cum cæteris fidelibus ageret, quàm, si Cæsarem impugnaret. Cùm adhæc *Rudolphus* Imperator, restituendi Imperii studiosissimus, à *Carolo* Siciliæ Rege Hetruriam posceret, & à *Philippo* Franco alia nonnulla repeteret, priórque hæreret aliquantulum in assensu, posterior exercitum jamjam in Germanos apparare institueret: utrúmque Pontifex Paternis exhortationibus ad quietem induxit. Demum & *Fridericum* Archiepiscopum Salisburgensem prolixâ Epistolâ, qua *Rudolphum* Cæsarem eleganter commendavit, adhortatus est, ut ejus Profectionem ad Coronam Romanam suscipiendam quàm decentissimè fieri procuraret,

Item *Otocaro* Bohemo.

Alii Pontificis pro Cæsare conatus.

Solemniis istis festivam Omnium SS. diem anni insequentis præfigens. Videantur de his omnibus *Raynaldus* in Annal. Eccles. Tom. XIV. h. a. ubi Epistolæ Pontificis ex *Regesto Vaticano*, vel integrè adscriptæ, vel excerptæ, aut saltem allegatæ visuntur: item *Franc. Pagius* Breviar. Crit. Part. III. à p. 335.

Otocari improba Acta.

XXXIV. Inanis verò erat apud *Otocarum* Pontificis opera. Fœdus quippe cum *Henrico*, inferioris Bavariæ Duce, contra quemcunque ferierat: qui & ambo, neque Francofurtensia, neque Norimbergensia, neque Herbipolensia Comitia, licèt à Cæsare invitati, accedere, vel saltem submissis Oratoribûs Imperatorem revereri dignabantur. Quin & effecit *Otocarus* amplis largitionibûs, ut salutaria Augusti consilia, de tollendis latrociniis, prædonúmque insolentia reprimenda, aliisque Reipublicæ utilitatibus procurandis, nullo Principum assensu, vel auxilio suffulcirentur. Quod autem pessimum erat, privatam suam cum Cæsare simultatem in publicum Ecclesiæ detrimentum detorsit, dum *Fridericum* Archiepiscopum Salisburgensem, Lugduno Galliæ reducem, ejúsque Suffraganeos Episcopos, cum summa districtione prohibuit, ne suo in Regno, ulláque Provincia sua, exequi præsumerent Concilii Decreta. Optimè hanc ejus vesaniam addiscere licet ex Epistola, quam biennio postea, humiliatô jam *Otocarô*, idem Archipræsul communi, tam suo, quàm Suffraganeorum suorum nomine, ad *Joannem* Papam XXI.mum qui interea *Gregorio* successerat, perscripsit, ubi & hæc inter cætera leguntur.

Comprobata ex Epistola Archiepiscopi Salisburgensis.

XXXV. „ --- Nuper quidem nobis ad propria remeantibus „ de Concilio Lugdunensi, & volentes ea prosequi, quæ in ipso „ Concilio fuerant salubriter ordinata, Jllustris Rex Bohemiæ „ ad sui præsentiam nos vocavit, vocatos expresse prohibuit, „ ne Decimam, deputatam Terræ Sanctæ pro subsidio, in suis „ Territoriis colligi faceremus, neque aliquis nostrûm Salutiferæ „ Crucis Gloriam prædicaret. Postulavit etiam, ut Jurejurando, „ aliisque diversis cautionibus, caveremus eidem, quòd, nec ad „ Mandatum Sedis Apostolicæ, nec prætextu Sententiæ, vel Præ„ cepti, à quocunque hominum proferendi, aliquid faceremus, „ quod à suo proposito distaret: quo Sanctæ Sedi Apostolicæ, & „ Romano Imperio, protervè resistere disponebat, non solùm à „ Nobis, verùm etiam ab inferioribus quibuscunque Prælatis „ exigens metu terribili illicita juramenta. Nobis autem, nolen„ tibus inquinari hoc scelere, jugum asperum imposuit, defixa „ mente disponens, innocentiam nostram exquisitis perdere ter„ roribus, & tormentis, Ecclesias nostras, Civitates, & Castra, „ à fundamentis subverti disposuit per incendia, & rapinas. Et „ quamvis malorum tantorum cumulus ad nostrum extermini„ um

„um sufficerit, ex hoc tamen formidine nos fecit prorsus exa„nimes Rex prædictus, quòd cum Tirannis & Regibus Tarta„rorum fœdo Societatis fœdere se conjunxerit. &c.„ Ita discolè cum Præsulibus egit *Otocarus* in ultionem, quòd Pontifex *Rudolphi* Electionem confirmâsset.

XXXVI. Cæsar interim pergebat benefaciendô. Æquitatis enim, simúlque Gratitudinis causâ, *Ludovico* Comiti Palatino Rheni, & Superioris Bavariæ Duci, Bona *Conradini*, quondam Sueviæ Ducis, ab eodem ex debito obligata, confirmavit *Hagenogiæ Anno Domini MCCLXXIV.* (non anno priori, quemadmodum in *Deductione Bavarica prætentorum Jurium ad Austriacas Ditiones* p. 48. & in Addit. Instrum. p. 12. sub Lit. G. mendosè impressum) *in Kalendis Martii Indict. secunda Anno Regni Primo.* Monasterio deinde *Bebenbusano* Cisterciensi Immunitatem à telonio confirmavit *Hagenöe IV. Kal. Martii.* Parem gratiam Cœnobio *Laureacensi* Benedictino impendens *in Rotenberch III. Non. April.* Utrámque Chartam hanc Regiam vulgavit *Besoldus* in Document. Monasterior. Wirtemberg. p. 384. & 731. Canoniæ Regulari *Rotenbuechensi* Bavariæ gemino Diplomate suam, & Imperii Protectionem, cum innovatione Libertatum indulsit *Ulmæ XVII. Kal. Maij.* Vide apud *Hundium* in Metrop. Salisb. Tom. III. p. 111. Universis præterea per Imperium Ecclesiasticis Principibus uno communi Diplomate Bona omnia singularum Ecclesiarum suarum, Indulta, Gratias, Donationes, Libertates, Exemtiones &c. amplissimo tenore instauravit. *Nurimbergæ XI. Kal. Decembris*, quod apud eundem *Hundium* Tom. I. p. 260. addidici. Benefacta *Rudolphi* Cæsaris.

XXXVII. Sed ampliorem adhuc Gratiarum *Rudolphinarum* Segetem, ingenti cum Historiæ commodo, studiosissimâ curâ Orbi Erudito suggessit, peroptimè in hac parte meritus Vir Plurimum Reverendus Clarissimúsque P. *Marquardus Herrgott*, Ordinis S. Benedicti Congregationis S. Blasii in Nigra Sylva Capitularis, & Magnus Cellerarius, Sacræ quondam Cæsareæ Regiæque Catholicæ Majestatis CAROLI VI. Gloriosiss. Memor. Consiliarius, & Historiographus, Ordinúmque Anterioris Austriæ per Brisgoviam apud Aulam, olim Cæsaream, nunc Regiam Hungaricam, Bohemicámque Deputatus: quem Claritas sua jam dudum invidia omni reddidit superiorem. Hic splendidissimæ suæ, jam aliquoties à me laudatæ, deinceps verò perpetùum commendandæ *Genealogiæ Augustæ Gentis Habspurgicæ* Volum. III.tio, Chartarum Regiarum, aliarúmque, Historiam RUDOLPHI Augusti egregiè illustrantium, copiosissimam Penum, planè feliciter, doctè eâdem uti volentibus reseravit. Qui, cùm aliàs insigni me suo favore dignatus fuerit pro Magnorum Comendatio Cl. P. *Marquardi Herrgott.*

omnium Virorum solemni, ut in omnes humanissimi existant; ita pariter, ut eruditissimos ejusdem sudores in usum meum convertam, perlubenter, scio, mihi indulgebit.

Aliæ Cæsaris gratiæ in Ecclesias.

XXXVIII. Hic igitur pro Anno præsenti sub n. 535. p. 440. exhibet Diploma *Rudolphi* Imp. datum *Thuregi VIII. Kal. Februar.* quo Privilegia, à *Friderico* II. Imperatore Cœnobio Benedictino *Montis Angelorum* in Diœcesi Constantiensi concessa, ab ipso firmantur. Sub n. 536. p. 441. sistit Regiam ejusdem Imperatoris Chartam, qua *Elisabetam* Abbatissam *Turicensem* in Administrationem rerum temporalium Principatus Monasterii sui immittit, eidémque Feuda, & Regalia sub Sceptro Regali impertitur *VIII. Kal. Febr.* Sub n. 537. adducit Præceptum illius, per quod *Ulricum* Abbatem Monasterii Benedictini *Eremitarum*, sive *Cellæ S. Meinradi*, i. e. *Einsidlensis*, in Principum S. R. I. consortium adsciscit, *Turegi VII. Kal. Februar.* Sub nn. 538. & 539. profert geminos Libellos querulosos adversus *Burchardum* Militem *de Hottingen*, datos ad Imperatorem, cùm ab Ecclesia Turicensi, tum à Civibus quibusdam Urbis Turicensis (puta Zürch) *XV. Kal. Jun.* & *in Vigil. Pentecost.* Quarum prior latina inchoat: *Excellentissimo & super Illustri Domino R.* Vernacula altera sic habet. *Ir* (ihrem) *Herren, der von Gottes genaden Romescher Kuneg ist, unbietend sine Burger von Zürich - - Vleilichen dienst, libes, unn gutes. Wir Künden iweren Gnaden* &c. Infrà *Daz bedenke iwer Magen Kraft*, i. e. Euer Majestet. Demum sub n. 541. p. 445. Parthenoni *Vellspacensi* Ord. Cisterc. dignabatur Imperator publicâ Chartâ testari, *Heinricum de Chlingenberg* Præpositum S. Stephani, coram se in forma judicii constitutum, publicè professum esse, se varia Monasterii bona nullo alio, quàm Vitalitio jure (auf Leibgeding) possidere. *Actum apud Constantiam Kal. Augusti.*

Filiæ ejusdem nubunt Electoribus.

XXXIX. Pertinet porro præsentem adhuc ad Annum, quòd communiter quasi receptum sit, tres *Rudolphi* Augusti Filias, anno superiori desponsas, hoc verosimillimè anno Principibus Electoribus nupsisse. Ajunt quippe Annales *Colmarienses* ad Annum 1273. Nuncium Principum, ad *Rudolphum* directum, eidem dixisse: *Electores Vobis significant, quòd si volueritis Filias vestras nuptui dare talibus Dominis, in Regem vos eligent Romanorum.* (*Qui audiens*, ut interserit *Albertus* Argentinensis, *Filias suas nupturas tantis Principibus, & de prosperitate sua dignè gavisus*) *respondit: Hæc, & quæcunque alia, implebo. Tunc Literas Electionis & Confirmationis omnibus patefecit.* Duxit proinde *Ludovicus* Elector Palatinus *Mechtildim*: Elector Saxoniæ *Albertus* accepit *Agnetem*: ac tandem *Otto* Elector Brandeburgicus *Hedwigem*. Subdit porro *Albertus* Argentinensis. *Ex*

bis itaque Filiabus multi Duces Bavariæ, Saxoniæ, & Marchiones de Brandenburg processerunt. Horum Scriptorum Authoritatem ut pro parte saltem fide Diplomatica fulciret Celeberrimus *Pfeffingerus* Vitriar. illustr. Tom. I. p. 628. ex Jll. *Leibnitii* Tom. II. Cod. Diplom. Jur. Gent. Mantissâ §. 10. p. 102. allegat Regiam *Rudolphi* Imp. Chartam, in qua *Ludovicus* Comes Palatinus Rheni, & Super. Bavariæ Dux, ab ipso compellatur *Charissimus GENER noster.* Quo vel unico ex testimonio in cæteris quoque Conjugiis laudatos Authores falsos non esse relucet.

XL. Author ad hæc est nobis Anonymus *Leobiensis* apud Cl. *Pez.* Scriptor. I. col. 842. vulgaris illius Traditionis, vernaculæ linguæ Teutonicæ usum in Privilegiis & Contractibus à *Rudolpho* Imp. lege sancitum esse. Ait námque ad Ann. 1274. commemoratis Comitiis Imperialibus Norimbergensibûs. „Statuit etiam, ut fertur, quòd propter communem intelligentiam „obscuræ Latinitatis (i. e. ut ea, quæ latinè exarata obscura erant, & non intelligebantur à plurimis, omnibus postea clara & perspicua fierent), Privilegia, & Literæ de cætero vulgari„ter conscribantur. Quod patet ex eo, quòd ante sua tempo„ra nullæ Literæ vulgariter scriptæ reperiuntur de Negotiis, vel „Contractibus quibuscunque.„ Sed hoc postremum hujus Chronographi assertum, ut accipi promereatur, latiùs, ac præcipuè de Regiis Chartis interpretandum est. Plura námque privatorum, etiam Comitum, Instrumenta vernacula, hunc annum antegressa, quotidie nunc ab Eruditis in lucem producuntur: quale & ego ex Archivio nostro, Autographum planè, Decade superiori §. III. in Reb. Monast. ad Ann. 1268. n. 20. commemoravi. Addendum præterea, esto, Præceptum hoc Regium emanaverit, non tamen è vestigio undique usu invaluisse, cùm tam Regiæ Chartæ, & in his *Rudolphinæ* pariter, quàm privatæ Latinæ, toto reliquo Seculo XIII.^tio^, atque sequenti, maximo numero reperiantur. Quare securissimè credimus, longo demum temporum lapsu vernaculæ consuetudinem apud Notarios convaluisse, nec antea, quàm Scribæ ipsi, qui plerûmque Itali priùs fuerant, aut exteris in Scholis Latinam linguam edocti, in Academiis Germaniæ Literas didicerint, vulgaris Teutonicæ ex Matribus periti.

Fertur usum nostræ vernaculæ in Instrumentis decrevisse.

Annus 1275.

XLI. GRegorius X. Papa, priusquam Lugdunô Galliæ, ubi Concilium egerat, moveret, quaternas, quod novi, Literas ad *Rudolphum* Cæsarem dedit. Primas, ut ea, quæ Oratores ejus in consessu Cardinalium Lugduni pro securitate Romanæ Ecclesiæ nomine ipsius juraverant, ipse, missô ad se Legatô,

Gregorius Papa Cæsarem hortatur in Italiam.

Legatô, per sese promitteret, & opere adimpleret. Alteras, quibûs eum commonefecit de periculo, tam suo, quàm Italiæ, eò, quòd *Alfonsus* Castellæ Rex, vindicandi sibi Imperii animô, Militem Genuam transmiserit, & maximè Mediolanum, aliásque Urbes fideliores, aut pecunia solicitet, aut incitatis Adversariis perurgeat. Quapropter hortatur Imperatorem, ut rebus suis in tempore prospiciens, electas ipse copias perito sub Duce maturè in Italiam transmittat. Tertias, quibûs redarguit eum, quòd prioribus Monitis haud obsecundans, adhuc distulerit, Italiam suis Copiis munire, proposito ei periculô, quòd pertimescendum foret, si Urbes Italiæ sibi fideles, nullo auxilio præstitô, sinat ab hostibus usque ad deditionem fatigari: Suadens præterea, ut cum *Carolo* Siciliæ Rege amicitiam quàm optimam colere satagat. Quartas tandem, per quas ei gratulatur, quòd parentelæ, sive Nuptiarum fœdere, tam Siculum Regem, quàm *Ludovicum* Palatinum Electorem, sibi conjunxerit, optimas in spes constituturæ pacis ac tranquillitatis eapropter ingressus. Integro has omnes Literas tenore exhibuit *Raynaldus* Annal. Eccles. XIV. à pag. 234. Ad *Otocarum* quoque, pacis hujus turbatorem prævisum, non unas quoque Literas expediit, ut eum ad concordiam cum cæteris adduceret: quarum pariter geminas rursum apud *Raynaldum* p. 235. seq. legere licebit.

Otocarum dehortatur à bello.

XLII. Cùm deinde *Alphonsus* Castellæ Rex alloquium Papæ efficaciter planè postulâsset, & Belliquadrum Oppidum non maximum pro eo designâsset: denegare *Gregorius*, quamquam admodùm invitus, id nequiit. *Philippus* tamen Franciæ Rex transitum eidem per Galliam ampliori cum copia militum, quàm quæ Regiæ Custodiæ, decentiæque sufficeret, nequaquam indulsit. Congressi Papa & Rex, diu invicem conversabantur, neque ulla Pontificis facundia tantum valuit, ut *Alfonsus* Imperium Romanum animo penitus dimitteret. Cujus confirmationem cùm impetrare à Papa nequiret, causabatur, Sueviam sibi à *Rudolpho* detineri, à *Carolo* Siculo adhuc Fratrem suum *Henricum* carcere affligi, *Philippum* Francum Regnum Navarræ invasisse: quibûs omnibûs *Gregorio* belli timorem ingerens, iratus ab eo discessit. Domum porro reversus, elogio, & Sigillo Imperatoris est usus: quin & Principibus Germanis Mandata, quasi Cæsar, direxit. Sed Pontifex Archiepiscopo Hispalensi injunxit, ut eum ab hac inani insolentia abducat, & intentatis etiam diris compescat. Sic tandem fractô animô illius, cùm & à Mauris clades perpessus esset, juri suo prætento penitus cessit.

Alfonsum Castellanum ab Imperi ambitu compescit.

XLIII. Horum interim haud ignarus *Otocarus*, tantò insolentior & ipse, cum Socio suo *Henrico* inferioris Bavariæ Duce,

Otocarus persecutus

ce, Cæsari cervicem obduxit, sinque eos, quos *Rudolpho* adhærere cognovit, truculentius exarsit. Testis miser fuit *Fridericus* Archiepiscopus Salisburgensis: qui, quòd, vetante se, Salisburgi Synodum ad exequenda Concilii Decreta celebraverit, atque insuper Norimbergæ Feuda & Regalia sua à *Rudolpho* Cæsare susceperit, *Otocarum* hostem indiscretum persensit. *Mylotam* quippe Stiriæ Præfectum Salisburgenses in ditiones immisit, igne ferróque accerrimè sævientem, Frisacô præcipuè, Carinthiæ Urbe, penitus dirutô, damnóque omni viginti millibus librarum æstimatô. Bavariæ Dux in proprium Fratrem *Ludovicum* Electorem Palatinum, hæreditatis paternæ non ex æquo divisæ causâ nunc primùm prælatâ, cùm jam tot annis antea placuisset, arma diuturna convertit. Omnia porro fiebant, ut Expeditio Cæsaris, si quam in Bohemum suscepturus esset, acciderentur.

est Archiepiscopum Salisburgensem, quia Cæsari devotum.

Henricus Bavarus eapropter lacessivit proprium Fratrem.

XLIV. Causæ seriem, quod Bavarum spectat, clarissimè exponit Rescriptum Cæsaris ad *Henricum*, quo eum à bello fraterno revocare connisus est. Vulgavit illud Cl. *Herrgott* ex MS. Cod. Epistol. *Rudolphino* Vindbonen, Vol. III. Geneal. suæ sub n. 553. p. 457. ubi, propositâ eidem ante oculos decumanâ imprudentiâ, & audaciâ, quòd Fratrem, quòd fidelem Imperii Principem in ipsis Imperii finibus aggrediatur, quòd nullis monitis, precibus, ac dehortationibus obtemperet, tandem subdidit, - - Ut autem evidenter possis intelligere, qualiter quidam „ in tui diminutionem status circumvenire te hactenus sunt co„ nati, baculum Regis Castellæ (*Alfonsi* nimirum) ad te susten„ tandum tibi harundineum prætendentes; nolumus ampliùs „ te latere, quòd dictus Rex omni juri, actioni, & quæstioni, „ quam sibi in Imperio competere asserebat, in manibus Summi „ Pontificis simpliciter renunciavit, &c., Et sub finem, „ Cæ„ terùm cùm Rex Bohemorum manifestus sit hostis Imperii, & „ in proscriptione Regia perseveret, tibi firmiter, & Imperialis „ Gratiæ sub obtentu præcipimus, quatenus ad concordandum „ N. (*Stephanum* Ungariæ Regem) cum ipso N. (*Otocaro* Bohe„ mo) te nullatenus intromittas: quia hujusmodi concordia vi„ detur in conspirationem contra Nos, & Sacrum Imperium, „ manifestiùs aspirare.

Quæ ipsi fiducia fuerit, ostenditur ex Epistola Cæsaris.

XLV. Quòd scripserit Imperator, *Otocarum* in Proscriptione Regia perseverare, ideo est: Quia, ex quo ad repetita Comitia ex gravissimis causis evocatus, ut rationem redderet, quò jure tot Provincias, Austriam, Stiriam, Carinthiam, Carnioliam, ne feudis quidem earum requisitis, teneret, nullibi comparuit: à subditis deinde tirannidis ac sævitiæ, & ab Archiepiscopo Salisburgensi vastationis illatæ causâ gravissimè delatus erat. Unde communi Imperii consensu hostis judicatus, & Banno Imperiali subjectus fuit, ni-

Otocarus Imperii hostis judicatus, & proscriptus.

si in proximis Comitiis, Augustæ indictis, causam suam peroraret. Jlle autem bonorum verborum nihil. Quamvis enim, Principum potiùs, quam semper à se contemti Cæsaris metu, ad hæc Comitia Augustana, vergente Junio habita, Legatum submiserit *Bernardum* Episcopum Seccoviensem, Virum facundissimum: is tamen nil, nisi Philippicam, in Augustum declamavit, tanquam qui legitimè eligi, vel à quoquam fidelium agnosci minimè potuerit, cùm olim Diris Episcopalibus devotus fuerit. Hæc pleraque cùm assidentium Præsulum auribus latina dictione potissimùm ingessisset, indignatus Cæsar ajebat: Latinè loqueretur, si meris cum Sacerdotibus causa sacra illi foret: nunc verò, ubi contra se, & in causa Imperii detonat, vernaculâ utatur, quam omnes calleant, ut universis, & intelligendi, & respondendi copia esset. Principes quoque Electores, inconsulto ejusdem calore offensi, ut intellexerunt, Electionem suam improbari, plurimùm commoti sunt, ac propè aberat Palatinus, ut manus in Episcopum injiceret, nisi Cæsar eum jussisset, majorem fidei publicæ, quæ Legatis debetur, quàm iræ ac vindictæ rationem habere. Pro *Henrico* Bavaro Præpositus Oettinganus sermonibus multò magis compositis, respondit. Sententia porro Principum erat, *Otocarum* Regem, qui tam penitus nullâ modestiâ esset, armis humiliandum. Præviè tamen ad eum decreti fuêre Oratores, *Henricus* Basileensis Episcopus, itémque *Fridericus* Burggravius Norimbergensis, qui Cæsaris, & Imperii nomine, Provincias ab eo occupatas repeterent. Frustrà verò fuêre, jactante *Ottocaro*, se Austriam, Stiriámque Jure Uxorio, Carinthiam, cæterásque Provincias ære plurimo acquisivisse, omnes insuper armis victricibùs iterum iterúmque vindicâsse. Neque valuit apud eum, Feuda Imperii, sive Nuptiis, sive Venditione abalienari, aut bello justo occupari neutiquam posse, inscio, & invito Summo Imperii Principe. Reposuit námque, fixum sibi jam esse, vitam citiùs, quàm dictas Provincias ponere. Cavillatus est adhæc, experiri se jam in *Rudolpho*, famulo olim suo, Quia *Asperius nihil est humili, cùm surgit in altum.* Quæ ad Principes delata, unanime ab iis belli decretum extorserunt.

Papa ac Cæsar apud Lausannam convenerunt.

XLVI. Inter hæc *Gregorius* Papa haud acquievit, donec, priusquam in Italiam rediret, ipsi Imperatori colloqueretur. Quapropter novâ Epistolâ eum hortabatur, ut ad partes aliquas Terræ suæ, quæ itineri Pontificis viciniores essent, accedere, secúmque de rebus admodùm gravibus vellet conferre. Has Literas iterum dedit Cl. *Herrgott* sub n. 543. p. 448. sq. Condictum est de *Lausanna* Helvetiæ Urbe in parte Cantonis Bernensis, Galliæ vicina ad Lacum Genevensem, Sede Episcopali tunc inclita. Conventus ipse sub medium Autumni accidit, ita referen-

ferentibus Annalibus Colmariensibûs. „ Pridie Nonas Octobris „ *Gregorius* Papa venit Lausanam. Rex *Rudolphus* venit ad „ eum festo Lucæ cum Regina, & cum Liberis suis universis. „ Rex accepit Crucem, & Regina, & Comes Phiretensis, „ & Comitissa, & Nobiles, qui ad Curiam Papæ pervenerant, penè universi. „ Consonat, & addit *Bernardus* in Chronico Pontificum: „ Pervênit (Pontifex) Viennâ (Galliæ) Lausaniam, ubi dictus *Rudolphus* Rex, cum Regina „ Uxore sua, & Filiabus suis veniens, juramentum eidem Papæ fecit (nimirum de Ecclesia fideliter colenda, tuendáque) „ & Romaniolam cum Exarchatu (Ravenæ) Ecclesiæ Romanæ „ restituit, „ Subscribunt iterum *Colmarienses*: „ Papa Regi consuluerat, ut Romam ad Festum Pentecostes cum duobus millibus Militum veniret, ut eum in Imperatorem Romanorum solemniter coronaret. „

XLVII. Tria hæc ergo præcipua erant, quapropter Pontifex hunc Conventum urgebat. Primùm, Fidei Sacramentum, ore Regio, Literisque publicis dicendum, ne quid Ecclesia, jurium suorum secura, metuere deberet. Quod *Rudolphus*, more meliorum Augustorum, eximiè implevit, testibûs Privilegiis, quæ Romanæ Ecclesiæ dedit, à *Raynaldo* adscriptis, sed Juris Publici Scriptoribus hujus temporis, qui Romam aversantur, maximoperè exosis. Alterum, Coronatio ejusdem Romana, anno sequenti perficienda, quò fortiùs Adversarii ejus compescerentur, ipsíque Authoritas, ac Gloria major accederet. Dies porro, non Pentecostes, sed Omnium Sanctorum in hanc pompam statuebatur: quod Literæ Pontificis ad Archiepiscopum Salisburgensem evincunt, quibûs eum ad comitandum Cæsarem hortabatur. Verumtamen Solemnia ista nunquam peracta sunt. Tertium, Expeditio ejus in Palestinam suscipienda, quam ante omnia cupierat Papa, ipse Comes iturus. Aliter verò erat in fatis. *Gregorium* námque præpropera mors cum initio Anni sequentis beatam in Patriam evocavit: *Rudolpho* ensis domi perpetuò exerendus fuit. Si Anonymo *Leobiensi* apud Cl. *Hier. Pez.* Scriptor. I. col. 844. satis fidei esset, credi oporteret, Imperatorem, tam Coronam, quàm Crucem, apud Papam statim deprecatum esse, eò, quòd Italia Regibus nimis intuta foret, Germania verò sic ulcerata, ut sui Capitis absentiam ferre non posset. Verumtamen certum est, *Gregorium* à *Rudolpho* spe utriúsque perpetuò sustentatum, tametsi neutrum adimpleretur. Quid námque evidentiùs animum *Rudolphi* planè serium probet ad Expeditionem sanctam suscipiendam, quàm hæc illius Epistolæ suæ verba, qua Pontifici antea gratias egit, quòd Electionem suam comprobâsset. „ Ge-

Præcipua hujus Conventus Capitula.

Rudolphus Cæsar in animo habuit, in Palestinam ducere, ubi

Parens ejus animam posuit.

„Gerentes ferventi ſpiritu in mentis deſiderio, illi Terræ San„ctæ, Veſtræ Bonitatis Conſilio Nobis, ſeu Auxilio ſuffragan„te, quam Unigenitus DEI Filius multiplici beneficio omnibus „Mundi partibus prætulit, ipſámque conſecrandô, aſperſione „ſui ſanctiſſimi Sanguinis rubricavit, tam potenter, quàm pa„tienter ſuccurrere, quò DEI populus, per multa tempora ab „hoſtibus Crucis Chriſti afflictus pariter & conſtrictus, ad Chri„ſti Gloriam Sepulchrum Domini intrepidè valeat viſitare. Ad „quod ardor deſiderii in Nobis eò vehementiùs accenditur, quò *Naturalis Genitoris noſtri Oſſa, ob Crucifixi Gloriam extra nata„le ſolum peregrè ibi quieſcentia*, ſolicitiùs quotidie in noſtris cor„dibus revolvantur.„ Vulgavit hanc Epiſtolam Doctiſſ. *Czerwenka* in Act. Pietat. Habſp. I. p. 42. Porro piam apud Aſcalonem Animam *Albertus* Comes, *Rudolphi* Auguſti Parens feliciſſimus, ſub annum 1240. poſuerat.

Ejus Privilegia pro Eccleſiis.

XLVIII. Chartæ Regiæ *Rudolphi*, in quas incidi, hunc annum ſpectantes, & in Eccleſiarum commoda datæ, ferè ſunt iſtæ. *Apud Auguſtam XV. Kal. Jul. Indict. III. An. Dom. MCCLXXV. Regni Secundo*, teſtatus eſt Miniſterialibus omnibus Monaſterii Benedictini *Benedictoburani* Bavariæ Superioris, Suam Serenitatem, ut ſcribit, Venerabilem *Ortolfum* Burenſem Abbatem, Principem ſuum dilectum, collatis ſibi Regali Sceptro Regalibûs, de Adminiſtratione Regalium ritè inveſtiiſſe, eíſque fidelitatem, ac obedientiam demandat. *Hund*. II. 98. & *Hiſtor. Friſing*. II. Part. II. Inſtrum. p. 125. n. 196. Archiepiſcopum Salisburgenſem, unáque Epiſcopos, Ratisbonenſem, ac Patavienſem, & Eccleſias eorum, in ſuam, & Imperii Protectionem recepit: *In Comitiis Auguſtanis poſt feſtum Joannis Baptiſtæ*. Ita Cl. *Hanſiz*. Metrop. Sal. p. 381. *Apud Turegum in Octava Apoſtolorum Petri & Pauli* Eccleſiæ Turicenſi Jus Advocatiæ, & Parthenoni *Seldenovienſi*, hodie ſub ruinis ſepulto, Agros quosdam confirmavit. Cl. *Herrgott* Vol. III. n. 549. p. 454. *In Caſtro Nurenberg VII. Id. Sept.* Cœnobio *Wettingano* Ciſtercienſi pia Legata Dominæ *Margaretæ* Comitiſſæ *de Kyburg* in melius cum ditionibus aliis commutavit. *Ibid*. n. 551. p. 455. Demum *apud Rotenburg IV. Kal. Januarii* Monaſterio *Albæ Dominorum* itidem Ordinis noſtri gemino Privilegio confirmavit Exemtionem ab omni Advocatia, & Immunitatem à præſtationibus publicis. *Beſold. in Docum. Monaſt. Wirtenb*. p. 136. & 140. Præter hæc *Czerwenka* in Act. Pietat. Habſp. p. 50. commemorat, *Rudolphum* Imperatorem, hortatu ac Miniſterio *Philippi Benitii*, Viri ſanctimoniæ fama clariſſimi, Ordinis Servorum B. M. Virginis, quem, poſt Beatum *Albertum Magnum*, à ſacris Concionibus & Confeſſionibus habuerat, in Sectam Flagellantium inquiri juſſiſſe, & nonnullas adverſum eos *Friderici* II. Imp. Conſtitutiones iterum

rum sanxisse, adducto ejus diplomate, in quo tamen Consul & Annus desiderantur.

Annus 1276.

Gregorii Papæ X. mors, & elogium.

XLIX. Niger admodum hic Annus Romæ & Ecclesiæ fuit, trium Summorum Pontificum funere squalidus, suóque mærore sanctissima Consilia disturbans. *Gregorius* quippe X. Romam rediturus, cùm Aretium pervenisset, die 10. Januarii curarum fessam animam egit, ibi sepultus, & Beati memoriâ usque hodie inclitus: de quo *Leonardus Aretinus* Histor. Florentin. Libr. III. quam nos ex editione Veneta Anni 1485. tenemus, „Fuit Vir optimus, & procul dubio sanctissimus, ingentis quidem animi contra Christiani Nominis inimicos, & „qui sacræ recuperationem Terræ semper meditaretur, ad eámque unam rem Christianos omnes, positis inter se contentionibus, „intendere censebat.„ Sublimius verò de eo Concilium Constantinopolitanum in Synodalibus Literis ad *Joannem* Papam XXI. apud *Raynaldum*. „Tempore (scripsit) felicis memoriæ Beatissimi illius Viri, *si tamen Virum, & non Angelum vocari oportet*, felicem illum Sanctissimum Papam Decimum dicimus „*Gregorium* &c.„

Successores ejus brevissimi Innocentius V. & Hadrianus V.

L. Subrogatus eidem à Cardinalibus Aretii die 21. Januarii *Petrus* Tarantasiensis, Cardinalis Episcopus Ostiensis, primúsque ex Ordine Prædicatorum, cujus Doctor eximius fuerat, assumtus, dictúsque *Innocentius* V.^tus Triregnum Romæ solemniter sumsit die 23. Februarii: quod verò die 22. Junii jam iterum ponere à morte compulsus est. Qui successit, *Hadrianus* V^tus antea appellatus *Ottobonus*, Diaconus Cardinalis titulô S. Hadriani, electus die 10. Julii, vatem sibi egit, congratulantibus Propinguis respondens: *Utinam Cardinalem prospera me valetudine, non moribundum Pontificem, invenissetis.* Etenim ne Consecratione quidem Sacerdotali recepta, post mensem unum, novémque dies exactos, requievit octava decima Augusti. Postera die 5. Septembris electum aliqui volunt *Vicedominum de Vicedominis* ex Ordine Minoritarum, Cardinalem Episcopum Prænestinum, mox tamen altera die defunctum: cujus proinde vel Nomen quoque assumtum nemo prodere ausus est. Unde eundem communis Eruditorum de Pontificibus agentium Senatus Albo eorum penitus expungit, ipso etiam doctissimo *Francisco Pagio* Minorita hunc Sodalem proprii Ordinis prætermittente. Proximè itaque *Hadrianum* V. excepit *Petrus* Lusitanus Cardinalis Episcopus Tusculanus die 15. Septembris, dictus *Joannes XXI.*^mus, coronatus die 20. Mensis ejusdem: verum tamen nec ipse annum integrum sua in Sede toti Ecclesiæ Jura suprema daturus.

Tandem Joannes XXI.

Rudolphus Cæsar ob existimationem

LI. Has inter Ecclesiæ Romanæ vices Cæsaris quoque nonnullæ in Italia partes erant. *Carolus* quippe Siciliæ Rex licen-

Virtutis Italos unica jussione obsequentes habuit.

tiùs ibi, quàm Pontifici, ac Cæsari placeret, agebat, tam Romæ, ubi Senator Supremus exstitit, quàm in Longobardia, cui interim ut Vicarius Imperii moderabatur, usquequo legitimus Imperator defuerat, multa pro libitu disponens, vel plura, quæ Cæsari competerent, jura atque Loca reservans. Ejus rei causâ *Rudolphus* ad Romaniolam, quæ Exarchatum Ravennæ constituit, quamvis hunc Ecclesiæ concesserit, cum initio tamen Anni hujus Legatos direxit, qui Urbes & Magistratus ejus Provinciæ in fidem reciperent, simúlque *Henricum Fürstenbergium* eis Præfectum dedit. Perspicuum hoc fit ex gemina Imperatoris Epistola ad Ravennates, aliósque vicinos directa, quam utrámque Cl. *Herrgott* Vol. III. n. 558. & 559. p. 462. sqq. exhibuit. In quarum posteriore non modicum sibi gratulatur Cæsar, quòd Urbes istæ *ad vocem tantùm jussionis unius* se devoverint obsequiis ejus: quapropter eisdem ante dictum Præfectum suum impensè commendat. Tanta erat apud Italos, qui ferè nulli, aliàs potentissimo & vehementissimo Imperatori ad votum auscultare, ac morigeri esse consueverant, de *Rudolphi* Virtute existimatio, ut, cùm nunquam eum apud se vidissent, quieti tamen per omne propè imperium ejus perstiterint.

Cardinales ad Electionem celerem hortatus, ostendit se accinctum ad Coronam Romanam capessendam.

LII. Defunctô *Gregorio* X.mo, Cardinales per Epistolam graviter, omni tamen cum reverentiæ significatione, adhortatus est, ut, *relegato cujúsque contentionis obstaculo,* celeri Electione Mundo Acephalo Caput novum imponere satagerent. Tenorem integrum harum Literarum ejus ex Cod. MS.to *Rudolphin. Epistolar.* videre licebit apud *Czerwenkam* Libr. I. p. 51. sq. ubi inter cætera scripsit. „ -- Antequam de morte præfati Patris „ sanctissimi ad Nos rumor infestus, & nubilus pervaserat, Nos, „ & nostros, decenter accinxeramus ad iter, ut, juxta quod ve„ stro mediante Consilio fuerat ordinatum, si fata favissent, sus„ cepissemus de suis Manibus sacrosanctis Diadema Imperii. Sed „ licèt visum sit aliter in excelsis apud omnium Conditorem, „ qui disponet in Apostolica Sede Virum secundum Cor nostrum, „ ut credimus: adhuc tamen in ipso procedendi proposito para„ ti pariter, & accincti, perseverantes immobiles, & de Matris „ Ecclesiæ invariabilitate sperantes, ipsum iter duntaxat suspen„ dimus, & relaxamus in tempus, donec per Vos, aut futurum „ Summum Pontificem, quorum beneplacito semper in omni „ promtitudine spiritus obedire disponimus, nos perfectiùs infor„ mari contigerit, quid nunc ulteriùs devoto Ecclesiæ Filio sit „ agendum. „ Vide sis verè Christiani Imperatoris Exemplum, qui Pietatem ita Majestati sociavit, ut sine fragore Armorum sibi Mundum obsequentem haberet, plúsque in tota Religione valebat, quàm cæteri ante eum, sago terribiles, cruentis triumphis consequebantur.

LIII.

LIII. Electo *Innocentio* V.[o], non distulit Imperator, eidem devotæ gratulationis Officium, tum per Oratorem *Henricum* Episcopum Basileensem, tum per novam Epistolam, quam denuo *Czerwenka* p. 53. adscripsit, impenderet; in qua rursum, se Coronam ab ipso exspectare, insinuavit. Quoniam verò novus Pontifex æquè sacram Crucis Expeditionem in Palestinam, ut Antecessor *Gregorius*, ferventer optavit, atque idcirco nihil ampliùs præ Christianorum Principum armis mutuis pertimuit: dehortatus est Cæsarem, ne in Italiam veniret, priusquam sibi Siciliæ Rex *Carolus* plenè reconciliatus esset. Citra dubium enim fore, ut, si armatus Regem aggrederetur, Italia iret in partes, bellúmque diuturnum, ac perniciosum exardesceret. Non planè vanus erat hic metus Pontificis, cùm copiæ Præfecti Cæsarei Ravennatensis velitari jam cœpissent, testantibûs Annalibûs Colmariensibûs ad AN. 1276. „Milites Regis *Rudolphi* Adversariorum multos ceperunt, plurimos occiderunt in Lombardia prope Mediolanum. Ex captivis plures decapitati, ignorantibus stipendiariis: dolentes ob hoc, diutiùs ibi manere noluerunt.„ Confirmat id pariter alia quædam Cæsaris Epistola apud Cl. *Herrgott* sub n. 560. p. 464. qua cuidam Italiæ Principi sic in cæteris rescripsit. „- - - Hoc equidem inter cætera tua Magnalia, Regiæ Majestati gratissima, valde Nobis gratanter apparuit, valde votis nostris applausit, quòd Legatorum nostrorum adventu præcognito, mox de hostibus, quos obsidio circulata potenter ambierat, Signa retraxisti victricia, parcens eis ob nostram reverentiam Nominis, & Honoris, quos tuo de facili potuisses imperio triumphaliter subdidisse.„

Innocentio V. gratulatus, hortatorem eum habuit, ne Italiam accederet, metu belli cum Siculo Rege.

LIV. Eapropter *Hadrianus* quoque, *Innocentio* suffectus, illico persuasit *Carolo* Siculo Regi, ut Viterbium veniret, quò tres Cardinales Legatos, pacis Arbitros Cæsarem inter ipsumque futuros, direxit, ut habet *Raynaldus* h. a. p. 253. n. 26. Cum quo non cohæret, quod *Spondanus*, Epitomator ac Prosecutor *Baronii*, authoritate potissimùm *Flavii Blondi* Historici Itali Seculi XIV.[i], tradidit: *Hadrianum* videlicet Papam Regis *Rudolphi* in Italiam accessum ad comprimendam *Caroli* Siculi potentiam per literas occultè solicitâsse. Sed mors festina Pontificis, & maximè contumacia *Otocari* Bohemiæ Regis, arma Imperatoris in Austriam provocârunt. *Joannes* porro XXI. Cæsari per Literas commendavit *Sifridum* Archiepiscopum Coloniensem nuper electum, & à Comite Juliacensi, aliisque graviter infestatum. Breve suum Papa apud *Czermenkum* p. 55. ita exorsus est. „Ecclesias, & Personas Ecclesiasticas, eò tibi fiducialiùs commendamus, quò erga ipsas zelum te habere novimus,

Hadrianus V. pacem inter utrúmque conciliare satagebat.

Joannes XXI. Cæsari commendavit Archiep. Coloniensem.

„vimus promtiorem, & per quem gratum DEO obsequium „præstas, & hominibus te reddis meritò gratiosissimum.„

Fridericus Archiep. Salisb. ejus opem adversus *Otocarum* efflictim imploravit.

LV. Nemo verò magis efflictim eidem opis ferendæ causâ supplicavit, quàm *Fridericus* Archiepiscopus Salisburgensis. Mox enim, dum Frisaci sui in Carinthia jacturam ab *Otocaro* passus esset, tam Cæsari, quàm Pontifici *Gregorio*, conquestus fuit, *Rudolpho* scribens: „-- Nos igitur in angustiis pro Augusti reverentia constituti, imploramus auxilium, subsidium „exspectamus, vestræ Felicissimæ Majestati cum dolore & gemitu supplicantes, quatenus saltem reliquiis dictæ Ecclesiæ miserabiliter derelictis, ne idipsum tenue & modicum facultatis, „quod ab unguibus deprædantium cecidit, absorbeatur iterum „ab eisdem, festino suffragio succurratis, antequam contingat „totaliter consummari.„ Apud Pontificem verò ita perorabat. „-- Aspiciat itaque ab altitudine Sedis Apostolicæ Vestra Clementia, Pater Sancte, quæ tribulationes nostras respiciat, & de „manu tribulantis injustè nos eruat tribulatos, dignetúrque Vestra Benignitas Serenissimi Domini nostri Romani Regis potentiam, ad redemtionis nostræ subsidium, & ad sui ipsius „injuriam propulsandam, quam nos pro ipso patimur, excitare. Nisi enim promtò nobis succurrat auxilio, Ecclesiæ nostræ, in præcipitio positæ, subvertentur.„ Utrásque Literas integras leges apud Cl. *Hansiz.* Metr. Salisb. p. 380. sq.

Bernardus Ep. Seccoviensis, Cæsari summè infestus, ejus Clementiâ tandem est mitigatus.

LVI. Præ omnibus ferè Archipræsulem affligebat Suffraganeus Episcopus *Bernardus* Seccoviensis, totus *Otocaro* devotus: quem ego *Decade* priori §. *III. de Reb. Monaster.* n. 21. ut Arbitrum Controversiæ cujusdam nostræ laudavi. Hunc dum Archiepiscopus, in Carinthia versatus, remotis arbitris, secretò arguisset, quòd in Comitiis Augustanis in Cæsarem, ac Principes, adeò intemperanter invectus esset, nunc porro de hoc etiam gloriaretur: retulit ab eo convitia plurima, & tanquam sui Regis, nimirum *Otocari*, proditor propalam ad vulgus proscissus est, ut propterea salutem in celeri pede fugitivo constituere debuerit. Nihilosecius tamen postea Episcopus iste, quem summus animi calor in extrema omnia impulit, mollibus Literis Imperatoris, qui vincere in bono malum eximiè noverat, ita compunctus est, ut plenam ei fidem suam addiceret, atque perpetuò servaret. Testes hujus Epistolas, ultrò citróque missas, denuo Cl. *Hansizius* dedit. Sed *Otocarus*, quem graves *Gregorii* Papæ Adhortationes mitiorem aliquantulum adversus Præsules reddiderant, à morte ejus furorem iterum auxit. Quare summè afflictus Archiepiscopus, ternas continenter Literas Cæsari submisit, ut exercitum in Austriam duceret, per omne, quod sanctum est, Majestatem illius obtestatus.

LVII.

LVII. Ne tamen Imperatori mox pronum esset, his precibus obsecundare, multa sanè effecerunt. Vices quippe Pontificum, tótque uno anno mortes eorum, curas illius propter Italiam admodum vigiles exposcebant. Domi pax procuranda, grassatores, latrocinia, licentia Equitum, Nobiliúmque, eversis Castrîs eorum compescenda, populares tumultus variè coërcendi, atque prævertendi erant. Dux deinde Bavariæ, item Wirtenbergæ, Marchióque Badensis, & alii, quos *Otocarus* in fœdus pellexerat, quique singuli propinquas aliquas Provinciarum partes rapuerant, uti Bojus eam, quæ supra Anasum est, Wirtembergicus, ac Badensis, quamplurimas in Suevia ditiones, Friburgensis, cúmque eo Neoburgensis Comes Brisgoiæ provinciam, confertim consilia, & vires Cæsaris distrahebant. Quod verò rei caput erat, belli nervus *Rudolpho* defuit ad ejusmodi exercitum, qui par esset *Otocaro* Regi potentissimo debellando, conscribendum. Tandem verò, Summorum Pontificum favore, in quo vis magna erat, cùm cleri totius obsequia post se pertraheret, plurimùm adjutus: *Ludovico* insuper Palatino Genero, Burggravio quoque Norimbergensi, Marchione Milniæ, Meinhardo Tirolensi, per insignia sibi beneficia devinctîs: Urbibûs præterea Imperialibûs in studia sua accensîs: licèt singuli horum pauculos Milites conferrent, ejusmodi tamen aciem instruxit, cum qua licèt alius *Otocarum* ne tentare quidem ausus esset, *Rudolphus* tamen, contra spem quidem omnium, triumphare de eo potuerat. Fiduciam plurimam dabat universarum Provinciarum odium in Regem prædictum: quòd eis asperrimè dominaretur, atrocibûs pœnis, quos fidei reos putabat, è medio tolleret, imminente bello tributa gravissima imperaret, Liberósque Provincialium ingenti numero velut obsides raperet. Promovit Victoriam Cæsaris negligentia Regis illius: qui dum *Rudolphum* perpetuò sperneret, nec unquam in animum induceret, ausurum illum sibi arma ex Anaso inferre, Aditus Austriæ nequaquam pariter, quemadmodum Bohemicos, vallaverat, munire, & exercitu præcludere sategit. Viennam quidem Episcopo Olomucensi tuendam injunxit, eámque, ac nonnullas alias Civitates, commeatu, & annona ingenti replevit: quòd verò in Cæsaris commoda potiùs, quàm detrimenta, se fecisse, exitu lugendo perdidicit.

Cæsar in Austriam provocatus, longiores moras trahere cogebatur: donec exercitum mediocrem cogere liceret. Victoriam ejus promovebat negligentia *Otocari*, ex contemtu orta.

LVIII. Antequam porro Expeditionem Austriacam aggrederetur, alicubi Curiam celeberrimam habuit, quæ animum ejus mirum in modum erexit, ita, ut ipse Archipræsuli Salisburgensi sic de ea rescriberet, fiduciam ei potentis propinguisque auxilii facturus. „De nostræ prosperitatis eventibus, quos „audire libenter vos credimus, vestris desideriis duximus hæc „pandenda. Quòd Curiam nostràm solemnem in tali loco, & tali

Celeberrima Cæsaris Curia ante Expeditionem.

,tali die, copiosa Nobis Principum assidente caterva, & prælectæ ,stipati Militiæ comitiva, cui temporibus nostris vix est visa ,consimilis, celebravimus condecenter in Regio Potentatu, Con- ,stitutionibûs congruis plurimis editîs, cingulo Militari multis ,Tironibûs decoratîs, & omnibus aliis, quæ sedentem in thro- ,no Regem magnificant, & Regalem exornant Curiam, ritè ,actis, & de contingentibus nil omissîs: licèt sedentis ab Aqui- ,lone Regis Bohemiæ calliditas visa fuerit in occulto, cùm ne- ,quiret in publico, nostris tam celebribus obviare progressibus, ,támque proficuis, & festivis solemniis in tentatione nefaria ,contraire. Qui tamen, dextera Domini faciente virtutem, in ,sua defecit astutia, non profecit. Hanc Curiam Cl. *Hansizius*, apud quem Metrop. Sal. p. 385. sq. has Literas legimus, putat eam fuisse, quæ Campiduni in Suevia, antequam signa in Austriam promoveret, teste *Aventino*, est acta, ubi & Exercitum recensuit.

Cogitabat in Bohemiam ducere.

LIX. Sed aliam adhuc Epistolam Cæsar huic Antistiti præviè direxit, in publicum protractam à Cl. *Marquardo Herrgott* sub n. 561. p. 465. quam integro tenore transcribere libuit, ita habentem. ,RUDOLPHUS &c. Turbatur non immeritò no- ,stræ Serenitatis animus, & ad iram concitamur vehementiùs, ,ac tantò justius, quantò Te, ac cæteros Sacri Imperii Principes, ,& fideles, propter fidei puritatem, quam ad Romanum geris ,Imperium, graviùs per Illustris Regis Bohemiæ rabiosam tiran- ,nidem perpendimus tribulari. Sanè multiformis dilectionis ,animum, & affectum, quem ad Te nostra gerit Serenitas, curan- ,tes, ferventibus, atque irremissis desideriis Tibi, cæterisque nostris ,Principibus, iniquè tribulatis similiter, & oppressis, operoso ac fe- ,stino succursu, & subventione potenti ostendere disponimus, ,& in voto gerimus *Egram* versus, una cum Filio L. (i. e. Ge- ,nero *Ludovico* Electore Palatino) Rege Regum feliciter diri- ,gente gressus nostros, festinis progressibus nos conferre, Pri- ,mogenito nostro (*Alberto*) versus partes Austriæ cum Armato- ,rum multitudine, & armatorum Militum copiositate, appara- ,tu decentissimo destinato. Qui cùm necesse habeat tuos tran- ,sire terminos, absque alicujus hominum læsione, dispendio, ,vel jactura: petimus, ut eidem nostro Primogenito viam, & ,introitum, juxta quàm de tua fidelitate, & discretione inconcus- ,sam fiduciam gerimus, studeas præparare: faciens, & dispo- ,nens, quòd fideles tui de suis munitionibus eidem, immo si- ,bi ipsis subveniant, atque ipsorum negotium in subventione ,nostri Primogeniti tam ardenter, & tam strenuè prosequantur, ,quòd abjectô servitutis jugô, per prædictum Regem ipsis du- ,dum imposito, in amœnitate tranquillæ pacis valeant respira- ,re. Dictum nostrum Filium tuæ fidei puritati, examinatæ ,discretionis Consilio, in totum committimus, & quasi pro Fi- ,lio

„lio tibi tradimus instruendum, gubernandum, & ad omnia, „quæ Liberationem Patriæ respiciunt, dirigendum.„

LX. Chronica quidem ad unum omnia hanc Cæsaris Expeditionem prolixiùs cæteris cunctis, tanquam in historia illius præcipuum, recensuêre: nullibi verò, quod ego noverim, traditum est, eum Bohemiam versus exercitum trahere constituisse, quod his tamen è Literis planè luculentum evadit. *Egra* quippe, Urbs olim ad Imperium attinens, in Franconiæ finibus consita, viam ex Imperio in Bohemiam aperit, cui Regno nunc ipsa inscripta est. Unus *Dubravius* hoc Cæsaris consilium novit, & rectè proinde scripsit de *Rudolpho* & *Otocaro* Histor. Bohem. Libr. XVII. p. m. 141. „Utrinque exacerbati, ab utraque „parte copias ingentes comparant, Cæsare cum suis destinatum „habente, Hercyniam Sylvam occupare, ac se inde per Teplenses „agros in Bojemiam interiorem insinuare. Sed prævertit Rex, „omnia in sylvas & montes itinera omni modo impedire, ne qua „facultas fieret introeundi. Ergo Cæsar exercitum in Austriam „ultra Danubium traducit &c.„ Sed nec *Alberti* Primogeniti ejus, peculiarem aciem ducentis, Historia meminit: quod præmissa Epistola rursum perspicuè edocet.

Quod *Otocarus* prævertit.

LXI. Imperator, Bohemiæ aditu prohibitus, arma in *Henricum* Bojum convertit, vi sibi viam in Austriam facturus. Dux verò tandem Potestatem reveritus, meliora consilia admisit: de quo lætatus, eique gratulatus est Cæsar per Epistolam, à Cl. P. *Herrgott* p. 458. vulgatam. Primùm compositi inter se Fratres: deinde per *Ludovicum* Palatinum *Henrico* Boico Germano suo venia etiam à Cæsare exorata. Pacta gratiæ erant, ut Imperator Ducis Filio *Ottoni* Filiam *Catharinam* desponderet: Dux Cæsari sexies & quadragies mille auri drachmas mutuas daret, próque his Austriam supra Anasum propè omnem in pignus haberet. Hîs conventîs, Ratisbonam primùm, deinde Pataviam Castra promota, Comitibûs Cæsaris, *Ludovico* & *Henrico* Ducibus Fratribus Boiis, *Henrico* Catimelibociensi (i. e. *de Kazenelenbogen*) *Friderico* Burggravio Norimbergensi, *Alberto* Hohburgensi & *Hugone* Wirtembergensi, *Friderico* de Leiningen, *Ottone* & *Henrico* Spanheimensibus, potentibûs Regulis omnibûs. *Meinhardus* Tirolensis per ambages ad Stiros, Carnósque declinans, eosdem ab *Otocaro* ad imperatorias partes traduxit.

Inde Cæsar per Austriam contendens, *Henricum* Boium ad pacem impulit.

Comites ejusdem Seculares Principes.

LXII. Præterea Cæsarem in Castris quàmplurimi Præsulum circumstabant, Moguntinus, & Salisburgensis Archi-Antistites, Herbipolensis, Bambergensis, Tridentinus, Reginoburgensis, Pataviensis, Seccoviensis, Gurcensis, Chiemensis. Atque hi universi ære sacro, Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis,

Præsules quoque plurimi.

Prediísque Ecclesiasticis sub se constitutis imperato, in belli sumtus conspirârunt. Salisburgensis Archimysta conceptô Decretô, quod est apud Cl. *Hansizium* Metr. Sal. p. 386. Provinciales, ac subditos omnes, à Sacramento, quod *Otocaro* Regi dixerant olim, quia contra Imperium fuerat, sua, suorúmque Suffraganeorum Auctoritate absolvit, fidémque dicto Regi ultra servaturis diras intentavit. Quam ille sententiam tulit, ut habet *Fragmentum Chronicæ Australis* apud eundem *Hansizium* l. c. *per Consilium, & informationem Prædicatorum, & Minorum Fratrum, ac totius Cleri, qui Auctoritate Papæ tollentes juramentorum scelera, omnes Regem RUDOLPHUM in Dominum receperunt.*

Qui Provincias fide *Otocari* exolverunt.

LXIII. Hac de causa in utraque Austria se Urbes, ac Castra, quibus minus præsidii Bohemici erat, ultrò tradiderunt, Anasiburgum, Lincium, Welsium, Ibbsa, ac Tulna. Neoburgum astu occupatum, & hinc planus ad Viennam accessus, Cæsare, cui nemo ferè obstiterat, cum lucris quotidianis progresso. Dextram ad ripam ex adverso Urbis, *Otocarus* multò quidem grandiori cum exercitu consedit. Sed enim Ducum suorum, cùm singulos antè gravissimè offendisset, vix ulli fidem tutò credere poterat, neque Militem ab excursibus, prædísque coërcere. Omiserat prospicere de navibus, ac proinde, quia pontes dejecti, nullam Danubii transeundi copiam reperit. Subditi porro, quà poterant, ab officio se retrahebant: præsidiis Urbium, atque Castrorum, cùm Cives fidem desererent, vix propria capita tuta erant. Quamquam itaque Viennam *Bruno* Præsul. Olomucensis, & *Paltramus Vatzo* Consul, de quo amplior mihi sermo erit *Tom. ult.* inter Familias in V. verbô *Vasô*, studio omni tuerentur, ínque fide continere satagerent: Populus tamen ad minas Cæsaris, se, nisi deditionem facerent, agros eorum cum vineis circum Civitatem populaturum esse (vindemiæ quippe tempus erat) tumultu suo ita invaluit, ut, post aliquot solummodo dierum inducias permissas, quibûs *Otocari* auxilium exspectaretur, hoc irrito, simúlque nuncio accepto, Ungaros Cæsari in suppetias adfuturos, hanc quoque Urbem, Austriæ Caput, *Rudolpho* Augusto aperire debuerint.

Deditio Austriæ.

LXIV. Indignatus quidem *Otocarus*, Præsulem Olomucensem, deditionis causam redditurum, toto biduo non admisit. Tandem Annonæ inopia laborans, ac Cæsaris, cui & ipsi commeatus arctior celerem belli finem persuaserat, ad se transitu perterritus, aurem pactis ineundis accomodavit, síeque, ut habet, ac verosimillimè ipse concepit *Aventinus* Annal. VII. Cap. IX. p. m. 678., Cæsari perscripsit. *Serenissimo Domino suo RUDOLPHO Regi Romanorum semper Augusto OTOCARUS Dei & illius Gratia Rex Boiemiæ aperit, se potestatem paciscundi* Lu-

Transitur ad Concordiæ pacta.

Ludovico Palatino Rheni, Duci Boiariæ, Consanguineo suo dedisse. Non enim solum *Ludovicum* sedisse pro Arbitrio, sed plures Coarbitros fuisse, Laudum ipsum Concordiæ demonstrat hoc suo initio. „Nos B.*ertoldus* Herbipolensis, *Bruno* Olomucen-„sis, Episcopi, L.*udovicus* Comes Palatinus Rheni, Marchio „Brandeburgensis *Otto*, Arbitri Dominorum, Romanorum, & „Bohemiæ Regum - - - pronunciamus &c.„ Prolixius est hoc Instrumentum, quàm ut adscribi hoc loco à me potuerit. Exstat porro integro tenore apud *Leibnit.* Mantissæ Cod. Jur. Gent. Diplom. Part. II. p. 100. Item in *Dumont* Grand Corps Diplomatiqu. Tom. I. Part. I. n. 450. pag. 237. atque etiam in der vollstandig-Konigl. Beantwort. der Churbayrisch. Ausführung p. 159. sq. Magna verò parte excerptum apud *Pfeffingerum* Vitriar. illustr. Tom. I. Tit. V. p. m. 630.

LXV. Summa ejus Capita fuêre. I. Ut Rex Bohemiæ cederet omni juri, quod prætenderat in Austriam, Stiriam, Carinthiam, Carnioliam, Marchiam Vinidorum, Goritiam, Portúmque Naönis. II. Cæsar ei, & hæredibus, feuda Bohemiæ, Moraviæ, aliorúmque, Regibus Bohemiæ Antecessoribus per Imperium concessorum, iterum conferat. III. *Otocarus* Præsules, & Ecclesias quascunque, in jure ac possessione sua nullibi turbet. IV. Obsides Provincialium Filios reddat. V. Filio Cæsaris *Rudolpho* secundùm genito, nuptui tradat Filiam suam *Agnetem*, dotísque causâ resignet omnia Bona illa, quæ in Austria proprietatis titulô, sive per donationem aut emtionem, ad se devoluta possederat: quæ singula Cæsar Filio suo pro XL. Marcarum argenti millibus pignori supponet, quam Summam in donationem propter Nuptias deputabit. Sed hac persoluta, denuo redimentur hæc bona, & Imperio remanebunt, nunquam ad Reges Bohemiæ reditura, tametsi his è nuptiis nullus hæres consequeretur. VI. Vicissim Cæsar *Wenceslao*, Filio *Otocari* Regis, despondebit Filiam suam *Gutam*, dotalitii nomine, pignori XL. millium marcarum subdens reditus 4. millium marcarum in Austria ultra Danubium versus Bohemiam, Moraviam, & Ungariam, extra Urbes, mansuros apud Regnum Bohemiæ, etiamsi sine Liberis defungeretur *Wenceslaus*, donec numeratâ dicta Summa redimantur. [Unde cautè legendum illud *Eberhardi* Altahensis in Prosecutione Chronici *Steronis*: „Per quoddam „Arbitrium, quod ipsi ambo Reges inierunt (Cæsar) accepit „ipsam Civitatem Wiennensem, & totam Terram Austriæ „trans Danubium versus Meridiem pacificè possidere, alia parte ejusdem Terræ trans Danubium versus Aquilonem, seu „Bohemiam, eidem Regi Bohemiæ per idem Arbitrium remanente.„ Gravem in errorem inducere posset hic Scriptor,

Laudi Concordiæ Capita præcipua.

Publici Juris ignarus, vel incurius. Non enim ea pars Austriæ Transdanubianæ *Otocaro*, ut proprium, sed ut merum dotalitii pignus, Reluitioni substans, remansit.] VII. Rex Ungariæ hac pace includatur: cui Rex *Otocarus* ablata, vel adhuc retenta, restituat. VIII. *Paltramus* (aliis *Baltramus*, vel *Waltramus Vazo*) cum Urbe Wienna, protectione Cæsaris incolumes permaneant, & Clerici, ab *Otocaro* ad Plebanias, vel Beneficia præsentati, in eis permaneant. IX. Omnibus, vel Præsulibus, vel aliis quibuscunque, feuda in Provinciis, de quibus transactum, habentibus, Jura sua integra persistant.

Feudorum *Otocaro* à Cæsare collatorum variæ Traditiones, Prima. LXVI. Posteaquam rata utrinque hæc Pacta habebantur, supererat, ut Rex Cæsari Provincias usurpatas resignaret, ipse eidem Bohemiam, atque Moraviam, feudo conferret. Porro hìc varii sunt Scriptores, modúmque, qui servatus est, ambiguum reliquerunt. Dies ad hoc condicta, D. Elisabetæ sacra erat, nimirum 19. Novembris. Hac itaque, uti narrat *Fragmentum Historiæ Australis*, Cl. *Hansizio* visum, „Rex Bohemiæ in Castris Regis Romani, cum XXXVI. Vexillis, ante „Viennam circa Danubium, flexis coram eo genibus, in præ„sentia multorum Principum Spiritualium, ac Secularium, „Terras suscepit prædictas (Bohemiam nimirum, Moraviám„que, & nonnulla his conjuncta) Regique Romanorum obe„dire, & adstare fideliter, juratus compromisit. Tunc primùm „Vienna, & aliæ Civitates, ad Resignationem ipsius *Otocari* Re„gis, Regi Romanorum sunt apertæ.„ Altera; Contra *Otocari ab Horneck*, relatione, Bohemus, à *Brunone* Ep. Olomucensi deductus, venit è Brunna, Moraviæ Civitate, ad ripam Danubii, oppositam Oppido Newenburg. Ibi à *Rudolpho* Rege receptus navigio, transvectúsque, & Viennam deductus, in Palatio, seu Diversorio Ducis (*in des Fürsten Herberig*) colloquio non longo præeunte, per Auleum progressus, stetit ante *Rudolphum*, oravítque, sibi feuda concedi, mox genua flectenti per Sceptrum collata.

Tertia. LXVII. Admodum hæ duæ Narrationes dissentiunt, cúmque posteriori ægrè congruunt Literæ Archiepiscopi Salisburgensis, & Suffraganeorum Præsulum ejus, ad *Joannem* Papam XXI.um, à Cl. *Hansizio* Metr. Laur. p. 417. recitatæ, jámque suprà à me in parte excerptæ, quantùm querelas de *Otocaro* proposuêre. Nunc in præsenti argumento ita perrexerunt. „- „Has nostras miserias, & injurias Christianus Princeps Dominus „noster *Rudolphus* Romanorum Rex Serenissimus audiens, & „frequenter exaudiens preces nostras, congregata fortitudine „Exercitus Militaris, ab ultimis Alemanniæ finibus castra mo„vit, longa terrarum spatia, & diversas transiens Nationes, „circa Festum Sanctorum omnium intravit districtus Austriæ, non

„ non formidans prærupta cacumina Montium, non abhorrens „ intemperiem temporis hyemalis, nec defectus altis nivibus „ gelidæ Regionis. Postquam principatus Austriæ, & Stiriæ, „ Signis victricibus fortiter triumphavit, Wiennensem inter alias „ Urbem, partium nostrarum optimam, quam adhuc Rex Bo„hemiæ sua tenuit potestate, copioso cinxit exercitu, navibûs „ nihilominus Apparatu bellico mirificè ordinatis, quibus latum „ Danubii flumen transire disposuit, ut prædictum Regem Bo„hemiæ velut profugum occuparet. Dictus verò Bohemorum „ Rex, sano quidem, sed tardo fretus consilio, paucorum dierum „ treugas (inducias) petiit, petitas obtinuit: infra quas ad præ„dicti Domini nostri *Rudolphi* venit exercitum, & ibidem, præ„sentibus nobis, fracto quidem animo, genibus incurvatis, de„votè petitam veniam obtinuit, resignatis priùs obsidibûs, Ci„vitatibûs, Castris, & Oppidis universis, quæ dictis Principa„tibus attinebant. De Terris verò Bohemiæ, & Moraviæ, præ„stitô fidelitatis homagiô, meruit investiri. Hunc igitur Prin„cipem Gloriosum committimus Sanctitati Vestræ, supplican„tes Vobis, Pater Piissime, tam humiliter, quàm devotè, qua„tenus propter DEUM principaliter Vobis dignemini habere „ recommissum prædictum Dominum Regem, in cujus manibus „ his diebus, prout signis apparuit evidentibus, Divina Justitia „ laudabiliter triumphavit.„

LXVIII. Tutam reor, præque Chronicorum quorumlibet testimonio certiorem hanc notitiam: per quam stabilitur, *Otocarum* intra Castra Imperatoris, non, ut *Horneckius* prodidit, intra Urbem, Aulámque Principis, in fidem receptum esse. Quod adjunctum Loci, tametsi rem non immutet: gnavi tamen Historici partes omnino sunt, minuta etiam, quæ factum circumstant, sagaci, qua licet, industria explorare. Putabat quidem Cl. *Hansizius*, existimari posse, primùm Reges in Castris tumultuaria conventione rem subitò egisse, ac Viennæ demum in Palatio solemni ceremonia pactis invicem stetisse. Sed, præterquam, quòd otiosa, & præter usum omnem sit gemina eorundem feudorum Recognitio inter eosdem: fieri insuper hoc pacto nullatenus poterat, quod ulteriùs hìc accidisse, velut in vulgus receptum, affirmatur. Cedo *Spondano* in Epitome prosecutoria Annalium *Baronii* sermonem, ad h. ann. n. 5. scribenti, ut sequitur.

Certior, sed non cohærens priori.

LXIX. „Quod attinet obsequium, sive juramentum, ab „ *Otocaro* præstitum *Rudolpho*, mirum, quàm diversi sunt recen„tiores ab Antiquis. Dum videlicet idem *Sylvius* (i. e. *Æneas*, „ postea Papa *Pius II.*dus Histor. Bohem. Cap. 27.) & qui eum se„cuti, scribunt: Suggestu sublimi parato, *Rudolphum*, diadema„te, & Imperialibus insignibus conspicuum, considentibûs Ele-
ctori-

Quarta.

,ctoribus Imperii, cæteris Principibus circumstantibûs, adve-
,nientem Regem exspectâsse: illum, cum paucis Regni sui Opti-
,matibus ingressum, conscenso suggestu, ad pedes *Rudolphi* ge-
,nibus flexis jurejurando se adegisse. Interea Tentorium, ita
,arte compositum, ut à summo usque deorsum in quatuor par-
,tes proscinderetur, decidisse, Regémque, ut erat in
,alto loco, ad Imperatoris genua supplicem, videndum Exer-
,citibus præbuisse, plaudentibûs Germanis, Bohemîs con-
,trà frementibûs. At verò *Argentinensis* (nimirum *Albertus*)

Quinta. ,& *Colmariensis* (Annalista) ajunt, *Otocarum* splendidissimè ve-
,stitum, Regio Comitatu venisse ad *Rudolphum*, cúmque huic
,à suis diceretur, ut & ipse pretiosis se vestibus indueret, re-
,spondisse: Regem Bohemiæ griseam suam Vestem sæpius de-
,risisse, nunc autem hanc Griseam Vestem ipsum derisuram:
,sicque Grisea, nempe leucophea tunica rusticali indutum, &
,altum galerum capite gestantem, viâ publicâ in tripode seden-
,tem, *Otocarum* genuflexum investiisse de feudis.,

Reflexio Critica super has varias Traditiones.

LXX. Subjcit post hæc *Spondanus*, se posteriorem Narrationem, quòd antiquorum Scriptorum sit, & festivo *Rudolphi* ingenio, sæpe jocis dedito, admodum conveniat, primæ præferre. *Cuspinianus*, *de Roo*, itémque *Lazius*, ad mentem *Æneæ Sylvii*, de dissoluto Tentorio sive Papilione referunt, hoc solùm addentes, rogâsse antea *Otocarum*, ne feudi sacramentum publicè, & in conspectu omnium, edere juberetur, spémque ac promissum retulisse, id à se occultè, subque tentorio requirendum, nihilosecius tamen postea fraude tentorii, arte dissoluti, eam in confusionem: quam defugere adeò solicitus erat, præcipitatum fuisse, abinde verò hanc ipsam deceptionem, sibi factam, præcipuæ causæ locò obtendisse, cùm bellum adversus Cæsarem instauraret. *Fuggerus* tam de tentorio, quàm Veste grisea refert, ita tamen, ut existimet, hanc à Cæsare adhibitam, cùm *Otocarus* ad Imperatorem in Castris primùm accessisset; tentorii verò dissolutionem factam esse, dum solemniter feuda recepisset. Per me Lectorum cuilibet liceat, in tanta Traditionum varietate arbitrio suo ambulare. Ego proximè absum, ut credam, ambas præcipuè traditiones de Veste Grisea Cæsaris, atque Tabernaculi dissolutione, coloribus Historicorum Rhetoricis haud immeritò accenseri posse, quos illi pro ingenio suo miscere, ad rem suam comtiùs adornandam, perfrequenter consueverunt. Meditor quippe mecum, tantam fuisse prudentissimi Imperatoris in tam gravi negotio circumspectionem, ut neque splendidus nimis, neque sordidus comparens, Majestatis rationem plus, quàm lepôris, habuerit, pacémque mox compositam, ipsísque Feudorum solemniis consummandam, fraude tabernaculi dissoluti, præsens in periculum novi bel-

belli, incendiique, ipsa inter Castra, mediósque exercitus, conjicere omnino noluerit. Vetustatem Scriptorum, ut illam venerer, quamdiu rationi consona tradunt, tanti tamen non facio, ut eam invita quoque ratione adorem. Quid vetustius Græcorum fabulis? attamen fabulæ sunt. *Albertus* Argentinensis, & Annales *Colmarienses*, complura sanè liberiùs tradunt, quàm ut fidem promereantur. Sed alia adhuc anni hujus commemoranda supersunt.

LXXI. Ante hanc Expeditionem Austriacam, quod perhibent Annales *Colmarienses*, Cæsari Rheinfeldæ natus fuerat Filiolus *Carolus festo Valentini*, Sabbato Sancto Basileæ solemni Baptismate ab Episcopo tinctus, paucas verò post hebdomadas præcoci morte rursum sublatus. Imperator *Basileæ II. Kal. Augusti* Civitati *Rheinfeldensi* gratioso diplomate favit, quod edidit Cl. *Herrgott* Vol. III. sub. n. 557. p. 461. Mox dictis Annalibus *Colmariensibus* rursum prædicantibus, ipse Augustus PP. Prædicatoribus, Capitulum Generale Pisis celebrantibus, xxx. marcas argenti contulit; uti & Augusta Fratribus Ordinis Minorum Marcas decem. Sub Expeditione *Petro* Episcopo Pataviensi telonium de navibus, Oenum fluvium transeuntibus, in Obernberg confirmavit, *Pataviæ in Castris VI. Kal. Octobris Indict. IV. Regni Anno Tertio.* Cui & postea *Wiennæ Id. Decem. Regni Anno quarto* permisit, *Villas suas, S. Hippolytum, Everding, Amsteten, munire fossis, ac mœniis, ut vult.* Vide Cl. *Hansiz.* Metr. Laur. p. 415. sq. Urbi Cl. Neoburgensi concessit, ut Forum suum, sive Mercatum publicum, hucusque Die Dominico institutum, supplicantibus Civibûs, proxima die Lunæ insequenti, ob reverentiam diei festi, agere possit, salvis in eodem foro Canoniæ juribûs, ut antè. Adjecit & alias Gratias pro Civibus, *qui* (ait) *per inopinatum nostri exercitus ingressum læsi fuerant, graviter & attriti in recompensationem damnorum ibi datorum. Actum VIII. Kal. Decembr. in Castris ante Wiennam.* Monasterio *S. Crucis* Domum Prugga ab omni Steura, & quarumcunque exactionum genere eliberavit *Wiennæ X. Kal. Januarii.* Utrúmque Diploma habes apud Cl. *Bern. Pez.* Cod. Dipl. Part. II. p. 131. n. 219. & 220. *Conrado II.* Episcopo Frisingensi telonei Immunitatem per universam Austriam elargitus est, iterum *Wiennæ XVI. Kal. Januarii.* Sic Annal. Frising. II. p. 84.

Cæsari nascitur Filiolus Carolus post paulò defunctus.

Benefacta Augusti.

Annus 1277.

LXXII. VAticanam Sedem pannis jam denuo nigris obduxit funestus Cameræ Pontificiæ prope Viterbium casus, cujus inopinatâ ruinâ solus Papa *Joannes* XXI. adeo contusus est,

Joannes XXI. Papa moritur: succedit Nicolaus III.

est, ut sexto postea die, quæ erat Maij 16.ta, obierit, mense octavo sui Pontificatus heri expleto. Moderatus antea fuerat nova Constitutione Ordinationem illam Conclavis, quam ediderat *Gregorius* Papa X.mus: eò, quòd illius Bulla abusi Romani, in mortibus anteriorum Pontificum Cardinales nimiùm coarctaverint, præcipitémque ad Electionem non sine vi quadam adegerint. Hæc porro nova ejus Remissio negotium Electionis illicò lentum effecit, ut adeo *Joannes* non nisi septimo mense Successorem acceperit *Joannem Cajetanum*, tit. S. *Nicolai* Diaconum Cardinalem, quapropter & Nomen *Nicolai* III. assumsit, electus die 25. Novembr. Coronatus Mense sequenti prope Natalem Dominicum.

Cæsar hunc Annum Viennæ egit.

LXXIII. *Rudolphus* Cæsar, ut Austriam omnem, cæterásque Provincias, ritè ordinaret, motibúsque forsitan eventuris nervos incideret, toto ferè hoc anno Viennæ demoratus esse, comprobatur vel ex Diplomatum frequentia, ibidem à se editorum: in quibus etiam Clementissima pro Campililio nostro Pancharta fuit, quam §.° III.tio reservo. Non latuit eum inquietudo *Otocari* Regis, quásque res novas, cùm apud Præsules, tum apud Provinciales, muneribus ac promissis amplissimis moliretur. Ut námque liquet communi Scriptorum consensu, Rex iste tot Provinciarum jacturam pacato stomacho ferre per sese non potens, insuper ab Uxòre sua Regia *Chunegunde*, Muliere supra modum imperiosa, sannis acerbissimis, iisque perpetuis, exceptus est: quòd nulla acie fractus, immo ne congressus quidem, tanti imperii detrimenta, prorsus ignavus, ultrò subierit: quòd famulo quondam suo *Rudolpho* supplex & acclinis ad pedes acciderit: quòd insuper Liberorum suorum Regium atque Clarissimum Sanguinem indignissimis Nuptiis cum hoc pauperculo Comite conjungere pepigerit. Ista enarrans *Adrianus Bzovius*, Annalium Eminent.mi *Baronii* Prosecutor, graviter prorsus aberravit, ajens Tom. XIII. ad Ann. 1277. p. 865. n. 6.to *Hoc ubi MARGARETÆ Uxori, cujus jure Austriam acceperat, nunciatum est, tot illa Virum contumeliis affecit &c.* Sic improvidus iste Scriptor Reginam quondam Romanorum, ac Bohemorum, Filiam Seren.mi LEOPOLDI Ducis nostri Fundatoris MARGARETAM aliunde tot calamorum opprobriis sine causa laceratam, uti Decadibûs anterioribûs à me luculentè demonstratum fuit, adhuc in sepulchro indomitæ superbiæ convitio proscidit, quin immo decennio jam sepultam, iterum ad malè agendum in Orbis theatrum restituit. Tanti referunt ad rectè scribendum animus præsens, actique jam laboris cura secunda.

Otocarus nova molitus,

instigante Uxore *Chunigunde*:

pro qua *Bzovius* improvidè diffamavit *Margaretam* Filiam Fundatoris nostri.

Vacillante Provincialium fide,

LXXIV. Cùm igitur *Otocarus* novo bello cuncta pararet: Imperator quoque non modò Militem suum integrum servare,

verùm

verùm etiam novum, ampliorémque conscribere debuit. Præsulum quidem fide tutissimus erat: Provinciales verò, pecuniis in fraudem emti, suis Artibus Cæsari Militum sustentationem undique difficillimam reddidêre: ut adeò cogeretur, stipendiorum causâ, in omni Austria tributa imperare. Unde passim *Chronica* Patria: ‚Rex Romanorum *Rudolphus* imposuit ‚exactiones gravissimas toti Austriæ, exigens de Curia LX. ‚denarios, de Area XII. denarios, de jugere Vineæ XXX. de ro‚ta Molendini XXX. de Manso XXX.‚ *Colmariensis* habet: ‚In Austria Rex *Rudolphus* novam exactionem adinvênit, & à ‚quolibet aratro quinque solidos postulat.‚ Compulêre ad hoc Imperatorem vagi fide Provinciales, ut æquè tributorum, atque Militum causâ populo gravis, & invisus evaderet. Verumtamen inane erat consilium: debebant Provinciæ illum Dominum pati, quem DEUS eis constituit. Hujus etiam occulto judicio illa ipsa Mulier *Otocarum* impulit in ruinam, propter quam olim, nullo jure, legitimam suam, tantóque dotalitio divitem Conjugem anteriorem, propudiosissimè suo ex thoro relegavit. Dolet interim nobis, & maximè dolet, tam clementem Campililio Regem, à nobis paulò pòst tam funesto epilogo ad Sepulchrum conducendum fore.

Coactus est Imperator, tributa in Austria pro cogendo & sustentando Milite, imperare.

LXXV. Imperator, ad quem hoc Anno, uti *Colmarienses* fidem faciunt, etiam Imperatrix Viennam descendit, Provinciarum Administrationem nequam Principibus, qui eas forsitan cùm potentia deinde retinere vellent, quod nonnulli horum cupidè exspectabant, sed Nobilibus Præfectis, Austriam *Stephano de Meissau*, Stiriam *Hartnido de Wildonia*, Carinthiam *Conrado Aufensteinio*, magni ubique nominis Proceribus inquilinis, concredidit: quos Marescallorum elogio donavit. Quæ res *Henricum* Bavariæ Ducem, proferendæ suæ potestatis, & acquirendæ Austriæ cupidissimum, ita avertit, ut rursum cum *Otocaro* Bohemo tacitum fœdus feriret. Unde Rex iste tantam fiduciam concepit, ut acta omnia cum Cæsare, insuper habito jurejurando, rescinderet, Nurum abdicaret, Obsides Provincialium Liberos non redderet, Ungaris ablata tenaciùs retineret, condictísque quamplurimis undequaque auxiliis, gravissimum bellum instrueret. Cujus proinde exspectatione solicitus Cæsar, plurimæ Clementiæ affluxu devotè supplicantium preces, ad colligendum favorem, benignissimè audivit, eósque amplissimis Privilegiis cumulavit.

Provincias Comitibus administrandas concredidit.

Otocarus, pertracto iterum in fœdus *Henrico* Bavaro, bellum apparat.

LXXVI. Sic memor insignis in se fidei atque affectus, quo PræsulesProvinciales anno priori permiserunt, ut pro sustentando Exercitu suo singulæ eorum Ecclesiæ de omnibus prediis spontanea sibi subsidia conferrent: id amplissimo diplomate non modò eximiè laudavit, gratúsque recognovit, verùm eti-

Gratiæ variis à Cæsare indultæ.

am, *ne hæc eorum in se benigna devotio futuris temporibus occasionem servitutis induceret*, quod ait, Edicto perpetuo statuit, ne quis unquam deinceps Romanorum Regum, aliorúmque Dominorum, hoc in exemplum trahens, paria sibi fieri debere exposcat: in eum verò, qui ita gravis esse Ecclesiis præsumeret, pro pœna statuit, ut Feuda Ecclesiarum perdat, ac severæ, tam Imperii, quàm Ecclesiæ districtioni subjaceat. *Datum Wiennæ An. Dom. MCCLXXVII. V. Kal. Junii Indict. V. Regni año Quarto.* Tenor integer prostat apud Cl. *Hansizium* Metr. Laur. p. 417. sq. Añales *Frising.* Tom. II. Part. II. Instrum. à n. 132. usque 145. quatuordecim *Rudolphi* Augusti Chartas, *Conrado* II. Episcopo hoc anno traditas, in medium attulerunt, gratiis variis refertas, & ibi, si libeat, suo singulas ex argumento noscendas. *Petrus* Episcopus Pataviensis Feuda Ecclesiæ suæ, quæ antehac Ducibus, Terræ Dominis, concedi solita erant, & ab *Otocaro* tenebantur, Filiis Cæsaris, *Alberto*, *Hartmanno*, *Rudolpho* concessit, Patre pro eis stipulante, Bonorúmque Protectionem suscipiente. Quod idem ab Episcopo Frisingensi est actum, Cll. *Hansizio*, & *Meichelbeckio* testibûs. *Bertholdo* Episcopo Babenbergensi Cæsar nonnulla feuda resignavit, & eadem in alium transferri probavit. Regina quoque *Anna* Parthenoni *Diessenhoviensi* se beneficam præbuit. Vide Cl. P. *Herrgott* Vol. III. n. 568. & 572. Idem Imperator Carthusiam *Seizensem* Stiriæ Protectione sua munivit; & ab exactione liberam dixit. Parthenonem *Minnebacensem* Austriæ, banno, & judicio proprio donavit, utrumque *Wiennæ*. Civitati *Neostadiensi* vetera omnia Privilegia confirmavit, nova plurima adjecit, *Apud Novam Civitatem Cal. Decembr. MCCLXXVII.* Ibi pariter universo *Stiriæ Ducatui*, ac Juribus & Prærogativis ejusdem, amplissimo Diplomate consuluit *XII. Kal. Martii*: prout & antea *Judenburgensem* Civitatem peculiaribus Literis *XIV. Kal. Febr.* communiverat.

Annus 1278.

Idem beneficus in Abbatem Benedictoburanum.

LXXVII. CÆsarem Viennæ præsentem hoc anno propitium reperit *Ortolfus* Abbas Benedictoburanus: cui, attributô eidem *Principis* elogiô, quatuor Officiatos, Mareschalcum, Dapiferum, Pincernam, & Camerarium, quorum defectum patiebatur, de suis Ministerialibus constituendi, & eosdem congruè, sine magno Monasterii præjudicio, de ejusdem bonis infeudandi, planam ac plenam Auctoritatem concessit, præscribens, qua potestate hi Officiati esse debeant, & qui Ordo Successionis in hæc Munera apud hæredes eorum sit observandus. Diploma, datum *Wiennæ XV. Kal. April. Indict. VI. Regni*

qui Anno Quinto, vulgavit Cl. *Meichelbeckius*, Benedictoburanus ipse, Histor. Frising. Tom. II. Part. II. Instrum. p. 126. n. 198.

LXXVIII. *Otocarum* porro Regem, cantatum aliàs Orbi Victorem, sedecim grandium preliorum victricibûs laureis celebrem, decretum à Superis fatum in stadium lethale urgebat: quod ingenti cum exercitu denuo in Austria, Pentecostalibus Festis, invito Spiritu Pacis, ingredi cœpit. Se præsentem, hostémque adesse, populatione, ac nonnullorum prediorum incendio demonstravit. Primas has ejus impressiones, donec decretoriam in arenam veniretur, *Stephanus Meissovius*, *Otto Berchtolstorfius*, & *Bertholdus Eberstorfius*, de quibus ego *Tom. ult. in Familiis*, aliquamdiu fortiter contrà nitendô, sustinuêre. Imperator interim, auxiliis undique convocatîs, nihil eorum omisit, per quæ exercitum, Aggressori parem, conflaret, maximè variis quidem, & parvis è manipulis, attamen plurimis. Exstant apud Cl. *Herrgott* p. 476. item 481. & 482. ternæ Cæsaris Epistolæ, ad *Fridericum* Burggravium Norimbergensem, ad *Ladislaum* juvenem Ungariæ Regem, ad Proceres Ungaricos: quibûs opem efficacem celerémque efflagitat, cùm belli hujus prosper eventus omnium intersit, *Otocaro* communi omnium hoste. *Otocarus Austriam aggreditur.* *Cæsar auxilia convocat.*

LXXIX. Suevos præstantissimi roboris, Patri adduxêre *Albertus*, ac *Rudolphus* Filii, aliíque Cognati Generis Habspurgici Comites. Burggravius Norimbergensis Franconicarum partium subsidiarios attulit. Successêre Carni, Goritienses, Tirolenses, Salisburgenses. Stiriorum grandior numerus centurias undecim numerabat. Austrios ipse Cæsar collegit. Ungaros, Cumanósque, millia viginti, Rex eorum *Ladislaus* ductabat. Arena, qua Exercitus convenêre, non procul Morava fluvio, & Oppido Laa, Stilfridum inter, & Idenspeugam, delecta fuit. Castra locata vesperi festo S. Bartolomei, quæ in Mercurii diem inciderat, éstque 24. Augusti. Altera die velitabantur Pannonii: tertia, quæ fuit Sexta hedomadæ Feria, Passionis Dominicæ memoriam recolens, pugnæ indicta. Amabat quippe Cæsar, ut ajunt: si res ita ferret, sextâ feriâ libentiùs, atque aliis: congredi cum hoste, quòd Sanctæ Cruci Dominicæ devotissimus, summam in Patiente Domino fiduciam collocâsset. Unde & hoc ante prelium, sub S. Crucis titulo, atque honore, Monasterium se condere velle, concepto voto nuncupavit, si Domino Exercituum placeret, sibi victoriam concedere. Voluit præterea, ut *Albertus* Filius Vexillum, Salvatoris Crucifixi effigie decorum, proximè sibi præferret. Tesseram prelii, clamore militari, ut solet, inchoandi, voluit esse vocem CHRISTUS. Nempe non dubitavit religiosissimus Imperator, provocatum se, non provocantem, justo se ense tueri: & ideo non formidavit, ipsumRegem Justitiæ in auspicium belli implorare. *Quæ illa.* *Arena pugnæ delecta.* *dies prelii.* *Votum Cæsaris pro Victoria.*

Otocarus de infidelitate suorum præmonitus.

LXXX. *Otocarum* Regem, electo & amplissimo, sed infideli exercitu cinctum, alii ajunt, à nonnullis Australium, sub Aquilis Cæsareis eductorum, pro veteri in eum affectu, clàm submissis literis admonitum, *videret, quibus fideret.* Alii ipsum Cæsarem hoc ei monitum in cautelam direxisse affirmant. Rex porro, quod addunt, depositis armis, in medium Ducum suorum ingressus, dixit: *Se quidem de fide nullius ambigere: si tamen infenso aliqui in se animo essent, necémque suam cogitent: paratum se ad illam excipiendam adesse. Eant, feriant se nunc potiùs, priusquam una secum multa millia cadere necesse sit.* Generosum hoc videri possit, ac planè è virtute factum: sed arduum nihil habebat. Certus quippe Rex erat, neminem, qui crimen animo ferret, in publicum proditurum esse: odit quippe malitia lucem intutam. Unde etiam hoc facto odia jurata, perfidiámque suorum non sustulit: quin potiùs, quantò quis pejora in eum conceperat, tantò fortiùs in hoc publico Conventu, pro more facinorosorum, Caput suum pro Rege, sanctissimo jurejurando devovit. Ergo in arma vocavit *Otocarus*, nihil jam trepidus. In exercitu ejus primi Bohemi, Moravi secundi, Misnenses ac Thuringi tertii, quarti ac quinti Poloni, sexti demum Saxones, & Bavari stetère: cui Agmini postremo, octingentos quinquaginta loricatos in cæteris numeranti, immo & cataphractos, Rex ipse se credidit, non vana Victoriæ spe, nisi proditio ab aliis cœpisset. Cæsar è converso primis in Ordinibus gemina Suevorum agmina constituerat: tertium Stirorum, Carnorum, Carinthorum, & Salisburgensium ipse duxit: in quarto Austriaci certabant. Subsidiarium Agmen *Ulricus de Capella* ducebat, opem, ubicunque res posceret, laturus. Ungari, Cumanique sub suis Ducibus, Cæsaris nihilominus imperia exceperunt. Acies in mediæ Lunæ formam composita.

Acies utrinque instructa.

LXXXI. Primam in Stiros impressionem *Otocarus* cum cataphractis fecit: Cæsarem enim ibi pugnantem præcipuè quærebat. Coorta hìc ergo acerrima pugna, ubi hostium primæ vires, utriusque porro exercitus Capita Summa. Spectabat *Otocarum* jam propè Victoria, nimiúmque Stiriensibus graves toti ferrei Viri erant, adversum se stantes: in quorum corpora tam hastis, quàm ensibus, aditus difficillimus fuit. Ægerrimè itaque ordinem servabant, maximè, cùm *Pfannebergicum* Ducem, gravissimè saucium, acie abduci contuerentur. Hoc acerbo in Articulo Imperator, uti tradunt, equo desiliens, & ante Crucis Labarum supplex prostratus, opem de cælo inclamavit, statímque suos novis animis consistere vidit. Paulò pòst verò, quàm equum denuo conscendisset, conductus ab *Otocaro* fortissimus Miles eum, diu quæsitum, vehementissimo ictu rursum sonipede excussit, terræ tamen absque damno illisum. Sui Militem

Prelii calor:

cum summo periculo Cæsaris.

tem istum è vestigio captivum excepêre: ipse umbone suo à soleis equorum se protexit, Adjutore Altissimo, donec *Ulricus de Capella* velociter accurrens, alterum ei equum, agménque novum subsidiarium adduxisset. Tunc iterum palafredo sublimis, iraque recenti acrior multò, quàm antea, novo cum cuneo *Otocari* ordines ex latere invasit, perrupit, atque dissolvit, maximè, cùm alia ex parte *Henricus* Comes Hahenbergius, uti condictum erat, cum suis conclamaret: *Fugiunt: fugiunt.* Inde confusio primùm apud hostes, tandem trepidatio, atque præceps Ordinum desertio; cùm Regi nunciatum esset, postremos jam omnes in fugam effusos, ex quo *Milota* Moravorum Dux, qui ne manus adhuc conseruerat quidem, deditô consilio perfidiæ initium fecisset. Confusio, & fuga hostium.

LXXXII. Regem *Otocarum*, jam nullos continere in statione valentem, proxima Captivitas manebat. Sed hanc eidem invidentes, qui in vitam ipsius conjuraverant, Nobiles duo Fratres *de Mehrenberg*, quorum antea Germanum *Sigfridum* acerrimo supplicio de medio sustulerat, improvisò ipsum adorti, nulla prece, nullo pretio, flecti se ad veniam sinebant; sed adactis per septa thoracis Regii ensibûs, ad vulnus quodlibet, *Sigfridum* Fratrem suum sic placari oportere, ingeminârunt, serò nimis, ac frustra inhibentibûs iis, quos Imperator ad necem impediendam veloci cursu direxerat. Addita morti contumelia, ut Regium cadaver ad nudum ferè vestibus exspoliaretur. Tristis ex hoc fato Imperator, cædes reliquas fugientium seriò prohibuit: quamquam Ungari huic dicto minùs obaudirent. *Mehrenbergicos* verò vultu suo nunquam dignatus est. Pleráque hactenus narrata communiter ita traduntur, fonte præcipuò *Historia Australi,* quam & Anonymus *Leobiensis* sæpe verbotenus excepit. Criticè singula explorare, tam longum, quàm irritum foret. Cæterùm in hac Acie verè decumâna, & longè severissima, traduntur 14. Bohemorum, sociorúmque millia, vel cæsa, vel flumine mersa, aut lethaliter vulnerata. In exercitu quoque Cæsaris, quem dimidio & ampliùs minorem fuisse computant, occubuisse plurimos, argumento est, quòd feratur Imperator ante pugnam Nobiles Centum, selectos ex Turicensibus Cohortibus, Gladio Militari accinxisse, Virtuti calcar additurus: qui tamen omnes deinde occisi fuerint, Scutis eorum, Armísque, Tiguri in templo Fratrum Minorum suspensis. E *Trautmansdorfia* quoque Familia uno hoc prelio quatuordecim Pugiles Generosos Vitam Cæsari, & Justitiæ, immolâsse leguntur.

Cædes Otocari.

Qui utrinque in hac pugna acerrima obierint.

LXXXIII. Sunt interim, qui *Otocaro* Regi infausto, quantumvis multa cum facinore egerit, longas tamen Panegyres argumen- *Otocari* laudes.

gumento prolixo Virtutum, quibus enituit, & benefactorum, quibus abundavit, eleganter concinnârunt: uti plerumque est hominum, vitia virtutibus miscere. In bello Imperator erat verè fortissimus, inque Prussia, Cruce signatus, Christi fidem, & Ecclesiam utilissimis triumphis egregiè provexit. Quod multi in eo crudele, alii contrà justum dixerunt. A studio Orationis, & ab eleemosinarum abundantia plurimùm commendatur. Monumenta Religionis ejus non una Ecclesia, unúmque Cœnobium fuêre. Quid magnificentius Coronâ Aurea, Monasterio Cistercienſi Bohemiæ, quod ipse abhinc decennio in Monumentum Victoriæ Hungaricæ, ut votum solveret, nulli parcens Munificentiæ exstruxit? Hoc attamen præsenti Cæsaris expeditione, in Bohemiam promota, per militarem, quæ cohiberi non poterat, licentiam, non expilatum solummodo, sed etiam in cineres redactum fuit. Præcipua ergo ruinæ Capita Principi huic, sua ætate maximo, à plerisque imputantur Ambitio, Servitúsque Uxoria. *Otocarus*, ut alii plurimi, diversis Oratoribus, & Laudis, & Vituperii argumentum fuit. Qui námque commendare volunt, summo studio Virtutes eligunt, vitia prætereunt, vel si possint, pallio virtutis convestiunt: contrà verò, quibus vituperare propositum est, Virtutibus peplum simulationis, atque perversæ intentionis obducunt, vitia è converso auxesi plurima ad summam invidiam provehunt, nihil ignorantiæ, nihil deceptioni, nihil subreptioni, nihil invidæ fortunæ, sinistróque præter opinionem eventui largientes, sed omnia malitiæ animi imputantes. Sic plerúmque Sermones fiunt, sub quibus Veritas oppidò laborat.

Oratoriæ artis in laude ac vituperio methodus, Veritati valde incommoda.

LXXXIV. Epistolas Cæsaris laureatas, Victoriæ suæ nuncias, Cl. *Herrgott* geminas edidit n. 582. & 583. quarum primam indubiè Archiepiscopo Salisburgensi directam existimat, altera ad *Nicolaum* III. Summum Pontificem data est. Atque hanc posteriorem etiam exhibent Cl. *Hansizius* Metr. Sal. p. 388. atque *Czerwenka* p. 77. priorem apud neminem alium legi. Mihi utramque hìc transscribere libuit, ut inde arduitas, modúsque prelii, certa ejusdem, ac indubitata dies, atque Pietas Cæsaris Victoris, nullo dubio relictô, demonstrentur. De die námque magnoperè discrepant Scriptores. *Colmarienses* Annales, ac post eos *Fuggerus*, ponunt Vigiliam S. Bartolmei, sive 23. Augusti. *Eberhardus* Altahensis VII. Cal. Septembris, i. e. 26.tum Augusti. *De Roo* 25.tum Septembris: Anonymus *Zwetlensis* 25.tum Novembris: *Hagenus* festum S. Barbaræ, sive 4.tum Decembris. Ecce, meri propè coævi, aut suppares: & quanta apud eos notandi, vel apud Librarios transcribendi incuria? Sed ipsum Triumphatorem Augustum audiamus.

Cæsaris Epistolæ geminæ Laureatæ optimam de modo Victoriæ fidem faciunt.

Maxima de die Scriptorum discrepantia

LXXXV.

LXXXV. Scribit ergo Archiepiscopo. „Quantis opprobriis, & probrosis injuriis, indesinens Reipublicæ disturbator „quondam *Otocarus* Rex Bohemiæ Illustris Nos impulerit, ut ad „ejus conatus nefarios refrœnandos manum nostræ Potentiæ levaremus, nemo te novit melius, nemo vidit apertius, quàm „tu, Princeps Charissime: cui Conspirationes, quas idem Rex „adversus nostram salutem fecerat, insidiarum jacula, quæ tetenderat, laqueos, quos absconderat, non ignoras. & quoniam de torrente tanti discriminis aliquando nobiscum laqueos amaritudinis, haustus felleos accepisti; dignum credimus, ut & nunc, lætificatus ex nostra triumphali Victoria, feliciter satieris, postquam rei gestæ perceperis ex his nostris Literis qualitatem. Scias itaque, quòd nos *feria quintâ proxima post festum Bartolomei Apostoli* eo loco locavimus Castra nostra, quo à tentoriis dicti Regis Boëmiæ vix ad spatium dimidii Milliaris Teutonici distabamus. *Mane* verò *Sextæ Feriæ subsequentis*, unacum dilecto Filio nostro Rege Hungariæ procedentes, cuneos acierum nostrarum adjunximus hostium Stationi, sicque hora diei quasi sextâ inter nos gravis pugna committitur: in qua dictus Rex Bohemiæ, more strenui Pugilis viriliter se defendens, tandem victus occubuit, *non à nostra virtute prostratus, sed DEO potiùs, impugnantes Rempublicam subitò expugnante, collisus.* In quo etiam bello Nobiles Regni Bohemiæ potiores, aut mortui gladio ceciderunt, aut victi certamine, dum se ad præsidium fugæ converterent, ab insequentibus sunt detenti. Verùm cùm ex veris, & certis indiciis nobis constet, quòd non Nostra, sed Summi DEI, *Vitam nostram in tanto discrimine misericorditer protegentis*, Potentia triumphavit: præsentem præclaram Victoriam illius titulis, & honori adscribimus, qui ad nostræ humilitatis angustias finiendas, immensæ Clementiæ suæ misericordes oculos tunc misericorditer inclinavit, dum *extremæ necessitatis* periculum imminebat. Tu igitur, Princeps Charissime, Grates Altissimo referas, & ad laudes gloriosæ MARIÆ Virginis cor resolvas: quorum præsidiis *Vita nostra, morti proxima*, salva subsistit, & honor Romani Imperii miserabiliter incurvatus, virtute mirabili respiravit.„ Epistola Cæsaris prior.

LXXXVI. Pontifici Summo ita luculentiùs adhuc rescripsit. „Intimandum fore credimus Apostolicæ Sanctitati, quis „eventus finiverit litem illam, qua quondam Illustris Rex Bohemiæ, infatigabilis Reipublicæ fatigator, nostræque salutis „& Vitæ notorius persecutor, se adversum Nos, & Romanum „Imperium, improvidè elevavit, post præstita Nobis, & ab ipso „malè contemta fidelitatis & homagii sacramenta. Dictus siquidem Rex in festo Pentecostes proximè præterito contra Ter- Posterior.

„ras Imperii castra movens, ipsásque rapinarum & incendiorum „vastitati subjiciens, Castra quædam, & Oppida hostiliter expugnavit, tot & tantis damnosis injuriis, & probrosis contumeliis, & contemtibus nos impellens, quòd ad Statum Reipublicæ defendendum, cujus idem Rex penè suffoderat fundamenta, oportuerit saltem sero Gladii usu, nobis à DEO commissi, educere potestatem. Sic itaque *in crastino beati Bartolomei festo* Nos, & Filius noster Charissimus, non genitus, sed specialis Gratiæ parentela inter Filios census, *Ladulaus*, Rex Ungariæ, eo loco locavimus Castra nostra, ubi ab exercitu Regis Bohemiæ vix ad milliare Teutonicum distabamus. *Mane* verò *sextæ feriæ subsequentis*, æterni DEI auxilio invocato, processimus, Signisque belligeris elevatis, eò pervenimus, ubi Rex Bohemiæ dispositis aciebus finem prelii exspectabat. Illic Milites utriusque, dum Signa hinc inde prospiciunt, fero impetu glomerantur in unum: illic de virium paritate inter nos strictis ensibus disputatur. Tantus quoque inerat parti utrilibet triumphandi affectus, ut morte victoriam comparare, & vincere moriendo, rem dignam, & debitam, quilibet æstimaret. Illic Milites strenui equorum ungulis substernuntur: illic tanto sanguine humano terra perfunditur, ut nedum pugnantibus, sed & pugnæ duritiam intuentibus, vitæ tœdium esse posset. Tandem verò Militia nostra, non sua, sed Omnipotentis DEI virtute prævalens, Milites Regis Bohemiæ in vicinum amnem impulit: ubi ferè omnes, aut gladio interemti, aut flumine suffocati, aut capti ab hostibus, defecerunt, sicque fugæ præsidium paucis profuit. Nam ferè omnes apud nos, aut capti, aut mortui remanserunt. Licèt autem Rex prædictus militum suorum agmina dissipata videret, séque ferè ab omnibus derelictum: adhuc tamen victricibus Signis nostris cedere noluit, sed more, & animo gyganteo, virtute mirabili se defendit, donec quidam ex nostris militibus ipsum mortaliter vulneratum, unacum dextrario dejecerunt. Tunc demum ille Rex magnificus cum Victoria vitam perdidit: quem non nostræ potentiæ fortitudo, sed DEI excelsi dextra, causam nostram misericorditer judicans, interemit. Nos igitur hæc, & alia beneficia, quæ idem nobis contulit, humiliter cognoscentes, & ad laudem & Gloriam sui Sanctissimi Nominis referentes, ad omne illud, quod gratum Altissimo Regi, DEI Filio JESU Christo esse sciverimus, devotiori promtitudine nostram solicitudinem convertemus.„

Novi belli formido ex Brandeburgico exercitu.

LXXXVII. Belli interim necdum finis: quin propè erat, ut novo prelio fortuna tentanda esset. Exercitus nàmque Cæsaris, victoriam prosecuturus, acri grassatione Moraviam, atque Bohemiam afflixit, Ungaris, ac Cumanis, pro fœdissimo

more

more suo, modum non servantibus: quapropter & inter eos, Germanósque exortâ discordiâ, illos Imperator, uti & Stirios, Carnos, ac Salisburgenses, levandi stipendii, & minuendæ vastationis causâ, domum dimiserat. Dum ecce, subitò rumor venit, *Ottonem* Brandeburgicum, qui fuerat Avunculus *Otocari*, novo cum exercitu pro tutela Regni, juvenisque *Wenceslai* advenire. Hinc celeribus nunciis à Cæsare Copiæ revocatæ sunt, extra Ungaros. Convenit rursum exercitus apud Schazlau, & Castra in pratum Sedlicense promovit, unâ leucâ ab hostium vallis, quæ erant ad Chollen. Sed operâ potissimâ *Brunonis* Episcopi Olomucensis, Pax primùm oblata, postea, dum alii, biduum triduúmque mutuò sibi obloquendò, negotium istud frustra extraxissent, arbitrio felicissimo *Friderici* Archiepiscopi Salisburgensis conclusa fuit. Hujus pactis *Wenceslaus* Puer, cui *Otto* Brandeburgicus Tutor datus est, Bohemiam pariter, atque Moraviam, ut Hæres Paternus retinuit, Nuptias tamen cum Filia Cæsaris ipse, & Soror ejus cum *Rudolpho* Filio Imperatoris, denuo spondere, simúlque stipulari jubebantur, ut, si *Wenceslaus* absque prole obiret, Socer ejus *Rudolphus* è vestigio in Regnum succederet. Componitur Pax.

LXXXVIII. Sic, dimisso Exercitu, Imperator Viennam cum gloria redivit: ubi solemnes DEO gratiæ tanto pro Triumpho sunt actæ. Hunc Pontifex *Nicolaus* III. Cæsari gratulatus, opportunissimam rebatur, Summi hujus atque piissimi Principis incenso gratitudinis in DEUM affectu, ad provehendam Ecclesiæ Romanæ utilitatem, pacem, ac incrementum, dum flamma devotionis maximè caleret, studiosè nuncuti. Quapropter hortabatur eum, & obsecrabat, ut, exemplo meliorum Imperatorum, Ditiones omnes, Ecclesiæ quondam largitionibus piis indultas, quas prolixo Catalogo, propriísque nominibus describebat, solemni Pancharta confirmaret, & ex parte occupatas, restitueret. Ne verò novum quidpiam, & solitò amplius, à se peti arbitraretur Imperator: Papa, præterquam, quòd *Conrado*, Ministro Fratrum Minorum Alemanniæ Superioris, Oratori ejus, Autographa Romæ inspicienda, & excerpenda præbuerit, insuper ad eundem submisit Exempla transumta Diplomatum, *Ludovici*, *Ottonis*, *Henrici*, ac *Friderici* Cæsarum, quorum indulgentiâ Ecclesiæ Romanæ Patrimonium tam insigniter auctum fuit. Et quò efficaciùs alliceret *Rudolphum* Augustum ad promtiùs ac liberaliùs his omnibus subscribendum: vicissim procurare eidem omnino connisus est apud *Carolum* Siciliæ Regem, ut Longobardiâ totâ, quam vicario jure magna etiamnum parte administrare perrexerat, absque bello decederet. Cæsar Viennam redit; à quo Papa Confirmationem omnium Donationum Ecclesiæ petiit.

Annus 1279.

His votis Pontificis uberrimè satisfecit Imperator.

LXXXIX. VOtis Pontificis, mox antea expositis, uberrimè satisfecit Imperator, omnes & singulas Veterum Augustorum Donationes, Ecclesiæ Romanæ factas, confirmans, innovans, & nunquam easdem se repetiturum, vexaturum, atque occupaturum, sacramento affirmans, quidquid contrà unquam attentatum esset, planè rescindens, insuper verò pollicitus, adeptâ Coronâ Romanâ, ore proprio se hæc Sacramenta renovaturum. Effecit pariter, ut Electores quoque Imperii uno communi Diplomate, singuli deinde etiam singulis Literis propriis, easdem Ditiones, quas Cæsar, Ecclesiæ debitas faterentur. Charta Cæsaris, aureâ bullâ appensâ coruscans, obsignata fuit *Wiennæ XVI. Kal. Martii Indict. VII. Regni Anno Sexto*, Testibus inter cæteros *Friderico* Archiepiscopo Salisburgensi, item *Alberto*, & *Hartmanno*, Filiis Imperatoris. Grande peccatum in Schola Politicorum, qui scientiam Juris Publici profitentur, admisit *Rudolphus* Augustus, dum hoc pacto contendit reddere DEO, quæ DEI erant. Invertunt hoc illi, & ajunt; Profudit in Romam, quæ Imperii erant: immo planè liberaliter asserere audent, *Maximilianum* I. Imperatorem de hac supremi Avi sui Augusti profusione non semel ingemuisse. Sed hoc ego merè in gratiam, immo ad fallendum plurimos audacter confictum existimo, solidéque à quopiam probari posse, in animum nunquam induco. Qui promiscuè quælibet legit, attendat, & expendat antè, quàm credat, quod legit. Paganis, Judeis, Turcis omni tempore sanctum fuit, in Templa, & Sacerdotes, Largitate maxima invicem æmulari. Unis Christianis nefas id fuerit? Sed alterius fori hæc controversia est: ego Historiam prosequor. Pontifex Legatorum operâ Cæsarem, cum *Carolo* Siculo Rege, Provinciæ & Folkaquerii causâ, quæ partes erant Regni Arelatensis, graviter diffidentem, interveniencibus Nuptiis conciliare, studiosè satagebat. *Ladislaum* deinde juvenem Ungariæ Regem, Cumanis in detrimentum Religionis nimiùm faventem, per Cæsarem ea de re admoneri, & ad saniora reduci curavit.

Inanis eapropter Politicorum querela.

Cæsaris cum *Carolo* Siculo Rege discordia.

Viennæ moratus, refractarium habuit *Henricum* Chunringium.

XC. Dum autem totum hunc annum Viennæ, aut saltem in Austria transigeret Imperator, cuncta sic ordinaturus, ut ea, quæ cogitaverat, deinceps feliciter exequeretur: solus *Henricus Chunringius*, Regulus admodum potens, iram illius promeritus est, quòd adhuc *Otocaro* jugiter, etiam defuncto, studeret, Gratiámque Augustam quærere nollet: unde & Weitra, Castrum illius præcipuum, obsidione arctatum fuit. Interea undequaque supplices ei preces pro Literis, Gratia & Clementia plenis, porrigebantur. Ita Episcopus Pataviensis Civitati suæ

Ipse Beneficus plurimis exstitit.

fuæ Mauttern paria in Danubio Privilegia obtinuit cum Cremsa, & Stein, *Wiennæ IV. Non. Aprilis*, juxta Cl. *Hansiz.* Metr. Laur. p. 423. Monasterium *Zwetlense* defendi à Cæsare meruit adversus infestationem Civium Egenburgensium, *IV. Id. Maji* Sic *Annal. Zwetl.* I. 432. Præsul quoque Frisingensis Juris Provincialis Vindicationem in Oppido Lack consecutus est contra *Meinhardum* Comitem Tirolis, *XIII. Kal. Junii.* Episcopo Basileensi *Henrico* concessit Basileæ telonium de lignis, vulgò *das Zollholz*, aliàs ad Imperatorem attinens, eo pacto, ut sibi, aut Successori Cæsari cuicunque, eadem in Urbe demoraturo, ab Episcopo de Lignis plenariè pro quotidianis ignibus provideatur, *Wiennæ IX. Kal. Julii.* Cl. P. *Marquar. Herrgott* Vol. III. n. 589. p. 490.

XCI. Parthenoni *de Erlab* confirmavit Gratias, ac Privilegia omnia *Wiennæ XV. Kal. Jul.* Cl. *Bern. Pez.* Cod. Dipl. Part. II. p. 140. Monasterium Cisterciense *Riddaghusanum* Ducatus Brunswicensis in suam & Imperii Protectionem recepit *Wiennæ V. Kal. Sept.* Vide *Jongelin.* in Notit. Abbatiar. Cist. III. p. 37. Canoniæ Regulari *Berchtolsgadensi* confirmavit peramplum *Friderici* II. Imp. Privilegium *III. Id. Octobris.* apud *Hundium* Metr. Sal. Part. II. p. 125. Cœnobio *Cremisanensi* innovavit Immunitatem telonii *apud Linzam Non. Novembris.* Annal. *Cremisan.* p. 208. Canoniæ Regulari *Sand-Hippolytanæ* instauravit *Friderici II.* Bellicosi Ducis Austriæ & Stiriæ Privilegium Juris Provincialis, *Wiennæ IX. Kal. Januar. MCCLXXIX.* Cl. *Duellius* in Excerpt. Geneal. Histor. Libr. I. n. 61. p. 25. Adhuc verò Cl. *Herrgott* Vol. III. n. 592. p. 492. affert hujus Cæsaris Diploma pro Urbe ac Civibus Wiennensibus, quo Urbem in Imperii Protectionem suscipit, huicque eam adjungit. Epochis quidem hæc Charta destituitur, certissimè verò hoc anno, vel proximo, emanavit.

Alia ejusdem gratia.

Annus 1280.

XCII. INterventu, Laudóque *Nicolai* III. Papæ, *Rudolphus* Imperator Comitatum Provinciæ in Burgundia, partem ex Regno Arelatensi residuam, *Carolo* Siciliæ Regi, qui eum Jure quasi Uxorio post mortem *Raymundi Berengarii* ultimi Comitis occupaverat, Beneficiario jure, ut feudum Imperii, contulit, erga pacta, ut *Carolus* Cæsaris in Italia ditiones redderet, ultra non invaderet, neque cum hostibus ejus fœdus feriret: ac præterea, ut Nepos ejus *Carolus*, Princeps Salernitanus, *Clementiæ* Filiæ Cæsaris nuberet, quæ Comitatum Provinciæ dotis locò haberet. *Raynald.* p. 315. Latiùs hac de re Scriptores Juris Publici apud *Pfeffingerum* Vitr. Ill. Tom. I. Libr. I. Tit. II. p. m. 250. sqq. Dum autem Italiæ paci hoc pacto per Cæsarem consultum esset: multum pariter ad Hungariæ Regnum, intra

Arbitrio Pontifice Cæsar cum *Carolo* Siciliæ Rege pacem ferit.

se pacandum, valuit illius Authoritas. Satisfecit quippe, ejus hortatu, *Ladislaus* juvenis Rex delicto suo, quo abhinc anno *Philippum* Episcopum Firmanum, Legatum Apostolicum, ad instaurandam Disciplinam Religionis Budæ Synodum agentem, cum ignominia abjecerat, Regníque Episcopis Urbis ingressum prohibuerat: nunc eidem Legato annuas Argenti marcas centum ex Argentifodina Scepusiensi, pro exstructione & sustentatione Nosocomii in Regno, tanquam Eleemosinam, qua redimeret peccata sua, assignans. *Raynald. p. 317. sq.* Non longè verò post hæc *Nicolaum* Pontificem, Ordinis præcipuè Minorum Promotorem summum, in Castro Surriano mors, ipsa Virginis assumtæ octava die, terris eripuit, Sede Petri in alterum usque Mensem Anni insequentis vacante. *Ibid. p. 322.*

Ladislaum Hungariæ Regem hortatus est ad emendationem.

Obiit *Nicolaus* III, Papa.

XCIII. In Austria Cæsar, *Henrico Cane* Chunringio tam ad sui, quàm Castri Weitracensis deditionem compulso, & ob inquietudinem, ac partium Bohemicarum studium, una cum Uxore Bohemica proscripto, præclarum hoc Castrum in proprietatem Ducum Austriæ transcripsit. Principibus porro variis, feuda Provinciarum, de *Otocari* potestate eliberatarum, iterum cum prece, & studio quærentibus, reposuit, communibus in Comitiis Imperialibus, quæ proximo quopiam Anno eam ob caussam indicere secum præceperit, decernendum fore, cui Austria, Stiria, cæteræque Provinciæ indulgendæ essent. Clero autem affectum suum probaturus, teste Anonymo quopiam *Zwetlensi* apud Annal. *Zwetl.* I, p. 434. *Divina inspiratione compunctus, exactiones, quibus Ecclesias Religiosorum per Austriam aggravârat, singulas jussit computari, & refudit, in quantum potuit Religiosos sibi complacandô.* Cœnobio *Zwetalensi* adversus Civium Egenburgensium exactiones denuo sub obtentu gravis offensæ consuluit *Wiennæ prid. Id. Aprilis.* Benedictinis *Scotensibus* Viennæ, qui sibi Capellam S. Crucis Tulnæ pro Parthenone novo, à se excitando, concesserant, vicissim tradidit Jus Patronatus Ecclesiæ in Gaunerstorf, & quidquid inde emolumenti proflueret, *VIII. Idus Junii.* Cl. *Bern. Pez.* Cod. Dipl. Part. II. n. 232. p. 144.

Castrum *Weitra* Cæsar occupavit, expulso Chunringio.

Principum spem de Austria obtinenda distulit in Comitia publica.

Compensavit Religiosis Domibus exactiones antea factas.

Alia in eas Beneficia.

XCIV. Diploma ipsius Tulnensis Fundationis apud Rever.[mum] *Czerwenkam* p. 87. ita inchoare reperio. „RUDOLFUS „Dei gratia Rex Romanorum semper Augustus Omnibus Fidelibus Romani Regni nostri. Æternam laudem de obtenta Victoria, quam habuimus, superato nuper *Otocaro* Bohemiæ „Rege, & publico Regni nostri hoste, soli Omnipotenti DEO „adscribimus, tanquam Datori, & Victori, nihil potentiæ, armis, & viribus nostris adnumerantes, sed soli Misericordiæ illius, & Providentiæ, quæ Nobis semper, & Regno nostro misericorditer adstitit, nec non Sanctissimæ Cruci, sub cujus La-

Ejus Fundatio Parthenonis Prædicatorii Tulnensis.

„ baro dubium prelium feliciter conclusum est. In cujus rei te„stimonium, non habita ratione Famæ nostræ undequaque di„spergendæ, sed spectato solo Cultu Divino, & Misericordia „ ejus, atque in Exaltationem & Venerationem Sanctissimæ Cru„cis Christi, ob Vitæ conservationem, & Memoriam Victoriæ „ obtentæ, fundavimus, & ereximus Claustrum Monialium, sub „ Regula S. Augustini, & Instituto Sororum Ordinis Prædicato„rum, in Civitate nostra Tulnensi, ut inibi DEO Optimo Ma„ximo debitum Cultum exhibeant &c. - - Datum Wiennæ „ Prid. Cal. Septembris. „ Primas Odei hujus Virgines Norimbergâ huc requisitas esse, illarúmque se Cœtui adjunxisse *Eufemiam*, Filiam Cæsaris, vulgò veluti receptum est: quamquam ex laudato Diplomate neutrum eruere liceat.

XCV. Adhuc *XII. Kal. Octobris*, sed *in Castris apud Brunnam*, Imperator ratam habuit, ac confirmavit commutationem *Otocari*, quondam Regis, cum Cœnobio Benedictino Prislingensi. Cl. *Bern. Pez.* Cod. Dipl. Part. II. n. 230. p. 142. Dum porro Castra hìc legimus, advertere libet, Arma Cæsari ponere non licuisse. Neque enim in Austria usquequaque tuta Nobilibus fides, vel quies: quapropter & *Henricus* Weitracensis Chunringius opprimendus erat. Tametsi Annales *Zwetlenses* tueantur, eum, animo ingenuum, invidiâ potiùs æmulorum, quàm culpâ suâ, Cæsaris indignationem persensisse, cujus postmodum Gratiâ, calumniis retectîs, egregiè valuerit. Ex Bohemia verò, miserandum in modum afflicta, molitionum novarum, quas desperatio inducere solet, incerti quidem, sed metuendi admodum rumores perfrequenter in Austriam allati fuerunt. *Otto* námque Marchio Brandeburgicus, juveni Regi Tutor, Regnóque Curator datus, potestate sua iniquissimè, ut uno calamo lamentantur Scriptores Bohemi, est usus, & Rege quasi capto, inque Marchiam abducto, Clerum omnem, Nobiles, ac Plebes, ut maximè potuit, expilavit, secùmque decretum habuisse traditur, Gentem totam Bohemam, aut certè Nobilitatem omnem, funditus exscindere. Quocirca coëgisse Comitia Statuum dicitur, in quibus vehementissimè contra injurias, à Cæsare Regno illatas, conquestus, universos in arma proritare, & sua sub Signa conducere studuit. Clàm interim Imperatori obtulerat universi exercitus à se educendi proditionem. Quod verò scelus aversatus *Rudolphus* Augustus, juvenem potiùs Regem *Wenceslaum*, dum postea adolesceret, Generum sibi factum, omnibus modis ornare, & exaltare contendit. Videatur Cl. *Balbinus* in Epitom. Rer. Bohem. p. 284.

Arma ponere ei non licuit Bohemiæ causâ.

Ejus Regni conditio misera sub *Ottone* Brandeburgico, Pupilli Regis Tutore.

XCVI. Iram verò ac Ultionem reservaverat Bavariæ Ducibus: *Henrico*, quia manifestus iterum *Otocari* Socius fuit, & *Ludovico* Fratri ejus, Comiti Palatino, quia Cæsari ad prelium postre-

Ira Cæsaris in Duces Bavaros.

postremum cum *Otocaro* auxiliares copias promiserat quidem, eas tamen in finibus Bavariæ infimæ continuit, ut, si Marte inique pugnâsset Imperator, ipse, cum Fratre, provinciam supra Anasum adversus *Otocarum* Victorem celeriter occuparet. Cujus castigationem dum Cæsar alterum in annum, quo ex Austria in Imperium rediturus erat, consultò differret: sub exitum anni præsentis intravit Stiriam, eam pariter, cum vicinis Provinciis, recepturus in fidem Imperii, & omnium Regimen utilissimâ curâ ordinaturus. Postquam deinde Cathedram Paviensem *Petrus*, Zelosus admodum, prudens, ac vigilans Præsul, X. Cal. Martii, sive die 20. Februarii, uti tuetur Cl. *Hansizius*, nostrúmque pariter Necrologium comprobat, morte deseruisset in Civitate Tulna, quò se verôsimillimè contulerat, novum Cæsaris Parthenonem consecraturus: non minimô *Rudolphi* Augusti suffragiô, ad eam subvectus est *Wichardus de Polheim*. Cujus Patruus *Philippus* nuper, in Victoria Cæsaris Bohemica, strenuissimi Belliducis partes peregregiè sustinens, peculiari laude, ac laurea, actô preliô, celebrari promeruit.

Ejusdem in Stiriam ingressus.

Petrus Ep. Patav. obiit: cui, Cæsaris commendatione, successit *Wichardus de Polheim*.

§. II.

Res Ordinis Cisterciensis.

Annus 1271.

Nostrorum Cardinalium opera in Electione *Gregorii* X. Papæ.

I. Summi Pontificis Electione à morte *Clementis* Papæ IV. jam duos in annos, mensémque decimum extracta, cùm denuo deliberaturi Cardinales, pro more Sacrum de S. Spiritu accederent, ajebat *Jonnes* noster *de Toleto*, Cardinalis Episcopus Portuensis, oportere, ut illapsuro Divino Spiritui tectum domus aperiatur: quia tanto tempore imploratus, introire nunquam hactenus potuit. Quo festivo sale modestè perstrictus Supremus Ecclesiæ PatrúmquePurpuratorum Senatus, tam diuturnæ Votorum discordiæ modum tandem ponere per compromissi viam elegit, ultimúmque suffragium senos in Cardinales liberrimè transtulit. Atque hos inter *Guido* noster, titulo S. Laurentii in Lucina Præsbyter Cardinalis loco secundo designatus, tam suum, quàm cæterorum post se Vota, prima statim calculorum sorte, feliciter direxit in *Theobaldum* Archidiaconum Lugdunensem: quem antea universis Patribus illico laudatus *Joannes* Cardinalis noster Portuensis prolixo & facundissimo sermone insigniter commendaverat. Neque hic conceptam de se spem fefellit: sed Ecclesiæ sub nomine *Gregorii* X.^mi tanta cum Virtute præsedit, ut à morte pro eo, Sanctorum in Album referendo, creberrimæ preces porrigerentur. *Raynald.* Annal. Eccles. XIV. p. 181. n. 8. *Ughellus* Ital. Sacr. I. col. 135. sqq.

II.

II. *Richardus*, Frater *Henrici* III. Angliæ Regis, Comes Cornubiæ, & AN. 1256. discordibus votis, unacum *Alfonso* Castellæ Rege, Romanorum in Regem electus, hoc verò præsenti anno apud Castrum Berckamstaedt V. Non. April. viam universæ carnis ingressus, Corde quidem ac Intestinis Oxonii in Ecclesia Fratrum Minorum, Corpore verò apud *Haylense* Cœnobium Ordinis Cisterciensis in Agro Gloucestrensi requiem cepit: cujus ipse ANN. 1246. Fundator Munificus, impensis Marcis decies mille, extiterat. Dedicationem Ecclesiæ ejus Regio cum splendore, ac sumtu, præsentibus Rege, ac Regina, tredecim item Episcopis, procuravit AN. 1251. Supremis tabulis octo millia Unciarum Auri, in Bellum sacrum impendenda, legavit. *Matheus Paris* Histor. Anglic. p. 827. n. 40. aliique Scriptores Angli in *Monastico Anglicano* Tom. I. p. 928.

Richardus Anglus in Cœnobio nostro Haylensi, quod fundavit, sepultus.

Annus 1272.

III. HOc anno *Petrus Garces*, ex Abbate *Petræ* Monasterii Cisterciensis in Aragonia, electus Episcopus *Albaracinensis* in Regno Valentiæ, 25. Annorum Præsulatum, ab ANN. 1246. summa cum laude famæ & virtutis exactum, beata morte consummavit. *Jongelin.* Notit. Abbatiar. Cisterc. Libr. VI. p. 15. Apud Regium Parthenonem Hispaniæ *S. Mariæ Regalis*, sive *de las Huelgas* prope Burgum, sub D. Abbatissa *Agnete de Laynez*, solemni ritu depositus est Serenissimus Castellæ Infans *Fernandus*, natu maximus *Alfonsi* Sapientis, Castellani, & electi Romanorum Regis Filius, Regnorum Hæres futurus, nisi subditorum lugentium spem pulcherrimam mors velocior succidisset. *Manriq.* Append. Tomi III. p. 6. Insuper & *Calatrava* nostra, sub Magistro *Joanne Gundisalvo*, in Ecclesia sua cum planctu contumulavit Serenissimum alterius Infantis *Alfonsi* Castellani funus: quem vivum suorum Familiarium numero accensuerat. *Idem ibid. p.* 24.

Petrus Episcop. Albaracinensis.

Regia Funera apud nostros deposita.

Annus 1273.

IV. GRegorius Papa X. ad Lugdunenses Cives cum Clero Cathedrali ibidem conciliandos, præter Abbatem Cluniacensem, pariter ablegavit Abbatem *Casæ DEI* Cisterciensem. *Raynald.* p. 211. n. 24. Idem quoque Pontifex *Anselmum*, Cisterciensis Instituti Monachum, Capellanum suum, ac Pœnitentiarium, Florentiam submisit, ut resipiscentes Guelfos à Censuris absolveret. *Id.* p. 213. n. 29. *Theobaldum de Ceccano*, postea creatum à se Præsbyterum Cardinalem, tunc Fossæ Novæ Abbatem, in Germaniam ad Principes Electores direxit, qui eosdem seriò ad novi Regis Romani Electionem, post Interregnum tam diuturnum, támque perniciosum, hortaretur: secus

Commissiones nostrorum Apostolicæ.

eisdem denunciaret, ipsum Pontificem Ecclesiæ Apostolica Auctoritate Tutorem Augustum daturum esse. Quæ Legatio tam feliciter cessit, ut, ipso DEO sortes miscente, *Rudolphus* Habspurgicus ex urna prodiret, atque Cistercio perennis hæc memoria dulcis fieret, suâ etiam operâ nonnullâ, Gloriosissimam Domum Habspurgicam per secula Augustam evasisse. *Eggs* Purpur. Doct. Libr. I. p. 218.

Monasterii *Stamsensis* occasio.

V. Breve Chronicon Monasterii *Stamsensis* in Tiroli Ordinis Cisterciensis apud Cl. *Hieron. Pezium* Scriptor. II. col. 457. ita habet. „Anno Domini MCCLXXIII. Claustrum *in Stams* „constructum est à prædicto Comite (Goritiæ nimirum ac Tirolis) *Meinhardo*, & ab *Elizabet* Conthorali sua, quæ erat Filia Ducis Bavariæ, ac relicta piæ Recordationis quondam *Conradi* Regis Romanorum. Anno Domini MCCLXXIII. in die „S. Dionysii obiit prædicta Domina *Elizabeth*, Fundatrix hujus Cœnobii, hìc sepulta &c. Retuli jam *Decade* priori §. I. ad Ann. 1269. n. 42. Dominam *Elisabetham*, Filiam *Ottonis Jllustris* Bavariæ Ducis, Conjugem olim *Conradi IV.* Romanorum Regis, & ex eo Matrem *Conradini*, ad hunc è captivitate & morte eliberandum, ingentibus cum thesauris Neapolim se contulisse ad *Carolum* Siciliæ Regem. Quia verò seriùs, & post fatalem juvenum Principum, *Conradini* Suevi Filii sui, & *Friderici* Austriaci percussionem jam peractam advênit, Ecclesiæ saltem ibidem in Filii sui memoriam fundandæ facultatem, frustra tamen, apud Regem rogâsse. Proinde mœrore plenam rediisse, domique, quod animo proposuerat, exstructione Sacræ Domus animam Filii expiare apud Superos decrevisse.

Fundatio.

VI. Quapropter *Meinhardum* Comitem Goritiæ ac Tirolis, nunc Conjugem suum, cui secundo loco à morte *Conradi* Regis nupserat, enixîs precibûs ad hoc induxit, ut una secum novæ Fundationi manum efficacem porrigere vellet. Coëmit illa Dominium *Stams* Comitatus Tirolensis ad Oeni ripas, illúdque feudi vinculo, quo Cæsari ac Imperio obstrictum erat, sumtu congruo eliberavit: Sacro deinde Ordini nostro Cisterciensi in Locum fundúmque Cœnobii benignissimè obtulit, Fundatione prope Regia assignata. Verumtamen imis Ædificiorum fundamentîs necdum absolutîs, devota hæc Domina in domum æternitatis avocata fuit die 9. Octobris, ipso festo SS. Dionysii & Eleutherii, viduo Marito negotii sancti executionem relinquens. Perfectô per ipsum Claustrô, Colonia prima Regularis ex Cæsarêa illic introducta fuit: Ecclesia verò septem Episcoporum concursu die 5. Novembris An. 1284. celebrata est. *Meinhardus* Comes Fundator, postea Carinthiæ Dux, ut hæc nova Fundatio per Successores Principes tantò

Perfectio.

elemen-

clementiùs protegeretur, non modò Fundatricem *Elisabetam* hic sepeliri, sibique, ac Posteris, elegantem cryptam apparari fecit: verùm etiam ex Arce, quæ Tirol appellata, toti Provinciæ Nomen tribuit, 12. Corpora anteriorum Comitum, & in his Avi quoque, ac Aviæ, Patrisque sui Ossa, solemniter huc transferri præcepit. Ita ex Notit. domest. *Stamsens.* Doctiss. P. *Augustin. Sartor.* Cisterc. bis tert. Vernac. p. 932. sqq.

VII. Cistercii celebratum est Capitulum Generale, & in eodem per *Joannem I.* Archi-Abbatem Comitiali decreto sancita sunt duodecim Officia Mensium per Annum, i. e. Anniversaria pro iis, quorum Annua Obitus memoria illo mense recurrit. Semel itaque in singulos cujuslibet Anni Menses universo in Ordine nostro, omnibúsque Cænobiis, persolvitur in Choro Defunctorum Officium, cantatur Missa solemnis de Requiem, & insuper ab unoquoque Sacerdote Ordinis Missa una privata celebratur pro omnibus eo Mense defunctis, suísque gratam recordationem, in quocunque Ordinis Cœnobio, pio aliquo benefacto, vel devota largitione promeritis, diligenti Decreti hujus observantia in hanc usque diem perseverante. Eapropter tamen peculiaria, sive Fundatorum, sive insignium Benefactorum Anniversaria, suis quibûs occurrunt, mensibûs, atque diebûs, nihilosecius nullo in Monasterio omittuntur. *Manriqu. Append. Tomi I. p. 479.*

Instituuntur Officia 12. Mensium in Ordine.

VIII. Ad idem porro Capitulum Generale RUDOLPHUS I. Habspurgicus, candidissimis certè lapillis nuperrimè ad Romano-Regium Germaniæ Thronum evectus, Electionem suam, uti aliàs non nisi Principes mutuò faciunt, clementissimè perscripsit, Ordiníque nostro Gratiam Augustam pollicitus, communia sibi Precum universi Cistercii suffragia summa cum dignatione exoravit. Fecit id sanè, tum propter egregiam apud se Ordinis Existimationem, tum, quòd recordaretur, operâ Abbatis cujusdam Cisterciensis, qui Legati Apostolici Munus dexterè sustinuerat apud Imperii Principes, Electionem illam, quæ suam in Personam felicibûs votis ceciderat, auspicatissimè promotam fuisse. Literas ejus Reverendissimus D. *Joannes Seifridus* Abbas Zwetalensis ex Codice *Rudolphino* Epistolari, quem ipse è MSS.torum Voluminum S. Crucis ac Zwetlæ exemplis congessit, sesqui altero propè abhinc Seculô in Dedicatione Libri I. *Arboris Anicianæ*, sive *Genealogiæ Habspurgo-Austriacæ*, hunc in modum vulgavit.

Rudolphus Cæsar suffragia Ordinis poscit.

IX. „Assumti divinitus ad Romani Imperii dirigenda Moll-„mina, dum in eminentis Speculæ Celsitudine, cui Nos Ma-„nus Domini virtuosè præfecit, ad deorsum subjacentis abyssi „faciem oculos retorquemus, dum incultum hactenus Agrum

Literæ ejusdem ad Capitulum Generale.

„ ejusdem Imperii circumquaque proſpicimus, tempeſtatum in„ ſurgentium denſitate quotidie ſylveſcentem, quodam nimirum „ timore pariter, & tremore demittimur ex præmiſſis, incerta „ formidine meritò trepidantes. Verum rejectis interdum ad „ noſtræ primitivæ Sublimationis Auſpicia noſtræ Conſideratio„ nis obtutibus, attendentes, quòd Manus Altiſſimi de tam hu„ milis loci tugurio ad tam celſa, tam faſtigioſa Palatia nos pro„ vexit, in eo, cujus admiranda Potentia dat, per Gratiam eſſe „ ſtabilia, quæ ſunt fragilia per Naturam, Noſtræ fiduciæ ſpem „ locamus, præſumentes fiducialiter, quòd Opus, quod Omni„ potentiæ ſuæ dignoſcitur ineffabili diſpenſatione contextum, „ felici præſagio conſumabit. Porro cùm ad hoc Juſtorum pre„ ces aſſiduas Nobis ſummopere neceſſarias æſtimemus, De„ votionem Veſtram attentius exhortamur, quatenus debita „ Gratitudine diligentiùs advertentes, quòd in veſtris agendis „ Regia Vobis Celſitudo libenter aſpirat, piarum Orationum ve„ ſtrarum ſuffragiis Nos Divinæ Miſericordiæ commendetis.„

Alias dedit ad Sanctimoniales noſtras.

X. Auguſtam hanc Epiſtolam pariter transſcribens Rever.mus *Czerwenka* in Act. Pietat. Habſp. Auſtr. Libr. I. p. 35. addit & alteram, Sanctimonialibus Ordinis noſtri peculiariter directam, cum inſigni Virginei Inſtituti commendatione: quæ forſitan inde profluxerit, quòd memor exiſteret Vatidici illius Præſagii, à Recluſa quadam, ſibi Cognata, quámque aliqui Ciſtercienſem fuiſſe tradiderunt, ſibi adhuc Comiti facti, fore, ut, Euchariſtici ſui Cultus gratiâ, Romanum ad Thronum à DEO ſublimandus eſſet. Undecunque in hanc Virginum noſtratium Religioſarum opinionem inductus fuerit, eam certè apud ſe maximam fuiſſe, ſequenti hoc tenore Literarum denuo ſuarum luculentiſſimè commonſtravit.

Earum tenor.

XI. „ Ad Speculam Dignitatis Regiæ Ordinatione Divina „ provecti, dum importabilia onera, noſtris humeris incum„ bentia, diligenter attendimus, dum in trutina continuæ Me„ ditationis appendimus propriarum imbecillitatem & inſuffici„ entiam Virium, & ſuſcepti laboris inſpicimus gravitatem, „ quodam nimirum timore & tremore ſtupere compellimur, „ & Gradus præeminentiam, & perſpectam deorſum Abyſſi fa„ ciem formidantes, ne Loci forſitan terribilis Altitudo plerúm„ que nos terreat. Et fiduciâ tamen Divinæ Clementiæ rele„ vamur, ſperantes, quòd hujus procelloſi & ſpatioſi maris illæ„ ſi tranſire poſſimus anguſtias, ſi ſalutis & gratiæ impetretis No„ bis auxilium: quæ Cæleſti Sponſo in Conſcientiæ veſtræ deli„ ciis Lectum floridum præparâſtis. Quid enim vobis à Pietate „ Divina negabitur, quam ſemper meremini habere propitiam „ Virtutum candore, & fragrantia operum beatorum? Quid

apud

„apud Reginam præfulgidam Matrem DEI vestra non poterunt „obtinere præconia, quarum meritis fulget Ecclesia, viget „Mundus exemplis, & proficit Religio Christiana? Quid illa „Clarissima Acies Civium supernorum vestris votivis non im„petrabit affectibus, quæ vobis propitia redditur pro Laudis Di„vinæ præconiis, & pro vitæ meritis innocentis? Ecce igitur, „qui cum Martha multiplicis perturbationis inquietamur in„commodis, opportunum auxiliationis solatium exspectantes ab „acquiescentibus cum Maria, Universitatem Vestram, quam „Regis æterni Gratiam, & cælestis Curiæ favorem, claris ha„bere argumentis præsumimus, votis supplicibus duximus re„quirendam: quatenus Nobis, ac Inclitæ *Annæ*, Romanorum „Reginæ, Consorti nostræ Charissimæ, Divinæ Omnipotentiæ „Gratiam vestris piis interventionibus acquiratis, ut ejus admi„randa Potentia faciat per Gratiam esse fortissima, quæ sunt fra„gilia per Naturam, debilitatem nostram robore fulciat, & vir„tute corroboret, détque Nobis ab alto prosequi, quod com„misit, & tradidit, quatenus in Gloriæ suæ convalescat au„gmentum, & Christianus Populus una Nobiscum in pulchritu„dine Pacis, & Requie opulenta consideat, tandem Claritatis per„petuæ radiis illustrandus.„

XII. Congruit verò, ut & mutuam *Joannis I.* Archi-Abbatis Cistercìensis Epistolam, tam suo, quàm Generalis Capituli nomine, novo Cæsari redditam, adscribamus, ante nos, tam à *Seifrido*, quàm *Czerwenka*, unde suprà, vulgatam, & ita habentem. Responsoriæ Capituli Generalis.

„Serenissimo RUDOLFO, Romanorum Regi „Electo, Fr. JOANNES in illo feliciter agere, qui „Regibus dat Salutem.

„SUblimitatis Regiæ Vestræ Literas susceptas cum reverentia de„bita legi feci coram Fratribus, de diversis Mundi partibus con„gregatis. Et quia eædem, quasi duplici fungentes officio, no„strorum Fratrum, Vestræ Excellentiæ devotorum, exhiberi Vo„bis devotarum Orationum suffragia postulabant, & Vos eorun„dem singularem Dominum, Dilectorem præcipuum, & Pro„visorem Munificum testabantur: non solùm auditæ fuerunt „libentiùs, & gratiùs intellectæ, verùm etiam ipsarum petitio „efficaciter, & hilariter meruit exaudiri. Noverit igitur Vestra „Serenitas, quòd pro Vestræ conservatione Salutis pariter, & au„gmento, pro Illustrissima Domina ANNA, Vestræ Magnifi„centiæ Participe, nec non pro Præclarissima Vestra Prole, uni„versis & singulis Fratribus totius Ordinis nostri, Missæ, & alia„rum Orationum Suffragia sunt imposita, & injuncta, ab eisdem „eò libentiùs, & celeriùs Divinæ Clementiæ offerenda, quo Vos

„Patrem recognoſcunt Benevolum, & ipſorum fervidum Zela-„torem. Quos, licèt ex abundanti, Veſtræ Excellentiæ propiùs „recommendo, pro indultis eisdem Gratiis & Favoribus in gra-„tiarum Vobis multiplices actiones aſſurgens, paratus nihilomi-„nus, ea promtiori animo, juxta modum facultatis propriæ, „effectu proſequente complere, quæ accepta novero Veſtræ be-„neplacito Voluntatis. &c.„

Epocharum defectus ratione ſuppletur.

XIII. Epochæ in his omnibus cùm deſint apud primigenios editores, adjicere nec mihi integrum fuit. Rever.^mus^ *Manriqueus* noſter Append. Tomi I. p. 479. notavit, Reſponſorias Archi-Abbatis noſtri Generalis datas fuiſſe An. 1274. Quod licèt fortaſſis non fallat, neutiquam tamen obſtat, ne credamus, Cæſaris Literas, inclinante Anno priori, & non longè poſt Acta Electionis, atque ſuſceptæ Coronæ ſolemnia, exaratas fuiſſe. An conſimilia Epiſtolia ad alios quoque Sacros Ordines dederit, mihi non conſtat: ſi ad ſolum Ciſtercienſem, tantò illud clementiùs erat, magiſque eximium.

Annus 1274.

Noſtrorum præſentia in Concilio Lugdunenſi.

XIV. CElebratum hoc anno Concilium Oecumenicum Lugdunenſe in Gallia varia Sacrum Ordinem noſtrum ratione contigit, & illuſtravit. Cardinalium quippe, è Ciſtercio olim aſſumtorum, non unus duntaxat huic Synodo interfuit: in quibus *Joannes de Toleto* Cardinalis Epiſcopus Portuenſis, præter S. *Bonaventuram*, Ordinis Minorum Cardinalem, ac Doctorem Seraphicum, ipſis Eccleſiæ Comitiis durantibùs, cum decumano Pontificis, Patrúmque omnium luctu, piiſſima morte æterna in tabernacula evolavit. Interfuêre ſimiliter noſtris in Fratribus computati Archiepiſcopi, & Epiſcopi; inſuper Archi-Abbas noſter Generalis cum Abbatibus plurimis: quamquam peculiarem ſingulorum Syllabum nullibi adſcriptum reperrim.

S. Thomas Aquinas æger hoſpitio Foſſæ Novæ utitur.

XV. Divum *Thomam Aquinatem*, Prædicatorii Ordinis Doctorem Summum, Theologorum recentium Solem, in quo Puritas Virginitatis, excellentia Virtutum, & Scientiæ Cæleſtis Sublimitas, de palma litem æternam ſuſcitârunt, pariter ad hoc Concilium evocaverat *Gregorius* Papa X.^mus^, ídque tantò ardentius, quòd noviſſimè Sanctus hic Doctor contra errores Græcorum, qui hoc in Concilio in viam veritatis præcipuè revocandi erant, Librum conſcripſiſſet, nunc in facie Eccleſiæ exhibendum, inque uſum præſentem demonſtrandæ Latinæ Fidei convertendum. Verumtamen ipſe, Pontifici obſecuturus, atque Neapoli movens, jam ſub iter per Campaniam febri languere cœpit. Feſtino tamen obedientiæ pede etiam æger progreſſus, invale-

Invalescente morbo, devotis precibus *Theobaldi de Ceccano* Abbatis, & Monachorum Conventus *Fossæ novæ* Ordinis nostri, Neapolitano in Regno juxta Castrum Pipernum siti, acquiescere coactus est, & Religiosi Hospitii Officiis illa in Domo uti, quæ Progenitoribus ejus, Veteribus Comitibus *de Aquino*, Fundationem suam debebat.

XVI. Quemadmodum verò, priusquam Neapoli digrederetur, à Christo Cruci affixo audivisse refertur: *Benè de me scripsisti Thoma, quam ergo mercedem recipies?* & reposuisse dicitur: *Non aliam, Domine, nisi te ipsum:* his ipsis è verbis de instanti sui Corporis Resolutione prædoctus fuisse existimatur. Unde & Fossæ Novæ Claustrum ingressus, ajebat *Reginaldo* Socio suo: *Hìc habitabo*: sic ei obitum suum prænuncians. Dum febrim alterna plurium dierum vicissitudine pateretur, oblata traditur illi à Monachis Expositio S. *Bernardi* super Cantica, addita supplicatione, dignaretur in ea, quia perfecta non erat, pergere, hujusque Divini Epithalamii mysteria ulteriùs explicare. Quod ille, præmissa ob humilitatem hac excusatione: *Date mihi Spiritum Bernardi*: nihilo tamen secius egerit. Ast verò *Oudinus* Commentarior. de Scriptor. Eccles. Tom. III. Dissertat. de *S. Thoma Aquinate* Cap. XVI. col. 312. sqq. omnino quidem fatetur, unum ex geminis in Cantica Commentariis, qui in Sancti hujus Doctoris Operibus evulgati sunt, ipsum Auctorem habere: negat verò, ab ipso, ad preces nostrorum Cisterciensium, sub vitæ extremum componi potuisse, eò, quòd Lectoribus omnibus nequaquam hominis ægri, & moribundi, sed integrè sibi constantis indicia præbeat. Absurdum ille putat, arbitrari velle, Monachos Fossæ-Novenses tam difficillimæ Scripturæ commentatione moribundum Doctorem, non nisi per summam inhumanitatem, fatigare voluisse. Cui primùm accedit, S. Thomæ Expositionem in Cantica integram esse, strictámque, non verò prosequi, vel diffusione Sermonum imitari Commentaria Doctoris Melliflui. Deinde, vix constare de aliqua Bibliotheca Cisterciensi, D. *Thomæ* Expositionem servante: quam tamen, apud nostri Instituti homines præ omnibus, reperiri debuisse credibile sit, si ad nostrorum preces confecta fuisset. Quamvis porro Sanctis in Hominibus multa possit, multa præstiterit Gratia DEI, quæ Naturæ impossibilia erant: tametsi præterea perspicacissimis Criticis complura incongrua temporibus, Locis, Personis videantur, quæ tamen Ævô suô opportunissima à præsentibus credita fuêre: nolim tamen ego hìc sententiam dicere, sed rem omnem suo loco relinquo. Certum est interim, atque à nemine in disceptationem tractum, hunc S. Doctorem Angelicum, postquam omnia Scripta sua S. Matris Ecclesiæ judicio quàm humillimè subjecisset,

Ubi piè defungitur.

An ibidem rogatu nostrorum Cantica Canticorum exposuerit?

inter

inter psalmos, & suspiria nostrorum, Non. Martii sanctissimo fine quievisse, & sanctissimo Corpore suo Ecclesiam Fossâ-Novensem compluribûs Annis, non sine prodigiis, illustrâsse.

Merita Militiarum nostrarum *Alcantariensis*, & *Calatravensis*.

XVII. Militiæ nostræ Alcantariensis Supremus Præfectus *Garsias Ferdinandi*, ingentia apud *Alfonsum Sapientem*, Castellæ Regem, & Romanorum Electum, posuit merita, in partibus ejus, cum suis Militibus fidelissimè perstans, dum Regis Frater *Philippus*, quin & *Sanctius* Filius *Alfonsi*, non modò arma ipsi corriperent, verùm etiam Saracenis, ac Mauris, fœderatam dextram conjungere non verecundarentur. Pugnavit *Garsias* in hostes Regis, quàm fortissimè poterat, ad internecionem tamen, si se Pagani suis objicerent: si Christiani, nequaquam ultrà, quàm defensionis necessitas posceret, pulcherrimo Christiani Militis exemplô. *Manriqu. Append. Tomi IV. p. 571. n. 8.* Paria eidem *Alfonso* Regi obsequia eximiè præstitit *Joannes Gundisalvus* Calatravensis Militiæ nostræ Princeps Magister: donec suâ potissimùm operâ, Regi Filius, Fratérque conciliarentur, versâ in eos vindictâ, qui intestinas has flammas, lucro suo, Regni autem detrimento maximô, succenderunt. Dum interim *Sanctius* Archiepiscopus Toletanus, *Jacobi* Aragonum Regis Filius, Agmen quoddam in Saracenos incautior eduxisset, atque post eum *Gundisalvus* noster suppetias duceret, acto jam ante suum adventum certamine, in quo succubuit Archi-Antistes, de hostibus quidem pœnas repetiit, Præsulis verò Corpus, cui Caput cum dextra resectum erat, mœstus Toletum hoc anno reduxit. *Id. Append. Tom. III. p. 24. n.* 16.

Fundatio Cœnobii Cellæ Principum.

XVIII. In Bavaria inferiori, Oenum inter, Vilsnámque fluvios, *Hartwicus*, Bavariæ Ducum Capellanus, postea Canonicus Pataviensis, coëmta An. 1274. à *Leopoldo* Præposito S. Nicolai extra muros Pataviæ Villa quapiam, & Capellâ, ruinæ proximâ, moliri cœpit Monasterium Cisterciense, primis Monachîs ex Alderspaco advocatîs, Locóque nomen vetus, quod olim Villa gerebat, nimirum *Cellæ*, adhærere constituit. Cùm verò ad perficiendum sibi sumtus congrui deessent, *Henricus* Bavariæ inferioris Dux An. 1276. Ædificia consummavit, Possessiones auxit, & egregias Immunitates perfecto à se Cœnobio huic indulsit, hanc in diem sub nomine *Cellæ Principum*, vulgò, *Fürstenzell* florenti. *Sartor. Cisterc. bis Tert. vernac. p. 676.*

Monasterii S. Jacobi.

Apud Ungaros hoc Anno in Insula Danubii fundatam esse Abbatiam S. *Jacobi*, ex MS.to Archivii nostri Catalogo notavit noster R. P. *Malachias Rosenthal in Actione* Ord. Cisterc. pro Monaster. Ungar. p. 11.

An-

Annus 1275.

XIX. T*Heobaldus de Ceccano* Abbas *Fossæ Novæ*, quem antea, ut Legatum Apostolicum, Germaniæ Principes ad Novi Imperatoris Electionem feliciter incitâsse, annóque priori Divum *Thomam* Aquinatem suo in Monasterio ægrum excepisse, defunctum tumulâsse, prædicavi, hoc Anno à *Gregorio* Papa X.^mo^, postquam varias priùs, utilésque etiam in Italia Legationes obiisset, Sacrâ Cardinalium Purpurâ condecoratus fuit. *Ughellus* apud *Gacconii* Vitas Pontiff. sub *Gregorio* X. p. m. 750. Idem Papa pro Cistercio universo, de Consilio Cardinalium, Bulla maximè solemni innovavit plenam ab omni decima, præstatione, & exactione Immunitatem: Ubi post speciosissimas Ordinis laudes, ac præcipuè Hospitalitatis in pauperes læta præconia, hac usus est ratiocinatione: *Quid enim opus est, ea decimare, vel per partes exigere, ad serviendum exinde Domino, quæ ipsius sunt servitiis totaliter deputata?* Tenorem integrum Bullæ exhibuit *Henriquez* noster post *Menolog. Cisterc.* in *Cod. Privilegior. Ord.* n. 44. p. 80.

Theobaldus de Ceccano fit Cardinalis.

Gregorii X. Privilegium pro Ordine.

Annus 1276.

XX. J*Acobus* I. Aragonum Rex, tam diuturnitate Imperii, quod in annos planè tres & sexaginta extraxit, quàm dilatatâ rerum gestarum famâ celeberrimus, postremam Vitæ suæ Scenam insigni pietate ornavit. Postquam enim de Mauris, aut Saracenis, inimicis Crucis Christi, tricesies pugnans, perpetuò triumphâsset, ut eorum Flagellum audiret, passímque Preliatoris Elogio claresceret: postquam & Balearicum, & Valentiæ Regnum Christo, sibíque acquisivisset, in utróque, ac aliis Hispaniæ Provinciis, duo facilè millia Templorum, uti volunt, excitans, instaurans, vel certè Christiano ritu DEO consecrari demandans: postquam Ordinem B. MARIÆ Virginis de Mercede pro Redemtione Captivorum instituisset, Gloria, Virtute, ac Meritis nulli Regum secundus: cùm se postrema infirmitate Algeziræ pulsari existimaret, advocatis ad se Filiis, *Petro*, atque *Jacobo*, itémque *Bernardo* Abbate nostro Populetano, *Petro* quidem Natumaximo Aragonicum, *Jacobo* Balearicum Regnum liberè, ac integrè cessit: Se verò, suscepta Veste Cisterciensi, è vestigio Ordini tradidit, totum Vitæ reliquum Populeti exacturus: quò statim cum Abbate, non jam ut Rex, sed ut humillimus Monachus, perrexit. Verumtamen priusquam eò pertingeret, febri ex motu aggravata, in Regia Urbe Valentia die 27. Mensis Julii hujus Anni, inter Abbatis, pluriúmque Monachorum preces, devotissimè exspiravit, Populeti terræ commendatus. *Raynald.* XIV. p. 252. n. 23. *Manriqu. Append. Tom. II.* p. 38.

Jacobus Aragonum Rex Monachus Cisterciensis.

Pirckenfeldensis Parthenon fundatus.

XXI. In Franconia prope Neostadium *Fridericus* Comes *Hohenzolleranus*, cui cum *Rudolpho* I. Augusto Habspurgico, & Sanguinis necessitudo, & Animi summa semper Conjunctio fuit, quique ab hoc Cæsare primus Burggraviatum Norimbergensem hæreditario feudo consecutus est, cum *Helena* Uxore, hoc anno 1276. Parthenonem Cisterciensem construxit, *Pirckenfeldæ* nomine indito. Augmentum postea ingens huic Fundationi Equites *Seckendorffii* dedêre. Visitatores erant Abbates Eboracenses. Sed enim *Albertus* Marchio Brandeburgicus, Burggravius Norimbergensis, Supremus Ordinis Teutonici in Prussia Administrator, primúsque Prussiæ Dux, Sacrîs Catholicîs post medium Seculi XVI. relictîs, nihil hæsitabat, Fundationem hanc Sacram DEO surripere, ac sibi suísque attrahere. *Sartor.* Cist. bis tert. vernac. p. 863. In Scotia hoc, & proximo anno, perfectum est Monasterium Cisterciense, latinè dictum *Dulce-Cor*, vernaculâ patriâ *Suetbaert*, vulgariùs *New-Abbey*, Fundatrice Domina *Dervogilla Macdoual*, Filia *Alani* Brigantum Reguli, & eximiis postea Benefactoribûs *Maxuelliis*, Nobilibus Dominis *de Rinkanel.* Hodie illud, cum omni ejus Regni Religione Catholica, jacet postratum. *Jongelin.* in Notit. Abbatiar. Cist. L. VIII. p. 18.

Item *Cor Dulce* in Scotia.

Annus 1277.

Parthenon *SS. Bartolomei & Apri.*

XXII. HOc anno Parthenon quidam Benedictinus antiquissimus, cujus Fundatio, ac Fundatores ignorantur, prope Coloniam Agrippinam consistens, à *Sifrido* Archiepiscopo Coloniensi traditus est Ordini Cisterciensi, Cœtu primo Virgineo *Mariæ-Bendano*, sub Visitatione D. Abbatis Veteris Montis introducto. Posteaquam verò bella crebrò graviterque sæviebant, Virgines intra Urbem Coloniensem apud Ecclesiam S. Apri receptæ fuerunt: ubi cùm & S. Bartolomei Apostoli brachium publicæ sit Venerationi expositum, Parthenon iste *ad SS. Bartolomeum & Aprum* appellatur. *Sartor. Cist. b. tert. vern. p. 632.* Celebris circa hunc annum fuerat *Albericus* vulgò dictus *Thosanus*, Monachus Ordinis nostri in Flandria, Domóque *Deirin Doest*, sive in Capella *Thosan.* Qui sub titulo: *Vox de cœlo per os boni Pastoris nostri S. BERNARDI facta in cordibus Principum & Baronum Christianorum:* Chronicon quoddam Terræ sanctæ, sive sacras in eam Expeditiones Principum, Gallicè descriptas à quodam nostri Ordinis Monacho *Dunensi*, latinè transposuit, multúmque ulteriùs adauxit. Pergratum Belgis hoc Chronicon fertur, eò, quòd Nobiles Flandrorum Familias maximoperè illustret, Avósque earundem, olim in Palestinam sub Crucis Labaro profectos, ex nomine atque Cognomine exactissimè percenseat: & vel ideo, licèt MS.tum duntaxat

Albericus Thosanus Scriptor celebris.

taxat asservari soleat, communis tamen quodammodo Probationum est Codex, quo Stirpes Jllustres utuntur. *Carol. de Visch* Prior Dunens. *in Biblioth. Cisterc.* p. 16. Laudat pariter hoc *Chronicon* Reveren.^mus *Ughellus* noster, qui illud MS.^tum tenuit, suúmque in Usum sæpenumero convertit.

Annus 1278.

XXIII. STephanus de Orinigo Monachus Monasterii *de Vidolbono* Diœcesis Mediolanensis Ordinis Cisterciensis, tam summa erat Virtutis atque Doctrinæ existimatione, ut à Capitulo Metropolitico *Compsano* Regni Neapolitani in Provincia Ulteriori concordibus votis Archiepiscopus acclamaretur. Sed ille humilitatem Obedientiæ præ fastigio Præsulari securiorem reputans, & Contemplationis quietem, Metropoliticæ amplitudini anteponens, gratias Electoribus egit, atque Dignitatem deprecatus, eidem coram *Nicolao* III. Pontifice liberè nuncium remisit. *Ughell. Ital. Sacr. Tom. VI. col. 818.* Lotharingicum intra Ducatum ad Episcopatus *Virdunensis* Candelabrum elatus est *Henricus de Grandson* Abbas Castellionis, hoc è fastigio suo plurimum Virtutum splendorem decennio integro emittens. *Gallia Christ. Fratr. Samarthanor. Tom. III. p. 1169.* Præcesserat eum Frater Germannus *Gerardus Grandson*, sed Ordinem non professus: qui tamen æquè, ac postea Frater, Cœnobio Castellionensi, intra fines Diœcesis Virdunensis existenti, permunificus fuit. *Jongel. Notit. Libr. I. p. IV. in Monaster. Lothar. n. 10.*

Episcopales nostrorum Infulæ.

Annus 1279.

XXIV. CÙm *Alfonsus* Lusitaniæ Rex, compluribûs Annîs Regni sui, Præsules, atque Ecclesias graviter vexâsset, multisque damnis affecisset, eapropter Summorum Pontificum graves Literas, minas, ac tandem censuras promeritus: demum, ut fieri assolet maximè apud Reges, omnium plerúmque ad pœnitendum difficillimos, morbo pertinaci, mortisque viciniorîs metu pulsatus, aurem perfrequentibus Abbatum, præcipuè Cisterciensium, adhortationibus & obsecrationibus præbuit, atque ad cor rediens, ablata Ecclesiis plurima, tum ipse restituit, tum alia damna illata *Dionysio* Filio suo compensanda præcepit, Summo se Pontifici humiliavit, & morti jam valde propinguus, à *Stephano* Abbate nostro *Alcobaciæ* Censurîs omnibûs, quibus devotus erat, exolutus fuit. *Raynald. h. a.* p. 309. n. 29. *Manriqu. Append. Tom. II.* p. 7.

Alfonsus Lusitaniæ Rex à nostris ad frugem reductus.

Annus 1280.

XXV. HUnc, propinguósque sub Annos, Dominus *Ebro* Abbas *Zwetalensis*, Virtute, Eruditione, atque Pruden-

Dominus *Ebro* Abbas Zvvetalensis Historiæ

sui Monasterii Scriptor. dentia magna, Celeberrimam suam Claramvallem Austriæ ab An. 1273. usque 1304. toto tricennio vigilantissimè gubernans, è Monumentis Domesticis, ac fide dignioribus hominum Seniorum Relationibus, Archivióque Monasterii, laudabili admodum studio conscripsit Historiam de Origine Cœnobii sui, & Stirpe ejusdem Fundatrice *Chunringica*, olim per omnem Austriam præpotente: qua ipsi pariter Austriæ lucem non minimam affundebat. Hanc deinde Rever.[mus] D. *Linckius*, ejusdem Cœnobii Abbas Inclytus, Annalibus suis prolixis *Zwetalensibus*, tandem Anno 1723. publico typo vulgari cæptis, fundamenti locò perlubenter substernebat.

Gemielnicum fundatum. XXVI. In Silesiæ Ducatu, Munificentiâ Ducum Oppeliensium, surgere hoc Anno cæpit Cænobium Cisterciense, cui nomen *Gemielnicum*, Filia *Raudæ* Silesiacæ. Ineluctabiles propè erant Calamitates hujus Domus in tot bellorum, hæresúmque furoribus: semper tamen, opitulante Deo, salvum saltem efferre Caput, & apud Ordinem persistere, eidem concessum est. *Sartor. Cist. b. tert. vern. p. 677.* In Hungaria Fundatio *Montis S. Mariæ in Loco Regali* huic pariter Anno 1280. ex Catal. Fundat. Hungaricar. MS.[to] Archivii nostri assignata fuit à nostro R.P. *Malachia Rosenthal* in Action. Ord. Cist. p. 11. *Waverleyense* Cœnobium Angliæ, in Comitatu Surriæ, *Nicolaum*, è Gremio quondam suo ad Episcopatum *Wintoniensem* incertâ Ærâ promotum, hoc Anno suis honoribus defunctum, denuo in Ecclesia sua recepit. *Jongelin. Libr. VIII. p. 4. n. 2.*

Item Mons S. Mariæ in Loco Regali.

Nicolaus Episcopus Wintoniensis.

§. III.

Res Monasterii.

Annus 1271.

Berchtoldus Abbas noster diuturnus obiit. I. Dñum *Berchtoldum* Abbatem, cui DEus per communia Fratrum suffragia An. 1233. Supremum Campililii Clavum in longa octo & triginta Annorum, nec non difficillima quoque tempora gerendum, regendúmque commisit, Mors pia hoc demum Anno, optimè, quantum constat, ministrantem, ad bonum in Cœlis Gradum evocavit, sic notante *Necrologio* nostro: *XIV. Kal. Junii* (die Maji 19.[na]) *Obiit piæ memoriæ PERTHOLDUS Abbas in Campo Liliorum.* Sustinuit graves à vicinis Nobilibus Dominis Vexationes, quarum nullas meruerat: angebatur terribili metu toties in Austriam, sub *Friderico Bellicoso*, & *Otocaro* Rege, incursantium Ungarorum, Bohemorum, Tartarorum, omnísque Generis hostium. Sed habitans in protectione DEI Cœli per immobilem Virtutis fidu-

duciam, non solùm cum Campililio suo salvus exivit, verùm etiam sanctâ disciplinæ observantia adeò benè fragrabat, ut & Regem *Otocarum*, cui toties humillimè supplicare cogebatur, ad vota semper clementem haberet, & alios plures Illustres ac Nobiles Viros, quod suis Annis per allegata frequentia Instrumenta laudavimus, Beneficos promereretur. Dignum ergo hunc laude Virum hi Fasti nostri meritò mori vetant.

II. Qui successit *Herwicus*, idem, ut arbitror, quem Annis 1263. & 1267. in Chartis nostris, ut Priorem, sive causam egisse, sive testatum fuisse, asserui, longè brevior Abbas futurus, pariter tamen bona, & ipse ita fecit, & à suis fieri procuravit, ut vicissim alios Campililio crebrò benè affectos, benéque facientes experiretur. Prima ex his Dña *Bertha de Hohenberg*, cum assensu Mariti sui *Dieterici*, legavit nobis annuos duorum talentorum redditus de sua hæreditate in Stewz. Defuncto autem Conjuge suo, hoc eodem Anno, cum omnibus Liberis suis, cessit liti, ac detentioni Montis Dietrichberg, à Marito suo semper occupati, die 18. Septembris. *Otocarus* Rex Feuda duo in Villa Grauenberg, hucusque à duobus Dñæ *Margaretæ*, quondam Reginæ, Servitoribus vitalitio jure possessa, nunc morte eorundem aperta, Proprietatis titulo concessit Monasterio nostro, quod & Villam ipsam possidebat, *Wiennæ Non. Junii.* Ibidem quoque *Chunradus Hartrat*, è Nobilioribus Wiennæ Civibus, Curiam suam Villicalem in Inczesdorf, Pratúmque in Erla, liberè nobis donavit, die 10. Augusti. *Henricus* præterea, dictus *Streuno de Schwarzenawe*, magnæ Nobilitatis Vir, cum consensu *Agnetis* Uxoris, causâ devotionis contulit nobis Fœnile suum propè Lachsenburg. Tandem interventu *Henrici*, Conversi cujusdam nostri, cognomento *Chorn*, Provisoris in Grangja Haidpach, Predium quoddam, cum Sylva, & pratis ibidem, nobis à *Chunrado de Riccbers* venditum fuit.

Successit *Herwicus*.

Benefici in eum: Dña *Bertha Hohenbergica*;

Otocarus Rex;

Aliique.

Annus 1272.

III. Evocatus hoc Anno Novam in Civitatem *Herwicus* Abbas noster, bis ibidem, Laudô celebratô gravibus in discordiis pacem sancivit. Primi námque *Vischlini* duo, *Verzo* & *Wernherus*, non infimæ fortunæ Cives, Præsuli nostro, ac Fratri *Ulschalco Vischlino*, Propinguo suo, Professo nostro, controversiam suam cognoscendam, & amica compositione tollendam commisêre die S. Laurentii. Mox deinde ob hanc litem feliciter, comitérque, ut auguror, sublatam, alii duo Burgenses, nempe Cives, quorum Nomina tacentur, rursum *Herwicum* Abbatem nostrum, simúlque cum eo *Nicolaum* Guardianum Fratrum Minorum, Arbitros pariter vehementis discordiæ elegerunt, *ipsa die Assumtionis B. MARIÆ Virginis.*

Herwicus Abbas Arbiter geminarum litium.

Fr. *Ulschalcus Vischlin* Professus noster.

Otocari Regis Privilegium.

IV. *Otocarus* Rex à nobis humiliter imploratus, ne Vinorum nostrorum Educillationem Civium contradictione turbari permitteret, Libertati nostræ breviculo hoc, sed admodum gravi Rescripto Clementer consuluit. „OTACHARUS DEI „gratia Bohemiæ Rex, Dux Austriæ, Stiriæ, & Karinthiæ; „Marchio Moraviæ, Dominus Carniolæ, Marchæ, Egræ, ac „Portus Naonis, Judicibus, & Universitati Civium in Wienna, in Nova Civitate, & in Chremsa, Gratiam suam, & omne „bonum. *Cùm Monasterium in LIERNVELD racione devocionis amplioris præ cæteris Monasteriis gratiosius prosequamur*: hanc „eidem gratiam specialem duximus faciendam, ut ad Civitatem „Wiennensem Quinquaginta Carradas vini, ad Novam Civitatem, Triginta, in Chremsam Triginta ducere, & reponere, „ipsius Monasterii Procuratores audeant annuatim. Mandamus ergo Vobis firmiter, & districtè, nostræ Gratiæ per obtentum, quatenus Procuratores prædictos non debeatis in præmissis quomodolibet impedire. *Datum in Mysenberch XVIII. „Kal. Octobr. An. Dom. Mcclxxij.*„

Annus 1273.

Fr. Herwicus Wersenschlag Professus noster.

V. QUia Predium in Haidpach, abhinc biennio per *Herwicum* Abbatem nostrum coëmtum, nonnullo adhuc jure census, & servitutis obligatum erat *Chunrado, & Ottoni*, Fratribus *de Wersenschlage*: iidem in gratiam Fratris sui *Henrici* Professi nostri, quidquid in eo Predio suum erat, libera cessione in nos transtulerunt.

Annus 1274.

Favor Domini Petri Episcopi Patavien.

VI. SÆpe dictos Haidpacenses fundos prorsus immunes, omnique onere exemtos redditurus Vigilantissimus in quietem Campililii sui Præsul *Herwicus*, Decimarum quoque Remissionem apud Rever.^mum Episcopum Pataviensem *Petrum* submissa obsecratione flagitavit, benignè auditus pro reverentia sua. Perbenignus quippe hic Antistes, cum consensu Cathedralis Capituli sui, Decimas prædictas in Voitschlag, Haidpach, & Chembelins, intra terminos Parochiæ Seligenberg, gratuita nobis Liberalitate contulit, jure perpetuo possidendas. *Pataviæ iij. Kal. April.*

Annus 1275.

Residua Herwici Acta.

VII. IN Purificatione Virginis hoc anno Domina *Mechtildis de Stahrenberg*, Uxor *Gotschalci de Neitperg*, annuos Campililio duorum talentorum reditus in Küepach pia liberalitate legavit. *Chunradus*, & *Rapoto de Altenburg*, pluribus debitis nobis obærati, ad hæc Nomina dissolvenda, redditus quosdam, ac

ac fundos in Oberndorf *Herwico* Abbati vendiderunt, alia predia in Hainfeld pignori supposuerunt. Donô *Ebergeri de Potendorf* obvênit Monasterio Vinea quædam post Villam Gumpoltkirchen. Hîs, quæ singula, unacum anterioribus omnibus, Tomo ultimo sub Lemmate cujuslibet Familiæ latiùs dicentur, studiosè, utilitérque actîs, bonus Abbas noster *Herwicus* brevem 4. annorum, totidémque mensium Præfecturam, Senio gravis, ut habent Catalogi Domestici, morte devota deposuit, juxta *Necrologium* nostrum, *III. Cal. Decembris*, sive die Novembris 29.[na.] Ejusdem Obitus.

VIII. Nisi porro Actorum antelatorum Instrumenta, in Archivio nostro Autographa, Nomen *Herwici* Abbatis disertè referrent, spoterat nobis Rever.[mus] D. Abbas *Jongelinus* dubium non minimum injicere, scribens in Notit. Abbatiar. Cisterc. Libr. III. p. 7. in Serie Abbatum *Waldsassensium* §. X. ut sequitur. „GISELBERTUS, ex *Wossecensi* Abbatia desumtus, „*Waldsassensi* præficitur eodem Anno, quo Egrana Civitas ca„lamitosissimo incendio tota penè deleta est, videlicet 1270. „Præfuit tribûs annis, & aliquot etiam aliis CAMPILILIENSI „Cœnobio. Tandem Senio confectus, utriusque Magistratu „se ultrò abdicavit.„ Quid huic Traditioni speciem veri conciliare potuerit, vel potiùs aberrandi occasionem dederit, haud sanè dispicio. Præterquam enim, quòd *Waldsassium*, superioris Palatinatus ad fines, sub ingressum Bohemiæ, altero ab Egra lapide situm, nimium quantum à Campililio distet, ut adeò ambo hæc Monasteria simul ab uno Præsule regi aliquando potuisse, vix ullam demum fidem promereatur: insuper omnia Monumenta nostra *Giselberti* alicujùs Nomen inter Abbates penitus ignorant, quique singulis annis Fasces apud nos gesserint, certo tutóque Chartarum publicarum suffragio nobis produntur. Jlli igitur, quibus propositum erat, *Jongelinum* denuo ad prelum revocare, & emendatum, auctúmque in lucem restituere, vel deleant hoc sphalma, vel pro *Campililio* Cœnobium aliud, quod rectiùs quadret, *Giselberti* imperio subjiciant. Pro Successore *Giselbertum*, ut vult Jongelinus non agnoscimus.

Annus 1276.

IX. FIniente vel præterito, aut ineunte hoc Anno ad obeundas in Campo nostro Christi vices, DEIque locò imperia danda, post *Herwicum*, communibus Fratrum suffragiis Abbatiale ad culmen evectus est *Paulus*, apud nos hoc nomine I.[mus], talis utique, quem dignum Paterno Nomine Congregatio tota censebat, & qui ita præfuturus credebatur, ut prodesse sentiretur. Ast verò ipse, non vitæ meritô, sed spatiô, spem istam fallebat, altero mox Anno, vixdum benè adulto ad Patres festinaturus. Dum tamen supererat, ancipiti animo luctam intueri Sed *Herwicum* excepit *Paulus* I.mus.

Ardua ejus deliberatio, *Rudolpho* & *Otocaro* pro Austria contendentibus.

tueri cogebatur, quam *Rudolphus* Cæsar, & *Otocarus* Rex, educta utrinque acie, pro Austria, cæterisque Provinciis instruxerunt. Diu pendente rerum exitu, dum Provincialium pars una adhuc à Rege staret, altera, & major Cæsari devota procideret: arduum utique *Paulo* nostro fuit, ab illius Principis officio recedere, qui & maximus erat, sique non invito Numine potentiâ suâ uteretur, palmam ut maximè dubiam Cæsari reddere posset: præterea verò de Campililio, tam summâ, tam perpetuâ Clementiâ suâ, ultimum fidei periculum promeritus videbatur. Verumtamen incertum hac in alea animum inita cum DEO consilia feliciter docuerunt, quid esset in fatis. Sequebatur ergò, quò Justitia fortunam inclinabat, ita in fidem Cæsaris pronus, ut non antè, quàm ipse Rex victas manus dedisset, se *Rudolphi* clientem profiteretur, & una secum Campililium quoque suum Victori Austriæ devoveret. Tunc verò id ea cum humilitate ac reverentia fecit, quæ Augusti Majestatem decebat, ejúsque Clementiam summam promeruit.

Domini *Chunringii* pro Ecclesia Dresingensi fundum novum donârunt.

X. Hæc inter, Jllustres Domini, *Liutoldus*, *Henricus*, & *Albero* Fratres *Chunringii*, ad quos Oppidum Dresinga, in ripa Moravæ situm attinuit, in gratiam subditorum suorum, quibus Ecclesia Parochialis, in loco remotiori exstructa, & veluti palude circumdata, admodum incommoda erat, Aream viciniorem, ac Fundum pro Ecclesia nova, Domóque Parochiali, atque Cæmeterio concesserunt, *propter incursantium*, ajunt, *Adversariorum Terræ nostræ feritatem, & aëris corrupti molestiam.* Fundi verò illius Proprietatem, nullo sibi penitus ad eum jure reservato, nobis, ut Patronis Ecclesiæ, integrè donârunt: *sine qua conditione* (uti denuo scribunt) *Transpositionis Consensus à PAULO Abbate sæpedicti Monasterii, & Fratribus, nullatenus elici potuisset.* Prævertendæ nimirum erant, quæ suboriri, diversorum jurium ergò, facillimè poterant, fori litigiosi molestiæ, &, juxta saluberrimum Ordinis nostri morem ac institutum, tricarum fons in origine statim obstrui debuit. Chartam suam hi Domini præpotentes die XXII. Mart. Anni hujus subsignârunt.

Annus 1277.

Obiit *Paulus* I. Abbas, successit *Conradus* I.

XI. SI *Necrologium* nostrum nullâ curâ exscriberemus, *Paulus* I. Abbas noster *VII. Idus Julii*, sive die ejusdem 9.na obiisse censendus esset: quod ego ad *Paulum* II. referendum existimo. Docent námque Literæ *Chalbochi de Hohenberg*, qui, pravo Patris sui exemplô, Montem Dietrichsberg, quamvis à Matre sua nobis redditum, rursum occupaverat, eum gravi morbo correptum, vovisse DEO dicti Montis restitutionem, cúmque

que deinde reconvaluisset, voti damnatum, in Ecclesia nostra ad Altare B. Mariæ Virginis in manus *Chunradi* Abbatis jurâsse, se nullam ampliùs litem, aut vim, circa hunc Montem Cœnobio facturum. Actum hoc scribitur, *Feriâ sextâ post Ascensionem*, quæ Anno 1277. fuerat 6.ta Maji. Unde manifestè evincitur, Dominum *Paulum* Abbatem jam Aprili saltem finiente defunctum fuisse. *Conrado* porro Præsuli id nominis I.mo *Alramus de Veustriz* Curiam quamdam ac Sylvam in Dillingsperg sub dato 15. Augusti divendidit.

XII. Ipse verò Præsul, quod idem de Antecessore quoque non immeritò opinari licet, ad *Rudolphi* Imperatoris Augusti obsequia Viennæ se humillimè sistens, tam Clientelæ devotissimè profitendæ causâ, quàm pariter tranquillitati, & securitati Domus nostræ vigilantissimè consulturus, Majestati ejusdem pro Regia Confirmatione omnium Jurium, itémque Possessionum nostrarum, enixas & submississimas preces porrexit. Qui Optimus Maximus Monarcha, quem Pietas non modò sua in persona extulit, verùm etiam semen suum longævum in Throno videre concessit, Clementissimâ Panchartâ, stilo amplo, ac verè gratioso conceptâ, nobis & Laudem eximiam, & Protectionem Augustam, & omnium fortunarum nostrarum Firmitatem perpetuam, summa cum dignatione impendit. Daremus Diploma extensum, nisi maximam partem omnia ea ad literam repeteret, quæ Serenissimus Fundator noster LEOPOLDUS, Filius præterea ejusdem FRIDERICUS, sed & *Fridericus* II. Imperator, itémque *Otocarus* Rex, suis in Panchartis quàm diffusissimè expresserunt, dudum à me suis Annis Locisque integro tenore allata. Quæ verò in hoc Diplomate singularia sunt, à me præteriri nequaquam debuerunt, hunc in modum sonantia.

Idem Viennæ *Rudolpho* Augusto Clientelam professus, ab ipso Panchartam clementissimam obtinuit.

XIII. „RUDOLFUS DEI Gratia Romanorum Rex Semper Augustus. Universis Romani Imperii Fidelibus præsentem paginam inspecturis, seu & audituris, in perpetuum. Totiens Regiæ Celsitudinis Sceptrum extollitur altiùs, & ipsius Status à Domino, à quo datur omnis Potestas, feliciùs gubernatur, quotiens Loca, Divino Cultui dedicata, benigna consideratione reguntur, & ad ipsorum Libertates servandas, & facultates augendas, Gratiosa Protectio Principis invenitur. Noverit igitur præsens Ætas, & successiva

Tenor Privilegii excerptus.

„Posteritas: *Quod nos Devotionem sinceram, qua „Religiosi Viri, Abbas & Conventus de Valle Sanctæ „MARIÆ in LILINVELD Cistercieñ. Ordinis, circa Divini Cultus obsequia jugiter & ferventer invigilant, gratiosiùs attendentes: Considerantes quoque „benigniùs integræ fidei puritatem, qua erga Nos, „& Romanum Imperium choruscare dicuntur: propter quod cupimus, eorundem Monasterium, & in „Spiritualibus esse floridum, & in temporalibus opulentum*: Devotis ipsorum, Abbatis & Conventus „supplicationibus inclinati, prædictum eorum Monasterium, unacum omnibus hominibus, personis, „nec non bonis, & possessionibus, quas impræsentiarum rationabiliter possident, & inposterum justis modis, absque juris alieni dispendio, poterunt „adipisci, sub Nostra, & Imperii Protectione suscipimus speciali. Omnia Privilegia, Libertates, „Concessiones, & Jura, quæ à Divis Imperatoribus, „& Regibus Romanis, Prædecessoribus nostris, nec „non ab Jllustribus LEUPOLDO & FRIDERICO „Ducibus, ejusdem Monasterii Fundatoribus, & aliis „quibuscunque, Monasterio prænotato concessa noscuntur, sæpedictô Monasterio, ac Personis, in eo „Divino obsequio mancipatis, de Liberalitate Regia „confirmantes, innovantes, & præsentis Scripti patrocinio munientes.

„*In Argumentum autem evidens Favoris & Gratiæ singularis, quibus Monasterium amplectimur memoratum*, quasdam Possessiones, & bona, Concessiones, & jura, ipsi Monasterio à præfatis LEUPOLDO & FRIDERICO Austriæ Ducibus, & aliis „Terræ Principibus piè collata, cum terminis suis, „præsenti Privilegio duximus inserenda. Inprimis, „Locum, in quo Abbatia ipsa sita est &c. (Reliqua, „ut in Chartis Fundationis, vel *Otocari* Privilegiis). „Præterea ad imitationem claræ memoriæ quondam „*Friderici* Regis Romanorum, si quæ per quondam „*Leupoldum* Ducem Austriæ, Fundatorem ipsius Mona-

„ Monasterii, sunt ipsi collata Monasterio, quæ ad „ Nostram, seu Imperii Jurisdictionem pertinent, „ quæ præfatus tamen *Leopoldus* ex Concessione te- „ nuit Augustali &c. (Rursum ut in Privilegio *Fride- „ rici* II. Imperatoris) Nos eidem Monasterio per Ra- „ tihabitionem Auctoritate Regia hæc conferimus, & „ inviolabiliter confirmamus.

„ - - - Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc „ Paginam nostræ Protectionis, Confirmationis, & „ Innovationis infringere, vel eidem in aliquo, ausu „ temerario contraire. Quod qui fecerit, gravem „ Nostræ Majestatis Offensam se noverit incursurum. „ In quorum omnium testimonium, & perpetui robo- „ ris firmamentum, præsens Scriptum exinde con- „ scribi, & Majestatis Nostræ Sigillo jussimus com- „ muniri. Hujus Rei Testes sunt: *Petrus* Episcopus „ Patavienfis: *Hainricus* Episcopus Tridentinus: *Lud- „ wicus* Palatinus Rheni: *Albertus* Dux Saxoniæ: *Ot- „ to* Filius *Hainrici* Ducis Bauariæ: *Fridericus* Burg- „ gravius de Nurnberch: *Hainricus* Comes de Vor- „ stenberch: *Eberhardus* Comes de Chazenelenbo- „ gen: *Gerardus* Comes de Hirzberch: *Ludwicus* „ Comes de Hahenberch: *Sifridus* Comes de Pon- „ land: *Otto* de Haselawe &c. - - Datum & actum „ Wienne vj. Kalendas Octobris Indictione VI. (Cæ- „ sarea) Anno Domini Millesimo Ducentesimo Se- „ ptuagesimo Septimo, Regni verò Nostri Anno „ Quarto. „

XIV. Nullo certè apud nos Ævo intermori debet tam ingens Augustissimi hujus Monarchæ Clementia adversus minimum Campililium nostrum: cui satis non erat, Protectionem nostri suscipere, omnia nostra confirmare, innovare, totáque Majestatis suæ interpositione omne in ævum constabilire: nisi pariter sedulæ Majorum nostrorum ad Pietatem contentioni Testimonium Augustum perhibuisset, inquiens, *Attendisse se Gratiosius Devotionem sinceram, qua nostri circa Divini Cultus obsequia jugiter & ferventer invigilarent.* Nisi præterea venturis quoque Seculis prædicâsset subjectissimam erga Coronatas Majestates nostrorum Reverentiam, illibato semper candore redhibitam, dum ulteriùs adjecit: *Considerantes quoque benignius In-* Observationes nonnullæ.

tegræ fidei Puritatem, qua erga Nos, & Romanum Imperium coruscare dicuntur. Nisi postremùm, & ingens quoque Desiderium suum perennis Incolumitatis nostræ universo Orbi, & omni hominum ætati contestatus esset, subdens: *Propter quod cupimus, eorundem Monasterium, & in Spiritualibus esse floridum, & in temporalibus opulentum.* Non equidem ignoro, fuisse olim Notariis, qui hujusmodi Regias Chartas stilo suo conceperant, familiares quasdam inque usum studiosè paratas exordiendi formulas, à quibus cùm Pontificum & Præsulum, tum Regum ac Principum non unum Diploma inchoare solebant. Sed hujus Elogii sanè speciosi exemplum vix alterum, in tanta Diplomatum, quæ evolvi apud alios, farragine mihi uspiam occurrisse recordor. Quare Preconium istud haud immeritò in singularibus collocare mihi videor, nequaquam ex more, sed peculiari Clementia Principis conceptum. Faxit Omnipotens, ut Campililium nostrum omni tempore pari voce de Throno Majestatis Commendari, pari affectu Augusto diligi promereatur. Sigillum porro Majestatis, huic Diplomati appensum, exacta in effigie, una cum ejus Meditatione, *Tom. Ult.* suo ordine reliqua inter Sigilla Imperatoria occurret.

Annus 1278.

XV. PRæsentis Anni unicum duntaxat Instrumentum suppeditat nobis Archivium nostrum: quo *Conradus* Abbas *Ditmaro* Colono cuidam secus Rueprechtshoven Mageriam aliquam vitalitiis pactis elocavit Wiennæ 12.mo Januarii. Quænam alia graviora negotia eam ad hanc Austriæ Metropolim evocârint, non liquet. Interim non potuit non Campililium gravi luctu indolere calamitosissimo fato *Otocari*, in Acie cæsi: cujus perpetuis, amplissimis, ac verè Regiis Gratiis, tam frequenter, potenterque ubique defensum fuit. Sed non supererat lachrymis nostrorum solatium aliud, nisi ardentia pro tanto Rege, ac Fautore suo, apud Aram suspiria, & perpetua devotissimæ memoriæ suffragia. Quæ ne unquam cessarent, indictum est à Patribus nostris æternum Campililii pro eo Anniversarium: quod adhuc VII. Cal. Septembris, i. e. 26. Augusti, ad lucidam tumbam, lugubri Choro, pullóque Sacrificio agimus.

Regis *Otocari* Mors Campililio luctuosa.

Annus 1279.

XVI. COmplura hoc Anno Negotia curam atque industriam *Conradi* Abbatis nostri exercuerunt. *Marquardus* quippe *de Diepoldstorf*, & Uxor *Juta* annos æternos salubriter in mente habentes, cùm non infimæ essent fortunæ, comparatâ suâ pecuniâ Predio bono in Edliz, illud nobis legârunt, reser-

Legatum onerosum *Marquardi de Diepoldstorf.*

reservato sibi in eodem per jus Vitalitium, quamdiu nempe ipsi superessent, fructuum usu, condictâ deinde sua apud nos utriusque Sepultura, & onere nobis imposito, ut, ubicunque, modò intra Provinciam, decederent, Corpora eorum, sumtibus nostris ad Monasterium advecta, celebri ritu deponeremus, & Sacris consuetis procurare teneremur. Inter descriptos annuos hujus Predii redditus enumerantur in cæteris etiam 12. Casei vaccaritiales, aut eorum locò tres denariorum solidi: Anser unus, vel sex denarii: pulli 4. vel 8. denarii. Quod notare libuit eorum in Gratiam, quibus veteris Monetæ, ac pretii vestigatio animum occupat. Literæ datæ xiij. Kalend. Februarii. Veteris pecuniæ æstimatio.

XVII. *Dietricus* & *Georgius*, Domini *de Weissenburg* nobis vicini, prid. Non. Martii, *diuturnam hucusque*, ut scribunt, *ac pertinacem nobiscum Litem super Nemus Leznich, ejúsque limites*, ope Arbitrorum amicè tandem composuerunt, erga soluta sibi 11. Talenta, præbitum unum Tritici Modium, adjectúmque Promissum, omnia Dominorum Weissenburgensium Funera ad nos devehendi, designato Personarum, & equorum numerô, qui in ejusmodi Depositione admittendus esset ad Monasterium, cibóque, ac pabulo à nobis reficiendus. Condictum insuper, ut quotannis illi, qui Familiæ admodum Nobilis *Weissenbergiæ* Senior, ac Caput futurus esset, à nobis par Calceorum, cum Ligulis argenteis constituti ponderis, in Compositionis hujus ac Cessionis Memoriam perpetuam exhiberetur. Compositio cum Dominis de *Weissenberg*. Par Calceorum cum Ligulis argenteis depactum.

XVIII. Quinto Id. April. *Wolfkerus*, Fratrésque sui *de Inpruck*, æquè Nobilis Familiæ, Litem, à Patre suo olim *Wolfkero* graviter nobis motam circa Molendinum in Asparn, Laudo solemni sustulerunt, æquales nobiscum proventus sibi ex eodem depacti. Prid. Id. Aprilis Domina *Geutta* Viennæ Domum suam in Foro Alto, Domui Teutonicæ ibidem annua præstatione devinctam, nobis legavit, à morte sua possidendam, teste Domino *Ortolfo* Commendatore Teutonico. Domina *Elisabeta de Murberch* III. Julii libera donatione servitium cujusdam Coloni in Crispenthall contulit. Similiter Dominus *Erchengerus de Langenwand* propenso erga nos animo quamdam nobis aream suam prope Cæmeterium in Wilhelmspurg pia Liberatione transcripsit vj. Kal. Decembris. Variorum Donationes.

XIX. Ante porro, cùm celeberrimam inter & Antiquissimam Canoniam S. Hippolyti, ac Campililium nostrum, finium & limitum ergo tam ferventer controversum esset, ut Lite ad Apostolicam Sedem delata, per eandem Venerab. Abbas Scotorum Viennæ, Priórque ibidem, cum Domino *Wernhardo de Piambach* Canonico Pataviæ, & Plebano Viennensi (postea Lis cum Dominis Sand Hippolytanis Laudo D. Ortolfi Lilienveldarii sublata.

Episcopo Pataviensi) Judices dati jam essent: Partes, reformidatione sumtuum, Laudum amicum prælegerunt, compromittentes in Dominum *Marquardum* Camerarium S. Hippolyti, & *Herwicum* Seniorem Campililii, delegata ambobus in solidum arbitrandi potestate. Quia tamen uterque, favore sui Monasterii, pertinacior in tuendis suæ Partis juribus apparebat: tardante concordia, novo Compromisso Causæ Cognitio & compositio ad fidelem & honestum *Ottonem Lilienveldarium* delata, & ab eodem feliciter absoluta est Campililii XV. Kal. Augusti, Testibus, & Consultoribus, suprà laudato Domino *Wernhardo* Canonico, pluribúsque Clericis Magistris.

Annus 1280.

Causa alia composita cum Dominis *de Pain*.

XX. NEque hic annus forensibus Actis, pluriúmque Contractuum, utiliter ineundorum, solicitudine vacavit. Sic Nobilis Domina *Eufemia de Pain*, postquam *Otto* Maritus ejus liti, nobiscum diu extractæ circa Aquæ Molendinaris ductum in Hainfeld, immortuus esset, facilè prævidens, causâ non æquâ se propediem sententiâ Judicis casuram, ne expensarum nomina ferre cogeretur, receptis potiùs à nobis nonnullis talentis denariorum, postulationi suæ, tam suo, quàm omnium Liberorum nomine, ultrò cessit, Wiennæ xvj. Kal. Aprilis.

Ecclesia in Radelprun consecrata.

Cùm deinde in Radelprunn Ecclesiola propria perfecta esset, ad quam Dominus *Berchtoldus* Abbas noster stipem plurimam contulerat, uti dictum *Decad.* priori §.III. ad ann. 1269. nunc D. *Henricus* Plebanus in Gars, unacum Domino *Chunrado* Abbate nostro, supplicabat Domino *Wichardo* Episcopo Pataviensi nuperrimè Electo, ut eam consecrare dignaretur. Cui piissimo Voto satisfecisse hunc Antistitem, dubium non est, quamvis, testes Consecrationis Literæ meos in oculos non incurrerint. Preces porrectæ vj. Id. Maji. Quinto Id. Junii Nobilis Dominus *Wulfingus de Arnstein* vendidit nobis Predium in Wellerstorf. Die 3. Augusti Domini *Chunradus* & *Irnfridus de Puechperg* in remedium Animarum suarum donatione pia contulerunt Campililio Mansum unum, Areámque in Pergernstorf.

Causæ plurium Venditionum à Monasterio factarum.

XXI. Quoniam deinde in Oppidis Pagisque nostræ Ditionis circa Monasterium intra Montes Vallésque consitis, pleræque, aut saltem quamplurimæ Domus, aut Curiæ, à Nobilibus Dominis possidebantur, servitute quidem varia Monasterio devinctis: qui tamen suorum jurium prætensorum erga tricam ex trica nobis conserebant, litésque perpetuas persæpe levissimæ rei causâ instruxerunt: è converso autem Ditiones nostræ Transdanubianæ perpetuis discriminibus hostilium turbarum, & exundan-

undantis Danubii, vel aliorum fluminum, obnoxiæ erant: Præterquam quòd insuper complura, hodie nobis piè legata, vel donata, sive hæreditate eorum, qui apud nos Ordinem professi erant, ad Monasterium devoluta, cras à Benefactorum Liberis aut Nepotibus, intentata fori actione repeterentur: provido, prudentíque admodum Consilio Majores nostri statuerunt, quædam Transdanubiana minoris commodi, & majoris periculi Predia, vel Domicilia divendere, contrà verò Possessiones, Monasterio viciniores, è manibus, & jure Nobilium, tam sæpe sibi molestorum, emtione solemni extrahere.

XXII. Pari Proinde Consilio citra dubium factum est, quòd *Conradus*, in sui Campililii emolumenta Speculator admodum sagax, Grangiam in *Haidpach*, cum universis eò attinentibus prediis, agris, colonis, ac decimis, Domino *Ebroni* Abbati Zwetalensi, maxima cum laude gubernanti, justo pretio vendiderit: quam ille, utpote Inclito suo Monasterio vicinam, atque percommodam, valde dilexisse, & coluisse perhibetur. Instrumenta porro eò attinentia, Evictionis, ut ajunt, locò eidem Cœnobio extradita, cùm in Archivio nostro desint, jam sæpius ex Annalibus *Zwetlensibus* allegata adduxi: Ubi pariter Instrumentum præsentis Venditionis, Sigillis Domini *Henrici* Abbatis S. Crucis, tanquam Patris nostri tunc Immediati, & *Conradi* Præsulis nostri firmatum, adducitur Tom. I. p. 435. Testes ibi lego, D. *Chunradum* Abbatem de Paumgartenberg, itémque D. *Sighartum* Abbatem Montis S. Mariæ Hungariæ, præter Fratres nostros, *Ludwicum* Priorem, *Herwicum* Seniorem, *Helpfricum*, *Bernardum* Cantorem, *Gundoldum* Camerarium, *Stephanum* Cellerarium, & *Bernoldum* Portarium. Venditio Predii Haidpach.

Subsignatio facta est *in Lilinvelde Anno Domini MCCLXXX. Kal. Septembris.*



DE-

DECAS IX.

Ab Anno MCCLXXXI. usque MCCXC.

§. I.

Res Principum & Patriæ.

Annus 1281.

Martinus IV. eligitur Pontifex novus.

I. INter graviſſimas, tam Romanorum, quàm Viterbienſium Civium inſolentias, à morte *Nicolai* III.^tii quæ Anno priori 22.da Auguſti accidit, exactis demum ſex integris menſibus, die 22.da Februarii Anni præſentis electus eſt *Simon*, titulo S. Cæciliæ Cardinalis, dictus *Martinus* IV.^tus, quamvis nonniſi unicus *Martinus* præceſſerit. Nam & gemini *Marini* lapſu temporum *Martini* nomine accipi, computaríque cœperunt. Romam, ſubmiſſis licèt Legatis, tam ſubitò pacare non valens, apud Urbem Veterem die 23. Martii coronatus eſt: Viterbium enim Interdicto ſuppoſitum erat, cùm duo ibidem Cardinales à Civibus, vacante adhuc Sede, capti, & contumelioſo carcere detenti fuiſſent. Paulò pòſt verò Romani, ægrè compoſitô diſſidiô inteſtinô, quod Hanibaldenſis, & Urſinæ Familiæ cauſâ exortum erat, inſolito exemplô, *Martinum*, non ut Pontificem, ſed ut Virum privatum, Supremi ſui Senatoris dignitate condecorârunt: cùm alioquin Papæ foret, propria poteſtate Altiſſimum jus Urbi dicere, ac Senatores imponere, ſive deponere. Aſſenſit nihilominus Pontifex, & Senatorii Muneris Adminiſtrationem, ſuo nomine agendam, *Carolo* Siciliæ Regi commiſit. Hunc eundem præterea in iis quoque Italiæ partibus, quæ ad Eccleſiam attinerent, Defenſorem conſtituit. Longobardiam verò Præfectis Cæſareis, & Imperii Vicariis, quietè ac imperturbatè obtemperare mandavit. *Raynald. & Franc. Pagius h. a.*

Inaudito exemplo à Romanis dicitur Senator Supremus.

Imperator Stiriæ Præfectum dedit.

II. *Rudolphus* Imperator, vergente anno elapſo Stiriam ingreſſus, pérque Hartpergam veniens Græcium, inde Judenburgum ſe conferens, huic Provinciæ *Ottonem Liechtenſteinium* juris dicundi Prætorem impoſuit. Adduxerat verò illuc etiam Filiam

liam *Clementiam* : quam deinde ad *Carolum* Salerni Principem, *Caroli* Siculi Regis Nepotem, tanquam Sponsam, *Rudolpho* Cancellario, *Joanni* Episcopo Gurcensi, geminísque Comitibus *de Sayn*, & *Wertenberg*, deducendam commisit, uti *Hornekius* fidem facit. Atque hujus Filiæ ex discessu tam longinguo, *Annam* Imperatricem, Viennæ decumbentem, adeò contristatam ferunt, ut Morbus ad usque Lethum ingravesceret. Quod magis ferendum est, ac alia *Hageni*, & *Horneckii* traditio, eam ob tristissimum nuncium *Hartmanni* Filii, Rheno mersi, animam anxiam egisse. Hunc quippe Augustæ Matri Anno toto supervixisse, ex infrà dicendis luculentè apparebit. Interim Ægritudo Conjugis Cæsarem ex Admontensi Cœnobio per Lincium Viennam festinare coëgit : ubi eandem brevissimè postea defunctam lugebat. Obitûs ejus diem, Januarium inter Mensem atque Aprilem, tam variè consignârunt Scriptores, ut satius fuerit, eam prorsus omittere. Priusquam verò decederet, supremîs tabulis, ut habent Annales *Colmarienses* Part. alter. apud *Urstis*. p. 47., Basileæ in majori Ecclesia Cathedrali sepeliri petiit, eidem perpetuos duarum Præbendarum reditus, i. e. Jus Patronatus duarum Ecclesiarum in Augst & Zeiningen, delegavit, hoc pacto satisfactura crebrioribus damnis, quæ quondam *Rudolphus* Maritus ejus, necdum Rex, illi Ecclesiæ intulerat. Exuviæ ejus, magno cum Equestri Comitatu, atque pecunia copiosa, Basileam advectæ, uti jusserat Imperator, Augusto ritu, præsentibus tribus Episcopis, ac mille ducentis Clericis, contumulabantur.

Filiam Clementiam, tanquam Sponsam, Neapolim transmisit.

Imperatrix Viennæ decumbens, obiit.

Legata ante mortem.

Transvectio, & Depositio Basileæ.

III. Cæsar, priusquam Viennâ, ubi propè quadriennio commoratus erat, abscederet, plura ibidem Diplomata edidit. Unum horum, quo Campililio iterum favit, differimus in §.[um] III.[tium] de reb. Monast. Interim V. Cal. Maij Cœnobio *Zwetlensi* confirmavit liberam traductionem Salium Salisburgensium per Danubium. *Annal. Zwetl. l. 437.* IV. Cal. Maij parem gratiam immunis transvectionis omnium Victualium innovavit Cathedrali Capitulo Pataviensi. *Cl. Hansiz.* Metrop.Laur. p. 425. XII. Cal. Jun. fundato à se Parthenoni Tulnensi novas & ampliores Fundationis Literas expedivit, quæ sunt apud *Czermenkam* I. p. 91. sqq. Insuper *Albertus* & *Hartmannus*, Filii Cæsaris, *Annæ* Imperatricis, Augustæ Matris, decennalem Usum fructuum quarumdam paraphernalium Possessionum suarum Habspurgicarum, quem illa publicis Literis Abbati Wettingano Ordinis nostri, transcripserat, ut exinde Creditoribus, quibus ipsa tenebatur, satisfaceret, lubentes confirmârunt, Wiennæ feria V. post Octavam Purificationis. Cl. *Herrgott* Vol. III. n. 596. p. 494.

Cæsaris variæ Gratiæ.

Albertum Filium Vicarium Austriæ & Stiriæ instituit.

IV. Postremùm tandem *Rudolphus*, tam Austriæ, quàm Stiriæ Vicarium Generalem, sui pariter, ac Imperii nomine, constituit *Albertum* Primogenitum suum, altero Anno Ducem creandum. Inde in Bavariam tendit, *Henrico* Duci arma illaturus, quòd *Otocarum* semel ac iterum adjuvisset. Sed hic, licèt Militem expeditum haberet, imparem se tanto Adversario pertimescens, pacem rogavit per *Ottonem* Filium, ejúsque Conjugem, Cæsaris Filiam, item per Fratrem *Ludovicum* Palatinum, & hujus pariter Conthoralem, cui Imperator æquè Pater erat. Gratiæ pactum fuit, ut Imperatori Summam, quam antea mutuam dederat, nunc integrè remitteret, & Austriam Superiorem, pignoris locò sibi suppositam, gratìs nunc redderet. Quo acto Cæsar Filio ejus *Ottoni*, dotis loco pro Filia, Neoburgum ad Oenum, Schardingam, Freystadium, hísque contermina aliquot Oppida attribuit. Alii quidem hoc factum aliis anterioribus alligant Annis, & nonnulli statim post Bohemiam ad obsequium reductam id evenisse contendunt: sed epocha tuta hucusque non liquet.

Henricum Bavariæ Ducem ad humilitatem compulit.

Gratiæ ejus, & Acta alia:

V. His porro compositis, Imperator prorogato itinere, Ratisbonæ II. Id. Junii nostris *Alderspacensibus*, ac XV. Cal. Julii Canoniæ Regulari *Rorensi* Privilegium dedit, *Gewoldo* teste apud *Hundium* II. p. 45. & III. p. 179. Norimbergæ postea V. Id. Jul. *Chunrado* Pincernæ *de Landeck* Advocatiam Scheftenoviensem pro pecunia obligavit. Cl. *Herrgott* Vol. III. n. 599. p. 499. Rursum Gemundiæ prid. Non. Sept. *Friderico* Burggravio de Nürnberg Diploma dedit, quo eum in Burggraviatu instituit. Ibid. n. 600. p. 499. Filius Cæsaris *Hartmannus* apud Wintertur IX. Kal. Octobr. Auctoritate sua roboravit venditionem predii Hagenbuch, Monasterio Tossensi factam à Peregrino de Wagenburg. *Ib. n. 601. p. 501.* Pater Augustus vernaculo Diplomate sancivit Pacem Publicam inter Franconiæ Episcopos, Comites, Ministeriales, ac Populum, idque in Quinquennium. Absunt Locus, ac dies. *Ibid. n. 602.* p. 502. Ubi adnotat Cl. Editor hæc Jll. *Gentiloti* verba ex Catalogo MSS.[torum] Biblioth. August. Vindoboñ. quæ pariter lego apud *Joan. Philipp. Datt.* Volum. *de Pace Imperii Publica* Libr. I. Cap. V. §. 3. p. 27. ex *Ludolpho Hugone* excerpta. „Jllis temporibus, & quæ consecuta sunt „usque ad Imp. *Maximilianum* I.[mum] Pax publica non erat perpetua, sed certo Annorum spatio definita, ut induciarum similior, quàm Pacis, videretur. Neque enim feroces Germaniæ Procerum Animi tum temporis integram pacem ferre poterant.„ Norimbergâ Francofurtum digressus Imperator, ibidem Comitia Principum egit, ubi de prædonum, plurima in Regno mala facientium, latibulis destruendis saluberrimè in medium consulebatur.

PaxPublica in Quinquennium sancita.

VI.

VI. *Albertus* Filius Cæsaris Diplomata sua, tunc in Austria edita, his Elogiis inchoavit. *Nos ALBERTUS Dei Gratia de Habspurg & Kyburg Comes, Landgravius Alsatiæ, Illustris* (alibi *Excellentissimi*) *Romanorum Regis Primogenitus, & Vicarius ejusdem per Austriam & Stiriam Generalis.* Vernaculis in Literis ita posuit. „*Wann unser Herr und Vatter der Hoch und der Werd* Romesche Kunig RUDOLF, von Gots Gnaden, der zu allen „tzeiten ein Mehrer ist des Reichs, und der Uns uber Oesterreich „und Steier vollen Gewalt, und allen sein selbs Gewalt gegeben „hat, und hat uns in dieselben Land gesezt zu einen Gewaltigen „Pfleger, und zu einen gemeinen Verweser, und hat das gethan „vor allen Landherrn, vor Burgern, vor Steten, vor Armen „und Reichen, und nach aller Willen, und pet, bestett uns allen seinen Gewalt an der vorgenanten Pfleg mit seinen Hantvesten, dy wir auch darum von imm habenn.„

Quibus titulis usus fuerit, Albertus Filius Cæsaris, dum esset Vicarius.

VII. Quorum consilio eum Pater Augustus adjutum voluerit, audire libet ex Diplomate ejus, Viennensibus dato *in Vigilia S. Jacobi An. 1281.* ubi scribebat. „Darnach, da Unser Herr „und Vatter von uns gefuhr, da sassen wür mit Unsern Rath, „den Landtherren, dy unserm Rath gesworen haben vor unsern „Herrn den Romeschen Kunig: und seynd auch das die, die wir „hie nennen. *Wernhart* von Schawnberg: Graf *Berthols* von „Hardegk: *Ott* von Haslaw der Landrichter zu Oesterreich: *Ott* von Berchtolzdorf Kamrer: *Steffan* von Meissaw der Marschalich: „*Leutolt* von Künring der Schenk, und *Hainrich* sein Brueder: *Erckberg* von Lantzperg: *Fridrich* der Truchsetz von Lengpach: *Chunrat* von Pillichdorf: *Ulrich* von Chapelle der Landrichter ob der „Eñs: *Cunrat* von Sumeraw: *Hadmaer* von Sunberch: *Chunrat* von „Potendorf: *Reinprecht* und *Chadolt* die Brüder von Eberstorf „&c.„ Hæc ex Barone *Streunio* excerpsit *Prevenhueberus* Oper. Tom. I. p. 412. sq. Ego verò exscripsi ex integro Diplomate, vulgato per Nob. Dominum *Joann. Jacob. Moser* Biblioth. MSS.torum Anecdot.orum Part. I. p. 121. sqq.

Quibus Consiliis.

VIII. *Fridericus* Archiepiscopus Salisburgensis, Cæsari & Imperio unicè addictus, quotquot alterutri adversabantur, hostes habuit. Contrà *Henricus* Bavariæ Dux nunquam adversus Cæsarem æquô satis animo, aut studio fuit. Fomitem, teste Cl. *Hansizio*, qui *Horneckium* sequitur, egit *Paltramus Vatzo*, olim Consul Viennensis, ibique Bohemicæ factionis Princeps, ac proinde à Cæsare pulsus, mox verò ab *Henrico* Bavaro receptus, Arcique Carolsteiniæ præfectus. Continuò enim in Salisburgenses ditiones vicinas grassandô excurrit: ab Archiepiscopo verò per Interdictum, & Imperii Auctoritatem pressus, Bavarum Tutorem habuit. Quare Antistes Mense Novem-

Friderici Archiepiscopi Salisburg. & Henrici Bavari Ducis discordia: ejus fomes Paltramus Vatzo.

bri Synodum Salisburgi coëgit, in eadem deliberaturus, quid factu opus esset. Adfuêre Episcopi, Frisingensis, Ratisbonensis, Pataviensis, Brixinensis, Chiemensis, Seccoviensis, Lavantinus, itémque Gurcensis: quibus omnibus tunc Metropolita Salisburgensis imperabat. Perlectæ ex Literis Virorum Ecclesiasticorum Querimoniæ plurimæ iniquè in se factorum à Duce, atque *Paltramo*: & nisi Seccoviensis Episcopus, finem rei prudentiùs meditatus, apud Archi-Antistitem vehementi intercessione, & apud *Henricum* Ducem, quem accessit, potenti suasione sanioris Consilii valuisset, communes in Bavarum Diræ jamjam concipiebantur. Consulebatur autem hac eadem in Synodo disciplinæ pariter, ac moribus: præcepta iterum Observantia Canonum novissimi Concilii Lugdunensis: renovata denuò, quæ olim pro Ecclesia Salisburgensi per D. *Guidonem* nostrum, Cardinalem Legatum, Viennæ statuta fuerunt. Servat hæc Decreta Synodalia, Mense Novembri AN. 1281. edita, Codex Membraneus in fol. Bibliothecæ nostræ, manu Seculi XIV. descripta paginis octo & viginti.

Annus 1282.

Vesperæ Siculæ crudelissimæ, sive Cædes Gallorum omnium in Sicilia.

IX. ITalia, omnisque Mundus hoc anno exhorruit cruentas illas, quas appellabant Siculas Vesperas, sive Cædem omnium Gallorum in Sicilia degentium, communi crimine toto in Regno perpetratam Feriâ 2.da Paschatis, uti volunt, cum ipso Campanarum ad Vesperas pulsu. Infandæ hujus Conspirationis rabies tantis furiis exarsit, ut non modò nulli agnato cognatóque Sanguini, nulli dignitati, ætati nulli parceretur, verùm etiam prægnantium ex Gallis foeminarum Uteri, perdendorum foetuum causâ, discinderentur. Multi hanc lanienam longè crudelissimam interpretabantur, tanquam terribilem quamdam Ultionem infandæ illius Percussionis, qua Annis abhinc quatuordecim *Carolus* Andegavensis, Rex, *Conradinum* Suevum, itémque *Fridericum* Austriacum, & in his geminas Ducales ac Serenissimas Germaniæ Stirpes, ense Carnificis Neapoli sustulerat: quamquam Siculos intolerabile Oppressionis jugum, sub quo tot Annis ingemuerant, hunc demum in furorem, diu coctum, sed semper mirabiliter latentem, pariter, nisi præcipuè impulerit. Conscius ejusdem, immo hortator, & Auctor *Petrus* Aragonum Rex, Classe, quasi in Saracenos armata, illicò post facinus ad Siciliam appulit, eámque ultro sibi deditam in fidem recepit. Hæredem se námque Regni illius jactabat, cùm fuerit *Constantiæ* Siculæ, *Manfredi* Filiæ, Maritus, ac præterea *Conradini* decollati suprema Voluntate, Annulóque submisso, in Successionem sub omnis Populi conspe-

Petrus Aragoniæ Rex occupat Siciliam.

spe-

ſpectum deſignatus. *Martinus* IV. Pontifex tanti quidem Sceleris ergò undequaque fulminibûs intonuit, publicans Aragoniæ Regnum, Gallóſque in vindictam excitavit. Sed Aragonii ſemel adeptam Coronam, mille licèt inter diſcrimina, conſtanter obtinuerunt.

X. Nihil porro iſta ad *Rudolphum* Cæſarem ſpectabant, qui lætioribûs diſtinebatur, tametſi eadem quidpiam admodum triſte anteceſſerit. Cùm namque Pater Auguſtus in expugnatione plurium obſtinacium, tam Urbium, quàm Procerum, ac Prædonum, maxima cum utilitate Imperii verſatus, aliquantulum diutiùs Oppenheimii demoraretur: *Hartmannus* Filius ejus, octodecim, uti computant, Annorum Juvenis, deſignatus Alſatiæ Landgravius, & Regiæ Principis Angliæ Sponſus, filialia Patri Obſequia delaturus, cum pluribus Nobilibus Adoleſcentibus, apud inferiorem Turgoiam proximè Rheinaviam, conſcenſa nave Rhenum trajicere voluit. Etecce, cùm Nautæ benè poti dormitarent, cymba, dumetis ripæ infeliciter inflexa, ſubitò inverſa eſt, & Regium cum ſociis Juvenem flumini immerſit. Quem deinde mœſtiſſimus Parens Baſileæ, cultu Regio, Auguſtæ Matri, Fratríque *Carolo*, per Epiſcopos conſepeliri præcepit. Ita Annales *Colmarienſes*, itémque *Albertus* Argentinenſis, atque *Paralipomena* ad Abbatem *Urſpergenſem*, Anonymus quoque *Leobienſis*, omnes coævi, licèt ad Annos diverſos. Sed lachrymabile hoc fatum hujus anni fuiſſe, non anterioris alicujus, vel ſolæ chartæ publicæ, prioribus annis à me adductæ, evincunt, *Hartmanni* nomine adhucdum conſpicuæ.

Hartmannus natu minimus Cæſaris Filius Rhenô merſus.

XI. Parem epochæ inconſtantiam advertas apud Scriptores in deſignandis Comitiis illis Auguſtanis, ubi à Cæſare cum Principibus deliberatum, cui, aut quibusnam, Provinciæ novæ, Imperio à ſe aſſertæ, Auſtria nimirum, Stiria, Carinthia, Carniolia, Beneficii jure conferendæ eſſent. *Albertus* Argentinenſis Annum ac Conſulem prætermiſit. *Henricus Stero* apud *Freberum* I. p. 566. unicum in Annum 1281. ſequentia conjungit: „Uxor „prædicti Domini *Rudolfi* Romanorum Regis, nomine *Anna*, „obiit: & eodem Anno ipſe Rex exivit Terra Auſtriæ, & ipſum Du„catum *Alberto* Filio ſuo Primogenito commendavit. Sed poſtmo„dum eundem Ducatum eidem Domino *Alberto* & *Rudolpho* Filiis „ſuis in feudum contulit coram Principibus ſuis, ſuper hoc Auguſtæ „in Curia congregatis.„ Chronica *Auſtralis* plenior apud eundem *Freberum* p. 475. ad Ann. 1282. refert in hunc modum. „Do„minus *Rudolphus* Romanorum Rex apud Auguſtam Filiis ſuis „*Alberto* & *Rudolpho*, Sueviam, Auſtriam, Stiriam, Carinthiam, „Marchiam, Portum Naonum contulit *Menſe Decembri*.„ Non impariter *Nauclerus* Chronograph. Vol. II. Generat. XLIII. p. 969.

Imperator Auguſtæ Comitia agens, Albertum Primogenitum in Auſtria Ducem inſtituit.

Epocha à Scriptoribus maximè variè notata.

969. ad hunc eundem Annum tradidit: , *Rudolphus* Rex Curiam fecit apud Augustam Civitatem Sueviæ *ante Nativitatem*, *Domini*, & ibidem Filium suum *Albertum* in Ducem Austriæ, instituit de Consensu Principum., Eundem annum ponunt *Colmarienses*, itémque *Trithemius* in Chron. Hiersaugieñ. Atque *Mutius* in Chron. Germaniæ: præterea *Gerardus* quoque *de Roo*, qui tamen hæc Comitia sub Anni præsentis ingressum, non autem finem, constituit. Ast verò *Horneckius* apud Cl. *Hansizium* Metr. Salisb. p. 391. *Albertum* Ducali honore sublimatum tradidit *am Prechtag* sive *Perichtag*, i. e. in Epiphania Anni 1283. Quem Annum similiter laudat Chronicon *Cl. Neoburgense*. Alii Annum 1284. alii sequentem, celeberrimo huic Facto Regio assignant: Anonymus porro *Leobiensis* rem istam apud Cl. *Pezium* I. col. 857. planè distulit usque in Annum 1286. omnésque Lectores hoc pacto fefellit.

Sed in Annum præsentem Diplomaticè stabilita.

XII. Verumtamen Anno præsenti hoc factum esse, uti plerique consentiunt, invictè insuper probant Literæ Feudales ipsius *Rudolphi* Cæsaris pro Filiis, *datæ in Augusta per Manum Magistri* Gotfridi *Præpositi Pataviensis Protonotarii*, *Sexto Kalendas Januarii* (die Decembr. 27.[ma]) *Indictione Undecima anno Domini Millesimo Ducentesimo Octuagesimo Secundo Regni Anno Decimo.* Evulgatæ sunt hæ Literæ ex Archiv. Reg. Archiducal. Vindobon. *in der Vorleuff. Königl. Beantwort. auf die Bayrische Ausführ.* Part. II. Instrum. p. 116. sub n. 52. Quibus rursum sub n. 54. additur Permissio, libérque Assensus *Ludovici Severi*, tunc Electoris Palatini, ac Ducis Bavariæ, quem ille consimiliter cum cæteris Electoribus, peculiari quilibet Scripto, in publicum dedit, posse nimirum Imperatorem suis Filiis Legitimis Terras Austriæ, Stiriæ &c. concedere in feudum, quandocunque suæ fuerit Voluntatis. Data hæc Charta Bopardiæ X. Cal. Octobr. Indict. XI. Anno Domin. Incarnat. M.°CC.°LXXXII.[do.] Porro cum ambabus his Literis ægrè fortè cohærere videbuntur aliæ Literæ *Alberti* Primogeniti Cæsaris, apud Cl. *Hergott* Vol. III. n. 609. p. 507. exstantes: quibus ipse Priorissæ & Conventui Prædicatorio *Diessenbovensi* Privilegium quoddam *Hartmani* Comitis juniori *de Chyburg* confirmavit apud Wintertur IV. Kal. Augusti An. MCCLXXXII. Ibi enim hoc cum Elogio orditur. *ALBERTUS DEI Gratia Dux Austriæ & Stiriæ, Dominus Carniolæ, Marchiæ, ac Portus Naönis, de Habspurg, & de Chiburch Comes, Landgravius Alsatiæ.* Ita verò concludit: *In cujus Rei testimonium præsentes Literas DUCATUS nostri Sigillo duximus roborandas.* Dicat etenim aliquis: Quomodo Mense Julio Anni hujus *Albertus* se Austriæ Ducem jam scribere, & Sigillo Ducatus uti potuerat, cùm Elector Palatinus Mense demum Octobri

bri assenserit horum Feudorum Concessioni, ipse deinde Parens Augustus Feudales Literas Mense tandem Decembri expedierit? Ast verò jam aliàs observavi, exemplísque perhibui, Literas Actorum testes non continuò, ut res actæ sunt, sed post plurium sæpe mensium intervallum emanâsse: quod & hìc locum habere posse, ac debere, existimo. Hoc tamen qui accipere noluerit, me non invito, quacunque poterit ratione, hunc nodum extricare contendat. Mihi eundem præterire non licuit, cui fixum est, una cum Veritate, justam quoque Actorum, præcipuè Austriacorum, Chronologiam tota industriâ vestigare.

XIII. Modum quod attinet grandis hujus Negotii, à Cæsare peracti, quæque intercurrerint, priusquam illud perficeretur, ferè contra torrentem Scriptorum præcipuè Recentium denuo mihi nitendum est. Traditum námque, quasique in vulgus receptum fuit, *Albertum*, ipsa sub Comitia, Regio cum splendore nupsisse *Elisabetæ*, Filiæ *Meinhardi* Comitis Tirolis, & *Agnetis* Austriacæ, genitæ ex *Hermanno* Marchione Badensi, olim ut Austriæ Ducem se gerente, & ex *Gertrude*, Filia *Henrici Crudelis*, Nepte *Leopoldi VII.* Austriæ & Stiriæ Ducis, Fundatoris nostri Clementissimi: quam, post Conjugium primum infœcundum cum *Ulrico* ultimo Carinthiæ Duce Ortenburgico, secundis nuptiis conjunctam cum Tirolis Comite *Meinhardo*, per eúmque plurium Prolium Genitricem constituunt. Addunt postea, *Agnetem* istam Filiæ suæ *Elisabetæ*, Dotis locò, Jus ad Austriam, Stiriámque, quod habebat, planè transcripsisse: ac proinde *Rudolphum* Cæsarem peractis jam Nuptiis Filii, proposuisse Principibus, non modò Austriam ac Stiriam sua virtute, suíque periculo Capitis, Imperio vindicatas esse, verùm etiam Filio suo *Alberto*, per Conjugium cum Hærede Principe Austriaca, Jus in eundem Ducatum accrevisse. Nihil ergo se dubitare, quin Principes, & Meritorum suorum, & Uxorii Juris habita ratione, lubentes approbaturi sint Austriacorum Principatuum in Filium suum Beneficiariam Collationem. Qua sua spe, sanè æquissima, Cæsar, concordi omnium calculo, perjucundè ac feliciter sit potitus.

Traditio, *Alberti* Filii Cæsaris Conjugé, cùm esset ex Matre Babenbergica, Marito suo Jus ad Austriam Uxorium attulisse.

XIV. Primus, quod sciam, ita docuit *Wolfgang. Lazius*, Archiater, ac Professor Viennensis, & *Ferdinando I.* Cæsari à Consiliis, Historiographus in Orbem notus, ídque Commentarior. Genealog. Austr. Libr. I. p. m. 182. primæ Edition, *Oporinæ* Basileeñ. de Ann. 1564. Quem proximè insecutus est eidem Sinchronus *Joannes Jacobus Fuggerus* Dominus in Kirchberg & Weissenhorn, *Carolo V.* ac *Ferdinando I.* Cæss. in amore ac Consilio habitus, & primigenius Author *Speculi Honoris Austriaci*, ab ipso post dimidium fortè Seculi XVI.[ti] studiosè conditi, lapsis

Authores hujus Traditionis.

po-

postea Centum & ampliùs annis à *Sigismundo Birckenio* refecti, & editi An. 1668. ubi Libr. I. Cap. XIII. p. 108. & 109. hanc eandem Traditionem diffusiùs leges. *Gerardus* quoque *de Roo* sententiam istam pariter subindicare videtur, dum scripsit, Histor. Austr. Libr. I. p. 30. - ,, *Rudolphus*, postquam in Austria, ,, & vicinis ei Locis, quatuor ferè Annis transegisset, discessum ,, parans, in frequenti Procerum Conventu *Albertum* Filium; ,, Austriæ & Stiriæ Præfectum, & Imperii Vicarium creat, re- ,, bus præfuturum, donec ex suo, & Principum Consilio, aliud ,, statuatur. *ut autem Filio firmam in eas Provincias Successionem* ,, *pararet*, jam antea cum *Meinhardo*, Tirolensi Principe, de ,, Matrimonio *Alberti* cum *Elisabeta* ejus Filia egerat, eique Ca- ,, rinthiæ Ducatus, & Tarvisianæ Marchæ Beneficium promi- ,, serat,, Non facilè videas, quomodo dixisset hic Scriptor, Cæsarem de Nuptiis cum *Meinhardo* egisse, *ut Filio firmam in eas Provincias Successionem pararet*, nisi credidisset, Sponsam Tirolensem, ex Matre Austriaca ortam, Jus in Ducatum istum *Alberto* secum allaturam esse. Hos itaque Scriptores, inter eos, qui Res Austriacas uno filo connexas tradiderant, gratos admodum, famæque eximiæ, Recentiores ferè omnes exscripserunt, eandem sententiam amplexi: maximè cùm apud *Megiserum* quoque Annal. Carinth. Libr. VIII. Cap. 25. p. 870. forsitan legerint, *Ulrico* ultimo Carinthiæ Duci geminas Uxores fuisse, ambas *Agnetes* dictas, Meraniensem primam, à *Friderico II. Bellicoso* Austriæ Duce repudiatam: Alteram Austriacam, *Hermanni Badensis* Filiam ex *Gertrude*, mox laudati *Friderici* Nepte Fraterna, quam postea Viduam *Meinhardus* Tirolensis, & ipse Viduus, novum in thorum assumserit.

Quæ cum Scriptoribus Veteribus nullatenus cohæret.

XV. Hæc tamen Sententia, incautô Recentiorum calamô in vulgus pervagata, cum Scriptoribus, & Monumentis veteribus nequaquam cohæret. Certum quippe est ex *Brevi Chronico* Monasterii *Stamsensis* Ordinis nostri in Tiroli apud Cl. *Hieron. Pezium* II. col. 457. *Meinhardi* Tirolensis primam Conjugem fuisse *Elisabetam*, Filiam *Ottonis* Bavariæ Ducis, quondam Reginam Romanorum & Siciliæ, quippe nuptam *Conrado* Regi, Filio *Friderici II.* Imperatoris, & ex eo *Conradini*, Neapoli decollati, Matrem: deinceps, cùm Vidua fuisset, in *Meinhardi* thorum ingressam, & An. 1268. Neapolim amore Materno pertractam, ut coacta ingenti pecuniarum vi *Conradinum* captivitate, aut Capite saltem eliberaret. Qui cùm, priusquam illa adveniret, jam sub securi cecidisset, voluisse eam illa in Urbe Cœnobium in memoriam Filii condere: sed facultatem ex Rege haud impetrâsse. Idcirco infando cum dolore reducem, domi in Tiroli An. 1273. cœpisse Fundationem *Stamsensem*: sed eodem Anno die S. Dionysii, sive 9.[na] Octobris, decessisse, perfectô

secto postea Monasterio, ibidem sepultam. Rem hanc ego jam Decad. priori §. II. in Reb. Ord. ad ann. 1273. n. 5. & 6. amplioribus exposui. Verba porro Chronici, ad Epocham facientia, hìc repetere libuit, quæ ita habent. „Anno Domini „MCCLXXIII. Claustrum *in Stams* constructum est à prædicto „Comite *Meinhardo*, & ab *Elisabet* Conthorali sua, quæ erat „Filia Ducis Bavariæ, ac Relicta piæ Recordationis quondam „*Conradi* Regis Romanorum. Anno Domini MCCLXXIII. „in die S. Dionysii Obiit prædicta Domina *Elizabet* Fundatrix „hujus Cœnobii, hìc sepulta.„

XVI. Viduus itaque *Meinhardus* AN. 1273. Mense Octobri, certè nisi altero anno haud nupsit, si tamen in thorum secundum concesserit. Laudatum quippe *Chronicon*, Liberos ejusdem omnes ex obitu suo diligentissimè recensens, ac præterea Austriacos pariter Principes, cum Uxoribus & Prolibus, disertè collaudans, alteram tamen *Meinhardi* Uxorem altissimo silentio undique premit. Esto tamen, ille iterum nupsisset, & quidem *Agneti* Austriacæ, atque ex illa primo statim anno *Elisabetam* Filiam suscepisset: hæc tamen ANNO 1282. quo *Albertus* Austriæ Dux renunciabatur, quemadmodum suprà fundamentô diplomaticô statui, utique non nisi Octennis, ac proinde Conjugio prorsus inepta fuisset. Differ etiam, si velis ac possis, quacunque ratione, Ducalia *Alberti* Feuda in Annum 1286. adhuc *Elisabetam* non plus, quàm duodennem habebis. Si proinde in tempora, uti debuerant, inquisivissent, *Lazius*, *Fuggerus*, & alii, securiùs ex tripode dixissent. *Ratiocinatio ex Chronico Stamsensi.*

XVII. Rectiùs longè *Albertus* Argentinen. apud *Urstisium* p. 100. sq. „Tempore Electionis Regis (*Rudolphi*) iverat *Albertus* ad Comitem Tirolis ad recipiendam *Elizabet* Filiam suam. Et intelligens Comes Electionem Regis, *Alberto* Filiam illico copulavit (intellige, in Sponsam addixit) Erat autem ipsa *Elizabet* Soror quondam *Conradini* ex Matre, quæ, „defuncto *Chunrado* Rege, recepit Comitem Tirolis.„ Rectè quoque *Vitus Arenpeckius* in Chron. Bav. apud Cl. *Bern. Pez.* Anecdot. III. Part. III. col. 273. „Sanè Domina *Elizabet*, Filia *Ottonis* Ducis Bavariæ, Regina Romanorum, Hierusalem, & Siciliæ, post obitum Mariti sui Regis *Conradi*, *Meinhardo* Comiti Tirolis & Goritiæ nupsit MCCLIX. in Octava S. Michaelis apud Monacum Nuptiis celebratis. - - - Ex qua genuit „*Ottonem*, *Ludovicum*, *Albertum*, Duces Carinthiæ, ac *Hainricum* Regem Bohemiæ, & Poloniæ, Ducem Carinthiæ, Comitem Tirolis, & Goritiæ, & ELIZABET, quam ALBERTUS Dux Austriæ, postea Romanorum Rex, Uxorem duxit.„ Quod idem ferè hic Scriptor pariter in *Chronico Austr.* repetit *Aliorum Coævorum testimoniis roborata.*

apud Cl. *Hier. Pezium* Tom. I. col. 1233. assentiente ibidem etiam *Hageno* col. 1135. Rectè tandem & *Aventinus* Annal. Libr. VII. Cap. X. n. 13. p. m. 684. „*Ludovicus* (Elector Palatinus & Bavariæ Dux) ejus (i. e. *Ludovici* junioris postea Cæsaris) Genitor, atque *Moenardus* Tirolius, *Albertus* Austriacus, Affines, tum foedus ineunt. *Elisabeta*, Uxor *Alberti*, Filia erat *Moenardi*, Neptis ex Sorore *Ludovici*. „ Cum quibus omnibus Genealogiam *Elisabetæ Albertinæ* Bavaricam, non Babenbergicam, ipse quoque *Megiserus*, unde suprà p. 914. citra errorem construxit.

Narratio P. *Didaci Lequile.*

XVIII. Libet autem Doctissimi etiam Patris *Didaci Lequile*, ex Ordine Minorum Neapolitani, & Ecclesiastis Itali, atque Historiographi apud Seren.^mum *Ferdinandum Carolum* Archiducem in Tiroli, Narrationem, aliquantùlum licèt, prolixiorem, afferre ex Voluminis ejus An. 1655. editi, cui Titulus *Pietas Austriaca*, Part. III. p. 83. quem similiter Rever.^mus *Czerwenka* p. 100. excepit. Ita porro ille. „Annus 1282. nobilitatur „insigni facinore *Rudolphi* Cæsaris in servanda fide, quam An. „1268. dederat *Meinardo*, Goritiæ & Tirolis Comiti, de ducen„da Filia ab *Alberto* Filio. Adhuc privatis in Rebus, magna fa„miliaritas, & conjunctio cum *Meinardo*, erat *Rudolpho*. Eam, „quò constantior esset, Liberorum Connubio utérque Comes „firmavêre. Promisit Tirolensis *Elisabetam* Filiam, ubi æta„tem nacta esset, *Alberto*, quintô, antequam ad Imperium ve„niret *Rudolphus*, annô. Multi invicem fidejussores nominati, „quos antiquô schediô exscriptos, nominatim quoque memoriæ „gratiâ subjicit *Guillimannus*. Ex parte *Rudolphi* reperiuntur „duo Episcopi, nempe Curiensis, & Constantiensis, unus S. Gal„li Abbas Electus, quinque Comites, & quatuor Barones. Ex „parte verò *Meinardi* totidem ferè, duobûs tantùm exceptis, „& inter eos Episcopus Goricensis, deinde Affines ejus, Am„bo Bavariæ Duces, Uxoris Fratres. Sed ubi *Rudolphus* Impe„rii Culmen obtinuit, magnáque in Gloria res ejus fuêre, du„bius *Meinardus*, an cum fortuna animum mutâsset, ubi pri„ma Opportunitas tulit, ex Cæsare rogavit, priùs pacta num „etiamnum rata haberet? Cæsar Comitem amplexus, non mo„dò mansura, quæ inter eos convenerant, respondit, sed insuper „ostensurum se brevì, quanto ipsum honore & amore haberet. „Facturum enim, ut omnes intelligant, majorem eum Dignita„tem dudum promeritum, & à nemine, quàm à se, rectiùs „sperari, aut accipi. Et ipsum quidem, ut tradunt Historiæ, „Ducem Carinthiæ creavit. Hinc ubi Cæsar Procerum Impe„rii Comitia, Augustam Vindelicorum indixit, anno eodem, „ut illius tam Jllustris Senatus lætitia satis supérque augeretur, „per eosdem dies IV. Cal. Februarii Indict. XI. Ann. Dom.

„MCCLXXXII.

„MCCLXXXII. constituit Nuptiarum Celebrationem *Alberti* „Ducis Filii sui cum *Elisabeta*, Filia *Meinardi* prædicti Tirolis."

XIX. Recens hic quidem est Scriptor, Veteribus tamen consona enarrans, quod *Alberti* Sponsam concernit, & insuper ad prolatum à celebri *Franc. Guillimanno* Schedion Vetus Pactorum Nuptialium provocans, fide sua non planè destitui potest. Cujus Proinde Asserta si teneant, plurima sanè aliter, quàm ex *Lazio* & *Fuggero*, docemur. Patet enim exinde, *Rudolphum* jam An. 1268. Nuptias Tirolenses depactum fuisse, cùm ipse ne de Imperio quidem obtinendo, minùs verò de Austria in Filium transferenda cogitâsset. Dum Comes *Meinhardus* cum *Elisabeta* sua Bavarica conviveret, & ideo in Pactis Nuptialibus ambos Bavariæ Duces, tanquam Affines, suæque Uxoris Fratres, pro Testibus adhiberet. Dum *Elisabeta* Sponsa parvula foret, thoróque Conjugali prorsus immatura. Dum insuper *Agnes* Austriaco-Badensis adhuc in Conjugio *Ulrici* Carinthiæ Ducis, Anno demum 1269. defuncti, improlis persisteret. Hanc porro à Morte Mariti, cogente *Otocaro* Rege, ad *Generis depressionem*, nubere debuisse Comiti *Haimburgico*, jam aliàs Decad. VII. §. 1. n. 45. è Chronicis Austriacis attuli, deinceps iterum uberiùs expendendum. Liquet insuper Dies Nuptiarum 29. Januarii, quæ An. 1282. Dominica fuerat: quamvis, unde *Didaco Lequilensi* de ea constiterit, ego ignorem.

Unde Traditio antefata rursum convellitur.

XX. Alterum est, quod in hac Feudorum Austriacorum Collatione ignorari non debet: Eadem nimirum à Cæsare, tanquam sibi & Imperio vacantia, armorum jure asserta, proprii Capitis Augusti periculo ab injusta *Otocari* Usurpatione vindicata, omni etiam ad ea jure alieno libera, sic pariter, ultróque sentientibûs, & consentientibûs Principibûs, existimata fuisse. Quamvis enim ex *Constantia*, Sorore *Friderici* Bellicosi ultimi Austriæ Ducis Babenbergici, olim *Henrico* Marchioni Misniæ nupta, Filii superessent: nuspiam tamen Misnenses isti pro Austria contendisse leguntur, eò, quòd laudato *Henrico* à Cæsare Thuringia, pro qua ipse diutissimè decertaverat, pronunciatò adjudicata, Filio autem ejusdem *Alberto* Altenburgi Comitatus, à *Friderico II.* Augusto dotis locò eidem traditus, benignè confirmatus fuerit. Qua illi Clementia inducti, ut ne ingrati forent, juri suo, si quod erat, ultro libentésque cesserunt; quamquam si hoc Clementiæ Augustæ non detulissent, Æquitati certè debebant. Nunquam enim ipsi, vel alii quicunque, Sanguinis aliquo jure suffulti, tanti fuerant, ut Provincias Austriacas, sub *Otocari* potentissimi Regis tirannide laborantes, vindicare, & sua sibi Jura asserere potuissent: quibus eliberandis totæ Cæsaris, ac Imperii vires vix demum pares exstiterant. Quoniam itaque, il-

Feuda Austriaca Imperio vacabant, & jure belli asserta erant.

Vis Otocari Hæredum omnium Jura pessum dedit. illo quidem articulo temporis, tam summè formidabilis Usurpatoris Vis, universorum Jura taliter perturbaverat, ut nemo nullus eandem, præterquam Cæsar, & hic ipse similiter, non nisi cum proprii periculo Sanguinis, repellere posset: quo, amabò, Juris Canone Provinciæ, iniquo detentori cum tam Augusto discrimine ereptæ, &, si Hæredum vires attendantur, penitus conclamatæ, à quoquam eorum ultrà, ut suæ, ut patrimoniales, ut hæreditariæ, repeti potuerant? Judicatò partibus læsis patrocinari Cæsarem, juvare etiam easdem auxiliis moderatis, quibûs Adversarii ad Officium redigi commodè possint, omnino Lex publica imperat: Viribûs verò totis coactis, & proprio insuper cruore exposito, injustum Possessorem, in gratiam privatorum, depellere, quænam, obsecro, ab eodem Justitia flagitat? Uni hoc certè Imperio ab ipso debetur: & si fiat per illum, profectò, quidquid hoc pacto acquirit, sibi & Imperio acquirit. Non facilè aliud Exemplum universa ex Historia adduces.

Aventini Traditio, Feudorum Collationi in *Albertum* contradixisse Duces Bavariæ. XXI. *Aventinus* porro, unde suprà p. m. 683. n. 12. ita scribere voluit, quod ne unus quidem Scriptorum, ipso Antiquiorum, quos teneamus, in medium dederat. „Eodem An„no (1286. ut ille perperam calculum subduxit cum *Arenpeckio* „in Chronico Bavariæ) Cæsar Octavo Calendas Januarii Augu„stam in Confinio Rhetiæ atque Vindeliciæ Concilium Proce„rum convocat. *Albertum Hallusium* in Classem Præfectorum, „quos *Graphios*, Literatores *Comites* vocant, refert: Boiis, at„que Archimystæ eorum (puta Archiepiscopo Salisburgensi, „tunc cum Bavariæ Ducibus commisso) diem dicit. Ibi *Hain„ricus*, atque *Ludovicus*, Fratres Germani (Superioris & In„ferioris Bavariæ Duces, quorum posterior etiam Elector Pa„latinus fuerat) Bojorum Legati, cum Liberis, Austriam, Sti„riam, Charios, easque Regiones sibi reddi postulârunt: Quæ „quondam Majoribus suis ablata fuissent, atque illi eadem Lo„ca primùm Romanîs, deinde Hunnîs pulsis, atque excisîs, po„stremò Venedis atque Ugris perdomitîs, suo Marte & sangui„ne peperissent, in Germaniam transtulissent, Colonias ibi Bo„jorum atque Popularium suorum deduxissent. Cæsar, Senatu „Imperii convocato, refert, quid fieri placeat de hisce Provin„ciis, quas interim proprio Filio suo commisisset? Tum ex „Senatus Consulto, Conciliique Decreto, Austriaci, Stirii, *Al„berto* & *Rudolpho* Filiis Cæsaris traduntur: Chariones, Carni, „Liburni, Histri *Moenardo* Tirolio committuntur, frustra *Lu„dovico* Juniore, Filio *Ludovici* Boji, intercedente, atque, insa„lutato Cæsare, se domum proripiente.„

Quæ autem tam f... labo... XXII. Singularem hunc Paragraphum, tanquam nobilem quamdam Historiæ Boicæ Gemmam, Scriptores è Recentioribus

bus plurimi, multo cum gaudio, suis in Fastis, ad perpetuam Rei memoriam, certatim propagârunt, penitus interim incuriosi, qua fide nitatur. Salvîs autem, quæ hodie placent, criteriîs, hæc tota Narratio, tam fide, quàm pondere, destitui necesse est. Fide primùm: Quia *Aventinus*, Annalium suorum XVI^{ti} demùm Seculô Conditor, de iis, quæ Seculo XIII^{tio} gesta sunt, absque exceptione testari, per Ætatem tutò neutiquam valet, tantóque minùs quidem, quòd sinchronum, aut supparem neminem alicubi laudet, qualis & hucusque, cum ipso paria tradens, neque aliis visus cognoscitur. Ne dicam, famulum, aut vectigalem, ex asse certè devotum Principi alicui, vel Provinciæ Calamum, qualis est hujus Chronographi, in Rebus, quæ ab ipso solo traditæ, merè ad sui Monarchæ, aut Patriæ, Jura ac Gloriam faciunt, nec aliis Monumentis visîs nituntur, suspicione Affectus vehementer plerúmque laborare, parique jure à Testimonio, ac Liberi, Propingui, & Servi, à comprobanda Patris, Cognati, vel Domini sui causa, removeri. Propria profectò *Ludovici Severi*, Electoris Palatini, ac Senioris, primíque tum Bavariæ Ducis Confessio, quam solemnibus Literis fecit, *ut* nimirum *intemeratæ fidei puritas, & sinceræ devotionis integritas, quibùs Serenissimum Dominum RUDOLPHUM Romanorum Regem semper Augustum prosequitur, & prosequi vult incessanter, claro clarius pateat in effectu, se consentire expresse, & suum liberaliter ad hoc impartiri assensum, ut Ipse (puta Cæsar) Principatus Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, & Marchiæ, cum suis juribus, & pertinentiis universis, quos alienatos jam dudum ab Imperio, & distractos, non sine multo sudore, & sanguine, ad ejusdem Imperii potestatem reduxit, Filiis suis legitimis, qui in Terris prædictis sunt non immeritò honorandi, conferat, & concedat in feodum, quandocunque suæ fuerit voluntatis, eidem Collationi, seu Concessioni ex nunc, ut ex tunc, spontaneum & liberum adhibens Consensum*: Hæc, inquam, Confessio Primi tum Bavariæ Ducis, quæ, præter Cæterorum Electorum Principum consimillimas Consensûs Tabulas Autographas, Augusto in Scrinio Vindobonensi asservantur, & hodie exstant, immensùm ampliorem æquis omnibus Rerum Arbitris, præ Narratione *Aventini*, fidem facere debet, traditámque ab ipso Boiariæ Ducum Reclamationem, ac Postulationem, sanè penitus elevat. Pondère deinde relata sua hic Scriptor ipse destituit, dum, percensitîs Ducum Argumentîs, ingeniô suô conglobatîs, è vestigio subdidit, aliter de Provinciis, in quæstionem adductis, *ex Senatus Consulto, Conciliique Decreto*, sancitum esse. Largiar itaque, quod nunquam fatebor, intercessisse Bojariæ Principes, & more veterum apud Romam Tribunorum, Austriæ in Filios Cæsaris collationem Quàm pondere.

vetâsse; quis justè id factum, & legitimè evictum existimabit, quod publico, quod frequenti, quod unanimi Senatus Consulto damnatum fuit?

Collatio Austriæ Ecclesiæ & Orbi felix ac fausta.

XXIII. Quod igitur DEO O.M. gloriosum, quod felix faustumque Ecclesiæ, & Reipublicæ Christianæ, quod Imperio, Austriæ, omnibúsque ejusdem Regnis, ac Provinciis Hæreditariis, Populóque fideli universo honorificum, proficuum, & salutare fuit, salvâ Justitia Publicâ, cum nullius injuria, Subditis rogantibus, decernentibus Principibus, RUDOLPHUS Optimus Augustus Merita sua coronavit in Filiis, ALBERTO & RUDOLPHO, utrisque Feuda Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carnioliæ, Marchiæ, Portûsque Naonis, Ritu Augusto concessit. *Rudolpho* autem Feuda Suevica peculiariter collata, & *Meinardo* Tirolensi tum pariter Feuda Carinthiæ & Istriæ eo pacto, ut si Masculam Stirpem suam flore suo excidere aliquando contingeret, hæ quoque Provinciæ ad Austriæ Duces, nemine intercedente, devolverentur, indulta fuisse, geminus error est, in plurimos pervagatus. Sueviæ collationem in *Rudolphum* omnino fallere, quod hic remonstrare longum foret, latissimè edocetur, clarissimisque constabilitur testimoniis, *in der Vollstendigen Königlich. Beantwort. der Churbayrisch. Ausführ. Part. II. ad §. IX. à pag. 40.* Ubi ostenditur, nec minimam Sueviæ portionem cum veritate assignari posse, quæ non dudum antea, & ab antiquo Habspurgica fuerit, vel posteriùs longè ab Archiducali Austriaca Domo liquidis Titulis, & Contractibus acquisita. Alterum demum An. 1286. rogantibus *Alberto & Rudolpho*, factum esse, Literæ Cæsaris Feudales pro *Meinhardo*, quæ eodem Anno dabantur Augustæ Calendis Februarii, & *in der Vollstend. Königl. Beantwort. der Bayr. Ausführ.* p. 236. ex Autographo communicatæ sunt, manifestissimè perhibent. Quisquis porro *Paralipomena* ad Chronicon *Urspergensis* adjecit, certè omnibus propemodum verbis hallucinatus est, ajens: „Anno Domini MCCLXXVIII. Rex *Rudolphus* Comes de Habspurch Filium suum JOANNEM (Natum pro Patre *Rudolpho*, Fratre *Alberti* ponit) fecit Ducem Sueviæ, & *Albertum* Filium Ducem Austriæ & Stiriæ: & *Menhardum* Comitem Tirolis fecit Ducem Carinthiæ in Civitate Augustana in Comitiis Electorum, & aliorum Principum.„

Meinardo Carinthia non simul collata.

Fallit pariter, Cæsarem, in gemino Filio duos Dominos dedisse.

XXIV. Quod verò Austriam attinet, nemo putet, Imperatorem eidem Provinciæ geminos Duces imposuisse. *Rudolphus* quippe suis cum Posteris, si quosdam habiturus esset, *Alberto* Seniori Fratri, ejúsque Propagini forsitan defecturæ, solummodo, sic provido metu humanæ vicissitudinis consulente, in Successionem substituebatur, falsò tradente Clarissimo aliàs

Lam-

Lambecio, juniorem *Alberti* Fratrem, Cæsare Patre mandante, dimidiæ Austriæ Imperio præpositum fuisse. Videatur iterum die Vollstend. Königl. Beantwort. p. 240. sqq. cum annexo Imperatoris Diplomate, dato *in Rinvelde Cal. Junii* 1283. Ubi disertè infit: „Se statuere, disponere, ordinare, ac velle, „ut *Albertus*, ac Hæredes ejus Masculi, sæpedictarum Terrarum Principatus, ac Dominia, cum omnibus suis Juribus, „Honoribus, & Pertinentiis universis, prout prædictas Terras „eisdem *Alberto & Rudolpho pro indiviso priùs contulit*, soli „perpetuò habere debeant, & tenere. --- Et nihilosecius, si „prædictum *Albertum*, unacum suis Hæredibus Masculis, contingat decedere, velle se, & statuere, quòd prædicti Principatus, sive Dominia, cum suis Juribus, honoribus, & pertinentiis universis, ad sæpedictum *Rudolfum*, & suos Hæredes legitimos, liberè devolvantur.„ His Cæsaris verbis pro indiviso Austriæ Gubernio à se constituto nihil denuo luculentius quisquam requirat. Pergo itaque ad Acta Anni sequentis, hoc adhuc prænotato, *Wichardum* Episcopum Pataviensem Wiennæ, uti putatur, cum fine Anni præsentis decessisse. Cl. *Hansiz.* Metr. Laur. p. 425. sq. *Wichardus Episc. Patav. obiit.*

Annus 1283.

XXV. DUm in Italia Siculi, Galli, & Aragonii secum invicem infestis armis commiterentur, *Carolus*que, ac *Petrus*, Reges Aleam belli, peculiari paucorum, se tamen Ducibus, velitationi, aut etiam singulari certamini, per se ineundo, credere condixissent, quorum quidem neutrum fiebat: dum insuper *Martinus* Papa IV. pro *Carolo* pertentaret omnia, & in *Petrum* Aragonium, cunctósque illius Adjutores, perpetuis fulminibus certaret, ipsum tam Aragoniæ, quàm Valentiæ Regnis Anathemate suo exuens, & illa *Philippi* Galli Filiis deferens, Legatis ultro citróque commeantibus: Felix interim Germania suo sub Cæsare *Rudolpho* quieta perstitit, vel, qua parte adhuc turbata erat, tranquillitati sedulò restituebatur, eo profectu, ut faterentur Cives, securiora sibi sua jam in viis & compitis esse, ac antea in Urbibus fuerint. Id porro magis mirum, fundandæ hujus quietis causâ, Optimum Imperatorem plerumque suos exercitus per se duxisse, tametsi jam dudum sexagenarius esset. Turbulentiorem præ omnibus Wirtembergæ Ducem, aut veriùs Comitem *Ulricum*, iterum iterùmque ad officium redegit. S. Galli Abbatem *Wilhelmum de Monteforti* per *Albertum* Filium Ducem Anno priori ad veniam rogandam compulit. Hoc Anno Sabaudiæ Comitem debellaturus, equô suô confossô, diu pedibûs consistens, adversum hastas, & enses hostiles, extremo cum discrimine dimicavit, donec

Pro Sicilia Gallorum, & Aragoniorum, ac Papæ contentio.

Germania felix, aut quievit, aut quieti restituta est à Cæsare, per se jugiter pugnante.

Summum ejus discrimen in Helvetia.

nec vicinum in Lacum, *Murton* dictum, in Helvetia ac Ditione Bernensi existentem proximè Aventicum, armatus totus, audaci tamen saltu se præcipitem dederit, arrepto arboris trunco prominenti tamdiu adhærens, usquedum *Hermannus de Waldeck* adversa ex ripa exiguam cymbulam adduceret, qua eum præsenti Morti, providente Numine feliciter exemit, suis interim de hoste gloriosè triumphantibus.

Albertus in Austria excipitur, ejus possessionem init, Privilegiorum Confirmationem à Patre accipit.

XXVI. *Albertus* Cæsaris Filius hoc anno sui Ducatus Austriaci possessionem inivit, illuc à Patre Augusto dimissus cum *Hermanno de Landenberg*, & *Eberhardo de Walsee*, utroque Suevo, atque ætate, prudentia, fide, magnopere conspicuo. Ex Australibus Dominos *de Meyssau*, *de Capella*, *de Lengenbach*, *de Puechheim*, primo illius, & secretissimo Consilio deputavit. Sic ferè Annales *Zwetlens*. ad h. a. ex *Chronico* domestico MS.to Additur ibidem, L. Baronem *Streunium* in Annal. Austr. Super. ulteriùs referre, Novum Ducem ab utriusque Ducatus Provincialibus summo cum honore exceptum esse: quod ipsi conceptis Literis Cæsari nunciaverint, Hic verò, rogantibus Filiis Privilegia Anteriorum Cæsarum, licèt insinuata duntaxat, non integro tenore inserta, plenè confirmavit, vernaculo Diplomate, quod subsignatum: *Geben ze Reinveld durch Hant Meister Hainreichs unsers Obristen Schreiber des Moneydes Juny des Aindlesten Tags nach Kristes Gepurd Tawsend Zwaihundert Jar und in dem drei und achtzigsten Jar unseres Reichs in dem Zeenten Jar.* Extenso tenore hoc Confirmationis Diploma dedêre, D. *Lunig* im Reichs-Archiv Part. Special. de Austria p. 9. & ex eo *die Vollstend. Königl. Beantw. der Chur-Bayr. Ausführ.* p. 171. not. c.

Observantur nonnulla in Diplomate Cæsaris.

XXVII. Mirum, in eo *Julii Cæsaris*, & *Neronis* quoque Literas pro Austria commemorari. *Henricus Jasomirgott*, quem *Fridericus* I. Imperator Primum Austriæ Ducem renunciavit AN. 1156. hìc appellatur *der Grosse Furst*. Clementissimus Fundator noster *Leopoldus VII.* cui *Henricus* Rex, *Friderici II.* Filius Privilegia adauxit AN. 1228. scribitur *Der Frume LEWPOLD*. Demum *Fridericus Bellicosus*, cui *Fridericus* II. Cæsar parem gratiam AN. 1240. impendit, prædicatur *der Forchtsame Furst*. Dignissima autem notatu verba ea videntur, quæ omnium postrema, mox ante ipsam subsignationem, veluti Appendicis locò, conceptô certè animo, hunc in modum subnexa leguntur. „Es soll auch den vorgenanten unsern Sunnen, und iren Erben, „und Nackumen, und irn Landen, dhainen Schaden bringen, „ob der vorgenanten Brief dhainer, oder jeder Artickel besunderleich verruchkt, oder zebrochen wer, von wegen *Otakches* „Kunigs ze Pehem, oder *Bela* Kunigs ze Ungarn, oder von yemann andern, oder noch ezeprochen mocht werden. Wand „si die egenanten Land ze Unrecht, und in Rawbes weise inne gehabt

„gehabt habent: sonder si sullen alle und yegleich Recht, Freyung, und Gewonhait haben in aller der Mazze, als die obgenanten Briefe lautent. „ Quo paragrapho citra dubium legitimus in Austria Succedendi Ordo, à *Friderico* I. Imp. tam in Maribus quàm Fœminis institutus, sed Annis anterioribus Vi præpotentium Regum, qui idcirco hic coarguuntur ut Usurpatores, legem & jura proterente, penitus turbatus, rursum innovatur, & in integrum restituitur.

XXVIII. Novi Austriæ Ducis uti prima cura fuerat, Regionem suis omnibus finibus inviolatam conservare, ita paulò pòst Adventum suum Belli prima occasio eidem ex vicino Bavariæ Duce *Henrico* enascebatur: cui naturâ quasi hic Genius erat, ut quacunque de causa arma primum ostentaret, sed leviter ea rursum, statim, ut subiit eum nonnullus periculi metus, retraheret. Damnatus is antehac à Cæsare fuerat, in pœnam, quòd *Otocari* turbas partésque semel ac iterum fovisset, ad Austriam Superiorem, quam pignori obligatam tenuerat, nunc cum debiti jactura reddendam. Condictum præterea cum eo fuit, ut, si Filii sui *Ottonis* Uxor *Catharina*, Soror *Alberti* Ducis, absque Liberis decederet, Urbes illæ ad Oenum, quas ipsi dotis loco attulerat, rursum Austriæ accederent. Obiit illa improlis hoc Anno, vel anteriori. Sive ergo *Henricus* Bojus in reddendis Urbibus dotalibus, sive universa Austria Superiore restituenda, negligens fuerit: ab *Alberto* Austriaco sui Officii, ac debiti commonitus est. Reddidit, vel dura, vel dubia verba. Hinc à Duce nostro eidem Bellum indictum, ac fœdere cum *Friderico* Salisburgensi Archipræsule facto, socius utriusque exercitus ad Welsam Oppidum perductus est. Primum *Alberti* Ducis Bellum cum *Henrico* Bavariæ Duce.

XXIX. Arma armis opposuit *Henricus*, Agmine gemino instructo: quorum uno se fœderatis objecit, altero Filium *Ottonem* Austriacas Ditiones adoriri mandavit. Verumtamen Episcopi, Ratisbonensis, & Pataviæ Commendatione Cæsaris, cui à Secretis ac Protonotariatu fuerat, nuper electus *Godefridus*, unacum Comite Tirolis *Meinhardo*, quod facile fore noverant, Bojum, Cæsaris metu eidem injecto, arma statim impetu suo remissurum, concordiam tentârunt, hócque pacto perfecerunt; ut *Henricus* Dotem redderet, Bellíque sumtus centum Argenti marcis interim compensaret, Quæstione Juris in *Ludovicum* Electorem Palatinum Fratrem suum remissa. Qui postmodum ad votum *Alberti* Ducis cuncta resolvit. Ita Chronica *Australis*, Anonymus *Leobiensis*, *Andreas* Præsbyter Ratisbonensis, & Cl. *Hansiz*. in Metrop. Laur. ac Salisb. Ope tamen Arbitrorum compositum.

XXX. *Rudolphum* Imperatorem apud Friburgam in Orlandia Oratores *Wenceslai*, Juvenis Bohemiæ Regis, accedentes, Do- Cæsaris gratia in *Wenceslaum* juve-

nem Bohemiæ Regem.

Domino suo insignem Gratiam exorârunt. Duodennis hic fuerat, eique à Cæde *Otocari* Patris, *Otto* Marchio Brandenburgicus, cui Avunculus erat, Cæsaris imperio Tutor constitutus est. Qui autem Tutelam, neque in Pupilli, neque Regni, sed suam duntaxat utilitatem agebat. Puerum quippe Regium, non in Bohemia, sed Marchia, quasi captivum detinuit: Regni interim Præsules, Ecclesias, Proceres, Cives, per infanda facinora expilavit, omnémque Bohemiam in extremam pauperiem impulit, ut infiniti homines fame, & inde exorta lue contagiosi contabuisse scribantur. Post hæc omnia verò, cùm pecuniarum, quas abstulerat, nullam penitus redderet rationem, insuper à Statibus, si Regem suum cuperent, 20. millia Marcarum, & à Pupillo, si redire, ac liber esse vellet, alia 5. Marcarum millia poposcit, in mercedem, ut ajebat, tutelæ providè gestæ. Utrosque in jusjurandum præstandorum adegit, cúmque neutris opes præ manibus esse, quas ipse rapuerat, probè intelligeret, Urbes, & Castra plurima Bohemiæ pignori sibi interea supponi, suóque Militi custodienda committi, ex afflictis per vim impetravit. Mox ut ista per Nuncios juvenis Regis ad Imperatorem delata sunt, qui Nemini, & ne propriis quidem Cognatis Comitibus Haspurgicis atque Kiburgicis, præter æquum in alios commissa indulgere consuevit, è vestigio, præhabito Senatus Consulto Principum, atque Doctorum, tam Regem, quàm Status Bohemiæ, ab omni adversus Marchionem Brandenburgicum iniqui debiti vinculo liberos, & immunes pronunciavit, lato desuper Diplomate, expedito *Friburgi in Orlandia X. Kal. Septem. MCCLXXXIII.* Per extensum illud apud *Czerwenkam* legere licebit p. 105. sqq. Conferatur Cl. *Balbinus* in Epit. Rer. Bohem. L. III. Cap. XV. & XVI. in Text. ac Not.

Benefacta in Ordinem nostrum, & alios.

XXXI. Sacro Ordini nostro Cisterciensi Cæsar hoc anno perinsigni Clementia diversis in Monasteriis opitulabatur. Nam, teste Diplomate, quod est apud Cl. *Herrgott* Vol. III. p. 514. n. 619. sub dato *Basileæ III. Kal. Junii*, Parthenoni nostro *Oelsbergensi* Diœcesis Basileensis, ejúsque Abbatissæ *Agneti*, confirmavit Cambium, quod cum *Jacobo de Rinvelden* inierat. Adnotante præterea Doctiss. *Czerwenka* p. 102. Odeo Virginali *Bonæ Cellensi*, ubi, teste *Bruschio*, ducentarum aliquando Virginum Cisterciensium Chorus Deo psallebat, quódque in Suevia Ochsenhusio proximum est, non unum hoc anno Diploma, gratiis refertum, Ulmæ, alibíque concessit. Idem insuper perdiligens Pietatis Habspurgicæ investigator geminas Imperatoris Epistolas integro tenore, absque tamen epochis, reddit, à *Rudulpho* Augusto ad *Philippum* Franciæ Regem perscriptas: quibûs eidem Defensionem Abbatis ac Conventus *Aureæ Vallis*

Ordi-

Ordinis Cisterciensis commendat: "Cùm eis (ut scribit) à Ro-
"mani Imperii Corde longè sepositis, sub Imperialis Protectio-
"nis Umbraculo respirare non liceat, in extremis finibus Im-
"perii constitutis. Orans proinde, ut eos, præcipuè juxta con-
"tinentiam Privilegii, quod eis concesserat, Divinæ Pietatis in-
"tuitu, in omnibus Possessionibus, Juribus, atque Rebus, gra-
"tiosum suæ Defensionis auxilium impendat." Sita est *Aurea Vallis* in Ducatu Luxenburgico, fundata pro Benedictinis Anno 1070. tradita Cisterciensibus Anno 1131. In qua nunc ab An. 1674. severissima ad Literam Regulæ Disciplina servatur: qua de re Loco suo ac tempore latiùs agam.

XXXII. Postremò apud eundem *Czerwenkam* Nobilis adhuc alia Regia Charta profertur p. 102. *Hagenoiæ IV. Non. Novembris* hoc Anno subsignata. Hac porro Piissimus Imperator generatim protestatur, se quibuslibet Privilegiis, quibus ab exordio Imperii sui, Civitates, aut loca quælibet, de sua Clementia donaverat, Præjudicium aliquod Ecclesiis, & Ecclesiarum Prælatis, generari penitus nolle: sed velle omnino, ut Ecclesiastici omnes, ubivis Locorum, Juribus universis, quibùs ante ejusmodi Privilegiorum Concessionem gaudebant, etiamnum illibatè perfruantur, nec audeat quisquam tenorem quorumlibet Indultorum suorum in fraudem Libertatis Ecclesiasticæ interpretari. Clementia in Clerum Universum.

Annus 1284.

XXXIII. SIculas in Italia Gallorum Res iterum restituere adeò quidem *Martinus IV.* Papa connisus est, ut etiam Crucem in Aragonios prædicari mandaverit: ferè tamen easdem nihil promovit. *Rogerius* quippe *Lauria*, Calaber natione, Militaris Rei terra marique peritissimus, quòd *Herinchio* Genuensi, non sibi, Supremum Imperium Belli delatum esset, indignatus, ad Aragonios defecit, suáque industriâ rem omnem Francicam Neapolitano in Regno evertit. Hoc anno *Caroli* Siciliæ Regis Filium *Carolum*, fraude in Aciem, prohibitum licèt à Patre, nimiis vexationibus pertraxit, & postquam eidem cladem intulit, etiam captivum abduxit. Si porro per Siculos duntaxat stetisset sententia, Captus Princeps, jàm Capitis damnatus, decollati quondam *Conradini* Suevi Manibus victima sub ense Carnificis cecidisset. Sed eripuit eum *Constantia* Regina, *Petró*que Regi Marito in Aragoniam submisit. Caroli Siculi Regis Filius Carolus ab Aragoniis captus.

XXXIV. *Rudolphus* Cæsar satius habuit, Res Germaniæ, tanto tempore Interregni ut maximè turbatas, Probitate sua, Prudentia, Fortitudine, ac Clementia restituere: quod profectò eximiè præstitit, veram reducens & Felicem Temporum Re- Cæsar Res Germanas restituit.

Reparationem, neque reducens tantùm, sed eam præterea hoc ipso fundans ac solidans in Ævum, quòd Augustissimam Domum suam publico Orbis bono in Secula firmaverit. Invidi Animi Calumnia est, qua de hoc Optimo Imperatore Chronographorum Recentium aliquis, multorum hodie manibûs tritus, ita calumniabatur. „*Maluit bonus esse Paterfamilias*, „*quàm Princeps: plus Liberorum causâ, quàm Imperii laborare.*„ Nempe Cadmeam Cæsarum Austriacorum Segetem perosus est hic Scriptor, quæ Magnitudine sua prohibuit, Lunam crescere, Lilia, ut lolia, omnem Agrum replere.

Iterum nupsit.

XXXV. Monarha interim noster, invidia omni immensùm superior, hoc ANNO Senium suum Sponsâ novâ, quatuordecim, quod ferunt, annorum juvencula elegantissimæ formæ, consolatus est, de cujus Nomine, & Genere disceptant Authores. *Agnes* aliis, & aliis *Elisabet* appellatur. Quidam Patrem eidem tribuunt *Ottonem*. IV. Burgundiæ Comitem, Neptémque volunt Sororis Regis Franciæ *Philippi* III.[ii] cum *Alberto* Argentinensi. Nonnulli, in quibus præcipuus *Ludovic. Moreri* in Dictionar. Histor. Gallico p.483. Voce *Bourgogne*, asserunt eam Filiam *Hugonis* IV. Burgundiæ Comitis, & *Beatricis de Champagne*, ac proinde Neptem *Theobaldi* Regis Navarræ. Sed non fallebant Annales *Colmariens*[*e*]*s*, apud quos legas ad h.a. „Rex RUDOLFUS *Uxorem Gallicam* duxit in Ro-„marico Monte (Rüremont Lotharingiæ Oppido) festo S.Aga-„thæ, & necessaria ministravit supervenientibus abundanter. „Regina Regis *Rudolfi* venit in Columbariam in Carnis privio, „scil. Cathedra Petri: recepta à Religiosis fuit, à Clericis, & „Militibus, & Civibus communiter. Cives dederunt ei ex-„pensas pluribus diebus, & insuper pro Clenodiis centum Li-„bras.„ Ipse quippe Cæsar ad *Philippum* III. Franciæ Regem Epistolam dedit, qua sibi de contracta cum eodem Affinitate gratulatur. Vulgavit illam Cl. *Herrgott* Vol. III. n. 632. p. 524. desumtam à se ex Codice MS.[to] Bibl. Aug. Vindobonensis: quam & mihi hîc transcribere placuit, cùm nulla prolixitate excurrat. Ita verò habet.

Elegit Uxorem Gallicam.

XXXVI. „Inter cætera quælibet Augustalium Titulorum „Insignia, Nobis attributa divinitus, inter multa votivæ Feli-„citatis auspicia, quibûs Dextera Domini latera nostra circum-„dedit, incessanter id animo nostro revera suavitatis arrisit in „osculo, id immensæ Lætitiæ poculo nostra præcordia fœcunda-„vit: quòd inter Nos & Vos, in quem utique proavita Strenu-„itas vires & animos propagavit, *Affinitatis amicæ Connubia* sunt „contracta. Quæ quidem eò indissolubilius, eò indisjunctius „semper servare non solùm, sed & corroborare disponimus, quò

Ejus Epistola, qua gratulatur sibi de cognatione cum Franciæ Rege.

„*cum*

„cum Inclita Domo Franciæ, counire nos desiderabiliùs delectat. De „Nobis igitur, quæsumus, Regia Celsitudo fiduciæ plenioris ex „Literarum nostrarum Affatibus argumenta suscipiat, quòd in op-„portunitatibus Vobis Nostra Solicitudo non deerit, sed ad cuncta, „quæ Vobis honoris & Gloriæ incremento cessura noverimus, se „officiosè benevolam ultroneè exhibebit.„

XXXVII. Sponsalia Cæsaris in Romarico Monte, ut supra festo S. Agathæ, sive die 5. Februarii contracta, Nuptias postea Basileæ ipsa Dominica Septuagesimæ actas esse affirmant. Connubium hoc, integerrima utrinque fide, sed nulla fœcunditate, Septennio usque ad Obitum Augusti duravit. Post fata ejus Reginam, licèt non plurium, quàm unius & viginti Annorum esset, perpetuam tamen Viduitatem coluisse, ne suam ipsa Majestatem inferioribus Nuptiis deprimeret, *Fuggerus*, atque *Czerwenka* tradiderunt. Contrà verò supra laudatus *Moreri* eandem ad secundas Nuptias cum *Petro Chambelio Nassoviensi* transiisse, quibus nescio monumentis innixus, idiomate suo ita retulit. „*Elizabet* mariée en 1284. à *Rudolphe* I. Em-„pereur, apres la mort du quel elle pri unde seconde alliance „avec Pierre de Chambeli Sieur de Neausse, dit le Jeune, & „mourut en 1333.„ Sic advertit *Pfeffingerus* Vitriar. Illustr. „Tom. I. Tit. V. in *Rudolph.* v. 3.

XXXVIII. Inter eos porro, qui præ cæteris eximiâ Imperatoris Gratia valuêre, non immeritò censeri debet *Henricus*, patre Pistore natus, Ordinémque Minorum professus, túncque *Rudolphi*, ut Comitis, arcanus conscientiæ arbiter, postea verò eidem jam Cæsari à Consiliis, & Secretis, deinde ejusdem commendatione Episcopus Basileensis, postremò Archiepiscopus & Elector Moguntinus effectus: qui Augusti erga se Affectum quotidianis cum incrementis retinuit. Cujus in cæteris perspicuo Argumento esse puto Diploma illud, à Cæsare Ecclesiæ Basileensi sub ejus Præsulatu hoc Anno Friburgi X. Kal. Maji indultum, quo prohibet, ne homines, Episcopo & Ecclesiæ proprii, in Oppido Tannenriet ad Jus Municipale recipiantur. Sistit hanc Chartam Cl. *Herrgott* Vol. III. n. 626. p. 519. cujus exordium tale est. „Amplectentes Venerabilem H.*enricum* Ba-„sileensem Episcopum, Principem, & Secretarium nostrum „charissimum, ob fidem suam purissimam, quam Nobis crebriùs „effectus operum, qualibet Testium depositione solemnior, „laudabiliter in multis necessitatibus demonstravit, Dilectione „præ cæteris puriori, & ampliori prærogativa favoris prosequen-„tes, quantò devotior & promtior cunctis nostris voluntatibus „invenitur, sibi Nostro Nomine, ac Illustrium Al.*berti* & R.*u-*„*dolphi*, Austriæ & Stiriæ Ducum, Dilectorum Filiorum nostro-„rum, hanc Gratiam duximus faciendam &c.„ Mox deinde

Favet Episcopo, & Ecclesiæ Basileensi.

 idem

idem Imperator gemino alio Diplomate, denuo *Friburgi III. Non. & Non. Junii* edito, aliis ejusdem Episcopi & Ecclesiæ utilitatibus consuluit; quorum tenorem iterum habes apud Cl. *Herrgott* unde suprà n. 627. sq.

Item Clero Ratisbonensi, ac Universo.

XXXIX. Congruit autem, hoc loco §.um quoque Chronici *Salisburgensis*, quod est apud Cl. *Hier. Pezium*, Scriptor. I. col. 386. ad Annum præsentem inserere. „Eodem Anno Cives Ratisbonenses cæperunt ædificare Antemuralia Civitatis suæ, opus „decorum, & forte Munimentum: & à Clero Civitatis ejusdem, pro eodem Opere, Contributionem cum multa instantia exigebant. Sed *Rudolfus* Rex Romanorum eodem tempore, videlicet infra Pascha & Pentecosten, veniens Ratisponam, &, proponente sibi *Henrico* Episcopo, hanc Exactionem cognoscens, eosdem Cives per seipsum, & Consiliarios suos exhortatus est, & monuit, ut nihil à Clero ratione hujus Operis exigerent: sed eum consueta, & concessa à Deo, & Romanis Principibus, gaudere permitterent Libertate. Renovaverat siquidem eidem Clero, ad petitionem ejusdem *Heinrici* Ratisponensis Episcopi, nuper ante ipsum Franckenfurt quoddam Privilegium olim *Friderici* Romanorum Imperatoris, quod incipit: *Ad decus, & decorum &c.* & ferè de Verbo ad Verbum in *Libro Usus Feudorum* est expressum (nimirum post finem Libri V. Feudor. sub Rubrica: *De Statutis & Consuetudinibus contra Libertatem Ecclesiæ editis*) quod multam & maximam Libertatem Cleri continet, pœnasque infligit gravissimas his, qui contrarium eidem Privilegio ausi fuerint attentare: quod Privilegium in Præsentia sua per *Heinricum* Brixinensem Episcopum eisdem Civibus legi fecit. Unde ipsi Cives ab eadem exactione cessaverunt, & permiserunt usque adhuc Clerum gaudere debita Libertate.„

Fridericus Archiepiscopus Salisburgensis obiit, Cæsari semper devotissimus.

XL. *Alberto* Duci, Judenburgi in Stiria demorato, *Fridericus* Archiepiscopus Salisburgensis, invitatus illuc ex Frisaco contendens, Feuda Stiriaca Metropolitanæ Ecclesiæ suæ promtissimè contulit, & aliàs quoque totum, quod potuit, Rebus Cæsaris, & Filiorum ejus, promovendis undequaque studiosissimè consecravit. Verumtamen Frisacum reversus devotissimus Augusto Archi-Antistes, paulò post rerum humanarum vicem ibi subivit ipsa die Parasceves, i. e. 7. Aprilis Anno præsenti. Electus in locum ejusdem fuit à Capitulo Metropolitico, nemine dissentiente, quod mirum, ac ferè inauditum, *Rudolphus de Hobeneck*, Cancellarius Cæsaris fidelissimus, perque Italiam Imperii Vicarius, *Vir*, uti prædicant, *per omnia Legalis, qui Regis Curiam pro vitæ & morum honestate multipliciter decorabat.* Nunciata sui Electio mirum in modum eidem peregrina fuit. Tergiversatus, nec Oratoribus Capituli, nec Cæsari suadenti, &

Successit *Rudolphus* Augusti Cancellarius.

vix

vix demum imperanti consensit, sciscitatus antea ex eo, an præstare ipse vellet, aut posset Majestate sua, tam Ecclesiæ, quàm Animarum damna, quæ per inhabilem evenirent? Ita porro effecit, ut, quantò se ipse indigniorem, tantò eum digniorem alii omnes haberent, neque accipere sibi delatum sed multò magis ipse aliis impendere acceptum Beneficium videretur. Interim Romæ pariter in confirmando, stupentibûs omnibûs, mora erat, eò, quòd olim hic novus Electus, dum Cæsaris in Italia Vicarium egerat, Imperio plus, atque Ecclesiæ congrueret, studere apparuisset. Sequentem proinde in ANNUM, & efficacem admodum Cæsaris intercessionem, Approbatio Apostolica dilata. Cl. *Hansiz.* Metr. Salisb. p. 394. sqq. Nequaquam interim hic Antistes tam commodus *Alberto* Austriæ Duci, ac sperabatur, ipsique proinde Cæsari fuit.

XLI. *Godefridus* Episcopus Patavienſis, & ipse quondam Proto-Notarius Imperialis, hoc ANNO Synodum Provincialem coëgit apud vicinam nobis Urbem S. Hippolyti XI. Kal. Aprilis, saluberrimis Canonibûs adornatîs: quin tamen per eos Concilii Viennensis, à *Guidone* Cardinali Legato Cisterciensi habiti, Sanctionibus in ullo derogaretur. Cæterùm dudum querulatus est Cl. P. *Antonius Steyerer* in doctissimis Commentariis ad Historiam *Alberti* II. Ducis, quos deinde perdiligenter in usum convertam, *Additionum Col. 1.* quòd nemo nullus Scriptorum Austriacorum, ea diligentia, & Attentione fuerit, ut Natales Numerosæ Prolis *Alberti* I. Ducis in Fastos inferret. Quare non plus quàm conjicere demum verosimillime licet, eidem hoc ANNO Primogenitum *Rudolphum* natum esse, qui, si ab Avo *Rudolpho* Augusto computes, cui pariter Filius *Rudolphus* fuerat, tertius hoc nomine appellari consuevit. Tutò tamen id asserere, fundamento nullo, quod fidem congruam præstet, in hanc diem licet. Ducem deinde *Albertum* hoc jam ANNO *Conradi de Sommerawe*, potentissimi Austriæ Reguli, tria Castra confregisse, tradit quidem Chronographus *Salisburgensis*, itémque *Zwetlensis*, utérque *Pezianus*: at vereor, præoccupando hoc dictum, & posteriores in ANNOS differendum fuisse. Cæterùm idem Dux, teste *Gewoldo* apud *Hundium* II. 45. *Aldersbacensibus* nostris Bavariæ Cœnobitis pro Predio suo in Austria Immunitatem Telonii confirmavit *II. Non. Decembris.*

Godefridi Episc. Patavi apud S. Hippolytum Synodus Provincialis.

Alberto Duci hoc año verosimillimè natus est Primogenitus Rudolphus.

Idem benefecit Aldersbacensibus.

Annus 1285.

XLII. SUmma hujus ANNI Funera, illorum præcipuè, quos inter Controversiæ Siculæ maximè vertebantur, eas tamen nequaquam componere valuerunt. Primus *Carolus*, Rex Neapolis, ac Siciliæ, mœrore turbarum, quas triumphandô opprimere non potuit, die 7.ª Januarii apud Fogiam obiit magno,

Obiit Carolus Neapolis Rex, ejus Filio Carolô apud Aragonios captô.

gno, ut ajunt, cum sensu pietatis: qui tamen aliàs, cùm valeret, vitam suam ad sensum plerumque suum componere solitus erat, quod Acta ab ipso, anterioribus Decadibus ac annis relata, commonstrant. Filius ejus *Carolus* tum captivus apud Aragoniam detinebatur: quem Pater adeò non doluit, cùm nimis ad nutum Pontificis esset, ut, audita ejus Captivitate, Nobilibus cum gaudio dixisse feratur: *Congratulamini mihi, & congaudete mecum, quia hodie perdidimus unum Sacerdotem, qui nostrum impediebat Regimen, ac vigorem bellandi.* Sed in hoc dicto se mihi, quis nescio, affectus non satis æqui Scriptoris non obscurè revelare videtur. Moriens Rex pro Filio capto, non ejus Primogenito, sed potiùs proprii Fratris Nepoti *Roberto*, Comiti Atrebatensi, Regni Administrationem, nisi & Successionem, assignavit, si modò Summi Pontificis assensus, de quo dubium non erat, accederet. Timebatur námque, si Filius illico regnare deberet, eundem Aragoniis pro Liberatione sua durissima quæque Pacta concessurum esse.

Item Papa *Martinus* IV.

XLIII. Proxime fatum attigit *Martinum* Papam IV., qui celebratis die 25. Martii Paschalibus Jubilis, mox à Refectione malè admodum habere cœpit, Medicis tamen lethale nihil sua opinione suspicantibus. Meliùs autem rectiúsque de se ipso sensisse Pontificem, cuncta Morti disponentem, probavit Vespera diei 28.[va] Mensis ejusdem, qua, Christianè in omnibus procuratus, migravit in Domum æternitatis. Scribitur prodigiis inclaruisse: tametsi in aliorum extra Italiam Chronicis non modico carbone notetur, quasi, qui Germanos odio planè Vatiniano fuerit aversatus. Fabulari nonnullos admodum hebetes non puduit, optâsse eundem, ut Germani quidem Ranæ essent, ipse verò Ciconia foret, ex iis pascenda. Calumniæ ansam præbere potuerat, quòd evulgatum foret, Pontificem hunc, graves illas pecunias, omni olim Clero à Concilio Lugdunensi pro Redemtione Palestinæ imperatas, lapsísque postea compluribus Annis vehementi studio per omnem Germaniam collectas, atque Romam submissas, nunc in Bellum Siculum, præter omnium conferentium Voluntatem, impendisse. Sic fama tulerat, & ora multorum Germanorum licentiùs, ac par erat, in Papam resolverat. Hic porro, nonnullâ tantæ in convitiando Libertatis impatientiâ victus, eam verosimillimè apud familiares severiore aliquando censura redarguerit, maximè si fama mentita sit, quod levioris judicii, geniique incompositi Scriptores, mox, quasi planè ex animo Pontificis dictum, Seculis venturis frivola dicacitate annunciârunt. Interea *Martino* Perusii die 2.[da] Aprilis *Jacobus Sabellus* Romanus, Cardinalis Diaconus, dabatur Successor, dictus *Honorius* IV.[tus] Qui die 20. Maji Romæ coronatus, sui studia Antecessoris pro Siciliæ, apud Nepo-

Cui successit *Honorius* IV.

Nepotes *Caroli* conſervanda, integrè probans, è veſtigio ardore non impari proſecutus eſt, judicia hominum, quorum non eſt, facta Superiorum diſcutere, nihil moratus.

XLIV. *Philippus* Francorum Rex, cujus Filiis *Martinus* Papa tam Aragoniæ, quàm Valentiæ Regnum addixerat, apud Gerundam Aragonum Urbem ipſe decertans, deſiſtere à pugna per epidemicam luem, ſuis in Caſtris invaleſcentem, compulſus eſt. Alia verò pars Exercitus ejus in Valle Catalauniæ cum Aragoniis ſorte iniquiore conflixit, ita tamen, ut *Petrus* Rex Aragonius ex eo prelio grave vulnus, Triumphator quidem, referret. Qui, dum ſaucium corpus, obiter duntaxat perſanatum, incautè commoveret, rupſis denuo vulneribus, ex nimio ſanguinis profluvio, quod retundi non poterat, ad extrema deductus, flagitata Anathematis Pontificii exſolutione, & pro illo Articulo, quoad fieri potuit, per Tarraconenſem Præſulem obtentâ, in ſpem, quæ licuerat, obdormivit die 8. Novembris, ut habet *Mariana* de Reb. Hiſpan. Libr. IV. Cap. 9.[no] Scomma Italorum nonnullorum Scriptorum putatur, *Petrum* Regem, uſu nefando fœminæ non ſuæ, ſibi vulnera rupiſſe.

Interiit *Petrus* Aragonum Rex.

XLV. Præceſſit autem illum in mortem hoſtis ejus *Philippus* III. Franciæ Rex: quem & ſupra memorata ſuorum epidemica lues, & maximè, ingentis Claſſis ſuæ Maritimæ prope Narbonem per Aragonios deſtructio, tantam in triſtitiam impulerunt, ut ægrotaret, & lecticâ vectus, Franciam repetere cogeretur. Sed Montium Pyrenæorum fauces, quà ei tranſitus erat, ab Aragoniis ſic occupatos offendit, ut via eidem non aliter, quàm plurimo ſuorum Sanguine pateret. Unde tantò afflictior, ægrum tandem Spiritum efflavit Non. Octobris. *Honorius* Papa de eo ſic doluit, ut omnibus fidelibus, pro Anima ejus expianda Orationem Dominicam dicturis, decem dierum indulgentias diſpenſaret. Vide hoc, & omnibus hactenus ad hunc Annum dictis, *Raynaldum* in Annal. & *Franc. Pagium* in Breviar. Critico.

Defunctus quoque *Philippus* III. Rex Franciæ.

XLVI. Quoniam porro ſumus in mortibus, libet hìc pariter Obitum D. *Godefridi* Epiſcopi Patavienſis annectere, qui extra Provinciam contigit, cùm Anno priori Cæſaris Aulam ſecutus, & necdum ab ea reverſus, apud Norimbergam devixerit. De Menſe, ac die mortis rem inexploratam eſſe, fatetur Cl. *Hanſiz.* Metr. Laur. p. 439. Ad Patres tamen menſe Martio exeunte, vel poſt initium Aprilis certò conceſſit. Subrogatus eidem, tota Civitate Patavina huic Electioni congratulante, circa diem 24.[tam] Maji *Bernardus de Prambach*, Canonicus & Archidiaconus Patavienſis, atque Plebanus Wiennenſis,

Obiit pariter *Godefridus* Ep. Patav. pro quo ſubrogatus *Bernardus de Prombach.*

Sacri Ordinis noſtri Ciſtercienſis Fautor permunificus: cujus Gratiam mox primo hoc Anno San-Crucenſes noſtri experiebantur, quibus, teſte *Jongelino*, Aream in Cæmeterio Eccleſiæ Gunderſtorf, cum facultate exſtruendi, condonavit.

Rudolpho Archiepiſcopo Salisbur. Pallium dilatum.

XLVII. *Rudolpho*, novo ſimiliter Archiepiſcopo Salisburgenſi, quem Papa *Martinus* non niſi poſt inquiſitionem diligentem in perſonam, vitámque ejus, ac modum Electionis, immo non antè, quàm urgeretur à Cæſare, confirmavit, nunc etiam *Honorius* Papa Pallium conferre diſtulit, usquedum denuo Cæſar inſiſteret. Sic Romæ timebatur, qui antea in Italia fidem adverſus Cæſarem luculentiùs exſplicuerat. Quis igitur inficias iverit, ipſius Imperatoris metu Italiam, quamvis eam ipſe non viderit, nihilominus trepidâſſe? Ampliùs id liquet ex Urbium Italicarum prona reverentia, & Largitione perampla, ſolam ad poſtulationem Legati, ac Vicarii, Cæſari exhibita, quantam fortè nullo exercitu, bellóque pretioſo, ac mortibus pleno, conſecutus eſſet. Legatum quidem alii alium, uti & Annum, Succeſſum quoque Negotii varium, pro communi Scriptorum vitio, ſibi vix unquam conſtantium, aſſignant, certo quodammodo documento, ſibi de Rebus, aut Actis, in quibus tantopere diſcreptant, nequaquam ritè conſtitiſſe, ſed vagis duntaxat relationibus uſos eſſe, quæ fidem præſtare non poſſunt. Non deſunt etiam, qui egregium laudis Caput in Crimen Cæſaris detorquent.

Italia Cæſarem etſi non viſum, pertimuit.

Falſum, eundem Urbibus Italiæ Libertatem vendidiſſe: Quod non evincitur teſtimonio *Ptolomei Luccen.*

XLVIII. Primus horum, qui conſtat, obſervante dudum Perill. D. *Spannagelio*, ſub nomine *Palignefii* deliteſcente, Monito XXX. §. 31. p. 311. ſq. *Ptolomeus Luccenſis*, celebris fortè usque in Ann. 1340. ſed, cùm Italus eſſet, Latinarum Vocum proprietatem, maximè verò eam, quæ in Jure eſt, ignorans, planè impropriè ſcripſit in Annal. ad An. 1288. „Fuit Vicarius „in Tuſcia Regis Alamanniæ Dominus *Princivallis* (Fliſcus) à „quo Luccenſes *redemerunt Dominium Imperiale* XII. mille flo„renis.„ Abſonè eum voce *Dominii* uſum eſſe, neque per eam apud ſe dicere conſtituiſſe, Luccenſes hac Summa, Supremo Imperii Dominio, & Clientela ſua exemtos, ſed ſolummodo, depenſo hoc Tributo, precariò, & ad tempus permiſſos eſſe, ſuo Magiſtratu, ac Legibus vivere, ipſe luculentè admodum prodit, ubi paulò pòſt ſubdidit ad Ann. 1296. loquens de *Adolpho*, qui *Rudolphum* proximè in throno exceperat: „Luccenſes „eidem denuo *XVIII. Millia ſolverunt*, quamvis non eſſet ne„ceſſarium, quia dictus *Adolphus* confirmatus non erat in Im„perio.„ Mira cauſa, ſi prioribus in dictis *Ptolomeo* ſenſus fuiſſet, *Luccenſes* perſolutione XII. Millium florenorum à Poteſtate Imperii ſe penitus exemiſſe. Hoc ſiquidem pacto Respub-

blica

blica illa sanè, neque Electo solùm, neque etiam confirmato Imperatori, quidquam ulteriùs debuisset, scribendúmque potiùs ab eo fuerat; *Quamvis non esset necessarium, quia emerant Libertatem.* Perspicuum itaque est, cum per improvidè adhibitam *Dominii* vocem, nil nisi onus tributi, ac Census, quousque præsentis Cæsaris Imperium curreret, eisdem remissum, innuere voluisse. Quod magis adhuc stabilitur, cùm idem Scriptor ulteriùs testetur, *Lucenses* eodem tempore cogitavisse, quomodo se obsequio & subjectioni Cæsaris omnino subtraherent, atque idcirco cum reliquis Thuscis, hoc ipsum clanculò molientibus, obtulisse *Bonifacio* Papæ *LXXX. Mille florenos, vel circa, volentes excutere jugum de Manibus Imperii.* Quid clarius, quàm, teste hoc ipso Scriptore, eos, post Censum quoque, *Rudolpho* Cæsari præbitum, adhuc tamen super se Jugum Imperii agnovisse?

XLIX. Alter deinde *Flavius Blondus*, rursum Italus Foroliviensis, *Eugenio* IV. Papæ à secretis, Chronographus Famigeratus, defunctus An. 1463. *in Decadib. Histor. ab inclinato Imperio Romano*, quas inchoat ab Ann. Chr. 1400. & finit cum Ann. 1440. æquè segniter meditata Oratione scripsit *Decad.* II. Libr. VIII. ad Ann. 1285. „RUDOLFUS Imperator Cancellarium suum in Hetruriam mittens *Principalem de Fisco* suo Genuensem, omnes, qui pecuniam attribuerunt, *in Libertate dimissos*, *Imperii* Fideles pronunciavit. Per quam occasionem *Lucenses*, duodecim millibûs aureis datis, Libertate donati. Erravit hic Scriptor errorem *Ptolomei*: cujus tamen pariter exemplo, & ipse quoque Caligini suæ, quam infert, etiam Lucernam apposuit. Quomodo námque cohæret, eos ipsos, qui *pecuniam attribuentes in Libertate dimissi* referuntur, insuper *Imperii Fidelium* nomine affectos asserere? *Subditis*, non *Liberis*, hoc elogium tribuitur. Liquet igitur, *Blondum* similiter, uti *Ptolomeum*, haud aliud velle, quàm Lucenses, ære collatitio Cæsari obsecutos, Clientelam suam probè testatos esse, pluriúmque Annorum Censum unicâ Summâ redimentes, publicè de Fide collaudatos fuisse. Neque Flavii Blondi.

L. Quod quamvis ita sit, & uterque Scriptor allegatus, incomtè quidem hac in parte vocibus usus, cùm neutri tanta sermonis facultas esset, qua se scitè explicaret, quidquid attamen una voce peccavit, altera mox emendaverit: nihilosecius posteriores eorum verba, summa cum incuria, & incuriositate genuini sensus, crudè apprehenderunt, cum decumana *Rudolphi* Cæsaris injuria, deditísque calumniis mentientes, eum Italiæ Civitatibus Libertatem per Avaritiam vendidisse. Horum porro Copia turpissimo errori callum obduxit: ut solet, cùm Lectores, novorum duntaxat cupidi, mera fide scribentis sacro- Temerè tamen jactatur à recentioribus:

sanctè adorata, sine judicio, Historiam properantibûs oculis decurrunt. Ecce enim, quid *Platina*, Vir aliàs magnopere clarus, atque disertus, peste sublatus ANNO 1481.? „*Rudolphus* „(inquit) Imperator, *comparandæ pecuniæ studiosus*, Cancellarium suum è Gente *Flisca* in Etruriam misit, *qui acceptâ pecuniâ, Populos omnes Liberos faceret.*„ Quid præterea *Trithemius* maximi Nominis Præsul, ante ANNUM 1520. denatus? „*Rudolphus* (ait *in Chron. Hirsaug.* ad ANNUM 1286.) Rex Romanorum, pecuniæ avidus, rem Principi turpem commisit. „Cancellarium suum in Italiam misit, *qui, acceptâ pecuniâ, Populos omnes Liberos fecerat, qui se pro pecunia redemerant.* In „hunc modum Civitates pleræque sese, pecunia interveniente, „in Libertatem contulerunt.„

Platina: *Trithemio:*

LI. Non paulò acerbior *Onuphrius Panvinius*, & ipse fama Eruditionis magnificus, vitâ functus, ut volunt, AN. 1568. Libr. de Comitiis Imper. Cap. 12. ita probrosum Calamum strinxit, de *Rudolpho* commentus. „Omne studium suum, vires, „animúmque intendit, relictis interim Imperii negotiis gravioribus, ad augendum & ampliandum Familiæ suæ splendorem, „cui Austriam & Sueviam primus intulit: ad pecunias quoque „per fas & nefas congregandas, in maximum Romani Imperii detrimentum. Omnibus enim Urbibus, quæ Juris Imperii in Tuscia erant, Libertatem multis aureorum millibûs vendidit: quo mercatu eis paulatim ab Imperio desciscendi occasionem dedit.„ Accedat adhuc, ut Recentiores alios innumeros præteream, *Carolus Sigonius*, Chronographus æquè illustris computatus, & *Onuphrio* sinchronus, cujus mortem in ANNUM 1585. statuunt. Prolixiùs ille Libr. XX. de Regno Italiæ Sermonem ita inchoat. „Hujus Regni Jura superioribûs temporibûs constanti Populorum contumacia immutatâ, *ut primus ultrò alienâsse Rodulfus dicitur*, sic primus etiam viam aperuisse „ipsius Regni excidio existimatur.„ Interjecto deinde, *Rudolphum* Cæsarem, cui sumtus ad Exercitum in Italiam ducendum defuerant, Legatô Clientelæ professionem ab Urbibus expetiisse, quæ tamen plurimùm renisæ fuerint, postea pergit. „Quibûs *Rodulfus* permotus, atque opibus suis, si arma vellet adhibere, diffisus, *vetus ei Obsequium remittere, atque integram Italiæ Libertatem concedere statuit*, si certam, qua maximè egebat, pecuniam pendissent. Quod ubi illi cognoverunt, confestim singuli, qui luce Libertatis aliqua fruebantur, indictam „pecuniæ Summam solverunt, ac, *Libertate redemta, præcipua ad eam rem Privilegia elicuerunt.* Hoc verò non solùm Italici, „sed etiam Germanici Scriptores memoriæ commendârunt.„

Onuphrio Panvinio: *Carolo Sigonio.*

LII. Horum Scriptorum, qui ævô suô in Historia, maximè Italiæ, quasi principes habebantur, authoritate ac numero

Et horum Authoritate à cumu-

illi

illi suffulti, qui Rerum duntaxat gestarum noscendarum cupidine illecti, sive fallendi temporis duntaxat stimulô adacti, absque Jurium cognitione, attentione, Criticæque cum sensu adhibendæ facultate, imparati Historiam quandóque aggrediuntur, uti & alii, qui Augustissimæ Domus Habspurgo-Austriacæ præteritam præseptémque Gloriam, Potentiam, Incrementum, inconnivis oculis ferre non valentes, perpetuo adversus eam affectu laborabant, *Rudolpho* Optimo Augusto, cui se Germania ex illegalibus perniciosissimi longissimíque Interregni Abusibus certissimè restitutam debet, venditæ Italiæ Calumniam libera dicacitate, induratóque sensu, inurere minimè verebantur. Tandem, propitio DEO, *Borghinus*, Florentiæ Seculo XVI. jam affectô haud obesæ naris homo, huic errori deditâ operâ feliciter vitium fecit, háncque Traditionem falsitatis manifestè convicit ea Commentatione Italica, quæ ab ipso inscripta est: *Discorso, se Firenze ricomprò la Liberta da RUDOLFO Imp.* i. e. *Dissertatio, an Florentia Libertatem à RUDOLPHO Imp. redemerit?* Post quem *Joann. Bodinus* pariter, Jurium Tolosæ in Francia Doctor, Regúmque Parisiis ferè adusque finem Seculi XVI.[ti] Causarum egregius Actor, Libr. I. de Republ. Cap. IX.[no] item in Germania *Hermannus Conringius*, Publici Juris perspicacissimus Explorator, Libr. II. de Finib. Imper. Cap. XXIII.[tio], insigni cum contentione docuerunt, Italiam hoc ævo non minùs, ac antea, Clientelarem existere, ejúsque Principes, ac Respublicas, quantumvis plurimas, Feuda tamen sua in hanc usque diem Germanis ab Imperatoribus devota cum Clientela recognoscere. Quo ipso Afferto *Rudolphus* Cæsar ab antefatorum Scriptorum Calumniis masculè vindicatur.

lo novissimorum.

Quem tamen errorem masculè confutárunt *Borghinus*:

Bodinus:

Conringius:

LIII. *Bodini* verba sunt, unde suprà, postquam adduxisset, quænam se Urbes Italiæ Libertatem emisse jactarent: „Sed, cùm „Jura Majestatis Imperii Germanici venalia non sint: nec, si „essent, ab Imperatoribus, sine Principum Germanorum con„sensione, distrahi potuerint: perspicuum fit, eas pecunias, „quæ à Civitatibus Italiæ pro Libertate adipiscenda exactæ fue„runt, Tributi, aut Pensionis nomine solutas fuisse„. *Conringius* ita summariè arguit. I.[mò] Desiderari in hanc diem Tabulas publicas, quibûs Res tanti Momenti probetur, gratísque dicere *Sigonium*, Urbes Italas *præcipua in eam Rem Privilegia elicuisse*: cùm nullum eorum sit visum. Mutationem interim tam summi Ponderis nequaquam posse merè præsumi. Ineptos autem esse, teste *Launoio* de argument. negant. Auctorit. p. 19.[na] *qui, tacente Scriptura, loqui volunt de rebus, quæ sine scriptura cognosci non possunt.* II.[do] Desiderari præterea Scriptores coævos, si *Ptolomeum Luccensem*, supparem saltem, excipias; qui

Bodini verba.

Conringii Argumenta summariè adducta.

tamen, quo sensu intelligi se velit, clarè satis indicavit, quod suprà ostensum. Interim supremi Dominii Remissio, toti Italiæ facta, princeps certè aliquod Historiæ Germanicæ Caput fuisset, præ omnibus in fastos inferendum, adeoque non dicta, similiter non facta, tutissimè existimari potest. III.tiò Dissentire Scriptores allegatos in Annis, Locis, ac Pretio numerato: & qui potissimi ex iis habendi forent, cum dubitatione duntaxat loqui, *dicitur, existimatur, &c.* ajentes. IV.tò Civitates Italiæ diu post *Rudolphi* excessum humili modestia Imperatores, uti Dominos, observâsse, adventantibus plerisque portas aperuisse, obtulisse Claves, imperatam pecuniam solvisse, Controversias eis detulisse, eorúmque sententiâ stetisse. Quod ulteriùs longa Cæsarum subsequentium inductione, & Actorum ab iis in Italia Recensione, promovet, atque confirmat *Pfeffingerus* Vitriar. illustrat. Tom. II. ad Libr. II. Tit. 5. Not. a. p. m. 1017. sqq. Quem proinde, si ampliora cupias, præter Cl. *Palignesium* l. c., adiisse nequaquam pigebit. Sic Error per incircumspectam Lectorum fidem sæpenumero quidem Collossos erigit, & Regnum aliquamdiu occupat: sed maturi vel unius judicii, atque Ingenii lima, facili triumpho, Veritatem restituit.

Pseudo-*Friderici* Imperatoris contra *Rudolphum* insurrectio.

LIV. Hac verò tam grandi inconsulti Calami injuriâ à *Rudolpho* nostro Augusto depulsâ, periculum aliud ejusdem, quo se hoc Anno ipse eliberaverat, commemorandum venit. Ausus erat quidam summè temerarius impostor Anno priori *Fridericum II.* Cæsarem se mentiri, annis jam quinque ac triginta sepultum: cui vultu ac corpore simillimus, Rerum præterea, & secretorum ejus egregiè conscius exstiterat. Paralipomena *Urspergensis* rem ita enarrant, sed planè perperam ad Añum 1292. „Inventus est, qui se diceret *Fridericum II.dum* quem *Fridericum* „*Holzfluch*, alii *Tile Kolup* cognominant. Qui se diceret clam „suis subduxisse fastidio rerum, ut quietior viveret, & mor„tuum subdidisse, quem pro se vulgus hominum tumulâsset, „paucis consciis Consilii sui, se per 30. annos peregrinatum, „nunc revisere Terras Imperii. Tanta proferebat secretorum „indicia, ut quibusdam fidem faceret, præsertim Landgraviis „Thuringiæ.„ *Sifridus* Presbyter Misnensis in Epitom. ad an. 1284. apud Pistor. I. p. m. 1049. ita tradidit. „Vir quidam se„nex venit in Coloniam Agrippinam, asserens, se esse *Frideri*„*cum* Imperatorem, qui ante 32. annos mortuus fuerat. Hic „ejectus à Colonia, receptus est à Civibus Nussiæ.„ Chronicæ *Australis* phrasis est eund. ad ann. 2284. „Eodem tempore ma„ximi insonuerunt Rumores de Adventu quondam *Friderici* „Imperatoris: & cùm ferè omnes Rhenenses ad se attraxisset, „ita, quòd pro vero habebatur, tandem à *Rudolfo* Rege com„bustus est.„

LV.

LV. Prolixiùs narrat *Gerardus de Roo*, hunc Impostorem initio à Cæsare irrisum, cujus festivo animo placuerat fabula benè lusa, tandem fraude sua, & ope complurium, quibus res novæ è voto erant, maximè eorum, quorum rapinas Cæsar toto animo exscindere connisus fuit, eousque progressum esse, ut plurimi Veteranorum olim sub *Friderico II.* Imp. Militum ad eum confluxerint: quibus ille non modò exactè res *Friderici* enarraverit, verùm etiam opes non modicas distribuerit. His deinde stipatum, insedisse Urbes, edixisse Comitia, ipsúmque *Rudolphum* in forum evocâsse. Tum denique Cæsarem ad rem seriò agendam animum impulisse, cúmque exercitu, à Columbaria obsessâ abducto, Turbatorem hunc Reipublicæ apud Coloniæ provinciam inquisivisse. Fugâ verò in Hassiam elapsum, obsidere voluisse Wezlariæ, nisi captum Cives foras eduxissent. Tum demum, ad juris normam interrogatum, atque Necromantiæ convictum, quia docere non poterat, unde sibi Thesauri in Asseclas distributi, igne absumtum esse. Quamquam *Albertus* Argentinensis tradat, simulâsse *Rudolphum*, quasi illum veneraturus adesset, sicque deceptum, rogo addixisse: id, quod ægrè crediderim. Abinde porro, juxta *Colmarienses* Annales, *circa Jacobi festum Cives Rheni Civitatum*, quæ Pseudo-huic *Friderico*, sive deceptæ ab ipso, sive fraudem sibi factam prætendentes, ast revera novarum rerum Cupidæ, adhæsisse videbantur, *Wormatiam convocavit, juramenta primò facta secundariò per juramenti vinculum confirmavit.* Progressus, & exitus, mórsque Impostoris.

LVI. Elevato in Petri Cathedram *Honorio* IV.^to Cæsar, tanquam devotus Ecclesiæ Filius, non omisit gratulari, símulque se obtulit, Hæredum *Caroli*, defuncti Siciliæ Regis causam, favore, consilio, & auxilio adjuvare. Commendavit quoque *Henricum* Episcopum Basileensem pro Metropolitana Cathedra Moguntina. Tandem, cùm Papa *Martinus* IV. Galliarum Regi, pro expugnando *Petro* Aragonio, Decimam Ecclesiarum in Regno ejus concessisset, hoc tamen Indultum extendisset pariter ad vicinos Franciæ Episcopatus, Leodiensem, Metensem, Virdunensem, ac Basileensem, ad Germaniam attinentes, deprecatus est hoc Imperator, & revocandum expetiit. Sed rogante vicissim Pontifice, ne molestè id ferret, cùm Decima illa nec longi temporis, nec æris magni esset, sibi contrà planè non congrueret, novissimum Antecessoris Indultum tam subitò revocare: dissimulavit Imperator factum, cujus effectus aut segniter, aut nunquam esset secuturus. Liquent hæc omnia ex Epistola *Honorii* ad Imperatorem, quam *Raynaldus* h. a. p. 370. n. 23. integrè adscripsit, datam *Tiburi Cal. Augusti.* Cui aliam Imperatoris Epistolam, quamvis posteriùs datam *Lusanæ X. Cal. Decembr.* anteposuit: qua simul, ac per Oratores, flagi- Cæsar Honorio Pontifici gratulatus, rursum diem pro Corona Romana petit.

flagitabat, sibi diem accipiendæ Coronæ Romanæ præfigi, cum Sponsione, se tunc ore proprio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ confessurum esse, quod antea Oratorum jurejurando, Literisque publicis promisisset. Unde, cùm hoc apud omnes pariter Antecessores Pontifices fecerit, ambiguum sanè fit, quàm certum credamus, nunquam ei Animum fuisse ad Coronam Romanam, & Amicis professum esse, se, cum Vulpecula Æsopi, vestigiis duntaxat antrorsum spectantibus, ab Italia absterreri. Non certè existimo, rectè fieri, si quilibet jocus, festivè aliquando prolatus, ut verus, ac serius Animi interpres, in vulgus jactetur.

Arbitri Conscientiæ ejus B. Albertus M. & S. Philippus Benitius.

LVII. Plura Præterea in hunc Annum congessit Doctiss. *Czerwenka*, non parum ad Pietatem, laudémque Cæsaris facientia, Libr. I. Cap. XIX. à pag. 110. Primùm námque observat, *Rudolpho* Augusto geminos conscientiæ secretos Arbitros fuisse: quorum prior *Albertus* Ordinis Prædicatorum, postea Episcopus Ratisbonensis, à Doctrina *Magni*, à Virtute *Beati* Elogium tulit: Alter *Philippus Benitius* Ordinis Servorum B. MARIÆ Virginis Quintus Minister Generalis, hoc Anno piissimè defunctus, intercedente postea Augustissimo *Leopoldo* Cæsare Ann. 1671. Sanctorum Catalogo adscriptus. In hujus Imperatoris exstante apud laudatum Scriptorem Epistola ad *Clementem* Papam X.um de S. *Philippo Benitio* ita in cæteris lego. „Noverit Sanctitas Vestra, & id Acta luculentè testabuntur, quàm admiranda in humanis constitutus singularis ille DEI servus præstiterit in spiritualibus, ac præsertim Conscientiæ Rebus, Servitia: cum quanta Animarum salute pium Scapularis usum in honorem Septem Dolorum Sanctissimæ Virginis MARIÆ introduxerit, *eodémque Gloriosum Prædecessorem nostrum Cæsarem RUDOLPHUM Primum induerit. Dein, quàm ardua magnorum Regnorum ac Provinciarum negotia, Ejusdem, & Subditorum bono, feliciter expediverit.* -- Quæ ejus Virtutum Excellentia Celendissimum Genitorem nostrum quondam Imperatorem *Ferdinandum* Tertium, nec non Honoratissimam Matrem nostram Imperatricem *Mariam* felicis recordationis adeò movit, ut Beatificatione, qua Vir ille à Sancta Sede Apostolica ob eximia sua merita honoratus fuerat, non contenti, etiam ejus Canonizationem ab eadem studiosissimè efflagitârint.„

Beneficia Cæsaris in Sacros Ordines.

LVIII. Addit ulteriùs *Czerwenka*, Cæsarem hoc Anno sua Pietate ampliâsse Conventum Prædicatorum *Eslingensem*, attribuendô eidem Parochiam, Ripámque Nicri vicinam, Hortúmque spatiosum. Confirmâsse præterea tam Ordinis Teutonici Militaris, quàm pariter Hierosolymitani Privilegia, & utramque Militiam in suam, atque Imperii Protectionem recepisse. Quibus ego ex Diplomatum tenor apud ipsum legi meretur. Quibus ego ex

Hun-

Hundii Tom. III. p. 227. superaddo, Imperatorem pari etiam Clementia Parthenoni *Schönfeldensi* Ordinis nostri hoc Anno favisse. Hæc inter novus Archiepiscopus Salisburgensis *Rudolphus* mox cum *Henrico*, inquieto Bavariæ Duce, tricas, & bellum conserere debuit. Princeps enim iste Bojus, uti sub Antecessore hujus Antistitis, ita & nunc, vexare non cessavit Salisburgi, aliorúmque Episcoporum Suffraganeorum ditiones, neque precibus, neque minis, neque Armorum intentationi acquiescens. Interpositione tamen *Ludovici* Electoris Palatini, qui erat Frater Ducis, induciæ semel, ac iterum factæ, Résque Judicio ac Sententiæ Cæsaris remissa.

Rudolphi Archiep. Salisb. dissidium cum Henrico Bavariæ Duce compositum.

LIX. Fuit porro & alius *Henricus*, Abbas Admontensis, cum quo gravissima Archiepiscopi Contentio enascebatur, & propter eam fatale quoque cum *Alberto* Austriæ Duce dissidium. Erat Abbas Vir, Oeconomicæ rei peritissimus, eíque tractandæ studiosè intentus: qui, cùm Cœnobii sui, olim Cellerarius ejusdem, Rem domesticam, planè tunc arctam, eximiè rursus industriâ suâ provexisset, hoc præcipuè merito sibi Clavum Abbatialem, famámque Oeconomiæ, in omni Stiria inclitam, comparavit. Quæ dum etiam ad *Rudolphum* Cæsarem pervenisset, illum *Ottoni Liechtensteinio*, Supremo Stiriæ Moderatori à se instituto, socium dedit, Libellis præpositum, sive Archigrammateum, i. e. Scribam Provinciæ dictum: quod idem deinde Munus pariter sub *Cholone de Seldenhoven*, altero Stiriæ Præfecto, multa cum laude peregit. Hoc verò defuncto, ipse ab *Alberto* Duce, cujus in animum se vehementer insinuaverat, Stiriæ Prætor Summus creatus fuit. Quantò autem solicitiús pro Ærario Principis desudavit, tantò, quemadmodum fieri amat, majorem sibi apud Provinciales, ac Subditos, invidiam conscivit: maximè, cùm Abbati Regimen Provinciæ congruere non reputarent, Onerum sibi indictorum causam in eum, ceu fontem, conjicerent, ut facilè argumenta reperirent, quibus criminarentur, eundem, summum Principis jus exequendô, summam subditis injuriam facere, ac præterea sibi ipsi pariter, suísque ditandis non segniter adlaborare.

Ejusdem Archiepiscopi gravissima Contentio cum Henrico Abbate Admontensi, & inde fatale Bellum cum Alberto Austriæ Duce, quomodo cœperint.

LX. Minimè omnium Archiepiscopus Salisburgensis cum Abbate convenire poterat. Cùm námque Admontense Cœnobium esset Fundatio Salisburgensis, indignum videbatur Archiepiscopo, cujus multæ in Stiria ditiones, partes, ac jura erant, Abbati hujusmodi Monasterii, quà Stiriæ Moderatori, quodammodo subesse. Præterquam, quòd ipse Archi-Antistes pariter familiaris Rei Salisburgensis curam non minùs, ac Abbas domesticæ, ut maximam gereret, Redditibus colligendis, augendísque, ex rigore jurium suorum, studiosissimè intentus.

Quo fiebat, ut neque subditis Admontensibus, ditioni suæ propinguis, in ullo censu, aut onere, mitior, quam aliis, immo strictior esset, vehementer invito Abbate: qui propterea, Ducis *Alberti* præsidio fretus, multo se cum Animo Archipræsuli opposuit. Hæc multis insecuturis hoc loco à me præmittenda erant, tanquam fons & origo plurimarum & ingentium calamitatum, probè idcirco à Lectore memori mente retinenda: unde insimul tristi exemplo condiscat, quanta mala in Viris Ecclesiasticis provocet nimia temporalium rerum solicitudo, & quàm frequenter, etiam quod jure forsitan licet, non tamen expediat. Videatur prolixiùs Cl. *Hansizius* Metrop. Salisburg. p. 398. *Otocarum Horneckium* sinchronum Chronographum vernaculo-Rythmicum secutus: quem nuper Cl. *Hieron. Pezius* Tom. III. Scriptor. Austr. cum operoso Vocum difficilium *Glossario* vulgavit, præmonens tamen in Observation. præviis §. XI. p. 12. Scriptorem istum Abbati sæpedicto iniquiorem longè, ac par erat, multis in locis fuisse.

Viennæ solemnes Nuptiæ celebratæ traduntur.

LXI. Historiæ *Australis* plenioris apud *Freberum* hæc phrasis est ad Ann. 1285. „*Othus* Landgravius Thuringiæ Wiennæ „cum magna solemnitate duxit in Uxorem Dominam Filiam „*Meinhardi* Comitis Tirolensis *Elizabeth*, Sororem Ducissæ Au„striæ, præsentibus Episcopis, Frisingensi, & Seccoviensi, ac „Nobilibus, & Ministerialibus ferè cunctis Austriæ, & Carin„thiæ.„ Chronicon porro *Australe* antiquum ad Ann. 1286. rem ita ponit. „*Dietricus* Landgravius Thuringiæ duxit Uxorem „Viennæ cum magna Solemnitate Dominam N. Filiam *Menbar„di* Comitis Tirolensis, & Sororem Ducissæ Austriæ.„ Ast verò Chronographus *Cl. Neoburgensis* hanc utrámque Periodum rursum ad Ann. 1285. ita colligit, ac quodammodo emendat. „*Ditricus* Landgravius Thuringiæ Wiennæ cum magna Sole„mnitate duxit in Uxorem Dominam *Al.* Filiam *Minhardi* Co„mitis Tirolensis, præsentibus Episcopis, Frisingensi & Secco„viensi, ac Nobilibus, & Ministerialibus ferè cunctis Austriæ, „& Stiriæ.„ Quantum his Relationibus, Anno, ac Nomine Sponsorum diversis, tribuere liceat, ignoro. *Hübnerus* Part. I. Tab. Geneal. 156. Sponsam appellat *Agnetem*, eíque Maritum assignat *Fridericum*, cognomine *Admorsum*, Marchionem Misniæ, & Landgravium Thuringiæ, *Alberti Degeneris* Filium, & Nepotem *Agnetis* Austriacæ, Filiæ *Leopoldi VII.* Austriæ ac Stiriæ Ducis, Fundatoris nostri, Fratrem *Dietrici*. Aliis planè dubium est, an *Meinhardo* Tirolensi, præter *Elisabetam* Conjugem *Alberti* Austriaci, alia adhuc Filia fuerit. Chronicon certè *Stamsense* Fratres tantummodo hujus Dominæ, Sororem nullam commemorat. *Albertus* interim Dux Novæ Civitati Privilegia sua amplè confirmavit ea ipsa in Urbe III. Id. Octobris. Diploma,

Albertus Dux Novæ Civitati

ma, alteri ejusdem Privilegio, quo postea has præsentes Literas, ut Rex, Anno 1299. iterum innovavit, insertum exhibet Cl. *Bernard. Pez.* Cod. Diplom. Epistolar. Part. II. n. 279. p. 197. Privilegia confirmat.

Annus 1286.

LXII. DEfunctis Anno priori Æmulis de Sicilia Regibus, *Carolo* Andegavensi Neapolitano, *Petróque* Aragonio, posterioris Filii, *Alfonsus* natumajor Aragoniam adversus *Philippum IV. Pulchrum* Franciæ Regem tuebatur, *Jacobus* natuminor cum *Constantia* Matre, Siciliam occupare pergebat. In omnes Pontifex *Honorius IV.* Anathemate, Legatóque copias ducente, depugnavit. Sed *Jacobus*, ne irâ Pontificis tandem opprimeretur, bellique successu excideret, speciem aliquam submissionis adversus eum præsetulit. *Rudolpho* Cæsari petenti, *Honorius* Papa *Joannem* Episcopum Cardinalem Tusculanum Legatum submisit, qui eum ad Coronam Romanam, altero Anno in festo Purificationis, aut alia, quæ sibi commodior esset, prænunciata die, capessendam conduceret. Epistolam Pontificis exhibuit *Raynaldus* h. a. n. 4. sq. adjiciens, Papam Principes quoque Ecclesiasticos, ac Laicos, ad Comitatum dignum Cæsari præstandum, Literis peculiaribus exhortatum fuisse. Aragoniæ novus Rex *Alfonsus*, & Siciliæ *Jacobus* Fratres, invito *Honorio IV.* Papa. Hic Cæsari Legatum submisit.

LXIII. Imperator Augustæ in Epiphania Domini Comitia Principum egit: quæ malè à nonnullis cum anterioribus Anni 1282. confunduntur, ubi *Alberto* ac *Rudolpho* Filiis Austriam, Stiriam, Carinthiam, Carnioliam, & reliqua contulerat. In his præsentibus *Meinhardo* Comiti Tirolensi, rogantibus propriis Filiis statim laudatis, Carinthiam Jure, ut ajunt, Beneficiario in hæc Pacta concessit, ut in ejus etiam Hæredes Masculos transiret: quorum tamen Posteris masculis cessantibus, ad Austriacos Principes hic Ducatus reverteretur. Diploma jam aliàs à me laudatum offendes *in der Vollstandig. Königl. Beantwort.* p. 236. Præterea his in Comitiis causæ arduæ, inter *Rudolphum* Archiepiscopum Salisburgensem, & *Henricum* Bavariæ Ducem, ad se remissæ, Compositionem pacatam modis omnibus pertentavit, Arbitriô tandem in Seviros delatô, qui rem ante proximam Pentecosten ex æquo dirimerent. Cl. *Hansiz.* Metr. Salisb. p. 397. Postremò Bohemiæ quoque juvenis Rex *Wenceslaus*, superato Anno decimo quintô, in hoc frequenti Principum Senatu, per Oratores, & Sponsam suam *Gutam*, Cæsaris Filiam, & veniam ætatis, & ineundi per se Regni facultatem oravit, eò quòd Bohemia nimiopere desolata, ex Tutore, ac cæteris post hunc Administratoribus, detrimenti plurimum cepisset. Benignè eum Cæsar audivit, teste Chronico Australi h. a. per hæc verba. „Dominus *Rudolphus* Romanorum Rex „in Egra solemniter celebravit Nuptias Filiæ suæ, quam tradi- Qui Augustæ in Comitiis *Meinhardum* Carinthiæ Ducem instituit. Archiepiscopum Salisb cum Duce Bavariæ componi procurat. *Wenceslao* juveni Bohemiæ Regi veniam Ætatis, & Filiam Sponsam indulget.

„ dit Filio Domini *Otakari*, piæ recordationis quondam Regis „ Boëmiæ, quem etiam ibidem in Regem Boëmiæ coronavit. „ Quæ tamen phrasis non pressè accipienda, quasi apud Egram Actæ sint Nuptiæ, & *Wenceslaus* à Cæsare coronatus fuisset: cùm eam in Urbem Sponsa solummodo adducta, ibidémque Pacta Dotalia signata fuerint. Neque Imperator *Wenceslao* Coronam imposuit, sed eum duntaxat permisit, cum Ætatis venia concessa, Regni habenas per sese moderari. Adeò cautè legenda Vetera Chronica, quæ sensu verborum latissimo persæpe loquuntur, atque principium, aut medium saltem rei mox cum fine conjungunt.

Nuptiarum Pragæ Solemnitas luxu Regio.

LXIV. De Nuptiis ita *Dubravius* Histor. Bohem. Libr. XVIII. p. m. 147. è Scriptoribus veteribus Bohemis, quos pariter laudat Cl. *Balbinus*. „Pragam Sponsa, cui Nomen *Judith* „ (vulgò *Guta* vel *Juta*, quod juxta *Balbinum* nonnulli *Benigna* „ interpretabantur) advecta fuit, Pragæque Nuptiarum solemnia Regio luxu, & Apparatu peracta. Aderant Nuptiis duo „ Filii Cæsaris *Rudolphus* & *Albertus*: duo item Brandeburgenses „ Marchiones *Otto* & *Hermannus*: dein *Fridericus* Misniæ Prin- „ ceps, tum *Henricus*, *Casimirus*, *Bolco*, Slesiæ Duces: & multi „ præterea insignes Præsules, Moguntinus, Meydeburgus, Con- „ stantinus, atque ei vicinus Basileensis, deinde Misnensis, & „ Cracoviensis: tanta denique Nobilitatis frequentia, ut satis „ constet, *Wenceslaum* quotidiano epulo non minus centum „ millia hominum excepisse. Fueruntque non beatæ modò, „ verùm & fœcundæ Nuptiæ, ut ex quarum proventu intra annum primum natus est Parentibus *Venceslaus* Filiolus. Quæ „ quidem res eâ Cæsarem affecit lætitiâ, ut propiùs accederet „ Bojemiam, & tam Filiam, quam Generum ad se in Civitatem „ Egram evocaret, ut cum illis Festa, Charistia Veteribus dicta, „ per munera, & Convivia familiariter agitaret. Data in dotem „ illa ipsa Egra *Venceslao*, & insuper Arces complures in Misnia, „ & Lusatia, quarum Cæsar per Mortem Principis Misniæ, Liberis orbi, Dominus factus erat. Hic postremò honor eidem „ habitus, ut ibidem Regalia, certis in Locis à Cæsaribus in Reges Bohemiæ proficiscentia, Cæsar solemniter in *Venceslaum* „ transferret, juberétque in Acta publica referri, quòd Rex Bohemiæ Electoribus Imperii sine ulla ambiguitate perpetuò adnumerari debeat, *Pocillatoris* nomine: quod quidem Jus in „ hunc diem Reges Bohemiæ incolume obtinent. „

Cæsar Nuptos apud Egram convênit, largè dotavit, Regémque plurimùm ornavit.

Una cum *Wenceslao* Pragæ pariter nupsisse traditur

LXV. Si porro *Horneckium* audiamus, apud Cl. *Pezium* Cap. CCIII. Tom. III. Scriptor. p. 185. hæc Solemnia geminis Nuptiis consecrata erant. Vult námque hic Scriptor, tum pariter Pragæ Rudolphum Filium Cæsaris nupsisse *Agneti*, Filiæ *Oto-*

Otocari Regis occisi, Sorori *Wenceslai*. Unde Poëta iste sic de utroque Sponso:

Rudolphus Cæsaris Filius.

Die Hochezeit hub sich da,
Und der Wechsel mynnigleich,
So das ir yettweder geleich
Dem andern sein Swester gab.

Tacuerunt hoc alterum Connubium, quamquam id ex pacto Pacis fieri debuerat, tam *Dubravius*: quàm *Balbinus*: ex aliis Annum, quo illud peractum fuerit, ægrè intelligas. Cæterùm *Balbinus* omnia, quæ supra *Dubravius* asseruit, non modò & ipse affirmat, verùm & insuper addit, juxta Literas in Archivio Regni à se inspectas, Cæsarem Regi etiam Vicariatum Imperii, Wratislaviæ Principatum, verbo tot Honores, tot Jura, tot Provincias contulisse, diversis licèt Añis, ut in hoc Beneficentiæ erga Bohemos genere omnes ante se Cæsares superaverit. Qua in Munificentia ejusdem primùm observare licet, quàm probè Imperator piissimus, spreto Canone Mundi, qui hostibus iram, gravémque vindictam servare undique suadet, Vitam, ac Imperium suum ad Legem Evangelii exegerit, dum *Otocari* quondam Regis Vatiniano erga se odio Pietatem tantam adversus Filium ejus, omni Gratiæ studio ornatum, Clementiâ maximâ rependit. Deinde, hoc eum præterea cum summa Imperii Utilitate fecisse. Tot námque Beneficiis Bohemiam eidem non modò immensùm obstrinxit: sed etiam, Septimum Electorem creandò, vel certè, cùm Jure suo excidisset, rursum constabiliendò, noxiæ in eligendo Imperatore discordiæ obicem ponere studuit. Cùm námque in Senario Electorum numero facillimè discessio evenisset, tribûs in hunc, tribûs in alium suffragia sua ferentibûs, sicque Votorum paritas par utrique Electo Jus ad Coronam peperisset: nunc quartum Votum alterutri accessurum, ejusmodi pondus futurum erat, quod bilancem necessariò in eum inclinaret, qui pluribus placuisset. Tandem per Nuptias Filiæ cum Novo, Quartóque jam Electore, suæ etiam Domus Fortunæ, & Incremento Augusto, simúlque verò & Austriæ, & Imperii duraturæ per Secula Securitati, saluberrimè prospexit.

Ampliores Imperatoris in Wenceslaum gratiæ.

Qua Clementia Cæsar se verè Christianum probavit:

Imperio optimè consuluit:

Securitati Austriæ prospexit.

LXVI. Interim, vel apud antelata Comitia Augustana, vel citiùs, posteriúsve, *Henricus* Abbas Admontensis, & Stiriæ Supremus Prætor, de quo anno priori, offam pessimam Archiepiscopum inter Salisburgensem, & *Albertum* Austriæ Ducem intrivit. Feudis enim quibusdam Salisburgensibûs apertis, & nonnullis ejusdem Ecclesiæ Vasallis intra Stiriæ ditiones liberiùs agentibûs, *Albertus* Dux Feuda illa sibi concedi, Vasallorum quoque, contra Jura Principis Terræ, licentiam omitti, postulavit ab Archiepiscopo: hic verò ea Feuda, quod sibi omnino

Albertus Dux cum Archiepiscopo Salisburgensi per Abbatem Admontensem colliditur.

omnino dicere putabat, propriæ utilitatis causâ retinuit, Vasallorum verò suorum, quos non excessisse facultatem asseruit, in se Tutelam recepit. Offensum eapropter Ducem quamprimum Abbas advertit, oleum flammæ affundens, supplicavit & ipse Principi, ut sui pariter Admontensis Cœnobii, cujus esset Advocatus, ab Archiepiscopo multipliciter læsi, causam suscipere dignaretur. Cunctante Duce, per Literas apud Cæsarem institit, ut Filium Officii commoneat, quod Advocatus Ecclesiis deberet. Audiit Imperator querelas, Ducique Filio Abbatis defensi nem injunxit. Quod mandatum *Albertus* Archiepiscopo exhibuit, excusanti quidem: sed constituti jam erant, qui in damna Admontii, ex ipso percepta, inquirerent, supervenientibûs pariter aliarum Ecclesiarum querelis, Duci similiter, ut Advocato suo, porrectis: quibûs causa Archiepiscopi vehementer exulcerata fuit. Actum est Oratoribûs apud Viennam, ast verò incassum: dum tandem hic Annus exiret.

Hungaria libidine Regis, & irruptione Tartarorum fœdata.

LXVII. Jam verò Hungaria Verbum postulat, cujus dudum est, quod meminerim. Regnabat ibidem *Ladislaus* IV, post Patrem *Stephanum* V.tum, summa tamen cum libidine, uti Scriptores Ungari latè conqueruntur. Plurimum Cumanis detulit: quos tamen postea & ipsos, propter summam erga fœminas incontinentiam suam, adversum se in Arma commovit. Hi per Ungaros, peregrinæ, ac quasi barbaræ Gentis impatientes, prostrati, Tartaros provocârunt in Regnum, infanda, qua solent, barbarie ibidem furentes: donec cœlo, effusis imbribus, ita in eos pugnante, ut madidi arcus eorum toti ad pugnam inutiles fierent, ipsique præ Aquarum eluvione neque subsistere, neque fugere possent, ad unum prope omnes interirent. Id, quod Anno priori 1285. evenisse, in Chronicis lego. Sed non propterea *Ladislaus* impurissimus Rex Dexteram Domini agnovit, sive quidquam emendavit, Anathema Legati Apostolici, Interdictum commune Regni, Præsulum, & Magnatum, nova de alio Rege studia, uno cumulo contemnens. Magna ergo

Hungarorum in Austriam ac Stiriam incursiones.

& Regnicolarum pro cujusque desideriis licentia fuit: per quam & Austria pariter, ac Stiria, maximè ab *Ivano* Ginsii Comite, haud uno anno lacessitæ. Jussus aliquando populatores à Stiria repellere Abbas Admontensis, ut Prætor ejusdem, inconsultò penitus, Manipulô duntaxat Militum per tumultum corrasô, non exspectatis plebeorum agminibûs, Ductor ipse in hostes prosiliit: quasi irata vincendi cupido è vestigio Herculem efficeret.

Abbas Admontensis adversus eos infelix.

Sed belli omnino ignarus, atque ab Ungaris facilè in insidias pertractus, omnium suorum clade inconsultam animi audaciam luit, pellem ipse suam ægerrimè frameis cædentium subducens. Reversus verò, aliunde in se frendentium Stirorum odia, propter tot Nobiles laniénæ expositos, immensùm adauxit.

LXVIII.

LXVIII. Fortunam non minus iniquam præceps pariter *Hermanni Landenbergii* impetus in Auſtria perſenſit. Agmen quidem non parvum Auſtriacorum, itémque Stirenſium ducebat, ſatis præterea electum, cùm ipſe manu fortiſſimus eſſet. At verò neque Regionis, quæ Hungariam cum Auſtria proximè jungit, peritus, neque gnarus, quem Ungari morem, telîs eminus jactis pugnandi, tenerent, obviô ſibi hoſtium cuneô, ſtatim conflictum decrevit, nulli cæterorum Conſilio, quo pugnæ diſcrimen, in hac arena impendens, & uſu ſibi præcognitum, prudenter ei ſuggeſſerant, ſuis cum Suevis, qualis & ipſe fuerat, obaudiens. Mox itaque, Coorto prelio, fugiebant Adverſarii, perſecutores, in vanum lætos, telorum poſt terga jactorum imbre in fuga obruentes: dum interea vicinus *Iwanus* ipſe, plurimis Copiis Agmen Auſtriacum ita circumdedit, ut exitum nullibi proſpicientes, deditionem omnes facere cogerentur. *Albertus* Dux, cui Miles alius, qui cladi reparandæ ſufficeret, in promtu non erat, Neoſtadio ſe concluſit, per *Hugonem Tauferium*, pacem cum *Iwano*, quam poſſet, his in anguſtiis feriendam demandans. Conventum eſt Haimburgi, ut Captivi redderentur, fœdus autem, Ducem inter, ac *Iwanum* intercederet, quo ſe mutuò, cùm opus eſſet, juvarent, quamvis in *Ladislaum* quoque Regem depugnandum eſſet. Certò hæc anno alligare, cùm Vetera Chronica has turbas Ungaricas junctim enarrent, ex verò non licet.

Item *Hermannus Landenbergius.*

LXIX. Apud Cl. *Herrgott* Vol. III. p. 526. n. 635. reperio vernaculam Chartam *Alberti* ac *Rudolphi* Ducum Filiorum Cæſaris, datam *Augeſpurch uf unſer Frowentag Purificationis Ann. Dom.* 1286. qua Eccleſiæ S. Jacobi in Heiligenberg factas à Kiburgi Comitibus Donationes renovant. Unde diſcimus, ambos Comitiis Auguſtanis adfuiſſe. Imperator Domum Parthenonis Dieſſenhovenſis Prædicatorii, in eodem Oppido ab oneribus Municipalibus exemit, *In Schafhuſa -- Id Julii.* Ibid. p. 528. n. 637. Filius ejus *Rudolphus* hanc eandem exemtionem Patris ratam habuit, *in Kyburc in craſtino beatorum Apoſtolorum Simonis & Judæ.* Apud eundem p. 530. n. 639. Rurſum Cæſar *Henrico*, Abbati Benedictoburano Bavariæ Superioris, *tribulationibus ejus, preſſuris, & Anguſtiis, ex innata ſuis præcordiis pietate, ex animo condolens, ad preces & inſtantiam Jlluſtris Ducißæ Bavariæ, Filiæ ſuæ Chariſſimæ, Regalia Feuda Principatus, quem obtinet, liberaliter transmittit, volens in hoc ejusdem parcere laboribus, & expenſis. Auguſtæ VII. Cal. Februarii.* Diploma integrum reddidit *Geroldus* apud *Hundium* II. p. 98. ſq. *Albertus* Dux Monaſterio S. Crucis Auſtriæ confirmavit Privilegia ſua Wiennæ per Manus Magiſtri Bentzonis Protonotarii, Pleba-

Diplomata hujus anni.

Plebani in Mistelbach, *VIII. Kal. Januarii.* Exstant Literæ apud Cl. *Bern. Pez.* Cod. Dipl. Part. II. n. 241. p. 147.

Annus 1287.

Carolus Rex Neapolitanus è captivitate Aragonica jamjam exiturus erat, ni Pontifex Pacta rescidisset. Qui paulò pòst obiit.

LXX. CApti apud Aragonios *Caroli*, Hæredis Regisque novi Neapolitani, eliberandi officium *Eduardus* Angliæ Rex in se quidem receperat, iis tamen Pactis perfecit, quæ planè obversari Ecclesiæ commodò viderentur: quapropter ea, quamvis à *Carolo*, tædio Captivitatis persuadente, rata jam forent, ab *Honorio* Papa IV.to penitus rescissa sunt. Qui verò mox postea die 3.tia Aprilis, quæ hoc ANNO Cœna Domini fuerat, de terra viventium sublatus est, cùm suæ Sedis non plus, quàm biennium, justè exegisset. Cathedra Petri per totum hujus anni Residuum vacavit.

Cæsar innovat Pacem Publicam.

LXXI. Cæsar Herbipoli Comitia Principum agens, ibidem Pacem Publicam vernaculo Instrumento denuo in triennium innovavit. Subscriptio erat: *Dirre LANDFRIDE war gemachet, und dirre Brief wart gegeben ze dem Offenen Hofe in dem Concilie ze Wirtzeburc an dem Palme dage, da man zalt von unsers Herrn Geburt Tusent Zweihundert und suben und Achtzic Jar.* Integrum tenorem dedit *Lehmannus* in Chron. Spirensi Libr. V. Cap. 108. p. 627. Inde, teste *Sterone*, Dominus *Rudolphus*

Comitem Burgundiæ ad officium redigit.

„Romanorum Rex Comitis Burgundiæ, rebellantis sibi, Terram ingreditur cum exercitu. Et licèt idem Comes multorum de Picardia, & Francia, & Flandria juvaretur auxiliis, tamen cum prædicto Rege ad bellum congredi non audebat: sed per Ducem Burgundiæ ad gratiam & concordiam rediit cum eodem.„ Prolixiùs hoc enarrans *Albertus* Argentinensis apud Urstis. II. p. 104. in reliquis habet, cùm hostes Germanis commeatum arctâ viarum custodiâ prohibuissent, Cæsarem famelicum, Rapam ex agro, prandii locò, sibi sumsisse: in quo eum omnis exercitus imitatus est. Ulteriùs verò Præfectis Militum, ex eo sciscitantibus, unde crastina victuri essent, respondisse: *Pugnabimus cum eis, & si vicerimus, eorum prandia habebimus; si ipsi Victores nos captivos duxerint, etiam, quod comedamus, nobis apponent.* Quamvis deinde hostes tam commodo situ forent, ut videretur omnibus, Cæsari Aggressionis modum vix ullum superesse, ad unius tamen è suis Admonitionem, dicentis: *Nosco, Regem talem esse, qui, tametsi ad nos manibus pedibùsque repere deberet, attamen nos invasurus est*: formidine correptos, pro Concordia Nuncios ad eum destinâsse.

Alberto Duci molesti Ungari.

LXXII. *Alberto* Duci molestiæ fuerant cum Ungaris, quos *Iwanus* Ginsiensis Comes ad vexandam Austriam, ac Stiriam excur-

excurrere, neglecto fœdere, vel ipse jussit, aut, ne facerent, prohibere non potuit. Cum Archiepiscopo quoque Salisburgensi causa ejusdem acrior indies fiebat. Quamvis enim hic apud Novam Civitatem cum *Alberto* convenisset, Resque controversæ Arbitris commissæ forent: hos tamen Archipræsul Causæ Ducis æquiores contendens, Forum totum, ut sibi incompetens respuit, ajens, Judicium de his Rebus, vel Papæ, vel Cæsari competere. Quo Dux exacerbatus, bellum Archiepiscopo denunciavit, nisi Jura sua per illum salva subsisterent. Submissi quidem denuo Viennam Oratores, qui singula quæstionum Capita ratione dissolverent: quorum tamen Argumenta Dux, rerum, ut ab antiquo sub Babenbergicis Principibus evenerant, peroptimè gnarus, ore proprio ita diluit, ut vehementer eum admirarentur, nihilque reponere possent, ac proinde, nollent, vellent, pacis locò, Archi-Antistiti suo Belli decretum domum referre deberent. C. *Hansiz.* Metr. Sal. p. 399. sqq. Archiepiscopo Salisburgensi bellum denuntiat.

LXXIIII. Dux *Zwetlensibus* hoc Anno favens, eorum Subditos in districtu Castelli Weitra, quod ad Bohemiæ fines est, olim censui subjectos, eodem eliberavit, *Wiennæ XII. Kal. Maji.* Annal. *Zwetl.* I. p. 454. Postea *Stiriæ* existens, teste *Prevenhuebero* Oper. I. p. 35. Urbis ejusdem Privilegia, Literis nullis olim descripta, lato Diplomate comprehendit, & innovavit, *Stiræ X. Kal. Septembris.* Frater ejus *Rudolphus* Dux Abbatiæ Benedictinæ *Fischingensi* Turgoviæ Exemtionem quamdam probavit, *in Vrawenfeld Feria III. post Octavam Paschæ.* Apud Cl. *Herrgott Vol. III.* n. 642. p. 533. Beneficus in varios exstitit.

Annus 1288.

LXXIV. A Morte *Honorii* Papæ IV. Sacra Sedes Romana Mensibus decem, & octo diebus vacabat, Cardinalibus, ob äerem insanum, Conclavis incolatum nonnullo tempore interrumpentibus. Tandem die 22.da Februarii, quo Cathedra S. Petri Antiochena recolitur, electus est *Hieronymus* Asculanus Cardinalis Episcopus Prænestinus, ex Ordine Minorum olim assumtus, Coronatus die 25. Mensis ejusdem, dictúsque *Nicolaus IV.* Sub eo dum adhuc de liberatione *Caroli* Regis Neapolitani pactiones novæ agitarentur, in Bello Siculo nihil hoc Anno promotum fuit: quin potius afflicto Regi suæ Captivitatis incommoda mœsto animo sustinenda supererant. Eligitur *Nicolaus* IV. Papa.

LXXV. Cæsarem hoc Anno Palatinatum Saxoniæ *Alberto* Saxonum Duci, Genero suo, concessisse, notavit *Pfeffingerus* ad Vitriar. l. tit. V. p. m. 632. Austriæ Provincialibus diserto Diplomate *in Castris ante Wisenburch VI. Kal. Maji* demandavit, Acta Cæsaris.

ut *Alberto* ac *Rudolpho* Filiis, creatis à se Austriæ ac Stiriæ Ducibus, ut veris Dominis, plena fide, nec non subjectionis & reverentiæ omnimodæ debito intendant, relaxatis quibuscunque juramentis, antea sibi, & Imperio præstitis. Vide *Vorleuff. Königl. Beantw.* Part. II. Instrum. n. LIII. p. 117. Quod frustrà factum haud esse, sed jam nutare incipiente quorumdam fide, qui vacillationem suam per jusjurandum, Cæsari ac Imperio præstitum, quodammodo tueri præsumebant; necessarium fuisse, non immeritò existimes. Demandata verò est Obedientia utrique Ducum præstanda, non, quòd ambo Austriæ toti, vel singuli divisim parti ejusdem imperarent: sed ut Provincia anteriori fidei Sacramento, quam Imperio dedit, exsolutam se sciret nunc pariter, dum imperaret *Albertus*, ac postea, si *Rudolphum* forsitan succedere contingeret. Imperator ulteriùs *Petro* Episcopo Basileensi iterum concessit, quod jam olim indulserat *Henrico* Antecessori, nunc Archiepiscopo Coloniensi, ut Castrum *Schlosberg* construere valeat, ac consummare, & communire, *in Castris ante Bernam Kal. Septembris.* Rationem in Literis, quæ sunt apud Cl. *Herrgott* Vol. III. n. 649. p. 537. sq. hanc exposuit: *Quia circa hoc frequens nostra versatur intentio, quòd Ecclesiæ, in quibus pro nostræ Salutis augmento Unigenitus DEI Filius placabiliter exoratur, sub Officii nobis commissi Regimine, de bono in melius salutaria suscipiant incrementa.* Filius ejus *Rudolphus* Patris, necdum Cæsaris, factam olim Donationem, Capellæ *de Nova Cella* factam, confirmavit apud *Kiburc feria quinta post Epiphaniam.* Literæ denuo sunt apud Cl. *Herrgott* unde supra n. 647. p. 536.

Synodus Salisburgi celebrata.

LXXVI. *Alberti* Austriæ Ducis, & *Rudolphi* Archiepiscopi Salisburgensis dissidium hoc Anno bellum fiebat. Conquestus namque apud *Nicolaum* Papam novum Archiantistes de *Henrico* Abbate Admontensi, Ducem in se exasperante, è sensu Cardinalium id Responsi tulit, non videri Causæ hujus decisionem fori Romani: sed, cùm Archipræsul sit Fundator Admontensis, Abbatem, si culpam contraxerit, sententiâ Synodi Provincialis rectissimè ad Officium revocari posse, vel in Ordinem redigi. Indicta ergo Salisburgi est Synodus Provincialis in Dominicam proximam ab Omnium SS. Solemniis, tum hac ipsa de causa, tum pariter, ut S. *Virgilii* quondam Episcopi Salisburgensis,

Elevatio S. Virgilii.

& ad S. Petrum Abbatis, Translatio, item *Eberhardi* II. quondam Archiepiscopi, ejus, qui An. 1230. consecraverat Ecclesiam nostram, Depositio magnificentiùs fieret. Necdum enim hic, duos & quadraginta Annos jam defunctus, terræ illatus fuerat: cùm Anathema in *Fridericum* II. Imperatorem denunciare renuens, ipse hac sententia irretitus, priusquam eâdem absolutus esset,

esset, obierit. Quem nunc, supplicante Archiepiscopo *Rudolpho*, tanquam fama Beati ore vulgi undique commendatum, *Nicolaus* Papa Dirarum vinculô eliberavit. Ejus proinde Ossa, statim altera post S. *Virgilii* Elevationem die, eadem in tumba, qua Sancti Lipsana exemta fuêre, contumulata sunt. Depositio Eberhardi II. Archiepiscopi.

LXXVII. In Abbatem faba sic cusa est, ut omnibus, quorum par cum ipso Conditio foret, Censurâ indictâ, ipse ante omnes feriretur. Statutum námque, & vetitum Anathematis ac interdicti pœnâ, ne deinceps quisquam Clericorum Negotia Laicorum Principum tractaret: quo pacto Abbas à gemino, tam Archigrammatei, quàm Stiriæ Prætoris Munere prohibitus, putabatur insimul, quemadmodum à latere, sic pariter à favore Ducis certissimè removendus. Concepti omnes Canones ante ipsam Synodum, ac singillatim universis Episcopis, quorúmque præterea fuerat, exhibiti, Sigillo cujuslibet muniendi: ut sola in Consessu Promulgatione opus esset, & omnis desuper disceptandi Occasio præscinderetur. Sed cum in cunctis, nihil sinistri suspicantibus, hæc Cautela valuisset, fefellit apud *Leopoldum* Sagacissimum Episcopum Seccoviensem: qui, ampliùs cæteris omnibus providus, huic Scripto, priusquam ejus tenorem audivisset, neque Singrapham, neque Sigillum addere voluit. Intellecto autem Canone prædicto, planè ad subscriptionem adduci nequivit, ajens, hoc Statutum magis in Ducem conceptum esse, quàm in Abbatem: se porro, & Ecclesiam suam, esse in Principis potestate, à quo utrique certissimum hac è Subscriptione exitium immineret. Ergo frustra apud hunc Præsulem omnis eloquentia, obsecratio, comminatio fuit: neque quid aliud ex eo impetratum, quamvis & hoc ægerrimè demum, nisi, se publicè vulgatis Decretis reclamare in Consessu non velle. Tunc Synodus, uti eam volebat Archiepiscopus, peracta est. Sed primâ ejus fama certiore ad Austriæ Ducem perlata, hic Militem suum cuncta Archiepiscopi Bona, quæ in Austria & Stiria essent, occupare mandavit. Nec segnior Antistes, ipse quoque Copias, Salisburgi, & ex Boica, Sueviáque conscriptas, primùm in Ditiones Admontenses induxit. Cl. *Hansiz.* Metr. Salisb. p. 403. sqq. Canon adversus Abbatem Admontensem: Qui cùm potiùs esset contra Ducem: hic bellum contra Archiepiscopum inchoavit.

LXXVIII. Zwetlensibus *Albertus* Dux *Wiennæ II. Idus Maii* confirmavit Parochiam Cisterstorfensem à Fratribus Chunringiis donatam. Annal. *Zwetl.* h. a. p. 462. Domina *Elisabeta* Conjux ejus Cl. Neoburgi, in Reverentiam Gloriosi ac pretiosi Corporis & Sanguinis Domini, novum erexit Altare, in eóque Missam quotidianam, singulis autem quintis feriis solemne Sacrum fundavit; se deinde, Ducem Conjugem, ac Hæredes, Anniversario perpetuo apud DEUM expiari voluit. Testati sunt hoc Literis communibûs, laudârunt, atque probârunt, *Wernhardus* Pataviensis, & *Leopoldus* Seccoviensis, Episcopi, additis Indulgentiis. Chartam ex Autographo vulgavit Cl. *Bern. Pez.* Benefacta Ducis ac Conjugis.

Cod. Dipl. Part. II. p. 158. sq. n. 249. Dabatur illa *Neuburgæ in die Palmarum* h. a.

Annus 1289.

Carolus liber, à Papa coronatur Siciliæ Rex.

LXXIX. E Liberatum tandem Aragonica Captivitate *Carolum* Pontifex *Nicolaus IV.* Romæ Diademate Regni tam Neapolis, quàm Siciliæ, manu sua incinxit, quamvis posteriorem non ipse, sed *Jacobus*, Frater *Alfonsi* Aragoniæ Regis, teneret: quorum Papa utrumque Anathemate constrinxit, usquedum Siculô Regnô abstinerent. *Rudolphus* autem Cæsar iterum à *Nicolao* coronari flagitavit, tanquam proxima æstate, aut hyeme Romam venturus: quapropter Papa Internuncium *Benevenutum*, Episcopum Eugubinum cum Literis Apostolicis, quæ sunt apud *Raynaldum* h. a. p. 415. n. 46. sq. submisit. In his Christi Vicarius Cæsarem ita prædicavit. „Porro, Fili Charissime, Romana Mater Ecclesia sibi, non absque uberi delectatione, commemorat, ac ingenti jucunditate recenset, quòd erga ipsam longis retro temporibûs, priusquam Honoris Regii Culmen ascenderes, & etiam postea, sinceræ Devotionis fervorem, & Reverentiæ Filialis affectum, quos, *tanquam DEO devotus Princeps, & ad Opera Pietatis expositus*, laudabiliter continuare non desinis, gerere studuisti. Propter quod anxia noscitur, redditúrque solicita, ut per suæ Cooperationis effectum, Magnificentiæ tuæ Status felicibus semper fulciatur eventibûs, & votivis successibus foveatur: cùm Ecclesia eadem, quæ, quantum cum DEO posse se existimat, promtis affectibus annuit Votis tuis, proprium reputet Exaltationis Regiæ incrementum.„

Idem Rudolpho Cæsari, Coronam Romanam iterum petenti, annuit, plurimam ei laudem rescribens.

Observatio in hoc Cæsaris Elogium.

LXXX. Quàm benè conveniunt, & in una Sede morantur Majestas, ac Pietas! Quantò felicior, pacatior, securior, sub *Rudolpho*, Optimo, Pio, Pacifico Augusto, Germania, atque sub ira, & vi *Henricorum*, & *Fridericorum* exstiterat! Quantam igitur fidem, bonos animos testor, quibus cum Regno etiam Evangelium cordi est, & Vera Gratia DEI, quantam, amabo, fidem ii promerentur, qui turbati Imperii calumniam, non immodestiæ Cæsarum, sed plenis buccis jactatæ Ambitioni, affectatæque tirannidi Pontificum intorquent? Quis bonus & æquus deinceps credet *Goldasto*, si Monarchæ nostro longè Religiosissimo has voces ad Amicos per summam injuriam affingat: *Multos Alemannorum Reges Italia consumsit. Non ibo Romam. Rex sum: Imperator sum. Non minùs pro Reipublicæ Utilitate me facturum confido, quàm si Romæ fuissem coronatus?* Bella verba non illico litant, ac militant Veritati. Sensum profectò, mentémque sanam, me judice, Universo Mundo eximas, oportet, si credere illum velis, tam Optimum Cæsarem adeò duplici corde

Fallit undique, nunquam Cæsari Animum ad Coronam Romanam fuisse.

corde fuisse, ut hinc quidem apud omnes Pontifices Coronam flagitaret, inde apud Familiares, se nunquam ad eam capessendam iturum, protestaretur. Non ivit quidem: ast minimè, quia sprevit. Sed ideo, quia Imperium, quod adeò turbulentum acceperat, ex toto pacare, unius Imperatoris non esse, quotidie oculis hausit. Ne igitur Membra inquieta Corporis Germanici nuper obductas cicatrices denuo rumperent, tutum reperit nunquam, Capitis præsentiam eisdem subducere. Ne commemorem, tot brevium Pontificum celeres mortes, ejusdem sub Imperio accidentes, & belli flammam inter præcipuos quosdam Principes quasi perpetuò ardentem, constans licèt illius Consilium Itineris Romani assiduò interturbâsse.

Causæ, quæ eum ab itinere Romano impedierunt.

LXXXI. Sic Bellum Burgundicum eidem semel ac iterum gerendum erat, si Annalibus *Colmariensibus* fidem demus. Hi ad annum superiorem ita narrârunt. „Circa Nonas Junii obsedit Rex *Rudolphus* Bernensem Burgundiæ Civitatem. - - Rex „ *Rudolphus* obsedit Montem Beligardi circa Kalendas Julii. Rex „ *Rudolphus* secundariò Bernenses dicitur obsedisse. „ Ad hunc verò præsentem annum: „ Cives Bernenses cum Rege *Rudolpho* „ composuerunt, & se in suam potestatem voluntariè tradide„ runt. „ Item *Stero* ad hunc annum: „ Dominus *Rudolphus* Romanorum Rex iteratò contra Comitem Burgundiæ triumphavit. „

Burgundicum ejus bellum secundum.

LXXXII. Bellum deinde Hungaricum, quod Filius *Albertus* Dux adversus *Iwanum* non levi brachio gessit, non potuit non Cæsaris Patris curam advertere. Quomodo gestum sit, Chronicon *Australe*, & ex eo non pauca alia, sic ferè docent. „ Comes quidam Un„ garius, *Iwanus* nomine, sive *Johannes*, quod idem est, filius Co„ mitis *Hainrici*, homo malignus, & totus tirannus, cum mul„ tis annis rebellâsset contra Regem Hungariæ Dominum suum, „ nec eum idem Rex subjugare, nec vincere posset, obstinatus in „ sua malitia, etiam fines Ungariæ transgressus. Austriam præ„ dis & rapinis devastabat, Stiriam quoque undique circa me„ tas Hungariæ, velut lupus rapax, deprædatus est. Invictissi„ mus autem Dux Austriæ *Albertus*, cùm diutiùs dissimulare non „ posset, collecto exercitu magno & forti contra eum, volens „ eum, velut malum Vicinum, eliminare à finibus suis, poten„ ter Ungariam intravit, & viriliter expugnavit, & devicit Ci„ vitates, Castra, Munitiones, & Oppida, armis diversis, & ma„ chinis, & Victoriam obtinuit contra Fautores, & Complices „ Comitis prædicti: Primò videlicet Martinsdorf, Cheruellen„ purch, Rorpach. Paumgarten, Walbramstorf, Junerpodem„ storf, Chreinstorf, Sanct Margarethen, Oedenburg, Necken„ dorf. Chobelstorf, Landeser, Traizendorf, Reckinez, Stain„ perge, Pilgreimstorf, Wilamstorf, Pinkevelde, Reterstaichen, „ Alberndorf, Stegraiffepach, Oreiueze, das drin warten, Ni-

Alberti Ducis Bellum Ungaricum.

„colasturn, Sleunz, Bercholstorf, Rumpolsdorf, Neubaden, „Weyersstorf, Brandorf, Warteschirichen, Ludenshusen, Zu„chanochsen, Awet, Isenenburch. - - - Dux igitur Austriæ, „omnibus supradictis feliciter cum triumpho expugnatis, ac „devictis, quia instabat Messis, & homines sui clandestinè ab „eo recedebant, reversus est ad propria.

Idem cum Victoria instauratū.

LXXXIII. „Completa messe Dux iterum, collecto exer„citu; cum Australibus, Stiriensibus, Carinthianis, quibus „maximè præ cæteris ibi in strage malè successit, Suevis quoque, „ac Bavaris, & Bohemis, secundò intravit Hungariam, portio„nem Civitatis Comitis *Iwani* supra dicti, *Günsam* nomine, „potenter obsedit„ Sequitur prolixa descriptio contentiosissimæ Impugnationis: dum Cives, & incolæ, juvenes, & senes, Viri cum fœminis vi extremà resisterent: donec nihilosecius, Castrô machinis expugnato, Muròque funditus suffosso, & magnam partem corruente, Castellanus cum suis abire permissus fuerit. Dux verò, Castrô suis hominibus & expensis munitô, feliciter cum Victoria sit reversus. Alii, sed Annis aliis, cum Duce pariter progressos tradunt *Arnoldum* Bambergensem, *Leopoldum* Seccoviensem, *Enichonem* Frisingensem, *Bernardum* Pataviensem, Episcopos, conflato XV. millium exercitu: à quo deinde captum quoque, & *Iwano* ereptum Posonium tradunt. Id, quod ego suo loco relinquo. In hujusmodi quippe Victoriis prædicandis Affectus Patrius persæpè suggestum tenet.

Cæsaris Patris, Ducisque Filii mutuæ de hoc Epistolæ.

LXXXIV. *Rudolpho* tamen Cæsari hoc Bellum solicitudinem peperisse, geminis brevissimis Epistolis, quas Cl. *Bern. Pez.* Cod. Diplom. Epist. Part. II. p. 165. n. 260. ex Codice *Ober-Altaichensi* vulgavit, certissimè edocemur, quarum hic brevissimus tenor.

Epistola Cæsaris Patris.

„Suevîs illîs, qui calcaneum indevotionis contra Nos erexerant, „subjugatîs, nunc contra Ungaros movere intendimus Vexilla „victricia, & præpotentia Castra, qui Romani Regni fines in„vadunt, & in tua Persona Nostram, tanquam Patris in Filio, „sauciant Majestatem.„

Responsio Filii Ducis.

„Lectîs Vestræ Serenitatis Apicibûs nova gaudia nostro cordi se„reniùs illuxerunt. Sed & Nos Majestati Regiæ facimus boni „Nuncii relativam: quia noster exercitus de præsumtoribus „Ungaris in congressu Campestri jam semel, & iterum, feliciter „triumphavit.„

Cæsar impetravit

LXXXV. Tandem ad Salisburgense quoque Ducis Filii Bellum non improvidus Imperator Pater solicitè respexit, impetrans

Filio Duci indultum Papæ, ne anathemate ligari posset.

petrans *Alberto* ex *Nicolao* Papa indultum, ne quisquam in eum, citra Sedis Pontificiæ Assensum, Censuras Ecclesiasticas intorquere præsumat: ubi sanè Archiepiscopo Salisburgensi Arma, Præsulibus in offensores consueta, de manibus extorta fuere. Ita porro factum esse, docet *Raynaldus*, Concessionem hujusmodi ex Libr. II. Epistolar. *Nicolai* Papæ IV. ad h. a. p. 415. n. 47. allegans: Quo vetitum, ut nullus *Albertum* Ducem, Uxorem, ac Filios, anathemate percellere possit: *Sine speciali* (inquit) *Sedis Apostolicæ Mandato, faciente plenam & expressam, de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi Mentionem, præsentibus post Quinquennium minimè valituris.*

Alberti bellum cum Archiepiscopo Salisb.

LXXXVI. Bellum ipsum quod spectat, Archiepiscopus, ea primùm aggressus, quæ Admontensium erant, & capta duo Castra, *Ensburg*, atque *Stetneck*, non tenens, sed funditus destruens; inde Vallem Anasinam inclementia magna transivit, Castrum *Steineck* iterum evertens. Quin & ope Tigurinorum, ac Helvetorum, in Suevia quoque *Albertum* Ducem infestavit. Sed apud Oppidum *Neuhaus* prelium oppetiturus, eo declinato, consultiùs tandem rebatur, se fuga subducere. *Alberto* interea Urbes Archiepiscopi, *Frisacum*, *Vanstorfiúmque* in Carinthia, expugnante, & primam quidem penitus in cineres redigente, cùm Archipræsul non æquior in Castra ab se capta fuisset, alterius Muros ac Turres evertente. Quo severè acto, itum in Ungaros, ut antea narratum fuit. Cl. *Hansiz.* Metr. Sal. p. 405. sq.

Pacta pacis inita, mox autem rescissa.

LXXXVII. Reverso ex Hungaria Duce, Episcopi plures, ante omnes verò *Elisabeta* Conjux ejus, Religiosissima Domina, unicè apud eum insistebant, ut cum Archiepiscopo redire in concordiam vellet. Assenserat jam *Albertus*, in Arbitrium, præter alios, ambobus quoque Bavariæ Ducibus adlectis. Conventum de Pactis: quorum princeps hic Canon erat, ut Abbas Admontensis à Duce dimitteretur. Spondebant Jusjurandum, atque Sigillum, Instrumento Pacis à Duce jam addita, plenam quietem. Sed ecce! Abbas Principi valefacturus, studiosissimè composita ad motum Oratione, ei flebiliter exposuit, præmium suum pro tantis obsequiis hoc demum nunc esse, ut Archiepiscopo, hosti suo internecino, velut ovis lupo, ad lanieham relinqueretur. Quod animum Ducis ita repente immutavit, ut, ni Abbas deinde sibi concederetur, quidquid de Pace tractatum esset, penitus rescissum denunciaret. Mandavit & illico Militi, bellum in Antistitem, qui assentiri noluit, quà posset, persequeretur: quod & factum, donec id hyems vetaret.

Cæsar favit Bohemiæ Regi.

LXXXVIII. Cæsarem circa Quadragesimam in Egra Civitate celebrâsse Curiam, notârunt Annales *Colmarienses*. Do-

ctiss.

ctiss. autem *Czerwenka* Libr. I. Cap. 21. p.121. attulit ejusdem Diploma, datum Egræ IV. Non. Martii: quo testatur, se, præhabito circumspectæ Inquisitionis scrutinio, Illustrium Virorum dispendiis præcavere desiderantem, planè comperisse, Regi Bohemiæ in Electione Romanorum Regis, instar aliorum Principum Electorum Jus indubium competere, quemadmodum & Sacri Romani Imperii Pincernatûs dignitatem, ac Munus, hæreditario Jure adhærere.

Annus 1290.

Caroli Regis Neapolitani Victoria de Aragoniis, & Induciæ.

LXXXIX. C*Arolo* Neapolis Regi favit fortuna, ut *Jacobum* Aragonium, qui ulteriorem Siciliam possedit, jámque etiam citeriorem, sive Neapolim, rapere connisus erat, non minima clade illata Rejiceret. Quia verò minoris animi erat, Victoriam prosequi, contrà, quod sibi nemo non suaserat, negligens, ipse cum victo biennales inducias pepigit, maximè invito Pontifice. Induxit verò eundem spes & cupido Coronæ Hungaricæ. Nam *Ladislaus* Ungarorum Rex undique discolus, qui paulò antè innocentem Fratrem *Andream*, in Poloniam profugum, fraude necari disposuit, haud longè postea à Cumanis, licèt eos præ omnibus Ungaris coluerit, incontinentiæ causâ interemtus fuit. Quare *Carolus* Neapolitanus, qui *Mariam*, Sororem *Ladislai*, Conjugem habebat, natum ex ea Filium suum *Carolum*, quem dixêre *Martellum*, quasi Jure Materno, Neapoli Regem Apostolicum proclamari, & coronari fecit. Successio tamen in Regno Ungariæ non *Martello*, sed plures demum post Annos Filio ejus *Carolo Roberto* obvênit, nunc *Andrea* Veneto eam Coronam præripiente. *Nicolaus* Papa IV. *Benevenutum* Episcopum Eugubinum, quem Anno priori Nuncium apud Imperatorem constituerat, nunc cum facultate Legati in Ungariam ad restituendam pacem, & Religionem destinavit, obsecrans Cæsarem, ut eidem, si imploraretur, armatam quoque opem impenderet. Quæ tamen Legatio postea omissa fuit. *Raynald. h. a. p. 427. & 432.*

Ladislaus Ungariæ Rex occiditur.

Succedit *Andreas* Venetus, neglecto *Carolo Martello* Neapolitano.

Cæsar publico supplicio Raptores de medio sustulit, & latrocinantium destrui Munitiones imperavit.

XC. Imperator Erfordiæ in Thuringia celeberrimam Principum Curiam egit, „reformans pacem non solùm illi Terræ, sed „& aliis in Confinio ejus - - - feruntque secum ibidem Filii sui, „*Albertus* & *Rudolphus* Duces Austriæ - - - *Jutta* Regina Bohe„miæ, item Ducissa Bavariæ, & Ducissa Saxoniæ, ambæ pa„riter Cæsaris Filiæ, & aliæ multæ Nobiles Fœminæ, teste *Sifri„do* in Epit. apud *Pistor*. I. p. m. 1050. h. a., Ibi Pax Publica denuo sancita: præterea, uti refert *Engelbusius* in Chronico „Fecit Imperator vinginti novem Raptores (alii hunc numerum „longè supra Centenarium augent) comprehensos, in Ylmana „decollari, de quo terror ejus irruit super omnes Malefactores.

„Impe-

„Imperavit quoque tunc, destrui 66. Munitiones in diversis „Locis, quibus se recipiebant latrocinantes. „ Adhæc *Wencerlao* Bohemiæ Regi non unum ibi Diploma expedivit, in Consessu omnium Principum Electoralem Dignitatem, & Pincernatum, Imperii ipsi denuo confirmans, Feuda insuper Ducatus Wratislaviæ, & Marchionatus Lusatiæ, antea per eorum Principes in Regem translata, clementissimè eidem conferens, ac perpetua declarans. Literas Regias integro tenore exhibuit *Czerwenka* p. 122. & 130.

XCI. Verumtamen præcipua ferè, & summè ardua in his Comitiis Causa certè fuit Lis illa pertinacissima, ac sanè ipsi Cæsari tristis, quæ inter Filium ejus *Albertum* Ducem, & *Rudolphum* Archiepiscopum Salisburgensem vertebatur. Cùm enim, ut Anno superiore dictum, Dux, ad lamenta Abbatis Admontensis, resiliisset à Jurejurando, quo in Arbitrium Ducum & Episcoporum Lincii compromiserat, & è vestigio Grassationes novas in Salisburgenses ditiones mandâsset, factas, quousque hyems permitteret: impar Milite Archiepiscopus, Diras tandem in Ducem intorsit, instans apud Pataviensem, & Seccoviensem, Episcopos, ut easdem suis in Diœcesibus denunciari curarent. Negavit uterque, ne suas Ecclesias decumano periculo objicerent. Quin deliberantes Dux ipse prævênit, denuncians eis, se causam suam Pontifici, cujus indultô contra censuras quorumlibet munitus erat, esse delaturum, ac postulans, ut suæ Appellationi tam ipsi Episcopi, quàm omnes Diœcesium suarum Prælati, subscriberent. Ita res erant arctissimæ, támque Episcopos prædictos, quàm alios, qui Arbitri esse, pacémque componere optabant, summam in curam conjecêre. Sed solicitior omnium fuit Domina *Elisabeta*, cui præ Religione vix aliud aliquid amplius cordi erat, & quæ præterea, quantum Antistitis miserebatur, tantum etiam Duci Conjugi tandem ex hac causâ metuebat. Unde Archipræsuli per amicos persuaderi curabat, ut humilitate Reconciliationem quæreret, eámque ipse Viennæ apud adeo difficilem aliorum Consiliis Ducem, ac è solius Abbatis quasi nutu pendentem, ore proprio flagitaret.

Albertum Ducem Archiepiscopus Salisburg. anathemate ligavit: sed frustra.

XCII. Prævisa facilè hæc Ratio Concordiæ periculi plena, post longam deliberationem, suadentibûs his, dissuadentibûs illis, nihilosecius tamen ab Archiepiscopo tentata est, dignóque ipse Comitatu stipatus, Viennæ Personam suam Duci irato, summè quidem solicitus, credidit. Verumtamen promotum est nihil: quoniam anxius Antistes ea Oppida, Castra, ac Feuda, de quibus contentio erat, in damna Ecclesiæ suæ, quæ causabatur, se non posse dimittere, Dux è converso ea cum detrimento, quod opinabatur, Jurium suorum non debere remittere, perpetuò invicem jactabant. Quinimmo, hortante Abbate

Viennæ reconciliationem ipse quærens, non nisi conditionibûs difficillimis liberum discessum obtinuit, Causa decisione in Cæsarem remissa.

te Admontensi, Archiepiscopo afflicto, contra omnium Consilia, hortatum, ac preces, liber quoque abitus, quemadmodum & suis, à Duce interdictus. Tandem, ubi nullius Oratio valuit, intercessit Abbas, & Archiepiscopo, ut abeundi facultatem obtineret, solemne promissum edere suasit, gemina Scripta, cum primùm domi appulisset, annihilandi, quæ maximæ sibi fraudi Dux *Albertus* reputaret, nimirum Laudum, antea Lincii inter partes jurejurando firmatum, & item Synodalia Statuta, ab se Salisburgi antehac condita. Adhæsit hìc Auctoritas Archiepiscopi, Causæque suæ vis maxima: necessitas nihilominus ad hæc summè ardua coëgit. Instantibûs ergo, quos Arbitros consuluit, omnibûs, edidit Sponsionem. Mox porro, cùm domi advênit, jam aderant pariter Nuncii Ducis: quibûs præsentibus in Ecclesia Metropolitica ambo Instrumenta, ipso quidem altùm ingemiscente, Sigillis privata, & planè in frusta concisa sunt. Causæ autem cognitio Cæsari delata.

Quæ Erfordiæ discussa:

XCIII. Erfordiæ porro illa Imperatori difficillimum forum fecit. Archiepiscopus Cæsaris tutelam Ecclesiæ suæ ex Religione deberi contendit: Dux Filius labefactari Privilegia sui Ducatus, quo se Pater instituisset, oggessit. Supererat Convictio Antistitis de iniqua postulatione adversus Ducem: quam Abbas, Actor Ducis, per nonnullos Archipræsulis Clientes, qui ab eo defecerant, fieri volebat. Sed hos Archiepiscopus, quondam Cæsaris Cancellarius, Jurium peritissimus, adeò contra se non audiri debere reposuit, ut eos potiùs extradi sibi oporteat. Ex mora proinde Consilio viam quæsivit Imperator: cui amicè arbitrari magis, quàm judicare, animo sedit. Dum verò hæc trahitur, Archiantistes Calendis Augusti, quæ Divo Petro vinculis exemto sacræ fuerunt, solemniter ad Aram facere exorsus, subitò ex pede gravissimè laborare cœpit. Inde malum velociter omne latus dextrum occupavit, ut neque brachio, nec oculo, nec aure uti posset. Altero die progressus languor in omne reliquum Corpus, Sacrîs omnibus Christianè, plurimáque cum Ædificatione circum lamentantium procurato, sub Auroram diei tertiæ, animam abegit. Multorum sensu, calamitatum turbo, quibus obrutus erat, Apoplectico Malo, quod ajunt, eundem suffocavit. Ast verò non deerant, qui morbum, ac mortem velocem, veneno imputabant, & fuêre, qui traderent, in quibus & *Horneckius*, Archipræsulis calceum dextrum toxico lethali infectum fuisse: quod ipse, cujus perfidia 50. marcis in hoc scelus coëmta fuit, cùm postea Monachus factus esset, sub vitæ finem prodiderit.

Ubi Archiepiscopus subito ex morbo obiit.

Salisburgi *Stephanus*

XCIV. Salisburgi, post supremos Funeris honores, itum in vota, sed maximè disparia: quorum tamen aliqua ausus est ipse

etiam

etiam Abbas Admontensis pro se colligere, à cæteris autem omnino explosa. Prodiit ex urna, Nobilibûs adversus Clerum prævalentibûs, Dux juvenis Bavariæ *Stephanus*, Annum primum supra vicesimum agens, Laicus planè, nullóque Ordine Clericali insignis: cujus consensu habito, Oratores pro eo postulando Romam submissi. *Nicolaus* verò Papa, nunciis in Bavariam occultò dimissis, per eos notitiam de persona & moribus Electi conquisivit: quorum relata cùm sibi non placerent, uno cumulo tres Postulationes Illustrium Juvenum Laicorum ad Cathedras Metropolitanas rejecit, Filii nempe Regis Siciliæ, Comitis cujusdam Burgundiæ, & *Stephani* Bavarici. Salisburgensibus altero Anno ipse Novum Archiepiscopum dedit. Lege hactenus dicta diffusè & exactè tradita apud Cl. *Hansiz.* Metr. Sal. 409. sqq.

Bavariæ Dux juvenis electus: quem Papa rejecit,

XCV. Historia *Australis* plenior, præterquam, quòd hoc Anno *Henricum* Bavariæ inferioris Ducem obiisse tradat, pro quo Filius *Otto* imperabat: & insuper *Ludovicum*, Electoris Palatini *Ludovici* Filium, sub Equestrem Ludum lancea in collo transfixum referat: hoc insuper asserit. „*Rudolphus*, Romano„rum Regis Filius, cùm Pragæ vellet visitare Sororem suam Bo„hemiæ Reginam, mortuus est.„ Anteriùs verò jam edixerat. „Circa Nativitatem Domini Dux Austriæ iterum collecto exer„citu intravit Ungariam, & Castrum, quod Mons S. Viti di„citur, potenter expugnavit, & obtinuit, prædam magnam du„xit, & recessit.„ Cui ne asperitas hyemis fidem forsitan deroget, subjicitur ulteriùs: „Eodem Anno inveniebantur Violæ in „Nativitate Domini, & in Circumcisione, & in Epiphania, & de„inceps per totam Austriam Arbores produxerunt flores in hor„tis, & pomeriis, sicut in Majo, & qui vidimus, testamur, „quia insolitum priùs fuerat.„

Henricus, & *Ludovicus* Duces Bavariæ obierunt. Item *Rudolphus* Cæsaris Filius. *Albertus* Dux invasit Ungariam. Ver in hyeme.

XCVI. Annales *Zwetlenses* ad hunc Annum apponunt verba *Gerardi de Roo*, quibus docet, circa hoc tempus magnos animorum exortos esse motus inter Austriæ, & Stiriæ, ac vicinarum quoque Regionum quodammodo unanimes Proceres: quòd pati non vellent, Suevos *Walseanos*, item *Hermannum Landenbergicum*, aliósque de Suevorum genere, *Alberto* Duci à Patre Cæsare in Consilium adscriptos, prima Munia in Aula Ducis obire, prima Consilia dare, Provincias ex nutu regere, Castris multis, bonísque donari, & opulentis Connubiis vehementer inclarescere: se verò postponi, excludi, tantúmque non penitus contemni. Quod malum factum huic Anno omnino convenire, laudati Annales inde colligunt: quia *Ebro* Abbas Zwetalensis interfuit Generali Provincialium Curiæ, Viennæ congregatæ, ibique ex *Godefrido Cinckio* Literas Emtionis Venditionis impetravit, subsignatas *Wiennæ in Conventione Curiæ, & Celebra-*

Provinciales *Alberto* Duci leges posuisse dicuntur.

tione Placiti Generalis An. 1290. Idib. Januarii. Existimant enim, hanc Curiam illam ipsam fuisse, in qua Duci à Provincialibus propositum: suevos peregrinos dimitteret, Consilio suo Indigenas adhiberet, horumque, non exterorum, deinceps Ministerio uteretur.

Id, quod seriùs factum esse verosimilius est.

XCVII. Sed frequenter, ac diuturno ex more, Generalia hujusmodi Placita, sive præsente & præsidente, vel absente Principe, fiebant, fuitque ævo illo ad causas partium graviores discutiendas hæc quodammodo consueta, & publica Judicii Forma. Quamvis deinde suprà ad Ann. 1288. n. 75. Cæsaris Mandatum ad Austriæ Provinciales attulerim, quo à jurejurando Fidelitatis, quod Imperio præstiterant, absoluti, *Alberto*, & *Rudolpho* Ducibus obedire sunt jussi, & exinde collegerim, quosdam eorum jam tum in fide nutâsse: ægrè tamen mihi persuadeo, ut credam, vivente adhuc Cæsare, Provinciales ejusmodi licentiam in Ducem Filium ausos fuisse, qua ei leges ponerent, níque assentiretur, obsequio ejusdem palàm renunciarent. Libentiùs itaque Chronicis Veteribus adstipulor, quæ Ausum istum uno calamo in Annum 1292. reponunt. Cæterùm *Albertus* Dux *Wiennæ V. Non. Mart.* donavit Capellæ S. Joannis Cl. Neoburgi Curiam quamdam Villicalem. Mense autem Novembri itidem Wiennæ Carthusiæ Seizensi Stiriæ confirmavit omnia Jura & Bona, ut olim *Otocarus*, ac postea *Rudolphus* Cæsar Parens. Diplomata ipsa leges apud Cl. *Bern. Pez.* Cod. Dipl. Part. II. p. 169. n. 23. & 24.

§. II.

Res Ordinis Cisterciensis.

Annus 1281.

Fossæ Novæ S. Thomæ Aquin. Elevatio.

I. S. *Thomam* Aquinatem Doctorem Angelicum, ad Concilium Lugdunense, quò evocatus erat, iturum, in Monasterio nostro *Fossæ Novæ* juxta Pipernum intra Regnum Neapolitanum Anno 1274. sanctissimè obiisse, *Decad.* priori ad eum An. *in Reb. Ord.* dictum fuit. Venerandum Corpus religiosè in terram depositum paulò pòst Abbas tunc Loci *Theobaldus*, postea Cardinalis, rursum levatum remotiorem in Capellam transtulerat, metuens, ne tantum Thesaurum Sacer Ordo Prædicatorius nimis quàm festinè repeteret. Quamquam *Ptolomeus Lucensis* Ord. Prædic. Histor. Eccles. Libr. XXIII. Cap. 8.vo tradat, hanc Translationem, nisi forsitan de altera aliqua accipi debeat, non tam Abbatis atque Conventus Consilio, quàm jussu Dominorum *de Oceano*, qui S. Thomæ Sanguine proximi erant, ac *Fossæ Novæ* Fundatores, præterea potentiores Campaniæ exstiterant, factam fuisse,

fuisse. Hoc autem Anno denuo cum pompa elevatum, ad omnium gaudium, atque stuporem, integrum atque incorruptum reperiebatur. De quo ita *Raynaldus* Annal. XIV. p. 330. n. 29. „Cùm jam Anni septem evoluti essent à prima Translatione, facta Ann. 1274. *Petrus* Abbas Monasterii *Fossæ Novæ* „Sancti Viri Corpus denuo exhumatum jussit in Sepulchro marmoreo supra terram reponi: & tunc idem Odor suavissimus „inde manavit, Corpúsque, & Vestes, illæsa fuêre: nisi quod „parum deerat extremi pollicis dextræ Manus. Atque hujus sanè rei idem Abbas Testis juratus fuit.„

II. *Petrus*, ex Monacho Cisterciensi *Martini* IV. Papæ Prælatus Domesticus, noménque tenens Episcopi *Lacedemoniensis*, ab eodem Pontifice hoc Anno renunciatus fuit *Signinus* Episcopus, sive in Civitate Signiæ prope Anagniam in Latio: de cujus quidem Actis & Meritis Monumenta ferè omnia interciderunt, Memoria tamen ejus in Ecclesia illa adhuc An. 1285. exstante. *Ughellus Ital. Sacr.* I. col. 1239. In Marchionatu Brandeburgico Culmbacensi, pietate *Ottonis* Comitis *Orlemundensis*, exurgere cæpit Parthenon Cisterciensis, dictus *Corona Cæli*, vulgò *Himmels Cron*, Abbatissa prima *Agnete Filia* Fundatoris: quod Odeum Virginale, servante DEO, in hanc diem devotè persistit. *Leucfeld* in Chronico *Walkenriedensi* p. 530.

Petrus Episcopus Signiæ.

Corona Cæli fundata.

III. Cùm porro hæc prospera forent Ordini nostro, adversa eidem certè fuit infractio plenæ suæ hucusque duo prope per secula Immunitatis ab omni Præstatione, etiam quæ per Pontifices, & Concilia, reliquæ Ecclesiæ indicta fuit. Dereliquerat Ordo primam Charitatem, dum benè multis anterioribus Annis Primi Quatuor Abbates cum Archimandrita suo Cisterciensi tam perniciosè contendebant, ut ingens utrinque pecunia, quod Lites postulant, Romana in Curia, profusa fuerit. Hæc intelligens Orbis, intulit, si tantùm valeret Ærarium Cisterciensium ad mutuò tricandum, frustra prætendi, attendíque eorum paupertatem, cùm Respublica Christiana juvanda esset. Ergo, cùm in Concilio Lugdunensi Sexennales Decimæ universo totius Orbis Christiani Clero pro Recuperatione Terræ Sanctæ An. 1274. injunctæ fuissent: non valuit aliquot annorum obsecratio, ut solita Cistercio Exemtio salva esset. Id unum impetratum, posse Ordinem centenîs librarum Millibûs, intra unum hunc Annum numerandîs, universam Sexennii totius omnium Domuum suarum Decimam, haud minimo sumtuum compendiô, redimere. Ita paucorum inquietorum culpam Ordo totus luere debuit: quod plerúmque etiam in Religioso quolibet Gremio fit, si vel discolus unus culpam apud Orbem incurrat. *Manriqu. Append. Tomi I. p. 512.*

Coactus Ordo ad Præstationem à Concilio indictam.

Anni 1282. 1283.

Petrus electus Castellanetensis Episcopus.

IV. CAstellaneti in Provincia Hudruntina Regni Neapolitani, defunctô *Blasio* Episcopô, Successor communibus votis destinabatur *Petrus* Monachus, & Abbas Florensis Ordinis nostri. Verumtamen, priusquam Insignia Pontificalia capere posset, in Domum Æternitatis avocatus est. *Ughell. Ital. IX. col. 153.* Apud Germanos in Diœcesi Hildesheimensi non longè Hildesheimio *Albertus* Princeps *Anhaltinus*, tum Canonicus, postea Episcopus Hildesheimii, ex Predio *Adlerslebiensi* ejusdem Nominis Parthenonem Cisterciensem hoc ipso ANNO excitavit, jam quinque in Secula consenescentem. *Sartor. Cist. b. t. vern.* p. 605. Cùm in Comitiis Generalibus Cistercii *Winricus* Abbas Ebracensis laudabile propositum suum exsplicuisset, apud Academiam Herbipolensem Domum quamdam Studiorum pro Fratribus Cisterciensibus, ad normam Collegii Parisiensis, excitandi: *Joannem* I. Archi-Abbatem Cistercii, Patresque omnes congregatos, non modò faciles ad assensum, sed etiam ferventes ad id Exhortatores habere promeruit. *Manriqu. Append. Tom. I. p.* 479.

Adlerslebia fundata.

Facultas pro Collegio Herbipolensi.

Parthenonis Montis Regalis incrementum.

V. Apud Hispanos Odeum Virginale *Montis Regalis* propè Burgos, *Huelga* dictum, his annis egregiè illustratum fuit. Præterquam enim, quòd ibidem Regia Princeps *Elisabeta*, Filia *Alfonsi* Infantis Castellæ, dicti *de Molina*, Monialem sit professa: insuper eidem Parthenoni, sub Abbatissa *Maria Gutierrez*, tria Filialia Gynecea Sacra & Regularia Cisterciensia accessêre, *Vilena* nimirum, *Avia*, & *Barria*, teste *Manriqueo* Append. Tom. III. p. 6. Priusquam deinde *Godefridus* Episcopus Pataviensis commissum sibi à *Martino* IV. Papa Judicium de crimine, à discolis quibusdam Altahæ. sivè Quercus Inferioris in Bavaria Monachis Benedictinis, & maximè eorum Propinguis, adversus Abbatem suum commisso, publica in Synodo ferret: causæ cognitionem antea faciendam geminis Abbatibus Cisterciensibus *de Alderspach*, ac *Cella Principum* injunxit Cl. *Hansiz.* Metr. 437. Item R. P. *Placidus Haiden* Profess. Altaich. in Chron. vern. Monaster. sui p. 99. sqq.

Annus 1284.

Collegii Herbipolensis firmitas.

VI. DUm Collegium studiosum Herbipolense industria & sumtibus Abbatis Ebracensis *Winrici* jam ferè consisteret, *Joannes* I. Archiabbas Cisterciensis, totúsque Conventus Abbatum Capituli Generalis, Definitione perpetua sanxerunt, ut laudatus Abbas, ac Successores ejus, in Loco & Personis ibidem, parem prorsus haberent Jurisdictionem, qualem Abbas Claraevallensis in Domo Studiorum Parisiis, ipsi quoque Studentes æqualibus

bus

bus Libertatibus gaudeant. Literarum tenor est apud *Jonge-linum* nostrum in Notit. Abbatiar. Cisterc. Libr. II. p. 81. Mense postea Octobri idem Archi-Abbas, Supremô Cistercii, totiúsque Ordinis, clavô per annos novendecim magna cum cura atque solicitudine gestô, ad requiem, ac præmium in Cœlos festinavit, Successore *Theobaldo*. *Manr. Append. Tomi I.* p. 479. *Clogiæ*, sive ad *Fossas Clodias* in Æstuariis Venetis, scissis bifariam eligentium Votis, majori parti placuit *Ubertus* Abbas *de Brondulo* Cisterciensis, jámque per Patriarcham Gradensem Ornamenta Episcopalia induit. Ne verò in eis fulgeret, mors præpropera fecit, qua è vestigio suæ Cathedræ iterum ereptus est. *Ughell. Ital. V. col.* 1351. Stamsii in Tiroli Dedicatio Ecclesiæ, cura & Munificentia *Meinhardi* Fundatoris, Comitis Tirolis, ac postea Carinthiæ Ducis, cui *Albertus* Dux Austriæ, deinde Imperator, Gener erat, per septem Episcopos peracta fuit: ac præter Fundatricem *Elisabetam*, natam Bavariæ Ducissam, ac quondam Romanorum Reginam, duodecim alia anteriorum Comitum Tirolis Corpora Solemni Translatione huic Ecclesiæ eadem die sunt illata. Quibus deinde lapsu temporum aliæ semper aliæque Sepulturæ accesserunt, usquedum Regiarum, Ducaliúmque Personarum hic contumulatarum Numerus Quadragenarium adhuc tertium excederet. *Breve Chronicon Stams.* apud Cl. *Hier. Pez.* II. col. 457. Item *Sartor. Cist. b. t. vernac.* p. 934. sq.

Joannes I. Archiabbas moritur: Succedit Theobaldus.

Ubertus Episcopus Clogiæ.

Dedicatio, & Funera Serenissima Monasterii Stamsensis.

Annus 1285.

VII. Cum, *Friderico II.* Archiepiscopo Salisburgensi defuncto, communibus Capitularium votis *Rudolphus de Hoheneck*, Cancellarius *Rudolphi I.* Imperatoris, electus Confirmationem suam Romæ rogâsset, *Martinus* Papa IV. de Persona ac Meritis Electi certior futurus, Constantiensi, & Eichstetensi Episcopis, simulque Abbati Salemitano Ordinis nostri, hanc Inquisitionem injunxit. Cl. *Hansiz. Metr. Sal. p.* 395. *Theobaldo Archiabbati* nostro *Honorius* Papa IV. *Martino IV.* subrogatus, ex more publicis Literis Evectionem suam nunciavit, ac preces Ordinis flagitavit. *Gulielmum Witcamum*, illustrem genere Anglum, omnique Virtutis ac Eruditionis Encomio celebrem, & Scriptis clarum, ad Fastigium Archiepiscopale Eboracense assumtum, postquam in eo per Sexennium amplissima cum laude præluxisset, sponte hunc posuisse honorem, Gallias petiisse, ibique in Pontigniaco induisse Habitum Cisterciensem, gessisse biennio, & hoc ANNO præsenti beatissimo fine, quem & signa frequentia mox commendaverint, obiisse, tradunt *Jongelinus* in *Purpura S. Bernardi*, itémque *Barnabas Montalbo* Tom. I. Chron. Libr. I. Cap. 31. & ex his etiam *Henriquez* in Menolog. Cist. die 18. Decem-

Salemitani Abbati Commissio Apostolica.

Guilielm. Witcammus Archiep. Eboracensis traditur fuisse Monachus Pontigniaci.

Decembris. Quamquam *Joan. Pitseus* de Scriptor. Angl. velit, Archipræsulem istum in Sede sua decessisse. Conferatur *Carol. de Visch* Bibl. Cisterc. p. 138. sq.

Martinus Polonus Chronographus, Archiep. Cusentinus, non videtur fuisse Cisterciensis.

VIII. Rursum *Ughellus* Ital. IX. col. 218. sq. prolixius agit de *Martino Polono* Cisterciensi, in Catalogis Ecclesiæ Metropolitanæ Cusentinæ in Calabria inter Archiepiscopos descripto, annis quidem variis, quem tamen ipse ad *Honorii* Papæ IV. tempora rectissimè referri putat, ratus, ad eum spectare *Martini IV.* Papæ Epistolam pro Monasterio Florensi, cujus Inscriptio est: *Electo, & Capitulo Cosentino*: Exordium verò tale est. *Cum in Habitu Regulari sub Religionis Monasticæ disciplina, tu Fili Electe, portaveris Jugum Domini ab Adolescentia tua, & sic fueris fidelis in pauca, quòd constitui merueris super multa &c.* Prædicat deinde hunc *Martinum*, tanquam Authorem notissimi illius Chronici à Christo Nato ad *Honorium* IV^tum^. Quòd ampliùs urget *Carolus de Visch* Prior Dunensis Biblioth. Cisterc. p. 238. sq. pluribus Testibus adductis. Quemadmodum autem Rever.^mus^ *Ughellus* rem non asserit, sed solummodo tradi ait: ita vereor, ne Doctiss. *Vischius* per testes suos, *Martinum* hunc Cisterciensem fuisse, unquam evincat. Cohors enim Reliqua Virorum Eruditorum, quibus de *Historia Martiniana*, ut inscribitur, sive supradicto *Chronico Martini Poloni*, sæpissime MS.^tum^ aliquoties verò edito, permultus est sermo, eundem uno Calamo Ordinis Prædicatorii fuisse affirmant, nominatum quidem Archiepiscopum, non tamen Cusentinum Italiæ, sed in Polonia Gnesnensem: antequam verò eam Cathedram adiret, Bononiæ An. 1278. defunctum. Legatur instar omnium Cl. *Oudinis* Commentar. de Scriptor. Eccles. Tom. III. à col. 531.

Annus 1286.

Scientiæ bonus ac malus in Ordine Usus.

IX. Ex quo novi Collegii nostri S. Bernardi Parisiis diligens usus esse cœperat, compluribus Cœnobiis juniores & aptiores Fratres studiorum causâ illic alentibus, crevit pariter in Ordine Eruditio Academica, eò spectans, & ideo cum sumtu procurata, ut Religioni ex Connubio Virtutis atque Scientiæ benè esset, ac fœcunditas Verborum & Operum laudabilium proveniret. Hic Scientiæ felix & Sanctus est finis: qui si sciendo docendóque intendatur, & obtineatur, Virtutem præstabit ab errando immunem, & Ædificatione tam sui, quàm proximi, Charitatem utrobique fovebit. At malum factum, si procandò cum Scientia, Virtuti repudium detur, & ita quæratur Sermo Scientiæ, ut bonæ Actionis cura postrema, vel nulla fiat: si, tanquam studii merces, assiduâ poscatur remissio disciplinæ: si teneritudo conscientiæ probabilitatibus Doctorum

ferè

ferè tota dissolvatur: si, quisquis Regulam juravit, jam aliter nolit, ac Canonicè, tam regi, quàm judicari.

X. Hoc, aut proximo quopiam Anno, *Joannes de Wardo* Religiosus Dunensis in Flandria, supradicto in Collegio aliquot Annis gnaviter in Studiis operam collocans, primus omnium in Ordine nostro SS. Theologiæ Laurea Academicâ Parisiis insignitus fuit, tanto Meritô suô, ut illico è Discipulo Doctor factus, iis ipsis in Scholis, in quibus heri Magistros audierat, nunc ipse doceret, legeret, interpretaretur: præterea verò, cùm eloquentissimus esset, DEI Verbum Sacra etiam in Exedra, Præco eximius, ingenti cum fama populis annunciaret. Laudes ejus in Fastos miserunt *Ægydius de Roma*, *Meyerus* in Annal. Flandriæ, *Harduinus*, *Manriquetus* Append. Tomi I. p.480. *Carolus de Visch* Biblioth. Cisterc. p. 233. Qui postremus Autographam Epistolam, huic *Joanni* ab Abbate Generali transcriptam, exhibet, adhuc Dunîs exstantem, & ita conceptam. *Joannes de Wardo* primus ex Ordine Laureâ Theologicâ ornatus.

XI., Venerabili Viro & Religioso, Magistro JOANNI *de* ,*Wardo*, Monacho de Dunis, in Theologica Facultate Parisiis legenti, Fr. THEOBALDUS Abbas Cistercii, cum sincera in Domino dilectione, Salutem, & de fontibus Salvatoris abundanter haurire, & salubriter effundere Sapientiam salutarem. Dignum est, ut amplioribus Gratiæ beneficiis, & specialioribus specialis Libertatis Gratiis attollantur, quibus Vitæ Bonitas, Morum Honestas, Scientiæ radiositas, ac diversarum Virtutum Gratiosæ indicia suffragantur. Attendentes igitur vestræ Merita Probitatis, Labores insuper innumeros, quos in Acquisitione Salutaris Sapientiæ per longas vigilias sustinuistis hactenus, & in studendo, legendo, disputando, prædicando, quotidie sustinetis: non improvidè providendo, Studiositatem Vestram dignam duximus specialis favoris Gratia relevandam, & salutaris Sapientiæ Margaritam, cunctis Regnis & Regibus præferendam, per Vos, retroactis temporibus, laboriosis studiis, & studiosis laboribus acquisitam, specialis Libertatis auspiciis attollendam. Hinc est, quod Authoritate Capituli Generalis, Nobis in hac parte Consensum præstantis, & Nostra, Vobis concedimus, post Abbates ubique stare &c. - - Actum Parisiis apud S. Bernardum in Capella Hospitii, sive Domus, in qua morabatur M. JOANNES *de Dunis*, Magister in Theologia, Ordinis Cisterciensis, Regens in eodem Loco, 1292. 9.na Aprilis., Epistola Archi-Abbatis ad eundem.

XII. Tanta, non plura, ex *Vischio* transcribere licuit. Quæ tamen abunde docent, maximè si ipsorum Collegiorum, Parisiensis, ac Herbipolensis, excitationem attenderis, Talentorum Usum in Ordine nostro omnino non neglectum, sed magni potiùs Talentorum laudabilis usus in Ordine nostro neutiquam neglectus.

tiùs habitum, ac præmiis Concessionum specialium incitatum fuisse, si tale cujuspiam studium fuerit, quod & sudor constans ac diuturnus commendabile reddiderit; ac præterea bonæ Regularis Disciplinæ Observantia proficuum Ordini, non verò noxium fore comprobavit. Qui mox, ut Literas aggreditur, Disciplinæ liber esse contendit, sibi imputet, si à studio non laudetur. Saluberrimæ Ordini *Doctæ Virtutes.* Quamprimum verò Virtutem Scientiæ causâ dimittere videris, præstat, eos, qui tibi præsunt, curare in te Virtutem, unde salus vel absque scientia, quàm fovere scientiam, unde absque Virtute nil, nisi vanum est Nomen.

Annus 1287.

Liber Oculus in Bibliotheca nostra MS.

XIII. SErvat Bibliotheca nostra Codicem in Membrana descriptum charactere Seculi XIV.[ti], plurimósque Tractatus Ascetico-Morales continentem: quos inter etiam occurrit *Oculus Spiritualis sive Mysticus*, qui mediocri charactere implet paginas LVI. in fol. inque fine sic desinit: *Explicit OCULUS Fr. JOANNIS LIMOVICENSIS Monachi Claravallensis Mcclxxxvij. scriptus in Campo Liliorum Mccclxij.* Exordium ejus est. „Incipit Libellus, qui vocatur OCULUS. Si diligenter voluerimus in Lege Domini meditari, facillimè perpendemus, ea, quæ pertinent *ad Visionem, & Oculum,* cæteris frequentiùs in sacris Eloquiis recitari. Ex quo patet, Considerationem *de Oculo*, & de his, quæ pertinent ad ipsum, esse perutilem ad habendam Divinæ Sapientiæ Notitiam pleniorem &c.„ Capita hujus Libri sunt XV. Priora quidem de *Oculi* Consideratione Naturali, & Anatomica, posteriora de Consideratione Morali, & Mystica.

Alius ab Oculo S. Scripturæ, qui est nostri Alani M.

XIV. *Thrithemius* de Scriptoribus Ecclesiasticis commendans nostrum *Alanum M. ab Insulis*, in Catalogo Operum ejus adscripsit ei pariter *Oculum S. Scripturæ*: cujusmodi tamen Opusculum *Alano* à nemine alio, quod sciam, tributum erat, donec illud Clar. memor. R. P, *Bernard. Pezius* Anecdot. Tom. I. in Observat. Præv. ad Part. II. §. X. p. LXXIII. ex Bibliotheca Celeberr. & Antiquiss. Monasterii S. Crucis Austriæ in Membrana manu Seculi XIV. descriptum retexerit: ubi inscribitur: *Oculus sacræ Scripturæ*, sive *Compendium utriusque Testamenti.* Præfatio ejus incipit: *Reverendissimo Patri & Domino ERMENGANDO, Dei Gratia S. Ægydii Abbati ALANUS &c.* Opus ipsum inchoat: *Quoniam juxta publicæ Auctoritatis præconium, qui Virtutum Nominum sunt ignari &c.* Quæ initia perspicuè produnt, hunc *Oculum S. Scripturæ* planè alium esse à nostro *Oculo Spirituali & Mystico.*

XV. Porro *Theophilus Raynaudus* inter Opera *Raymundi Jordani*, qui diu sub nomine *Idiotæ* latuerat, pariter edidit Tractatum *de Oculo Morali*: dubius quidem de vero Authore, & aliquando in sententiam *Petri Wadingi* Ord. Minor. propendens: quasi Opusculum hoc Operibus *Joannis Gualensis* Ordinis Minorum accensendum foret. Sed nihilosecius postea, deposito dubio, qua, nescio, ex ratione, in altera Operum *Jordani* Editione hunc Tractatum eidem rursum attribuit. De quo latiùs videri potest *Oudinus* Commentar. de Scriptor. Eccles. Tom. III. col. 497. Mihi interim satis non constat, an *Oculus Moralis*, à *Raynaudo* editus, cùm *Jordani* Opera nunc inspicere nequeam, idem sit cum *Oculo* nostro MS.[to] an verò diversus: quamquam eundem esse vix ambigam. MS.[tum] interim nostrum omnino suffragatur Doctiss. *Carolo de Visch* Priori Dunensi; qui Bibl. Cisterc. p. 224. inter complura Opera *Joannis Lemovicensis* Monachi Clarævallis, subinde *Liomensis* dicti, etiam recenset *de Oculo Morali* Librum unum, *Dunis*, *Camberonæ*, atque in *Laude* existentem. Noster est *Joannis Lemovicensis* Monachi Claravallis.

XVI. Tametsi porro *Vischius* in 4. paginis, quibus de hoc *Joanne* agit, nullibi ejus ætatem attingat: commemorat attamen, scripsisse eundem in cæteris *Expositionem* quoque *Moralem Somnii Pharaonis ad THEOBALDUM Navarræ Regem, Campaniæ, & Briæ Comitem.* Rex iste sine dubio fuit hujus Nominis II.[dus], quem obiisse tradunt Ann. 1270. Cujusque Neptem secundo loco duxisse volunt *Rudolphum* I.[mum] Imperatorem, sub Ann. 1284. Quæ si ita sint, nil obstat, quominus fidamus Rubricæ finali MS.[ti] nostri, quæ est: *Explicit OCULUS Fr. JOANNIS LIMOVICENSIS Monachi Clarævallensis Mcclxxxvij.* quo utique Annus Compositionis denotatur, cùm sequatur illico: *Scriptus in Campo Liliorum Mccclxij.* Præstantiam Scriptoris nostri *Joannis* indicant Opera, eidem à *Vischio* è variis Bibliothecis assignata, semper cum Elogio *Monachi Claravallensis.* In præfato quippe *Morali Somniorum* egit de Disciplina in Palatiis Regum observanda. Aliàs commentatus est in Psalmum *Beati Immaculati*: item *in Libros IV. Sententiarum.* Scripsit præterea *Elucidarium Declarationum Religionis*: De Futurorum Præcognitione: de Stilo Dictatorio: Salutationes Metricas ad Christum, Crucem, DEIparam &c. Vir certè undique doctus, si hæc omnia ejus calamum sapiant. Ætas hujus Scriptoris colligitur.

Annus 1288.

XVII. Novus Pontifex *Nicolaus* IV. Literis, Electionem suam nunciantibus, non modò, quod aliàs pro solemni erat, *Theobaldum* Archiabbatem nostrum honoravit, verùm etiam easdem, præter ipsum, primis insuper Quatuor Abba- *Nicolai* IV. Papæ Indulgentia.

tibus, quod nemo Pontificum egerat, hoc Exordio inscripsit. „Dilectis Filiis, *Theobaldo* Cisterciensi, *Rufino* de Firmitate, *Roberto* de Pontigniaco, *Joanni* de Claravalle, & *Dominico* de Morimundo Abbatibus &c. quod planè singulare erat, & affectus haud vulgaris indicium videtur. *Manriqu. Append. Tomi I. p. 522.* Idem quoque Pontifex Archi-Abbati paucos intra Menses quatuor Privilegia magnâ Clementiâ indulsit. Claravallensi quoque, ac Morimundensi, Abbatibus vetera Monasteriorum eorundem Privilegia confirmavit. *Id. ibid.* in Catalog. horum Abbat.

Balduini Abbatis Camberonæ Viri Doctissimi Sermonarium apud nos MS.tum.

XVIII. Camberonæ in Hannonia Abbatialem hoc Anno Clavum suscepit *Balduinus* dictus *de Boussu*, Doctor Theologus, teste *Jongelino* in Notit. Abbatiar. Cist. Libr. IX. p. 39. tenuítque eundem usque in Annum 1293. *Sanderus* porro in Bibliotheca Belgica MS.torum annotavit, Camberonenses sui hujus quondam Abbatis etiamnum ostendere *Commentaria in Libros IV. Sententiarum*, itémque Volumina *Sermonum de Tempore*, *& Sanctis*, aliorúmque *ad Monachos*, *& Moniales*. Exstat autem apud nos pariter spissus Codex in fol. è Membrana constans, paginas CCCLXIV. complexus, & literis mediocribûs Seculi XIV. exaratus: in quo ad Solemnia Festa Domini, Dominæ, atque Joannis Baptistæ, Petri & Pauli, Benedicti, Omniúmque Sanctorum, quamplurimi Sermones continentur, & quidem non singuli in singula Festa, sed ad unum idémque deni sæpe, vel plures, graves omnes, ac docti. Deficit quidem huic Codici finis, neque in fronte sui Nomen præfert Authoris. Verumtamen prope sub medium ejus ille Sermo, qui hìc Nonus est de Ascensione Dominica, hanc circa finem Periodum habet. „Duriùs aliquantulum, cum exprobrante discipulis Domino, dum ab illis recedere vellet, me vobis, Fratres, „locutum confiteor. Sed obsecro, Dilectissimi, qui toties ad „me audiendum promto animo convenitis, orate pro me eni„xiùs ad Dominum, dextram DEI hodie tenentis, ne ego BALD„*uinus* humilis ejus Minister, & Abbas dictus CAMBERONÆ „Vestræ, toties Vobis prædicans Verbum Salutis, pro desertio„ne operum, quia Regnum DEI non est in sermone, reprobus „efficiar: sed, ubi est ille, una vobiscum aliquando sit & Mi„nister ejus.„ Nihil certè ambigo, locutum hìc esse *Balduinum* illum Camberonæ Abbatem Ordinis nostri, de quo suprà *Jongelinus*, atque *Sanderus* loquebantur, & quem *Vischius* pariter *Biblioth. Cisterc.* p. 30. commendat: proinde totum hoc Opus longè plurium quàm Centenorum Sermonum ad illum spectare. Tenemus verò & aliud Sermonarium promiscuum de Tempore & Sanctis, absque nomine Authoris, paris tamen Stili, ac Spiritus, æquè in fol. ac Membranis Charactere minuto Seculi

li XIV.[ti] descriptum paginis CLXVIII. De quo parum absum, ut credam, Sermones istos, unius diei rursum plures, iterum huic *Balduino* deberi: quamvis intutum sit, in tot Sermonum apud Nos Voluminibus Anonymis de Authore ritè decernere.]

Annus 1289.

XIX. Nicolaus Papa *Theobaldo* Archi-Abbati nostro Visitationem Celebris Monasterii S. Dionysii Parisiis conceptâ Bullâ injunxit. *Manriqu.* Append. Tomi I. p. 480. In Hispania *Sanctio* Castellæ Regi *Ruizius Perez* Magnus Militiæ nostræ Calatravensis Magister à fidelissimo semper obsequio, & commodissimo auxilio fuit, maximè, cùm *Tarifa* expugnanda, iterúmque, dum conservanda fuit. Proximum námque erat, ut Munimentum hoc Nobilissimum, jubente Rege, dirueretur, nemine illud in Mauros tueri auso: nisi id ardui Muneris *Ruizius* unacum sua Militia in se suscepisset. Idem postea *Ferdinandi* Infantis Educator, & Magister, Prudentiæ ac fidei meritô, à Rege constitutus fuit. *Manriqu. Append. Tomi III.* p. 25. In *Petrum* II.[dum] quoque Hortæ Abbatem *Sanctius* Rex mirè propensus, eidem quartùm perbenignis Privilegiis favit. *Id. Append. Tomi II.* p. 21.

Commissio Apostolica.

Magistri Calatravæ Merita.

XX. In Bohemia *Wenceslaus* Rex juvenis, *Rudolphi* I. Imperatoris Gener, *Theodoricum* Abbatem Waldsassensem, ex Ossecо assùmtum, cùm primi Regiæ Gubernationis Anni complurium Procerum perfidiâ turbulentissimi essent, *Præcipui Consiliarii* locô habuit, & Prole felix, *Compatris*, honore dignatus est. Hujus absque dubio consiliis, & obsecratione, Rex, atque Regina, unanimi Pietatis contentione, *Coronæ Regiæ*, alioquin *Spineæ*, Cœnobium Cisterciense, ab *Otocaro* Patre Regis antea excitatum, sed, illo cæso, ab exercitu *Rudolphi* Cæsaris, cùm vix decennio stetisset, jam in ruinam impulsum, iterum excitârunt, censûque Regio instaurârunt, nova Colonia Regulari ex Plassio illuc introducta. Votum præterea Cœnobii Cisterciensis planè Novi, *Aulæ* nimirum *Regiæ*, nuncupârunt. *Sartor. Cisterc. bis tert. Latin.* p. 653. *Vernac.* p. 868.

Item Abbatis in Waldsassen.

Corona Regia instaurata.

Annus 1290.

XXI. Concessione *Nicolai* IV. Papæ Archi-Abbati Cisterciensi, ac Quatuor Primis Abbatibus Clementer indultum fuit, ut, quoties Monasteria, eisdem subjecta, vel horum Abbates, Conventus, aut singuli Monachi, Causam suam, propter Adversariorum potentiam, vel sumtuum gravitatem,

Nicolai Papæ Privilegia.

per se agere non possent, ipsi eandem suscipere, & agere per quoscunque Procuratores, partibus, quarum interest, consentientibus, valeant. Item, ut liceat Monacho, per Abbatem ad id electo, in Hospitalibus Monasteriorum nostrorum Confessiones pauperum ibi degentium audire, eísque, citra ullius Juris alieni præjudicium, Sacramenta administrare. *Henriqu. in Cod. Privilegior. post Menolog.* p. 81. n. 45. & 46. Cùm *Stephanus*, Bavariæ Ducis *Ottonis* Frater, Salisburgi, defuncto *Rudolpho* Archiepiscopo, eligeretur, suique Confirmationem Romæ per Oratores quæreret, horum primus à Duce delectus fuit Abbas Raitenhaslacensis Ordinis nostri. Cl. *Hansiz.* Metr. Salisb. p. 420.

Abbatia B. Virginis de Pastro erecta.

XXII. In Mariano Hungariæ Regno, ínque Diœcesi Agriensi, hoc Anno surrexisse traditur Abbatia B. Virginis *de Pastro*, vel, ut alii, *Parasluk*, aut *Paschuk*, Filia *Pelisii*, Fundatoribus ignotis. Quæ verò fatum aliarum plurimarum Abbatiarum ejus Patriæ habuit, ut nempe vel ab hostibus exscinderetur, vel ipsa pauperie in sui desolationem impulsa fuerit. Pauperie, inquam, propter acerbam illam Procerum Legem, tunc magnam partem Acatholicorum, hoc tenore inductam, ut Monachorum quilibet, siquidem Nobili comparabatur, déque Fundatione viveret, Equitem pro se in Castris alere deberet: insuper verò duo cujuslibet Cœnobii ipsimet Castra adire, & Castrensium Capellanorum peragere Munia compellebantur. Quæ res, in summa tam amici quàm inimici Militis in Ditiones Monasticas grassandi licentia, tam nostra, quàm aliorum Sacrorum Ordinum Cœnobia, quorum aliàs Agros & Latifundia, per piissimam Fundatorum largitatem collata, leucis ac milliaribus emetiri labor erat, personis & opibus ita diminuit, & accidit, ut non possent non ad incitas præcipitari. Ita justè dudum conquestus est noster Rev. P. *Malachias Rosenthal* in *Actione S. Ord. Cisterc. pro avitis Hungar. Monaster.* p. 20. & alibi. Abbatia tamen *Pastro*, fervidè instantè Rever.^mo D.^no *Floriano* Abbate Welleradii, jubente Augustissimo *Leopoldo* Cæsare, Ordini restituta fuit, eapropter Capitulo Generali Cistercii An. 1699. Suæ Sacratissimæ Majestati publicas Gratias humiliter persolvente. *Sartor. Cisterc. bis tert. Vern.* p. 861.

Causæ desolatorum in Hungaria Monasteriorum.

§. III.

§. III.
Res Campililii.
Annus 1281.

I. *COnradus* I. Abbas noster, remittente tandem bellorum pro Austria turbine, reductis cum Pace etiam Astreæ benignos radios aliquantulum persensit, crebrò gravitérque violatis hucusque Monasterii Juribus feliciter restitui cæptis. Primus hoc anno Nob. D. *Offo de Arnberg*, quod Castrum, Oppido nostro *Kaumberg* vicinum, hodie propter Capellam inibi consecratam, uno saltem homine Custode servamus, de damnis ducentarum facilè Librarum convictus, composuit cum Præsule nostro, atque coram DD. Abbatibus, Cellensi, ac San-Crucensi, spopondit, se omnes sibi subditos à consimili nostrorum læsione prohibiturum. Si secus faceret, assensit, ut, ex usu Legum ævi illius, compelli possit ad sistendum se, sive Viennæ, sive Nova in Civitate, sive apud S. Hippolytum, nec inde discedere permittatur, donec, composito delicto, id bona nostrorum venia fiat. Quòd si clàm effugerit, reum se Centum Librarum, Monasterio persolvendarum, fatetur. *Actum Wiennæ viij. Kal. Maii 1281.* *Offo de Arnberg componit nobiscum.*

II. Dominis *Lilienveldariis*, qui propter bona Patrui sui *Vritlonis*, circa Monasterium sita, Litem, cujus dudum convicti erant, iterum suscitârunt, *Rudolphus* Imp. sequenti hoc Præcepto Augusto perpetuam quietem injunxit. „Nos RUDOLFUS Dei Gratia Romanorum Rex semper Augustus, tenore „præsentium, ad universorum, tam præsentium, quàm etiam „futurorum Notitiam volumus pervenire, publicè protestantes: „Quòd, Nobis pro tribunali sedentibus in Wienna, comparuerunt coram Nobis Honorabiles Viri, Abbas & Conventus „Monasterii in *Lilienuelde*, Dilecti devoti nostri, & obtinuerunt „per Justitiam, omnium astantium Fidelium nostrorum applaudente frequentia, quædam Bona, seu Redditus juxta suum Monasterium. Super quibus inter ipsos, & *Lewpoldum*, & *Chunradum*, & *Ottonem*, Fratres *de Lilienvelde* ac Germanos, Lis „diutius fuerat agitata: & in quibus succubuerunt in judicio „tempore Incliti quondam Domini O*tocari* Regis Bohemiæ *Lewpoldus*, & Fratres sui prædicti, sicut etiam, ut est dictum „coram Nobis, per sententiam in causa hujusmodi defecerunt. „Unde Nos *Lewpoldo*, Fratribus, & Hæredibus suis, super dictis Bonis, seu redditibus, perpetuum silentium imponentes, „ipsis firmiter præcipiendo mandamus, ne præfatos, Abbatem „& Conventum, in memoratis Redditibus de cætero audeant ali- *Rudolphus Imp. DD. Lilienveldariis imponit silentium.*

„qua-

, qualiter molestare. *Datum Wiennæ iij Non. Maii Indict. XI.*
, *Anno Domini Mcclxxx. primo, Regni verò nostri Anno Octavo.*,

Fridericus Episc. Frising. concedit nobis Mansos in Probstorf.

III. Uti porro jam alias adverti, quæ primùm donata fuerant Monasterio, postea emtione, vel censu redimi debuisse, nunc etiam *Conrado* Præsuli nostro evênit. Munificentiâ Seren.[mi] Ducis Fundatoris collati nobis fuerunt Mansi duo, sive Domus, in *Probstorf*, ac tertius in *Schanna*: quæ utraque Villa olim à Ducibus Austriæ feudi beneficio ab Ecclesia Frisingensi tenebatur. Cæsar autem *Friderico* Episcopo, pro compensandis Ecclesiæ Frisingensis damnis, quæ in Austriæ Bonis ex bello percepit, ambas Villas ex integro remisit, atque concessit: quo pacto Mansi quoque nostri, ibidem existentes, Juris Frisingensis effecti fuerunt. *Conradus* verò Abbas, nostrique, apud Episcopum supplicandô tamdiu institêre, donec nobis eosdem jure emphiteutico, erga annuum videlicet censum 18. Solidorum, salvo etiam nobis juxta Privilegia nostra Jure Provinciali, in perpetuum indulserit. *Wiennæ XIII. Kal. Junii.* Subscripserunt

Professi nostri:

Instrumento huic, quod integrum vulgatum est *Histor. Frising.* Tom. II. Part. II. Instrum. n. 175. p. 104 apud nos verò autographum exstat, è Fratribus nostris *Ludwicus* Prior, *Herwicus* Senior, *Fridericus* Sacrista, *Gundoldus* Camerarius, *Stephanus* Cellerarius.

Mellicenses vendunt nobis Decimam in Radeprun.

IV. Postremùm adhuc Præsul noster à D. *Gerungo* Abbate, ac Conventu Mellicensi, debitorum, pro necessitate contractorum, gravitate oppressis, integram Decimam tritici, siliginis, hordei, & avenæ in Radeprun, numeratâ magnâ talentorum summâ, coëmit, cùm pacto tamen de retrovendendo post elapsum proximum decennium. *Actum in S. Ipolito III. Kal. Junii.*

Post hæc abdicavit *Conradus* I. Abbas.

Disertè in hoc Instrumento nominatur *Chunradus* Abbas. Abindè verò pervigil hic in Jura domestica præsul, anteriori jam Decade tot utilissimis, maximique momenti Actionibus Chartarum suffragio celebratus, Falces apud Nos posuit, vel Virtute persuadente, vel Senio prægravante, nisi utrùmque eum persuaserit. Veteres quidem Catalogi nostri Abbatiales eum pacificè decessisse tradiderunt An. 1280. invitâ verò Minervâ, cùm hìc ad usque Majum exeuntem postrema in Charta manifestè legatur, biennio autem postea cum elogio, *quondam Abbas*, adhuc inter Testes compariturus sit. Diem tamen Obitus ejus, & Cognomen, legimus in *Necrologio* nostro die 10. Augusti, insinuata simul ejusdem abdicatione, ubi sic notatum est: *VIII. Id. Augusti CHUNRADUS PRIMINGARIUS Sacerdos & Monachus, quondam Abbas hujus Loci.* Quod nostri Catalogi Abbatiales perperam de *Conrado* II. acceperunt.

Successit *Georgius* I.

Excepit eum Octavo Loco *Georgius* I.[mus], tam brevi verò Regimine, quod medium forsitan annum non expleverit. Certum

tum eum apud nos reddit Instrumentum unicum Transactionis, quam fecit inter geminos Cives Wilhelmspurgenses *Vritlonem* & *Offonem*, uti Charta habet, super Hæreditate *Viti de Pyrrba*. Subsignantur hæ Literæ, quæ Nomen ejus in fronte, iterúmque in Sigillo referunt, *Ze Lilinvelt an der Zwelffpoten Tailunch* (i. e. in Divisione Apostolorum 15. Julii) An. 1281. *Marquardus de Zinzendorf Miles*, cum Uxore *Christina*, Filio *Ottone*, ac Filiabus *Albaide* & *Christina*, eligentes apud nos, ubi Filius eorum *Chunradus* Professus commorabatur, sepeliri, donârunt nobis Predium *Slett*, solvens annuatim duo talenta cum dimidio, nósque statim in ejus possessionem immiserunt, nullo sibi penitus jure in eodem, aut in id reservato, *VIII. Id. Decembris*. Chartam hujus Donationis integram dabo *Tom. ult. inter Familias in Z.* ejusque fundamento Stemmatologiam vulgatam Jllustrissimæ hodie *Zinzendorfiæ* Domus, quantùm ad Avos Supremos, emendabo. Hic solummodo libet Exordium Chartæ hujus afferre, unde pium quiescere nobiscum petentium Motivum innotescat, sic exsplicatum. „Sacri docent Canones, „suadétque Ratio naturalis, unumquemque fidelem, salutis „propriæ non immemorem, ibi velle Sepulturæ tradi, ubi & ra„tione Loci, & Religiosarum Personarum Merito, amplioribus „Orationum Suffragiis adjuvatur. Noverint igitur Universi „&c. „ Cùm etiam D. *Albaidis de Hohenwart* legâsset nobis Curiam, ac Vineam, Agrósque geminos, & Nurus ejus *Albaidis*, relicta Filii illius, hanc Donationem, unacum Novo Marito suo *Henrico de Dachpach*, impugnâsset: D. *Stephanus de Meissaw* in Arbitrum electus, eas Possessiones Impugnatoribus Jure Vitalitio, cum pacto non deteriorandi, addixit, à morte eorum non ad hæredes devolvendas, sed ad nos reversuras. Utraque hæc Actio an pariter sub *Georgio* Abbate, an verò, eo citiùs defunctô, jam sub *Ludovico* Successore celebrata fuerit, ex Instrumentis, quæ Nomen Præsulis non habent, pronunciare non licet.

DD.ni *de Zinzendorf*, quorum unus hic professus, cupiunt sepeliri apud nos.

Transactio cum D. *Albaide de Hohenwart*.

Obitus *Georgii* I. Abbatis.

VI. Convenit porro hìc pariter adscribere Paragraphum illum Anonymi *Leobiensis* apud Cl. *Hier. Pezium* I. col. 855. notatum sub epocha Anni 1281. in hunc modum. „Mense Au„gusto IV. Non. tonitrua, grando, coruscationes, & impetus „pluviarum fit in Austria: ita, quòd minimæ ripæ ex inspe„rata velocitate accrescendo, homines extinxerint. Venti quo„que nimiùm validi circa *Lilienveld* Supellectilia, veluti sunt „dolia, & Scrinia, ultra Montes ad quatuor stadia detulerunt. „ Idem, licet ad Ann. 1280. totidem verbis Anonymus *Zwetlensis* apud eundem *Pez.* col. 987. transcripsit. Ego fidem dictorum Authoribus relinquo.

Campililii ventus vehementissimus.

Annus 1282.

Ludovicus Abbas noster, paulò pòst abdicans.

VII. IN *Georgii* I. defuncti locum Abbatiale Munus Nono loco aliquantisper gessisse Campililii *Ludovicum*, illum puto, qui proximè anterioribus annis cum *Cellerarii*, deinde cum *Prioris* elogio Literis testatus est, luculentum reddit Charta illa, qua in Conversione S. Pauli, i. e. die 25. Januarii præsentis Anni, ut Feudi Dominus, Sigillo suo, Nomen ejus disertè referente, testatus est Venditioni *Gneuslonis* in Hainvelden. Ne verò in Veteribus Abbatialibus Catalogis nostris locum obtineret, nimia, credo, fascium brevitas effecit: quos 15. Martii *Wiccardus* jam tenuit. Ejus tamen, ut *quondam Abbatis*, memoriam in Charta quapiam sequentis Anni adhuc videbimus. *Wiccardi* nostri Mentionem reperi in Vita Venerab. *Wilbirgis* Reclusæ, per *Eynwicum* Præpositum San-Florianensem scripta, perque Cl. *Hier. Pezium Tom.* II. à Col. 216. post Fratrem iterum vulgata: ubi de *Gutolfo* San-Crucensi Monacho, ad *Wilbirgim* invisente, ita lego. „Quodam autem tempore, cùm ad eam „devotionis intuitu, non sine longi laboris fatigatione, venisset „cum duobus aliis Monachis, *uno* de Campoliliorum, qui vocabatur WICHARDUS, & eandem postea Abbas factus rexit „Ecclesiam, altero de Paumgartenperig, Nomine *Rudigero*, Viro utique Religioso &c.„ Abbatiale *Wiccardi* Elogium nostris in Catalogis tale est. „*Nonus* (corrigendum Decimus) „WEICKARDUS præcipuè laudatur à Benignitate in pauperes, quam Virtutem, à Præcessoribus in manus traditam, commendatiorem transmisit ad Posteros.„ Testimonium statim Literæ publicæ dabunt.

Successor *Wiccardus*.

Alberonis de Scheurberch Donatio, pactúmque Sepulturæ.

VIII. Chunradus *de Chigelinge* Domino *Weiccardo* Abbati vendidit Mansum, sive domum in Kaunberg juxta Hainfeld *Idib. Martii*. Qua ex Charta liquidò docemur, hunc Abbatem tertio jam Anni hujus Mense Campililii ad Clavum sedisse. Eidem *Albero de Scheurberch*, cujus Filius *Henricus* apud nos jam sepultus erat, unacum Uxore *Margaretta*, alteróque Filio *Ottone*, donavit predium Schiltpach, levandæ nostræ paupertatis, & suæ Sepulturæ ergò, ut Fratribus canula ovis Augeatur, *viij. Kal. Augusti*. Chartam suam ita inchoavit. „In Nomine Domini, Amen. Cùm inter Opera Charitatis non minima Pietas censeatur, Religiosorum Virorum, Domino jugiter famulantium, necessitatibus subvenire: Hinc est, quòd ego ALBERO dictus Miles *de Schewerberch* constare cupio universis, præsentem paginam inspecturis, quòd, consideratis defectibus, quos Religiosi Viri, *Fratres* videlicet *de Lilienveld* Ordinis Cistercienss, Voluntariè sustinent propter DEUM, dum sibimet subtrahunt frequenter, quod & in Usus expendant Pauperum

„rum, ac Hospitalitatis Gratiam omnibus supervenientibus magno „devotionis studio largiantur: Ipsis, Divinæ Remunerationis in„tuitu, ac Sepulturæ meæ &c.„ Domina *Margareta de Puechperg* Vidua, unacum Filia *Margareta*, contulit nobis omnes, quas habuit, Possessiones in Chrems, Strazing, & Radeprun, à morte sua possidendas, aut statim, erga sustentationem suam, à nobis apprehendendas, ad Mensam Fratrum meliorem, & maximè infirmorum solatium: *In Ramelspach ante Ecclesiam in Cemiterio ad manum Domini WEICHARDI Abbatis in Lilinveld, in præsentia Domini Stephani de Meissawe Marschalci per Austriam Anno Domini Mcclxxxij. pridie Non. Augusti.*

Item D. *Margaretæ* de Puechperg.

Annus 1283.

IX. DOminum *Wiccardum* Abbatem nostrum solemni illi Exceptioni *Alberti* I.^mi Novi Austriæ Ducis, à *Rudolpho* Augusto Patre instituti, in Reliquo Provincialium Cœtu interfuisse, ut facilè crediderim, teste tamen aliquo fide digno perhibere non possum. Domini *Rapoto* & *Otto de Wildeck* Predium quoddam in Hainfeld, olim à Patre suo *Rapotone de Altenburg* pro pecunia sibi à nobis mutuò data pignori suppositum, ex integro Nobis vendiderunt. VIII. Idus Martii.

Wiccardus Abbas videtur interfuisse Exceptioni *Alberti* Novi Ducis.

X. Dominus *Fridericus* Electus Mellicensis, dum hoc Inclitum Monasterium gravi solutione Decimæ, pro Recuperatione Terræ Sanctæ à Concilio Generali Lugdunensi sub *Gregorio* Papa X. indictæ, admodum urgeretur, unacum Capitulo suo, Decimas Granarias Radeprunnenses, quas *Gerungus*, Antecessor ejus, Abbati nostro *Conrado* pro decennio duntaxat elocaverat potiùs, quàm venûm dederat, nunc perpetuo Emphiteusis Contractu vendidit, remisso pacto priori de retrovendendo, annuum solummodo Modium purioris tritici, his è Decimis provenientis, & à nobis pendendi, sibi ac Monasterio suo stipulatus. Celebratus est hic Contractus *Cal. Septembris* anno præsenti. Quoniam verò Electus, necdum autem confirmatus Abbas, tunc Sigillo caruit, novis postea Literis hanc Venditionem firmavit *An. 1285. Idib. Novembris.* Mutuæ Literæ *Wiccardi* Abbatis nostri, signatæ *Mellicii Kal. Septembris* 1283. referuntur à Cl. *Huebero* in *Austr. ex Archiv. Mellic. illustrat.* p. 29. n. 9.no: Ubi è nostris testati sunt *Henricus* Prior, *CHUNRADUS & LUDOVICUS quondam Abbates*, *Gundoldus* Camerarius, *Stephanus* Cellerarius, *Fratres & Monachi nostræ Domus in Lilinvelde.*

Fridericus Abbas Mellicensis Decimas in Radeprun perpetuò nobis vendidit.

Professi nostri.

XI. Hac è Charta invictè conficitur contra Catalogos nostros, *Conradum* I. Abbatem nostrum An. 1281. non obiisse, sed Præsulatu solùm abscessisse: deinde præfuisse aliquando apud Nos

Observationes ex hac Charta Venditionis.

Nos *Ludovicum*, omnibus antehac ignoratum, eúmque similiter abdicâsse. Cæterum vox illa *Modius*, qua censum annuum ac perpetuum, à Nobis Mellicio pendendum, expressit *Fridericus*, lapsu temporum trium propè Seculorum Litem procreavit, nostris eam pro *cubulo*, Mellicensibûs pro *Mutone* interpretantibûs: quæ non antea sublata est, quàm Census iste à nobis pecuniâ non minimâ in perpetuum redimeretur. Decima porro proventuum pro Terra Sancta, quæ Inclitum Mellicium hanc ad Venditionem coëgit, Campililium quoque citra dubium nonnulla portione contigit, ab Ordine eidem indicta: qui Reddituum omnium Decimam una Comuni præstatione Centenarum millium Librarum compensare, nullo Immunitatis Privilegio hìc valente, coactus fuit.

Annus 1284.

Martinus Papa IV. confirmat Bona & Jura nostra.

XII. Sederunt Romæ post *Urbanum* IV.tum, cujus postremi Confirmationem Possessionum, ac Jurium omnium Campililiensium de AN. 1263. laudaveram, seni omnino Pontifices, donec ordo verteret ad *Martinum* IV.tum. Verumtamen longum subinde Interpontificium, ac breve Paparum Regimen, fluctuantis præterea Austriæ turbæ, causa, puto, fuerunt, cur per Vicennium integrum DD.ni Abbates nostri Sanctæ Sedis Apostolicæ Novum Patrocinium commodè implorare non potuerint. Pacatiori verò nunc tempore D. *Wiccardus* Abbas non defuit Muneri suo, & ex *Martino* IV. Papa novam hoc anno Confirmationis Bullam brevem ac generalem impetravit, datam *apud Urbem veterem Calend. Junii Pontificatus Anno Quarto*. Impetentibus deinde Nos super Curia quadam in Inzerstorf *Chunigunde* aliqua, cum Sponso, ac Socero suo, *Albertus* Novus Austriæ Dux publicis Literis, *Wiennæ xiij. Kal. Novemb.* editis, testari dignatus est, Laudô coram se celebratô, Actores ex Arbitrio Sapientum omni adversum Nos juri, & actioni cessisse.

Albertus Dux Campililio favet.

Annus 1285.

Acta DD. de Sunberg, aliorúmque nobiscum.

XIII. Domini ac Germani *de Sunnenberg*, plures numero, varia nobis Predia atque Feuda in Neusidel vendiderunt, tribûs Chartis desuper editis, iisque vernaculis: quarum postrema disertè *Wiccardum* Abbatem nostrum ex nomine appellat, in die Ascensionis Domini signata. *Henricus de Laubenberg* cum Uxore donat nobis Vineas in Pisting, erga Sepulturam suam, ac Anniversarium. *Wigantus de Murberch* fassus est nobis Donationem, & Legatum Parentum, apud Nos quiescentium. Hìs utiliter pro Monasterio actis, D. *Wiccardus* Abbas Religiosa morte vitæ hujus agonem, atque Ministerii sui laborem conclusit, Mense, ac Die, nobis incertis, verosimillimè autem, hoc anno exitum jam spectante. Secùs namque eundem

D. Wiccardus Abbas obiit.

repe-

reperissemus utique in *Necrologio* nostro, quod hodie foliis ultimi Mensis destituitur.

Annus 1286.

XIV. SUccessit *Wiccardo*, vel finiente priori, vel ineunte præsenti hoc Anno, *Conradus* II.dus, Præsulum nostrorum Undecimus: cui Majores nostri hoc Elogium scripsêre: *Adeò institit Antecessoris piæ Largitati, ut aliorum non diu post beneficentiâ indiguerit.* Nomen ejus primùm occurrit in Charta *Hermanni Visinch*, eidem certos Redditus Molendini *in Prava Villula* (vulgò *Bös Dörfel* juxta Wilhelmspurg) vendentis iij. Kal. April. i. e. Martii die 30.ma Ab *Henrico* Inferioris Bavariæ Duce felici supplicatione obtinuit Immunitatem Telonii in Burghausen & Scharding, pro devectione Salium nostrorum Salisburgensium, erga Anniversarium pro Serenissima Bavarica Domo. Signata Ducalis Charta *apud Landshutam festo S. Georgii Martyris.* Nobilis D. *Otto de Perchtolsdorf* contulit eidem in Weimprechtsdorf Mansum unum.

Quem excepit Conradus II.

Henricus Bavariæ Dux largitur nobis Immunitatem telonii.

Annus 1287.

XV. MEmorabilem Campililio præsentem hunc Annum præ cæteris reddidit Clementia Serenis.mi Austriæ Ducis *Alberti I.*mi, aliquoties, Autographis Literis testibûs, in nos exsplicata. Primùm namque *Newnburgæ in Crastino Epiphaniæ*, die nimirum mox insequenti, *in Placito publico*, Abbatem nostrum *Chunradum*, quem scribit *Honorabilem, Devotum, Nobis Dilectum*, absolvit à Lite *Ulrici de Utendorf* circa Bona in Laim apud Eschenau, & Actori silentium imposuit. Deinde eadem die pari modo nos liberavit ab impetitione *Wichardi de Pebrarn*, possessionum ac jurium causâ in Lehenleiten, & Haindorf. Rursum judicavit pro Nobis *Newburgæ IV. Id. Januar.* adversus disceptationem *Hadmari de Wesen* ob sylvam prope Ochsenburg. Tandem *Wiennæ Idib. Julii* amplissimo solemnique Diplomate confirmavit nobis Panchartam Augustissimi Parentis *Rudolphi* I. Imperatoris, adjecta Immunitate Navali Salium nostrorum Salisburgensium, & Educilii publici facultate Viennæ, ac Cremsii.

Albertus Austriæ Dux confirmat omnia nostra & variè tuetur.

XVI. Uti porro tanta Clementia Principis Vigilantiam Præsulis nostri pro Bono Campililii sui luculentè commendat: ita pariter Largitatem illius in pauperes Charta sequens Civium Novæ Civitatis, quam integram apponere juvat, nobili testimonio asseverat. „In Nomine Domini, Amen. Cùm Viris „Religiosis, Ecclesiam DEI ædificantibus verbo, & exemplo, „Divina Lege omnis intendere debeat Christianus: Hinc est, „quòd Nos, *Rudolfus* Judex de Nova Civitate, & *Lutoldus* Ma-

Nova Civitas indulget nobis jus propinandi vina.

Literæ Urbis.

 „gister

„gister Civium, omnésque Jurati ejusdem Civitatis, attenden-„tes, ac piæ considerationis oculis intuentes, quòd *Sancta illa* „*Plantatio Monasterii de Campo Liliorum*, per illustrem ac Di-„lectissimum quondam Dominum nostrum felicis recordatio-„nis Ducem LEUPOLDUM in honorem DEI, & Gloriosæ „semper Virginis MARIÆ instituta, *propter multitudinem Perso-„narum ibi Domino famulantium, nec non propter frequentiam* „*Hospitum, & Egenorum ibi confluentium*, sine Fidelium adjuto-„rio, inter tot pressuras, & onera vix valeat respirare: de com-„muni consensu omnium Civium nostrorum, ac totius Uni-„versitatis nostræ, prædicti Monasterii Fratribus, qui, cum „suis Antecessoribus, Nobis, & toti Universitati nostræ, sem-„per exstiterunt Fideles, & devoti, duximus indulgendum, ut „viginti carratas vini in Curia ipsorum, quæ in Civitate nostra „sita est, deponere debeant, & propinare, ac in alios usus suos, „prout ipsis placuerit, convertere valeant, auctoritate & testi-„monio subnixi præsentium Literarum. In cujus rei vigorem, „& valorem perpetuum, præsentibus nostrum Sigillum com-„mune duximus apponendum. Acta sunt hæc Anno Domini „Mcclxxxvij. iiij. Kal. Junii, præsentibûs testibûs infrascriptis: „Videlicet *Engelberto* dicto Wurz, *Heinrico* Wurflario, *Sighar-„do* Fertone, *Rudelone* dicto Leubel, *Rudegero* Crispo dicto de „Nova Sylva, *Chunrado* de Prodansdorf, *Heinrico* Leubel, *Eber-„hardo* Notario Civitatis, Civibus nostris, & aliis pluribus fi-„de dignis.„

Acta alia Præsulis nostri cum variis.

XVII. Præter hæc Dominus *Conradus* Abbas noster à *Dietrico* Milite *de Inczesdorf* emit redditus certos cujusdam Domus Wiennensis, quæ erat *Jutæ Smerberinnæ*. Item à *Godfrido* de *Puechperg* Areas, ante Curiam nostram Wilhelmspurgensem sitas. *Ulricus* & *Bernardus de Schönleuten* vendiderunt *Bernardo Lilienveldario* Curiam quamdam in Stainpach ea lege, ut quotannis, Census locò, Ecclesiæ nostræ modiam libram ceræ pendere debeat. *Pernoldus* Miles *de Telesprunn* coram ipso *Alberto* Austriæ Duce obstrictus fuit renunciare Juri Provinciali, ad nos attinente, quod in Villa nostra Wizelstorf usurpaverat.

Annus 1288.

XVIII. NObiles Domini, *Otto de Rastenberg*, & *Albero de Hohenstein* Fratres, *Reverendo in Christo Patri & Domino CHUNRADO Abbati, nec non devotissimo Fratrum Collegio in Campoliliorum*, uti scribebant, pro Remedio Animæ suæ duo Feuda in Roseldorf allodialia reddiderunt V. Kal. Februarii. Nemus præterea, quod dicitur Hünerberg circa Pfaffsteten,

ſteten, paris meriti intuitu, nobis infra condignum vendiderunt eadem die. *Heinricus de Lapide*, ſive *Steiner*, Miniſterialis Auſtriæ (*des Herzogen Dienſtmann von Oeſterreich*) ut habet Charta vernacula, cum Filio *Ottone*, vendidit nobis Molendinum juxta Rueprechtshoven *in Hauſekke feria 4.ta Paſchæ.* Contractum hunc Emtionis Venditionis iniiſſe ſcribuntur *Ludovicus* Prior, & *Chalbochus* Camerarius, vice Domini Abbatis *Chunradi.*

Annus 1289.


XIX. H*Admarus de Schônberg* vendidit nobis dimidium feudum in Schönbichel, & indulſit, ut Coloni noſtri ibidem gaudeant eodem jure in paſcuis, & inſulis, quo ſui, Jus hoc vulgariter *Ebenteuer* appellari deſignans. Dominus *Leutoldus de Chunring* in Tiernſtein Pincerna Auſtriæ, donavit Nobis Curiam in Strazing, hæreditate ad ſe devolutam, omnique onere liberavit. A *Bernardo de Schönleuten* emit *Conradus* Abbas Curiam, & Molendinum, ac Sylvulam juxta Prunsbach. Item à *Weichardo de Töpel* totam Villam Werſenſchlag, cum attinentibus omnibus Curiis, Molendinis, ac Feudis.

Annus 1290.

XX. PErgebat hoc anno ſolicitus Poſſeſſionum ac Proventuum Abbas noſter plurima iterum Bona Monaſterio acquirere, ab *Alberone de Schwarzenau*, *Heinrico*, & *Walbrunno Cinckiis de Lindenberg*, *Ulrico de Merkenſtein*, *Offmeia de Haag*, *Chunigunde de Purckhauſen*: quæ omnia exactiùs Tomo ultimo in Familiis recenſebo. Expoſuit in has Emtiones grandem ſanè pecuniam, Reique Oeconomicæ ſtudia inſigni ductus eſſe convincitur. Sed Bona ultra Danubium, cùm perſæpe Aquarum exundationibus, atque direptionibus hoſtium expoſita fuerint, haud ſemper tantum commodi, quantum detrimenti, afferre conſueverunt.



DE-



DECAS X.

Ab Anno MCCXCI. usque ad Annum MCCC.

§. I.

Res Principum & Patriæ.

Alfonso Aragoniæ Regi defuncto successit Jacobus Frater, Siciliam non dimittens.

I. AGente per Legatos *Nicolao* IV. Papa cum *Alfonso* Aragoniæ Rege, *Petri* defuncti Filio Seniore, conventum erat, ut ipse Regnum Patris quietè teneret, *Carolus*que Valesius Gallus Jus in illud, à *Martino* IV. Papa sibi concessum, remitteret: contra verò *Alfonsus* Fratrem suum *Jacobum*, & Matrem *Constantiam*, ab occupatione & infestatione Siciliæ dehortaretur, quin & armis adigeret, omnèsque è Sicilia Aragonios Milites edicto severò revocaret. Hunc verò inter Tractatum subita Mors *Alfonsum* rapuit, Regnúmque Aragoniæ *Jacobum* Fratrem spectavit. Sic ille potentior, Siciliæ Regnum tantò sibi jam fortiùs retinere contendit. Magnopere id Pontificem angebat: qui & *Carolo* Neapolitano utramque Siciliam quietè asserere totis animis nitebatur, ac præterea Pacem plenam in Regnis Christianis unicè cupiit, ut communi Expeditione Sacra à Regibus in Palestinam iretur: quæ, occupata jam etiam Ptolemaide, tota in Potestatem Saracenorum devênit. Quapropter quaquaversum dimissis Legatis, & Epistolis, Reges omnes in hoc Bellum exhortatus est, Archiepiscopis verò omnibus Provincialium Synodorum Celebrationem injunxit, in quibus de Mediis suscipiendæ Expeditionis Palestinæ consuleretur. Ast hic omnis conatus in sicco adhæsit: cùm DEUS flagitiosam Christianornm in Terra Sancta Conversationem, & refrigescentem Charitatem, ejectione indignorum ulcisceretur. De quo videndus *Raynaldus* h. a. p. 436. n. 6. sq.

Capta per Saracenos Ptolemaide, Nicolaus IV. Papa Expeditionem sacram frustra optavit.

II. RUDOLPHUS Imperator, immensis pro restituendo Imperio Laboribus unacum Vita proximè defuncturus, sacro hujus Expeditionis Negotio, teste *Spondano* in Epitom. h. a. n. 18vo. præ cæteris incumbere se velle præsetulit, rémque in Comitiis Publicis tractare spopondit: maximè, cùm ejus Auxilium jam antea

Eam promovere Cæsar spopondit per Comitia.

antea Patriarcha Hierosolymitanus imploraverit, cujus Literas *Czerwenka* p. 132. adscripsit: Ea porro ad Comitia *Meinhardum* pariter Ducem Carinthiæ evocavit, Diris Pontificiis iñodatum, quia in Episcopum Tridentinum durius æquo processerat. Quocirca Cæsar *Nicolao* Papæ obsecundare proposuit, per Epistolam, quam affert *Raynaldus*, ab se flagitanti, ut *Meinhardum* vel ad Officium compelleret, vel sua à comunione, tametsi Socerum, Religionis attamen causâ, quæ affinitate potior esse debet, excluderet. Inter hæc Badenæ commoratus, ibidem *X. Kal. Martii* Abbatiæ Illustri *S. Blasii* Contractum quemdam Emtionis Venditionis, cum *Hugone de Tuphenstein* initum, confirmavit. Alio quoque Decreto homines, qui servili conditione forent, inhabiles ad Munus Judicis in Valle *Suiz*, administrandum pronunciavit. Utrúmque Diploma redhibet Cl. *Herrgott* Vol. III. p. 545. & 548. n. 658. & 662.

In forum vocavit *Meinhardum* Soccerum Papæ gratiâ.

Ejus Diplomata.

III. Fuit verò Pontifici alia quoque scribendi ad Imperatorem causa, à nemine, quem legerim, commemorata, præterquam à solo *Raynaldo*, ipsam Epistolam reddente p. 447. n. 48. Ex quo nempe *Ladislaus* Hungariæ Rex improbus à Cumanis occisus fuit, prole destitutus: Tartaros & Cumanos, Regni potiundi libido invasit. Cæsar autem, Hungariam in tutela & fide Romani Imperii esse edicens, ejus Administrationem interea Filio suo *Alberto* Austriæ Duci concredidit: apud quem *Andreas* Venetus, Regis *Andreæ II.* dicti. Hierosolymitani Nepos, ab Ungaris evocatus, cum Familia sua demorabatur. Magnatum alii in *Wenceslai* II. Regis Bohemiæ Filium, alii in *Ottonem* Bavariæ Ducem, tanquam à Filiabus Anteriorum Regum progenitos, inclinabant. Tandem Carolus II. Neapolitanus, qui *Ladislai* Sororem Conjugem habebat, hoc Regnum Filio suo ante omnes deberi existimavit. Universis *Nicolaus* Papa intercessit, ajens, Ungariam Apostolicæ Sedi à S. *Stephano* Primo Ungariæ Rege Clientelari obsequio delatam, non posse jam, extincta Regia Stirpe, aliter, nisi è nutu Ecclesiæ, obtineri. Quocirca mandavit Archiepiscopo Strigoniensi, ut hoc Competitoribus omnibus denunciaret, neque cuiquam eorum Regni illius invasionem, aut occupationem permitteret. Submisit quoque Legatum *Joannem* Episcopum Aesinum, qui idipsum curaret, maximè verò *Rudolphum* Imperatorem, ac Filium *Albertum* Ducem, hujus rei commonefaceret, eósque hac ab occupatione absterreret, ipse quoque conceptâ Epistolâ utrumque dehortatus. Neminem hoc adnotâsse ideò arbitror, quia Mors Imperatoris, & subsecutæ Ducis *Alberti* turbæ, Consilium omne de Hungaria occupanda in herba præciderunt.

Ungariæ Rege vacantis, Administrationem *Alberto* Duci Filio demandavit.

Regni hujus varii Rivales.

Quibus Papa intercessit.

IV. Erfordiæ, aut alibi, apud Principes convenientes laborâsse *Rudolphum*, ut *Alberto* Filio Vota pro Successione Imperii

Cæsaris infirmitas lethalis.

colligeret, plures quidem è Recentioribus tradunt: cujus tamen in veteri Historia tutam fidem haud reperio, nisi eò traxeris, quod Annales *Colmarienses* ita brevissimè habent. *Rex RUDOLFUS Curiam celebravit non ad suam per omnia voluntatem.* At in eo ferè convenit inter omnes, quod *Albertus* Argentinensis refert, Cæsarem, febre correptum, cùm & à Medicis audisset, pauculos duntaxat sibi dies superesse, mortémque jam ipse in visceribus persensisset, dixisse ad suos: *Eamus Spiram ad Reges.* Coactum tamen vi morbi, Germersheimii in Oppido juxta Spiram subsistere debuisse. Ibi eum reperio *Idib. Junii* Canoniæ Regulari *Denckendorfensi* adhuc omnia Bona & Jura confirmâsse, Diplomate apud *Besoldum* in Document. Monasterior. Wirtenbergens. p. 468. existente. Extraxit autem ibidem & Morbum, & Patientiam, abinde Mense adhuc integro: tandem quàm Religiosissimè ad finem beatum procuratus, die 15. Julii in Domino decessit, Spiram adductus, Justísque Regiis ad Patres Augustos appositus. Diem hanc Mortis, cum *Sterone*, itémque Chronographo *Salisburgensi*, pariter testatur *Necrologium* nostrum, his verbis, minio, ac literis coævis notatam: *Idus Julii RUDOLFUS Gloriosus Rex Romanorum.* Consentiunt *Necrologia* Helvetica, *Wettingense*, & *Murense*, cum Codice *Basileensi*, juxta Cl. *Herrgott* Vol. I. p. 127. n. 7.mo. Unde jam nemo recipit Epitaphii Regii Inscriptionem, qualem eam *Albertus* Argentinen. apposuit. *Anno Domini MCCLXCI. Pridie Cal. Octobris Obiit RUDOLFUS DE HABSPURG Romanorum Rex*: ubi litera numeralis L. epocham appositam penitus vitiat. Apud *Birckennium* quoque Spec. Honor. Austr. p. 374. voculæ *XVIII. Id. Augusti* manifestum sunt Mendum Grammaticum, fuerátque pro *Id.* ponendum *Cal.* quo pacto dies Julii 15. quidem prodiret, quæ tamen *Idus* vocatur.

& Obitus pius.

V. Conclusit itaque Gloriosus hic Monarcha Anno ætatis, ut computant, supra septuagesimum tertio, Imperii Octavo decimo, quem semitertio Mense exeunte complevisset; conclusit, inquam, quod in eo desinere potuit, vitam nempe mortalem, famâ, dum stabit Mundus, victurus. Sic vixit, ut Vita ejus DEO semper devota, hominibus optabilis esset. Sic imperavit, ut Imperio se non utilem solùm, verùm & necessarium probaret. Sic pugnavit, sic vicit, sic triumphavit, *Victoriosi* Elogium propriæ dextræ meritò consecutus, ut potentium adversus humiles fastum deponeret, nemini humilium fastidio esset. Majestatem Comitate summa temperavit: Justitiæ sociavit Clementiam: Fortitudini Prudentiam junxit. Ergò quousque à probis Fasti scribentur, RUDOLPHUS, Veteris Imperii Mirabilis Restitutor, Novi Austriaci felicissimus Conditor, semper audiet *Optimus Maximus Augustus.*

Elogium ejusdem supremum.

VI. *Albertus* Dux, quem Vota Principum nolebant, fata verò Imperio destinaverant, domi in Austria Parentem Augustum, teste *Hageno*, splendidissimis Inferiis piavit. Sed Subditi discoli, Austrii pariter, ac Stirii, gravissima in eum conspiratione infremuerunt. Gliscebat hæc flamma jam superioribûs annis, quòd utriúsque Provinciæ Reguli DD.nos *Walseanos*, *Landenbergium*, Suevósque alios, Stirii præcipuè Abbatem Admontensem, in primis Aulæ, Consiliique subselliis ferre non vellent. Inobedientiæ tamen suæ, Rerúmque novarum studio, colorem æquiorem inducturi, insuper causabantur, sua sibi Privilegia, quæ Babenbergici Principes olim benignè indulserant, non servari, & ampliùs indies accîdi. Presserunt attamen iram, dum viveret Imperator, cujus prudentiam pariter, ac potentiam, affectúmque in Filium, quem Natura consevisset, extimuerunt. Hoc verò defuncto, utrúmque querelarum Caput, missis nunciis, audacter Duci oggesserunt, ni tolleret, obsequium negantes. *Alberto* insolentia petendi præ postulatis dolebat. Unde reposuit, quod ferunt, se sibi violatorum Privilegiorum, quorum usus *Otocari* tempore viguit, quémque Cæsar Pater confirmâsset, conscium non esse, ampliora se nec debere, nec velle indulgere. Ministerialium electionem se penès, non subditos esse, quorum causâ immutaturus sit neminem, ac tantò minùs id quidem, quantò ipsi pervicaciùs, obliti supplicationis, comminatione audacissima à se extorquere hoc vellent.

Conspiratio Provincialium in *Albertum* Ducem.

VII. Mihi quidem non vacat, has turbas infelices ordine exequi; quas apud *Hagenum*, qui in plerisque *Hornekio* consonat, & eos, qui utrúmque secuti sunt, *Gerardum de Roo*, *Fuggerum*, Cl. *Hansizium*, aliósque prolixè reperies. Summam duntaxat hujus turbinis persequor, ea parte præcipuè, qua Crisin exspectat. Fœdera Refractarii, Austrii præcipuè, cum Bohemiæ, & Ungariæ Regibus, uti Stirii cum *Ottone* Bavariæ Duce, & *Conrado* IV.to Novo Archiepiscopo Salisburgensi panxisse dicuntur: sic tamen, ut initio omnium societas una esset. Viennenses, à Provincialibus fortium suppetiarum spe inducti, primi defectionem cœperunt. Quorum furori *Albertus* Dux, donec & ipse Auxiliaribus copiis accresceret, prudenter ad tempus cedendum ratus, se Cetium in Montem, novis Munitionibus firmatum, reduxit, Urbis interea aditus omnes ita milite observans, ut nemini accessus, nemini exitus pateret, nihilque planè annonæ inferri posset. Summa igitur alimentorum penuria Cives afflictos in Magistratum brevì ita commovit, ut minarentur, nisi Duci Urbem aperirent, cùm vana auxiliorum spe à Provincialibus delusi, absque armis inediâ sibi pereundum viderent, se Consules, totúmque Senatum, Principi tradituros. Inde factum, ut Abbas Scotorum emittere-

Viennensium defectio prima.

Deditio eorum, & Venia.

tur in Montem, primùm Ducissæ *Elisabetæ*, tam Clementis, quàm Piæ, deinde per eam, ipsius quoque Ducis Gratiam exoraturus. Pepercit *Albertus* venientibus post Abbatem, ac prostratis cùm Senatoribus, tum Civibus. Mulcta tamen hæc erat, ut Privilegia sua exhibere cogerentur, coram Duce relecta; qui ea, quæ Civibus adversum Principem ulteriùs insolescendi licentiam parere possent, ipsis videntibus in frusta concideret, Reliqua suis ipse Literis innovaret. Sic Vienna denuo in fidem recepta.

Regis Bohemiæ cum Duce tradita simultas.

VIII. Bohemum quod attinet, Narratio affectibûs laborat. Probrosum námque est Regi cuilibet probo, perduellibus Arma commodare. Ut igitur Scriptores Bohemi Regem suum *Wenceslaum* II.dum à Probitate mirè commendatum, culpâ immunem præstarent, inquiunt: *Rudolphum* Cæsarem, dum huic Regi Filiam *Gutam* nuptui traderet, Dotis locò adjecisse Egram Civitatem, símúlque Austriæ partem, quæ à Danubio Moraviam versus, Bohemiámque excurrit, Danubio ceu Limite constituto. A morte verò Cæsaris, dum *Wenceslaus* in occupando Poloniæ Regno, quod ipsum hæreditate spectabat, versaretur, *Albertum* Ducem, prædictam Austriæ partem repetendô, & revindicandô, Regem ex Polonia, cujus negotium necdum confecerat, retraxisse. Inde Arma ab utroque Socero invicem ostensa. *Gutam* tamen Reginam apud Conjugem Oratione, apud *Albertum* Fratrem literis, ac nunciis tamdiu institisse, donec utrorúmque Conventus in Campis Znoymensibus decerneretur, eo pacto, neuter ut Principum pluribus, quàm viginti armatis cinctus, adesset. Et Regem quidem sic comparuisse: à Duce verò Milites ita circùm dispositos fuisse, ut Agmen non modicum efficerent. Territum itaque Regem, in omnia, quæ Dux postularet, ipsámque Austriæ partem reddendam, consentire compulsum. Hac porro ratione omissum quidem esse bellum: sed Regem, fraudi indignatum, ultionem postea in Electione Romani Regis, Votum suum in *Adolphum* conferendô, sumsisse. Hunc in modum *Dubravius* Histor. Bohem. Libr. XVIII. p. m. 149. itémque *Balbinus* Epitom. Rer. Boh. p. 297.

Alia de hoc Sententia.

IX. Patrii contrà Scriptores nostri uno ferè calamo tradunt, Provinciales Bohemum, promissa eidem Austriæ Inferioris deditione, ac possessione, in fœdus pellexisse: qui cùm exercitu veniens, ad fluvium Tajam substiterit, præstolaturus, quo successu molitio seditiosorum inchoatura esset. Hunc quia nullum esse vidit, cùm ultrò, tùm jugi Reginæ adhortatione, abscessisse. Mihi perdifficile creditu videtur, Cæsarem Filiam suam ex Provincia Fratris, jam tum instituti Austriæ Ducis, dotâsse, cujus potiùs incrementis, quàm diminutioni studebat

maxi-

maximè cùm aliàs legam, jamque adduxerim, eum in hanc dotem Egram Urbem cum districtu suo, qui est ad Franconiæ, non Austriæ, fines, constituisse. Putem itaque verius, Regi *Wenceslao* Bohemo metum ex Ungaris, Austriam adorientibus, factum esse, ut Arma, in quemlibet eventum prompta instrueret, Regno suo, nisi Austriæ opitulari voluerit, prospecturus. Accedit, à nostris tradi, *Leutoldum Chunringium*, è turbatoribus ferè præcipuum, cùm in Bohemiam opis referendæ causâ festinâsset, decem integris diebus, quibus ibi sustinuit, à Rege nunquam admissum esse: ut adeò, captis interim ab *Alberto* Duce Castris ejusdem, nihil reliquum habuerit, nisi se Gratiæ Principis permittere. Quod planè à cupidine *Wenceslai* alienum est, Austriâ potiundi: quam pariter ejus Pietas ab animo ejus prohibuisse videtur. Quòd Votum ejus, in Regia Electione, *Alberto* Austriaco Socero non obvenerit, aliam causam & apud ipsum, & alios habuit, infra commemorandam.

X. De Ungaris res nihilo ferè exploratior est, *Hagenum* juxta, & *Historiam Australem*, cùm *Ladislaus* Rex insolentia, & libidine sua animos omnium à se averteret, Prole interim Regia legitima carens, Regnicolæ Veneta ex Urbe invitârunt *Andream*, Regis quondam sui *Andreæ II.* Nepotem, ut veniret, adesset, imperaret. Hic obsecundans, Viennæ tamen substitit, usquedum *Ladislaus* obiisset, & Magnates, qui in varios propendebant, unanimes demum in eum convenissent, plurima interim Ducis *Alberti* benevolentia, & liberalitate sustentatus. Tandem submissis Monachis duobus, in Regnum postulatus est, eo pacto, ut clam, insalutato Hospite suo, & ipse pariter Monachum habitu fingens, Viennâ excederet. Metuebant enim Ungari, si palàm, & publica Legatione evocaretur, fore, ut noxia Regno Pacta cum Duce, vel ultrò, sive coactus iniret. Mox deinde, ut coronatus erat, admonebatur, tenore Jurisjurandi sui de restituendo in integrum Regno, ut eas Ungariæ Urbes, Oppida, Castra, Terrásque recuperaret, quas Austriæ Dux proximis annis occupaverat. Narratio Ungarici belli.

XI. Inde igitur factum, ut Rex novus, conflato decumano exercitu, ad Austriæ fines accesserit, submissis primùm internunciis Comitibus, & Episcopis, qui Posonium, Ginsium, & alia, ab *Alberto* Duce benignè, humanéque repeterent. Sed hoc abnuente, laxata vastationi via: quæ à Leita fluvio usque Viennam, ipsámque ante Urbem, abinde verò rursum Neostadium usque, tanta cum barbarie fiebat, ut vineæ, segetes, domus, Oppida, Castra, templa, homines, igne, ferróque exscinderentur, nemine resistente, hæcque Crudelitas sex hebdomadis extracta, multò deteriùs, ac olim *Belæ* Regis indomitus pa- Sibi non consona.

 riter

riter sæviendi turbo, nocuerit. Tandem Episcopos, extremæ huic calamitati compassos, intercessisse, pacem in hæc pacta sancientes, ut Urbes, & Castra, quæ ad Regem spectarent, eidem redderentur, quæ verò *Iwani* forent, qui superioribus annis Austriam toties vexaverat, confringerentur, captivi utrinque liberi exirent. In hunc sensum pariter loquitur Chronicon *Mellicense*.

Bonfinii relatio. XII. *Bonfinii* Ungari Scriptoris verba sunt Decade II. Libr. XX. *in Andr.* III. Rege. „Adita Potestate, in Austriam forti „animo expeditionem suscepit. Habito impigrè delectu, & „comparatis copiis, in Austriam concessit, Vicos passim populatur, & incendit, Oppida pleraque vi cepit, multos Captivos abduxit. Et, re sat feliciter gesta, quum se nonnullorum „factione solicitari intellexisset, in Pannoniam rediit: suspicionem, in quam inciderat, veram esse comperit: propemodum „indoluit, quòd initum bellum conficere non licebat, ut Australium improbitatem, & perfidiam pro dignitate ulcisceretur.„ Nihil hic de Pace confecta.

Anonymi Leobiensis. XIII. Anonymus *Leobiensis*, apud quem tamen ex more omnia confusa, inquit de *Andrea*. „Qui, fultus Hungarorum „quorumdam adminiculô, Regnum potentialiter introivit: &, „ut thronum suum stabiliret, *Agnetam*, Ducis *Alberti* Filiam, „petiit matrimonialiter sibi jungi. Quod Dux difficulter sibi „annuit. Sed, ut Regnum, suis Terris tam vicinum lucrifaceret, *Andrea* maximum exercitum contra Wiennam ordinante, „& in conspectu omnium demonstrante, in Montem, qui ad „Australem Urbis partem vergit (Cetium utique putat) ascendit (intellige Dux) Posoniúmque, cum Districtu adjacente, „Dotalitio Filiæ confirmatur. Et sic, exactis Nuptiis, *Agnes* „Regina efficitur Hungarorum: quæ consuevit, plus de Virtute Animi, quàm de Corporis pulchritudine gloriari. In „hoc Dux *Albertus* Nuptiarum primordiali, altum & nobile „jecit fundamentum, succedentibus Liberis, & omnibus suis „factis.„ Idem ferè tradidit *Albertus* Argentinensis, ajens: Ungarum Regem eò maximè offensum, quòd abnuens ei Filiam tradere *Albertus* Dux, responderit Nunciis: *Andream Mercatoris duntaxat filium esse.* His utrisque si credamus, *Andreas* Rex Arma ostendit solummodo, non exeruit, idque Sponsæ gratiâ, donec sibi, cum eadem, Terræ quoque desideratæ quasi Dotales, traderentur.

Aliorum XIV. Rursum verò alii volunt, Ungarum à factiosis Austriæ Provincialibus, Marchia Vindorum præmii locò sibi promissâ, in fœdus pertractum, æquè, ut Bohemum, cum exercitu grandi, Novam inter Civitatem ac Viennam, Stativa sex heb-

hebdomadis fecisse, paratum, si turbæ intestinæ in Austria cœpissent, pro libitu populari. Verumtamen tam *Albertum* Ducem, quàm seditiosos, tanti exercitus metu conquievisse: donec in pacem cum Ungaro conveniretur his pactis, ut Filiam Ducis Conjugem acciperet, & Castra Ungariæ, quæ Austriæ vicina essent, & unde perpetuæ excursiones fiebant, confringi permitteret. *Gerardus* tandem *de Roo* primùm quidem existimat, nequaquam Regem duxisse in Austriam: sed quidquid de Ungarorum populatione traditur, de *Iwani* Ginsiensis iterum iterúmque instauratis Austriæ incursionibus accipi debere. Alio autem in loco nihilominus longè aliam Belli Hungarici telam contexuit. Narrat enim, *Andream* Ungarum, ab Ungaris ad Regnum invitatum, in Silesiæ finibus ab *Arnoldo de Trigau* captum fuisse, & *Alberto* Duci Austriaco adductum, ac Viennæ diebus aliquot honestâ Custodiâ servatum. Postquam verò jurejurando asseverâsset, se Pacem cum Austria servaturum, & *Agnetem* Filiam Ducis nuptui accepturum esse, liberum in Ungariam dimissum fuisse. Ibi à Ginsiensibus, aliisque incitatum, Sacramenti, à se, & nonnullis Ungaris dicti, oblitum, Arma corripuisse, & proxima Ungariæ Castra Austriaca subegisse, donec *Albertus* Dux adversus eum forti cum exercitu procederet. Tum & ipse novas Ungaria suppetias conscribens, inaudiit, contra se domi turbas agitari. Quare composuit cum Duce, ejusque Filiam *Agnetem* novis Pactis Nuptialibus elegit, postea An. 1296. solemniter ductam. Novô hìc exemplô docemur, quàm parum sapere plerumque ex Chronicis liceat, unam eandemque rem tanta cum contradictione tradentibus. Unde ulteriùs liquet, in re veteri coævos quidem testes meritò peti, repertos tamen probè excuti, secúmque conferri debere, antequam tutò accipi possint: minimè verò omnium Religiosè nimis ac contentiosè verba eorum premenda esse, quæ ipsi sæpissimè, aut sensu latissimo, aut mera formularum sibi ex usu frequentium consuetudine adhibuerunt, insigni certè cum Veritatis detrimento.

Gerardi de Roo.

Scriptores probè excutiendi, antequam accipiendi.

XV. Ego in Re ista, præfiscinè verò, sic arbitror. Certum est è dictis Decade anteriori, *Iwanum* Ginsiensem non modò petulanter Austriam vexâsse, sed ipsum quoque Regem suum *Ladislaum* impugnâsse, Posoniô eidem in cæteris multis ereptô. Unde, cùm *Hermannus Landenbergius* incautè infeliciterque cum *Iwano* pugnâsset, coactus fuit *Albertus* Dux, cùm eo fœdus etiam adversus Regem ferire. Certum rursus, Ducem, collectis postea viribus, expugnâsse Posonium, ac Ginsium, aliaque plura interjecta Castra, & Oppida cepisse. Certum postremò ex dictis n. III. hujus §. defuncto *Ladislao* Rege, *Rudolphum* Cæsarem Ungariæ Regnum, quasi devotum Imperio Roma-

Verosimillima opinio.

Romano, interim *Alberto* Duci Filio administrandum commisisse. E quibus omnibus patet, Ungaros non potuisse non summè invitos, iratósque adversus Ducem fuisse, quippe, qui non minimam Regni ditionem occupâsset: Regem deinde *Andream* in eum, tanquam Æmulum Regni, qui illud administrare vellet saltem præsumit, bilem coxisse. Facilè igitur irruptionem, factámque per eum hujus provinciæ vastationem largior, cùm Austriæ, tunc in seipsa divisæ, tantum in hostem vires conjungi, perniciosissima discordia vetaret. Diffiteri præterea nolim, Ungarum, promissa sibi Filia Ducis, & redditione Terrarum pacatum abscessisse: quantumvis Nuptiæ istæ, ætate forsitan immatura poscente, aliquot adhuc in Annos à Scriptoribus differantur.

Austrii humiliati.

XVI. Factiosos Austriæ Regulos Dux felici, nec difficili Marte, ad officium compulit, paucos intra dies 40 ampliùs Castra eorum expugnans, & in deditionem accipiens. Quod illi videntes, cùm nullæ suppetiæ venirent, supplices Principi Manus tendebant, clementem ab eo veniam, post novum fidei sacramentum, consecuti, suísque iterum Castris plerique donati. Stirii altero potissimum Anno tumultuari exorsi, pertinaciùs deinde in contentione perstiterunt. Dux in Regiam Electionem intentus, cùm sibi Imperii spes maxima facta esset, interim Zwetlensibus nostris Privilegia gemina confirmavit *Wiennæ XVII. & XVI. Cal. Maji*, ut in Annalibus videre est p. 478. In favorem Capellæ S. Joannis Baptistæ Cl. Neoburgi, perito cuidam in Arte sua Vitriario, *Eberhardo* nomine, quarumdam Vinearum fructus, quasi mercedem annuam pro Reparatione fenestrarum Capellæ ejusdem, assignavit *Hamburgi II. Id. Junii.* Literas ex Autographo dedit Cl. *Bern. Pezius* Cod. Dipl. Part. II. p. 170. n. 25.

Albertus Dux Ecclesiis favens.

Annus 1292.

Nicolaus Papa IV. obiit.

XVII. DUm erepta priori Anno Christianis in Syria Ptolemaide, jámque Saracenis Armeniam vi tota aggredi parantibûs, *Nicolaus* IV. Papa lapidem omnem in Occidente Christiano ad novam Expeditionem Sacram studiosissimè moveret, pio operi Romæ immortuus est 4.[ta] die Aprilis, uti meliores Critici stabiliunt, in ipsa Parasceve Dominica, non exigua sui Ordinis Minorum Gloria, è quo primus Petri Cathedram ascenderat, cùm Annos tres, Mensémque unum, ac dies ferè undecim sedisset. Vacabat post eum Sancta Sedes rursum Annis duobus, tribúsque Mensibus, & quod excurrit. *Raynald.* h. a. *Franc. Pagius* Part. III.

XVIII. Adversus *Albertum* Ducem, pacatis jam ferè Austriacis, cum Anni primordio Stirii Arma expediebant: quod plenius nonnihil exponendum ex Cl. *Hansizio*, qui Authore præcipuo *Otocaro Horneckio* Stiro coævo, hoc argumentum in Metropoli Salisburgensi confecit. *Conradus IV. de Preitenfurt*, sive *Vanstorf*, novus Archipræsul Salisburgensis ex Episcopo Lavantino, in causam *Rudolphi* Antecessoris ulceratam cum *Alberto* Duce, & *Henrico* Abbate Admontensi, ipsa Successione conjectus, eam, quòd Ecclesiæ suæ plurimum detrimenti jam attulerit, &, nisi è voto conficeretur, adhuc allatura facilè prævideri posset, telâ armatâ, qua cœpta fuerat, prosequi decrevit. At verò Capitulum omne Metropoliticum, belli fessum, damnique majoris anxium, præterea verò supra Amicitiam Austriaci Ducis nihil æquè peroptans, vehementer Archipræsuli suo tentandam Concordiam suâsit. Qui tandem obaudiens, in Stiriam se contulit, ibi Ducem allocuturus.

Stiriensium Seditio.

Conradus IV. novus Archiepiscopus Salisb.

Adiit *Albertum* Ducem concordiæ causâ.

XIX. At ecce, dum iter ageret, Nobilis quidam Stirus, è turba Seditiosorum, pulcherrimum ejus Consilium pervertit, hortatus eundem, pensaret, quid Antecessori suo Viennæ factum esset, cùm Ducem Concordiæ causâ salutâsset. Idem se fatum certocertiùs quoque mansurum, quod serò postea deploraturus esset. Talia quippe concordiæ pacta ab ipso pariter postulatûm iri, quæ concedere, salva in suam Ecclesiam fide, nullatenus posset. Neganti porro, liberum discessum æquè, ut antea *Rudolpho*, difficillimum fore. Frisacum potiùs in Urbem suam se conferret, læta ibi auditurum, & inopinata, quibûs omnis causa Ecclesiæ suæ salva foret. Ibat in hanc sententiam Antistes: quapropter illuc Nuncii pariter factiosorum Stiriensium properabant. Princeps eorum fuit *Leopoldus* Episcopus Seccoviensis, fide antehac summa *Alberto* Duci addictus: nunc, quòd cùm Abbate Admontensi, quem sibi præponi dolebat, convenire non posset, etiam à Principe animo toto aversus. Sed hic Judenburgum pertingens, dum vesperi sanus cœnâsset, mortem subitam nocte dormivit. Edoctus fati Archipræsul, Seccovium, quò Funus deductum erat, se contulit, Justa defuncto persolvens: cæteros verbi Duces Leibnizii audivit.

Quem averterunt Stirii.

XX. Ibi eidem ex ordine narratum, quas ob causas (non aliæ erant, nisi ob quas Austrii Anno superiore insurrexerant) Provincia Duci obsequium renunciâsset. Bellum decretum esse: cujus ipse Societatem si iniret, certè causam Salisburgensem triumphaturam. Assensit Archipræsul, fœdusque, ne alter alterius causam unquam desereret, jurejurando sancitur. Stiriæ Principatus confertur in *Ulricum* Comitem *Haimburgicum*

Quibuscum fœdus panxit.

Stiriæ Dux designaba-

tur *Ulricus Haimburgius.* *cum*, velut uxorio nomine: Primùm, quòd *Agnetem* Austriacam, *Hermanni* Badensis, & *Gertrudis* Austriacæ Filiam, Conjugem haberet: deinde, quòd opulentus esset, quippe cui Dux *Albertus* hoc ipsum ob Jus Uxorium non ita pridem sex millia Marcarum numerâsset: Postremò, quòd mira esset animi Bonitate, & egregiè in publicum bonum affectus.

Unde observare liceret nonnulla: XXI. Libet hìc advertere, si vera retulerit *Horneckius*, exploratum omnino fieri, quòd *Agnes* Austriaca *Meinhardo* Tirolensi nunquam conjugio sociata fuerit: quippe quæ etiamnum in thoro *Ulrici Haimburgii*, cui eandem ab *Otocaro* Rege olim, *ad Generis depressionem*, collocatam fuisse, aliàs è Scriptoribus Patriis recensui, his annis versata fuit. Novum deinde Æquitatis caput Successionis Habspurgicæ in Austriam, Stiriámque relucere, quòd *Albertus* Dux hujus etiam Comitis qualecunque, in utrámque, vel alterutram Provinciam Jus, Ære numerato compensaverit. nisi Comitem dolo delusissent. Liquidam demum esse perpetuam ad Feudum Fœmineum, in Austria, Stiriáque, Provincialium Attentionem, dum Jure Uxorio huic Comiti se Principatum suum statuere assèverârunt. Tametsi dolo magis, quàm serio animo, hunc Comitem à factiosis cæteris spe ista Principatûs, quem statim postea Duci Bavariæ quoque obtulerant, lactatum fuisse, *Horneckius* asserat, apud Cl. *Hier. Pezium* Tom. III, Cap.496.p.483. cùm præmisisset, pecunias Comitis duntaxat à seditiosis quæsitas esse, ita conquestus.

Ich chlag chlegleichen
Von Haynburg Graf *Ulreichen*,
Den si allso betrugen,
Daz si an sich zugen
Und in prachten umb sein Gut.

Archipræsulis metus geminus. XXII. Archipræsulis porro, novo fœdere freti, solicitudinem hæc duo maximè proritabant. Primum, quod metueret, *Ottonem* Bavariæ Ducem faciliùs *Alberti* Austriaci causam, quàm suam, suscepturum. Doluit enim *Ottoni*, quòd, repulso Fratre suo *Stephano*, in quem adeò Salisburgenses Cives propendebant, ut etiam Urbem dimidiam Bavaris tradere voluerint, *Conradus* Mitram Archiepiscopalem, licèt alieno potiùs voto, immo imperio, quàm ambitu suo, abstulerit. Alterum, quo magis angebatur, quòd *Albertum* Austriæ Ducem spe proxima adipiscendi Romani Imperii vivere nôsset: quæ si impleretur, tam suam, quàm Sociorum causam penitus protritam fore, certissimè prævidit.

Bavariæ Ducem placavit. XXIII. Bavarum itaque initio placaturus, ipse ad eum accessit, & compositâ in Rem eloquentiâ, sumtuum præterea,

in

in *Stephani* Confirmationem Romæ frustra factorum, refusione, ac demum Stiriaci Ducatus, è Provinciæ universæ sententia, in eum transferendi spe certissima facta, quin & singraphis Provincialium firmata, eundem non solùm conciliavit sibi, verùm etiam in fœdus adscivit. Austriæ porro Ducem Sorte Regia dejecturus, missis Nunciis, per DEUM obtestabatur Sacros Electores, Moguntinum præcipuè, si Ecclesiæ curam haberent, si eos ulla Salisburgensium calamitatum tangeret miseratio, &, nisi primùm quidem hanc Sedem Metropolitanam funditus proteri, deinde suas Ecclesias pari periculo, facili de causa oborituro, apud adeò Sacrorum incurium Principem, ultrò exponere vellent, ab Austriaco Vota prohiberent, quem, vel extra hoc, Anathemate ligatum, neque DEO, neque Pontifice propitio eligere possent. *Austriaci Electioné Regiam impediit.*

XXIV. Sic & Electorum Sacrorum animis intransversum abreptis, illico ipse, simúlque Bavariæ Dux, communem *Alberto* Austriaco Fecialem Viennam submittunt, bellum eidem denunciantes. Dux noster, in cujus animo Spes futuræ suæ Electionis calorem iracundiæ, in hac rerum tempestate nequaquam congruentem, haud modicùm temperaverat, pacato planè animo Fecialem commonuit, reduceret in memoriam Archiepiscopo, quàm nullo lucro *Rudolphus* Præcessor ejus in se arma eduxerit: & item, quanta vi Ungarus adversum Austriam processerit; se tamen adhuc stare. Bavaro Duci exponat, Stiriorum ingenium sibi magis, quàm ipsi, perspectum, tale esse, ut, si eorum potiretur, ne Anno quidem eos morigeros retenturus esset. Suadere ergo se utrique, Bavariæ in sacris, & profanis, benè moderarentur, sibi Stiriam permitterent. *Alberto bellum denunciatur.*

XXV. Ast verò bellum denunciatum jam erat, & è vestigio à Fœderatis omnibus cœptum est: Seditiosi Provinciales primi id inchoarunt: quorum Capita *Ulricus Pfannbergius*, *Fridericus Stubenbergius*, *Hartnidus de Wildonia*, præter *Ulricum Haimburgicum* jactatum illum novum Stirorum Ducem. Quibus verò omnibus nihil æquè doluit, quàm *Ottonem Liechtensteinium* Seniorem, Claritate, & Auctoritate, atque Prudentia per omnem Stiriam certissimè primum, à Consilio suo perpetuùm abhorrere. Vastabant tamen, ut quisque potuit. Dux contrà *Albertus* insigni cum prudentia Militem, quem egregium quidem multúmque habuerat, nullatenus tamen in aciem coëgit, sed præsidiis tantùm imposuit, futuro usui magis opportuno servatum. Inde vanam hostibus fiduciam peperit, totásque eorum vires provocavit, ipsâ morâ atterendas. Semper enim tumultuum idem est Genius, qui fluminum intumescentium. Hæc primâ undarum furiâ & concursu rapiunt *Quod inchoat.*

omnia: mox verò affluxu ulteriore destituta, se ipsis detume-
scunt.

Metuunt hostes.

XXVI. Sic & Bavari, cum Salisburgensibus, Vallem Ana-
si in Stiria inundârunt, Cænobium Admontense fœdissimè ex-
pilantes, captisque aliquot levioribûs Oppidis, ac Castris, Op-
pidum Pruck, ad Muram sexto supra Græcium lapide situm, ob-
sidentes. Ibi fluctus allidebantur. Præfectus quippe *Herman-
nus Landenbergicus*, multa cum dexteritate, Cives quidem pro-
misso certarum suppetiarum, in obsequio continuit, hostes ve-
rò, spe deditionis, pòst paulò faciendæ, si modò breviculâ mo-
râ pauculorum dierum fidei suæ in Ducem qualecunque docu-
mentum edere permitterentur, ab impetu obsidionis retraxit.
Interea *Albertus* Dux cum flore Militum in opem Urbis festi-
navit, celerior adfuturus, nisi Montem Semmering maxima
nivium copia sic insedisset, ut viæ aperiendæ plures Aggrestium
Operarum centuriæ vix totis dextris valerent. Facilè tamen
Bavaris dolus Oppidanorum suboluit, pollicitatione nimirum
deditionis moras tantummodo extrahi, cùm non deessent spe-
culatores, Adventum Austriaci nunciantes. Tæduit præterea
Ottonem Bavarum Ducem, in Castris præsentem, perfidiæ Sti-
rorum, quos putabat, quemadmodum fidem Sigillis antea de-
derant, sibi mox adventanti, tanquam novo Duci suo, acces-
suros omnes, & Loca omnia traditurος: quorum nunc nihil
fiebat.

Diffugiunt.

XXVII. Quidquid igitur obsecraret, ac iterum sponderet
Archiepiscopus, *Otto* Dux, tam fastidii, & irarum, quàm ti-
moris plenus, ne cladem & captivitatem subiret, cum suis di-
scessit, Archiepiscopo, nollet, vellet, sequi coacto. Fuga tan-
tò contentiosior, quiete nullibi interposita, quantò propior ad-
esse Austriacus nunciabatur. Frustra fuêre Relictæ *Stubenber-
gio* Copiæ Salisburgenses: hæ námque cæsæ sunt, ille capieba-
tur. Periclitatus erat Capite, nisi *Alberti* Ducis Clementia sen-
tentiæ Concilii intercessisset. Progressus Victor, occupavit Fri-
sacum Salisburgense, atque cremavit. Inde ad S. Vitum con-
vocatis universæ Stiriæ Provincialibus, veniam rogantibus, com-
munem delicti Gratiam faciens, novam in fidem eos admisit,
& Provinciæ Privilegia *feria 5ta. ante Judica* confirmavit. Nec-
dum tamen icti omnes hoc pacto sapuerunt.

Albertus Dux ad Electionem Regiam se contulit.

XXVIII. Dux *Albertus*, testibûs *Alberto* Argentinensi, item-
que *Hageno*, & *Leobiensi* Anonymo, Electorum ferè omnium
Literis ad Regnum invitatus, Oenipontum se contulit, quod ea
nocte fortuitò flagrabat, *Meinhardum* Socerum Carinthiæ Du-
cem obsecrans, curaret vigil, si, absente se, Stirii Res novas
molirentur. Inde Monachium petiit, ad Sororem invisens, ul-
teriùs Augustam progressus, ubi Apparatu paululum inferiore,
quàm

quàm qui Regi debebatur, exceptus est: talem enim ipsum futurum tum Orbis credebat. Hagenoiæ exitum Votorum splendida cum Curia sua opperiebatur.

XXIX. Mensis jam decimus ab excessu *Rudolphi* Augusti currebat, cùm Francofurti Electio Romano-Regia indicta esset. Ibi *Gerhardus de Eppenstein* Elector Moguntinus, quem adhuc urebat, quòd olim ad Sedem suam discordibus quidem votis electus, prælatum sibi, commendatione *Rudolphi* Cæsaris, *Henricum* Basileensem Episcopum ferre debuerit, nunc insuper Archiepiscopi Salisburgensis, *Ottonis* Bavari, & *Wenceslai* Bohemi precibus, ac contradictione inductus, licèt ipse quoque antea *Albertum* per Comitem Catimelibocensem evocâsset, modò in Comitem *Adolphum* Nassovium, qui manu strenuissimus, Supremi Militiæ Præfecti Munus apud *Rudolphum* Cæsarem egregia cum laude sustinuit, Arte mirabili Vota inflexit, uti *Hagenus* præcipuè exsplicat. Singillatim quippe Electores omnes, privato unumquemque in loco, interrogans, quem Regem optaret, omnibus propè *Albertum* Austriacum placere intelligens, cuilibet eorum, tanquam secreta fide, ingessit, Vota cæterorum aliò collimare, in hunc nempe, illum, istum, quem unicuique inimicissimum noverat. Quo astu obtinuit, ut omnes in se compromitterent, opinantes, *Albertum* indubiè ab ipso nominatum iri. Inde quid actum, referunt Annales *Colmarienses* apud *Urstis*. Part. I. h. a. „Prima Maii (ajunt) Electores reliqui „Electionem in Maguntinum tum præsentem transferunt. *Maguntinus* Comitem *Adolphum de Nassau* Cognatum suum eligit: consentiunt reliqui. Hic statura fuit mediocri, agilis, „amabilis, sciens Gallicum, Latinum, & Germanicum.„ De Consensu sic accipiendum, patefacto astu Moguntini, plurimùm quidem demiratos, ad eúmque invitos fuisse, præcipuè *Ludovicum* Electorem Palatinum: attamen ut ne Schisma Imperii fieret, si Ecclesiastici pertinaciùs apud *Adolphum* persisterent, victas manus dedisse. Ab invitis verò id factum, Odium Electi, paulò pòst exardescens, indubium reddit.

Electus *Adolphus Nassovius* astu Electoris Moguntini.

XXX. „*Albertus* (verba sunt *Leobiensis*) exasperatus super „laboribus, & expensis, & de promissorum frustrationibus, ad „superiora rediit, terram Constantiensis Episcopi devastavit, „circa Civitatem Turegum in Argoia Vineas, agros dissipavit, „Castrum Nellenburg, & Comitem circumdedit, & ipsum Castrum, infra 14. dies suffossum, destruxit.„ Causam *Hagenus* reddit, quòd in bello Ducis anteriore cum *Rudolpho* Archiepiscopo Salisburgensi, Turicenses, cum Episcopo Constantiensi, ac Comite prædicto, tanquam Cognati Archiepiscopi, Ditiones ejus Alsaticas invaserint. Vindictam Ducis præfatam testantur quoque Annales *Colmarienses*, qui & addunt, quod se-

Albertus Dux vindicat in hostes Helveticos.

 sequi-

sequitur. „Dux Austriæ solemnem Curiam fecit circa festum
Traditur Filiam nuptui dedisse. „S. Martini in Desponsatione Filiæ suæ, & talis non fuit nostris
„temporibus celebrata.„ Quæ ista Filia, & quis Maritus ejusdem, aut Sponsus, non facilè dixero, nisi *Elsa*, sive *Elizabet* fuerit, Lotharingiæ Duci nupta, ut vult *Albertus* Argentinensis, atque *Hagenus* confirmat.

XXXI. Pace porro apud Helvetos constituta, Dux noster, ait *Hagenus*, Austriam repetere voluit. Verumtamen Electorum Principum Consilio prudenter acquiescens, novi Cæsaris iram, aut iræ luculentam potiùs causam prætendendam, felicius declinavit. Posteaquam videlicet Principes excusassent Vota sua, hac vice in *Adolphum* collata, ajentes liberè, Moguntini arte id factum: hic verò culpam in Archipræsulem Salisburgensem conjecisset, qui Ducem Anathemate ligatum asseruerat: communi omnium hortatu & obsecratione persuasum ei fuit, ne Regi, quem DEUS ordinâsset, ipse obsequium detrectaret. Unde *Adolpho* Insignia Regalia, quæ Chiburgi asservabantur, à se petita, facilis extradidit, & postquam is Aquisgrani coronatus fuerat, ab eodem Oppenheimii Feuda Austriaca, ac cæterarum Provinciarum recepit. Neque tamen propterea inter utrosque integra amicitia constitit: cujus rei non unam causam apud varios lego, quamvis, cui tempori ea, quæ traduntur, conveniant, ritè exquirere nondum potuerim.

Adolpho Regalia Extradit, & Feuda recipit,

Sed simultas durat.

XXXII. *Argentinensis* ait, Cæsarem, submissis Oratoribus, ab *Alberto* Duce pro Filio suo unam Filiarum ejus in Sponsam postulâsse, hoc verò retulisse Responsum: *Daturum se certè, si Principem eam facere posset: si secus, vicaversa una Filiarum Regis nubat Filio suo, à se indubiè Princeps constituenda.* Quo dicto *Adolphi*, qui aliunde Regis Clericorum scomma tulit, inopiam suggillaverit. *Leobiensis* infit ad Ann. 1292. „*Adolfus* à *Meinhardo* & *Alberto* Ducibus pecuniam exegerat excessivam, ut „eos ad suos, per investituram & feodationem, statueret Prin„cipatus. Quam quia ferre non poterant, orta est gravis aver„sio inter eos. *Aventinus* ita narrat. „Porro *Adolphus* Cæsar „renunciatur. Ipse, & Archiepiscopus Moguntinus, ac cæteri „Collegæ, eodem navigio Agrippinam Rheno devehuntur. Cùm „Fürstenbergio, quod *Ludovico* Bojo parebat, allabuntur, in„colæ, nihil minùs quàm Cæsarem hic esse rati, ut navigantes „appellant, portorium solvant, postulant. Illi remis incum„bunt, atque prætereunt. Fürstenbergenses navim sagittis „appetunt, quemdam in latere *Adolphi* assidentem sauciant: mox „verò, cùm ingeminatum foret, Cæsarem hic vehi, pavidi „iram Principis deprecantur, errorem atque inscitiam excusant, „veniam orant. Quam tantùm abfuit, ut impetrarent, ut

Variæ ejus causæ allatæ.

„*Mo-*

„ *Moguntinus* Episcopus *Ludovicum*, actum furiis Conjugis, „ cum Fratre ejus (*Alberto* Austriaco) in necem Cæsaris conspirâsse, mandâsséque suis, nempe Fürstenbergensibus, ut eminus sagittis *Adolphum*, hac navigantem, interficerent, asseveraret: & Cæsar, Comitésque, supplicium sumendum, atque in parricidam, more Majorum, animadvertendum esse, „ decernerent.„ Subsequitur, *Ludovicum* Comitem Palatinum, excusandô nihil agentem, tamdiu è suspicione dimissum non esse, donec armorum fœdere cum *Alberto* Austrio, Episcopo Argentinensi, aliisque pluribus inito, metum Cæsari incusserit. Unâ fideliâ hæc afferre libuit, quamvis Anno uno facta fortasse non fuerint, ut sequentibus lucem pleniorem accenderem, singula interim narrata fidei Authorum suorum relinquens, cùm ea plurium consensu extra dubium ponere nequeam.

XXXIII. Cæterùm inter arma, quæ *Albertus* Dux, uti suprà commemoratum est, hostibus in Helvetia intulit, benè merentibus etiam Gratiis favit. Teste siquidem Cl. *Hergott* Vol. III. p. 548. n. 663. 664. 666. primùm quidem Parthenonem Prædicatorium Vallis S. Catharinæ, respectu quarundam possessionum, ab Advocatia Abbatis Schafhusani absolvit. Suo deinde, suíque ex Fratre *Rudolpho* Nepotis *Johannis* nomine, cum Tigurinis pacem feriit. Rursum antefato Parthenoni Donationem quamdam proprio pariter, ac Tutorio nomine confirmavit. Omnes hæ Chartæ ab ipso datæ *in Winterthur*, prima *IV. Cal. Aug.* Altera *Freytags nach Bartolomei*, ultima tandem *IV. Non. Novembris.* De Fratre Ducis sic habet Anonymus *Leobiensis* init. Libri III. ad Ann. 1291. „ Moritur hoc tempore *Rudolphus* Dux Suevorum in Bohemia, & Pragæ solemnibus Exequiis tumulatur, Uxorem gravidam relinquens. Quæ „ angustiata in partu, Filium edidit, qui *Johannes* dictus est, &, „ heu dolor! postea, sicut de Alexandro Paride dictum est, *funesta ruina Patriæ effectus est.*„ Parricidali quippe manu ejusdem postea *Albertus* Patruus Augustus, quod alibi deplorandum erit, occubuit.

Diplomata Alberti Ducis.

Fratris ejus Rudolphi Ducis Obitus.

Annus 1293.

XXXIV. PEtri Sedes Romæ toto hoc Anno vacavit, Cardinalium votis multò, quàm anno superiore Electorum Imperii, tardioribûs. Quare redux è Francia Carolus Rex Neapolitanus, cum Filio *Carolo* coronato Ungarorum Rege, eosdem sub extremam hyemem accessit, ac seriò ad concordiam hortatus est. Sed illi medium adhuc alterum Annum disceptandô extraxerunt. *Adolphus* Cæsar, infelici planè mercatu, ab *Alberto Degeneri*, Misniæ Marchione, Provincias, Filiis ejusdem debi-

Romæ Sacra Sedes vacavit.

debitas è Patrui testamento, Misniam nimirum, Lusatiam, Terrámque Plisnensem, pecunia coemit, & ense, quem nemo æquum reputavit, crudeliter vastante sibi assèrere decrevit. Quapropter plerorúmque Principum animos ita à se avertit, ut Imperio tandem excideret.

Adolphus Cæsar malô suo Misniam emit

XXXV. *Alberti* Austriæ Ducis absentia usi, Archiepiscopus Salisburgensis, *Otto* Bavariæ Dux, Comésque *Haimburgicus*, cum nonnullis adhuc exteris asseclis, *Meinhardum* Carinthiæ Ducem, *Alberto* fœderatum, perpetuis armis lacessebant: cujus & Filium *Ludovicum*, Oppidô S. Viti per fraudem occupatô, captivum abduxerunt, postea ab Archiepiscopo in Castrum suum Wersen pertractum. Scripserat Archiepiscopus Præfecto suo in Carinthia, nullo metu omne id ageret, quidquid posset: certissimè sibi compertum esse, Regi *Adolpho* cuncta placitura. Paulò post ipse, cum plurimo Bavaro Milite suis conjuncto, in Carinthiam advolavit, & *Haimburgio* Comiti sociatus, triumphare connisus est. Sed prima Castri Freyberg obsidione impetus evanuit. Bavari námque, tam operis difficultate, quàm Carinthii Ducis adventu nunciato perterriti, rursum, ut abhinc anno ab Oppido Bruggensi, recesserunt, Antistitem pariter ad reditum compellentes: qui ob successus tam infelices, & infidam Bojorum operam, non parum de ira, tam Austriaci, quàm Carinthii Ducis, anxius, atque solicitus erat. Præfectus tamen Archiepiscopi, cum *Haimburgio*, non cessabat, *Ottonem*, alterum Ducis *Meinhardi* Filium, qui Patris locò Carinthiam servabat, perpetuò vexare, cui & aliqua Castra, manu, vel astu, eripuit.

Arhiepiscopus Salisb. ejúsque Fœderati pugnant in Carinthia: capiunt *Meinhardi* Ducis Filium.

Dissolvuntur.

XXXVI. Postquam *Albertus* Dux in Austriam reversus erat, *Ludovicus* præcipuè *Severus* Elector Palatinus, præter Episcopos, Frisingensem, Pataviensem, ac Ratisbonensem, omni studio in Pacem reformandam incubuit, Congressu Everdingæ celebrato. Sed frustra Pacificatores tum erant, eò, quòd Archiepiscopus omnino vellet, hac pace seditiosos quoque Stirios, *Stubenbergium, Pfannbergium*, & *Haimburgium* comprehendi: quibus verò Dux, tanquam subditis, & culpa perduellionis laborantibus, iram suam ulteriùs reservare constituit. Quoniam tamen *Elisabeta*, Conjux *Alberti* Ducis, immensò luctu compassa est Captivitati *Ludovici* Carinthii, sui Fratris Germani: non destitit orandô, donec novus Welsii Conventus haud longè pòst fieret. Ast verò & hunc pariter eadem Conditio, quæ priorem, proximè jam erat, ut abrumperet, nisi hoc demum effectum fuisset apud Stirienses, ut, aliunde bello fracti, & auxilio ulteriore destituti, Gratiam Ducis Austriaci, Domini sui, supplici sua humilitate, & officioso aliorum interventu, palàm quæ-

Tentatur concordia.

Stirii Ducis gratiam quærunt.

quærerent, neque mulctam discretam refugerent: quo pacto Ducem quoque Clementem, & à Conjuge maximè emollitum, persenserunt.

XXXVII. *Horneckius* hoc loco, itémque *Hagenus*, quorum plerúmque eadem Narratio est in rebus Austriacis, postremo res exteras *Horneckianas* prætermittente, & prosa, quod ille versibûs, enunciante, de Comite *Haimburgio* præcipuè notant, eum à Duce *Alberto*, precibûs Comitis *Ortenburgici*, veniam hoc pacto consecutum fuisse, sententiam dicente Ducissâ, ut à Stiria exulans, ubi jam omnia Castra sua bellô perdiderat, Neostadii ex assignatis certis Redditibus viveret. Brevì deinde ibidem morte perdidisse Conjugem suam, quam volunt fuisse *Agnetem* Austriacam, Filiam *Hermanni* Badensis, atque *Gertrudis*, Neptis Fundatoris nostri *Leopoldi* VII. ex Filio *Henrico* Crudeli. Quod nisi fallat, obiit illa vel hoc, vel sequenti statim Anno. Eam celebri Funere curatam esse ab *Elisabeta* Ducissâ, laudati Scriptores ulteriùs adjiciunt apud Cl. *Hieron. Pez.* I. col. 1124. & III. col. 547. Depositio ejusdem Viennæ acta. Comitem ab ejus obitu, impetratâ ex Duce veniâ ad Stiros reducem, nunquam deinceps læto vultu visum fuisse affirmant.

Comes *Haimburgicus* exulat Stiriâ:

Uxor ejus *Agnes* Austriaca obiit.

XXXVIII. Stiriis conciliatis Compositio Archiepiscopi cum Duce supererat, sub ipsa Pentecostalia Festa Lincii tentata, successu autem tam arduo, quoniam utraque Pars ad Jura sua tenacissimè adhæsit, ut *Ludovicus* Elector, Arbiter princeps, jamjam discessum indignabundus pararet. Obtestabatur verò per DEUM Ducissa *Elisabeth*, ut negotium prosequeretur. Quare ex Pacificatore Ecclesiasten, qnamvis Laicus, induit, summáque dicendi vi Principes litigantes commonuit: Patres Populi se meminerint, quantúmque jam detrimenti utrinque, vastatis provinciis, spoliatis, occisis, redactis ad incitam subditis dederint, seriò tandem advertant, & quam DEO eapropter daturi sint rationem, profundiùs aliquando in Animum demittant. Valuit, adspirante Numine, Christianus hic Cicero, ut Partes ambæ Laudum Concordiæ, cui se staturas addito sacramento spondebant, ipsi, ac Præsuli Ratisbonensi committerent. Confectum id esse, atque impletum, constat: quas verò in conditiones conventum, ignoratur, ait Cl. *Hansizius*, quia *Horneckii* Chronica hoc loco lacunam habet, quam pariter Cl. *Hieron. Pezius* in ejus editione indoluit. Sed neque *Hagenus* hìc aliquid supplet. Pax interim non planè triennio cum Salisburgensibus constans, nova ex causâ denuo postea rumpebatur,

Concordia cum Archiep. Sal. inita.

XXXIX. Omittendus interim haud quaquam videbatur mihi paragraphus ille Historiæ *Australis* plenioris ad h. a. quamquam in eo relata nullo apud alios vestigio repererim, & penitus suo loco relinquam. Sic porro habet. „Dux Austriæ, à Rege Bohemiæ

Albertus Dux ad Regem Bohemiæ, hic deinde ad Ducem invisisse traditur,

,hemiæ rogatus, ac invitatus, visitare Reginam Sororem suam, ,Bohemiam intravit, solenniterque à Rege Consobrino suo, ac ,omnibus receptus Nobilibus, excellentissimisque Xeniis, & ,Clenodiis, à Rege excellenter honoratus, amicabiliter separati, ,reversus est ad Terram suam. Simili modo Rex Bohemo-,rum, à Duce Austriæ invitatus, Viennam intravit cum Regina ,Uxore sua, & copiosa turba Nobilium, honestissimè receptus ,est à Duce, duodecim diebus ibi moram faciens in maxima ,jucunditate Nobilium, & Episcoporum, qui aderant, atque à ,Duce gloriosissimis Clenodiis honoratus, reversus est ad Ter-,ram suam. Homines de Pacis tranquillitate Salvatoris lauda-,bant Clementiam., Si res ita se habuerit, ægrè stabit illorum Sententia, qui *Wenceslaum* Regem, Duci nostro magnopere iratum, Electioni ejusdem in Regem Romanorum disertè vehementérque contradixisse asseverârunt. Quod superest, Cl. *Bern. Pezius* Cod. Diplom. Part. II. p. 172. n. 268. affert Chartam Ducalem, qua *Albertus* Parthenoni Erlahensi Privilegium quoddam *Rudolphi* Augusti Patris innovavit *Lintze XII. Kal. Junii.* Aliam consimilem pro Canonia Regulari S. Nicolai Pataviæ reperio apud *Hundium* Part. II. p. 396. datam *Wienn octavo Kalend. Octobr.*

Diplomata Ducis.

Annus 1294.

XL. ANni tertii, ab excessu *Nicolai* IV. Papæ, parte quarta jam exacta, vacanti tamdiu Romanæ Sedi, inexspectatis profectò votis, impositus est Vir, omnium opinione Sanctus, *Petrus de Murrone*, Eremita Benedictinus, contemplatione eximius, prodigiis illustris, Electione facta die 5. Julii. Non profuit, eum trans mare quoque fugam arripuisse: contrario enim vento, ubi milliaria quindecim pelago jam emensus erat, ad litus repulsus, ibi ab hominibus, ipsisque Regibus, *Carolo* Neapolitano, ejúsque Filio *Carolo Martello* designato Ungarico, vi potiùs, quàm suasu, detentus est. Coronationem apud Aquilam Urbem recepit die 29. Augusti, eò certè pedibus iturus, cúm Equus ei persuaderi non posset, si corporis extenuati debilitas permisisset. Sed cùm vires deessent, vili asello usus est: cujus nihilominus frœna ambo Reges, ponè euntes, libenter ducebant, citra dubium novo hoc in Vicario Christi, non tam, quia nuper electo, sed quia novissimo humilitatis exemplo novum Orbi spectaculum præbuit, Christum ipsum, sedentem supra pullum Asinæ, sicque Jerosolymam ingressum, contemplati pariter, ac venerati. Nomen assumsit *Cælestini* V.[us], complaudentibûs omnibûs, qui eum re ipsa *Hominem Cælestem* reputabant. Mirum verò maximum, quòd Vir, imaginem Christi cum hominibus conversati tam scitè in se exprimens, & imitatus, tam

Eligitur *Cælestinus* Papa V.

citò

citò hominibus visus fuerit non quadrare pro Ecclesiæ Capite Visibili. Cùm namque Abdicationem semper animo volveret, sæpiùs ore proferret, statim erant, qui ei dicerent: *Quod facis, fac citiùs.* Factum est ita. Nam Idib. Decembris, edita priùs Constitutione, licere Papæ ultrò abdicare, Neapoli in publico Cardinalium Consistorio Pontificatui libens lubénsque, ac plenè Renunciavit. Successorem die undecimo in Vigilia Nativitatis Domini accepit Benedictum Cardinalem Cajetanum, dictum postea *Bonifacium* VIII.^{um}: quo antea, tanquam Jurium peritissimo, *Coelestinus* in agendis præcipuè usus erat; quémque potissimum abdicationis accelerandæ impulsorem habuisse communiter fertur. *Raynald.* h. a. *Franc. Pag.* in *Coelestino* V.^{to} Abdicat. Succedit *Bonifacius VIII.*

XLI. *Adolphus* Cæsar, opibus admodum destitutus, Animi verò Magnanimitate eximius, divitias iis mediis quærebat, quæ Fastigio Romano haud satis digna sunt visa: unde illa, ipsi quidem sensim apud Principes contemtum; *Alberto* autem Duci spem Imperii, magnis incrementis confirmabant. Id cùm ignorare Cæsar non posset, semper Duci nostro vixit iratus: & quotquot huic Adversarii erant, fiduciam in Cæsare maximam reposuerunt. Tametsi itaque *Albertus* noster Austria Stiriáque utcunque pacatis uteretur, nihilominus Odia Provincialium in Suevos Proceres adhuc gliscebant: maximè, cùm Dux crederetur, Opes plurimas in Sueviam conferre, ac unicè satagere, ut Comitatum Habspurgensem in Ducatum erigeret. Multorum proinde conatus tacitus fuit, Cæsarem quavis ratione in Austriam advocare. Tantò id autem procliviùs erat, postquam nova subnascebatur Occasio, qua Dux cum Archiepiscopo Salisburgensi iterum collisus erat. *Adolphi* Cæsaris cum *Alberto* Duce Æmulatio. Provincialium Austr. & Stiriæ sub cinere ignis.

XLII. *Albertus* quippe, augendis proventibus intentus, consiliò, ut ferunt, *Henrici*, sæpe antea dicti Abbatis Admontensis, in Valle Kuchelensi Montem quemdam, è quo Scatebræ Salinares Salzburgenses proveniunt, ea parte, quæ Austriam respicit, perfodi jussit, & sibi quoque Salinam inde paravit. Sic divisis, quæ è Sale cocto accreverant, redditibus, ac vectigalibus haud parva Archiepiscopo lucra decesserunt: neque illi tantùm, verùm etiam Capitulo Metropolitico, item San-Petrensi, Nunbergensi, Raitenhaslacensi, & Salemitano Cœnobiis, quorum omnium in dicto Monte nonnulla Salinarum portio erat. Delatæ Duci querelæ, Remonstrationes, ac preces: incassum tamen, reponente illo, suas propter Salinas eos tantum Salis coquere posse, ac antea, scatebra per ubertatem suam idcirco non deficien- Salinæ Kuchelenses novi dissidii causa cum Salisburgensibus.

te. Salia verò ipsa, quæ conficeret, Redditúsque, ac Vectigalia, quæ inde perciperet, quod attinet, uti se dono DEI, & Jure suo, Montisque commodo ea parte, quæ Austriam spectat, absque ullius injuria frui. Cl. *Hansiz.* Metr. Sal. p. 435.

Annus 1295.

Coelestini antea Papæ inclusio metu Schismatis.

XLIII. B*Onifacius* Papa VIII. Romæ coronatus die 23. Januarii, Præcessori suo *Coelestino*, quantumvis humillimè supplici, nullatenus reditum ad Eremum suam, unde extractus erat, immo nec Libertatem quidem permisit: sed arctissimo eundem ergastulo inclusit, ubi nulli hominum accessus ad eum patuit, nisi soli Ministro Altaris, ac Vitæ, donec sanctam Animam DEO redderet in Castro Fumonis Campaniæ die 19. Maji. Causa tam arctæ Custodiæ erat Schismatis Metus: quoniam plurimi (ut solent Ingenia hominum, intemperantiâ potiùs tricandi, quàm studio Veritatis excitata, inutilibûs quæstionibûs Ecclesiam ac Mundum turbare) tueri contendebant, non posse Pontificem abdicare. Quæ disceptatio sanè mirabilis videtur: dum postea *Innocentius* VII. *Gregorius* XII. *Alexander* V. & *Joannes* XXIII. non aliter electi sunt, nisi cum pacto abdicandi, quod penultimus horum ultro implevit, ultimus per Sententiam Concilii Constantiensis adimplere coactus fuit. A morte porro *Cælestini*, cùm Sanctitatem ejus in dubium trahere neminem sinerent Signa frequentia, non solùm *Bonifacius* Papa cum Cardinalibus eundem solemniter piavit, verùm etiam *Clemens* Papa V. septimo decimo postea anno, ad omnium Votum, Albo Sanctorum inseruit. *Franc. Pagi in Cælestin.*

Obitus pius.

Bonifacius VIII. Papa pacem Italiam ferit:

XLIV. *Jacobum* inter Aragoniæ, *Carolúmque* Neapolis Regem, atque *Carolum Valesium*, Fratrem *Philippi Pulchri* Francorum Regis, *Bonifacius* Papa ita composuit, ut *Valesius* jure suo quæsito in Hispanica Regna absccderet, *Jacobus* ea imperturbatè teneret, Siciliâ autem se penitus abdicaret, & *Caroli* Siculi Filius duceret Sororem illius. Verumtamen Siculi indignati, se rursum Gallicum sub jugum compelli, ipsi sibi Regem fecerunt *Fridericum*, Fratrem *Jacobi* Aragonum Regis, eúmque Panormi coronârunt, cùm hucusque ibi Prorex fuisset. *Adolphi* Cæsaris Electionem Papa probavit. Cùm autem *Philippus* Franciæ, & *Eduardus* Angliæ Rex, Burgundiæ causâ bellum acre pararent, Cæsar verò cum Anglo fœdus feriens, receptîs ab eo Centum Marcarum millibûs, Gallo arma denunciâsset, Arelatense Regnum ab eo in causæ speciem reposcens: Pontifex, paci atque tranquillitati consulturus, peculiariter nunciis, ac Literis egit apud Imperatorem, ne ipse, qui Tutelæ Imperii, & Ecclesiæ, Pacique servandæ sit electus, eam

sed Siculis invitis.

Adolphum Cæsarem confirmat, & à Bello Gallico dehortatur.

è con-

è converso turbaret: præ omnibus verò, ne rem, Imperatore Romano adeò indignam, committeret, seque stipendiis alienis ad bellum conduci acquiesceret. Sed hæc serò nimis. Stipendia quippe recepta jam erant, neque tamen auxilia pro eis impensa: quod adhuc indecentius visum est. *Raynald.* h. a. n. 44. sqq.

XLV. Contra Ducem nostrum *Albertum* emolumenta sua de Salibus integra servaturus *Conradus* IV. Archiepiscopus Salisburgensis, ipse Cæsarem adivit, & ab eo non modò Confirmationem Salinarum Salisburgensium, ac omnium exinde provenientium teloniorum obtinuit, verùm etiam Præceptum ad Ducem, ne Archipræsuli in hac parte molestus esset. Quæ cùm *Alberto* nostro submitteret Antistes, non, quasi qui rogans, sed qui fiduciâ Favoris Cæsarei monens, ac minitans, æquas aures minimè reperit. Nunquam enim Dux iste præfidentiæ, atque minarum, apud aliquem patiens fuit: qui tamen modestè obsecrantibus facillimus prædicatur. Cæsaris jussa non tam ex causæ æquitate, quàm æmulatione erga se, processisse interpretatus, contra vim, sibi fortè faciendam, vires resistendi non impares comparare studuit fœderibûs Principum. Cùm itaque *Adolphus* Rex, horum ingratîis, stipendia Regis Angliæ mereretur adversùm *Philippum* Franciæ Regem: Dux è converso Oratores ad hunc submisit, belli societatem cum eodem nomine suo pacturos. *Hermannum*, quem *Longum* dixêre, Marchionem Brandeburgicum sibi Generum fecit, desponsatâ eidem Filiâ *Annâ*: cujus Nuptiæ Græcii Stirorum Autumno hujus Anni factæ referuntur, præsente Bethlemitarum Episcopo, Francico Legato.

Adolphus Cæsar Duci nostro vetat Salinarum Salisburgensium turbationem.

Hic cum Galliæ Rege fœdus pangit in Cæsarem.

Filiam nuptui dat.

XLVI. Turbabat verò rationes Ducis infidelitas assidua Subditorum, eò flagitii perduellis progressâ, ut reverso Viennam à Nuptiis *Alberto*, & in Aula prandenti, venenum in cibis porrectum sit initio Novembris. *Elisabeta* Conjux Ducalis longè integerrima, ac fidelissima, quæ post Festa Connubialia Græcii remansit, gravissimum jam uterum ferens, atque non longè pòst Filiam *Catharinam* ibidem enixa, hoc nuncio adeò supra Sexum ac Corporis debilitatem, fide confortata est, ut, necdum expletis puerperii diebûs, summa cum festinatione diu noctúque è Stiria Viennam advolaverit, túmque solicitatis fidelium Orationibûs, tum largissimè provocatis Medicorum Consiliis, Marito Duci vitam servare contenderit. Servavit feliciter, tametsi cum Oculi unius jactura. Pedibûs enim suspensus *Albertus*, & lancinatô, nisi planè effossô oculô unô, quod alii volunt, veneno liberatus est, per os, nares, & oculum sensim destillante. Interim verò, dum hæc fiebant, fama de Morte illius in omnes Regiones excurrit.

Ei venenum porrigitur;

unde vitam extulit, sed oculum perdidit.

Fama tamen mortem ejus ubique spargente.

Cui credens Archiepiscopus, ejusdem Salinam destruit.

XLVII. Citiùs, ac par erat, libentérque credulus; quia tum hostis erat, Salisburgensium Archiantistes, tempore utendum ratus est: atque damnorum suorum causam in radice evulsurus, è vestigio Salinas novas Ducis nostri in *Gosach*, expeditis necessariis Militibûs, ac Rusticis, funditus destrui curavit, unacum parvula, Curiali tamen Urbecula, *Tronam* appellata: unde Princeps tria facilè marcharum millia singulos in annos deperdidit. Qua ipse vi, admodum intemperanti, duram sibi postea Ducis ultionem imposuit. Cl. *Hansiz.* Metr. Salisb. p. 435. itémque Cl. P. *Anton. Steyerer.* in Commentar. ad Histor. *Alb. II.* Duc. Addition. col. 5. sq. ex *Horneck.* aliisque *Chronicis* Patriis MSS.tis.

Annus 1296.

Bonifacii Papæ cura non valuit ad Siculos reducendos:

XLVIII. BOnifacio VIII. Papæ immensùm doluit, Siculos, à *Carolo* II. Neapolis Rege aversos, Vota & Coronam suam in *Fridericum* Aragonium contulisse, connivente, & clanculùm cooperante *Jacobo* Aragoniæ Rege Fratre: se porro, neque blandimentis, neque minis, neque diris, à Regno Ecclesiæ vectigali, obsequium elicere posse. Æquè vehementer ei displicuit, se frustra fuisse in conciliandis invicem Franciæ atque Angliæ Regibus: Utrósque autem, belli causâ, non modò Subditos cæteros, verùm etiam Clerum quoque Regnorum suorum, gravissimis exactionibûs ferè opprimere. Edidit ergo Constitutionem Generalem, quæ universim omnes ligaret, prohibens Clero, tam Ecclesiastico, quàm Regulari, omnium populorum ac Gentium, ne ullis Regibus, vel Principibus, quidquam pendant, sive tribuant, quocunque nomine, vel titulo, nisi Sancta Sedes permiserit, aut injunxerit. Dici non potest, quanto hanc Constitutionem fremitu exceperint, & execrati fuerint Politici, Jurísque Publici Curatores, veluti Monstrum, quo deformius Roma nunquam parturiverit. Maximè omnium Franci furebant, fuitque hæc Constitutio semen infelix terribilis illius, tantúmque scandalum secum trahentis discordiæ, Sacerdotium inter, ac Francicum Regnum. Medicari eidem non potuit quævis Pontificis Interpretatio verborum suorum, & quantalibet verbo & opere contestatio, se nihil nisi Regnorum pacem ac tranquillitatem, hoc suo Præcepto intendere. *Raynald.* h. a.

& pacem Galli Anglique procurandam.

Edita ab eo Constitutio fatalis.

Albertus Dux in Provinciales discolos, & Salisburgensem vindicat.

XLIX. *Albertus* Dux, ab esca lethali restitutus, deque destructis per Archiepiscopum Salisburgensem Salinis suis edoctus, ut ultionem sumeret, cùm Provinciis ac Provincialibus Austriæ & Stiriæ plenè fidere nequiret (rursum quippe ab iis *Adolphum* Cæsarem accitum fuisse traditur) conscriptis, éque Suevia adductis copiis, primùm perduelles vehementer humiliavit, & in his Antesignanum *Conradum de Sumerau*, uti volunt: deinde Predia Salisburgensia in Austria & Stiria occupavit, fines quo-

quoque ipſos Antiſtitis ingreſſus, Oppidum Raſtatt obſedit. Facta hæc obſidio elabente Junio, ſed undique perincommoda fuit, ob Alpium anguſtias, & aſperitatem. Arctus erat obſidentibus commeatus. Hunc quidem Abbas Admontenſis *Engelbertus*, ut vires ejus ferebant, diligenter ſubminiſtravit. Nam *Henricus* Præceſſor ejus, qui nobis hactenus tot paginas fecit, inclinato Majo miserè trucidatus interiit, *à quodam Cognato ſuo in lecto ſagittatus, poſtea gladiis, & cultellis confoſſus, demum capite truncatus*, ut ait Hiſtoria *Auſtralis*. Montani verò incolæ tam eos, qui commeatum portabant, quàm alios è latebris occupârunt, vel occiderunt. Oppidum ipſum præſidiarii Bavari, ac Salisburgenſes, fortiter tuebantur: ſuppetias *Otto* Bojariæ Dux jamjam adduxit. His itaque de cauſis Obſidio ab Auſtriaco ſoluta. Cl. *Hanſiz.* Metr. Sal. p. 435. ſq. Eapropter Monachus quidam Altahæ, ſive Quercus Inferioris, *Wolfgangus* dictus, quem peritia Canonicorum Jurium, dictandíque facilitas, magna inter homines famâ ævo ſuo extulit, & Epiſcopis charum, conſilióque gratum effecit (uti laudat Epitome, ſive Chronica Altahenſis vernacula, Millenariô ejus Cœnobii ſeculô edita Ratisb. 4.[to] 1732. p. 108.) Archiepiſcopo, multa in eum adulatione, contrà verò in Ducem noſtrum bile, apud Cl. *Bern. Pez.* Cod. Dipl. Epiſtolar. Part. II. p. 181. ita gratulatus eſt.

Henricus Abbas Admontenſis occiſus.

Dux Oppidi Raſtatt obſidionem ſolvere cogitur.

L. „Implacabilis Holofernis ſecundi ferocitas bellum ſanctis conſtituit, dum Princeps ille, quem ſua ſævitia ſatis denominat, Munitiones, ac poſſeſſiones alias Eccleſiarum irreverenter uſurpat, jura Patronatuum ſibi vendicat, Clericos inſtitutos per Epiſcopos abjicit, alios, non pro licito, ſed libito inſtituit, Claves contemnit, Cenſuram Eccleſiaſticam in ludibrium pernicioſæ temeritatis convertit. Hic igitur non contentus Parochialium, immo nec Eccleſiarum Suffraganearum gravamine, Sanctam Metropolim Salzburgenſem invadere non expavit, tentans eam, quæ eſt Domina Gentium, Princeps Provinciarum, Caput Eccleſiarum plurium, & Magiſtra, non tantùm redigere ſub tributo, immo, quantum in ipſo eſt, in totum ſubjicere ſervituti: dum erectis contra eam doli & ſævitiæ cornibus, illam ſub tam ſæva calliditate, & callida ſævitia, conatur concutere, ut præcluſis itineribus Montium, & per conſequens ſublata facultate omnium victualium, ſine ferro capiatur, & igne.

Quod Archiepiſcopo Monachus Altahenſis gratulatus, multa cum bile in Ducem.

„Sed quia non eſt prudentia, non eſt Conſilium contra DEUM, infatuatus eſt Achitophel in ſuo Conſilio, & Pharao in fortitudine exercitus eſt contritus: dum, Divina favente Gratia, Princeps & Præſul Salzburgenſis Eccleſiæ Victricia

„ cia Vexilla reportat, Civitas requiei requiescit in Gloria, „ Campi occisorum sanguine irrorantur, vulnerati abducuntur, sic fugiunt inglorii, qui priùs de sua gloriabantur potentia, ut socius non exspectet socium subsequentem. Quare, Pater, & Domine, post longam solicitudinem de dubio belli eventu priùs habitam, de vestro triumpho tripudio, de Victoria gaudeo, sic, ut omnibus intimis lætitiâ serenatîs, tristitia in me non occupet ullum locum: si solummodo Vestra dulcissima Liberalitas complevisset erga F. dilectum Avunculum meum, suorum dulcedinem promissorum. „

Sic Cicero iste pro domo sua secutus est affectum, quem scitîs eloquentiæ coloribûs ita vestivit, ut Avunculo suo Gratiam apud Archipræsulem ex loco invidiæ, affatim in Ducem exoneratæ, venustissimè, si ita placeat Superis, quæreret. *Holofernem* ille, & *Achitophel*, & *Pharaonem* ab inferis revocans, Hierosolymam in Ecclesia Salisburgensi, quasi Phœnicem, resuscitavit: tanquam continuò, ubi ex ore vel calamo quolibet circumtonant Scripturæ, Veritas loqueretur, & quoties resonant verba Prophetarum, ipsi pariter, aut Spiritus, qui loquebatur in eis, ora resolverent. Scripturæ sanctæ, & veræ, fideique Divinæ: sed Applicatio earum est hominum, suo sensu abundantium.

LI. *Historia Australis plenior* ad Ann. 1295. dictam obsidionem enarrans, addidit, eâ solutâ, *Albertum* Ducem Genero suo Regi Ungariæ in adjutorium venire voluisse contra *Iwanum*: unde, postquam unacum Rege obtinuisset Castra tria, iterum recesserit, ad propria reversus. Contrà Chronica *Australis* ad Ann. 1296. habet. „ *Andreas* Rex Ungariæ cum „ magna solemnitate duxit Filiam *Alberti* Ducis Austriæ, nem„ pe *Agnetem*. „ Quæ non admodum cohærent. Puto, Ducem Nuptiarum, non belli causâ, Ungariam adiisse. Intereà Archiepiscopus, dum adhuc inimicitiæ noxio fervore ageretur, quem postea mirabili conversione tenerrimum in affectum transiisse audiemus, juxta veterem quemdam Chronographum *Zwetlensem* MS.tum „ Diras in Ducem excussit, „ suisque etiam Collegis Episcopis præcepit, ut idipsum facerent: quod quidam fecerunt, alii ad Sedem Apostolicam „ appellârunt, & propter hoc in propriis personis à Divinis suspensi fuerunt. „ Vereor tamen, ne reassumtum hoc sit ex Ann. 1290. & Archiepiscopo *Rudolpho*, contra cujus Diras ipse Dux, Episcopis Cleróque subscribentibûs, Romam appellaverat, uti *Decade* priori retuleram.

Agnes Filia *Alberti* Ducis nubit.

LII.

LII. Certius est, cùm Cæsar *Adolphus* in Misnia subigenda versaretur, Archiantistitem ad eum accessisse, & Aures propitias nactum esse. Submissus quippe Comes *Oettingius*, denuncians *Alberto* Duci, nisi Archiepiscopi damnis plenè satisfaceret, Regem ipsum in Austriam venturum esse. Reposuit Princeps noster, nihil obsequii in aliis omnibus negaturum se Regi, cui trecentos quoque Milites obtulit: adversus Archiepiscopum verò sibi jus militare, quod etiam coram nuncio Comite pleniùs exposuit. Cæsar tamen, acceptô Responsô, mandavit, ut antea: componeret nimirum è vestigio Dux, vel verò sciret, se Archiepiscopo jus pro potestate asserturum. Movit hoc *Albertum*, amicorum suasu, ut Colloquium, pacis ergo jam Passavii, sed irrito conatu, tentatum, rursùm in Rotenmann reassumi permitteret. Ast ibi quoque, cùm Archiepiscopus gravibus admodum postulatis Ducis absque Consensu Capituli sui se solum annuere haud posse assereret, præter inducias belli haud longas, confectum est nihil. Dux porro *Walseanis*, Capitaneis suis, copias auxit, quibûs illico, exactis induciis, bellum instaurarent. Cl. *Hansiz*. Metr. Salisb. p. 436.

CæsarDuci mandat concordiam cum Archiep. Salisburgensi:

quæ frustra tentatur.

Annus 1297.

LIII. JAcobo Aragonum Regi Romam accedenti, ibique Sororis Nuptias cum *Carolo*, Regis Neapolitani Filio celebranti, *Bonifacius* Papa VIII. Regna Sardiniæ, & Corsicæ, Jure Beneficiario contulit, eùmque S. Ecclesiæ Romanæ Signiferum creavit. Edidit præterea Librum VI. Decretalium: *Ludovicum* IX. Franciæ olim Regem Albo Sanctorum intulit: *Philippo Pulchro* nunc Regi Subsidia Cleri permisit: ad pacem cum Anglo procurandam, vetuit Germaniæ Principibus, ne *Adolphum* Cæsarem juvarent in fœdere cum Anglis, quin potiùs eosdem exhortatus est, ut à Bello Gallico abstinere nolentem ipsi impugnent. *Wenceslao* Bohemo pro Solemniis Coronationis agendis pariter potestatem fecit, à Clero Aurum subsidiarium rogandi, non tamen cogendi. Omnibus præterea, qui Regis hujus, itemque Reginæ *Gutæ*, Filiæ *Rudolphi* olim Imperatoris, Confessionem audituri essent, facultatem indulsit, eosdem ab omnibus Censuris absolvendi. Regi insuper, ob tenuissimam valetudinem, Jejunii Quadragesimalis obligationem certis per hebdomadam diebûs remisit. *Raynald*. h. a.

Acta *Bonifacii* Papæ VIII.

LIV. Coronatio *Wenceslai* Regis, itémque Reginæ *Gutæ*, splendore tanto peracta est, Scriptoribûs Bohemis unanimiter tradentibûs, ut, à quo Praga condita fuit, Solemnia tanta

Coronatio *Wenceslai* Bohemi ultra fidem solemnis.

ta non viderit. Peregerunt eam gemini Archiepiscopi, *Gerardus* Moguntinus, & *Burchardus* Magdeburgensis: adstitisse dicuntur Episcopi octodecim, Centúmque Abbates, ac Prælati, infulis conspicui. Aderant septem Duces, ac Principes: Comites & Barones trecenti: Nobilitatis Equestris multitudo propè numerum respuens: Hospitum, & Spectatorum aliorum populus tam infinitus, ut vastissima Urbs eosdem capere neutiquam posset, sed nova alia lignea tumultuario opere excitari debuerit. Peristromatum aureorum, purpuræ, ac byssi immensa pompa. Equorum unum & nonaginta millia supra centena pascebantur. In sola Ova expensæ gravis ponderis Marcæ Octingentæ. Vinum per occultos terræ meatus, & canales, more quasi rivulorum, publicos ad fontes ducebatur, unde cujuslibet ad usum scaturiebat. E fenestris in populum decies mille aurei sparsi, tantundem verò, nisi ampliùs, privatis vel in populares tantùm largitionibus profusum. Barones ducenti & quadraginta balteo Militari præcincti. Ita *Bobusl. Balbin.* in Epitom. Rer. Bohem. p. 300. sq. ex Veterib. Chron. Item *Czerwenka* in Act. Pietat. Habsp. Tom. II. p. 234.

Reginæ Gutæ Obitus, & Laudes.

LV. Verumtamen citò, ut Vantiatis Mundanæ perpetuus est Genius, extrema Gaudii hujus luctus occupavit. Eodem quippe Junio Mense, die 17.mo à Coronatione, Regina *Guta*, Soror *Alberti* Ducis nostri, ex partu, ut volunt, iterato defuncta est. Domina hæc apud Scriptores omnes Bohemos ab eximia Pietate, Fide Conjugii integerrima, Prudentia insigni, Beneficentia maxima in Ecclesias, Profusione Regia in pauperes, amplissimè deprædicatur. Quamcunque Probitatis, ac ferè Sanctitatis laudem Rex *Wenceslaus* apud suos collegit, totam eam hortatibûs, precibúsque Reginæ illum collegisse asseverant. Liber, qui inscribitur *Phœnix incineratus*, *sive Origo*, *Processus*, *& Eversio Monasteriorum Ordinis Cisterciensis in Regno Bohemiæ*, appellat eam JUDITHAM, & vocat *Heroinam*, *omnium Christianarum Virtutum numeris absolutam.* Doctis. *Georg. Crugerius* è Soc. JEsu in Sacris Regni Bohem. Memoriis ad Julii diem 16.um infit in cæteris de his Regiis Conjugibus: *Maritus nempe Sancti titulum adeptus est: cooperata ubique JUDITHA est Conjux.* Sic pariter *Didacus Lequile* de Orig. Antiquitat. & Nobilitat. Austr. Famil. Part. I. p. 256. „*Guta*, seu *Jutha*, *Wenceslai* cognomentô Pii, *Otto*„*gari* Filii, Uxor, quæ Solii Thalamique Regii Socia, Ma„riti Pietatem suâ geminavit.„ Moritura Regina Dotem suam omnem, & quidquid privatarum Opum, rerúmque habuerat, Ecclesiis, Viduis, Pupillis, atque Pauperibus, suprema

prema scriptáque Voluntate sua legavit, Requiem suam in Cœnobio Cisterciensi Aulæ Regiæ, quod ipsa cum Rege Conjuge altero post Coronationem die fundare cœperat, ut primùm id perfectum foret, sibi constituit.

LVI. *Albertus* Dux, juxta *Horneckium* jucundis illis Bohemiæ Solemniis præsens, inde Redux lætiora ipse, & multò salubriora Festa in Austria egit, quæ sine sumtibus acta, subditis miseris levamen ingens, & gaudium, dudum suspiratum attulêre. Fessi námque cladium Salisburgenses, & clamoribûs afflictorum excitati, ait Cl. *Hansizius*, obsidebant Archipræsulem suum, videret aliquando, quem faceret calamitatibus finem. Jlle Capitulo, ac Provincialibus paciscendi potestatem dedit, missúsque ab his Viennam Orator Canonicus, qui Ducem emollire pertentaret. Irenem, pacisque internunciam denuo egit *Elisabeta* Ducissa: quæ, dum primùm leniisset Maritum, advocatis Pataviensi, & Frisingensi Episcopis, ipsi deinde etiam Archiepiscopo Accessum persuasit, non parum quidem ad hoc ægro, tandem verò cum sociis duodecim, quos è Capitulo, Provincialibus, ac Civibus delegerat, comparenti. His ipse Negotium expediendum injunxit, quódque confecissent, sibi pariter placiturum spopondit. Cùm porro res, ut solet, disceptationibûs extraheretur, ipsi rursùm causam omnem in Archipræsulis fidem, atque prudentiam transtulerunt. Hoc pacto quatuor Arbitris, quorum duo à Duce, cæteri ab Archiepiscopo cum potestate ad Laudi solemnia delegabantur, Pax conclusa est, nunquam postea rumpenda. Præcipuè conventum in hæc. Salinæ ab Archiepiscopo destructæ nunquam à Duce instaurentur: huic è converso dimidium telonium in Rotenmann & Lutenberg cedat. Dux Advocatiæ in bona & fundos Admontenses renunciet: Salisburgenses verò in Castris Weissenegk, Sizenberg, Stetneck, jus omne, quod obtenderunt, remittant. Dux Purckstall & Ensdorf ædificare, & operibûs munire omittat: Archipræsul eidem ter mille marchas stato tempore pendat.

Albertus Dux plenè componit cum Archiepiscopo Salisburgensi.

LVII. Hæc Lætitia Pacis, ad quam sanciendam non parum ponderis attulit *Albertus* Comes *de Hayerlohe*, Electorum Principum Nuncius, Ducem ad Coronam contra *Adolphum* invitans, insonuit Mense Septembri. Eam nova Filia, Duci tunc nata, cumulavit, ab Archipræsule statim sacro de fonte levata: qui tum pariter Octo Nobiles Ense Militari accinxit. Et quoniam ipse cum Duce fœdus pepigit in omnes, qui hostes futuri essent, ne Rege Romanorum excepto, summa inter utrosque necessitudo coaluit, admirabili odii con-

Fœdus cum eo, summámque necessitudinem contrahit, natâ sibi Filiâ.

versione, adeò, ut *Albertus* Dux, qui iter, & expeditionem in Alsatiam susceptūrus erat, Archi-Antistiti, si fatis volentibus ipse vita excederet, Conjugem, ac Liberos, ut Patri, & Tutori, commendaret. Cl. *Hansiz.* Metr. Sal. p. 437. sqq. præprimis ex *Horneckio.*

Annus 1298.

Bonifacius Papa componit invicem Gallos, & Anglos.

LVIII. NOn modicùm Papa *Bonifacius* exultavit, quòd pro Voto suo *Philippi Pulchri* Franciæ, & *Eduardi* I. Angliæ Regis bellum composuerit, Arbitrio Pacis utróque à Rege ad se delato: cui Pacta Nuptialia inter Principem Anglicum *Eduardum* II.[dum], & *Elisabetam* Francicam, viam parabant, ac robur, uti narrat *Raynaldus* h. a. Sed hic ipse Hymeneus, qui nunc quidem Arma mutua in vaginam convertit, lapsu postea temporum bellum utriúsque Nationis, hoc præsenti multò crudelius, accendit, Angliæ Regibûs Franciæ Sceptrum, hujus Connubii causâ, jure Sanguinis postulantibûs; de quo aliàs.

Ab *Adolpho* Cæsare alienantur Principes, ejúsque depositionem cogitant.

LIX. *Adolpho* Cæsari hic Annus fatalis, Vitæque, & Imperii supremus fuit, animis omnium ferè Principum ab eo sic aliensis, ut abrogata eidem Potestate, *Albertum* Austriacum contra eum eligerent; cui æmulo bello collisus, fatô acerbo succubuit. An Imperator licitè imperio exui queat? An æquis, vel iniquis de causis *Adolphus* depositus fuerit? excutere illorum est, qui in Jure, ac maximè Publico versantur. Hi porro, ut videre est vel apud solum Dominum *Pfeffingerum* Tom. I. Vitriar. illustrat. Libr. I. Tit. IX. not. a. ad §. 4. p. m. 914. sqq. tota à se invicem phalange in contraria discedunt. Id autem eò maximè, quòd neque Lex permittens, neque prohibens exstet: & quòd pronunciari non possit, apud quem demum, vel quos, potestas hujusmodi abrogationis resideat: neque Judex ullus ex Lege assignari valeat, qui, justæ an injustæ militent causæ depositionis, cognoscere, & ex tripode decernere debeat. In quo illi maximè adhærent, quibus non secus, ac jurejurando condictum est, Romano Pontifici nihil penitus juris circa Imperium fateri. Qui tamen posse dejici Imperatorem existimant, nihilosecius id liceare inficiantur ob vitia privata, puta, ambitionem, Avaritiam, libidinem, & alia id genus: sed ob tirannidem veram, nullis monitis parentem, propter Statuum Imperii communem oppressionem, publicam ac perpetuam injustitiam, & quæ talia sunt, tunc ipsa natura, uti suadet repulsam iniqui Aggressoris privati, sic jugi dominantis intolerabilis excussionem suggerente. Non hic lego, quæ primo loco per-

An possit Imperator deponi?

censeri

censeri debuerat (quamquam *Adolphum* hæc culpa minimè omnium spectaverit) neglectam, temeratam, perturbatam Religionem: cujus primum est in salute Reipublicæ, & in boni Principis cura momentum. Dictas interim culpas infandas cùm nemo in *Adolphum* conjecerit, cæteras in eum criminationes tanti non fuisse, ut eapropter abjiceretur, plerisque est visum: de quo viderint, quibus id vacat. Ego ordinem, ac seriem facti compendio exequor: qui semper existimo, Historici esse, facta, cum Loci, temporis, personarum critico scrutinio exponere: quam bene, quam justè, vel è converso, res gesta sit, Theologi puto, aut Jurisperiti, ex æquo arbitrari.

LX. „Viennæ itaque post Octavam Purificationis B. Virginis (quod refert *Historia Australis plenior*) convenerunt ad Ducem Austriæ Illustris Rex Hungariæ *Andreas*, Magnificus *Wenceslaus* Rex Bohemiæ, Dux Saxoniæ, Marchio Brandenburgensis, Dux Carinthiæ, Dux Moraviæ --- Episcopus Basiliensis, Constantiensis, Olomucensis, Patavicensis, Archiepiscopus Strigoniensis, cum pluribus Ungariæ Episcopis: item Episcopi Pragensis, Frisingensis, Seccoviensis, Chiemensis: Comites, Barones, Abbates, Præpositi &c. quamplurimi: Multitudo præterea Ungarorum, Cumanorum, Bohemorum tanta, ut hospitia invenire in Civitate non possent, circumquaque extra illam se recipientes. Certè ab antiquis temporibus est inauditum, ad unum Ducem tot, & tam illustres convenire Personas &c. In eadem Septimana feriâ IV. in præsentia multorum Nobilium copulavit Rex Ungariæ Filiam suam Filio Regis Bohemiæ cùm ingenti tripudio, & solemnitate, ut decuit tantos Principes, & tota Terra gavisa est de pace, & concordia tantorum Principum &c.„

Viennæ Conventus Regum ac Principum.

Nuptiæ Regiæ ibidem.

LXI. Pergit eadem *Historia* narrare. „Cùm Rex *Adolphus* hostiliter destrueret omnia, quæ essent *Alberti* Ducis in Alsatia, & Adjutorum, atque Fautorum ejus, velletque eum circumvenire, terrisque suis privare cùm sine causa, per Principes prædictos, qui ad Ducem usque Viennam venerant, facta est valida conspiratio adversus Regem *Adolphum*. „ Porro *Henricus Stero* tradidit, jam ANNO priori Pragæ in Coronatione Regia, *Wenceslaum* Regem Bohemiæ, Archiepiscopum Moguntinum Electorem, Marchiones Brandeburgicos, *Albertum* Austriacum, Ducémque Saxoniæ congregatos, condixisse diem apud Egram, ut contra Romanorum Regem Conspirationis suæ intentum perficerent. Potestate tamen Regis impeditos, demum in Oppido quodam Bohemiæ,

Et fœdus adversus *Adolphum* Cæsarem:

Chadam nomine, congressos esse, præter Archiepiscopum Moguntinum, à Cæsare obsessum. Qui postea eliberatus, Nuncium Duci Viennam direxerit, invitans eum ad sui Consilii de *Adolpho* deponendo executionem, postulans, ut Milites ad Rhenum adduceret, & suadens, ut Literas Electorales, pro Novæ Electionis Approbatione scriptas, Romam dirigere velit, Coronam ipsi certò certiùs pollicitus.

contra quem vocatur *Albertus* Dux.

Refragatur Papa.

LXII. Chronicon *Colmariense* Part. alt. idipsum prosequens, ulteriùs adjicit: *Albertum* Ducem, advocato ad se Cognato suo Comite *de Haigerlob*, eundem cum sedecim Marcarum millibus, Literísque præfatis ad Papam ablegâsse. Qui ei, ex Consilio Cardinalium, Responsum obsignatum, Electoribus perferendum, tradiderit: cujus porro Scripti tenor nemini hominum unquam sit patefactus. Post Literas tamen has visas, Principes, Comitiis pro Regni Negotio Moguntiæ indictis, *Adolphum* & *Albertum* solemniter ad illa evocâsse. *Adolphi* verò Oratores, quos ipse pariter Romam destinaverat, in Comitiis protestabantur, sibi Papam in hunc modum respondisse. „Neque Dux Austriæ, neque Principes, ad pe-„titiones, quas porrexerant, à me Literas poterant impetra-„re. Si autem Literas aliquas obtinuerunt, hoc per me non „fecerunt: quia hoc dico me penitus ignorare. Et verbis meis „credatis, dicatisque securè Regi, ut veniat ad me, & ipsum in „Cæsarem consecrabo.„

Deponitur *Adolphus.*

Capita damnationis ejus.

LXIII. Nihilosecius Electores Moguntiæ processerunt ad *Adolphi* Depositionem, & Electionem *Alberti*, non tamen unanimes. Causæ depositionis prælatæ: Quòd *Adolphus*, acceptis à Rege Angliæ centenis marcarum millibûs, ut auxilium contra Gallos ferret, eámque pecuniam partim in Principes distribueret, partim exercitum conscriberet, omnem hanc Summam servaverit sibi, Misniam ex ea coëmerit, & armis indiscretis occupaverit in damnum ac injuriam eorum, ad quos ea de jure perspicuo attinuerat. Hoc verò pacto se, & Imperium, Anglis cum dedecore, ex avaritia sua, stipendiarium, simúlque fœdifragum, quod amplius est, effecerit, pauculos duntaxat, & sine stipendio Milites in Flandriam submittens: Quòd emendô, & occupandô Misniam, Justitiæ vim intulerit: Quòd *Albertum*, aliósque Principes, Ditiones eorum infestandô, graviter læserit: Illustres, ac Nobiles contempserit, exaltaverit, ignobiles: per bella demum sua non justa, neglecta Imperii Utilitate publica, licentiæ, atque criminibus Militum, pauperúmque desolationibus, latum campum aperuerit.

LXIV.

LXIV. *Albertus* Dux, qui se ab *Adolpho* ante omnes peti noverat, ejúsque in Austriam irruptionem formidare semper debuerat, malens cum hoste extra Provinciam, quæ fidei multùm dubiæ esset, experiri, cum paucis Australibus, multò pluribus autem Ungaris, ut habet *Historia Australis*, in Sueviam, Alsatiámque ascensurus, transitum Bavariæ ex *Ottone* inferioris Bavariæ Duce, & Fratre ejus *Rudolpho* Electore Palatino, Superioris Bavariæ Domino, qui ambo in fide *Adolphi* perstiterant, ægrè impetravit. *Aventinus*, Lectori perpetuas *Alberti* pro Imperio Nundinationes obtrudens, eundem quinquies mille Argenti Marcas Moguntino pro sui Electione, *Ottoni* Bavaro millia sedecim pro transitu numerâsse percensuit: ad Monasterium verò Weihenstephanense occurrentem sibi Sororem *Mathildem*, Palatini *Rudolphi* Matrem, ejúsque Fratrem *Ludovicum*, tanquam Vades tuti per Palatinatum itineris, retinuisse. Sic porro penetrâsse, & pluribus indies secum sentientium copiis auctum, liberalibûs Largitionibûs omnes propè ad Vota flexisse. Cl. *Meichelbeckius* Histor. Frising. Tom. II. Part. II. Instrum. p. 131. n. 206. pignoratitias Ducis Literas exhibet, *Enichoni* Episcopo Frisingensi pro 900. Marcis mutuò acceptis *Welsii des Suntages vor Mittervasten* extraditas. Idem Tom. eod. Part. I. p. 103. refert, *Albertum* Frisingæ cum sex millibus Militum pernoctâsse. Suis in Ditionibus eum constitisse, probant gemina Diplomata, Cœnobio *Wettingano* Cisterciensi expedita, quæ exhibet Cl. *Herrgott* Vol. III. n. 683. sq. p. 564. Quorum unum subsignatum in *Dyezzenhoven* ad Rhenum in Turgoia *in Cœna Domini*, i. e. Anno illo 2. Aprilis: alterum apud *Waldshut* in una 4. Civitatum Sylvestrium anterioris Austriæ, *IV. Id. Aprilis*. Ab *Adolpho* ad pugnam invitatus, eam semper cum cura declinavit, reponens, ad sua duntaxat propugnanda, neminem verò lacessendum, se advenisse. Hoc ei sagax admodum Consilium fuit, non antè arenam publicam subire, quàm in *Adolphum* Sententia Principum dicta, & ipse de universorum Adjutorio certus esset.

Albertus Dux Militem ad Rhenum, suásque ditiones ducit.

LXV. Moguntiæ in pervigilio S. Joannis Baptistæ Dux noster Curiæ Principum, qua *Adolphi* Rejectio, suique Electio fiebat, præsens non interfuit, in Castris, ut habent *Colmarienses*, extra Civitatem demoratus. Ad quem proinde Principes exeuntes, Equo Regio pretiosum pannum insternebant, in quo *Albertum* considere jusserunt, Hymnum Ambrosianum magna cum jucunditate concinentes. Urbes tamen Rhenanæ apud *Adolphum* perstiterunt. Inde Res Aciem decretoriam spectabat, ambobûs Regibûs Exercitum probè comparatum sub Aquila Romana per seipsos educentibûs. Ira tamen *Adolphum* sic occupavit, ut largas adhuc suppetias Electoris Coloniensis, & Urbium,

Moguntiæ Rex eligitur.

Pugna Regum Æmulorum decretoria.

fervore

fervore suo præveniens, invitatus ab *Alberto* ad pugnam, in eam è vestigio, fatis urgentibus, prosiliret. Commissa est illa, Oppidum *Gellenheim* inter & *Rosenthal* Parthenonem Cisterciensem, festo SS. Martyrum Processi & Martiniani die 2. Julii, & sex horis acerrimè protracta.

Varia ejus Narratio.

LXVI. Chronicorum Narratio pro solemni suo alia, & alia est, ut cuique Scriptorum relatum, vel rem depingere placuit. Quidam infelicis Aleæ causam *Adolpho* impingunt; quòd Auxilia exspectare contemserit, quòd equo antea lapsus, & capite graviter concussus, abjectâ Galeâ, quam ferre doluit, se ipsum primæ pugnæ intulerit, quamquam se ex contusione, licèt non vulneratum, semi-tamen inopem suæ mentis, & ineptum imperiorum ad Milites, probè adverterit. Additur, eum dedito animô præ omnibus illum in locum contendisse, quo cum *Alberto* ipso sibi congredi liceret. Contrà alii *Albertum* potiùs in *Adolphi* personam omnia studio composuisse asseverârunt, vestes mutâsse, ne agnosci, inquirique posset, Regem unum peti à suis mandâsse, pretium ejus Capiti, ac Captivitati statuisse, agmine fortissimorum, ac fidelissimorum incinctum, tota eum in acie perquisivisse.

Adolphi Cædes.

LXVII. In hoc porro consentiunt omnes, cùm uterque Regum se ipsos mutuò intuiti essent, dixisse *Adolphum* spiritu ingenti: *Non evades, sed hic Imperium dimittes.* *Albertum* verò reposuisse: *Id verò decernere DEI unius est.* Mox æmulum gladio penes oculum sauciâsse, statim à reliquis cinctum, & aliquot vulneribûs confectum. Tunc *Alberti* jussu cessatum à cædibus, quantum id prohibere in calore pugnæ licuerat, quæ statim remiserit, captîs duntaxat, qui deinceps restiterant: in quibus etiam *Rudolphus*, Filius *Adolphi*, numeratus est. Palatinus, & Bavarus, Duces sibi fuga consuluerunt.

Alberti nova Electio.

LXVIII. Peractâ Victoriâ *Albertus* Rex Principibus Comitia nova Francofurtum indixit, remittens universis, qui se antè elegerant, Vota sua, Novæque ac Liberæ Electionis, uti vacante Imperio, facultatem permisit, protestatus, Regia se Potestate non priùs usurum, quàm omnes unanimi Consilio in se convenirent. Id factum, ut volunt, die 9.na Augusti, Bavarîs quoque Ducibus *Alberto* interea plenè reconciliatîs. Regia Coronatio Aquisgrani die 24. Mensis ejusdem peracta. Apud *Czerwenkam* legere licebit Neo-Coronati Diploma cum Elogio Regio præfixo, quo *Boëmundo* Archiepiscopo Trevirensi Castrum de Cochim, quod ei *Adolphus* Rex cum juribus omnibus pro sumtibus in ejus Coronatione factis obligaverat, ob magnitudinem sumtuum, quos reluere spes nulla propè affulgeret, in perpetuum donavit, & concessit, ea lege, ut Rex Romanorum, quicun-

quicunque pro tempore foret, si res ejus ita postularet, intra Muros ejus recipiatur, & ex eo in hostes incurrere permittatur. *Aquisgrani VIII. Kal. Sept. Regni Anno primo.* Cæterùm ne & hoc prorsus dissimulem, notabant aliqui, omnes, qui *Adolphi* dejectionem præcipuâ curâ, & operâ perfecerant, haud adeò longè postea implacida morte è medio sublatos esse.

LXIX. Post initium Novembris indicta denuo Norimbergæ Comitia: ubi teste Chron. *Constantiensi* apud *Pistor.* Tom. III. p. m. 751. in *Henrico* Ep. „Comitum, Baronum, Militum, & Nobilium, demtis Plebeis, quinque millia & quingenti Viri comparuêre. Aderant & illinc septem Principes Electores, & aliàs quinquaginta duo Principes, inter quos viginti quatuor Episcopi.„ Eminuerunt in reliquis *Wenceslaus* Bohemiæ Rex, & *Conradus* IV. Archiepiscopus Salisburgensis: qui posterior Cæsaris jussu, in ejus fide fiduciam plurimam reponentis, Reginam *Elisabetam*, gravem licèt Uterum denuo ferentem, per Austriam & Bohemiam honestissimo Comitatu adduxit, in hac Curia, die S. Martino sacra, plurimo cum splendore coronatam. Cl. *Hansiz.* Metr. Sal. p. 439. Ibi feuda Principibus, in fidem admissis, indulta. Filiis etiam, *Rudolpho*, *Friderico*, & *Leopoldo*, à Patre Cæsare Austria, Stiria, cæteræque Provinciæ beneficio concessæ. Diploma Concessionis ex Autographo legas *in der Vorleuff. Königl. Beantwort. der Bayr. Ausführ.* Part. Instrum. p. 118. n. 55. Ex quo arguit Cl. P. *Anton. Steyerer* in Commentar. Albertin. Addition. p. 8. cæteros Imperatoris Filios, quos hoc Diploma Feudale tacet, nimirum *Albertum* II.dum, *Henricum*, *Meinhardum*, *Ottonem*, eò temporis in lucem necdum editos fuisse. *Albertum* tamen proximo Mense Decembri primum omnium è Fratribus Germanis Matre jam Augusta genitum fuisse, ipse tuetur. In quo cum eo pariter consentit Eruditiss. D. *Joann. Carolus Newen* in elegantissimis *Pandectis Gemnicensibus*: quæ inclita Carthusia, Nobis vicina, hunc *Albertum* ut Fundatorem Clementissimum veneratur.

Comitia Norimbergensia: ubi Regina coronatur.

Feuda Austriæ in Filios Collata.

LXX. Præter Solemnia ista, his in Comitiis Sermo pariter fiebat de Civitatibus Rheni ad obsequium redigendis, eámque in rem Cæsari Auxilia Principum promissa. Perhibente insuper *Engelhusio* in Chron. apud *Leibniz.* Tom. II. p. 1123. *ALBERTUS optimam fecit Pacem in Almannia.* Chronicon *Steronis* habet: *In eadem Curia edixit Leges:* Pacem nimirum Publicam, jam olim à *Friderico* II.do & *Rudolpho* Impp. certos in annos constitutam, nunc novis à se capitibus adauctam prorogavit. Haud etenim, nisi lento pede, Germanorum Libertas frœno assuefieri se passa est. Testem innovatæ ab *Alberto* hujusmodi Pacis egit *Ludovicus* IV. Bavarus, postea Imperator,

Pax publica innovata.

ajens in Privilegiis Urbis Lindaviensis: *Und wollen, das sie halten die Recht, die Unser Vorfahr selig, Kunig ALBRECHT selig, gesezt zu Nurnberg, do nah den Landfrid, der auch In von unsern wegen gesworen ist.* Minùs verò Electoribus, qui Rhenum accolunt, Moguntino, Trevirensi, Coloniensi, & Palatino, placuit ea Cæsaris Consultatio, quæ ibidem de Vectigalibus quoque Rhenanis instituebatur. Hæc enim Principes isti, jam ab Interregni magni Augusti tempore, suis in Proventibus computabant: *Albertus* autem ab antiquo Regia esse, ingratìs argumentìs opposuit.

Repetita à Cæsare Rheni Vectigalia.

LXXI. Emanabant ad hæc ibidem Chartæ etiam Regiæ variæ. Sic *Wenceslao* II. Bohemiæ Regi, qui iis in Comitiis coronato Capite Pincernæ Munus obivit, Diplomate, quod exhibet *Czerwenka* p. 238. cautum fuit, se Diadema suum non de jure, atque ex debito, sed pro mera Regis, ampliùs hoc pacto honorandi, dilectione gessisse, neque deinceps eum, aut Successores, ad Coronam in hoc Ministerio gerendam obstrictos esse: *Norimbergæ XV. Cal. Decembris.* Inclitam Canoniam Regularem *S. Hippolyti* in suam & Imperii Protectionem recepit, ac omnia ejusdem Jura confirmavit *VIII. Cal. Decembris.* Cl. *Duellius* Miscellan. Libr. I. p. 423. Pataviensis quoque Episcopi *Bernardi* causa ulcerata cum propriis Civibus Pataviæ, eò progressa, ut Episcopus cum Canonicis egressus, Urbem, sub Interdicto positam, machinis bellicis impugnare cogeretur, Arbitriô ad Regem delatô, ejus Authoritate composita est. Jussi Cives, Capitaneum, ac Consules à se creatos, abrogare: Domum Senatoriam, ac Campanam, ad sui Conventum nunciandum fabrefactam, Sigillum quoque, ad instar Urbium Imperialium curatum, Præsuli extradere, ac de cætero eidem Subditi esse, *Prid. Kal. Decembris.* Cl. *Hansiz.* Metr. Laur. p. 445.

Diplomata ibi edita.

LXXII. Monasterio *Zwetlensi* concessit facultatem, Viennæ 40. Karratas Vini, suis è Vineis procreati, publicè propinandi, *VIII. Id. Decembris.* Annal. *Zwetl.* I. p. 516. Sed & Inclito Mellicio Privilegiorum suorum Confirmationem clementer impendit *XII. Kal. Januarii.* Cl. P. *Philib. Hueber* in Austr. ex Archiv. Mell. illustr. p. 32. n. 6. Tandem & pro Capella Aulæ Viennensis *Martino* Capellano concessit, ut Coloni & homines, ad eam attinentes, à Jurisdictione Civium sint exemti, nec juri apud eos stare teneantur, nisi in causis Capitis expressis, iterum *XII. Cal. Januarii.* Cl. *Bern. Pez.* Cod. Dipl. Epist. Part. II. p. 194. Hæc omnia Diplomata, ANNO 1298. edita, cùm perspicuè præseferant hoc Elogium: *ALBERTUS DEI gratia Romanorum Rex semper Augustus*: non est ultra, quòd Cl. *Herrgott*

Alia ejusmodi:

quibùs certum sit, *Albertum* hoc jam anno Regem fuisse.

gott anceps adhuc hæreat, utrùm Supremæ Dignitatis Regiæ Accessio apud *Albertum*, uti Chronicon *Australe* fidem fecit, jam in hunc Annum inciderit: quod quidem decidere, suum non esse, Vol. I. p. 203. §. III. professus fuit.

Annus 1299.

LXXIII. BOnifacii Papæ VIII. desiderium ingens erat, ut conjunctis Occidentis viribûs Orienti, ad quem sola jam ex Cypro accessus reliquus erat, propediem suppetias iretur. Idcirco modis omnibus elaborare contendit, ut, pacatis jam cæteris Regnis, etiam Sicilia tandem optata dudum quiete potiretur, salvis in eam Romanæ Ecclesiæ juribus. Sed Studia ejus in hac parte turbabant magis, quàm pacabant. Siculi enim nihil æquè, quàm Jugum Gallicum, sub quo eosdem retinere Pontifex adnitebatur, execrati sunt. Hoc Anno effecit Papa, ut *Jacobus* Aragoniæ Rex vires cum *Carolo* II. Neapolitano conjungeret, & ambo Reges grandi Classe Navali *Fridericum* Siculum adorirentur, Victoria magna lætati. Sed Aragonius, cui Siculus Frater erat, vinculo Sanguinis permotus, *Fridericum* elabi permisit, neque Victoria usus, sed sola triumphi Gloria contentus, vela domum convertit. Unde, qui mox victus erat Siculus Rex, versâ aleâ collectis iterum viribus, *Philippum* Principem Tarentinum, Caroli Neapolitani Filium, non vicit modò, verùm etiam Captivitate abduxit, arrham quodammodo certam securi sibi Siculi Regni hac præda consecutus. *Raynald.* h. a. p. 524.

Siculæ res non ad votum Pontificis fluebant.

LXXIV. Contrà verò Francicæ Domui Andegavensi & Neapolitanæ novi Regni Accessio in Hungaria fiebat. Postulantibûs námque Ungaris compluribûs, urgente Rege Neapolitano, deliberante Cardinalium Senatu, Pontifice decernente, *Carolus Robertus*, Filius *Caroli Martelli*, Regis Neapolitani *Caroli II. Claudi* Nepos, Rex Ungariæ declaratus fuit, & quamvis Annos nonnisi undecim haberet, jam nunc tamen in Ungariam submissus dicitur, aliis Adventum ejus in Annum sequentem differentibûs. *Andream* Pontifex, non ut Regem, sed Regni Administratorem duntaxat agnovit, cui omnes parêre mandavit. Cur Ungari hunc *Carolum* expeterent, causa erat, quia Avia ejus *Maria* Filia fuerat *Stephani* V. Ungariæ Regis. Romæ ab iis postulabatur, quia Hungariæ Regnum Apostolicum audit, primúsque ejusdem Rex Divus *Stephanus*, à Sancta Sede Coronam accipiens, vicissim Regnum suum Ecclesiæ devotum subjecit. *Raynald.* p. 527. ex *Bonfinio*.

Hungariæ Regem designavit.

LXXV. Edita præterea Constitutione vetuit *Bonifacius* Papa, ne deinceps Defunctorum Corpora, quæ suprema Volun-

Corpora defunctorum conci-

di, & coqui vetuit. tate longinguas in terras deportanda erant, vino, vel aqua ferventi coquere, deinde concîdere, sive exurere usque ad ossa liceret: quod barbarum dicebat, & apud illos maximè usuvenerat, qui vel in Expeditione, vel Peregrinatione Palestinæ, trans mare occubuerunt. Jussit itaque, ejusmodi Corpora, aut integra eum in Locum, quo sepeliri viventes constituerant, si fieri posset, reduci, aut proximo Loco sacro deposita, tamdiu ibi suæ quieti permitti, donec in cineres resoluta, aut consumtîs carnibûs, sola post se Ossa relinquerent, tunc demum, si placuerit, transferenda. *Id.* p. 534.

Cæsaris Confirmationem distulit: de modo eam negandi fabulæ insulsæ.

LXXVI. *Albertum* Cæsarem, finita superioris anni Curia Norimbergensi, Romam pro sui Confirmatione, ac Coronatione Oratores expediisse tradunt, Pontifice ad Assensum hærente: quorum nihil commemorat *Raynaldus*. Lepida interim, sed & absurda penitus fabula est, *Beneventi* de *Rambaldis* in Histor. Augustal. apud *Freber.* Tom. II. p. m. 19. [m] ipso se scenæ suæ ornatu explodens, Nimirum *Bonifacium* Papam „Magnanimum „Tirannum Sacerdotum, respondisse, ipsum indignum Imperio, „quia occîdit proditione Dominum suum *Adolphum* in prelio: „tenuisse insuper Coronam in capite, & Spatam ad latus, dicendô: *Ego sum Cæsar.*„ Cui haud multum absimile *Alberti Argentinensis* Commentum apud *Urstis.* II. p. 111. Cùm videlicet *Albertus*, à *Bonifacio* postea in Franciæ Regem incitatus, promissô sibi Franciæ Regnô, illud sibi hæreditarium addici postulâssèt, reposuisse Pontificem: *Non fiet, vivente ista Jezabel*: Regina nempe *Elisabeta*, Cæsaris Conjuge, & Sorore olim *Conradini* Suevi: quem, quia Nepos *Fridericorum*, Imperatorum Suevorum erat, Ecclesiæ durissimorum, Pontifices maximopere detestabantur. Non diffiteor, *Bonifacium* Papam diutius distulisse *Alberti* Confirmationem, eò præcipuè, quòd *Philippo* Franciæ Regi, cum quo Pontifex dissidebat, Sanguine, ac Fœdere junctus esset: sed non propterea Gravitatem Pontificis talibus nugis prostituit. Hujusmodi sarcasmis illi per me gestiant, quibus parum est, pro Odio suo in Pontifices, Judicii proprii ac prudentiæ suæ jacturam apud sanæ mentis homines liberrimè facere.

Cæsar Filium *Rudolphum* Primogenitum despondet *Blancæ* Galicæ.

LXXVII. Conventum Cæsaris cum Franciæ Rege multi, ac præcipuè *Historia Australis*, ita tradiderunt. „Albertus Rex Ro„manorum, & Rex Franciæ *Philippus* (IV. *Pulcher* dictus) cum „magna pompa Militum apud *Gadior* amicabiliter convenerunt: „ubi prædictus Rex Franciæ Sororem suam, Dominam *Blan„cam*, Filio Regis *Rudolpho* copulavit in Uxorem in die Conce„ptionis B. Mariæ Virginis. Hæc facta sunt supradicto in con„finio Regnorum Regis Romanorum, & Regis Franciæ, in Pra„to infra *Tol*, & *Gadior*. Quæ Desponsatio Archiepiscopis Ale„mанniæ, Moguntinensi & Coloniensi, qui cum Rege Romano-rum

„rum illuc venerant, minùs placuit, & hujus Desponsationis „Copulæ interesse noluerunt: sed deinceps, *metu suæ Possibili-* „*tatis* (i. e. Potentiam ejus formidantes) Romanorum Regem „*Albertum* exosum habuerunt.„ Sed longè certius hoc reddunt, & invictè adstruunt ipsæ Tabulæ solemnes his de Nuptiis confectæ mense Augusto: quas vulgavit Ill. *Leibnitius* Tom. I. Cod. Jur. Gent. Diplom. §. XXII. p. 39. Quibûs Cæsar promisit, Ducatus Austriæ & Stiriæ, nec non Dominia Carniolæ, Marchiæ, & Portus Naonis, apud *Rudolphum* & *Blancam* Conjugem ejus, eorúmque Hæredes, perpetuis temporibus esse Remansuros. Donationis ergo propter Nuptias Sponsæ, assignavit Comitatum Alsatiæ, & Terram de Fribourc. Utrúmque confirmandum spopondit Assensu, Auctoritate, ac Decreto Principum Electorum, item Renunciatione omnium cæterorum Filiorum, ac Liberorum suorum, ad omnes Terras prædictas. Fœderis insuper, inter utrumque Regem initi, aliæ Tabulæ, editæ apud *Quatrevaux*, sive Quatuor Valles, 8. Decembr. 1299. exhibentur apud eundem *Leibnit.* §. XXV. p. 42.

LXXVIII. Annales tamen *Zwetlenses* I. p. 525. è *Chronico* quodam suo MS.^to, item Anonymus *Leobiensis*, & alii volunt, tametsi Sponsalia hoc anno contracta fuerint, Nuptias tamen sequenti demum Parisiis Augustâ pompâ actas fuisse. Refert præterea Chronographus *Zwetlensis*, Cæsarem *Albertum* antea à *Philippo* Franco Spineam Coronam Domini, & Regnum quoddam, quod ad Imperium spectare dixerat (*Arelatense* nimirum, aut *Burgundicum*, cum quo illud unitum erat) postulâsse: sed Nuptiis mediantibus ambos ad concordiam rediisse. Hanc ipsam porro Postulationem *Stero* ad Ann. 1294. per Cæsarem quoque *Adolphum* factam esse recensuit: quinimmo & *Rudolpho* quoque Imperatori eandem aliqui imputant. Qualenam autem Imperatoribus Germanis in Spineam Domini Coronam Jus aliquando enatum sit, nullibi hucusque mihi deprehendere licuit.

Repetierat antea à Franco Spineam Coronam Domini, Regnumque Arelatense, uti tradunt.

LXXIX. Referunt adhuc Annales *Zwetlenses* ad h. a. p. 526. Quosdam Austriæ Proceres, necdum quiescere doctos, saltem in Vicinos insolevisse, minùs potentibus, & Religiosis quoque Domibus admodum graves. Horum hoc tempore præcipuos ferè exstitisse Juvenes Dominos *de Valchenberg*, Castrum hujus Nominis fortissimum possidentes, & latè circùm prædam agentes. Qui, cùm *Zwetlensibus* pariter nostris damna non modica intulissent, hi nimiâ insolentiâ compulsi, querelas ad Cæsarem detulerunt. Metum id fecit *Hadmaro* & *Rapotoni* Valchenbergiis, ut resarcire damna Cœnobio proponerent, atque Capellam apud eos exstruere, ubi quondam sepelirentur, sponderent, editô In-

Rudolphus Novus Austriæ Dux humiliat, & subigit Valckenbergios.

 strumen-

strumentô publicô: cui tamen opus nunquam respondit. Insequenti tamen Anno his Cœnobitis damna sua alia ratione compensata sunt, Domino *Rudolpho* novo Duce, Auctore Cæsare Patre suo, in ultionem Plurimarum insolentiarum, quas Domini isti tanto tempore adversus plurimos exercuerunt, potenter insurgente; Castrúmque eorum, post vehementem ac diuturnam obsidionem, tandem occupante. Quod, illis ejectis, solo diruit, deque prædis ingentibus repertis, tam Cœnobiorum, quàm aliorum pauperum, legitimè edocta nocumenta resarcivit.

Cæsar pro Patre Augusto Sacrum perpetuum fundat.

LXXX. De *Alberto* Cæsare Annales *Colmarienses* apud *Urstisium* Part. alter. p. 60. annotârunt, eum, cùm intellexisset, Augustum Parentem suum nullam sui Memoriam Anniversariam fundâsse, L. Talentorum Redditus Ecclesiæ Nurembergensi dedisse, ut Anima Patris ejus in Altari, noviter excitato, quotidiano Sacro expiaretur. Eadem in Urbe *Idib. Januarii* ad Magistratus ac Cives Urbium, Eslingæ, Reutlingæ, ac Ulmæ, Præceptum dedit, ne Cœnobium *Bebenhusanum* Cisterciense teloniis gravent, vel quælibet ejusdem Jura violare præsumant. *Besold.* in Docum. Monaster. Wirtenb. p. 390. Antea *V. Id. Januar.* Canoniam Regularem *Denkendorfensem* in suam & Imperii Protectionem, cum omnium Jurium, Libertatum, ac Possessionum Confirmatione, recepit. *Ibid.* p. 469. Parthenonem Cisterciensem *Schönfeldæ* in Bojaria pari gratia dignabatur *Constantiæ XVII. Kal. April.* teste *Gewoldo* apud *Hundium* III. p. 228. Uti & Conventum Præmonstratensem S. Joannis Baptistæ in *Steingaden*, in *Hagenawe Non. Maji.* Ibid. p. 252. Pariformiter quoque favit Canoniæ Regulari *Raitenbuechensi* apud *Eslingen V. Cal. Julii.* Ibid. p. 111. Novæ Civitati Austriæ Privilegia sua, quæ eidem, adhuc Dux, An. 1285. confirmaverat, nunc Regia Potestate denuo innovavit, *apud Ezzelingen VI. Id. Octobr.* Cl. *Bern. Pez.* Cod. Dipl. Part. II. n. 279. p. 197. Tandem gemino Privilegio clementissimè consuluit immunitatibus Cœnobii *Maulbrunnensis* Ordinis Cisterciensis, in Ezzelingen VI. Id. Octobr. & Idib. Novembr. juxta *Besold.* unde suprà p. 810. sq.

Ejus Diplomata.

Annus 1300.

Jubileum Seculare Romæ actum, non à *Bonifacio* Papa VIII. primùm institutum, sed in futurum firmiter constitutum.

LXXXI. SEculari hoc Anno Romæ Pietati litatum est, plenámque peccatorum veniam, ac pœnarum Remissionem lucrari, tam Populus Romanus, quàm infinitus cæterorum ex Orbe Christiano accurrentium numerus, diligentissimè studuit. Multis creditum, hujus Concursus Auctorem fuisse *Bonifacium* Papam VIII.vum. Sed is, commonitus veteris moris, & inquiri in ejus Constitutionem jubens, cùm nulla ejusmodi reperiri posset, Testes tamen Centenario majores firmiter

ter assererent, se An. 1200. sub *Innocentio* III. ob similes Indulgentias Romam accurrisse: ipse easdem pro hoc Anno præsenti indixit, & deinceps in quemlibet Annum Secularem diserta Constitutione decrevit. Lucraturis has Leges posuit: Ut verè pœniterent, ritè confiterentur, Urbem devotionis, non aliâ causâ accederent, Romani Basilicas diebus triginta, Exteri diebus quindecim frequentarent. Omnes tamen, Ecclesiasticis censuris illigatos, nisi antea resipiscerent, & exolverentur, beneficiô harum Indulgentiarum exclusit. Exeunte Anno hanc Gratiam in eos quoque extendit, qui ægritudine occupati, sive in itinere ab accessu Urbis, sive jam in Urbe existentes, ab Ecclesiarum Visitatione impediti fuissent. Annona Romæ, benedicente Domino, ita semper affluebat, ut non modò nunquam deficeret, sed insuper æquo semper pretio væniret. *Fridericus*, unacum Siculis suis, navali prelio à *Carolo* Rege Neapolitano iterum superatus, Cladem suam Victoriâ, quam terrâ retulit, rursum reparavit. *Raynald.* & *Pagius* h. a.

LXXXII. *Alberto* Cæsari haud omnia è voto successerunt, Vitæ etiam discrimen adeunti. Nuptiis quippe Filii *Rudolphi* apud Lutetiam Parisiorum actis, Franciæ Regis *Philippi* fœdere amicitiæ fretus, grandia agere concepit. Cùm igitur, ut habet *Albertus* Argentinensis, Comes de Hollandia, isque Ultimus, *Joannes*, Nepos *Wilhelmi* quondam Romanorum Regis ex Filio *Florentio*, cum Conjuge sua Anno priori, Prole destitùtus, toxico interiisset, „*Albertus* cum magna potentia descendens, Comitatus Hollandiæ & Seelandiæ, qui vacaverunt „Imperio, & quos Comes *de Hennegowe* (scil. *Joannes*, pariter „*Wilhelmi* Regis è Sorore Nepos) occupaverat, apprehendere „volens, præmonitus à Fratruele sua *de Kyburg*, Uxore Comitis „*de Cleven*, quòd omnes inferiores Principes contra eum convenerant, infectô negotiô est reversus.„ Adstipulantur *Colmarienses*, rémque clariùs, enarratâ prædictorum Conjugum nece, ita edicunt. „Horum Comitatum usurpavit Comes „Hannagogiæ velociter, & potenter. Hæc audiens Albertus „Rex Romanorum, mandavit Comiti Hannagogiæ, quòd has „res contra justitiam possedisset, & eas dari sibi liberè, postulabat. Comes hæc facere simpliciter recusabat. His Rex *Albertus* auditis, exercitum congregavit, & Comitem obsidere velociter cogitavit. Cùm Rex propè Coloniam cum exercitu „pervenisset: quidam eum interficere voluerunt. Hæc quidam ex Consanguineis Regis intelligentes, statim miserunt ei „nuncium: *Nisi ad nos ante prandium veneris, in prandio morieris*. Hæc Rex cùm audisset, ascendit dextrarium, & fugit „velociter ad Cognatos. Pauci autem ex suis, quos Rex vocavit, velociter sequebantur. Postquam ad suos pervênit, „fue-

Cæsar *Albertus* occupare Hollandiam frustra studuit:

fraude hostium in vitæ periculum adductus.

, fuerunt insidiæ patefactæ. , Pergunt postea referendô, Cæsarem ab exercitu suo, magna vi pecuniæ ad id peculiariter conducto, securè per medios hostes ad propria reductum fuisse.

Cum Sacris Electoribus colliditur.

LXXXIII. Erant verò ad Hollandiæ occupationem, à Cæsare susceptam, inviti pariter Sacri Electores Imperii, unacum Palatino: quos perpetui Sermonis Regii de Vectigalibus Rhenanis dudum tæduit, fœdúsque Cæsaris cum Franciæ Rege plurimùm solicitos reddidit, nimiæ eisdem potentiæ formidinem quotidiano incremento adaugens. Quapropter eam, accrescere accessione novarum Provinciarum, & earum quidem, quæ sibi tam propinguæ essent, penitus noluerunt. Dum proinde *Albertus* Rex ab occupatione Hollandiæ, fraude conspirantium, uti dixeram, retractus, ab Electoribus Rhenanis Vectigalia sive Portaria Rheni, tanquam primum ac præcipuum, quo Imperator viveret, Proventum, disertè repetiisset: cordatè illi opposuerunt, se non reddituros, cùm hæc Vectigalia maximam partem suis Antecessoribus à Regibus Romanis, qui dudum præcesserant, pignori supposita fuerint, omnia verò longi temporis, quo iis gaudebant, præscriptione sibi debeantur. Non acquiescentem Cæsarem ad Palatini tribunal evocare sunt ausi, responsurum, quo jure *Adolphum* occiderit, & Imperium invaserit? Ita scilicet lippi, ut videre noluerint, quàm absurdum esset, eum, quem unanimes, interfecto jam *Adolpho* extulissent, tertio demum Imperii Anno de Potestate interrogare.

Author præcipuus Moguntinus.

LXXXIV. Antesignanus Moguntinus erat: de quo ferunt, eum, aliquando cum Cæsare in Venatione constitutum, dum hic denuo Vectigalia moveret, apprehenso Cornu suo venatorio, dixisse, *se ex eodem duos jam Reges efflâsse, posse plures efflare.* , In quo (ait *Sigfridus* Epitomator) mentita est iniqui-, tas sibi: ipse námque longè ante Regem *Albertum* mortuus est. , De Trevirensi *Tritbemius* liberè satis tradidit: , *Dietherus de Nas-* , *sau* Frater *Adolphi* Regis, non electus, neque postulatus, in odi-, um Regis *Alberti* à *Bonifacio* VIII. fuit substitutus, ordinatus, , & ad Trevirim pro Archiepiscopo missus, præfuitque annis fe-, rè octo. Erat autem ex Ordine Fratrum Prædicatorum, & , omnibus diebus Pontificatus sui *Alberto* Regi Romanorum adver-, sabatur: sed viribus longè inferior, nihil adversus eum potuit. ,

Non æquior Trevirensis.

Contra eos non auditus Cæsar à Pontifice: quin potiùs ipsi contra eum.

Conquestus de Archipræsulibus Cæsar apud Pontificem, eos in jus compelli flagitavit. Hi verò per suos Oratores multò magis effecerunt, ut Imperator de nece *Adolphi* causam suam dicturus, Romam advocaretur: quod pleniùs enarrare Anni sequentis erit. Ubi advertere libet, eos, qui omnino volebant, ne *Adolphus* imperaret, noluisse tamen, ut occideretur, aut saltem sic animo præsetulisse: & ideo tacitam semper bilem in *Albertum* fovisse,

fovisse, contra quem, si displicuisset, æmulô captô, per novam ad eum defectionem, semper uti posse, sibi promtum optaverant.

LXXXV. Cæsar porro contuitus, nihil opis ex Pontifice esse, præsidium in armis quæsivit. Fidem denuo *Argentinensis* cum *Colmariensibus* facit: quibus consonans Misnensis Presbyter *Sigfridus* in Epitome ad hunc Annum ait. „Tres Archiepiscopi, *Gerhardus* Moguntinus, Trevirensis (Dietherus) „Frater scilicet Regis *Adolphi*, & Coloniensis (Wichboldus) „se contumaciter contra Regem Romanorum *Albertum* erexe„runt, & orto gravi bello inter eosdem, hostiliter præliatum „est usque ad Annum sequentem.„ Clypeus omnium esse credebatur *Rudolphus* Elector Palatinus, in quem Cæsar Augustanos, aliásque Liberas Civitates immisit. Trevirensi, & Coloniensi Archiepiscopis Geldriæ, atque Juliaci Comites hostes constituit: Moguntinum ipse sibi ad officia redigendum delegit. Operæ pretium in hoc bello factum Annus alter percensebit. Quare bellum inter utrosque.

LXXXVI. Chronica Patria, præeunte *Historia Australi*, hunc paragraphum habent. „Domina *Elizabet* Romanorum „Regina, cum Filio suo Domino *Rudolfo*, & Uxore sua Do„mina *Blanca*, Austriam intrat, & in Wienna solemniter ab „omnibus Dominis, & Civibus recipitur, & plurimis Mune„ribus honoratur.„ *Albertus* Cæsar Canoniæ *Adelbergensi* Ord. Præmonstratensis Confirmationem Privilegiorum impendit *Ulmæ in Epiphania Domini*. Videatur *Besold.* in Docum. Monasterior. Würtenb. p. 39. *Apud Argentinam Id. Maji* Literas Investitionis, ut ajunt, de Burggraviatu Nurembergensi in *Fridericum* Cognatum contulit. Formulam vulgavit *Wagenseilius* de Libert. Civit. Norimb. p. 344. Bohemiæ Regi *Wenceslao*, Poloniam sibi vindicanti, publicis Literis fassus est, quidquid eo in Regno subegerit, Feudi beneficio sibi, & Hæredibus, ab Imperio collatum & confirmatûm iri, *Moguntiæ III. Kal. Julii.* Diploma edidit *Czerwenka* p. 241. Regina in Austriam venit. Diplomata Alberti.

LXXXVII. Cæterum in hunc Annum *Raynaldus* p. 548. n. 37. ex *Laonico Chalcondila* refert *Otomannum*, primum Turcarum Tirannum: qui Prussâ Mysiæ Urbe subacta, ibi Regiam constituit, & Milites Prætorianos, *Portas* dictos, assumens, ut Regem se gessit: à quo Turcarum Imperium *Otomannici* Nomen gerit. Exortæ huic Christianæ Fidei pesti, barbaræque Tirannidi, Maturè DEUS pharmacum, atque Murum opposuit Austriaco-Habspurgicam Domum: cui tanta idcirco Incrementa rapacissimo Gloriæ cursu disposuit, ut hanc ad petram Muselmannorum Rabies allideretur. Sed ignorantes Consilium Domini homines, solóque sensu cupidinum ambulan- Initium Otomanici Regni: contra quod Austriaca Majestas à DEO parata.

bulantes, quod unanimi studio promovere debuerant, ad invidiam detorquentes, Orienti huic Soli, per quem Turcicæ Lunæ tot ac tantæ Ecclipses procurandæ fuerant, quascunque poterant, Nebulas offundebant. Irritum verò fuit Consilium omnium contra Dominum: quemadmodum omnium temporum Historia omni Mundo felicissimè demonstravit.

§. II.

Res Ordinis Cisterciensis.

Annus 1291.

Nicolaus Papa IV. confirmat Ordinem.

I. N*Icolaus* Papa IV.tus humiliter supplicante *Theobaldo* Archi-Abbate nostro Generali Cisterciensi, Ordinem universum gratiosâ Bullâ recreavit, quam ita exordiri dignatus est. „Plantatus in Agro Domini Ordo vester sic à suis primordiis, „Divina cooperante Clementia, pullulavit, sic laudabiliter in„crementis profecit, fructus assiduè proferens copiosos, quòd „inter alia germinantia dicti Agri tanquam Sidereo nitore reful„gens, plenis Donis Virtutum spiritualiter & temporaliter no„scitur abundare.„ Reliquo tenore omnes Ordinis Personas, Monasteria, & quidquid Possessionum ad ea attinet, sub specialem Sedis Apostolicæ Protectionem iterum recepit: Nostris transitum ad alios Ordines prohibuit: Monasteria nostra alteri cuicunque Ordini subjici interdixit: circa Statum eorum immutari aliquid vetuit: nostros contra Ordinis Leges nullibi recipi demandavit. *Datum apud Urbem Veterem V. Id. Decembr. Pontificatus annô* III.tio. Bullam toto tenore exhibet *Henriquez* post Menolog. Cod. Privilegior. n. XLVII. p. 82.

Sylvanus Claravallensis renunciatur Sanctus.

II. Hoc eodem anno *Sylvanus*, olim S. *Bernardi* in Claravalle Discipulus, in Album SS.orum illatus est, solus & unicus ex iis, qui nunquam aliorsum emissi, Mellifluo Magistro suo perpetuò adhæserunt: cùm tamen alii multi, Episcopales ad Cathedras assumti, per Sententiam Ecclesiæ Aris admoti fuerint. Ita tradit Rev.mus *Manriquez* Append. Tomi I. p. 512. advertens, Domesticis Claræ-vallensibus, sive nimiam ob multitudinem, Apotheosin Sacram impensam non fuisse, aut sufficisse eis ad elogium Sanctitatis, quòd semper Sancto adhæserint: iis contrà, qui à Patris Mellifui uberibus avulsi erant, publico Ecclesiæ testimonio indigentibus. Scribit porro *Manriquez*, hanc Sancti proclamationem à *Cælestino* V. Successore *Nicolai* IV. factam esse: in quo, nisi lapsu memoriæ Nomen erret, Apotheosis hæc Anno præsenti congruere nequit. *Cælestinus* quippe Anno demum 1294. Sanctam ad Sedem evectus fuit. Eodem interim laudato ex Historiographo nostro ulterius

us disco, *Joannem* III. Claraevallis Abbatem, hoc Anno electum, post paulò *Bonaventuram*, ignotae cujusdam Sedis Episcopum exulantem, hospitio accepisse, habitu Ordinis donâsse, mox autem defunctum sepeliisse, Epitaphio ejus etiamnum existente, in quo verò Ecclesiae, cui praefuerat, Nomen vetustas aboleverit. Bonaventura Episcopus, in Claravalle Monachus, ibi quiescit.

Annus 1292.

III. SUrrexit hoc Anno, qua parte Bohemia ad Septentrionem procurrit, sub ingressum Silesiae, inclitum Coenobium *Grissoviense*, ea in Sylva, ac Solitudine, quam olim *Henricus Barbatus*, cognomentô *Pius*, Maritus Divae *Hedwigis*, Poloniae, Cracoviae, & Silesiae Princeps, Coenobio Benedictino Opatowicensi pro novi Asceterii fundo contulerat, à Tartaris tamen occisus, nec Aedificium sacrum erigere, nec dotem adjicere valuit. Fecêre aliquid Posteri ejus: Sed, quòd bellis impediti essent, non pro Voluntate in DEUM pii, ac Munifici esse potuerunt. Tandem cùm *Bolko*, sive *Boleslaus*, Sweidnicensis Dux, & Fürstenbergae Dominus, eodem igne promovendae Religionis flagraret: Fundum illum An. 1289. ab Opatowicensibus Coenobitis ea lege pretio comparavit, ne illum in alios, quàm pios usus adhiberet. Statim triennio postea sacravit eum Cisterciensibus, ex Henrichovio advocatis, Abbate primo *Theodorico*. Grissovium fundatum.

IV. Munifica Pietas ejus huic Novae Plantationi suae neque in aedibus, neque in Possessionibus, neque in Juribus quidquam deesse voluit: uti Fundationis Literae affatim probant, editae *in ipso Fundationis Claustro*, scilicet *in Gratia S. Mariae Virginis*, quod Nomen eidem imposuit, *in Vigilia Nativitatis B. Virginis anno* 1292. in praesentia D. *Joannis* Wratislaviensis Episcopi, Ecclesiam, & Majus Altare ibi consecrantis. Sub Exordium Literarum Fundator ait, tam suo, quàm Conjugis Dominae *Beatricis* nomine., - - Coenobium Religiosorum Virorum in Loco, qui *Grissowe* vulgariter dicitur, de novo instaurantes, eidem Loco florem, immo fructum honoris & honestatis, disciplinae, & Religiositatis, decrevimus inserere, *Ordinem*, inquam, *Cisterciensem*, quem certè ob eximiae Puritatis, seu Charitatis custodiam, Morúmque, ac Virtutum, quibus praefulget, Insignia, speciali semper coluimus, & colimus affectu: ejusdem nostrae Plantationis Filiationem Domui Fratrum de *Henrichowe* attribuentes, eò quòd ipsius Domus Venerandae Personae, ex praeclara utique & Generosa dicti Ordinis propagatione, Ortum noscantur ducere Generosum., Excerptum è charta Fundationis.

Fata, & flos Monasterii, ac Congregationis ibidem *Josephinæ*.

V. Accrevit hoc Monasterium jugi Ducum Successorum Beneficentia, donec Hussitica rabies extremum propè exitium eidem attulerit. Restaurato nocuêre postea & alia calamitosa admodùm bella, maximè Succicum. Eluctatum tamen identidem, amplissimè refloruit: & quamquam in medio heterodoxorum hæreret, Catholicæ Religionis Cultum nihilosecius latissimè reparavit. Præcipuè ex quo An. 1669. è Campililio nostro Pietatem Josephinam in Gremium suum sub Reverend.mo D. Abbate suo *Bernardo Rosa* traduxit, erecta Sodalitate devotissima, quæ se Archi-Confraternitatis Nostræ *Josephinæ* Filiam profitetur, &, non tantùm in propria Ecclesia Regulari, sed etiam per omnes alias incorporatas, & administratas promota, tanto incremento profecit, ut Sodalium numerô æmulam quodammodo Matri, ac dubiam palmam, cum ingenti nostro gaudio, & congratulatione maxima faciat. *Jongelin.* in Notit. Abbatiar. Cisterc. Libr. V. à p. 57. *Sartor.* Cist. b. tert. vern. p. 682. Doctiss. P. *Georg. Iwaneck* S. J. in Lilio Paradisi Cœlestis S. Josepho Libr. II. Cap. 6. & 7.mo. *Monument. Campilil.*

Annus 1293.

Theobaldus Archi-Abbas Cistercii moritur: succedit *Robertus* II.

VI. Cistercii Archiabbas *Theobaldus* vitam piè conclusit IV. Id. Januarii hujus Anni juxta Epitaphium suum, Successorem nactus *Robertum* II.dum, Doctorem Theologum Parisinum, ac Pontigniaci Abbatem, *Philippo Pulchro* Franciæ Regi insigniter charum: sub quo & floruisse, & obiisse *Alanum ab Insulis*, cui *Magni* Nomen dedêre, diu creditum fuit, nunc graviter explosum, ut alibi recensui. Manriqu. Append. Tomi I.mi p. 480. Ad Superos quoque abiit *Guilelmus Gaufridi*, ex Abbate *Bellæ perticæ* Episcopus Vasatensis. *Gallia Christiana* Tom. III. p. 1130. In Austria Superiori, Everdingam inter ac Passavium, ad ripam Danubii dextram, D. *Bernardus de Prambach* Episcopus Pataviensis, plurimæ laudis Præsul, cui Ordo noster intimo animo sedit, sua de facultate ac fortuna privata, Cœnobium construxit, cui *Cellæ Angelorum* nomen adlegit, vernaculè *Engelzell*, sive *Engelhardscell* appellatum, eum in finem, quem in Charta Fundationis exsplicuit. „Ut „pauperes Viatores, ex Everdingo per Loca parum tuta ascendentes Patavium, hospitio isthinc exciperentur, ciboque ac potu „refocillarentur.„ Matrem huic *Cellæ* pro more Ordinis delegit Monasterium *Hilariense*, unde in eam Abbas primus *Berchtoldus* cum Colonis Regularibus immigravit. Moriens, huic Fundationi, quidquid substantiæ sibi residuum erat, supremis tabulis legavit. Adhuc illa perstat, ex incendio Anni 1699. per Dominum *Amandum* Abbatem restituta, & S. Annæ

Guilelmus Ep. Bellæ perticæ.

Cella Angelorum surgit.

næ Sodalitate, Divique Pancratii cultu, celebris, ac frequentata. Cl. *Hansiz.* Metr. Laur. p. 442. *Sartor.* vernac. p. 664.

Annus 1294.

VII. CÆlestinus de Morono Vir sanctissimus, hoc Anno Pontificatum Summum admittere coactus, duodenos inter, quos Purpurâ Sacrâ convestiens, Ecclesiæ Patres dedit, geminos è Cistercio elegit. Primus eorum *Simeon de Bello Loco*, Archidiaconus Carnotensis, ac Bituricensis Canonicus; fortunæ, & seculo, studio pietatis nuncium remittens, Cisterciensi se Disciplinæ aliquot Annis in Claustro addixerat. Verumtamen fama vitæ & virtutis in publicum emanante, summè licèt invitus, Candelabrum Archipræsulare Bituricense, communibûs votîs, ac postulante *Philippo Pulchro* Franciæ Rege, elucescendô latiùs illustrare debuit. Eodem quoque Rege commendante, à *Cælestino* Papa V. Cardinalis insuper Episcopus Prænestinus renunciabatur. Interfuit exinde Abdicationi Sancti hujus Pontificis, quæ Mundum omnem exempli singularitate summam in Admirationem abripuit. Aderat posthac Electioni *Bonifacii* VIII.[vi] Ab hoc ad Regem Franciæ cum Legati Apostolici facultate submissus, diligentissimam operam in componenda pace Francos inter Anglósque, tunc tamen inaniter, posuit. Romam itaque reversus, apud Urbem veterem sanctam animam egit 18. Aug. A. 1297. *Ugbellus* Ital. Sacr. Tom. I. in Episc. Prænest. col. 213. n. 43.

Cardinales Cistercienses. Primus *Simeon de Bello Loco*.

VIII. Alter erat anteriore Anno ad Supremum Cistercii clavum assumtus *Robertus*, Archiabbatum nostrorum Generalium hoc nomine II.[dus], creatus Cardinalis Præsbyter tit. S. Pudentianæ, ac tantâ *Caroli* II. Regis Neapolitani gratiâ pollens, ut eum, ob Nominis celebritatem, suavissimos mores, Doctrinæ præstantiam, Vitæque singularem integritatem, non modò in Aulæ suæ Contubernium, verùm etiam Arcanorum omnium Secretum, & Consiliorum Sacrarium admiserit. *Bonifacius* Papa VIII. eundem ad sopiendas acerbissimas lites, quæ se inter atque *Philippum* Francum vertebant, in Galliam dimisit, tanquam Regi probè notum, & antea non vulgariter charum. Sed quoniam Rex, prorsus efferatus, Legatis omnibus accessum Regni inhibuerat, *Robertus* noster eum nihilominus tentans, ut Ecclesiæ causam se suæ quoque Saluti præhabere Orbi ostenderet, hócque magnanimo exemplo Antiquam Cistercii Fidem erga Sanctam Sedem adhuc vigere iterum doceret, capi à Rege jussus est, sextúmque in Mensem captivitate detentus, támque incommode habitus fuit, ut liber tandem, sub ipsum iter, quo Romam reverti constituit, Parmæ mense Augusto pie decessetit,

Alter *Robertus* II. Archiabbas Cistercii.

cœnobium Cistercienſe *S. Martini in Valle Serena* juxta Parmam fundavit poſtremô hujus Epiſcopi Annô : in quo ſuperiùs *Robertum* Cardinalem noſtrum, è Captivitate Gallica reducem, & Parmæ defunctum, primùm ſepultum notavi, donec Ciſtercium translatus fuerit. Nobilis hæc & ſpectabilis Abbatia etiamnum flore ſuo perſiſtit. *Ughell.* II. col. 178. ſq. Cœnobium S. *Martini* fundatum.

XII. In Hiſpaniis *Ruizius Perez.* Magnus Militiæ noſtræ Calatravenſis Magiſter Saracenos apud Granatam aggreſſus, Glorioſâ Victoriâ barbaros proſtravit quidem, ipſe tamen lethali ex vulnere poſt pugnam deceſſit, ab eo immarceſcibili laurea coronandus, pro quo generoſam animam poſuit. *Manriqu.* III. p. 25. Vetus Monaſterii *Stamſenſis* in Tiroli Ordinis noſtri *Chronicon* apud Cl. *Hier. Pez.* I. col. 457. ita habet. „Anno Domini MCCXCV. in Vigilia Omnium Sanctorum obiit „ſæpe dictus *Meinbardus* Dux Carinthiæ, Comes Tirolis, & „Goritiæ, Aquilegienſis, Tridentinæ, & Brixinenſis Eccle„ſiarum Advocatus, Fundator noſter, Vir ſpectabilis, & præ„clarus, hîc tumulatus.„ Porro Anonymus *Leobienſis* apud eundem *Pez.* I. col. 871. ita narrat. „MCCXCV. obiit Dux „*Meinbardus*, & in Monaſterio *S. Joannis in Stams* Ciſterc. Or„dinis, quod ipſe ſumtuoſè conſtruxerat, ſepelitur. - - - Filiis „theſaurum magnum reliquit, res Ducatûs, & Comitatûs, „prediis, & poſſeſſionibus pluribus augmentavit : ſed in Ex„communicatione deceſſit propter quaſdam Eccleſias, quas læ„ſerat in bonis earum. Abbas verò *Stamſenſis* à Curia abſo„lutionem, Filios & Patriam lætificans, apportavit.„ Diras in eundem, juſſu *Cæleſtini* V. Papæ intorſerat *Conradus* IV. Archiepiſcopus Salisburgenſis *pro detentione quorumdam Epiſcopatuum* (i. e. Poſſeſſionum eorumdem) *videlicet Tridentini, & Brixinenſis*, ait Cl. *Hanſizius* Metr. Sal. p. 434. hâncque feralem Sententiam dixit in ipſa Synodo Provinciali Ann. 1294. Quo autem facto, reſipuit anno ſequenti Dux, fecitque ſolemni formula de reddendis Eccleſiæ Bonis fidejuſſionem die 12. Februarii. Abbas itaque Stamſenſis Abſolutionem, Sedi Sanctæ, quæ etiam Cenſuram tulerat, reſervatam, jam pœnitenti attulit, cum ſolemnitate Bullæ impenſam. Magiſter Calatravæ contra Saracenos Victor cecidit. *Meinbardus* Dux Carinthiæ Stamſii tumulatus.

Annus 1296.

XIII. Ruſinus Archiabbas noſter, Diſciplinæ Regularis maximè ſolicitus, adeò, ut etiam Beati Elogium apud *Henriquεum* in Menologio 30. Novembr. retulerit, volens ex Ordine abuſum illum funditus tollere, per quem delinquentes, & correcti Monachi, à Sententia Prælatorum ſuorum altius ad tribunal appellare conſueverant, vel contra Poteſtatem, aut Tollitur in Ordine abuſus excipiendi contra Judicia Abbatum.

contra non servatam Juris formam excipientes: usus est Patrocinio sui Antecessoris *Roberti*, nunc Cardinalis. Cujus interventu à *Bonifacio* Papa VIII. Bullam consecutus est, quæ omnibus Prælatis nostris potestatem facit, Monachorum suorum culpas cognoscendi, & juxta Regulam judicandi, itémque plectendi, quin ad rimas Juris & apices adstringantur. Data illa *Romæ apud S. Petrum Id. Februar. anno Pontificatus tertio*. Exhibet eam integram *Henriquez* Cod. Privil. n. XLIX. p. 83. adstipulante *Manriqu.* Append. Tomi I. p. 480.

Nicolaus Episc. Reatinus.

XIV. Teste *Ughello* Ital. Sacr. Tom. I. col. 1207. *Nicolaus* Ordinis Cisterciensis Monachus, olim ad Cathedram Episcopalem *Reatinam* incerto anno assumtus, hoc anno, tam oneri, quàm honori, in manus *Bonifacii* VIII. Pontificis spontè ac liberè cessit: quod ille eruit ex Epistola Papæ hujus ad Successorem Cathedræ *Bernardum* exarata, quam reperit in *Regesto Bonifacii* Ep. 104. *Ferdinandus* II.[dus] Militiæ nostræ Alcantariensis Moderator Supremus, feliciter Saracenos debellans, *Sanctio* Castellæ Regi *Cartejam*, aliis *Tarifam*, diu barbaro jugo oppressam, manu forti restituit, eapropter grato ab Rege annuis ex Regio Fisco redditibus pro Alcantara in prœmium donatus. *Manriqu.* Append. Tom. IV. p. 571.

Magister Alcantariæ Victor.

Walliense Cœnobium Angliæ quomodo inchoaverit.

XV. *Jongelinus* in Notit. Abbatiar. Cister. L. VIII. p. 11. sic brevissimè habet. „*Walbeyam*, sive *Walliense* Cœnobium „(in Diœcesi Eboracensi Angliæ) fundârunt Ann. Dom. „1296. Antecessores Dominorum *de Lacii*, Lincolniæ Comi„tum in Comitatu Lancastriæ: Filia Camber-Mari de Linea „Claræuallis.„ Ita ille. Ast ego longè alia disco in *Monastico Anglicano*, MSS.[tis] è Libris, Archiviis, & Bibliothecis Monasteriorum confecto, per *Rogerum Dedsworth*, & *Guilelmum Dugdale*, impresso Londini apud *Christoph Wilkinson*, *Thomam Dring*, & *Carolum Harper* III. Tomis fol. 1682. Opere nostris in partibus admodum raro. Ibi námque Tom. I. à pag. 896. sub uno agitur de Monasteriis in Agro Cestrensi, *Stanleya* & *Whalleya*, quæ in unum coäluerunt, dum sibi maximè vicina essent. Ecclesia *Stanleya*, sive *Stanlawe*, ut ibi, excitata fertur tempore *Ethelberti* Regis post Ann. Chr. 596. per Beatum *Augustinum* Monachum, & Anglorum Apostolum. Cui verò, propter horrorem & infrequentiam Loci, non præfuit *Persona*, qualiter tunc ajebant, i. e. Rector Clericus: sed à Laicis, *Decanis* dictis, administrata est, extra Sacramenta, & Quæstiones Canonicas. Priora plebs, quæ ibi rarissima fuit, percepit alibi: posteriores ad Episcopum referebantur. Decani porro prædicti, qui conjugati erant, hæreditario sibi jure invicem successerunt, viventes de Oblationibus

Eccle-

Ecclesiæ. Quòd cùm postea Concilium Lateranense An. 1215. omnino inhibuisset in omnibus Provinciis: tum demum Episcopo Jus præsentandi Clericum in hoc Loco relictum fuit. Abinde Anno Millesimo ducentesimo Nonagesimo sexto Abbas & Monachi *de Stanlaye*, quæ Abbatia An. 1178. fundata fuit, partim Indulgentia Episcopali, partim Redemtione pecuniaria, hanc Ecclesiam *Wallejensem* obtinuerunt, abinde Conventum suum ac Gremium ex *Stanleya*, ob nimia perpetuò exundantis aquæ detrimenta, transferentes, priùs illud concedente *Nicolao* IV. Papa, ad Assensum D. *Henrici de Lascy* Lincolniæ Comitis, ac præterea *Coventrensis*, ac *Lichfeldensis*, qui tum sedit, Episcopi. Plura videre licet in laudato *Monastico*.

XVI. In Bohemia Nobile Caput hoc Anno erexit *Aula Regia*, Fundatoribus *Wenceslao* II. Bohemiæ Rege, qui id votô fecit, inter lethales, quas passus est ab hostibus insidias, editô, & *Guta* Conjuge, *Rudolphi* I. Imp. Filia: quamvis ipsa primis mox diebûs positi initii decesserit. Distat id Pragâ duabus horis, ad Moldavæ & Misæ sive Berauniæ confluentem, veteri & patrio nomine *Zbraslaw*, novo *Aula Regia*, qualis & vivorum, & mortuorum fuit. Sæpissimè quippe à Regibus, Curias ibidem agentibus, Fœdera pangentibus, Pacem concludentibus visitatum, complura quoque Funera Regia accepit. Suasor ejus condendi præcipuus fuit *Theodoricus* Abbas Waldsassii, Professus Osseccensis, Regi à Consiliis, immo & Patrinus. Fabrica Monasterii cœpta An. 1296. Templi primus Lapis positus Anno sequenti Feriâ II.^da^ Pentecostes, Rege pridie cum Regina Pragæ coronatis. Munificentiam Regiam testari potest Colonia prima Regularis, è *Sedlicio* illic introducta sub *Conrado* I.^mo^ Abbate, 70. Capitibus constans, cùm aliàs duodena plerúmque Conventum novum conficere solerent. Dos pro numero Capitum erant Septuaginta duo Pagi, aut Villæ, præter Vrbeculas geminas, ac Jura, & Immunitates amplissimas, item opulentissima Vasorum Sacrorum, & Reliquiarum Donaria. Stetit Regia hæc Fabrica usque in Annum 1420. ubi eam Hussitæ pessùmdederunt. Reparata, ut potuit, Dote propè omni direpta, iterum vastabatur Annis 1611. 1631. 1639. nunc sibi dissimillima constans: quin vereor, Gallos Prussósque, his proximis annis Pragam semel ac iterum occupantes, semper tamen ab ea rursum profugos, nova eidem detrimenta haud parcè intulisse. *Phœnix incineratus, sive Origo, Processus, & Eversio Monasterior. Ord. Cisterc. in Regno Bohemiæ, spe reviviscens*, de Aula Regia. *Sartor*. Latin. 1059. Vernac. p. 740. sqq.

Aulæ Regiæ In Bohemia fundatio.

Annus 1297.

Leonardus Episc. Alatrinus.

XVII. FAvore *Bonifacii* Papæ VIII. hoc Anno VIII. Kal. Martii, ut habet *Regest.* illius p. 13. ad Sedem Episcopalem *Alatrinam* subvectus est *Leonardus*, Monachus & Abbas *Mormosolii* Ord. Cisterciensis prope Veliternum, simúlque eidem Veliternensis, atque Ostieensis Ecclesia, quæ tunc ex Obitu *Hugonis de Billomo* Cardinalis Episcopi Ostiensis vacabant, Administratio concredita fuit. Verumtamen ipsum pariter Mors altero statim anno terris eripuit. *Ughell.* I. col. 291. In Corsica Insula Cathedram *Acciensem* Episcopalem ascendit *Benevenutus*, nostro ex Ordine assumtus, uti ipse professus est, Gremiô tamen omissô, in testimoniis consecratorum à se Altarium apud Morimundum Italiæ, Ordinis nostri Cœnobium in Valle Ticini. Fulsit in Candelabro Cathedræ hujus annis plusquam triginta, defunctus An. 1332. quod constat ex *Regesto* Vaticano. *Id. Tom. IV.*[to] col. 908.

Benevenutus Ep. Acciensis.

Comissiones nostrorum Apostolicæ.

XVIII. Instante *Wenceslai* II. Bohemiæ Regis Coronatione, ejusdem precibus annuens *Bonifacius* VIII.[vus], cæteris in Gratiis, etiam geminis Abbatibus Cisterciensibus, *Getrzichio* Sedelizensi, & *Conrado* Aulæ Regiensi facultatem indulsit, ut, si Confessiones Regis, atque Reginæ, audierint, eosdem, cùm opus fuerit, à cujuslibet Excommunicationis vinculo, vel ab homine, vel à Canone latæ, exolvere possint, nisi tale illud esset, de quo meritò Sedes Apostolica consulenda foret. Ulteriùs quoque eisdem potestatem fecit, cum Rege ob Naturæ debilitatem, & sanitatis defectum in Quadragesima quoad esum carnium, usúmque ovorum, & lacticiniorum dispensandi, hoc proviso, ut Rex illis in occulto, & moderatè vescatur. Ambo Brevia Apostolica ex *Regesto* Vaticano *Bonifacii* VIII. exscripsit *Raynald.* ad h. a. p. 511. n. 52. Quamvis porro ibidem Inscriptio sic habeat: *Dilectis Filiis de CEFELI, & de AULA REGIA Monasteriorum Abbatibus Cisterciensis Ordinis Burgensis Diœcesis:* extra tamen dubium est, Scribas vel Transcriptores hìc errâsse, & pro *de Cefeli* legendum fore *de Sedeliz.*

Itèm alia.

XIX. Idem Pontifex ad Mellicensium quærimoniam de injuriis *Gerlaci* Plebani in Draeskirchen, decimas quasdam, vinique quantitatem, & alias Res injustè sibi usurpantis, Abbati Cisterciensi S. Crucis Austriæ *Bertholdo* injungit, Partes convocare, Testes audire, causam cognoscere, in ea pronunciare, & ad sententiæ observantiam, etiam censurîs, Appellatione remota, compellere: hoc proviso, ne quisquam extra suam Civitatem, vel Diœcesin, ad Judicium evocetur, aut in aliquo con-

tra eum procedatur. Cl. *Hueber in Austr. ex Archiv. Mellic. illustr.* p. 31. n. 5.

Annus 1298.

XX. ANno hoc Ordinis nostri iterum Seculari novum Cistercio decus intulit *Joannes Aucelin*, ex Abbate Clari Montis Galliæ Diæcesis Cenomanensis, suffragio Virtutum ac Votorum electus Episcopus Claromontensis. *Samarthani Fratres* in Gall. Christian. Tom. II. p. 530. Uti & apud Italos *Andreas*, Monachus & Abbas *S. Stephani de Bosco* in Calabria Diæcesis Squilacensis: quod Monasterium olim ab ipso S. *Brunone* Carthusiensium Patriarcha excitatum fuit pro Ordine suo, qui & ibidem ad Cælos evolavit An. 1101. Sub Annum verò 1150. cessavit esse Carthusia, & facta est Abbatia Cisterciensis: donec eundem Locum Ordo Carthusianus, ob memoriam Transitûs S. Patris sui, tunc Albo Sanctorum illati, ejúsque Reliquias ibi conditas, An. 1514. largiente *Leone* Papa X.[mo], sibi denuo vindicaverit. *Andreas* interim, cujus occasione hæc adnotata, tam Scientia, quàm Virtute conspicuus, *Caroli*que II. Neapolitani Regis gratia non vulgariter pollens, ex Abbate Monasterii hujus electus fuit hoc Anno Episcopus Melitensis. Æmulum verò passus est *Manfredum de Cifono*, cui tamen, pronunciante *Bonifacio* VIII. Papa per *Landulfum* Cardinalem Legatum, ipse prævaluit, non se, sed *Carolo* Rege instante, cujus hæc verba erant in Epistola ad Legatum exarata. „Nostris affectibus gra„tum accederet, quòd præfatus Abbas, *quem fide clarum, devo„tione sincerum, ab experto cognovimus, nec ab honestatis & pro„bitatis meritis alienum*, præfatæ præficeretur Ecclesiæ &c.„ Præfuit, & profuit usque in annum 1311. quo eidem Æmulus tandem successit. Ughell. Ital. Sacr. I. col. 955. sq.

Joannes Episc. Claromontẽs.

Andreas Episc. Melitensis.

XXI. *Jongelinus* in Not. Abbatiar. Cisterc. Libr. IX. p. 22. in Catalogo Abbatum Monasterii *Dunensis* in Flandria, *Petrum* II. ejus loci Præsulem prædicat ut Pœnitentiarium *Bonifacii* Papæ VIII.[vi]: qualem fuisse existimo, priusquam Clavum Abbatialem Gremii sui Domestici suscepisset. Cistercii vitam, insigni pietate conspicuam, quæ & Sanctimoniæ famam provocaverat, ultima Novembris in terra posuit *Rufinus* Archiabbas, immortalem ad vitam in cœlis sanctè discedens. Subrogatus eidem *Joannes* II.[dus], antea Mortui Maris, deinde Igniaci Abbas: qui postea, ut alibi laudabo, inter furias *Philippi Pulchri* Franciæ Regis adversus *Bonifacium* Papam VIII.[vum], Veterem Patrum Cisterciensium fidem erga Sedem Apostolicam præclaro rursum Patientiæ documento comprobavit. *Manriqu.* Append. Tomi I. p. 481.

Petrus Pœnitentiarius Papæ.

Rufinus Archiabbas Cist. obiit.

Vallis Rosarum in Palatinatu fundata.

XXII. Referente Doctiss. *Sartorio* nostro Cist. bis tert. vernac. p. 879. ex Notitiis *Eberbacensibus*, sub ipsum hunc annum in Palatinatu surgere cœpit Parthenon Cisterciensis, cui *Vallis Rosarum* Nomen impositum, Visitationi Abbatum Eberbacensium subjectus. Qui verò ab altero Odeo Virginali Cisterciensi paris Nominis ad Mosellam prope Kochemium in Archiepiscopatu Trevirensi omnino distinguendus est: cujus cura ad Hemmenrodenses Abbates adhuc respicit. De Fundatoribus *Vallis Roseæ* Palatinæ non constat: quæ An. 1580. à Milite Nassovio penitus excisa fuit, Possessionibus, totáque Fundatione ad Academiam Heidelbergensem translata. Meminêre hujus Parthenonis Vetera *Chronica*, eò, quòd juxta illum *Alberti* I. Austriaci cum *Adolpho* Nassovio Cæsare deposito prelium decretorium commissum sit, hicque posterior occisus, in hac *Valle Rosarum* sepultus fuerit, usquedum post plures Annos ad Spirensem Regum Romanorum Sepulturam eundem transferri liceret. Audire de hoc lubeat unum Anonymum *Leobiensem* apud Cl. *Hier. Pezium* Scriptor. I. col. 876. „Corpus Regis (*Adolphi*) ad Monasterium Sanctimonialium, quod *Vallis Rosarum* dicitur, Cisterciensis Ordinis transfertur, ibíque pro necessitate tumulatur.„

Annus 1299.

Leonardus Supremus Magister Militiæ de Avisio.

XXIII. PAginam hoc Anno facit in Rebus Ordinis *Laurentius Alfonsus* Magnus Militiæ nostræ Avisiensis Magister: cujus fortissimâ pariter, & fidelissimâ dextrâ *Dionysius* Portugalliæ Rex in acerrimis bellis cum *Ferdinando* Castellano egregiè nitebatur. Superatus tamen aliquando *Laurentius* noster ab *Alphonso Gusmanio* ad ripas Anæ fluvii, sive ad Guadianam, ipse occubuit, fidem suam in Regem sanguine proprio obsignans. Hic verò, qui merita ex animo magis, quàm eventu pensabat, etiam defunctum in Ordine suo Militari, cujus *Laurentius* Caput fuerat, remuneratus est, plures eidem Ecclesias, Patronatus Jura, Arces, ac Oppida, pluribûs Diplomatibûs indulgens: in quibus plerumque *Laurentii* gratam memoriam restituit. Tenuit hic Rex inter suos Cognomen *Fabricatoris* ex multis Ædibus, quas construxit. Has inter numerandus quoque, & mihi commemorandus venit Parthenon *Cisterciensis S. Dionysii de Odivellas*, ab eo excitatus, ejúsque exuviis honoratus. *Manriqui.* Append. Tomi II. p. 48. *Caramuel* Doctiss. Abbas noster in *Philippo II.* Hisp. Legitimo Lusitaniæ Rege demonstrato.

Annus 1300.

Monasterium Firmitatis non hoc tempore excisum.

XXIV. BArnabas de Montalbo Professus & Chronographus Ordinis nostri in Monte Sion prope Urbem Toletanam Hispaniæ, in *Chronico Cisterciensi*, edito An. 1602. Tom. I. Libr. I. cap.

cap. 31. loquens de Monasterio Firmitatis, omnium prima Archicænobii Cisterciensis Filia, sic habet. „Situm est hoc Cœnobium in Comitatu Burgundiæ, & in eo fuerunt Martyrio affecti Anno Millesimo Trecentesimo omnes Monachi cum suo Abbate ab exercitu hæreticorum Banditorum, qui Monasterium & Bibliothecam combusserunt.„ Quod idem Libr. II. cap. 37. rursum confirmat, epochâ utrobique verbis, non verò notis duntaxat numeralibus, quarum facillimus & creberrimus apud Scribas atque Typographos est lapsus, descriptâ. Eum secuti sunt *Chrysostomus Henriquez* in Menolog. Cisterc. die 9. Julii: item in *Astro SS.rum Cisterc.* p. 429. Insuper Anonymus *Mariæ Stellanus* in *Anno Cisterciensi* eadem die: tandem & *Sartorius* Cisterc. bis tert. Latin. p. 278. Egò verò, qui factum non inficior, sed epocham solùm exploro, nullibi deprehendo, inclinante Seculo XIII. in Gallia ejusmodi hæresin valuisse, quæ totis exercitibus grassaretur, & Monasteria integra exscinderet. Certè Rever.mus *Manriquius* noster, quamvis & ipsa in *Laurea sua Evangelica*, & item in *Sanctorali Cisterciensi*, hanc stragem nostrorum, prætermissô tamen annô commemoret, in Serie tamen *Abbatum Firmitatis*, quam Appendici Tomi I. Annalium inseruit, hoc, aut proximo quopiam anno, nihil tale subindicat. Reor ergo, immo certum habeo, Monasterii hujus excidium anteriùs longè, & eo tempore accidisse, quo adhuc Albigensium hæresis per Galliam furebat. Scio equidem, *Banditos*, à *bandire* sive bannire dictos, non tam hæreticos esse, quàm prædones, & latrones, quales omni tempore in societatem congredi possunt, tanquam homines ob crimina sua vel proscripti patria, vel sponte profugi. Sed *Manriquei* silentium in rebus, ad *Firmitatem* attinentibus, Epochæ *Montalbianæ* fidem mihi penitus, ac meritò eximit.

XXV. Pariformiter ab Æra sæpe laudati *Sartorii* recedere cogor, dum p. 281. Monachorum nostrorum *Cypruniceusium* in Polonia cædem à Tartaris circa annum 1300. factam esse, in margine adnotavit. Similiter quoque horum barbarorum in Poloniam incursiones sub *Lesco* Rege multò citiùs factæ sunt. Unde rectior mihi videtur *Henriquei* calculus in *Astro Cisterc.* p. 430. hos Monachos sub annum 1260. trucidatos fuisse. Adhuc verò *Sartorius* p. 459. celebrat Beatam *Elam* Comitissam Sarisburiensem in Anglia, quæ propriis facultatibus construens Parthenonem, *Lacock* nuncupatum, ibidem & ipsa Monialem Cisterciensem induerit, & vitæ innocentiâ adusque prodigia claruerit circa annum 1300. *Menologium Cisterc.* eandem celebrat è Scriptoribus Anglis die 1. Februarii, anno omissô. Sed Odeum *Lacock* ego neque in *Monastico Anglicano*, neque apud *Jongelinum* reperio, fortè alio sub nomine latens.

Neque *Cyprunicum* Poloniæ.

B. *Ela* Parthenonis *Lacock* Fundatrix.

§. III.
Res Monasterii Campililiensis.
Annus 1291.

D. *Conradus* Abbas Arbiter.

I. NObilis Dominus *Henricus de Radecke*, graviùs cum vicina nobis Inclita Canonia S. Hippolyti disceptans, animum tandem ad Laudum Concordiæ concedendum adjecit. Fassus est itaqûe apud Cl. *Duellium* in Excerpt. Geneal. Histor. pag. 182. n. 25. Instrumentô *apud S. Hippolytum IX. Kalend. Mart.* Anni præsentis editô, se causæ hujus Arbitros delegisse Venerabiles PP. DD. *Heinricum* Gotwicensem, & *Chunraadum* de Campo Liliorum, Abbates: Dominos autem Hippolytanos Vener. D. *Chunradum* Præpositum S. Nicolai Pataviæ, ac D. *Meinhardum* de *Reus* Judicem de S. Hippolyto. Hujus Compromissi Chartam suo Sigillo obfirmârunt Venerabiles DD. *Wolfkerus* Præpositus Herzogenburgensis, & *Udalricus* Præpositus S. Andreæ. Præclaro hoc in Consortio tot Prælatorum Abbas noster sanè non leve negotium, neque sine honore suscepisse credendus est: quamquam illud Cl. Editor in Charta haud explicuerit.

Luctus Campililii ex morte *Rudolphi* I. Imper.

II. Cæterùm duo hoc Anno evenerant, juxta Recensita §°. I.° in Rebus Principum ac Patriæ, quæ Campililio pariter luctum, ac metum induxisse videntur, nisi etiam damnum. Ex obitu quippe *Rudolphi* Imperatoris perculsâ universâ Germaniâ, quomodo nostri sine sensu fuissent, ex quo hic Optimus Augustus pauculis abhinc annis in fide ac devotione eorum ita sibi complacuit, ut palàm Regiô Scripto fateretur, se cupere, ut Campililium *in spiritualibus floridum, in temporalibus opulentum* esse persisteret? Præterquam igitur, quòd nullus ambigam, D. *Conradum* II.dum Abbatem nostrum tristissimæ illi Pompæ, qua Filius *Albertus* Dux, testibus veteribus Chronicis, Augustam Parentis Animam Viennæ solemniter expiavit, devotissimè adstitisse: neminem insuper inficiari velle arbitror, Campililii quoque tanto pro Cæsare, ut par erat, aut saltem Ordinis mos, & facultas domestica tulerant, comploratum fuisse. *Necrologio* certè nostro luctuosa ejusdem dies *Idibus Julii*, memoriæ profectò sacræ & æternæ causâ, extantibûs inter cæteras literis coævis, quàm diligentissimè inserta fuit.

Metus ex Ungaris, & Seditione Provincia-

III. Metum non poterat non amplissimè parere Ungarorum ac Cumanorum Grassatio, tam fœdis coloribus, rapinarum, cædium, incendiorum, abductorum hominum, Patriis in Annalibus depicta, & sex planè per hebdomadas, uti volunt

pro-

producta. Sine omni damno hìc undique exiisse nostros, & qui eis devoti erant, spondere ego neutiquam ausim. Et esto, salvas hìc quidem res cunctas extulerint: difficiliùs factum id arbitror sub reliquis Provincialium adversus Ducem insolentibus turbis, ipsiúsque Viennæ Urbis detestabili seditione. Fuerunt nostris ultra Danubium, ubi maximè tumultuatum à Nobilibus, & contra eos à Duce dimicatum, fuêre quoque Viennæ possessiones, census, redditus, commercia: quæ nihil omnino detrimenti fecisse, ut credam, ægerrimè addúcar. Interim hanc ipsam Anni hujus acerbitatem in causa fuisse existimo, quòd nobis Archivium nostrum ne ullam quidem Chartam, vel actionem huc attinentem, suppeditet. Quæ enim salus bello? Nisi hoc demum Campililio saluti fuerit, quòd multis eò confugientibus, ipsa loci solitudine tutelæ atque securitati fuerit, & maximè pauperibus, pro solemni suo, viscera charitatis exsplicare licuerit. lium: fortè etiam damna.

Annus 1292.

IV. STiriense bellum Bavari Ducis, Archiepiscopi Salisburgensis, & Ministerialium adversus *Albertum* Ducem, tametsi Rebus nostris nocumenta non intulerit, incerto tamen exitu solicitudinem indubiè provocavit, ne alea ista Dilecto terræ Principi non prosperrima caderet, móxque pacatam Patriam nova flamma infidelitatis adureret. Curas verò istas varia D. *Conradi* Abbatis nostri negotia hoc anno ad propriæ Domus utilitatem avocabant. Sic beneficos habere meruit Dominos *Altenburgicos* vicinos, Patrum, Campililio admodùm olim gravium, Nepotes. E quibus *Dietricus* Infirmariæ nostræ donavit bona, *Chunig sæde* dicta, *in Lilinveld die S. Roberti Abbatis*, qui Primus Reformationem Cisterciensem inchoavit, cujúsque Solemniis hic Dominus interfuisse visus est, ut ævo illo, devotionis amplioris causâ à secularibus plerumque fieri consuevit. Erat ea dies 29. Aprilis. Frater ejus *Chadoldus* aream in superiori Steinbach, sibi feudo antehac obligatam, liberam nobis fecit hoc eodem anno, die omissa. Frater alter *Chunradus* sedens in Ochsenburch *hat gegeben Unser Frawen der ewigen Maget* (perpetuæ Virgini) *hincz* (nach) *Lilinvelt auf daz Siechhaus* (pro Infirmaria) feudum quoddam in Oberndorf, ut infirmis, *den Siechen*, in Adventu Domini serviatur piscibûs, hoc anno *bey Abbt Chunrats Zeiten.*

Item ex bello Stiriensi, ac Salisburgensi.

Benefactores *Altenburgici.*

V. *Alber Gneuss von Tozzenbach*, cum Uxore *Bercht*, *und seine Chindt*, *Gebart*, *Hainreich*, *Gedrautt*, *und Margreth*, vendunt *Brueder Chunradt dem Abbt*, *und der Sammenunge ze Lierenvelt*, integrum Feudum in Steinpach & Gruew, sive Molendinum, Villam, & Sylvulam, *an sant Philippes tab ze Wienne in*

Venditiones aliorum.

Lien-

Lienfelter Hof. Rursum *Heinricus de Gesnitz*, cum *Agnete* Conjuge, vendidit nobis *ein Phunt Güldt daze Wassenœde, an der beylign tag Primi und Feliciani*, i. e. 9. Junii.

Annus 1293.

Error circa Conradum II. Abbatem nostrum.

VI. QUi olim Catalogos Abbatiales apud nos construxerunt, hac Rubrica *Necrologii* nostri seducti: *VIII. Id. Augu. Obiit CHUNRADUS PRIMINGARIUS Sacerdos & Monachus, quondam Abbas hujus loci*: eandem, cùm de *Conrado* I.^mo adnotata fuerit, de II.^do acceperunt, atque idcirco mortem ejus in diem 10.^mam Augusti præsentis Anni statuerunt. Sed Mense Decembri eum adhuc superstitem fuisse, aut præfuisse, me docet Archivium nostrum, meúmque errorem, quem, secutus Catalogos, in Serie Abbatum nostrorum, Conspectui Fastorum nostrorum inserta, admisi, luculentè refellit. Subministrat illud geminas duntaxat hujus Anni Chartas. Primam Illustris Domini *Leutboldi de Chunring* in Tiernstein Pincernæ Austriæ: qui initio quidem ex Antesignanis Provincialium, Duci se opponentium, fuit, Castrîs propterea pluribûs multatus: postea verò singulari fide inclitus, & in primos Ducum favores admissus. Hic, Oppidi Dresingæ Dominus, postquam jam An. 1276. subditis ibidem Fundum novum pro transferenda Ecclesia Parochiali S. Laurentii, ac Cæmeterio, Domóque Plebani, quæ loco nimis remoto, paludoso, intutóque constiterant, indulsisset: nunc iterum supplicantibus, cùm & iste Fundus, adhuc æquo remotior, ab hostilium incursationum formidine necdum eos eximeret, Hofmarchiam suam, in ipso Oppido existentem, Nobis, ut Patronis Ecclesiæ, omnino propriam fecit, atque donavit, exstruendi facultate nobis liberè facta, *in Cisterndorf proxima die Dominica ante Catharinæ Virginis & Martyris.*

Leutoldus de Chunring Benefactor in Dresing.

Venditio facta D. Conrado, probat eum adhuc præfuisse.

VII. Quamquam porro hæc Charta *Conradi* Abbatis Nomen haud exprimat, illi tamen extraditam esse, sequentibûs Literîs evincitur. Vendidit quippe *Nicolaus de Drozze dem Abbt Chuhraten* Agrum quemdam, *Vischlinne* dictum, juxta Wihelmspurg. Qui cùm Sigillo careret, has Literas Emtionis Venditionis ejus rogatu expedivit D. *Fridericus de Raejelenperig.* Subscriptio habet: *Diser Chauf ist geschehen von Unsers Herrn Purdt Tawsent und Zwayhundert und drew und Newnczich Jor an Sandt Niclas Abendt*, i. e. die 6.ta Decembris. Qui ergo vixit Mense Decembri, defunctus esse non poterat 20. Novembris, quæ hoc Anno fuerat *Dominica proxima ante Catharinæ*, qua Charta prior emanavit, minùs verò Mense Augusto anteriori. Atque hæc Epochæ causâ.

An-

Annus 1294.

VIII. STationem fastigii Præsularis hoc Anno apud nos secum invicem commutâsse Dominos Abbates, *Conradum* II.^dum^, & *Alberonem*, certum est: quo verò Mense, pronunciare non possum. Tametsi enim sex Chartas huc attinentes teneamus, duæ tamen solummodo earum *Alberonem* ex nomine laudant, die porro subsignationis omissa. Nam plerumque, vel Annus, vel Dies, aut Locus editæ chartæ, incurio Notariorum calamo adhæsit, dum privatorum Instrumenta, nonnunquam similiter, dum Regia conficerent. Cæteræ harum Chartarum appellativo duntaxat Nomine *Abbatis*, Propriô suppresso, utuntur. Quiscunque verò Mensium, ac dierum Domino *Conrado* nostro niger fuerit, eodem certè pauperes Patris perbenefici jacturam fecerunt, Campililium Præsulem bonum & solicitum amisit, Annô perutilis Regiminis octavô. Qui successit, *Albero* Cognomen suum *Patrisfamilias*, vulgò *Hausvater*, utilissimis Actis, iisque celeberrimis, de quibus Archivium nostrum testatur, insigniter implevit: ut adeò peregrinus totus ac hospes in chartis nostris ille fuerit, qui sic Abbatiali in Catalogo scripserat: *Undecimus ALBERUS. De hoc solum Nomen exstat: Obiit Anno 1295.* Omnia hîc fallunt. Fuit enim numero XII.^mus^: & Seculum præsens anno altero superavit, si quis alius per Diplomatica testimonia notus, uti vel solæ Anni præsentis Literæ, nunc recensendæ demonstrant.

Obeunti apud nos, successit D. Albero.

IX. Primum quidem, cùm Donatio Hofmarchiæ in Oppido *Dresing*, à D. *Leutoldo de Chunring* Pincerna Austriæ Anno priori pro exstruenda Nova Ecclesia, Cœmeterio, Domóque Parochiali facta, majoris nonnihil momenti esset, & facilè lites potentium Propinguorum excitâsset: providi Majores nostri rogârunt, eandem communi eorum, ad quos attinere poterat, consensu, publicísque Literis confirmari. Id, quod factum est Chartâ geminâ, utrâque Autographâ, paribúsque Sigillis munita, Latinâ unâ, altera vernaculâ: in qua Donationem hanc communi nomine faciunt *Leutoldus* laudatus, Contectalis ejus *Agnes*, Patruus *Albero de Chunring*, Filius D. *Heinrici Chunringii de Weitra*, appensis pariter Sigillis Patruorum suorum *de Potendorf*, *Heinrici*, *Chunradi*, & *Sibotonis* Fratrum. Longo Testium subscriptorum Syllabo tandem additur: *Aliique plures Ministeriales, Milites, ac Clientes.* Quod in vernacula Charta ita redditur: *Und ander bidirbe Dienstmann, Ritter, und Chnappen.* Qua Expositione genuina notio vocum, *Ministerialis*, *Miles*, & *Cliens*, qualiter eas veteres ævô illo accepêre, manifestatur. Subsignatio est: *Acta sunt hæc Anno Domini Millesimô Ducentesimo Nonagesimo Quarto in die Beati Viri.* Locus prætermissus.

DD. ni Chunringii confirmant Donationem suam.

Acta alia D. Alberonis.

X. *Hertnidus de Wildonia*, Marschalcus Stiriæ, qui, ut olim *Otocaro* Regi, ita nunc *Alberto* I. Duci, cum summa contentione diutissimè restitit, confirmavit nobis Donationem duorum *Laneorum*, i. e. Servitiorum perpetuorum, vulgò *Beutel-Leben*, in Phrumna, quam nobis fecerat *Ernestus* quidam Civis Viennensis, eorum se Defensorem constituens tanto rigore, ut imperanti Duci omnia Bona sua, tam Austriæ, quàm Stiriæ, ad compensationem nobis inde faciendam obligaret, si Lanea ista quisquam Hæredum suorum evinceret. *In Wiennen An. 1294.* Dies abest. *Dietricus de Pilichdorf* testatus, ac publicis Literis fassus est, Socerum suum D. *Dietricum de Hohenberg* legâsse nobis Molendina, & Mansos apud Traisen, se assistente: *Datz Wienn in der Stadt an den dritten Tag nach sant Andres tag.* Dominus *Ulricus de Merckenstein* quatuor Agrorum in Redebrun sibi feudalium proprietatem, & allodium concessit D. *Alberoni*, & Conventui nostro: *Actum in Lilinveld An. 1294.* Dies, Mensísque denuo desiderantur. *Henricus Reichel* & Uxor *Christina* vendiderunt *Abbt Albern, und seiner Samung, ihr Aign bey Hergersteten ze Rueppr echtshoven 1294.*

Annus 1295.

Item alia cum variis.

XI. JOannes Plebanus Ecclesiæ Medlicensis (i. e. in Medlingen) Domino suo *Alberoni* Abbati Campililiorum fassus est emphitheusin de Curia in Piestling, à se emta, sub Sigillo D. *Bertholdi* Abbatis S. Crucis: *Wienne in Epiphania Domini.* Communitas Civium *Steinensium* attestatur Venditioni cujusdam in Strazing, Domino *Alberoni* factæ ab *Henrico Sevelder* Concive suo, *die S. Valentini*, sive 14. Februarii. D. *Bernardus* Episcopus Pataviensis innovat, ac denuo approbat Confirmationem Fundationis nostræ, olim factam à D. *Manegoldo* Episcopo, *Wienne VIII. Id.* Aprilis, i. e. die ejusdem 7.[ma]. Idem confirmat *Chunringiorum* Donationem Hofmarchiæ in Dresing, ut antè. *Pernoldus* Miles de *Telesprunne*, qui Jus nostrum Provinciale in Wizelstorf, contra solemnia Privilegia nostra Ducum Fundatorum, & postea Imperatorum *Friderci* II. atque *Rudolphi* I. usurpavit, jam antehac ab *Alberto* I. Duce in Placito publico abscedere jussus, rursum verò relapsus, nunc iterato Ducis Præcepto ad perpetuam hujus Juris Renunciationem compulsus est: quam edidit chartâ vernaculâ *ze Wien an sand Jörigentag.* Fratres *de Werfenschlag Hadmarus* & *Hermannus* vendiderunt nobis Feudum in Roslendorf, & alia, *Ze Weinachten an der Chindlin tag.* D. *Otto de Pebrarn* pro remedio Animæ donat nobis feudum in Leuttspach. *Albero* & *Hadmarus* Fratres *de Schönberg* abscedunt lite super duas libras Reddituum, nobis olim à Patre *Hadmaro* venditas, novô pretii augmentô à nobis perceptô.

XII.

XII. Quoniam porro hoc Anno, quemadmodum proli- xiùs §.° I.^mo^ recensui, Serenissimo Duci *Alberto* venenum perfidè in esca propinatum est, quo ille in extremum vitæ discrimen impellebatur, ita, ut fama mortem ejus jam in Orbem nunciaverit: Ducissa *Elisabeta* preces publicas pro ejus incolumitate undique perurgente, utique Campililium suo Muneri non defuit, partémque impetratæ salutis apud DEUM promeritum fuisse, censendum est. Piam nostrorum in precando contentionem, peculiari fortè Ducissæ fiduciâ excitatam, ferè arguere liceat ex ejus Munificentia, quam postea Monasterio impendit, centum eidem Talenta denariorum Wiennensium pro vestibus elargiendô: quod principio sequentis seculi è Literis *Rudolphi* Ducis, Primogeniti ejus, liquebit. Aliud non minoris ponderis argumentum Serenissimæ Regiæ atque Ducalis Fiduciæ in Domus nostræ fidem Annus quartus post præsentem in medium adducet.

Nostrorum preces, Duce *Alberto* ex veneno vitæ periculum adeunte.

Annus 1296.

XIII. REpetere rursùm hìc aliquid ex Historia opus est. Narraveram §.° I.°, *Conradum* IV. Archiepiscopum Salisburgensem, fama de obitu Ducis personante, ejusdem Salinas destruxisse: quam deinde vim Dux, ex morbo restitutus, militari vastatione in Salisburgensem est ultus. Eapropter Archiepiscopus Gladium Ecclesiæ arripiens, Diras in Ducem intorsit, omnémque Terram ejus Interdicto supposuit. Idem ut facerent, & Sententiam promulgari curarent, flagitavit à Coëpiscopis, Pataviensi maximè, ac Seccoviensi. Prior tam arduam rem in consultationem accepit. Dum verò cum Capitulo deliberaret, supervenerunt Nuntii Ducis, ajentes, statuisse Principem causam suam, quæ sibi cum Archiepiscopo intercederet, deferre Summo Pontifici: rogare proinde, ut Præsul una secum Literas Romam submittere velit. Idipsum flagitatum à singulis Ordinibus utriùsque Cleri, Secularis, & Regularis: quorum omnium unanimem consensum, solo Ordine Prædicatorum excepto, ingenti cum gaudio suo impetravit. Ita Cl. *Hansiz*, Metr. Laur. p. 444. præcipuè ex *Horneckio* Chronographo Stiro, qui vernaculus, ac Rythmicus, ita cecinit.

Appellationi ejus ad Pontificem in causa cum Archiepiscopo Salisburg. videtur subscripsisse Campililium.

Sie wolden pei ym sten
Payd, Grozz, und Chlain,
On die Prediger alain:
Swarz Münich, und Regler,
Münn prueder, únd Wilhalmer,
Weizz Münich, und Gra,
Und der Orden von Kartussa,

Mit dem pischof von Pazzaw,
Und mit dem von Seccaw,
An dem Geding beliben:
Dem Herzogen si do schriben.
Der waz es vil fro &c.

Hæc si teneant, quamquam has Diras Archiepiscopales non à *Conrado* intortas, sed ex *Rudolphi* Præcessoris historiæ perperam ad *Conradum* traductas esse, multò verosimilius §.° I.° jam dixerim, Campililienses nostros nunc, sive tunc, tanto è Cœtu, cujus Capita Episcopi gemini, Membra Clerus universus, excipere non licebit. Difficile tamen apud eos rei hujus Consilium fuisse, nec omni solicitudine vacuum, facilè largior: quippe quos tenerrimos, & Ecclesiæ maximè reverentes, nemo non arbitrabitur. Contra torrentem verò quid potuissent? Fiduciam sentiendi cum cumulo eis præbuerit, quòd unius Monasterii pondus tantæ rei neque addere multum, neque demere posset. Nequaquam præterea hac Appellatione Sanctæ Sedis honor temeraretur, sed Reverentiam potiùs appellantium delatum eidem hujus causæ Judicium demonstraret.

D. *Alberonis* varii Contractus.

XIV. Acta cætera D. *Alberonis* Abbatis hoc Anno sequentia è chartis nostris intelligimus. Dominam *Chunigundim de Stockstall*, variè erga nos beneficam, tanquam Sororem Familiarem in Meritorum Communionem admisit, eique Anniversarium depactus est, *Festo S. Laurentii.* Dominus *Rinhardus* Decanus & Plebanus Chueleibensis (i. e. in Kilb) legatâ nobis vineâ obtinuit apud nos Sepulturam: plures præterea libras denariorum pro Funeris expensis, & luminibus, pro Calice, Tabuláque Altaris, pro vitris ad Capellam in Porta legavit. Item pro Monachis, ac Conversis, & peculiariter pro Fr. *Chunrado* Seniore, speciali Amico, *in die Nativitatis B. Virginis.* Domina *Albaidis de Reinsperg* cessit liti circa limites minoris Montis Oetscham, nostris Literis edocta, vicissim rogans, Adjutorium sibi à D. *Alberone* Abbate præberi ad Consecrationem Ecclesiæ suæ in Randeck: *ze Lilinvelt des nehsten tages nach Unser Vrawn tage, als si geparn wardt.* Domina *Jeut* (Guta) *Smerberinne* Censum Domus, quam Vitalitio Jure possidendam à nobis obtinuerat, Vineâ donatâ redemit, *Ze Wienn an sant Kathrein tach.*

Annus 1297.

Bonifacius Papa VIII. confirmat Privilegia nostra.

XV. A *Bonifacio* Papa VIII. Dominus *Albero* Abbas noster vigili solicitudine sua novam Possessionum ac Jurium Confirmationem Bulla brevi obtinuit, data *Romæ apud S. Petrum II. Id. Mart. Pontificat.* An. III.^tio^. Ipse, & Fr. *Henricus*, Provisor Curiæ nostræ in Chrems, decidit litem inter Plebanum,

&

& Colonos nostros in Wizelstorf, ratione Insulæ cujusdam, *die 7.ma Junii.* Cum Propinguis & Affinibus D. *Dietrici de Hohenberg* multas lites composuit, partímque pecunia redemit, circa pia ejusdem Legata, ab ipso nobis facta, intentatas. Multa enim, quod aliàs observavi, quæ primùm Beneficia erant, postea reddenda, vel peculio redimenda erant. Unde par erat, cessantibûs commodîs & onera, à legantibus imposita, cessare. A Dominis *de Wildeck* emit 4. Mansos in Hainfeld. *Henricus Geiselherr* pro remedio Animæ suæ quædam donavit nobis, alia Nobiscum commutavit in Wilhelmspurg. Acta alia D. Abbatis.

Annus 1298.

XVI. SUmmum hoc Anno Principis discrimen Campililio necessitatem precum iterum indixit. Vocatus erat *Albertus* ad Regnum, & votis discordibus electus Romanorum Rex, eo pacto, ut *Adolphum* Principem longe Strenuissimum Imperio depelleret. Ab hoc steterat uterque tam inferioris, quàm superioris Bavariæ Dux, Austriæ maximè vicinus. In ipsa Austria, Stiriáque multorum Nobilium fides admodum anceps erat. Prima *Adolphi* Arma ita valuerant, ut *Albertus* ea declinare potiùs, quàm provocare debuerit. Decretorium ad prelium *Adolphus* illum ignem Animi attulit, quem Æmulatio & Vindicta in Principe, urente flamma, accendunt. Quantam putemus in hoc rerum articulo solicitudinem, ne *Alberto* sinistra alea caderet, eidem fidelium corda onerâsse? Quantis exhortationibus *Elisabetam* Ducissam apud omnes institisse credamus? ut sine intermissione pro Conjuge Rege orarent? Solicitudo Campililii, ac preces pro *Alberto* electo Rege.

XVII. Atque ad hanc ipsam, arbitror, precum Assiduitatem, qua tunc maximè opus erat, ampliùs provocaturi Episcopi, Frisingensis, ac Pataviensis Indulgentiarum largitate Ecclesias varias donârunt. Teste certè Archivio nostro, D. *Enicho* Frinsingæ Præsul fidelibus omnibus verè pœnitentibus, & confessis, Capellam *S. Joannis Baptistæ* Curiæ nostræ Cremsensis in *Weinzierl* devotionis causâ accedentibus, ibique Missam audientibus, 40. dierum Indulgentiam concessit, *Cremsii die 4.ta Januarii.* Quas approbans D. *Bernardus* Episcopus Pataviensis, alios adhuc 40. dies adjecit, *ibidem Dominica Palmarum*, quæ fuit hoc Anno 30. Martii. Capellæ nostræ in Weinzierl concessæ Indulgentiæ.

XVIII. Ex aliis hujus Anni Chartis nostris agnoscimus, *Dietricum* & *Rugerum*, dictos *Tolfos*, coram D. *Stephano de Hohenberg* confessos esse injuriam frequentem, subditis nostris à se factam, eámque deprecatos, emendationem spopondisse, ad mulctam, quam ipsi sibi indixerant, se obligantes, quamprimum relaberentur, *ze Lilinvelt am heiligen Oster Abendt.* Ibidem *die S. Michaelis* donavit nobis *Henricus de Ganzendorf* pro Acta fori.

 Re-

Remedio Animæ suæ feudum in Dietrichsberg. Ejusdem Venditioni alterius feudi nobis factæ Chartâ suâ fidem fecit Nobilis D. *Henricus Cling* die *S. Martini.*

Annus 1299.

Campililii Fidei credita præcipua Ducum Austriæ Privilegia asservanda

XIX. SEdecim inter Chartas Anni hujus, quas adhuc Autographas tenemus, veluti Margarita certissimè eminet sequens hæc parva Membrana, integerrimo suo Sigillo roborata: quam per extensum adscribens, plurimùm sanè operæ pretium me facturum existimo. Tenor illius talis est.

Literæ Consignationis.

„Ego HERMANNUS Marschalcus *de Landenberb* profiteor „publicè per præsentes: Quòd Serenissimi Domini ALB.*erti* „Incliti Romanorum Regis, & semper Augusti, nec non Præclarissimæ Conthoralis suæ Dominæ ELIZABETH Inclitæ Romanorum Reginæ, ac Magnifici Principis Domini RUD.*olphi* „Illustris Ducis Austriæ Nomine, Virorum Honorabilium, *Alberonis* Abbatis, totiúsque Conventus Mon.*asterii* Campililiorum Fidei, Privilegia, inferiùs annotata, in Vigilia beati Mathiæ Apostoli assignavi, conservanda, & restituenda memorato Domino RUD.*olpho* Illustri Duci Austriæ, dum per ipsum „fuerint requisiti. Privilegia autem sunt hæc.

„Primùm Privilegium Infeudationis Principatuum Austriæ „& Stiriæ, sub bulla aurea, quam Rex RUDOLFUS apud Augustam ALB.*erto* nunc Romanorum Regi fecisse dinoscitur. „Item Privilegium FRIDERICI Imperatoris secundi sub Bulla „aurea, continens Libertates Ducis Austriæ, & Puerorum suorum Filiorum & Filiarum. Item Privilegium Regis „RUDOLFI, qualiter Filium suum ALB.*ertum* unicum Ducem „Austriæ fecit, & alios suos Fratres ab ipso divisit. Item Privilegium spectabilium, *Ludwici* de Oetingen, *Purchardi* de Hohenberch, *Eberhardi* de Wirtenberch, *Ottonis* de Strazperch, „Comitum, super Taxationis, seu Moderaminis Arbitrio „in moderata pecunia inter Illustres, RUD.*olfum*, FRIDERICUM, cæterósque Fratres, Duces Austriæ ex una, & JOHANNEM, quondam RUD.*olfi*, Fratris Illustris ALB.*erti* Ducis Austriæ, nunc Romanorum Regis, Filium ex parte alia „terminando. Item Privilegium Serenissimi Domini ALB.*erti* „Incliti Romanorum Regis, datum Illustribus, RUD.*olfo*, FRIDERICO, cæterísque suis Filiis Ducibus Austriæ, super concessione Terrarum Austriæ & Stiriæ.

„Item Privilegium potiorum Ministerialium Austriæ & Episcopi GOTTFRIDI Pataviens. approbancium, Inclitum Dominum RUD.*olfum*, olim Romanorum Regem, soli Illustri Domino ALB.*erto*, tunc Duci, Principatus Austriæ & Stiriæ in „feo-

„feodum contulisse. Item Privilegium *Friderici* Archiepiscopi Salzpurgensis, & sui Capituli, super Feodis collatis ALB.erto Duci Austriæ, & suis Fratribus. Item Privilegium Regis RUD.olfi Theutonicum super Advocatia Ecclesiæ Admonten.sis. Item Privilegium *Leonis* Episcopi Ratisponensis super Feodis concessis ALB.erto Duci Austriæ, & Fratribus suis. Item Privilegium *Petri* Epi. Patavien. super Feodis concessis Domino ALB.erto Duci Austriæ, & Fratribus suis. Item Privilegium Domini *Chunradi* Epi. Frisingeñ. super Feodis collatis eisdem. Item Privilegium Regis RUD.olfi, continens sententiam de Bonis, quæ quondam Dominus FRIDERICUS Dux Austrie usque ad obitum suum in sua tenuit potestate. Item Privilegium *Chunradi* Epi. Frisingensis super infeodatione Ducis Austrie de Foro in Aspach.

„In cujus Assignationis Memoriam presentes Literas mei Sigilli jussi robore communiri. Datum Wienne Anno Domini Millesimo Ducentesimo Nonagesimo Nono in Vigilia beati Mathie Apostoli prenotata.„

XX. Hæc Charta, quæ tenore suo solam Assignationem Privilegiorum nostris factam, non item salva ea & integra à nobis reddita esse testatur, citra dubium non pro nobis, sed pro Principibus edita est, ut scirent, quid, ac unde repeterent. Posteaquam verò rursum extradiderunt nostri, quod sibi concreditum erat; hæ Literæ ab Aula Campililio traditæ sunt, eum, reor, in modum, quo Creditor Debitori, dissolutis jam nominibûs omnibûs, quæ apud se contraxerat, propriam singrapham, qua se eidem antea obæraverat, restituit, apochæ locum subituram, quæ de solutione optimè omnium testaretur. Causa, cur Augusta hæc Privilegia, jussu Principum, ex Archivio Palatino in Locum tam dissitum, ubi securiùs laterent, deportata fuerint, Historia §.[i] I.[mi] facilè pandit. Aberant quippe Rex *Albertus*, Regina Conjux. *Rudolphus* Dux Primogenitus, tam Comitiorum Imperialium, quàm Nuptiarum Parisiensium ergò. Interea verò Provincialium nonnulli, quorum præcipui *Valckenbergii*, res iterum novas in Austria moliebantur, & insolenter agebant. Ipsis Viennensibus, qui toties in Principes antea insurrexerant, vix aliam fidem, quàm ambiguam valde, habere licuerat. Aliud ergo tam pretioso huic Deposito, quod primis in Cimeliis Augustissimæ Domus meritò reponebatur, tunc refugium quærere oportuit: & quantus Campililii honor, in tot aliis celeberrimis circumquaque maximo numero abundantibus, tam Cænobiis, quàm Castris fortissimis, sola de Eremo nostra, tantam ab Augustis Majestatibus fiduciam conceptam

Observationes in hanc Chartam.

ptam fuisse, ut, quod ferè pretiosissimum habebant, quod Imperii sui, Juriúmque suorum Fons & Origo erat, quo Provinciarum Proprietas, & Securitas æterna nitebatur, apud Nos unos tutissimum sibi fore existimarent! Facilè largior, ipsam Vallium nostrarum, ad quas angustior tunc, & rarior fuit accesscessus, creditam Securitatem, aliquid momenti ad Spem hanc Augustam attulisse. Quoniam verò complura alia loca non minùs tuta erant, &, si Religionis rationem habueris, æquè, ac Campililium, sacrosancta, i.e. inviolabilia, hostibus esse debebant; ac præterea Fiducia tanta non uni motivo inniti consueverit: *Integram* illam *Fidei Puritatem*, *qua Campililium coruscare*, olim Augustissimus *Rudolphus* Diplomate suo Clementissimo, ut Orbi, sic & Seculis, testatus est, in oculis Principum etiamnum pretiosam, inque memoria recentem, quia citra dubium argumento non uno probatam, exstitisse, nullâ invidiâ mihi conjicere videor. Tantò id verò securius, quòd insequenti pariter Seculo Campum nostrum hujusmodi Depositis custodiendis iterùm, ac tertiùm prælectum fuisse, ac quodammodo *Archivii Ducalis* invidendum quamplurimis Elogium sustinuisse, visuri simus.

Archiepiscopus unus, & Episcopi Septem, honorant *Albironem* Abbatem elogiis, & Indulgentiis.

XXI. Locum alterum in Chartis nostris Anni hujus tribuo communibus Literis Fr. *Henrici* Jadrensis Archiepiscopi, septémque Episcoporum, *Joannis* Olenensis, *Thomæ* Coronensis, Fr. *Nicolai* Turtibulensis, *Nicolai* Capritani, *Monaldi* Civitatis Castellanensis, Fr. *Jacobi* Chalchedoniensis, & *Georgii* Sardensis, Romæ datis Mense Aprilis. *Qui volentes* (ut ajunt) *ALBERONEM Abbatem Monasterii de Campo Liliorum Ordinis Cisterciensis Patavień. Diœcesis, in Sacerdotali præeminentia constitutum, Literarum scientia, & sacris eruditionibus, mellifluisque Doctrinis insignitum, favore prosequi Gratioso, ut eò diligentiùs dignum Domino famulatum studeat exhibere, & Morum Maturitate insigniri*: Omnibus verè pœnitentibus, & confessis, ejus Missam, vel Sermonem reverenter audientibus, vel ei peccata sua confitentibus, singuli 40. dierum indulgentias concesserunt. Eandem Gratiam iis quoque elargientes, qui in quinque Festis, videlicet Nativitatis Dominicæ, Parasceves, Paschatis, Ascensionis, ac Pentecostes, ad ejus Exhortationem 50. Pater noster, quoties, & ubicunque, devotè, ac compuncti dixerint. Item, qui in omnibus Festivitatibus B. Virginis, & omnium Apostolorum, ac SS.[torum], inque Die Dedicationis, devotionis causâ ad ejus Monasterium accesserint: modò ad id Voluntas & Consensus Diæcesani accesserint.

XXII.

XXII. Dominus *Albero* noster, mox tam egregiè cōmendatus, ac honoratus, dignus quoque habitus est à præpotentibus Dominis *Hadmaro* & *Rapotone de Valckenberg*, Austriæ quietem diu turbantibus, in suæ Compositionis cum Domino *Ebrone* Abbate, & Monasterio *Zwetlensi* Testis adhiberi, unacum Capellano suo Fr. *Ulrico*, in Castro *Valchenberch IX. Kal. Martii.* Ita disco ex *Annal. Zwetlens.* h. a. I. p. 521. Præterea Præsul noster Membranâ propriâ testatus est, Fratrem *Bernoldum* Portarium suo cum consensu ab *Ulrico apud Aquam*, nempe juxta *Traysen*, Pratum, dictum in Slaet juxta villam *Traysen*, emisse, in usum Portæ, ac Hospitalis Pauperum, de quo singulis annis teneatur Conventui XXX. denarios assignare pro collyridis, in Parasceve dandis, *Die S. Jacobi Majoris.* Cum Sorore *Engelguta* Priorissa Parthenonis Tulnensis Ordinis Prædicatorum convênit ratione Molendini in Asparn, *ad Tulinkam Festo S. Gregorii Papæ.* Ejusdem Acta varia.

XXIII. Dominus *Dietricus de Wildeck* satisfecit eidem de violenta subditi nostri detentione. *Margareta de Traskirchen* abscessit lite super vinea apud Cleripolim, quam Pater ejus *Bernardus* nobis vendiderat. *Ulricus de Radeprun* Miles, à nobis convictus, fatetur omnia Servitia, quibus nobis tenetur. *Eberhardus* Judex in Hainfeld legavit nobis à morte sua domus, & agros, ad resarcienda damna, quæ nobis intulerat. *Lewtoldus ab Egelsaw* renunciat juri, & actioni in bona quæpiam, quæ antea coëmebamus. Domini, *Dietricus de Weissenberg*, & *Chadoldus de Altenburg* Propingui, unusquisque peculiari Charta fatetur, Oppidum Wilhelmspurg cum suis Juribus omnibus nobis collatum esse à Serenissimo Fundatore, & neminem ibidem à pendendo telonio eximi. Libet harum Chartarum anteriorem, cum qua posterior eodem tenore concepta est, vernaculam illam, in specimen Stili integram apponere. Nego in alia.

„Ich DIETREICH *von Weizenberch*, mit samt „meinem Sun *Dietreichen*, tun chunt alen den, dy „disen Brief lesent, oder hörent lesen: Das ich von „meinen Vater, der gehaizzen was Her *Hainreich* „*von Rabenstain*, und auch von meinem Ochaim „Hern *Dietreichen von Hohenberch*, und auch von „meinen baiden Ochaim, Hern *Rapoten*, und Hern „*Wulfingen*, die prueder warn, gehaizzen von der „*Altenburch*, bin underbeist mit rechter Gewizzn, „und mit rechter Chantnusse, als auch iz an sew was Literæ Testimoniales de Jure nostro in Foro Wilhelmspurgensi.

„Chumen von altn dingen, und von alter Herſchaft „Hern *Leutolden von der Hohenſtauf*, und von an„dern Hern, dy hie befor in der Gegent geſezzn „waren. Ales das Recht, das gehabt hat der Edel „Furſt Herzog LEWPOLT datze Wilhalmeſpurch „auf dem Marcht, mit allem Marcht-Recht, als er iz „gehabt het in rechter Geber, iz ſey an Maut, oder an „Zolle, von allew dew, und der man furt, trait, oder „treibet, wes Holde er ſey, mein, oder ander meiner „Hauzgenozzen, oder ſy ſein Reiter, oder Chnappn „Holden, oder Gotzheuzer, wie ſew genant ſein, „von wan ſew chument, und den March peſue„chent. Alſo hat der vorgenant Furſt Hertzog LEW„POLT dem Cloſter datze Lilinvelt, und der Sam„munge gegeben dasſelbe Recht an dem Marcht, an „Maut, und an Zollen: und davon iſt nieman „genumen und gefreyt, den, dy da ſizent an dem „Purchſtalle datze der Altenpurch, dy von etleicher „Gewonhait, und doch nit von Recht, weder zol„lent, noch mautent.

„Wan auer mich von meinen Vodern allen ſant, „dy in der Gegent geſezzn warn, an iſt chumen dew „Warhait, alſo lazze ichs, und tu ſew zewizzen Mei„nem Sun *Dietreichen*, und allen meinen Chindn, „und alen den, dy diſen Brief hörent, oder leſent, und „pin des Gezewg, mit ſampt meinem Sun *Dietrei„chen*. Und wo daz wer, daz ich nit entwer, ſo gib „ich diſen Brief dem Abbte von Lilinvelde, und ſeiner „Samunge, ze einer Stetign, und ze einer chreftign „Warhait, als ich von meinen Vodern unterbeiſt bin: „und verſigel auch den Brief mit meinem Inſigel. „Ditzer iſt geſchriben an dem Phingſt Abunt, do von „Chriſtes Gepurt warn Tawſent Jar, Czwayhundert „Jar, in dem Newn und newnczigſten Jar.

An-

Annus 1300.

XXIV. PRætermiſſis aliis, tam Anni ſuperioris, quàm præſentis multiplicibûs Actis, ne prolixitas inutilis faſtidium pariat, commemorare duntaxat libet, Dominum *Alberonem* Abbatem noſtrum, poſt *Henricum de Hage* Strenuum Equitem, Judicii noſtri Provincialis Adminiſtrationem commiſiſſe Domino *Weichardo de Töpel* Burggravio in Peilſtein Viro Nobiliſſimo, erga ſolemnes, quas ajunt Reverſales Literas, æqui ad omnes Judicii, nullius exactionis à nobis hujus Muneris causâ exigendæ, precarii ſolummodo officii, quod à nobis in alium omni tempore queat transferri, ejúsque Hæredibus quibuslibet ſuccedendi Jus penitus nullum, vel titulum pariat. Dominus de Töpel Judex noſter Provincialis.

XXV. *Baſilius* Archiepiſcopus Jeroſolymitanus, & unacum eo ſeptem Epiſcopi, *Stephanus* Opitenſis, *Landulfus* Brixinenſis, *Nicolaus* Capritanus, *Angelus* Feſulanus, *Monaldus* Civitatis Caſtellanæ, *Simon* Brugniatenſis, & *Thomas* Eſernienſis, ſinguli ſingillatim, communibûs tamen Literîs, quæ octo Sigillis munitæ ſunt, omnibus verè contritis, in aſſignatis Feſtis per annum Altare S. *Joannis Baptiſtæ* in Eccleſia Campililii devotionis, peregrinationis, & orationis causâ accedentibus, ibíque Miſſam, vel verbum Exhortationis audituris, ſive ad neceſſaria, ornatum, veſtimenta, luminaria dicti Altaris quidquam conferentibus, vel in morte legantibus, 40. dierum Indulgentias in ſingulas vices indulſerunt, Bullâ Romæ ſignatâ. Idem Archiepiſcopus, duóque Epiſcopi, *Maurus* Amelienſis, & *Thomas* Eſernienſis, parem gratiam contulerunt etiam pro Altari *S. Joannis Baptiſtæ* in Capella Curiæ noſtræ in Weinzierl Civitatis Cremſenſis, itidem Romæ. Præſulum Octo indulgentiæ.

XXVI. De ſingulis Epiſcopis, hìc, & antea laudatis, itémque de Familiis omnibus, tota hac iterum Decade commemoratis, præterea de Sigillis utrorúmque, ſanè nec paucis, nec incurioſis, uberiùs dicam, diſſerámque *Tomo Ultimo*, tanquam Loco proprio, ſuis in Sectionibus, ac Literis. Interim ita in benedictionibus decurrit *Seculum I.mum Campililii*: cum quo tamen fideles pro Domo noſtra curas nequaquam concluſit Dominus *Albero* Abbas, ſequentis pariter Seculi Biennium primum, Jani bifrontis in modum, laudabilibus Actis, & Virtutibus illuſtraturus. Finis Primi Seculi Campililienſis: ſed non Domini Alberonis Abbatis.

XXVII. Ego porro, quamquam propoſueram olim, alterum quoque Seculum noſtrum hoc Tomo complecti: rerum attamen copia, ac teſtimoniorum coævis è Scriptoribus adducendorum farrago, tótque Criticæ, tam Veritatis, quàm Chrono-

 logiæ,

logiæ, ritè, ut fieri potuit, explorandæ Disquisitiones, adeò Chartas impleverunt, ut justo Tomo abunde sufficerent. Ne dicam de perpetuis plurimorum exstimulationibus, ut aliquid saltem sudorum meorum aliorum spei tribuerem. Quare Volumen hoc Primum æquo Judicio Orbis Eruditi, vel præter voluntatem, submitto, promtus, ab omnibus, qui melius aliquid, Austriacis præsertim in Rebus, & nôrunt, & sapiunt, discretè doceri : quippe, cui hoc unum præprimis animo sedet, ut vetustior Austriæ Historia pleno tutóque tandem in lumine ponatur. Totam interim hanc quantulamcunque Lucubrationem meam Illi devotissimè consecro, quem in Reverend.^mo D. Præsule meo, hanc mihi scriptionem imponente, audivi. Dico præterea, dedicóque Honori Sacræ meæ Religionis Cisterciensis, ac præcipuè Dulcissimæ Matris meæ Congregationis Campililiensis : cujus in Gremio, indignissimus quidem, toto jam propè Tricennio suassimè recumbo. Si deinde quid esset hoc in Libro, quod in Fidei Rebus, aut Virorum Sanctorum Commemoratione Virgulam Censoriam promereretur, totum id Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Catholicæ Judicio humillimè submitto. Postremùm tandem singulis apicibus eam de Cælo vim & energiam opto, & exoro, quæ ædificent legentes, atque efficiant,

Ut in Omnibus glorificetur

DEUS.



TER.

TERNIO
SCRIPTORUM VETERUM AUSTRIACORUM

I.

FR. ORTILONIS Campililiensis

Notulæ Priores ex ALOLDO Peklariensi: Posteriores è variis: deinde propriæ: demum Libellus ejus de Exordio Campililii.

II.

FR. LEWPOLDI de Newnburga itidem Campililiensis

Indiculus Chronicus Actorum & Liberorum S. LEOPOLDI Austriæ Marchionis; excerptus ex Historia Domini RIKARDI Canonici de Newburga, quam statim post Obitum S. Marchionis scripsit.

III.

FR. PERNOLDI de Ordine Prædicatorum

Chronica FRIDERICI Bellicosi Ultimi Austriæ Ducis Babenbergici, & MARGARETÆ Reginæ Sororis ejus:

Qui

Vetusti, & Graves

Rerum ab An. DCCCCVIII. usque MCCLXVII.

ANECDOTI SCRIPTORES,

Cùm eisdem universa propè totius hujus Voluminis Historia innitatur,

Antea membratim suis locis & annis allegati,

Nunc

In gratiam, & commodum Lectorum, perpetuo tenore adscribuntur.



ORTILONIS
Prœmium.

COllegite fragmenta ne pereant, dicit Dominus noster in Evangelio. (*) Et Sanctus Pater noster BENEDICTUS, quem Beatus *Gregorius* Papa vocavit *omnium Justorum Spiritu plenum*, non vult, ut aliquis Monachus *aliquid suum, & proprium habeat, vel dicat* (**) Mandat autem, ut cunctam substantiam Monasterii, tanquam sacrata Altaris Vasa, conspiciat. (***) Ego itaque ORTILO, pauper & minimus Monachus in Valle Beatæ MARIÆ in LILIVELD, quæ nuper ad Cultum DEI, & Religionis instituta est, de Domo Sanctæ Crucis cum Domino Patre meo OKERO, Abbate Primo hujus Loci, & Venerabilibus Fratribus meis exivi. Volens obedire Domino Salvatori meo Christo, & Legislatori meo Benedicto, quia Scriptor sum, habui cedulas plures, de Membranis remanentes. Hæc fragmenta ne pereant, pusillum *Libellum* istum cœpi conscribere, in remedium brevis & incertæ hominum Vitæ, & labilis memoriæ, *de Exordio hujus Domus Beatæ MARIÆ.*

Et, ut sancta, ac maxima Liberalitas devotissimi Principis, & Jllustris Ducis Fundatoris nostri LIUPOLDI amplius honorificetur, propter suum Ardentem Amorem in DEUM, & in Gloriosam Matrem Virginem, omnémque Clerum, ac Sacrum Ordinem nostrum: dudum à me collectas *Notulas* hìc præpono, de Jllustribus, & Primis Progenitoribus suis BABENBERGICIS, eorúmque Adventu in Austria, & Gloriosis Meritis in hac Patria. Nostro enim tempore jam plures errâsse intelligo, & in futuro tempore plures errare timeo circa hæc, verè & sincerè enarranda.

Ego verò me errare potuisse non puto; quia has *Notulas* exscripsi ex Libro: qui vocatur *Chronica Illustris Stirpis BABENBERGICÆ in Osterrichia dominantis.* Quam conscripsit Vir Sapiens, & Reverendus ALOLDUS de PEKLARN, Capellanus quondam ADALBERTI Marchionis Tertii Babenbergici

(*) Joann. VI. 12. (**) S. Regulæ Cap. XXXIII. (***) Ibid. Cap. XXXI.

gici Australis. Suum scribendi laborem cœpit, sicut ipse dicit, Centum annis post Adventum LIUPOLDI *Illustris* in Osterriche. Historiam incipit à Decollatione ADALBERTI Nobilissimi Comitis de BABENBERG, qui fuit Avus LIUPOLDI *Illustris*. Finit autem illam post initium Regiminis ERNUSTI, Filii ADALBERTI Marchionis.

Sine dubio hic Scriptor verus, & fidelis est, qui ultima multis Annis ipse vidit, priora verò à suo Principe didicit. Sed DEUS novit, quare factum sit, ut hæc Utilis Chronica, dum vix altera vice transcripta esset, per incendium periret. Hoc mihi sinceri Viri conquesti sunt: & dum ego nuper adhuc essem in Sancta Cruce, tunc mea Domo Professionis, etiam exemplum ejus exustum est. Nescio, ubi nunc invenitur. Doleo de Opere tam bono, & utili, quod utinam totum descripsissem: gaudeo tamen de his *Notulis* meis, inde subtractis, & DEO gratias ago.

Reliqua de ERNUSTO, & qui ei successerunt, multò breviùs noto, secundum Annos tamen, partim, quia jam notiora sunt, partim, quia tam fideli Ductore privatus, & alterum non noscens, cui pariter fidere possem, timui, ne errarem multa scribendô, & essem etiam aliis causa errandi, donec veniam ad mea tempora, & LIUPOLDUM Sextum *Virtuosum*. Post ejus Acta noto Exordium hujus Domus Beatæ MARIÆ in LILIENVELD, testatus, quæ vidi. Nullibi verò fluxa Oratione utor, sed *Notulas* tantùm facio: quia nimis parvus est Libellus, & ingenium meum multò magis est parvum. Ohe satis est, ohe libelle!

NOTULÆ PRIORES
Ex
ALOLDO
Ab anno DCCCCVIII. usque MLXIII.

ANNO DCCCCVIII. Imperabat Germaniæ *Hludowicus* Tertius. Sub quo eodem anno ADALBERTUS Illustris Comes de BABENBERG, Filius HAINRICI Franciæ Orientalis Ducis, postquam bellum, ac prædas suas multis annis continuavit, neque ab Imperatore subigi potuit, tandem per *Hatonem* Episcopum Moguntinum suis fraudulentis verbis inductus est ad Regem: ubi pro nece *Chunradi* Hassiæ Comitis, & pro guerris ac prædis suis, nobile Caput sub

ensem Carnificis dare debuit. Tunc ADALBERTUS ejus Filius, quinquennalis puer, cum Matre BRUNHILDE, Filia *Ottonis* Saxonis, quia omnia Bona Patris sui tracta fuerunt ad fiscum Regis, fugere debuit ad *Hainricum*, postea Imperatorem, dictum *Aucupem*, cujus ex Sorore *Babæ* Nepos fuit. Hic Patris sui generosum Spiritum cum Sanguine hausit, & eum pariter in Filium suum LIUPOLDUM transfundebat.

DCCCCXII. Defuncto *Hludowico* Chunradus Rex efficitur, & septem annis regnat.

DCCCCXIX. Post obitum Chunradi *Hainricus*, tum in Aucupio oblectatus, Electionem suam in Regem accipit. Interea Osterrichiam Comes RUTGERUS de PECHLARN Terræ hujus strenuus Custos gubernavit, & obiit anno noninginti-simo decimo sexto. Cui RUTGERUS Filius suus successit.

DCCCCXXXIII. Gloriosus Rex *Hainricus*, qui Lotharingiam Imperio recuperavit, barbaricos Hunnos, innumerabili multitudine in Germaniam irruentes, apud Merseburg cruenta strage delevit. In hoc prelio ALBERTUS de BABENBERG fortissimo ense cum multo favore Regis depugnavit. Sed ense hostili cadens, Regi, & Patriæ vitam immolavit. Quantò deinde magis Rex Nepotem suum ALBERTUM doluit, tantò magis Pro-Nepotem ex eo LIUPOLDUM, quem decennem reliquerat, dilexit: sed & *Otto* Filius Regis.

DCCCCXXXVII. Rex *Hainricus* moriens Imperium cessit Filio *Ottoni*, qui postea nomen *Magni* promeruit. Hunni Osterrichiam irruptionibus & rapinis semper vexantes, anno sequenti etiam in Germaniam iterum irrumpere tentârunt. Sed RUTGERUS Junior *de Pecklarn* Orientalis Comes diligenter vigilavit.

DCCCCXLIII. RUTGERUS prædictus obiit: & vacavit Marchia nostra. Tunc *Otto* Magnus eam LIUPOLDO *Babenbergico* contulit: ut suam, & Patris Virtutem, & Fortitudinem, & Merita digno præmio coronaret, & Nobilissimam Stirpem in congruum Sublimitatis gradum restitueret.

DCCCCXLIV. LIUPOLDUS itaque hoc anno in hanc Terram adveniens, Hunnorum irruptionem, & hoc, & quarto postea anno impedivit, providè omnia Regi, & Vicinis, celeriter per nuncios prodens: ut unusquisque ante fores suas solicitus excubaret, & hostis inhumanus introitum non reperiret.

DCCCCLIII. Sed hoc demum anno ambitio quorumdam Principum Germaniæ, in Regem conspirantium, Hunnos per Karinthiam allexit, & intromisit in Germaniam. Qui ferè per biennium populati sunt miseras terras, ad quas pertigerunt.

DCCCCLV. Tandem DEUS juſtus Judex retribuit eis menſuram confertam & coagitatam, confortans brachium *Ottonis* Magni Imperatoris, cum cæteris Adjutoribus ſuis, inter quos præcipuus LIUPOLDUS Auſtralis Marchio: ut cum prædis ſuis redeuntes barbaros, apud Vindeliciam immaniter ſuperaret, in die ſancti Laurentii, innumeros enſe mactaret, & multa millia captivorum ex eis vivos in terra ſepeliret. Qua contritione ita defecit Hunnorum temeritas, ut nunquam ampliùs in Germaniam auderent redire. Sed tamen Oſterrichiam, eis proximam, nequaquam in pace eſſe ſinebant: donec eorum Dux, quem *Urtzum* appellabant, homo ferox, & rapax inſtar belluæ, à qua nomen habebat, ſupereſſet.

DCCCCLXI. LIUPOLDUS hactenus ſine Liberis ſuperviventibus, ex RICHARDA Conjuge ſua obtinet Filium HENRICUM hoc anno.

DCCCCLXXII. *Urtzo* mortuo, Ungari elegerunt *Geizzam*, ſuæ quidem gentis, ſed naturâ mitiorem, quàm barbari patres ſui fuerunt. Hunc gratia DEI prævênit, ut prudens conſideraret mala maxima, quæ ſua Gens tot aliis Regionibus intulit, & crudeles ſtrages, quas ipſa viciſſim paſſa eſt: & ideo in pace majorem ſpem habuit. Igitur admiſit conſilium, ſibi à DEO in animo inſpiratum, & propoſuit formare Pannoniam ſuam in Rempublicam, & illam ditare, non ampliùs injuſtis prædis, ſed licitis lucris. Et quia terram ſuam novit eſſe bonam & fertilem, ſuaſit Genti ſuæ, ut arma deponeret, & merces ſuas potiùs vicinis diſtraheret, quas ſibi Provincia ſua copioſè germinaret. Quare omnes vicinos ad mercatum invitavit, & maximè Chriſtianos: qualis ipſe fieri per gratiam DEI jam præcogitavit. Et juvit DEUS, ut inhumanos Hunnos ſuos, lucrorum ſpe, ad ſuum conſilium pertraheret. Interim tamen Oſterrichiam, à Majoribus ſuis ex maxima parte occupatam, non dimiſit, ſed conſtanter retinuit. Neque ſuos ibi commorantes prohibere valuit ab excurſibus & prædis, ad quas in reliquam adhuc Terram Auſtralem ſæpe, quaſi ex inſidiis, excurrerunt.

DCCCCLXXIX. Hoc itaque anno LIUPOLDUS Marchio in prædones iſtos potentes, quibus ſemper quidem ſe fortiter oppoſuerat, omnem ſuam virtutem & potentiam collegit. Medilikum præcipuum barbarorum nidum cum multis & fortibus militibus aggreſſus, graviter eum locum impugnavit, ac tandem expugnavit feliciter, Ungaris expulſis, & longè à provincia repulſis. *Geizza* Ungarorum Dux, pacem ampliùs diligens quàm bella, uti dictum eſt, ſubditos ſuos mercatu diſtrahens continuit, ne in Arma concurrentes,

novo

novo furore Australem hanc terram incursarent. Sic Marchia ista Orientalis deinceps ab inhumanis prædonibus immunis facta quiescere cœpit. Quis verò alius, nisi DEUS magnus & omnipotens, Pacis hujus Auctor exstitit? Qui & LUIPOLDO per alterum Filium POPPONEM, hoc anno sibi natum, gaudium fecit.

DCCCCLXXX. DEI enim consilio & gratia LIUPOLDUS, cui omnes vicini gratulabantur, & *Illustris* Cognomen tribuebant, Castrum Medilik, destructis munimentis, mutavit in Collegium & Templum: ubi larga manu sua plures Canonicos instituit. Hoc consilio, quod DEUS dedit, & probavit, Religionem & pacem firmavit: sibi verò, & Posteris suis, Marchiæ hujus Dominatum stabilivit. *Geizza* verò Ungarus pacis fructum dulciter quoque gustavit, dum sequentibus annis illustratus lumine fidei, agnovit verum Dominum ac Deum JESUM Christum. A cujus deinde Filio *Stephano* Ungaria in Regnum florens & Christianum transsivit. Laudemus mirabilem DEUM, & verè magnum Dominum nostrum: qui peccatis hominum per maxima mala longo tempore castigatis, misericordiam tandem superexaltavit judicio, & convertens corda Regum, quæ sunt in manu sua, populis fecit Solem oriri de mediis tenebris, & providentia suâ ritè moderans tempora, omnia ordinavit in electorum salutem.

DCCCCXCI. Postquam Illustris Marchio LIUPOLDUS, fortis, prudens, & bonus, gubernâsset quadraginta octo annis, Senectute bona se jam prægravante, Marchiam hanc Filio suo regendam, ac defendendam manu forti ac vegeta commisit, ipsi Consilium suum promittens. Vacabat postea operibus pietatis, sæpe in Ecclesia sua in Medilik delectatus: donec pro corona DEUS mortem innocentem sibi destinaret.

DCCCCXCIV. Cùm enim in maxima existimatione apud omnes esset bonus senex, etiam *Pertwardus* Episcopus Wirziburgensis eum ad Ecclesiam suam hoc anno invitavit ad Hymnum sancti Kiliani secum devotè celebrandum: quo & Filius *Henricus* secum ivit. Ibi cùm gaudio & honore susceptus, dum post Sacra, tanquam Vir olim bellicosus, Militum ludum spectaret, à quodam eorum vindictam sensit, quam penitus non promeruit. *Hainricus* enim Comes quidam, unum ex fortissimis Militibus Episcopi Wirziburgensis, ob superbiæ tumorem, cæpi jussit, & oculis privari. Quod factum quidam è propinguis infelicis hujus Militis, pessima suspicione, vel LIUPOLDO, vel Filio HENRICO imputans, Patrem in spectatione Ludi mortiferâ sagittâ ita læsit, ut nihil ei superesset, quàm ut se ad mortem Christiano ritu prepararet. Doluit verò maximè LIUPOLDUS, non quòd mori debe-

deberet, ſed quòd in Eccleſia Medelik requiem non caperet. Quare obteſtatus eſt Filium ſuum, ut nunc quidem Wirziburgi ſe ſepeliret, primo verò tempore, quo optimè fieri poſſet, in Oſterrichiam, & Medelikum transferret.

DCCCCXCVI. HAINRICUS Marchio Oſſa LIUPOLDI *Illuſtris* Patris lugenti terræ intulit, & in Eccleſia Medilik ſepelivit. Ipſe verò omni Provinciæ ſolatio fuit, quia Virtutes Patris diligenter in ſe exhibuit, vigil in hoſtem, providus in Patriæ commoda, devotus ad Eccleſias, ſubditis clemens. Cui hoc anno ex Conjuge SCHWENHILD Filius ADALBERTUS feliciter natus eſt.

MXII. Pius DEI famulus CHOLOMANUS ex Hybernia peregrinus adveniens, ut iret in Hieroſolymam, Domini noſtri Salvatoris ſanguine rigatam, ignotus habitu & lingua, ab imprudenti plebe hujus Provinciæ pro exploratore Hungarorum, vel Bohemorum ſuſpectus, apud Stokerowe poſt multa tormenta cum duobus latronibus ſuſpenſus ſepultus eſt XVI. Kal. Auguſti. Sed latronibûs putreſcentibûs, & per corvos devoratis, ſanctus DEI Famulus, viventi ſimilis, integer pependit, & ſtipes, unde pendebat, fronduit. Abſciſſa, vel confoſſa carne ſua, recentem & calidum ſanguinem emiſit, & mox, quod abſciſſum erat, iterum ſuccrevit: carne verò ablata infirmus ſanabatur. Ita prodita per DEUM Viri ſanctitate, ſapere & pœnitere cœperunt fatui homines, Corpus depoſuerunt, & juxta Danubium ſepelierunt cum laudibus in erecto Sacello.

MXIV. Hic Martyr DEI, certè innocenter pro ejus amore paſſus, multis prodigiis ampliùs manifeſtatus eſt. Unde fama Terram replente, deſtinatus eſt ab HAINRICO Marchione digniori Sepulchro, & magna cum celebritate, ipſo comitante, translatus eſt in Eccleſiam Medilik III. Id. Octobr.

MXVI. E Paleſtina rediens POPPO Trevirenſis Præſul, à Rege *Stephano* ſancto tamdiu precibus fatigatus fuit, donec polliceretur, ſe ſupplicaturum Fratri ſuo HAINRICO Marchioni, ut ſanctum CHOLOMANI Corpus Regi cederet. Adfuere cum POPPONE Legati Ungari, cum donis apud Marchionem ſupplices: qui cùm plurimùm invitus videretur, auſi ſunt etiam minas addere. Qua importunitate motus HAINRICUS, dolens tandem aſſenſit: ſed DEUM cum fiducia oravit. Decorè ergo & reverenter Sacrum Corpus Ungariæ infertur, & cum exultatione ſuſcipitur: cujus ſuffragiis Regnum illud omnem fortunam ſperabat. Contrà verò accidit. Exortæ ſunt calamitates graves, nec antea ceſsârunt, quàm *Stephanus* Rex pius, & ſui Præſules agnoſcerent, nolle DEUM, ut in Pannonia colatur Sanctus, qui apud Auſtrales

les Coronam meruit : maximè, cùm metu potiùs, quàm dono, illuc ſit transmiſſus.

MXVII. Nondum itaque emenſo unius integri anni ſpatio remiſſum eſt ad Auſtrales ſanctum Corpus cum multis muneribus, & Medilikum hunc ſanctum Patronum ſuum cum maximo gaudio iterum recepit.

MXVIII. Marchio HAINRICUS bonus & juſtus, ſubitò obiit III. Non. Decembris, & Filio, quem unum habuit, ADALBERTO Marchiam dimiſit, ultrò ab hoſtibus ſervandam.

Interjectio Ortilonis.

Doleo, his noſtris diebus, ut audio, & ex parte ipſe legi, devotum hunc Marchionem HAINRICUM, *omni laude dignum Terræ hujus Principem, neſcio à quonam, cognomine* Rebellem *ſcriptum, & divulgatum fuiſſe, qui ſemper* Hainrico ſecundo *Imperatori ſancto charus, & fidelis in omnibus ab ALOLDO prædicatur. Quisquis hic Scriptor fuit, deceptus eſt in nomine* Hainrici. *Fuit enim illo ipſo tempore in Orientali Franconia alter* Hainricus *Comes, ſive Marchio, qui cum* Boleslao *Bohemo arma ſumſit in* Hainricum *pium Imperatorem, quia ſibi Bawariam negavit. Hic verè* Rebellis *fuit, & rebellium mercedem accepit, captus, & ſua provincia privatus. Nunc iterum pergo ex ALOLDO.*

Proſecutio ex Aloldo.

MXIX. Hic primus annus fuit ADALBERTI Marchionis, qui diu & feliciter rexit Oſterrichiam. Et quamdiu Rex *Stephanus* Ungariam, atque *Hainricus* Secundus Imperium gubernabat, utérque Sanctus, pax aurea floruit, & Auſtralis quoque Terra hæc ſatis quieta permanſit.

MXXI. ADALBERTUS Marchio nuptias fecit cum ALHAIDE, quæ fuit Filia *Guilelmi* Comitis Pictavienſis, & *Geiſelæ* Sororis *Stephani* primi Regis Hungariæ, & ſancti. Hujus ALHAIDIS Frater erat *Petrus*, qui poſt *Stephanum* in Regno Hungariæ ſucceſſit.

MXXII. ADALBERTO primus Filius naſcitur LIUPOLDUS, generoſi ſpiritus, & præmaturæ virtutis : ſed quæ non multum adolevit.

MXXIV. Sanctè obiit *Hainricus* Imperator, cui ſucceſſit *Chunradus* Secundus.

MXXVII. Poſt alias duas proles, quæ ut infantes moriebantur, ADALBERTO gignitur alter Filius ERNUSTUS, Patri ſucceſſurus.

MXXX. Bawariæ causâ hæreditandæ *Chunradus* Romanorum, & *Stephanus* Hungariæ Rex diſſidentes, arma in alterutrum

parabant, & ADALBERTUS Marchio ad bellum jam expeditus erat. Laborabat verò etiam pro pace, quæ ſubitò intervênit.

Interjectio ORTILONIS.

MXXXIV. *Hoc anno* ALOLDUS de Peklarn *hujus Chronicæ Author, è qua has Notulas tranſcripſi, ait ſe, dum eſſet Annorum triginta, & jam Præsbyter, factum eſſe Capellanum ADALBERTI Marchionis.*

Proſecutio ex ALOLDO.

MXXXVIII. Sanctus *Stephanus* Ungariæ Rex in cælum receptus eſt: quò Filium ſuum *Emericum*, ſanctum pariter Juvenem, jam ante ſe præmiſit. Cum hoc verò Rege, Ungariæ pax, & felicitas, ſimul ſepultæ ſunt.

MXXXIX. *Petrus* in Ungaria *Stephano* ſuccedit, ejus ex Sorore *Giſela* Nepos. Sed vitiis plurimis ſcatens, ſubditis brevi inviſus evadit.

MXL. Idem, dum Ungari ab eo ad *Ovonem*, ſua lingua *Abam*, deficiunt, Regno privatur. Fugit verò ad ADALBERTUM, cujus Levir erat, ſive Frater Uxoris.

MXLI. ADALBERTUS Marchio pro *Petro* apud *Hainricum* Tertium Romanorum Regem, ei pariter affinem, intercedens, ei auxilium impetrat.

MXLII. *Hainricus* Rex cum exercitu per Oſterrichiam intrat in Hungariam, & Comitem belli accipit ADALBERTUM: cum Patre vadit & Filius LIUPOLDUS. Vaſtatur Regnum, & *Ovo* maximam cladem accipit: ubi ADALBERTI & LIUPOLDI fortitudo maximè enituit. Pannonii coguntur vel *Petrum* recipere, vel aliùm è ſuis Ducem ſequi, quem Rex *Hainricus* deputavit, depoſito *Ovone*. Sed quia Ungari neque *Petrum*, neque novum Ducem volebant, *Ovo* tandem ſe valde humilians, impetravit ab *Hainrico*, ut ſibi Regnum permitteret. Addiderat ille precibus etiam Dona: è quibus ADALBERTUS magnam ſalvificæ Crucis Particulam accepit, quæ olim ſancto *Stephano* Regi donata fuit. *Petrus* cum Imperatore & Marchione reverſus, manſit in Terra Auſtrali.

MXLIII. *Ovo* fiduciam habens de gratia, ſibi apud Regem *Hainricum* firmata, erga ſubditos ſuos inſoleſcit, & Religionem quoque Chriſtianam tollere nititur. *Petri* quoque rivalis necem quærens, inopinatè Oſterrichiam hoſtiliter invadit. Sed ADALBERTUS Marchio & LIUPOLDUS Filius, conſtanti animo ejus furorem excipiunt, & magna victoria deprimunt. Inde ADALBERTUS dictus eſt *Victorioſus*, & LIUPOLDUS *Fortis Miles*. Hic tamen eodem ANNO, dum nuptiis *Hainrici* Imperatoris apud Ingelheim intereſſe vellet, immatura morte extinctus eſt, cum ſummo mærore Patris,

&

& Patriæ, V. Id. Decembris, atque à POPPONE Archiepiscopo Trevirensi Cognato Treviris sepultus est. Hic idem Præsul, ad preces LIUPOLDI defuncti, Patri ejus ADALBERTO strenuissimum Militem de Cognatione sua *Azzonem* nomine, in Osterrichiam submisit: ubi propter multa merita magnus, ac potens, & dives effectus est.

MXLIV. *Ovonis* perfidiam execratus Imperator *Hainricus*, iterum cum exercitu ultor venit, Duce præcipuo ADALBERTO Marchione. In Ungariam penetrans, apud Rabam fluvium apud Jaurenk (*) penitus debellavit *Ovonem*: quem sui plurimi in prelio deseruerunt, fuga elapsum proprii subditi occiderunt. Tunc *Petrus* iterum Rex in solium imponitur, & *Hainrico* fidem juravit, & quòd Regnum, ejus beneficio acceptum, ad Imperatoris potestatem redire deberet. Inter hæc ADALBERTUS omnem Austriam suam ab Ungaris purgavit, & sibi asseruit, cum magna Laude Imperatoris, & omnium vicinorum.

Interjectio Ortilonis.

Hoc eodem Anno ALOLDUS scribit, se Chronicam suam cæpisse, rectè centum annis *postea, quàm* LIUPOLDUS Illustris *in Osterrichiam venit.*

Prosecutio ex Aloldo.

MXLV. *Petrus* apud Ungaros in priora vitia relabitur, & nova apud subditos odia contrahit. ADALBERTUS Marchio non Fortitudine tantùm, sed etiam Pietate, Prudentia & Æquitate insignis, Sanctæ Crucis Particulam in Ecclesia Medilik religiosè & solemniter deponit.

MXLVI. Contra *Petrum* insurgunt *Andreas* & *Levenza* Propingui sui: sibi fideles, etiam Præsules, & Clericos occidunt, & ipsum quoque ad pænam quærunt. Fugientem in Osterrichiam deprehendunt, & oculis privant. *Andreas* & *Levenza* ad Idololatriam proni, Regnum à sui similibus sibi oblatum capiunt.

MXLVII. *Petro* in carcere mortuo, & *Levenza* etiam defuncto, coronatur *Andreas*, & corde suo per DEI gratiam converso, saluberrima pro Christi Religione edicta condidit. Sed Imperator *Hainricus*, *Petri* injuriam vindicaturus, & etiam suam, quia Regnum ad se redire debuit, bellum parat, neque *Andream* audit, qui culpam in alios conferebat. POPPO clarissimus Trevirensium Præsul obiit.

MXLVIII. *Hainricus* Imperator Brecesburgum (**) obsidet, comite ADALBERTO Marchione. Sed pascuis & frugibus deficientibûs pro exercitu, reverti cogitur.

(*) Jaurinum, vernaculè Rab.
(**) Posonium, vernaculè Prespurg.

MXLIX. Imperator ADALBERTUM Marchionem denuo arma in Ungariam expedire mandat, & ipse milites submisit: quibus tamen *Andreas* aditum cautè præclusit, ac interim per Legatos iram *Hainrici* mitigavit, fidem cum tributo promittens.

MLI. *Andreas* in tributo deficiens, Imperatorem denuo irritat, & insuper ADALBERTUM Marchionem in sua Terra Australi turbat: qui ei strenuè resistit.

MLII. Ipse Imperator exercitum per Osterrichiam ducens, cum ADALBERTO Marchione, & ERNUSTO Filio ejus, invadit Ungariam, ac Brecesburgum obsidet. Sed quia *Andreas* in Regno suo Religionem Christianam benè procuravit, *Leo* Papa IX. in exercitu præsens, & ab *Andrea* rogatus, se interposuit, & pacem conciliavit. Unde Imperator *Andream* Regem confirmavit, & ejus filio *Salomoni*, vix nato, Filiolam suam *Zophiam* spopondit.

MLV. ALHAID *Adalberti* Marchionis Conjunx devotè moritur, & in Medilik sepelitur III. Non. Februarii.

MLVI. ADALBERTUS Marchio Illustris Princeps meus (sic scribit *Aloldus*) Pius, Fortis, Victoriosus, Benignus, post Años ætatis suæ sexaginta, regiminis Anno tricesimo septimo, piè moritur VII. Kal. Junii, & in Medilik apud Patres requiescit. Succedit ERNUSTUS Filius pariter Fortis & Probus: qui jam tum ex Uxore MECHTILDE Filium habuit speciosum LIUPOLDUM. Obiit etiam hoc Anno *Hainricus* Tertius Imperator, & reliquit *Hainricum* quartum tenerrimum puerum, tamen mox coronatum.

MLVIII. *Andreas* Rex Ungariæ coronari fecit filium *Salomonem*, qui vix erat Annorum septem. Sed huic Regnum eripere mox meditatus est *Bela*, *Andreæ* Regis Frater.

MLIX. FRUWITZA, quæ Uxor fuit LIUPOLDI, qui fuit ADALBERTI Marchionis Filius, & post eum remansit, hoc anno obiit, apud Medilik sepulta XIV. Kal. Januarii.

MLX. *Bela*, Regis *Andreæ* Frater, Regnum contra legitimum Hæredem *Salomonem* occupavit. Hic verò à Patre, sub favore *Hainrici* Quarti Regis Pueri Romanorum, ad Castrum Medilik in Terram Australem transmissus est, cum Corona, & Thesauro Regio, tutus apud ERNUSTUM Marchionem.

MLXI. *Andreas* Rex, cum *Bela* Fratre æmulo non satis providè pugnans, & equo decidens, ungulis conteritur.

MLXII. *Bela* Regnum Hungariæ usurpans, ob æmulum *Salomonem* irruit in Osterrichiam, ubi is mansit cum magno exercitu. Sed ERNUSTUS, virtute Patris non minor, generosè restitit, & hostem fugavit, *Azzone* fortissimo Capitaneo suo utiliter usus. *Bela* autem nova arma parans in Australes,

les, dum ad finem Anni Placitum teneret apud Oppidum Temes, ruente domo graviter contritus obiit. ERNUSTUS Marchio cognomen *Strenui* à Victoria reportavit.

MLXIII. *Hainricus* Quartus Romanorum Rex, paulò plus quàm duodennis Puer, in Osterrichiam veniens, *Salomoni* Ungaro Sponsam suam *Zophiam*, tanquam Frater ejus, adduxit, & nuptias fecit. Deinde cum exercitu in Pannoniam progressus, Filios defuncti *Belæ* obsequentes habuit, & sine sanguine *Salomonem* in solium restituit. Comites fuerunt ERNUSTUS Marchio, in prelium denuo paratus, & Filius LUIPOLDUS puer.

Conclusio Aloldi.

Hìc ego ALOLDUS Præsbyter cessare cogor à scribendo. Sexagesimus enim Annus est, quem vivo, & morbi, qui me premunt, imperant mihi, ut finem meum prospiciam. Benedicat DEUS Illustri Stirpi BABENBERGICÆ, ut per eam ulteriùs hæc Terra Australis in laude extollatur, Amen.

FR. ORTILONIS NOTULÆ POSTERIORES.

E variis primùm collectæ, Suis deinde propriis adauctæ, Ab Anno MLXXV. usque MCXCVIII.

MLXXV. ERNUSTUS Marchio contra Saxones apud Unstrutham pro Imperatore *Hainrico* IV. strenuè pugnavit, & cecidit in prelio. Unicus ejus Filius, quem post se reliquit, LIUPOLDUS, appellatus *Pulcher*, hanc Terram pro eo gubernavit.

MLXXXII. LIUPOLDUS Tertius Marchio, contra *Hainricum* Quartum Imperatorem fœderatus pro Ecclesia DEI, crudelem cladem accepit apud Mauerberch à Bohemis, & eorum Sociis, quos *Hainricus* Imperator immisit.

MLXXXIII. Idem Marchio, adjuvante DEO, & ope *Azzonis* fortissimi Capitanei sui, de iisdem hostibus similem vindictam sumit.

MLXXXIX. Idem Marchio, ad cultum DEI magis promovendum, in Medilik pro Canonicis Monachos sancti Benedicti instituit.

MXCVI. Idem Marchio piè obiit : cujus maxima gloria fuit LIUPOLDUS Quartus Filius, cui Marchiam reliquit. Hic plu-

pluribus virtutibus suis nomen *Pii* promeruit, & plurima bona fecit.

MCI. ITHA *Liupoldi* tertii Marchionis vidua devota peregrinata est in Terram Sanctam cum Thiemone Archiepiscopo Salzeburgensi, & magna fidelium multitudine: quia ante duos annos *Godfridus Bullion* Jerosolymam recuperavit. Sed pia Fœmina tristem vitæ exitum à barbaris passa, non ampliùs redivit.

MCXIV. Pius Marchio LIUPOLDUS Quartus primum lapidem posuit apud Ecclesiam suam in Nüwenburch. (*)

MCXXII. Idem Marchio ibidem Canonicos sine regula ordinavit, licet Ecclesia nondum perfecta esset. Præpositum eorum fecit OTTONEM Filium suum adolescentem, pro quo præfuit Vicarius: ipse ad Parrhisiensem scholam dimissus est.

MCXXVI. Hoc anno dictus OTTO Adolescens, aliquando è Scholis rediens cum quindecim Nobilibus, & egregiis Clericis, hospitium unius noctis, vocante DEO, petiit, & obtinuit in Morimundo, quod fuit unum de quatuor primis Cistercii Filiabus. (**) Ibi omnes compuncti devotione Loci, Novitii facti sunt.

MCXXVII. Iidem Socii omnes per Professionem fiunt Monachi. OTTO iterum Parisios mittitur ad Scholas altiores ex Ordine.

MCXXXI. OTTO studiis altioribus excellenter doctus, fit Abbas in suo Monasterio Morimundi.

MCXXXIV. LIUPOLDUS Pius Marchio, antea rogatus à suo Filio OTTONE in Morimundo, ut Ordinem Cisterciensem in Patria sua inducere vellet, elegit locum Sattelbach. Ad quem *Otto* hoc anno ex Morimundo misit *Gotschalchum* Abbatem, & *Wilhalmum* Priorem, cum undecim Monachis: quos Marchio aluit, & statim Monasterium construere cœpit.

MCXXXVI. Pius Marchio LIUPOLDUS Ecclesiam suam in Nüwenburch absolutam consecrari fecit, & ibi Canonicos Regulares instituit. Loco Sattelbach, qui erat in Opere, Fundationem largam assignavit. Cellam quoque Sanctæ MARIÆ pro Benedictinis exstruxit. Post hæc verò præclara Opera & Merita fine sancto quievit hoc eodem anno XVII. Kal. Decembris, & in Nüwenburch sepultus est. DEUS fidelem Servum suum statim fecit Prodigiis clarum. Successit ei Filius LIUPOLDUS Quintus, licèt Fratrum suorum Senior non esset.

MCXXXVII. ADALBERTUS Senior Filius LIUPOLDI Pii obiit. OTTO Morimundensis fit Episcopus Frisingensis. CHUNRADUS junior Frater in Sattelbach induit Habitum Monasticum: Cui Loco LIUPOLDUS Marchio regnans bona prædia, Trumowe, & Dallhern donavit.

MCXXXVIII.

(*) Neoburgum, hodie Closter-Neuburg, latinè Claustro-Neoburgum. (**) Id est, è Primis Monasteriis ex Archi-Cænobio Cisterciensi Galliæ propagatis.

MCXXXVIII. *Hainricus* Superbus Saxoniæ & Bavariæ Dux à *Chunrado* Tertio Romanorum Rege suis Terris privatur, & LIUPOLDUS Marchio Austriæ fit Dux Bawariæ. Hic *Chunradus* Rex, & LIUPOLDUS, ab eadem Matre AGNETE nati sunt: sed *Chunradus* ex primo ejus Viro *Friderico de Hohenstoufe* ortus est. Post cujus mortem AGNES, piissima Fœmina, nupsit LIUPOLDO Pio Marchioni. Zwetla prima Filia de Claustro Sattelbach fundatur ab Hadmaro de Cuepharn, Cujus posteri nunc Chunring dicuntur.

MCXLI. LIUPOLDUS novus Dux, & Marchio, post multa bella moritur ex subito morbo apud Altaham in Claustro. Succedit HAINRICUS Frater, Avus nostri Fundatoris. CHUNRADUS, ejus Frater, ex Monacho fit Abbas in Sattelbach post Dominum *Gotschalchum.*

MCXLII. Fundari incipiunt Mons Pomærius in Austria, secunda Filia Claustri in Sattelbach: & tertia Filia Beata Maria de Zikador in Ungaria.

MCXLVII. *Chunradus* Rex, & HAINRICUS Dux Bawariæ, atque Marchio Austriæ, OTTO quoque Episcopus Frisingensis, cum innumerabili multitudine armatorum, ad prædicationem Crucis, his annis factam à nostro *Bernhardo* Abbate Clarævallensi, quem omnes ut sanctum habebant, proficiscuntur in Terram Sanctam, disponente *Eugenio* III. Papa de Ordine nostro.

MCXLIX. *Chunradus* Rex, cum HAINRICO, & OTTONE, redeunt ex Palestina, nullo fructu tantæ Expeditionis obtento, sed nimis multis in ea pereuntibûs, occulto DEI judicio.

MCLIII. Mellifluus *Bernhardus*, noster Propagator & Parens, in cœlum abivit.

MCLIV. *Fridericus* Ænobarbus, qui *Chunrado* Regi mortuo antea successerat, tollere cupiens acerba bella pro Bawaria, inter HAINRICUM Marchionem Austriæ, & *Hainricum* Leonem, *Hainrici* Superbi filium, sententiâ Regiâ huic Bawariam restituit. HAINRICUS Marchio id cum magna laude, suadente OTTONE Frisingensi Fratre, patienter tulit, licèt aliis Principibus parum placeret.

MCLVI. *Fridericus* Rex, complacens sibi in modestia & obedientia HAINRICI Marchionis Austriæ, eum creavit Primum Ducem Australem, & de Bawaria supra Anasum fluvium notabilem partem detrahens, eam cum Austria univit.

MCLVII. AGNES piissima Mater HAINRICI novi Ducis, LIUPOLDI Pii Marchionis Relicta, pio fine quievit. Dux verò Ædificium Claustri in Sattelbach perfecit.

MCLVIII.

MCLVIII. Obiit OTTO Episcopus Frisingensis, Frater Ducis, & CHUNRADI: qui in fine Anni MCXLVIII. ex Abbate Claustri in Sattelbach, factus est Episcopus Pataviensis.

MCLXIV. CHUNRADUS prædictus ex Patavia transiit ad Metropolitanam Sedem Saltzeburgensem. Sed post multam tribulationem propter obedientiam Papæ, moritur anno MCLXVIII. IV. Kal. Octob. apud Atmunt, ubi feliciter pausat.

MCLXXIV. *Alexander* Papa III. Mellifluum Patrem nostrum *Bernhardum* XV. Kal. Februarii Sanctum pronunciavit.

MCLXXV. *Fridericus* Imperator ADALBERTUM Archiepiscopum Saltzeburgensem in Comitiis exauthorare voluit. Cui cùm HAINRICUS Dux Austriæ consentire nollet, iratus Imperator *Zobeslaum* Bohemum in Austriam irruere jussit: qui maxima mala provinciæ intulit. Hic ADALBERTUS fuit Filius *Wladislai* Bohemiæ Regis ex GERTRUD Sorore Ducis Austriæ, pius Præsul.

MCLXXVII. HAINRICUS Dux Austriæ obiit, equo lapsus, & in Fundatione sua Monasterii Scotorum Wiennæ requiescit. Cognomen habuit *Jasomergott*, quod verbum sæpè in ore habuit. Successit ei Filius Senior LIUPOLDUS Sextus: Junior HAINRICUS sedit in Medeling.

MCLXXXII. LIUPOLDUS Dux peregrinatus est in Terram Sanctam: è qua post Annum attulit secum, rediens, insignem Particulam salvificæ Crucis Domini. Hanc postea donavit Claustro in Sattelbach: quod abinde Vallis Nemorosa ad Sanctam Crucem appellari cœpit.

MCXC. Idem Dux Cruce signatus ivit in Palestinam: quò Anno priori *Fridericus* Imperator præcessit, sed hoc anno ibidem infelici casu submersus est. Illuc profecti sunt etiam *Philippus* Francorum, & *Richardus* Anglorum Rex.

MCXCI. Accon, seu Ptolemais, summo cum labore ibidem occupata est: inquo labore LIUPOLDUS Dux insigni virtute enituit. Sed postquam, occupata Urbe, Vexilla Christiana ponebantur in Turribus, Vexillum LIUPOLDI à Rege Angliæ contemtum, & dejectum fuit, cum magna Ducis injuria, & offensione Germanorum. Quia autem Dux in oppugnatione tam strenuè bellavit, ut toto corpore plenus esset hostium sanguine, excepta illa vestis suæ parte, quæ latuit sub militari balteo: postea *Hainricus* Sextus Imperator Clypeum Austriæ, in quo hactenus Quinque erant Alaudæ, mutavit, & distinxit Campo rubro cum media semita alba.

MCXCII. Paulò pòst reditum LIUPOLDI obiit *Otocharus* Dux Primus in Stiria. Quare LIUPOLDUS ex Pactis, à tota provincia probatis, Austriæ simul & Stiriæ Dux est salutatus.

tus. Devênit quoque in manus ejus *Richardus* Rex Angliæ, qui eum in Oriente Spreverat, ab ipſo captus, & Imperatori petenti extraditus. Qui ob injuriam, Duci, & Imperio illatam, & alia malefacta ſibi imputata, tandem maxima ſumma pecuniæ veniam, libertatem, & gratiam Imperatoris emere debuit.

MCXCIV. *Cœleſtinus* Papa tertius, ob graviſſimam inſtantiam *Richardi* Regis jam liberi, qui cum Anglis ſuis LIUPOLDO Duci ſummè iratus fuit, Duci anathema intentavit, niſi pecuniam, à Rege jam acceptam, reſtitueret, & obſides pro accipienda dimitteret. Difficili præcepto ex reverentia tamen obedire promiſit LIUPOLDUS: ſed ſpatium vivendi non longum ei ſuperfuit. Nam alteram profectionem in Terram Sanctam præparans, & ideo apud Grætz in Stiria poſt Miſſas Natalis Domini, altera die, ſe, & Milites ſuos Ludo Equeſtri exercens, labante equo, pedem fregit, & quaſſavit. Nulla medela profuit pedi: & poſtquam hunc abſcindendum impavidè præbuiſſet, neque profuit reliquo Corpori incenſo. Chriſtiano itaque more ſe coram *Adalberto* Archiepiſcopo Saltzeburgenſi, tunc in vicinia exiſtente, expiavit, & ſi quam incurriſſet Summi Pontificis cenſuram, propter Obſides Anglos, ob brevius tempus cum pecunia nondum dimiſſos, abſolvi humiliter petiit. Noſtri deinde Ordinis cucullam induens, qui nobiscum aliunde Fraternitatem habuit, reliquos acerbiſſimos dolores, piè & patienter obeundô, concluſit paulò ante medium noctis IV. Kal. Januarii, cum maximo Provinciarum luctu, deponi ſe mandans in Sancta Cruce.

MCXCV. Quia propter pavorem & dolorem Filiorum, ac Miniſterialium, Obſides Angli tam citò cum pecunia expediri non poterant: *Adalbertus* Archiepiſcopus aliquot diebus Sepulturam prohibuit, ob metum & reverentiam Papæ, ac Regis, donec voluntati utriusque integrè eſſet ſatisfactum. Corpus verò aduſtum, & ideo multis partibus per ſe putridum, tantò faciliùs, ac citiùs generavit vermes. Poſt Obſidum verò diſceſſum, transvectum eſt ad Sanctam Crucem, & ibi tandem Idibus Januarii, me ſpectante, & ad funus pſallente, in Capitulo humatum eſt, maximo hominum concurſu: qui omnes valde bonum Principem, ac clementem fleverunt. Fuerunt autem ante, & poſtea, luctuoſa tempora, nunc ob ariditatem terræ, nunc è contrario ob exundationem fluminum, incendia fulminum, aut terræ motum, & alia inſolita mala, in Auſtria, & aliis Provinciis ferè in tertium annum. Irati verò Angli hæc mala in Auſtria, & ſubitam Ducis mortem, ac pœnale mortis genus, funeris quoque dilati moram, & natos vermes, omnia, veluti manifeſtas pœ-

nas DEI ob captivitatem sui Regis, ore & calamo divulgabant, cum multa Ducis diffamatione: quod ego, qui in Sancta Cruce tunc Libros transcribebam, jam ipse legi. Qui hos sequentur, errores seminabunt.

Reliquit LIUPOLDUS Sextus, dictus *Virtuosus* duos Filios, FRIDERICUM, & LIUPOLDUM Septimum, præter Filiam AGNETEM, ex Conjuge sua HELENA, *Geizæ* Secundi Regis Ungariæ Filia: cum qua nuptias celebraverat anno MCLXXIII. FRIDERICUS Primogenitus, natus anno sequenti VII. Kal. Januarii, tunc annorum viginti, successit Patri in Austria. LIUPOLDUS natus Idibus Octobris An. MCLXXVI. biennio minor præfuit Stiriæ, utérque multæ exspectationis. Ambos autem communia multis provinciis mala hoc, & sequenti Anno exercuerunt.

MCXCVI. FRIDERICUS Dux Austriæ Cruce pro Oriente signatur. Expeditio ista in tanta caristia temporis, magis quàm aliàs difficilis, opes multò majores postulabat. Unde Dux Fratri LIUPOLDO, qui ei sæpe consuluit, ut in Austria sua novum Ordinis nostri Monasterium excitare vellet, excusavit, se illud hactenus exequi non posse.

MCXCVII. Idem Dux iter in Palestinam per Apuliam cum maxima hominum multitudine aggressus, vicariam Fratri Austriæ suæ gubernationem commisit.

MCXCVIII. Idem Dux in Terra Sancta remanens, cæteris ob mortem *Hainrici* Sexti Imperatoris redeuntibûs, pro amore Crucifixi ibidem etiam animam posuit XVII. Kal. Maji, postulans, ut in Austriam reducto corpore, in Sancta Cruce ad Patrem LIUPOLDUM apponeretur. Cui Cœnobio sibi charissimo Villam Wezelendorf in testamento legavit. Fratri Austriam reliquit, sine Conjuge & Liberis defunctus. Pietas ejus, ac zelus pro Religione sibi Cognomen *Catholici* peperit. Fratrem Frater ad tumulum conduxit hoc Anno V. Idus Octobris, me iterum adstante.

Conclusio harum Notularum ORTILONIS.

Jam Deo propitio laudatis claris Progenitoribûs Pii Parentis ac Fundatoris nostri, & enarrata etiam Fundatione Matris nostræ Sanctæ Crucis, sequitur *De Exordio hujus Domus.*

EJUS.

EJUSDEM
Libellus de Exordio Campililii.

ANno Mcxcix. LIUPOLDUS Septimus novus Dux Austriæ & Stiriæ, magna animi pietate DEO devotissimus, prudenter cogitabat, quam difficile esset, ac plenum periculis, Provincias regere, maximè, cùm adhuc tam juvenis esset. Magnam autem Reverentiam habuit, ac devotionem ad nostrum sacrum Ordinem Cistercienſem, qui tunc devotissimus censebatur, & cujus Fraternitatem, vel saltem Orationum suffragia, Summi Pontifices & Episcopi, etiam Reges, & Principes sibi exorabant. Quia ergo sciebat, quòd hoc ipso Anno Capitulum Generale iterum in Cistercio congregaretur: æmulans charismata meliora, ipse pariter ad Patres nostros, ibi congregatos, hanc supplicem Epistolam scripsit.

Reverendis, Sanctisque Viris, ac Reverendis in Christo Patribus, Abbati, totique Capitulo Generali Cisterciensi, LIUPOLDUS, Miseratione Divina Dux Austriæ & Stiriæ Salutem, & sincero cum cordis affectu devotum obsequium, eorúmque gratiam mereri.

SAnctus Conventus vester, quo in Nomine Domini Salvatoris nostri congregati estis, sicut illi placere debet, ac plurimùm apud eum mereri, qui promisit, si duo, vel tres congregati fuerint in Nomine meo, ibi sum in medio eorum: Ita firma fiducia credibile est nobis, quidquid orantes petitis, à Christo fieri vobis. Nos ergo in hac juventute nostra, Patre priùs LIUPOLDO beatæ memoriæ, & paulò pòst etiam Fratre FRIDERICO piæ recordationis orbati, & amborum Provinciis regendis succedentes, undenam Nobis eam Sapientiam, & cordis rectitudinem, qua ad populos gubernandos opus habemus, subministrari posse sperare possimus, nisi à DEO, a quo omne Donum perfectum, illud Orationibus sanctorum impetremus? Nos enim Seculi rebus impliciti, ita intendere DEO, si fortè etiam vellemus, non possumus, ut ab ipso, intus loquente, necessariis præceptis instrueremur. Vos verò humana solicitudine exemti, mortificatione carnis purgati, in Ymnis & Canticis spiritualibus exercitati die, ac nocte, in Meditationibus sanctis enutriti, conversamini semper cum DEO, & cum eo loquimini. Unde debita cum humilitate, & tota Cordis nostri devotione, rogamus vos, & vobis supplicamus, ut, pro indulgentia vestra in multos alios nobis similes, & Rectores populorum, etiam Nobis viscera vestræ charitatis explicare, & Nos in Fraternitatem vestram, Precúmque vestrarum, & Meritorum Communionem recipere, consensu unanimi velitis. Quod si facere vobis placuerit, nostri debiti

biti erit, in quod per se propendemus, etiam omne, quod poterimus nos, in vestri sanctissimi Ordinis obsequium, & promotionem, ac defensionem impendere. Datum in Nüwenburch Non. Januarii Indict. ij. Anno Christi Mcxcix. Ducatus nostri in Austria Anno primo, in Stiria verò Anno quarto.

Tam devotas preces tanti Ducis libenter impleverunt Patres nostri, quibus tunc *Guido* II. Abbas Cistercii Generalis præfuit. Litera ad eum à *Guidone* remissa talis est.

Guido humilis Abbas Cistercii, ac Totum Capitulum Generale, LIUPOLDO Illustri Duci Austriæ, & Stiriæ Salutem, & digna cum Veneratione devota Orationum suffragia.

BEnedictus DEUS, qui Juventutem vestram, ut scribitis, præveniens in Benedictione sua, dedit Vobis sensum, ut sciretis, cujus donum essent Rectitudo Cordis, & Intellectus, quibus Populi benè, & laudabiliter reguntur. Fiduciam certè vobis præbet sensus iste multæ Gratiæ DEI, quæ erit vobiscum. Et quia multùm humiliastis vos ad nostra Orationum Suffragia, & Fraternitatem, ac Meritorum Communionem devotiùs requirenda: Nos promto animo desiderium vestrum implere volentes, Fratrem Vos nostrum communi nomine salutamus, & intra viscera religiosæ Charitatis Vos jucundè in Domino complectimur. Talis verò cùm modò jam sitis, diligite nos ut Fratres, & maximè illos ex nostris, qui in vestris provinciis DEO serviunt, Vos Principem simul tuentem, & Fratrem, immo Patrem amantem exhibete. Datum è Cistercio IX. Kl. Septem. Anno Domini Mcxcix.

Mcc. Hoc Nuncio plurimùm lætatus Dux LIUPOLDUS, suæ Humilitati illico Liberalitatem addere decrevit, quo se verè Fratrem probaret. Interea verò, dum irent, & redirent Literæ hæ, Anno priori *Andream* Ungarum, qui ob dissidia cum Fratre *Emerico* Rege fugere coactus fuit, benignè apud se recepit: & quia *Emericus* propterea irrupit in Austriam, *Liupoldus* illum hostem fortiter repellebat. Hoc verò anno Pax inter Fratres Regios, & Ducem reparata est: qui postea Ensis Consecrationem recepit. Et, ut irruptionibus Ungarorum obicem poneret, Civitatem Novam in eorum finibus exstruere cæpit. Exeunte verò anno, cùm sequenti Capitulum Cisterciense denuo congregandum cognovisset, alteram hanc Epistolam Cistercium dimisit.

Reli-

Religiosis Sanctisque Viris, ac Reverendis in Christo Patribus, Abbati, Totique Capitulo Cistercienfi LIUPOLDUS Miseratione Divina Dux Austriæ, Stiriæque, Salutem, & sincero cum affectu devotum Obsequium, eorúmque Orationibus adjuvari.

LAborantes in maris fluctibus, si meliori fato iis, qui tuto portu gaudent, appropinguaverint, eorum se sperant adminiculis liberari. Nos etiam, qui, quantò plus secularibus obligati negotiis, tantò magis obnoxii peccato cognoscimur, cùm nostra nobis non satis suffragentur merita, ne istius obruamur procellis pelagi, vestris desideravimus Orationibus adjuvari. Grates ergo suppliciter Sanctitati vestræ referimus, quòd nostro satisfacientes desiderio, vestræ nos dignati fuistis Fraternitati adjungere: per cujus Suffragia præsentem prosperitatem, & futuram, nos posse adipisci credimus, & adepta gaudere. Pro nostræ autem, & Parentum nostrorum Animarum remedio, Domum unam de Domo Sanctæ Crucis sub vestra Regula fundare proponimus, ipsámque, ad honorem DEI, & vestri Ordinis, annuente Divina Clementia, & Vita comite, structuris ornare convenientibus, & largis possessionibus ampliare. Hujus itaque rei Authoritatem vestra Nobis indulgere dignetur Paternitas, & Venerabili Patri Abbati Sanctæ Crucis committere, ut, secundum quod decens esse noverit, prædictam Fundationem, auxiliante Domino exequatur. Datum apud Graez vi. Id. Decem. Anno Domini Mcc. Indict. III.

Deuotissimi Principis tam clementem piissimæ suæ Largitatis Oblationem Patres nostri gratanti animo collaudârunt, & susceperunt per sequentem Eulogiam.

GUIDO humilis Abbas Cistercii, ac Totum Capitulum Generale, LIUPOLDO Illustri Duci Austriæ, & Stiriæ Salutem, & debita cum Veneratione Boni Operis fructum in perpetuum.

FRater, qui adjuvatur à Fratre, quasi Civitas firma, ut nobis Spiritus Sanctus per Sapientem protestatur. Illustri Dignitati Vestræ, cui nuper placuit, ut Frater noster fieretis, nunc inspiravit DEUS, ut in Provincia Vestra Domum unam de Domo Sanctæ Crucis, sub nostra Regula, ad honorem DEI, pro Vestræ, & Parentum Vestrorum salute Animarum, annuente Excelso Cælorum Domino, & Vita comite, structuris ornare convenientibus, & possessionibus largis ampliare velitis. Quod si id præstiteritis, Corona Fratrum, quam in Domum illam inducetis, proteget Vos, immo ille per ipsam, qui dixit: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Erunt Vobis, & Provinciis Vestris hi Fratres vestri Ciuitas firma: vigilabunt pro Vobis in Orationibus ad DEUM, ut ipse Vos benedictionibus repleat, & Adjutorio

jutorio brachii sui excelsi defendat. Et nos quidem admirantes Pietatem Vestram, atque DEUM, à quo illa Vobis advênit, pio jubilo collaudantes, gratulamur Vobis operis tam boni propositum, effectum verò sanctis votis optamus. Ne autem nos Vestræ Saluti, quæ inde orietur, remoram ullam ponamus: fecimus, quod jussistis, & dilecto ac venerando Coabbati nostro Marquardo *Sanctæ Crucis in Provincia vestra ore ad os mandavimus, ut sancti Propositi vestri fidelem se Ministrum in omnibus, secundum quod congruit Observantiæ, & Privilegiis Ordinis nostri, Vobis exhibeat, cúmque steterit Locus, de Fratribus boni testimonii è Gremio suo eidem provideat, ac Novam Filiam suam, ut pius ac solicitus Pater, ita gubernet, ut ea se vobis in omnibus laudabilem, & amabilem exhibeat. Vestræ verò Jllustri Dignitati retribuat DEUS Felicitatem in seculo diuturnam, æternam in Cœlo, & pro eo, quòd pauperes Christi recipitis in terra, recipiat Vos in æterna Tabernacula, postquam cursum Vitæ vestræ ipsius Adjutorio benè consummaveritis, Datum è Cistercio x. Kl. Julii anno Dominicæ Incarnationis Millesimo Ducentesimo primo.*

Reddita hæc Epistola, & verba plura Consolatoria, quæ ore addidit Dominus *Marquardus* Abbas in Sancta Cruce, fuerunt acutum valde calcar Piissimo Duci Fundatori per se currenti, ut tantò magis festinaret in proposito sibi opere DEI. Igitur statim eum Locum, quem in animo suo pro futuro Claustro jam dudum deputaverat, *Vallem* videlicet illam post Villam *Wilbalmspurch* in Via, quæ ducit ad Stiriam per ardua Montium, *Lilienueld* dictam, de manibus se possidentium extraxit, faciens eis præponderantem recompensationem ad concambium. Erant autem hi possidentes Nobili Stirpe, *Chunradus* & Uxor *Hadmudis*, cum Filiis, *Vritlone*, *Leutoldo*, & *Hermanno*, dicti à Loco, in quo hactenus sedebant, Lilienveldarii, postea retrahentes se in Montem vicinum, vocabant, se *de Monte*. Dominus *Marquardus* Abbas Sanctæ Crucis, assumtis secum valde boni testimonii Fratribus, *Okero* Præsbytero, *Gebhardo* Monacho, & *Geroldo* Converso, Fratribus è Sancta Cruce, comitante se Domino *Wulfingo* Abbate in Zwetel, Locum accedentes, in præsentia ipsius Ducis, Vallem prædictam providi considerârunt. Reperientes verò eam aptam Solitudini, & commodam habitationi, propter aërem salubrem, & aquæ bonæ, lignorúmque abundantiam, & quia neque nimis horrida esset, neque nimis amœna, valde sibi in ea complacuerunt. Exhilaratus itaque Dux, & fines amplos ac latos clementi sermone explicans, quibus vellet terminos Monasterii concludere, cum multis sylvis, & piscationibus, & pascuis, magno solatio Gratiarum Actiones ab eis humiles accepit. Mox deinde Operarios conducens, jussit ligna cædi, & erui lapides congruos, ac durabi-

durabiles, & convehi diligenter, atque omnia instanti Operi præparari.

Mccij. Verno hujus anni tempore, cum tanta copia necessariorum jam convecta esset, quæ ad initium Structuræ sufficeret: Dux pius Fundator jv. Id. April. *Wilhalmspurch* veniens cum Domino *Marquardo* Sanctæ Crucis, & supradictis, *Okero*, & *Gebhardo*, atque *Geroldo* Converso de suo Conventu, ac plurium Nobilium, & Ministerialium turba, qui omnes in *Wilhalmspurch* priùs Missarum Solemnia audierant, perrexit ad *Lilienuelde*. Ibi in domo sua Forestaria modicum à molestia viæ respirans, accessit deinde Locum destinatum, fossis jam præparatum, & devotè Genua flectens, tacidus in corde suo, sed lætus, obtulit DEO, & Magnæ Matri DEIparenti universa, quæ ipse ad hoc suum Cœnobium disposuit, omnibus simul cum eo procumbentibus, & compunctis. Surgens postea, Primum Lapidem fundamentalem Ecclesiæ, manu sua propria admota, ipse in terram demisit: mox verò operarii laborem suum strenuè prosecuti sunt. Domino *Marquardo* Abbati Dux pro tribus Fratribus secum adductis eam Domum assignavit, quam Domini *Lilienveldarii* hactenus habitaverunt, à se redemtam, retro Locum Claustri versus Orientem, ut Regularia præcipuè Ædificia ex more Ordinis, & juxta formam Cistercii ritè fieri curarent, & operariis instarent, ne otiosi, aut pigri essent in struendo. Ipse autem, hoc fausto initio dato suæ Fundationi sub DEI, & DEIparæ Invocatione, cum Domino *Marquardo* Abbate, & Ministerialibus suis, lætus redivit, statim profecturus ad Aulam Regis *Philippi*. Relictis in *Lilienveld* Fratribus Alimenta, & necessaria quæque ipse providit. Mihi, tunc ignoranti, quod ad *Lilienueld* postea migrare deberem, Dominus Abbas meus, in Sanctam Crucem reversus, statim mandavit Libros scribere, qui ibidem ad Opus DEI decantandum necessarii essent.

Mcciij. Dum in *Lilienueld* fundamenta Templi, & Claustri, ferventer ponerentur, Dux L. in Wienne Dominam *Theodoram* ex Græco Imperatorum Sanguine Jllustrissimam Conjugem accepit Regia pompâ. Regem deinde *Philippum* præsentem secutus est.

Mccjv. *Emericus* Ungariæ Rex obiit. *Andreas* Frater debebat esse Tutor *Ladislai* filii ejus: sed ut Regem se gessit. Regina Mater *Constantia*, cum Filiolo, & Corona Regia, fugit ad L. Ducem. Hic exules benignè recepit, & pro eorum favore arma paravit. Ædificia Claustri in *Lilienueld* jam è fundamentis prodiverunt.

Mccv. Dux L. in bellum processit adversus *Andream* Ungarum pro *Ladislao* Puero Rege. Sed hic, parato jam prello Wienne

Wienne defunctus est, & sic *Andreas* jam legitimus Rex erat. Dux L. milites ex Ungaria reduxit, & attulit *Philippo* Regi contra æmulum *Ottonem*. Interea nata est ei Filia *Margareta* jv. Id. April. Structura Claustri, & Oratorii in *Lilienueld*, instante *Okero*, & Sociis, qui & ipsi sæpe laborabant, Duce largiter omnia conferente, jam columpnis suis inniti cœpit.

Mccvj. Hoc ANNO Dux L. ex DEI gratia accepit duas Filias, unam iterum secundum carnem, quia nata est ipsi *Agnes* xjv. Kl. Augusti. Alteram spiritalem, nimirum Monasterium suum in *Lilienueld*: cujus Dormitorium, & Oratorium, in locum Ecclesiæ interim substitutum, ac Refectorium, & Capitulum perfecta sunt. Unde Dominus *Marquardus* Abbas Sanctæ Crucis Primum in Nouo Monasterio Abbatem designavit Dominum *OKERUM*, qui illud exstruxit, & Socium ejus *Gebhardum* nominavit Priorem. Hi ambo erant Præsbyteri: quibus tertium addidit *Gotschalcum*. Monachos novem deputavit: *Chunradum*, *Guilelmum* Diaconos: *Waltherum* Subdiaconum: *Berchtoldum*, *Liupoldum*, *Petrum*, *Ottonem*, *Stephanum*, & me Fratrum meorum minimum *Ortilonem*. Insuper Conversos Fratres tres, *Geroldum*, *Rudolfum*, *Siboltum*, omnes numero quindecim.

Omnes nos, in Capitulum convocatus, Dominus *Marquardus* Abbas, quia Vir erat, doctus in lege Domini, potens in Opere & Sermone, dulci & incenso sermone adhortatus est in Domino ad opus, ad quod electi sumus. Dixit ergo, ut, qui Filii hactenus sui eramus in Claustro suo, cogitemus, nos Patres multorum sequentium futuros: ut itaque fundamentum Regularis Disciplinæ, auxiliante Domino, bonum ibi ponamus in omni districtione Regulæ: nec derelinquamus terminos, quos posuerunt Patres nostri, non recedentes ad dextram, neque ad sinistram, Mercedem accepturi à DEO omnis boni, quod nos præstabimus, & qui nobis successerint. Operis DEI maximam nobis solicitudinem injunxit, ut non ingrati largissimis donis Jllustris Ducis Fundatoris, fructum Orationum, quem petit, sibi, & Provinciis suis, à DEO referamus. Dominum OKERUM hortatus est, ut ex Lege Regulæ Sancti Patris, à qua nunquam recedat, Nomen Majoris factis impleat, Exemplo magis docens, quàm Verbo. Oderit vitia, diligat Fratres. Nobis obedientiam, novo Domino Abbati nostro præstandam cum omni celeritate, & humilitate injunxit. Commendavit nobis Paupertatem, experiendam in nobis, in hospitibus verò, & pauperibus Charitatem exhibendam. Tandem commonuit nos de Reverentia, quam Matri nostræ, Sanctæ Cruci, deberemus, & ejus vicissim Maternum Amorem nobis promisit. Ad ultimum ductis nos (nobis) ad Ecclesiam, & prostratis, orante pro nobis universa Con-

Congregatione, ut pius Pater, devotè benedixit. Sequebatur omnium nostrum Osculum pacis, quod dedimus, & recepimus à Patre, & Fratribus: qui nos omnes, præeunte Cruce, ad limen Ecclesiæ deduxerunt. Factum est hoc viij. Id. Septembr.

Nos eadem die sub Cruce progressi, vesperi ad Comagenum Montem in Pago *Kaumperg* constitimus, pausantes usque ad tempus Vigiliarum sub uno tecto. His, atque Matutinis decantatis, iter cum Cruce prosequentes, pervenimus altera die ad *Lilienveld.* Ibi adfuerunt, Illustris Dux LIUPOLDUS Fundator, & Dominus POPPO Venerabilis Episcopus Pataviensis, item Dominus *Marquardus* Sanctæ Crucis, cum multis Clericis, & Nobilibus, ac multa plebe. Obviavit nobis Pius Princeps: & ô quantum nos, in oscula manus suæ largifluæ ruentes, amabili vultu suo, & sermone, à fatigatione itineris recreavit. Præsentavit nos Domino Episcopo, qui & ipse se benignum exhibuit, & omnibus benedixit. Inducti per ipsos in Oratorium, & ante Altare Beatæ Virginis aliquantulum prostrati, surgentes Hymnum *Te DEUM laudamus* cantavimus: Mox, ipsis adstantibus, etiam Vespertinam Synaxin de Nativitate ejusdem Beatæ Virginis. Deinde ad Dormitorium deducti, læti consideravimus Locum, in quo jam stabiliter permaneremus. Paulo post vocati in Refectorium (impransi enim ob jejunium diei festi eramus) primam piissimi Fundatoris providentiam, & largitatem, cum Gratiarum actione experti sumus. Socii Refectionis ipse, cum Domino Episcopo fuerunt. Extremo Vesperi complevimus in Oratorio: deinde pausavimus. In Choro, in Refectorio, in Dormitorio, reperimus omnia, nobis necessaria.

Ipsa die Beatæ Virginis post medium noctis surreximus ad Opus DEI: & Cantui nostro Vigiliarum Domini, Dux, & Episcopus, adstiterunt lætantes. Post Missarum Solemnia Domino *Marquardo* Abbati Sanctæ Crucis renovavimus Professionem, & maximè Stabilitatem in hoc Loco. Post hæc Illustris Dux & Fundator super Reliquias in Altari Beatæ Virginis, corde hilari, & voce clara, recitavit omnes Donationes, quas nobis faceret, & eas DEO, & Sanctæ MARIÆ obtulit. Similiter Dominus Episcopus Fundationem nostram, & Exemtionem Ordinis, ac Privilegia nobis approbavit: uterque tamen usque ad consensum Domini Papæ, postea Literis describenda. Deinde Dominus Episcopus benedixit *Okerum* Abbatem, tradendo ei Virgam Pastoralem: qui ei professus est salvo Ordine suo. Iterum postea in prandio nobiscum refecti, Dux, cum Episcopo, & Domino *Marquardo* de Sancta Cruce: qui omnes piis sermonibus nos in omni bono confortabant. Abierunt deinde in Villam *Wilhalmspurch* ad Burgum Ducis, alio verò die in Loca sua. Sed Dominus *Poppo* Venerabilis Episcopus Pataviensis brevi postea infirmatus est, & piè obiit vij. Kl'. Januarii

Dominus *Okerus* Abbas noſter, qui inhabitabat Domum *Lilienveldariorum* ad latus ſiniſtrum Oratorii, cum Capella veteri Beati *Thomæ* Apoſtoli, & Coquina ſupra ſe: item Nonnus *Gebbardus* Prior, cum omni Charitate, & ſolicitudine, circa nos, & Domum hanc, ſine intermiſſione laborabant.

Mccvij. LIUPOLDO Duci, Parenti noſtro, & omnis Cleri, retribuit DEUS ſecundum bonitatem Cordis ſui, diſponens ei Filium, quem diu optaverat, *Liupoldum*, qui natus eſt in Wienne viij. Kl.' Octobr. Dominus *Okerus* Abbas noſter nuncios Monachos direxit ad Dominum Papam pro Confirmatione Novæ Domus noſtræ Nonum *Gotſchalchum* Præsbyterum, & *Geroldum* Converſum. Emit quoque ex trecentis talentis, à Fundatore datis, Vineas plures, Domos tres, & Molendinum unum.

Mccviij. Dominus *Innocentius* Papa tertius Monaſterii Fundationem confirmat, & illud in Protectionem ſuſcipit, & ampliſſimis Privilegiis munivit. Sed Dominus *Okerus* Abbas, multarum Virtutum, & magnorum Meritorum Vir, Plantator ſedulus Diſciplinæ noſtræ, cujus Vita ejus Exemplum fuit, in Autumno infirmatus, felici agone, ſed nimis citò, conſummavit Non. Novembr. cum multo luctu noſtro. Poſtridie ſepelitur in Capitulo. Eidem communibus Votis Fratrum in Abbatis munere ſuccedit *Gebbardus* hactenus Prior, xvj. Kl.' Decem. Dux L. Cruce ſignatur contra Saracenos. Cui natus eſt hoc ANNO Filius alter *Hainricus* xv. Kl.' Junii.

Mccix. Dux L. Domino *Gebbardo* Abbati amplas Literas Fundationis, Gratiis plenas, tradidit in Nüwenburch vij. Id. April. Quod audientes Fratres, *Lewtoldus* & *Chunradus* Domini *de Altenburch*, Filii *Weichardi* defuncti de *Altenburch* & *Geiſelæ de Wildeck*, reclamarunt propter Foreſte. Dux, æquitatis ſtudio permotus, ne holocauſtum ſuum aliqua parte deficeret, ſed magis pingue fieret, venit in Wilhalmſpurch ad Burgum, &, ut habetur in alia Litera Fundationis, quam dedit nobis xij. Id. April. dictis Fratribus compenſationem fecit, licèt ad id nullo jure teneretur. Cum illo deinde Dominus *Gebbardus* Abbas, & *Chunradus* Monachus, profecti ſunt in Wienne: ubi Abbas à Domino *Manigaldo* Venerabili Epiſcopo Patavienſi Benedictionem, *Chunradus* verò Ordinationem in Præsbyterum ſuſcepit. Reverſus Abbas Nonnum *Gotſchalcum* conſtituit Priorem, *Luipoldum* Cellerarium, *Stephanum* Wurſarium, *Geroldum* Converſum Portarium.

Mccx. Abſoluta ſunt tandem fundamenta grandis Eccleſiæ ingenti labore: in qua pius Dux Fundator oſtendit Magnificentiam ſuam, quam oſtendere minus ſibi licuit in Clauſtri Ædificiis: quia Dominus *Marquardus* Abbas S. Crucis, & Dominus *Okerus*, humiliter ei, & orantes ſuggerebant, Paupertati Religioſæ Ciſtercienſium ſimplicia tantum habitacula convenire,

re. Idem Dux, ad ampliora bona se semper extendens, hoc anno instituit Hospitale Pauperum in Chremis, cum Capella Sancti Stephani, & pro sustentatione pauperum donavit Ecclesias in Muzliche, & Drezinge. Monasterium verò cæpit habere frequentiam pauperum: quos multum Abbas *Gebhardus* dilexit.

Mccxj. L. Duci in Nova Civitate nascitur tertius Filius *Fridericus* xvij. Kl.' Julii. *Hainricus* Miles *de Tumbenowe* Fraternitatem, & Sepulturam suam petiit apud nos, & donat nobis terras, ac vineas in *Wizlensdorf*, & *Leutaker*. Moritur *Petrus* Monachus valde humilis, & devotus, læto animo exspectans Visionem DEI, & primus in Cemiterio extra Oratorium è latere Septentrionali deponitur. Pro quo tres, anno priori ad Conversionem à Domino *Gebbardo* suscepti, Professionem faciunt, dicti *Okerus* Monachus, *Gebhardus*, & *Wido* Conversi.

Mccxij. Dominus *Marquardus* Abbas S. Crucis. visitat Filiam suam Vallem nostram, & gaudet de bono ejus statu. Dominus *Mangoldus* Venerabilis Episcopus Pataviensis dat nobis Literam, qua approbat Fundationem nostram, & Privilegia Ordinis communia: præcipuè consentit in Donationem L. Ducis, qua nobis largitus est *Hospitale in Chremis*, Capellam *S. Stephani*, & Ecclesias Parochiales. *Wilhalmspurch*, *Muzliche*, & *Drezinge*. Quinque iterum profitentur, omnes conversi: Moritur verò *Stephanus* Monachus devotus, & *Geroldus* utilis Conversus, in Exstructione Monasterii valde laboriosus. Dux L. cum multis Militibus proficiscitur in terram S. Jacobi contra Mauros in obsequium Crucis Dominicæ. Sed Arragoniis Regibus DEUS Victoriam dedit, antequam ipse adveniret. Interim nascitur ei Filia tertia *Constantia* prid. Non. Maij.

Mccxiij. Dominus *Gebhardus* Abbas noster graviter à multis vexatus propter Decimas de terris, Fratrum suorum manibûs excultis, compulsus importunitate, Nonnum *Gotschalchum* Priorem, & *Siboltum* Conversum, iterum ad Dominum Papam ablegavit, Priorem nominavit Nonnum *Ottonem*. Mortui sunt è nostris fine optabili valde boni testimonii Fratres, *Wilhalmus* & *Liupoldus* Monachi: pro quibus tres alii Monachi, & quatuor Conversi, se DEO in Domo nostra obtulerunt. Primus è Familiaribus nostris *Hainricus* Miles *de Tumbenowe* apud nos in Cemiterio sepelitur. Muri Ecclesiæ Orgiam unam transcendunt. L. Dux cum exercitu tendit Aquisgranum ad Regem *Fridericum*.

Mcciv. Redeuntes à Domino Papa *Innocentio* tertio Fratres nostri tulerunt tres Bullas ejusdem. In prima confirmavit Donationem Ducis circa Hospitale in Chremis, & attinentias ejus. In secunda confirmavit Donationem *Heinrici* Militis de Tumbe-

nowe. In tertia mandavit Archiepiſcopo Salzeburgenſi, & omni Clero, per ejus Provinciam in dignitate conſtituto, ut nos defendant in Immunitate Decimarum. Duci L. nata eſt quarta Filia *Gertrudis* vij. Id. Januarii. Idem tranſiens in Graez cum Domina Theodora Conjuge, & Filia *Margareta*, apud nos egerunt Litaniam majorem.

Mccxv. Obiit in Wienne Dominus *Manegoldus* Venerab. Epiſc. Patavien. iv. Id. Junii, poſtquam tres Monachos noſtros ordinâſſet in Sacerdotes. Cui ſubſtituitur Dominus *Udalricus* Præceptor L. Ducis; ſed non ſtatim acceptatur. Obiit etiam Dominus *Marquardus* Abbas S. Crucis v. Kl.' Octobris: cui Dominus *Wernberus* ſucceſſit. Dominus *Gebhardus* noſter valde vexatur à multis propter Judicium Provinciale. Converſionem apud nos fecerunt Monachi quinque, decem Converſi. Fr. *Walterus*, qui mecum venit ex S. Cruce, & valde longam infirmitatem, cum ſumma patientia, & magna ædificatione omnium, ſuſtinuit, in ipſo Natali ſancto Domini ad pacem in cælo vocatus eſt, & finem ſanctum accepit.

Mccxvj. Hoc primùm anno, mediante Duce L. *Ulricus* in Cathedra Patavienſi ſtabilitur, & à Domino *Eberhardo* Salzeburgenſi conſecratur: Sed Duci, & Provinciæ, magnus luctus oritur ob immaturam mortem Primogeniti Filii ſui *Liupoldi*: qui in Nüwenburch ludum puerorum frequentans, ex arbore cecidit xij. Kl.' Novembris. Muri, & columpnæ Eccleſiæ ad tertiam orgiam veniunt: Ambitus autem juxta Eccleſiam incanerari incipit. Exſtruitur etiam Porta, cum cella Hoſpitum ante Clauſtrum: & in Phaphſteten Grangia. Convertuntur Monachi quatuor. *Wicbardus* de Medlico Plebanus in Wilhalmſpurch moritur: pro quo *Leutoldus* de Chremis à Domino *Gebhardo* præſentatur.

Mccxvij. Dux L. impetrat nobis á *Friderico* Rege Romanorum aureum Privilegium de Confirmatione Judicii Provincialis. Idem Dux, cum Rege Ungariæ, ducit exercitum Cruciatorum in Paleſtinam. Priùs tamen, à Comitiis Norimbergæ veniens, & in Graez pergere volens, tranſivit per nos. Ubi in die Carnisprivii cineres devotè ſuſcipiens, noſtras Orationes ardentiùs poſtulavit, & labores in perficienda Eccleſia diligentiſſimè fieri mandavit. Nos ei cum magna humilitate, & devotione valedicentes, & de ejus ſalute ſoliciti, promiſimus ei, quamdiu in Terra Sancta eſſet, & donec ad propria cum ſalute reverteretur, omni die pro eo unanimiter poſt Primam in capitulo pſallere Pſalmos Graduales, & Collectam pro Fratre in viam directo. Sic ille gaudens, & plenus fiducia in DEUM, & Beatam Mariam, ante ejus Altare in Oratorio proſtratus, à Domino *Gebbardo* Abbate Benedictionem primam

pro

pro via accepit, & cum pio gemitu noſtro perrexit in Graez. Moritur *Wulfingus* Plebanus in Dürnize, & præſentatur à Domino *Gebbardo Haimricus* Clericus de Wienne. Obiit ex nobis Nonnus *Gotſchalchus* quondam Prior, Orationi, & jejuniis multum deditus, ac prudens & diſcretus Amator Fratrum, qui venerat mecum ex S. Cruce. Profeſſi apud nos ſeptem. Grangia fieri cœpta in Monte Tannperg.

Mccxviij. Quia Dominus *Gebbardus* plures Præsbyteros ordinari fecit, in Oratorio conſtruxit Altare ſecundum beati Joannis Baptiſtæ: pro quo impetravit Tabulam cum Reliquiis à Domino *Ulrico* Epiſc. Patav. Pro hoc Altari pecunias dedit *Perchtoldus de Chreuspech*, valde devotus ad nos, & Frater noſter, cujus Uxor *Grete*. Moriuntur de primis Fratribus hujus Domus ex S. Cruce, *Chunradus* Monachus, vir degens in ſilentio, & jejuniis multis, qui & verba valde conſolatoria habuit in ore ſuo. Item *Siboltus* converſus, ad omne opus ſibi injunctum valde ſolicitus, & Domino Abbati charus. *Andreas* Rex Ungariæ ſine magna laude è Terra Sancta redit. L. Dux verò ibidem fortiter perſiſtit, & apud Damiatam cum fama maxima pugnat.

Mccxix. Hoc anno Ducem ac Parentem noſtrum L. DEUS feliciter ad nos reduxit. Nam poſtquam, ſuo maximè Conſilio, & ſua fortitudine, in proximo eſſet, ut Chriſtiani Damiatam caperent, ipſe, de præda non ſolicitus, ſed magis de Filiis, & Patria ſua, & etiam de ſuo Monaſterio, ut nobis poſtea dixit, per Ungariam redivit in Stiriam, & ex Graez cum ambobus Filiis, *Haimrico*, & *Friderico*, licèt parvulis, venit ad vallem noſtram, & noſtra Oſcula multo cum gaudio ſuſcipiens, pro Orationibus gratias egit in feſto S. Magdalenæ. Sed non vacuus venit. Honoratus enim ab Orientalibus multis Reliquiis Sacris, plurimas nobis, ut chariſſimis Filiis, donavit. Sed ſuper omnia eſt inſignis valde Particula Sanctæ Crucis: quam quidem non tunc, ſed multò ante à *Balduino* accepit: ſed hac occaſione nos per eam clementi Largitione ſua æquè divites, & felices fecit, ac Medlicum, & Sanctam Crucem, unde exivimus. Multum deinde delectatus eſt in Templi Ædificio, cùm videret, finito altero anno illius Concamerationem incipi poſſe. Bona hora uſus Dominus *Gebbardus* noſter, humiliter ſupplicavit Duci pro Eccleſiola apud Portam propter famulos Monaſterii. Statim pius Parens conſenſit, & quia dies Beatæ *Magdalenæ* fuit, in ejus honorem eam fieri juſſit. Filiis ſuis amabili ſermone amorem Monaſterii perſuadere laboravit. Die altera iterum in viam ſe dedit. In Autumno donavit nobis bonum Predium *Eſchenawe*.

Mccxx. Dux L. quem Subditi, & ipſe Subditos unicè amavit, & qui Patriam multum auxit, atque munivit, hoc anno

etiam Castrum *Kutensteine* muniens, iterum venit ad nos in autumno, & Ecclesiolam S. Magdalenæ jam quasi perfectam, Ecclesiæ quoque Magnæ columpnas & muros jam usque ad aptitudinem fornicum surrexisse hilaris vidit. Hic semel notare dignum & justum est, Devotissimum Principem, quoties venit ad nos, Opus DEI in Oratorio, quod fortè tunc decantavimus, præsentem religiosissimè semper audivisse, cum ingenti cordis gaudio, quod nos valde compunxit. Fratrum verò numerus apud nos auctus est ad Septuaginta : licèt Mors in singulis ferè annis aliquos ex nobis ad Iudicem vocaret. Viximus per gratiam Dei in Charitate bona, multum pro nobis solicito Domino *Gebhardo* Abbate, & *Ottone* Priore. Habuerunt homines Dilectionem ad nos, & multi nostram Fraternitatem rogaverunt. Habuimus tamen etiam Vicinos duros, in Hohenberch, & Altenburch maximè : sed propter Ducem Fundatorem sæpe continuerunt se. DEUS ipsos convertat. Domini *Gebhardi* mensa cum hospitibus, & pauperibus fuit semper.

Mccxxj. Ambitus Claustri juxta Ecclesiam per omnia latera fuit perfectus, exceptis columpnellis marmoreis. Itaque hoc Anno in Lytaniis Minoribus, ex Oratorio exeuntes, per eum supplicavimus. Sepelivimus in Cemiterio *Perchtoldum de Chreuspech* Fratrem nostrum, & Filio suo *Hartungo* Fraternitatem dedimus. Dominus *Wernherus* Abbas S. Crucis nos visitavit. Dominus *Ulricus* Episc. Patav. profectus est in Terram Sanctam cum *Ludwico* Bawariæ Duce : sed ibi cum magno Christianorum dampno Damiata iterum perdita est. Episcopus in reditu obiit : cui successit ante Natale Domini Dominus *Gebhardus* Comes de Plajen.

Mccxxij. Obiit *Rudolphus* Conversus, qui mecum exivit è S. Cruce, Laborator bonus in ligno, humilis & obediens Frater, conclusit pio agone. Dux L. suæ Filiæ *Agneti* Nuptias fecit cum *Wernhardo* Duce de Saxonia. *Gebhardus* Abbas à Domino *Honorio* Papa tertio obtinuit Bullam, qua confirmavit nobis Hospitale in Chremis, & Ecclesias.

Mccxxiij. Dominus *Gebhardus* Abbas iterum duas Bullas recepit ab eodem Domino Papa de Confirmatione Fundationis nostræ, & aliam de Jure Patronatus in tribus Ecclesiis.

Mccxxjv. L. Dux in Wienne induxit Ordinem Minorum. *Belam* Filium Regis Ungariæ ad se fugientem recipit.

Mccxxv. Iterum idem Dux Wienne instituit Patres de Carmelo. In Ecclesiæ nostræ fabrica incamerari incipit Præsbyterium.

Mccxxvj. Dux L. cum Rege *Hainrico* in Italiam proficiscitur ad Imperatorem. Interea *Hainricus*, senior Filius suus, malorum consilio seductus, arma sumit, & Castrum Haimbur-

burgum occupat, cum injuria Dominæ *Theodoræ* Matris, quam violenter expulit. Redux L. Dux Pater Castrum iterum vindicat: sed Filio parcit. *Friderico* alteri Filio Uxorem dat *Gertrudem de Brunswich*, sed altero mense defunctam.

Mccxxvij. Dux L. interest Coronationi *Margaretæ* Filiæ suæ, quæ antea cum *Heinrico* Rege Nuptias fecit. Ejus intercessione *Fridericus* Secundus Imperator quatuor Ordinis nostri Monasteria Austriæ, Sanctam Crucem, Zwetel, Lilienveld, & Baumgartenberch, eximit ab Advocatis. Sed percepto hoc optimo Privilegio, Dominus *Wernherus* Abbas S.Crucis Idib. Novemb. & Dominus*Gebhardus* Abbas noster iij. Id. Decembr. piè obierunt. Multa fuerunt Domini *Gebhardi* Merita, & magnæ Virtutes. Fuit humilis valde, & devotus, sobrius, & mitis, & in pauperes liberalis. Fuit & Duci Charus, & omnibus hominibus. Fratres ut Filios dilexit pius Pater, ac verbo, & Exemplo, ad bonum provocavit omnibus diebus, quibus abbatizavit. Successit ei *Otto*, multis jam annisPrior, licèt jam senex, quem tamen Fratres nimiùm amabant, xvij. Kl.' Decembr.

Mccxxviij. Eidem statim primo hoc anno suo Dux L. à *Friderico* Imperatore obtinuit Privilegium, quoMonasterium nostrum in suam, & Imperii Protectionem recepit. Idem Dux in Strauwinge vitæ periculum habuit: sed, protegente se DEO, incolumis evasit. Putabant, hoc procurâsse Filium *Hainricum*, qui inquietus erat. Sed incidit in foveam, quam fecit, disponente DEO in pœnam salutarem. Ipse enim hoc anno ex morbo obiit, multum contritus vj. Kl.' Octobris. Ejus animam Dux L. pius Pater, Monasterium nostrum visitans, cum Filio *Friderico* jam unico, Ibid. Octobris, nostris Orationibus devotissimè commendavit. Et quia cognovit, Ecclesiam suam anno altero integrè absolvi posse, tanto magis Operi instare Mercenarios jussit, aucto eorum numero. Cum Domino *Ottone* Abbate nostro Consilium tractavit de modo, & numero Altarium, & quibus Sanctis ea dedicanda essent. Deliberatum est, septem Altaria fieri. Primum & summum in Præsbyterio dedicari debere Sanctæ & Individuæ Trinitati, beatam DEI Genitricem ad se assumtam coronanti. Post Præsbyterium fieri Altare Beatæ Mariæ. A dextris Sancti Legislatoris nostri Benedicti: à sinistris Sancti Bernardi. Juxta Præsbyterium ad dextram S. Michaelis: ad sinistram S. Joannis Baptistæ. In Choro Conversorum Altare S. Crucis. Hæc omnia Domino *Ottoni* Abbati optimè curare jussit. *Fridericum* verò Filium adjuravit in Oratorio coram DEO, & Sanctis ejus, ac nobis, & multis Ministerialibus, ut, si ipse absens esse deberet (cogitavit enim iterum in Terram Sanctam) vel non ampliùs superesset, Fundationem suam ante omnia sine defectu perficeret, & Ecclesiam dedicari faceret eo ritu, quo deceret, Mortuique Ossa huc

huc transferret, & in Præsbyterio se deponeret. Hoc dixit tam ardenti affectu, ut omnium corda tanta Pietas commoveret, & sibi, ac nobis, lacrymæ sub oculos festinarent. Sed heu, quòd nihil horum intelleximus, quomodo Princeps noster sibi prophetaret. O quàm longè ardentius ruissemus in oscula Pii Parentis, si cognovissemus, Faciem ejus nos ultra non esse visuros. Sed ita tamen, heu, factum est. Discessit Pater noster à nobis Pater Cleri, & Patriæ, Pius, Clemens, Gloriosus, non amplius rediturus, nisi ut dormiat nobiscum in idipsum. Cineres suos, & Ossa anno tertio recepimus. Desideravimus Vultum amabilem, & mitem: Oculos fulgentes, & gratiosos: Os & Linguam Dulcissimi Patris, & Manus semper munificas: etiam Genua religiosa, quæ coram Nobis, elevatis ad DEUM manibus, toties devotissimè flexit, nobis in exemplum Pietatis. Sed nihil horum erat ampliùs. O quis dabit aquam capiti meo, & oculis meis fontes lachrymarum! Sicut autem DEO placuit, ita factum est. Benedictus DEUS. Nequaquam, sicut mori solent ignavi, mortuus est Abner noster, ut post paululum dicam.

Mccxxjx. Ingruente hyeme perfecta est Ecclesia nostra usque ad Campanile, & Altaria prædicta. Dominus *Otto* Abbas, ut plurium nostrorum mortes suppleret, alios, & alios, ad Conversionem accepit. L. Dux cum magna cordis amaritudine videre debuit, quomodo Dominus Papa, & Imperator in gravissima discordia quotidie crescerent. Inter hæc dissidia fuit turbatio magna multorum negotiorum apud multos, & quia Arma prævaluerunt, sæpe via Legum non patuit. Hujusmodi sermo etiam exiit de Divortio, quod *Fridericus* Filius Ducis *Liupoldi* cum Conjuge sua fecit, Patre permittente, quod contra Leges esset. Cur id acciderit, ego non novi. Hoc autem scio, pium & religiosum Ducem L. bonæ fuisse Conscientiæ Principem, & nunquam in Dominum Papam, vel Prælatos Ecclesiæ, scienter offendere voluisse. Hoc tamen Divortium mala multa occultè seminavit in Patria: quia Propingui Conjugis repulsæ tacitè deinde vindictam de *Friderico* per Ministeriales hujus Patriæ quærebant. Fuit Uxor altera de Hungaria.

Mccxxx. Cùm urgeret Dominus Papa Imperii Principes, ut alium Imperatorem eligerent, Imperator econtra eos rogabat, ut concordiam magis inter ipsum, & Dominum Papam mediarent. Hinc plures eorum intraverunt Italiam statim in Novo Anno: quorum unus & præcipuus erat Dux & Parens noster L. Qui interim Filio *Friderico* imposuit regere Provincias suas: quare tunc iste *Fridericus* fuit dictus Junior Dux. Hic, sicut adjuratus erat à Patre, omne, quod defuit nobis, clementer tribuit, ut in fine Autumni ad Dedicationem parata essent omnia. Dux L. in Italia apud Dominum *Gregorium* Papam IX. tam

tam pro Monasterio suo, quàm pro Imperatore solicitus fuit. Nobis enim impetravit quatuor Bullas per Merita sua ab eodem Pontifice. Per unam confirmavit omnes Possessiones nostras simul, & breviter: per alteram distinctè, & prolixè: per tertiam mandavit Archiepiscopo, & Prælatis Salzeburgensibus, ut nos contra quoscunque defendant: per quartam concessit omnibus præsentibus in Dedicatione Ecclesiæ nostræ Indulgentiam unius Anni, & in Anniversario quolibet Quadraginta dierum.

Domini Papæ cum Imperatore concordiam Dux L. sæpe eundo, & redeundo, tandem intermediavit ita feliciter, ut universa Ecclesia postea in illa gauderet. Sed osculum Pacis, in quo postea convenerunt Dominus Papa & Imperator, non in terra vidit bonus Angelus Pacis *Liupoldus*: sed quia fructus erat Laboris sui, ejus præmium priùs à DEO in altera Vita percepit, ut nemo dubitat. Nam infirmatus in S. Germano in Apulia, propter insuetum aërem, plurimósque labores, quibus nunc, & in omni Vita sua, debilitavit Corpusculum suum, & propter maximas solicitudines propter mala Imperii, & Filios proprios, ad extrema cum omnium luctu pervênit. Sed in hoc termino suo Pius Parens noster, cùm semper nos dilexisset, usque in finem dilexit nos, iterum in testamento suo adjurans, Filium suum *Fridericum*, ut omnem suam Fundationem in Valle Beatæ Mariæ in Lilienveld integrè confirmaret, perficeret, & conservare studeret: ut Benedictio DEI, & sua esset super eum. Deinde sancta Sacramenta devotissimè suscipiens, ut pius Ecclesiæ Filius, in cujus negotio animam poneret, Vitam bonam bono fine concludens, promtè redivit ad Creatorem suum v. Kl.' Augusti. Requiescat in pace, Amen.

Quia verò Vivum omnes dilexerunt, ob Pietatem, Bonitatem, Prudentiam, & Fortitudinem suam, omnes quoque mortuum doluerunt. Et quia in tam utili Negotio Concordiæ pro omni Ecclesia, & Imperio, consummatus est, utriusque Ordinis Viri Principes tam benè meritum honorarunt, quomodo mortuos honorare possumus. Voluit Cor suum, & Viscera requiescere in Templo S. Patris nostri Benedicti, cujus Filios omni tempore dilexit: Ossa verò sua apud nos in Monasterio suo. Propter hoc Viscera ejus, & Carnes frixas, ut Ossa separari possent, in dicto Monte Cassino sepulta sunt per Sacros & Temporales Principes, cum multa, sed tristi pompa: sed Ossa Ministeriales Ducis tristes, & flentes, in Austriam suam reduxerunt. Scribere non possum, quia lacrymæ mihi cadunt de oculis, quantus dolor & luctus omnium nostrum corda oppresserit, dum nobis ille mœstissimus Nuncius venit, nos dulcem Parentem nostrum perdidisse. Non est magnus dolor, qui adhuc verba habet. Ad DEUM omnes conversi, ei soli in gemitu cordis loquebamur, & pro Anima Principis suppli-

cavimus. Luctum Patriæ, & Urbis Wiennæ, ſcribant alii, ſi ſcribi poteſt, qui ſonabat in plateis, dum Cadaver dulcis Patriæ Patris adveniret. Ad tollendum fletum, una tantum die mora facta eſt cum Funere in Urbe: die altera ſtatim ad nos cum eodem feſtinatum fuit.

Sepulturæ dies à Duce *Friderico* idem deſtinatus fuit, qui Conſecrationi Eccleſiæ noſtræ, Ultima Novembris, in qua feſtum erat, S. Andreæ Apoſtoli. Ad utraque Solemnia iij. Kl.' Decembr. verſus Veſperam advenerunt Dux *Fridericus*, & Domina *Theodora*, Relicta Ducis LIUPOLDI, Filiæ quoque ejus *Conſtantia*, & *Gertrudis*, unacum mœſtiſſimo Funere. Advenerant etiam Dominus *Eberhardus* Archiepiſc. Salisburgenſis, Dominus *Gebhardus* Epiſcopus Pataviensis, Dominus *Rudigerus* Epiſcopus Chiemenſis, Dominus *Wernhardus* Dux Karinthiæ: Comites, & Barones Auſtriæ & Stiriæ: Dominus *Eglolfus* Abbas S. Crucis, Dominus *Hainricus* Abbas in Zwetla, & alii Clerici plurimi: Item Miniſteriales, Milites, & de Plebe innumeri, largè omnibus providente Duce *Friderico*. Oſſa Ducis in Oratorio noſtro collocata, per noctem inter triſtes Pſalmos noſtros pauſarunt. Altera die, poſt Opus DEI à nobis actum, Dominus Archiepiſcopus perfecit Solemnia Conſecrationis Eccleſiæ, & Altarium, atque Miſſas cantavit. Poſt Veſpertinam verò Synaxin, ſquallorem induit Eccleſia per nigra pallia, & triſtia lumina, ac verſa eſt in luctum Cythara noſtra. Lectulus Ducis, cum maxima lugentium proceſſione per portam Abbatis ex Oratorio circa Clauſtrum elatus, deportabatur ad Eccleſiam, & ritu Chriſtiano in Præsbyterio ad Cryptam, flentibus omnibus nobis, in locum quietis ſuæ repoſitus eſt. Laus Principis maxima, & major omnium Oratorum eloquentià, fuit Gemitus Univerſorum.

Dux *Fridericus*, ut ſe tanti Patris dignum Hæredem præberet, omnem Patris Fundationem nobis latè confirmavit. Et quia Fratres *Altenburgici* iterum reclamabant contra Compenſationem, à Duce L. beatæ memoriæ olim ſibi factam, novus Dux, magna Clementia erga Nos, & illos, de ſuis terris, & redditibus, novam, & tam bonam ipſis fecit Compenſationem, ut coram Altare Beatæ Virginis, manus ſupra Sanctas Reliquias ponentes, firmiter promitterent, quòd nunquam de cætero Nos, & Cœnobium noſtrum, ſuper hæc gravare, ſed fidelem Amicitiam ad nos conſervare vellent. Nobis verò idem Dux *Fridericus* ſua Liberalitate donavit Villam Wizlinſtorf, & alia plura. Tunc etiam Domina *Euſemia* Comitiſſa in Sirnic in Pilſtein fecit nobis bonam Donationem: & alii plures, multùm

tùm noſtrum Monaſterium propter Religionem, & propter Ducem Fundatorem diligentes.

Altera die Kl.' Decembr. fiebant Miſſæ pro Duce ſepulto per Dominos, Archiepiſcopum, & Epiſcopos, Abbates, & Clericos, & Eleemoſinæ multæ pauperibus, per Ducem, & Dominam *Theodoram*, atque per Monaſterium. Poſtquam verò Principes, & populi receſſerunt, ſedimus nos, & flevimus, dum recordaremur Pii Patris noſtri. Sed dum eidem à noſtris Tumulus Marmoreus, & Carmen Mortuale præparatur: Ego ORTILO, Senex debilis multum, & infirmus, caligantibus etiam oculis, & corde nimium mœſto, Calamum depono, ac ſedens ad Sepulchrum Principis, meum ſepulchrum cogito. Suſcitet DEUS Spiritum junioris ex nobis, & concedat propitius, ut de Auſtria, & Monaſterio, multa felicia ipſe quoque ſcribere poſſit. Vos Fratres hujus Domus, qui nunc eſtis, & eritis poſtea, grati mementote Bonorum LIUPOLDI. Benedictus DEUS!





Fr. LEWPOLDI Campililienſis BREVE EXCERPTUM E Chronica ſive Hiſtoria R. Domini RIKARDI Canonici Newnburgenſis de S. LEOPOLDO Auſtriæ Marchione

Prooemium.

QUia hoc Anno Mccclv. Divino inſpirante Conſilio Illuſtris Dux noſter ALBERTUS, & Filius ejus RUDOLPHUS, diſponunt agere, & ſupplicare apud Sanctiſſimum Dominum Papam INNOCENTIUM Sextum pro Canonizatione LEWPOLDI, quondam Marchionis *Pii* Auſtriæ, cum Clero, & omni Populo, moventibûs innumeris Beneficiis, & Prodigiis, quæ ad ejus Sepulchrum à die Depoſitionis ſuæ fiunt, & nunc multò magis multiplicantur: rectè utique facio, ſi in hoc fine Codicis hujus de Vitis Sanctorum, annoto Hiſtorica quædam de *Pio* LEWPOLDO, quæ in nullis Chronicis leguntur, & præcipuè, quo Anno & Die quælibet facta ſunt, *ex Hiſtoria Domini RIKARDI Canonici de Newburga*, quam ſtatim poſt obitum S. Marchionis ſcripſit: Quam habuit Avus meus à Majoribus ſuis in Civitate *Newburga*: quæ proch dolor ante triginta tres annos media, cum toto Monaſterio, flagravit in feſto Exaltatæ Crucis, & multa nimis perierunt. Sunt autem pauca, quæ ſequuntur: quæ enim ſunt in Chronicis, omitto.

Ex-

Excerptum.

ANno Mxcvj. LEWPOLDUS Marchio, Defensor Ecclesiæ, moritur. LEWPOLDUS *Pius* Filius succedit anno ætatis suæ xxiiij. quia natus est in Melik An. Mlxxiij. iij. Kl. Octobris, devotione, & honestate omni à puero plenus. Hoc Anno pars Exercitus fidelium in Terram Sanctam tendens, multitudine Austriam inundavit: & quia *Cholomanus* Rex Ungrorum noluit transitum concedere, fortissimi gladio sibi viam fecerunt, egentes plurimi, redire coacti, Austriæ graves fuerunt. Sed Pius Marchio prudenter expedivit eos, largis cibariis, & eleemosinis. Quia verò ipse in obsequium Crucis ire non poterat, ut boni operis meritum quæreret,

An. Mxcix. per Nobiles Terræ, *Adalramum* de Perge, *Hadamarum* de Cuopharn, & *Udalricum* de Wolinsteine, tantam pecuniam, pro sublevanda penuria Militum Christi, in Orientem misit, qua potuisset trecentos Milites illuc ducere, & alere. Post duos annos Domina *Yiba* Marchionissa, *Lewpoldi* Pii Mater, cum *Guelfo* Duce Bawariæ, & *Thymone* Archiep. Salzeburgensi, & *Udalrico* Episcopo Pataviensi, devotè peregrinata est in Terram Sanctam: cui Filius iterum dedit trecentas marcas argenti, offerri Jerosolymis pro Bello Sacro. Ipsa verò proch dolor, cum thesauro suo, præda facta est infidelibus. O quantus luctus Filii, & Populi nostri. Ipse verò construxit sibi Curiam in Monte Cecio.

An. Mciij. *Lewpoldus Pius* fuit Maguncia in Curia *Heinrici* Imp. qui promisit se ire in Jerosolymam, quo Principes valde lætati sunt, & habens *Lewpoldus* animum comitari Imperatorem, an. Mciiij. iij. Id. Nov. in Melikh per *Udalricum* Episcopum Pataviensem accinctus est Gladio, ut Militis honorem acciperet. Altero An. Mcv. *Lewpoldus* cum Nobilibus suis processit Ratisponam *Heinrico* Imperatori in auxilium contra Filium *Heinricum*, qui Regnum arripuit. Sed quia ab hoc Patris fallaciam didicit circa Bellum Sacrum, è Castris Imperatoris recessit. Et quia promissa fuit ei á Filio Rege Soror sua *Agnes* in Uxorem, piè se præparavit ad nuptias propter Amorem Prolis, & Bonum Provinciæ. Postea Anno sequenti Kl. Maij cum *Agnete*, Vidua *Friderici de Hohenstaufe*, fecit Nuptias magnificas in Melikh, in præsentia *Udalrici* Ep. Patav. *Otacbari* Marchionis Stiriæ, & *Sophiæ* Sororis ejus, & Nobilium plurimorum de Terra nostra, & de Suevia. Octavo post Nuptias die, in timore DEI actas, cælestis Favonius velum abstulit de Capite *Agnetis*.

An. Mcvij. & sequentibus Pii Conjuges benefici fuerunt in omnes ferè pauperes, & ruinosas Ecclesias per Provinciam, ac egentes homines, communi voluntate, & studio benefaciendi. *Lewpoldus* Marchio sæpe, dum potuit, Melikh visitavit, & cum Monachis psallebat, eorum devotione gaudens, & ipsos devotiores reddens: quibus multum benefecit.

An. Mcviij. *Heinricum* quintum Regem comitatus est *Lewpoldus* ad fines Ungrorum cum Militibus suis: sed non pugnatum, quia *Cholomanus* Rex Fratri suo *Almo*, metu Imperatoris conciliatus est.

An. Mcxj. & sequenti, Domino *Udalrico* Episc. Pataviensi Adjutor fuit in suo erecto Monasterio ad Trasamure.

An. Mcxiv. prid. Kl. Junii Marchio *Lewpoldus* venatus in Sylva infra Montem Cecium, ope canum allatrantium reperit, nono abhinc anno è capite *Agnetis* ablatum velum, in omni tempestate illæsum, è Sambueo pendens, & credidit, hoc signo sibi de Cælo ostendi Locum, quo ædificare deberet Ecclesiam, quam pridem voverat pro salute Patriæ, & Hæredibus habendis. Unde statim exscidi sylvam, & jam parata pro Ædificio advehi jussit, & ix. id. Julii Primum Lapidem, se, & Uxore præsente, poni curavit per *Ottonem*, parvæ Collegiatæ Ecclesiæ, quam ibi erexerat, Præpositum.

An. Mcxvij. & duobus sequentibus, *Stephanus* Ungrorum Rex, omnium vicinorum pacem turbans, *Lewpoldum* coëgit ad arma jungenda cum Duce Bohemorum, ut graves Terræ nostræ vastationes, & prædas abductas ulcisceretur. Primo ergo, & secundò, Ungros gravi clade repulit: tertiò ejus terras invasit, & Castrum Ferreum destruxit. Suam autem Curiam in Monte Cecio, ceu Castrum, munivit: sic & alia Loca. Nec Ungri contriti ausi sunt iterum redire.

Reliqua, quomodo Pius Marchio debebat fieri Rex Germaniæ, sed fugiebat Honorem, ne deberet deserere Pietatem: & quomodo ædificavit Claustra, & coluit omnem Justitiam, & quàm sanctè obiit An. Mcxxxvi. xvij. Kl. Decembr. in Curia sua, & accurrentibus summis, & imis per triduum expositus, deinde in Newnburch xiij. Kl. à Domino *Reginmaro* Episc. Patav. sepultus, ac statim à DEO Prodigiis primis diebus honoratus fuit, leguntur in Chronicis. Sed quia ibi Filii ejus ponuntur secundum Dignitatem, seculares primùm, deinde Ecclesiastici: hic ponuntur secundum Nativitatem.

Posteritas LEWPOLDI Pii Marchionis.

ADELBERTUS nascitur Id. Febr. Ann. Mcvij. Vir devotus, & fortis in bello, Advocatus Ecclesiarum: qui rexisset post Patrem, nisi graviter infirmus, quasi per Annum responsum mortis habuisset in se, usquedum obiit vj. id. Novembr. An. Mcxxxvij. Uxorem habuit *Hathwigem*, Filiam *Almi* Ungrorum Ducis, Sororem *Belæ* Cæci Regis, quam duxit An. Mcxxxij. & altero anno Socerum suum Regem strenuè, & victoriosè juvit adversus *Borichium*. Miles factus est in Melikh An. Mcxxv. Non habuit Prolem.

LEWPOLDUS natus Kl. Januar. An. Mcviij. armatus fortis, factus Miles Ann. Mcxxxj. in Newnburch, Uxorem accepit *Ma-*

Mariam, *Sobieslai* Bohemi Ducis Filiam An. Mcxxxviij. Successit Patri An. Mcxxxvij. Fit Bawariæ Dux An. Mcxxxjx. Obiit An. Mcxli. xv. Kl. Novem. Non reliquit Prolem.

OTTO natus An. Mcjx. Non. Decembr. valde pius, fit Præpositus in Newnburch Canoniæ integræ non Regularis: sed statim it Parrhisios ad Scholas An. Mcxxij. Fit Monachus Griseus in Morimundo An. Mcxxvj. Abbas ibi An. Mcxxxj. Mittit Monachos suos ad Patrem Ann. Mcxxxjv. Fit Episcopus Frisingensis Ann. Mcxxxvij. [Obiit x. Kl. Octobr. ann. Mclviij.]

BERTHA nata an. Mcx. nupsit *Henrico* Burggravio Ratisponensi An. Mcxxxiij.

HENRICUS nascitur post duos Infantes demortuos jv. Non April. an. Mcxjv. Successit Fratri *Lewpoldo* in Marchia, & Ducatu Bawariæ. Hic postea, remissâ Bawariâ, factus est Primus Dux Austriæ an. Mclvj. acquisivit Provinciam supra Anasum fluvium. Prima ejus Uxor *Gertrudis*, Filia *Lotharii* Imp. Vidua *Heinrici* Bawariæ & Saxoniæ Ducis Senioris, Mater *Heinrici* Junioris, an. Mcxlij. anno altero obiit in partu. Secunda *Theodora* de Familia Imperatorum Græcorum an. Mcxljx. Iste factus Miles an. Mcxxxj. fundavit Scotos Wienne, & ibi primam Curiam posuit. [Obiit ann. Mclxxvij.]

AGNES nata an. Mcxv. nupta *Wlaslao* Bolono Duci Zlezorum anno Mcxxxjv. Obiit an. Mcxxxjx.

CHUNRADUS natus Non. Junii an. Mcxviij. post duos Infantes extinctos, mittitur Parrhisios an. Mcxxxiij. Fit Monachus Griseus ad Sanctam Crucem in Satelbach an. Mcxxxvij. Abbas ibidem anno Mcxlj. Episcopus Patav. an. Mcxlviij. [Archiepiscopus Salzeburgens. An. Mclxjv. Obiit An. Mclxviij.]

GERTRUDIS nascitur vij. Kl. Martii An. Mcxjx. nupta *Wladislao* Duci Bohemiæ, deinde Regi, An. Mcxl. Anno Mcxx. & Mcxxj. nascuntur, & moriuntur Infantes.

ELIZABET nata Kl. Septembr. an. Mcxxiij. nupta *Hermanno* de Winzeburg Thuringiæ Landgravio an. Mcxlij. in primo partu cum prole obiit.

ERNUSTUS Adolescens nascitur xviij. Kal. Septembr. Ann. Mcxxjv. Obiit in flore x. Kal. Februar. Mcxlij.

JUTHA nata prid. Id. Julii An. Mcxxvj. nupta *Wilhelmo* Marchioni de Monteferat An. Mcxlvj. An. Mcxxviij. & sequenti nascuntur, & obeunt Infantes.

Domina AGNES, LEWPOLDI Pii Pia Conjux, & Fœcunda Mater, beato fine vitam longævam clausit viij. Kl. Octobr. An. Mclvij. Etatis lxxxj.

Fr. LEWPOLDUS de Newnburga Griseus Monachus in Campo Liliorum ab An. Mcccxxx. Benedictus Deus.

Fr.

FR. PERNOLDI
De Ordine Prædicatorum

Chronica acephala

FRIDERICI Bellicosi Ultimi Ducis Babenbergici, Interregni post eum, & MARGARETÆ Reginæ Sororis ejus.

Proæmium initiô truncatum.

- - - in *Lilienveld* ab *Eberhardo* Archiepiscopo Salzburgensi, qui Ecclesiam dedicavit, eadem die sepultus. Filius ejus FRIDERICUS, qui unus, post Fratres duos defunctos, erat superstes, & sui Generis ultimus, magnum animum & bonum habuit, sed supra modum inquietos, & infideles Ministeriales, atque iratos vicinos Reges, ipsum postea longo tempore etiam Imperatorem. Quare propter Bella assidua, quæ se urgebant, vix potuit aliam Virtutem, quàm Magnanimitatem in pugnando, ac tolerando ostendere: quod eximiè fecit. Causa bellorum erant Fœminæ. Prima Græca *Zophia*, Filia *Theodori Lascaris* Græci Imperatoris, Soror *Mariæ*, Conjugis *Belæ* Quarti Ungariæ Regis, quam duxerat post *Gertrudem* Brunswicensem statim defunctam: sed vivente, & sciente Patre, An. Mccxxjx. repudiavit. Altera *Agnes*, Filia *Ottonis* Meraniæ Ducis, quæ fuit Neptis *Gertrudis* Reginæ Ungariæ occisæ, & quam iterum duxit *Fridericus*, non attendens, vel non sciens Propinguitatem, iterúmque postea dimisit. Tertia *Margareta*, propria Soror *Friderici*, Uxor *Henrici* Regis Romanorum. Propter primam *Zophiam* dimissam *Andreas* & *Bela*, Pater & Filius, Reges Ungariæ, vastaverunt Austriam, & in Societatem traxerunt *Premizl* Regem Bohemiæ, qui habuit Sororem *Andreæ* Regis. Propter secundam *Agnetem*, iterum *Bela* cum Sociis quærebat ultionem. Propter tertiam *Margaretam* sæpe dissensiones erant, & tandem bellum gravissimum pro tota Austria inter Imperatorem, & Ducem, Dotis causa, quam nondum dederat *Liupoldus* Dux, & *Fridericus* Filius ex gravi & non injusta causa dare noluit. Quomodo omnia facta fuerint, per annorum ordinem sincerè scribam propter multos injuriatores Ducis, qui quærebant eum, si DEUS permisisset, penitus per arma, ac Seditiones, & aliorum Cri-

Crimina ipsi imputata, dejicere, mediante Imperatore, quem sciebant ei inimicum, ac pessimè contra eum scribentem, & agentem.

An. Mccxxx. *Heinricus* & *Hadmarus de Chunringen* Fratres, potentissimi Barones Terræ, quorum primus per fastum assumsit Nomen *Hounde*, quasi *duæ Manus*, in quibus decem digiti, cùm esset Castrorum decem Dominus, munierunt sibi Villam *Zwetel*, cogitantes in corde malum contra Ducem, ut sibi refugium pararent.

Mccxxxj. *Heinricus* prædictus, cùm esset Rector Austriæ, Officio & Sigillo Ducis abusus, ipso absente, è Curia ejus Wienne plurima talenta Auri & Argenti carratis per Urbem vehi fecit, nemine dolum suspicante. Deinde ipse, & Frater ejus, cum conjuratis Sociis Nobilibus, sua malitia, & *Andreæ* Regis Ungariæ instigatione, à Weitrach, & Dyrnstain usque Chremis, incenderunt, & prædabantur Loca Sacra, cum Profanis. Ex altera parte *Wenzel* Rex Bohemiæ vastavit à Moravia ad Chremis. Dux Magnanimus, colligens, & armans Milites è fidelibus suis, quos potuit, repulit, ac dispersit rebelles, Villámque Zwetel obsedit, ac cepit, & muros ejus destruxit, de multis captivis pœnam latronum sumens, alios pecunia mulctans. *Chunringios*, quorum alterum *Hadmarum* æquè ceperat, deprecantes in gratiam recepit, dum sibi Castra aliqua, & Filios obsides dedissent, & multa talenta ablata restituissent. Sed *Hadmarus*, ab Episcopo Pataviense *Gebhardo* excommunicatus, brevi obiit. Bohemi videntes, Ducem potenter vincere, cum suis prædis rediverunt. Ineunte mense Octobri, non longè post cædem *Ludwici* Bawariæ Ducis, venit Abbas Sancti Galli, Legatus Regis *Heinrici*, in Wiennam propter Dotem Dominæ *Margaretæ* Reginæ: quem Dux magno honore excepit, seque ex præsenti Patriæ vastatione excusavit, uti Abbas Regem ob licentiam thori, & sopita est discordia.

Mccxxxij. Dux *Fridericus* in Purificatione apud Scotos Wienne Gladio accingitur, & Nobiles ducenti cum eo, in magna Solennitate, & hilari Militum novorum ludo: quorum vestes rubræ erant, Albo interstinctæ, juxta formam consuetam Clypei Austriaci. Deinde Forum Julii profectus ad Imperatorem, ibi cum Rege, fingente, quòd ita vellet Dominus Papa, fœderatus est pro Longobardis. Postquam redivit, paravit exercitum in Bohemos, rapinas eorum anni prioris ulturus.

Mccxxxiij. Dux cum electa Militia in Bohemos procedens, Castrum Vetawe, quod est in finibus Austriæ, Moraviæ, & Bohemiæ, aggressus, est quod optimè munitum, & latibulum insignium prædonum fuit, qui inde in Regiones prædictas pro

libitu excurrebant. Id fortissimo insultu capiens, & multa alia in deditionem accipiens, terruit *Wenzel* Regem, ut paratum jam exercitum sine pugna reduceret. Ducem revocârunt Ungari, sub *Andrea* Rege, & *Bela* Filio ejus, tam Stiriam, quàm Austriam aggressi, ut pœnam sumerent de Repudio *Zophiæ* Cognatæ, & quia Ungari semper cupiebant, Stiriæ partem, olim longis retro temporibus sibi ereptam, recuperare. Stiria non habuit Milites: unde Nobiles cum solis Rusticis resistentes, post fortissimam pugnam, in qua plerique ceciderunt, victi, vastatoribus furorem permittere debuerunt. Ex altera parte Reges ipsi sæviebant in Austriam: quibus festinans è Bohemia Dux occurrit apud Houelin, & eos repressit, multis eorum occisis. Deinde Pax facta, Regibus recedentibûs, cùm prædas reddidissent. Interea Rex *Heinricus* vastavit Bawariam, quia Dux ejus *Otto*, Imperatori fidelis, impediebant Regem ab Affectatione Imperii. *Fridericus* Dux ex fœdere, ad juvandum Regem, putans, se Pontifici gratum facere, permisit *Erchenchero de Wesen* Capitaneo Anasi, ut ipse pariter invaderet Bawariam: quod severè egit.

Mccxxxjv. Cùm Imperator novisset, Regem Filium suum, & *Fridericum* Ducem Austriæ vastare Bawariam, utrique prohibuit Arma. Sed Bawari in Austria supra Anasum dirè grassati, Claustrum Lambach, & alia, exusserunt, Varnbach, rejectis nostris, reoccupaverunt, & sic se ipsos vindicarunt. Tandem Pax, mediantibus Episcopis, facta inter Duces. In Octavis Paschæ Dux *Fridericus* Sorori suæ *Constantiæ* Nuptias fecit cum *Henrico* Marchione de Meussen in Stadlawe: quia Cives Wiennenses de fide suspecti erant. Invitati ad has Nuptias venerunt, *Andreas* Rex Ungariæ, & *Bela* Filius: *Wenzel* Rex Bohemiæ: *Eberhardus* Archiep. Salzburgensis: Episcopi, Pataviensis, Frisingensis, Babenbergensis: Duces, Saxoniæ, & Carinthiæ, Lantgravius Thuringiæ, Marchio Moraviæ, multique Comites, & Nobiles: omnia splendidè, & cum pace acta sunt. *Friderico* Duci, ob suam Generositatis famam, Carnioli, defuncto Marchione suo de Crainburch *Angilberto* sine Liberis, Principatum suum obtulerunt.

Mccxxxv. *Fridericus* Imp. ut ambitum Imperii in Filio *Henrico* Rege opprimeret, & puniret, ex Italia per Aquilegiam profectus est in Germaniam: cui *Fridericus* Dux in Stiria cum reverentia occurrit. Sed ibi Imperator ab eo postulavit Dominæ *Margaretæ* Reginæ Dotalia, posito solvendi termino ad tres intra unum Annum dies; executionem cum armis ei comminatus, si non præstaret. Quapropter Dux non modicum turbatus discessit. Imperator Filium *Heinricum* Regno deposuit, & primùm in Germania maximo inimico ejus Duci

Ba-

Bawariæ custodiendum tradidit: postea in Apuliam, cum Regina, & duobus Filiolis transmisit. Pro quo *Conradum* alterum Filium in Regem designavit. *Fridericus* Dux cum initio Mensis Junii, invitatus ab *Andrea* Rege, ejus Nuptiis cum *Beatrice* de Athesina interfuit, & ita placuit multis Ungaris, ut eum Regem optarent. Rex autem *Andreas* jam senex, & sæpè æger, medio mense Novembri obiit, Uxore nova gravida relicta, & *Bela* successit, lividus *Friderico* Duci propter affectum Ungarorum.

Mccxxxvj. Rex *Bela* mox in principio Regni sui rigore, vel justo, vel injusto, offendit Ungaros, adeò, ut bis, & ter, per Nuncios tacidos Friderico Austriæ Duci Regnum suum obtulerint. Jlle, Gloriæ cupidus, nec satis prudenter ob juventutem expendens, quantam rem, quàm periculosam, nec satis æquam præsumeret, collegit grandem exercitum fortium suorum, & spe Regni, ingressus est silenter Ungariam, Seditionem exspectans. Sed *Belæ* res prodita est: qui vicissim arma potentia paravit. Quod audiens Dux, Ungaris, se in vanum vocantibus iratus, vastare, & prædari cœpit. Cui subitò supervênit *Bela*, cum *Colomanno* Fratre, & ingenti numero. Volebat pugnare Dux semper magnanimus, & sui nolebant: quia prædam divitem timuerunt perdere, & causa eis non bona videbatur. Fugere igitur Dux coactus, nunquam suos, ut starent, persuadere valuit, maximo dolore, & pudore suo. *Bela* populatus est usque Wiennam, nec cessavit, ulturus æmulationem Regni, donec, Auro ingenti sibi à Duce exoluto, pacem fecit. Dux, suis magis iratus, quàm hosti, in utraque Provincia insolitum imperavit tributum de singulis domibus, ut aurum, quod per suorum ignaviam perdidit, ex eorum mulcta recuperaret. Nobiles plures, qui priùs pugnare detrectaverant, humiliavit valde, eorum locò humiliores, sed obsequentiores exaltans. Cœnobia, quæ Tributum negabant propter Advocatos vetantes, per Milites & satellites coëgit ad solvendum. Mitiora suasit, & rogavit Domina *Theodora* Mater: sed Dux necessitatem excusavit. Quare illa, seditionem timens, tandem fugit. Exasperati enim Subditi ob tributi novitatem, qui etiam nimiùm insolentes in alterutrum, Ducem rigidè judicantem noluerunt ferre, conjurârunt. Et sicut, qui conferre Principi ultra consuetum dêbent, per impatientiam fiunt impotentes linguæ, falsa multa, ac turpia, ab aliis comissa, tanquam à Duce permissa, vel etiam jussa essent, eidem falsis rumoribus, præter vectigalia affingentes, apud Imperatorem alium Dominum petebant. Hic Duci, quia Dotem non solvit, aliunde arma intentans, libenter conquerentes audivit, & vocavit illum ad Conventus. Sed Princeps, cùm sciret jam, non tan-

tùm *Heinricum* Regem, ſed & parvos Filios ejus, *Fridericum* & *Henricum*, qui tamen nihil peccaverunt, in carcere fame ac toxico necatos, & Sororem ſuam Reginam in Calabris detineri, quamvis Imperator Nepotulorum interitum ſtudioſiſſimè celaverit, ut putarentur vivere, & poſt mortem Imperatoris à *Manfrido* potionati: propter hæc omnia valde offenſus Dux, nec Nuncios admiſit, nec comparuit. Fuit ergo à Cæſare tanquam contumax proſcriptus, magis autem, quia Dotem non ſolvit, & ipſum pecunia, & milite adverſus Italos non juvit, quàm propter juſtitiam querelarum. Immiſit in eum, ipſe vadens contra Longobardos, Regem Bohemiæ, Ducem Bawariæ, & multos alios ex Principibus, qui Auſtriam, Stiriam, Carnioliam occupârunt vaſtatione ingenti. Hanc rebelles ſubditi longè acerbiùs perſenſerunt, quàm gravamina Ducis. Hic in Nova Civitate, quæ expugnari non potuit, furoribus ceſſit: & etiam permiſit Wiennæ, ſe conſulenti, ut Portas aperiret, & vim declinaret. Sub hyemem ipſe Cæſar advênit.

Mccxxxvij. Poſtquam reverſus eſt Imperator, qui Urbem Wiennam Imperio adſcripſit, & *Fridericum* Ducem ſupplicem fruſtra exſpectavit, ac in Urbe & Auſtria Rectores poſuit: Dux è Nova Civitate cum electa Militia egreſſus, hoſtes variè vicit, fugavit, & cepit.

Mccxxxviij. Licèt Imperator Stirienſes, brevi fugatos, & *Eberſteinium* cum novo exercitu mitteret, apud Tulnam à Duce contritum: *Fridericus* tamen, auxilio Regis Bohemi, qui à Cæſare receſſit, omnes Provincias, magis ultrò deditas, quam captas, maxima ex parte recuperavit. Erant enim Nobilium affectus vagi, & inconſtantes non jure, ſed petulantia huc illuc moti, & nunquam ſibi conſtantes, ſemper autem ſibi ipſis malum cudentes.

Mccxxxix. Inter arma & bella Dux, animo inſuperabilis, Nuptias fecit *Gertrudi* Sorori ſuæ cum *Heinrico* Landgravio Thuringiæ in Nova Civitate Menſe Junio. Wiennenſes, à Duce undique cincti, & arctiſſimè concluſi, perſtiterunt hoc Anno in obſtinacia ſua, nimium timentes Ultoris ſeveritatem: licèt ſciverint, quòd *Fridericus* omnes, ſe humiliter, & ſuppliciter tradentes, facillimè ad veniam admiſerit.

Mccxl. Hoc tandem Anno Urbs Wienna, extrema fame coacta, Portas aperuit, cuicunque ſupplicio parata. Sed contra omnem ſpem à Duce ſumma Clementia in gratiam recipitur. Principem diſcrimina, quæ præterierunt, reddebant mitiorem: & Cives, qui ſeditionis malum finem graviſſimè ſenſerunt, pœnituit turbarum, ut poſthac obſequentiores permanerent. Interim Cæſar à Papa excommunicatus, & quærens favorem Principum,

cipum, Legatos in Auſtriam, & Ungariam miſit: qui Duci gratiam, & pacem attulerunt, Ungari verò Regis fœdus quærebant, quod ille negavit. Sed in Autumno novum bellum Duci cum Bohemo ortum eſt: quia Dux Regi, ſi juvaret ipſum ad Principatum recuperandum, Terram trans Danubium promiſit, nunc tradere negavit propter Vaſtationem, annis prioribus in Auſtria factam. Iratus Rex converſus ad rapinas, citiùs ingruente magno frigore, coactus fuit reverti domum. Sub hyemem autem Concordia facta eſt, pactis nuptiis *Gertrudis*, Filiæ Ducis *Heinrici*, cum *Wladislao* ſeniori Filio Regis.

Mccxlj. *Bela* Rex Ungariæ *Fridericum* Ducem vocavit in auxilium contra Tartaros: ſed Ungari verterunt arma in Cumanos, quos eſſe putabant Tartarorum ſocios. Quare auxilio *Friderici* Ducis expugnata eſt Civitas, in qua *Kuthan*, Rex Cumanorum, ſederat, qui etiam occiſus fuit. Tartari verò cum Cumanis miſerabiliter vaſtaverunt Ungariam, homines & Loca. Rex *Bela* Reginam cum Theſauris præmiſit in Auſtriam, tandem ipſe ſequi coactus, quia ſui, cum ipſo non concordes, ubique victi ſunt. Dux *Fridericus* eum hoſpitio primùm amicè recepit: ſed poſtea coëgit, ut omnes ferè Theſauros ſibi tradere deberet pro reſtitutione damnorum, quæ Auſtriæ prioribus Annis fecerat, & pro coactione ad ſolvendum ſibi aurum maximum, & pro extorto à Wiennenſibus Tributo. Et quia ad hanc reſtitutionem non ſuffecerunt omnes pecuniæ, & Monilia Regis, debuit etiam Duci magnam Portionem Terræ Ungariæ, Auſtriæ vicinam, invadiare: quam Dux contra Tartaros ſtatim munivit. Tunc Regem, & Reginam, verſus Dalmatiam comitatus eſt, & cautè providens, quod Anno altero factum eſt, auxilia vicinorum conduxit.

Mccxlij. Tartari menſe Auguſto inchoante venientes juxta Danubium, acceſſerunt usque Wiennam. Dux verò, adjunctis ſibi Auxiliis Bohemorum, Carniolorum, Carentanorum, præter ſuos, celeriter advocavit. Cujus exercitu viſo, ſubitò fuga dilapſi Tartari redierunt: ſed occiſi tamen ex eis multi, & alii capti ſunt. Sic Dei ope, Bawaria, & Germania, terribili metu, & periculo, liberatæ fuerunt.

Mccxliij. Dux *Fridericus* tertiam Uxorem ſuam *Agnetem* de Merania, Auctoritate Archiepiſcopi Salzburgenſis, & plurium Epiſcoporum, apud Frieſach Karinthiæ ex thoro ſuo dimiſit ob affinitatem, & quia priùs Imperatorem ſecuta eſt, nec fœcunda fuit. Offendit in hoc *Belam*, cujus Mater fuit Soror Patris *Agnetis*: qui rediens in Regnum ſuum Ungariæ, è quo Tartari exceſſerunt, cum auxiliis Equitum de Rhodiis, & Nobilium de Frangipanis, voluit, in tranſitu Auſtriæ, Divortium bello ulciſci: ſed coactus eſt à Duce cedere.

Mccxliv. Miserabilis fuit discordia Partium, quæ Pontifici, & quæ Cæsari adhærebant, nulla constantia transeuntes ex hoc in illud. Reges, & Principes, & Nobiles potentiores, pro libitu, & commodo, vel odio suo, nunc se invicem juvantes, nunc persequentes, dicebant, se id facere pro Pontifice, vel Cæsare, cùm sua causa facerent, misero Clero, & Plebe, inenarrabilia damna sustinente. Valde difficile fuit *Friderico* Duci, in medio horum sic agere, ut neque Pontificis, neque Cæsaris iram pateretur: & valde laudabile fuit, sic egisse. Hoc anno propter Nobiles *de Waldeck*, quibus favebat *Rudigerus* Episcopus Patavienfis, qui sibi multa damna facere volebant, militare debuit in Episcopum, & *Ottonem* Bawariæ Ducem. Rex etiam *Bela* contra ipsum in fœdus traxit Regem Bohemiæ, & Ducem Karintiæ, ut pro altero Anno Arma in ipsum pararent.

Mccxlv. *Fridericus* Dux Ordini Teutonico contra Prutenos electam Militiam in Auxilium submisit. Ipse verò cum aliis aliquot Principibus, vocante Imperatore, cum pulchro Comitatu suorum Militum ad Veronam accessit, rogans ab eo, ut sibi Privilegia Austriæ confirmaret. Libenter hoc fecit Imperator, ac etiam sponte Duci Dignitatem Regis obtulit: quam acceptare noluit, ne Pontificem offenderet. Interea Rex Bohemiæ, & Dux Karinthiæ, uti promiserunt Regi Ungariæ, post Reversionem Ducis irruperunt in Austriam ipsa hyeme. Sed victi, & fugati sunt: Dux Karintiæ etiam captus. Hic duxit *Agnetem*, repudiatam *Friderici* Ducis: qui Filio Regis Bohemiæ Fratris sui Filiam *Gerdrudem* iterum in Conjugem spopondit, quam negavit Imperatori.

Mccxlvj. *Bela* Rex Ungariæ, videns devictum Regem Bohemiæ fœderatum, cum grandi exercitu venit ad fluvium Lytam, habens pro Ducibus aliquos Equites Rhodios, & unum *Frangipanum*, in agmine Cumanos plurimos, more Tartarorum telis pugnantes. Occurrit *Fridericus* Dux lætus, & alacer, pariter cum electa Militia, & factâ acerrimâ pugnâ, hostes repulsi sunt. Dux verò, gloriosam Victoriam pleniùs consummare volens, incauto fervore ante suos omnes persecutus est fugitivos. E quibus Cumanus unus, telum post tergum mittens, eodem equum Ducis in capite percussit, ut statim caderet. Dux prostratus, & vix duos comites habens, à revertentibus aliquibus cataphractis hostibus obrutus, à *Frangipano* per oculum ènse perfossus est, suique comites pariter occisi, antequam alii Australes advenissent. Tunc nova quidem pugna erat, & Victoria in eodem loco: sed heu! Dux jam obierat, magnóque cum luctu cadaver ejus reportare oportuit. Quod Austriæ tristius fuit, quàm si cladem pertulisset. Longo tempore alii alia de interitu Ducis opinabantur, donec unus captivorum

rum hostium Veritatem fassus est. Funus Ducis cum pompa, quæ decuit, apud Sanctam Crucem propinguam sepultum fuit. Domina *Theodora* Ducissa, quæ tunc in Curia Kalenperch erat, audita Filii morte adeò expavit, ut ad mortem infirmaretur, nec funeri adesse potuerit: quin ipsa quoque octava postea die mortua est, in Newnburch sepulta. Dux interiit in die Sancti Viti: cujus animæ sit propitius DEUS. Post ejus mortem ineffabilis calamitas venit super Austriam: quæ tandem etiam oculos Calumniatorum aperuit, ut & ipsi plangerent Ducem suum, sicut Unigenitum, &, si fieri posset, modis & viis omnibus eum è Sepulchro revocarent. Cum eo enim sepulta est Felicitas Patriæ, postquam rigida illius Justitia cessavit abundantem subditorum malitiam coërcere.

Post mortem Ducis, sicut constituit, & dedit Privilegium *Fridericus* primus Imperator, Austriæ Ducatus spectabat ad Seniorem Filiam Ultimi Ducis, qui talem post se reliquit. *Fridericus* nullam habuit: *Heinricus* Frater ejus nunquam fuit Dux. Quare non *Gerdrudis* ejus Filia, nec *Constantia* Uxor Marchionis Misniæ, tanquam junior, sed Domina *Margareta*, Senior Filia *Liupoldi* Ducis, Romanorum quondam Regina, Hæres fuit. Hanc autem *Fridericus* Imperator, postquam ejus Maritum Regem, & duos Filiolos, in carcere perire fecit, non dimiserat ex Apulia, quamdiu Fratri ejus *Friderico* inimicus fuit: ne suo fletu, & obsecratione quosdam Principes in ejus Auxilium commoveret. Sed ANNO MCCXLV. cum suis thesauris, multisque donis dimissa, intravit Germaniam. Et licèt ubique cum honore excepta fuerit, quia tamen ex tantis malis suis magnum Gloriæ humanæ tædium concepit, & omnia in Austria esse inquieta audivit, ac insuper valde pia Domina erat; ad Monasterium Monialium sanctæ Catharinæ Ordinis Beati Dominici apud Treviros recessit, non Monialis facta, nec Ordinem professa, sed in Domo sancta piè & quiete victura. Interea paucis diebus ante obitum *Friderici* Ducis, dum ipse esset occupatus in Apparatu belli contra Ungaros, ex iterato pacto Pacis *Wladislaus*, Marchio Moraviæ, Regis Bohemiæ Senior Filius, nupsit *Gertrudi* Nepti ejus ex *Heinrico* Fratre. Occiso autem Duce idem *Wladisalus* propter Uxorem statim volebat esse Hæres Austriæ, & Stiriæ. Sed ejus conatus non successit: cùm altero statim anno obiret, neque prolem relinqueret. Imperator verò, nunciata sibi *Friderici* Ducis morte, statim ex partibus Rheni illustrem *Ottonem* Comitem *de Eberstein* submisit Wiennam, præcipiens, ut Jura Provinciæ pro Imperio curaret. Ipse enim propter Dominam *Margaretam*, sui quondam Filii Regiam Uxorem, appetebat Austriæ Provincias.

An.

An. Mccxxlvij. Unica Pontificis cura fuit, ut à se dejecto *Friderico* Cæsari, ejusque Filio *Conrado*, excluso Romanorum Regi, Adjutores omnes in Germania subtraheret; quos econtra *Fridericus* studiosissimè procurare, & conservare laboravit. Quare magno dolore Pontificis *Heinricus* Lantgravius Thuringiæ, Anno priori electus Cæsar, hoc anno obivit, gaudente *Friderico*. Sed Dominus Papa iterum eligi fecit *Wilhelmum* Comitem Holandiæ: quem non agnoverunt Saxones, Bawari, & Australes, adhærentes *Friderico*, cujus Capitaneus de Eberstein Austriam rexit. Sed, ut hanc Provinciam sibi devotam redderet Papa, per Dominam *Margaretam* efficere tentavit. Et, cùm novisset, eam in Monasterio habitare, ac putaret, posse eidem consuetudine Monasterii in mentem venire Cœlibatum perpetuum, vel Professionem Ordinis: hortatus est illam, ut pro bono Ecclesiæ, in periculoso ejusdem moderno statu, cum Fratre Marchionis Misnensis, *Wilhelmi* Regis Nepote, nuptias faceret, ut hic per eam Jus acquireret in Austriam, & sic *Wilhelmus* Rex potentior fieret. Sed noluit Marchio, timens inanem spem, cùm videret, omnes Vicinos Principes, Bawarum, Ungarum, Bohemum, Carinthum, pro Austria, & Stiria contendere. Quare Pontifex convertit favorem suum ad *Belam* Ungarum Regem, & monuit *Wilhelmum* Regem, ut pro Ecclesiæ bono, suáque propria majori securitate, juvaret Ungarum in assequenda Austria, vel Stiria, contra Imperatorem. Dominam verò *Margaretam* admonuit, ut iret in Austriam: quam novit esse valde Catholicam Principem, ut Australes ad Ecclesiæ partes adducere studeret, promittens ipsi favorem suum, quacunque ratione eam posset juvare. Quæ etiam obtemperavit, & magno honore fuit excepta: sed in Wienna propter *Ebersteinium* sedere non valens, contulit se Heinburgum. Venit autem pariter Domina *Gerdrudis* Neptis ejus, post mortem *Wladislai* Mariti, & sedit in Medling: quæ, cùm esset juvenis, Nuptias, & Dominatum, vehementer concupivit. Sed Austria miserrima erat, propter Interdicta Sacra, & propter irruptionem *Belæ* Regis, qui Stiriam, & Austriam, & *Ottonis* Bawari, qui Provinciam supra Anasum rapere studuerunt.

Mccxlviij. Videns Comes *Ebersteinius*, Australes nulla concordia convenire, sed quemque pro commodo suo jam huic, jam illi Principi studere, abiit ex Urbe Wienna malæ fidei tædio, fingens, se Imperatorem Veronæ quærere, & ab eo pro Austriæ Principe *Fridericum*, Seniorem Dominæ *Margaretæ* Filium petere velle: cùm tamen ambo dudum perierint. Ob quem finem plures Ministeriales, ac Cives, secum accepit: quod fraude fecit, volens Imperatori eosdem, ut ipse occultè jusserat, quasi obsides fidei tradere. Sed *Philippus* Archiepiscopus

pus Salzburgensis, ut gratiam Pontificis sibi firmaret, dum illi per Karintiam tenderent, plures ex eis cepit: reliqui per Longobardos prohibiti sunt, ne Imperatorem viderent. Interea, urgente maximè Domina *Gertrude*, Ministeriales ab *Ortulpho*, forti & Nobili Equite Teuthonico, diu renuente, petierunt Castrum Starchenbergk, quod illi *Fridericus* Dux unacum Thesauris suis custodiendum tradiderat. Postquam id recepissent, apertis Thesauris, eos in tres partes diviserunt. Primam accepit Domina *Margareta*: Altera Dominæ *Constantiæ* Sorori ejus in Misniam directa fuit: tertiam obtinuit Domina *Gerdrudis* earum Neptis. Statim autem hæc concupivit & Nuptias: quas etiam, favore aliquorum Ministerialium præpotentium, & ope *Ottonis* Bawariæ Ducis, iniit cum *Hermanno* Marchione Badensi, quem Soror Ducissæ Bawariæ genuerat. Qui etiam sic spem consecutus est, Austriam & Stiriam per Conjugem obtinendi. Nam Domina *Margareta* neque desiderium Nuptiarum ostendit, neque spem tantam Prolis dare videbatur: & propterea defuit ei præponderans numerus Potentium, qui ejus tanquam Senioris Filiæ, primum Jus fortiter propugnare vellent adversus tot æmulos Provinciarum.

Mccxljx. Imperator, Austriæ *Ottonem* Bawariæ Ducem, Stiriæ *Meinhardum* Comitem Goriciæ, Capitaneos dedit, ac voluit, ut eis suo nomine obedirent. Videbatur *Otto* propter vicinitatem Rector valde commodus futurus: sed animum non satis virilem habuit ad internas, & externas Austriæ turbas componendas. Unde potiùs Marchioni Badensi ingressum in Austriam fecit: qui receptus ab aliquibus, à pluribus verò agnitus non fuit. Sed hoc boni præstitit, ut, persuasus à Domina *Gertrude* Uxore, Pontifici se devoverit, sicque Austriam ab Interdicto liberaverit. Contra *Belam* autem Ungarum Regem, valde miserè Terras Vastantem, & captivos innumeros abducentem, ferè nihil profecit, neque inquietos Terræ edomare potuit. Genuit ex Uxore Filium *Fridericum*.

Mccl. Hoc anno Marchio Badensis etiam accepit Filiam *Agnetem*: ipse verò obiit cum initio Mensis Octobris. Quem Imperator Mense Decembri secutus est in mortem. *Bela* Rex iterum cum Cumanis has Provincias terribiliter vastavit. Defuncto *Hermanno*, Papa iterum requisivit Dominam *Margaretam*, ut *Florentio* Comiti Holandiæ, Fratri Wilhelmi Romanorum Regis, nubere vellet, eúmque redderet Austriæ Ducem. Sed nulla erat spes Consensus Provincialium in Dominum tam alienigenam, & remotæ Provinciæ: cùm insuper Offensam & potentiam *Conradi* qui fuit Filius defuncti Imperatoris, metuerent.

Mcclj. Cùm obiret *Hermannus*, Domina *Gerdrudis* Uxor ejus, propter tumultus in Austria, cum Filiolo erat in Misnia apud Amitam suam Dominam *Constantiam*, ubi puerperium Filiolæ egit. Provinciales, opinionibus de novo Duce quærendo maxi-

mè divisi, valde contraria invicem sentiebant. Quorum concordia cùm haberi Wiennæ non posset, Principes eorum in Oppido Triewensee juxta Tulnam convenientes, decreverunt Nuncios quatuor in Misniam ad Marchionem pro uno Filiorum Dominæ *Constantiæ* mittere, qui ambos Ducatus pro Domina *Margareta* regendos susciperet. Sed hos Nuncios Rex Bohemiæ *Wenzislaus*, cùm Terras illius transirent, sibi proditos detinuit, & ad se vocatos, bonis verbis, epulis, donis, ac etiam minis, negato processu, coëgit, ut redirent in Austriam, & Provincialibus utriusque Ducatus Filium suum *Premizl* pro Duce suaderent, multa bona Terris promittens. Plurimi verò Nobiles ad hoc surdi erant, donec Auri fulgor, & clangor, eis aures cum oculis aperuit. Stirienses tamen alio nuncio invitârunt *Heinricum* Filium *Ottonis* Bawariæ Ducis. Sed quia *Bela* Ungariæ Rex has Provincias vehementissimè cupiebat pro Filio: non ausus est *Heinricus* Bawarus, licèt *Belæ* Gener, sine ejus Consilio occupare, nec valuit. Quem etiam Australes supra Anasum prohibuerunt ab ingressu. *Premizl* verò, quem *Otakarum* appellârunt, statim post Nuncios Australium prædictos, cum exercitu Patris, & thesauris venit in Austriam, & quædam Loca ostensis armis, plura, uti etiam Wiennam, dispensatis pecuniis sibi aperuit: nulla insuper pacta, quæ petebantur, inire detrectans. Consilium erat, ut nuberet Dominæ *Margaretæ*, & per eam Dux legitimus fieret. Sed hæc panoscens, se Provinciæ tantùm causâ in Conjugem peti, & parum boni de hoc Conjugio sperans, diu, & graviter, etiam propter Cognationem obstitit. Domina *Gerdrudis* autem, his auditîs, cito venit in Austriam, sperans inclinare Provinciales ad Filium suum *Fridericum*. Sed hic infans erat, de cujus Tutela nulla consensio: quia *Otakarus* & *Bela* pro Austria fortissimè pugnabant. Hinc illa ad *Belam* confugiens, Jus, quod se habere putabat, in illum transstulit, novarum Nuptiarum referens promissum.

Mcclij. Propter hoc *Otakarus* tantò magis pro Nuptiis Dominæ *Margaretæ* institit: quæ tandem precibus, & Consilio Provincialium pro Bono publico cedens, initio Februarii consensit, si Dominus Papa impedimentum tollere vellet Cognationis. Hoc valde perurgente *Otakaro*, venit Legatus Pontificis, cum his Pactis: Ut Pater *Otakari* Rex Bohemiæ, & ipse, Ecclesiæ jurarent esse devoti: *Conrado* Suevo non adhærerent: sed *Wilhelmum* Regem agnoscerent, & juvarent. Juramentum coram Legato, & Episcopis, & Clericis factum est, statimque Nuptiæ in Heimburch vj. Id. Aprilis celebratæ fuerunt. Tunc Domina *Margareta* protulit Aureas Bullas *Friderici* Primi, & Secundi Imperatorum de Institutione Austriæ in Ducatum, & Successione Senioris Filiæ Ultimi Ducis, & suum Jus *Otakaro* secum commune fecit coram Provincialibus.

Postea

Postea bellum cum Ungaro iterum factum, qui in Austria terribiliter vastavit, Stiriam sibi pecuniis conciliavit pro Filio suo *Stephano*. Sed hanc Provinciam vastavit magna parte *Philippus* Electus Salzburgensis. Domina verò *Gerdrudis* similiter festinavit cum Nuptiis: cùm ei *Bela* Rex Ungariæ Maritum procurâsset *Romanum*, quemdam Rusciæ Ducem, cui nupsit in Castro Hündperch, cum Conjuge dimissà ad Judenburch Stiriæ, sperans, se à *Bela* Rege, postquam Austriam occupâsset, in ejus Ducatum instituendam. In quo valde delusa fuit.

Mccliij. *Bela* populationem Austriæ facere perrexit, & Moraviam quoque vastavit auxilio Bawarorum, in Stiria etiam plurima occupans. Mense Septembri *Wencislaus* Bohemiæ Rex, & Novembri *Otto* Dux Bawariæ moriuntur: tunc bellum abrumpitur. Domina *Gerdrudis* à Marito suo *Romano* gravida deseritur.

Mccljv. Inter *Belam* & *Otakarum* Regem fit Pax: & *Bela* totam Stiriam, usque ad partem proximam Austriæ, & Montem Sehmring, obtinuit.

Mcclv. Austria per pacem aliquatenus respirare incepit: sed frugum sterilitate afflicta fuit.

Mcclvj. *Otakarus* ex Domina *Margareta* nullam prolem obtinens, violata fide Conjugii, post carnem alteram abire cœpit, cum pudore suo & maximo dolore Reginæ.

Mcclvij. *Otakarus* malam causam *Philippi* Electi Salzeburgensis, amore Karintiæ obtinendæ, contra Bawaros infeliciter propugnare cœpit, & cladem turpem pertulit.

Mcclviij. Stiriensium Conspirationes contra Ducem suum *Stephanum* Ungarum occultè fovens *Otakarus*, & non desinens *Philippum* juvare, contra quem *Bela* erat, futuri belli semina jecit. Sed neque cessavit, Dominæ *Margaretæ* thorum violare, tertia jam prole illegitima procreata.

Mccljx. Stirienses in Ungaros insurgunt, & omnes, exceptis, qui in Petovia fuerunt, sive occidunt, sive pellunt, intra paucos dies ipsa hyeme, & Legatos ad *Otakarum* Wiennam mittunt, Ducatum illi deferentes. Statim verò ipse in Stiriam venit, sed sine exercitu, ne pacem violâsse culparetur.

Mcclx. Permisit *Otakarus*, ut, ineunte Vere, ambo strenuissimi Comites Hardekkenses, & mille Viri electi, quasi ultro, & propria Voluntate, pecunia Stiriensium conducti, quod ipse clam disposuit, vicinis auxilium ferrent. Quod audientes Ungari, contra Stiros egressi, cùm non satis numerosi essent, spontè recesserunt. Sed uterque Rex ad subsequens bellum grandem exercitum præparavit. *Bela*, & *Stephanus* Filius, contra Austriam ad Marcham fluvium cum ingenti exercitu venerunt ingrediente Julio: quibus *Otakarus* cum multò paucioribus obviam stetit. Principiò *Stephanus*, fluvium transiens, aliquam

Victoriam habuit, & perierunt Comites *Hardekkenses.* Deinde in die S. *Margaretæ* idem cum dimidia parte exercitus penitus contritus est. *Bela* ex altera parte fluminis fugit, Castris relictis. *Otakarus* eum secutus, vastavit usque Poson: ubi *Bela* pacem rogavit, & obtinuit, totam Stiriam, & Jus ad illam cedens, atque Nuptias Filii sui *Belæ* cum Nepte *Otakari* Brandeburgica paciscens. Pacta pacis fiebant per Patrem Sponsæ, & Ducem Karintiæ.

Mcclxj. *Bela* Rex ad *Otakarum* venit Wiennam, & pacem firmavit, & Sponsalia Filii fecit: clam præterea *Otakaro* depactus est pro Uxore *Kunegundem*, Neptem suam ex Filia *Constantia.* Abeunte Rege, *Otakarus*, de quieta Austriæ & Stiriæ possessione jam tutus, ausus est facere, quod diu jam animo coxit, & Dominam *Margaretam*, cujus oderat senectutem, sua voluntate, sine auctoritate Ecclesiæ, repudiavit, non solùm conquestus de sterilitate ejus, sed etiam falsò spargens in vulgus, quòd certè jam sciret, eam esse Monialem professam. Jussit eam sedere in Chremis, deditque ei Castrum Chrumpenawe, Villam Grevenperch, & alia. Ipse verò Pragæ nupsit *Chunigundi* prædictæ, quam secum coronari fecit. Sic potens iste Dominus, quem omnes timuerunt propter nimiam potentiam, egit, quod libuit. Nescio, quamdiu taceat DEUS, donec in vindictam exurgat. Propter probrosum, & injustum hoc Repudium multorum Australium affectus, & fides in *Otakarum* valde vacillavit, qui sic ex justo Possessore transivit in injustum. Sed contra hos ipse crudelem se gerere incepit.

Afflicta Regina, cum honesta tamen Curia, vixit usque ad annum Mcclxvij. ubi v. Kl. Novembris piè obiit, sepulta in Monasterio *Lilienvelt* Griseorum Monachorum. Nam in illa Fundatione sui piissimi Patris *Liupoldi* Ducis, testamento sibi Sepulturam elegit, donans illi Monasterio Villam Grevenperch. Benefecit & aliis Monasteriis, & pauperibus multas eleemosinas dedit. Quorum magna turba eam cum lacrymis ad Sepulcrum deduxit, præter multam Nobilitatem. *Hæc scripsit fidelis testis, & devotus Reginæ Capellanus Fr.* PERNOLDUS *de Ordine Fratrum Prædicatorum.*



APPEN-

APPENDIX APOLOGETICA:

Sive

DIALOGI IX. CRITICI

Super Notulas

ORTILONIS

De Lilienfeld

Ex

ALOLDO

Peklarienſi

Excerptas,

Primùm editas Anno MDCCXLII.

Nunc

Impugnatas, & propugnatas

Anno

MDCCXLV.

APPENDIX DIALOGUS I.

De adeò diuturnis ALOLDI latebris.

Interlocutores

MANIODARREUS & PRITOMERDIUS.

MANIODAR. SEmel, iterum, ac tertium ad Magnorum atque Doctorum Virorum consessum admissus, toties ab ipsis de *Aloldo Pecklariensi* sermones Eruditissimos misceri audivi, ita tamen, ut in partes irent, essèntque inter eos, qui gravia adversus illum dubia, neque paucissima, intrepidè in medium darent, inducti forsitan illo nefario scomate Jurisconsulti cujusdam exteri, quo *Ortilonis de Lugenfeld*, ut ille calumniabatur, plenam confutationem propediem se in lucem daturum, magna cum iracundia sua comminabatur. Hac verosimillimè convitiandi protervia, solas licèt inter minas, quod sciam, hucusque constante, nonnullis tamen aures vellicavit, animúmque in formidinem conjecit, ne falsus forsitan esset *Aloldus*: Postquam enim eundem introspexerunt penitius, criticúmque ad unquem explorârunt, non parvam se ajunt formidinem concepisse de vera tantâque antiquitate illius, proinde & fide: eò, quòd plura in eo capita se reperisse censerent, quibûs in falsi suspicionem vehementer adduci videretur, nisi esset, qui solidas pro eo vindicias instrueret. Hæc pro veteri nos inter necessitudine coram te dissimulare ultra non valui, cùm non minùs, ac tu, hunc Austriæ Scriptorem veterrimum suspiciam, Patriæque causa tenerrimè diligam. Tanta tibi eruditio est meâ sententiâ, tantúsque præterea veritatis amor, atque animi candor, ut mihi de te illius tutelam egregiam omnibus modis pollicear. Dabis igitur mihi, ut provocaturus ingenium tuum, *Aloldi* me hostem nunc quidem coram te fingam, & quæcunque adversus illum cogitata ex aliis intellexi, seriò tibi objiciam. Dicendum est aliquid, ut, qui affectu toti unimur, in speciem duo jam simus.

PRITOMERD. Peregrinum esse mihi haud potest, *Aloldum*, vetustissimis è tenebris novissimam in lucem restitutum, par fatum novis cum rebus omnibus consimiliter subire: quæ ut primùm apparent, oculos, aures, & animos omnium curiosissimè ad se rapiunt, & mille circa se percontationibus locum am-

ampliſſimum, ex uſu hominum perpetuo faciunt. Qua ſcrutandi libertate cùm Eruditi pariter gaudeant, quoties novus Teſtis rerum veterrimarum è caligine Muſeorum educitur, talis maximè, cujus antea nulla planè apud quempiam exſpectatio fuerat, quique talia affert, quæ extra ipſum ignorata ſunt penitus : non modò mirandum non eſt, ſed etiam expetendum, ut, quisquis ad hoc ingenio valet, Scriptorem ejusmodi non ſecus, ac hominem planè novum, Criticæ doctæ machinis omnibus exploret. Quod ſi egerit, præjudicio vacuus, neque ſolo contradicendi, litésque ſuſcitandi ſtudio agitatus, talibúsque argumentis in medium adductis, quæ veram probandi vim habeant in receſſu : Veritati certè manum egregiam commodabit, quin & Scriptori quoque ipſi, quem impugnat, niſi famam ejus ac fidem luculentè convellat, hanc utramque vehementer augebit, nunquam ipſe ſine laude ſua egregia exiturus. Ergo, Amice integerrimè, neſcis profectò, quàm tu mihi rem gratiſſimam præſtiteris, ſi univerſa, quæ Docti in *Aloldum* cogitaverunt, capita cum tota vi ſua opponas. Priusquam tamen quidquam eorum ex te audierim, jam arbitror, pleraque omnia, quæ aliorum ex ore dicturus es, in Faſtis campililienſibus à me anteoccupata eſſe, quibus non ſolas has Notulas, ſed integrum *Ortilonis* Libellum fundamenti locò ſubſtitui. Ibi namque *Aloldi* paragraphi omnes undique cum Scriptoribus aliis, & maximè coævis, induſtriè collati ſunt, ne ipſis quidem Diplomatibûs neglectis. Quò ſi remitterem te, túque alios, congruenter certè fieret : ſed noſtri ſermones, dum tu eruditè cum amico hac de re confabulari jam animo præceperis, penitus interciperentur. Præterea quoque uſus docet, apud plurimos idem argumentum, alia aliáque forma propoſitum, facilè diverſum, novúmque videri. Fare igitur, age tu, quantum potes : ego tela tua, ſive præviſa fuerint à me, ſive improviſa, qua licebit, fortitudine excipiam. Id obſecro, dic omnia breviter, neque mihi diſſolvendi prolixitatem impone.

MANIODAR. Miſſis itaque ambagibûs, per arduum creditu quibusdam videtur, *Ortilonis* Notulas *Aloldinas* tot annis, immo ſeculis apud Mariæ-Cellenſes Auſtriæ Cœnobitas delitescere potuiſſe, & maximè temporibus poſtremis, quibûs conſtat, varios doctos Viros, *Bruſchium*, *Cuſpinianum*, *Lazium*, *Lambecium*, *Peziós*que noviſſimè Fratres, Monaſteriorum Bibliothecas non ſegniter intereà excuſſiſſe. Tot oculos planè ſagaces quomodo hoc ſcriptum effugerit ? Neque copiâ MSS.torum id accidiſſe veroſimile eſt, neque ſuſpicari licet, ignorantiâ, aut invidiâ factum, ut hæc Chronica tamdiu premeretur.

PRITOMERD. Dudum hoc dubium, cùm primùm ederem *Ortilonem*, diſſolveram obſervat. I. præv. §. VI. p. 30. ſq. ſi Lectores id

ritè

ritè advertere voluissent. Ajebam enim, *Ortilonis* Libellum tribus partibus constare, quarum duæ priores Notulas Chronicas haberent, Historiam Patriam unicè spectantes : tertia verò ipsum Exordium Campililii, résque sub hujus initia usque ad annum 1230. referret, necdum vulgata. Cùm itaque hic Libellus vel prima sui inspectione Cellenses docuerit, se ad vicinum Campililium attinere : facillimè simul constitit Viris illis Religiosis, hoc Scriptum, non invitis Campilliensibûs, haud unquam alienis manibus committi posse. Ergo per charitatem, justitiam, & ipsa mutua Religionum fœdera adstricti, studio pacis, cùm & finibûs metisque ditionum suarum cohæreant, Libellum hunc oculis quorumlibet studiosè subducere meritò satagebant, ipsa minima hujus Codiculi mole ad hoc peropportuna, ut & omni discrimini ac injuriæ temporum, & singulorum conspectui promtissimè subtrahi posset.

MANIODAR. Largiantur hoc forsitan illi, qui dubitant, de *Ortilonis* Libello, pacis causâ celato : constat attamen, *Leopoldum VI.* Austriæ Ducem, quem se *Ortilo* ad tumulum conduxisse AN. 1195. fatetur, cùm Progenitorum suorum notitiam cuperet, eam sibi à *Conrado Wizenbergico* Abbate Mellicensi conscribi postulâsse. Ignoravit ergo Dux iste *Aloldi* Chronicam Babenbergicam, ubi certè *Genealogiam* suam perspicuè legisset. Ignoravit pariter *Conradus* Wizenbergius, qui *Aloldi* non meminit, déque *Leopoldo Illustri* alia omnia tradidit. Accedit *Ottonis* Præsulis Frisingensis, qui & ipse Prosapiâ Babenbergicus erat, altum de *Aloldo* silentium.

PRITOMERD. Non abnuo, dubitandi hæc ansam præbere : sed nego, vi tanta esse, ut eapropter *Aloldi* Antiquitas illico concidat. „ Brevitas Vitæ, casûsque humani (quod non „ita pridem Vir eruditissimus de Scriptoribus coævis toties fru„stra desideratis advertit) non patiuntur, hos, horúmve Scri„pta Rebus gestis diu superesse, dum sæpe cum Authoribus „occidunt. „ Cui fata Scriptorum, atque Librorum cognita sunt, & qui hominum affectus, vetustis temporibus pares cum nostris, pensaverit, genium præterea obscurorum illorum Seculorum non ignoraverit, facilè intelliget, ævo illo, quo Soli MSS.ti Codices dabantur, periisse multos eorum, aliorum communicationem raritatis causâ sæpe difficillimam, Transcriptionem verò longi arduique laboris, Historiæ porro studium apud plurimos admodum languidum fuisse. Chronicam *Aloldi*, quam non ex brevitate Notularum *Ortilonis* dimetiri oportet, sed utique longè prolixiorem censere, fatum igneum involvit, cùm vix altera vice transcripta esset, ipso Excerptore conquerente: qui & Exemplum ejus pari lugubri fato consumtum lamentatur. Hoc porro est, quod sola dubitatione falsi convinci non potest:

verosimillimam autem causam reddit, cur *Aloldus*, & *Conrado* Wizenbergico ignotus, & aliàs nemini, quem hodie sciamus, cognitus fuerit.

MANIODAR. Putas, hæc, quæ fieri poterant, facta pariter esse, dubitantes tibi è vestigio permissuros? *PRITOMERD.* Non ego sic arbitror, & conjicio tantùm. Posteaquam conflagrationis testem *Ortilonem* habemus, qui insuper perspicuas, & copiosas, ac planè singulares, & undique sibi cohærentes ex *Aloldo* Notulas nobis exhibet, præsumtio certè pro ipso tam fortiter militat, ut solo inficiante argumento testimonium ejus, prudentum omnium judicio, quod planè mihi persuadeo, everti non possit.

MANIODAR. Hoc ipso è testimonio *Ortilonis* novum succrescit argumentum. Quærere enim, & meritò, licet, quî factum, ut *Aloldum*, quem omnes ignorarent, unus *Ortilo*, clam Duce, haberet, atque in Sancta Cruce excerpere posset, ubi Exemplum ejus combustum affirmat? In Sancta Cruce, inquam, adeò chara, *Leopoldo VI.* Duci, ut eam insigni Salvificæ Crucis Portione donaret, plurimis aliis bonis afficeret, præsentia sua bearet semel ac iterum, tandem ibi pariter requiescere vellet. Ut quid ergo grati Cœnobitæ Crucenses nihil illi de Chronica *Aloldina*, immo nec *Ortilo* ipse, qui eam vel adhuc tenebat in manibus, vel saltem excerpserat jamjam? Ægrè credas, studium Ducis de pernoscenda Genealogia sua, & mandatum ad *Conradum* Wizebergicum de ea perscribenda, sic latuisse Crucenses, ut rei hujus penitus ignari essent. Si noverint, incredibile planè videatur, commissuros eos fuisse, ne exhibitione Chronicæ *Aloldinæ*, aut saltem Notularum *Ortilonis*, amplissimam sui Principis gratiam inire votis omnibus quærerent.

PRITOMERD. Judicium æquum de rebus ferri non potest, nisi tempora probè distinquantur. Pueritiam suam tunc agebat Reformatio Cisterciensis, necdum Seculum unum adulta. Ardebat fervor primus Regulæ ad literam servandæ, summum humilitatis & obedientiæ studium in Claustris vigebat, sancta & unanimis omnium ibidem contentio erat, Mundo, quem deseruerant, manere ignotos, atque, ex lege Regulæ, *se à Seculi actibus facere alienos*: quò & Vigilantia Superiorum unicè contendebat. Ergo *Ortilo*, qui se ipso affirmante Scriptor fuit in Sancta Cruce, i. e. Scriba & Librarius, describendis Codicibus deputatus, cùm Notulas ex *Aloldo* animi solummodo causâ, privatáque industriâ, non jussu Superiorum, fecisset, sibi soli easdem servavit, non ausus, cuiquam illas exhibere: quod vel inde liquet, quia æquè parum, ac ipsa *Aloldi* Chronica, hæ Notulæ alicubi transcriptæ noscuntur, quantumlibet breves essent. Non ergo attinuit ad eum, sciscitari, quid

quid cuperet, quid ageret Princeps, tametsi præsens, quia Superiores nihil horum ei demandârunt. Servandum sibi credidit, sancteque custodiendum, quod Sacra Regula præcipit Cap. 53. *Hospitibus autem, cui non præcipitur, nullatenus societur, neque colloquatur &c.* Superiores porro, combustæ Chronicæ non ignari quidem, Notularum verò *Ortilonis* haud conscii, non habebant, quod Liberalissimo Duci in rem, quam optabat, Genealogicam utile suggererent: nisi planè, cùm è Sancta Cruce Princeps in hac parte nihil speraret, & ipse forsitan Abbas ejus Consilium ignoraverit. Alia omnia illos cogitare, qui præterita tempora, nisi ex præsentibus, dimetiri haud sciunt, Regularis præterea Disciplinæ notitiâ carent, & unumquemque paribus animi motibus, quibûs ipsi aguntur, indulgere existimant, facilè annuo: meliùs autem edoctis Meditatio mea, mox facta, non vana censebitur.

MANIODAR. Superest adhuc, de quo dubitetur: Eccur nimirum, esto Chronica *Aloldi* interierit, saltem Nomen ejusdem ætatem non tulerit, & à nemine nullo, præterquam solo *Ortilone*, commendetur? PRITOMERD. Si, Amice integerrime, veteribus in Chronicis hospitem te planè ac peregrinum fingere nolis, fidem ego tuam appello. Quot, obsecro, Chronographos antiquos in tanto, quem habemus, eorum numero censebis mihi, qui, dum propria Nomina sua, prætento humilitatis titulo, frequentiùs obticent, illos alios laudent, è quibus ipsi profecerunt, vel quos præivisse sibi, ignorare non poterant? Non idem Seculis antiquis mos fuerat, qui nostris temporibus est; ubi mox, dum Authorem excerptorum tuorum non laudas, plagii damnaris. Quare *Aloldi* nomen apud Scriptores, ævo ejus propinguos, non legi, ipsum neque exstitisse, neque scripsisse Seculo illo, rursum non solidè demonstrat.

MANIODAR. De *Ottone* saltem Præsule Frisingensi hujusmodi dissimulatio præsumenda non videatûr. *PRITOMERD.* Hunc Antistitem, quod salvâ ipsius Reverentiâ dixerim, hìc in medium adduci planè non oportuerat. Quamvis enim opinari omnes deberemus, nullibi verius, quàm apud ipsum, Res Babenbergicas perdiscendas esse, Chronica tamen ejus legentes oppidò fallimur, atque cernimus, eum in suæ Stirpis historia, uti parcissimum, ita propè negligentem fuisse: quod quidem sanctæ Modestiæ studio fecit, ne suos frequentiùs celebrans, ipse sibi Panegyrin condere videretur. Unde *Witichindum* potiùs, vel *Ditmarum*, calamo suo excipere voluit, quàm in Originem suam, si sibi opus fuisset, & non sponte eam dissimulâsset, ipsemet inquirere. Ne tamen falleret, in iis ipsis, quæ aliunde arripuit, pronunciare sedulò cavens, rem ita *tradi* duntaxat perhibuit, neutram in partem ipse suffragium conferens. Quocir-

ca *Aloldum* ab ipſo non commemorari, ſive noverit ipſum, ſive ignorârit, nihil denuo probat.

MANIODAR. Scitè quidem *Aloldum* his præjudiciis explicare laboras: an verò illa ſic eximas omnibus, ignoro. Plura enim ſuperſunt Capita, unde illum in ſuſpicionem inducant, de quibus mihi ſermo tecum aliàs erit, ſin audire ultra me velis: nunc hora me aliò avocat. *PRITOMERD.* Præjudicia quis tollet, & litem quis præſcindet in re, quam jure pari affirmare, & negare poſſis, quando partibus contendere libet? Audiam, quæ deinceps tu proferes: graviora niſi fuerint, & plusquam dubia, hactenus objectis pondus nullum adjicient.

DIALOGUS II.

Aloldus prædicat, quæ non debuit, quæ debuit, omittit.

MANIODAR. ACta *Henrici* II. Imperatoris, & *Stephani* Primi Ungariæ Regis enarrans *Aloldus*, utrúmque prædicat *Sanctum*, cùm ambo longiſſimè demum poſtea Divorum in dypticha illati ſint. Hoc denuo eſt, quod notant Cenſores. *PRITOMERD.* Inde *Aloldo* laqueum, ſalvâ prudentiâ, ſtrui potuiſſe, ut candidè fatear, ne per ſomnium cogitâſſem. Scribere is cœpit, quod ait, An. 1044. quo ambo laudati Principes omnium ſententiâ cœlo recepti erant, Imperator Ann. 1024. Rex Ann. 1038. Quid porro magis ex uſu Seculorum omnium, niſi homines, inſigni probitate per omnem vitam decoratos, parique fine concludentes, famâ in orbem egreſsâ, *Sanctos* ore populi prænunciari? Non propterea hoc elogio prævertitur Judicium Eccleſiæ, & Cultus Aræ decretus enunciatur: ſed hæc vocula *Sanctus* ut ſynonimum duntaxat excellentis Probitatis adhibetur, adeò, ut de iis, qui inſigniter Pii videntur, etiam vivis, præconio iſto millies, familiari in ſermone utamur. Quid igitur calamo ſuo hìc peccavit *Aloldus*, dum ex more communi ſermonem ſuum adornavit? Idem certè ad An. 1016. vocem *Sanctus* cum voce *Pius* commutavit apud *Stephanum* Regem: de *Henrico* verò Imperatore ad Ann. 1024. ſcripſit: *Sanctè obiit Hainricus Imperator.* Unde perſpicuè innuit, ſe vocem *Sanctus* per meram ſynonomiam pro *Pius* adhibuiſſe. Quis porro in Biographiis, i. e. Vitis Virorum Sanctorum etiam ſinchronis, quas illi, qui convixerant, concinnârunt, præconium Sancti ſexcenties appoſitum cavillabitur? Nodum ergo quærit in ſcirpo, qui inde *Aloldum* coarguit.

MANIODAR. Ut hoc tibi facilè largiar, multò gravius obſtrepunt illi Elogiis *Illuſtris*, *Victorioſi*, *Fortis Militis*, atque *Strenui*,

Strenui, quæ *Aloldus* primis Marchionibus Babenbergicis ante tempus accinuit, quasi eadem, jam dum viverent, gessissent. *PRITOMERD.* Hoc ariete ut Antiquitas & Sinceritas *Aloldi* fortiter quatiatur, & elidatur, invictè priùs docendum, ac luculentè remonstrandum est, quo demum tempore Cognomina ista primùm enata sint. Haud satis est, asserere, apud alios ævi illius Scriptores hæc Cognomina minimè legi. Patrium enim Scriptorem, *Aloldo* coævum, nullum adhuc novimus. Exteros quod spectat, cùm paucissima solummodo, nec aliter, nisi ex occasione quandoque, Austriacis de Rebus Historiæ suæ inspergant, horum Elogiorum solicitudo eos haud attigit. Quemcunque deinde Scriptorum quisquam adducere possit, qui omnium primus hæc præconia afferat, evincendum ulteriùs restabit, hunc è sui duntaxat fœcunditate ingenii, nullis aliis Authoribûs, quorum in ore antea circumierint, eadem adinvenisse, eo videlicet fine, ut paris Nominis Principes his Cognominibus sese inter faciliùs rectiúsque distingueret. Valde autem vereor, ne hoc unquam in aprico à quoquam ponatur: quod attamen antequam fiat, securissimè arbitror, *Aloldum*, illo, vel proximo tempore, ac ibidem scribentem, quando, & ubi, ex occasionibus à se allatis, hæc Elogia re ipsa enata sunt, illa primùm & verè adhibuisse. Spectabat quippe ad ipsum, tanquam peculiarem Historiæ Austriaco-Babenbergicæ Scriptorem, hæc curare.

MANIODAR. Non unus horum Principum est, cujus obitum saltem exteri Scriptores non commemorent, laudem ei vel verbulô pro merito tribuentes: hæc tamen Elogia tacuerunt. *PRITOMERD.* Haud equidem difficulter assentior, Præconia ista non illico Mundum omnem pervagata esse: non ambigo interim, per ora privatorum aliquamdiu in Patria circumvolitâsse, deinde proximè vicinis quoque in Provinciis increbuisse, donec tandem Orbem totum famâ suâ compleverint. Adverto præterea, Cognomina, è capitibus non laudabilibus, vel etiam vitio quodam, aut affectione Corporis peculiari profecta, quamvis plura hujusmodi, uti *Coclitis*, *Lusci*, *Nasonis*, *Caprarii*, *Figuli*, veteres Quirites suis in Familiis haud abhorruerint, dignum Fastis argumentum præbere visa non esse, qualia fuêre *Crassi*, *Calvi*, *Infantis*, *Claudi*, addam & *Aucupis*. Quapropter omissa sunt, non, quòd nullorum in hominum ævi illius ore sint nata, sed quia nihil ad Gloriam contulerant. Secus omnia se in Austriacorum Cognominibus Gloriosissimis habent: quibus Principibus Elogia toties dicta, sic exigentibus Meritis, ut olim apud Quirites, publicè & jucundè acclamata fuisse, solidè nemo inficias ibit. Nulli enim facilè Rei bellicosis illis temporibûs majus pretium, quàm insignibus victoriis, apud ple-

bem ſtatuebatur: quemadmodum è converſo, qui victi aliquando rejectique ab hoſtibus fuerunt, dedecus ingens volante fama incurrebant, uti Hiſtoria utrisque paginis teſtatur. Teneo itaque etiamnum, Elogia, quæ *Aloldus* Marchionibus indulſit, jam viventes eos ornâſſe, túmque ore populi in eos collata fuiſſe, dum ſuorum ipſi virtutem armorum gloriosè adverſus hoſtes, præcipuè, qui tum barbari ſumméque odibiles habebantur, exererent. *Godefridus* Viterbienſis XII.^mi^ Seculi Scriptor apud *Piſtor.* Tom. II. in Pantheo loquens de *Henrico* I. ſic cecinit: *Et quia ſimpliciter fuit bis præſentibus* (Legatîs nimirum, qui ei Regnum detulerant) *Auceps*, *Amodo perpetuo cognomine dicitur AUCEPS.* Idem agens de *Henrico* II. Imp. eundem ubique *Claudum* cognominat. Chronicon *Mellicenſe*, eodem Seculo XII. ſcribi cœptum, teſte ejusdem Cl. Editore *Hier. Pezio*, ad Ann. 1043. *Leopoldum*, Filium *Adalberti* Marchionis, diſertè *Fortis Militis* elogio afficit. Qui Scriptores, licèt Principibus à ſe laudatis toto Seculo poſteriores fuerint, calamo tamen ſuo edocent, Cognomina & Elogia iſta, de quibus agitur, non tam recentia, ut multi exiſtimant, habenda eſſe, ac quando demum in ore hominum enaſci cœperint, arduè demonſtrari poſſe: proinde, donec id ſolidè quisquam docuerit, ritè ſtare opinionem ac præſumtionem pro *Aloldo.*

MANIODAR. Facundus hìc ſanè pro noſtro Scriptore fuiſti. Quî verò eundem excuſabis, quòd multa tradere omiſerit, quæ, ſi coævus fuerat, neque ignorare potuit, neque ſilentio premere debuit? Curiosè nunc quæritur, ubi locorum primi Auſtriæ Marchiones conſederint? Vehementer cuperent multi reſcire, qua Stirpe ac Domo Uxores eorum exſtiterint? Nihil autem iſtorum ex *Aloldo*, quem latere non poterant, addiſcimus. Ergo, inferunt, vel Seculi illius, cujus jactatur, magnæ non fuit: vel de Curia Principum non erat: vel denique homo in deſcribenda Hiſtoria ſua negligentiæ certiſſimè reus eſt. Omnibus porro his è capitibus Critico ſevero latus ejus petendi ampla occaſio præbetur.

PRITOMERD. Dudum & ego pariter, fatebor enim, ea ipſa, quæ tu, aliáque nonnulla, in *Aloldo* admodum deſiderabam: iraſci tamen eidem non potui, quia Chronicam ejusdem integram quærimus adhuc, necdum tenemus, breviculis *Ortilonis* Notulis inde extractîs multò utique prolixiorem, cùm hic ipſe in Prœmio ſuo doleat, *ſe non totam deſcripſiſſe.* Adhæc in interjectione poſt Ann. 1018. ubi Mors *Heinrici* Marchionis accidit, hunc eundem à convitio Rebellis defendens, in cæteris inquit: *Qui ſemper Hainrico ſecundo Imperatori Sancto charus & fidelis in omnibus ab Aloldo prædicatur*: quod attamen elogium *Ortilo* nullo præcedentium Annorum ſuis in Notulis excer-

excerpſerat. Manifeſtè hinc liquet, plurima *Ortilonem*, qui Majores duntaxat Sereniſſimi Fundatoris Campililienſis, adventum Babenbergicæ Stirpis in Auſtria, ac præcipua horum Principum Acta, & Merita, ſuo Libello de Exordio Campililii præmittere voluit, ſtudio brevitatis omiſiſſe, quæ nos *Aloldus* integer, ſi eum ſors bona nobis retegeret, proprio in Opere ſuo affatim edoceret. In quibus & Marchionum quoque Sedem, & Familias Uxorum, veroſimillimè diſceremus. Eſto autem, hæc & hujusmodi calamo ejus revera adhæſiſſent, par certè venia eidem danda eſſet, quam Scriptoribus aliis negare non poſſumus, niſi conſimilibus ex defectibus totam eis fidem derogare velimus. Sic deficere Scriptores plurimos, ſimilésque præcipuas boni Hiſtorici partes, quas nunc requirimus, Veteres verò ævo ſuo non pariter neceſſarias cenſebant, in plerisque frequenter deeſſe, nemo in eorum lectione verſatus ignorare, vel diſſimulare, niſi deditâ operâ, poteſt. Quisquis præterea Diplomatum copiam aliquando cum induſtria tractavit, uſu permoleſto didicerit, plurimis in Chartis, etiam Autographis, non modò Cognomina Teſtium abeſſe, verùm etiam nunc Annum, nunc diem, nunc locum, quibûs edebantur, deſiderari: quæ utique ſingula Notarii ſcire poterant, & ferè præ omnibus deſcribere debuerant. Anne idcirco Chartas omnes, in aliquo horum deficientes, ſi cætera ſibi conſtent, ab Antiquitate ſua repellent, ac veluti ſuppoſitas & ſubleſtas è veſtigio rejici ferent Eruditi? Non ſane exiſtimo. Seculorum illorum hæc labes: quæ pariter Scriptores infecit. Attentionis debitæ defectum in tumultu laborum hæc probant, ſinceritatem non tollunt.

MANIODAR. Quàm promta tibi ſunt arma in tutelam *Aloldi*, tam illa valida velim. Sed adhuc in Velitationibus, Amice, levique brachio ſumus: graviora certamina aliis diebus, ſi è voto tuo ſic fuerit, ſervemus. *PRITOMERD.* Placet, quod ais: tu copias educ univerſas, & aciem, quàm potes validiſſimè inſtrue. Stabo contrà, nec deſeram Vexilla Veritatis.

DIALOGUS III.

De inconvenientibus pluribus, quæ mox in §. I. ALOLDI apparere videntur.

MANIODAR. Cùm *Adoldus* ad ANN. 908. ſic in cæteris habeat: *Adalbertus* (videl. *Adalbert.* decolla„ti Filius (quinquennalis puer cum Matre *Brunhilde*, Filia *Ot*„*tonis* Saxonis, fugere debuit ad *Hainricum* poſtea Imperato„rem, dictum Aucupem &c., multis videtur, ſingulis propè in

verbis iſtis inconvenientia plura relucere. Primùm námque ajunt, *Adalberti* decollationem à *Reginone*, atque *Ditmaro*, referri ad Ann. 905. quibus itaque Scriptoribus graviſſimis diſſonat epocha *Aloldi*.

PRITOMERD. Fit in hoc facto, quod in omnibus propè illuſtrioribus Actis, Chronica nimirum vetera, vel Authorum, aut Librariorum errore, ſic in epochis differre, ut Lectorem perplexitate moleſtiſſima confundant. Paulò diligentiùs in his exercitati, fatebuntur mecum, dum æræ juſtæ nervus eſſe daberent Hiſtoriæ, nihil hîs veteres apud Scriptores intutius reperiri. Decollationem *Adalberti* Comitis Babenbergenſis *Marianus* quidem *Scotus* pariter alligat Anno 905. ſed *Hepidannus* ad Annum 906. *Hermannus* Contractus, & *Lambertus* Schaffnaburgenſis differunt ad Annum 907. Cum *Aloldo*, qui Annum 908. aſſignavit, facit pariter Lapis *Adalberti* Sepulchralis in Monaſterio Benedictino Theraſſenſi, in quod Arx ejusdem Theraſſa converſa fuit, apud Cl. *Hier. Pez.* Tom. I. Diſſert. V. Proæm. Cui potiùs adhæreas tanta in ambiguitate, per me licet: ego *Aloldo* Scriptori domeſtico, & Monumento decollati Comitis fidem ſervo. Aut, ſi malis, largiar tibi interea, *Aloldum* æquè parum, ac cæteros omnes, juſtam hìc epocham aſſequi potuiſſe. Quid enim? Illuſtris D. *Eccardus* Franc. Orient. Tom. II. p. 804. allegat, & pro parte excerpit Chartam *Ludovici* Regis Infantis ex Tabulario Wirceburgenſi, qua *Rudolfo* Epiſcopo quasdam Res juris ſui, quæ *Adalberti* decollati, & *Henrici* Fratrum fuerant, atque *ob nequitiæ eorum magnitudinem, judicio Francorum, Alamanorum, Bauwariorum, Thuringorum, & Saxonum legaliter in Regium Jus publicatæ erant, ad Epiſcopium ſuum, præfatúmque* S. Kiliani *Locum, à prædictis* Adalberto & Heinrico *undique vaſtatum*, conceſſit. *Data VII. Id. Jul. Anno Incarn. Domini DCCCCIII. Indict. VI. Anno verò Regni domni Ludovici IIII. Actum Taraſſe.* Cui diplomati, & epochæ ejusdem ſi ſtetur, *Reginonis*, *Ditmari*, & omnium calculi fallunt. Quos proinde tueri antea convenit Criticis, quàm ex iis *Aloldum* impugnent.

MANIODAR. Ulteriùs *Brunhildim* in Sororibus *Henrici* nuspiam legi cauſantur. *PRITOMERD.* Quanta ſit caligo in Sororibus *Henrici*, æque, ut in Filiabus ejus, reperiet, qui illas in Scriptoribus inquiret: nam ſemper ferè circa fœminas, magno quidem hiſtoriæ damno, Chronographorum induſtria remiſſior fuit. *Witichindus* duas Regis hujus inſinuat Sorores Libr. I. in Actis *Henrici*, utriúsque verò Nomina obticet. Alii plures volunt, ſed enumerare liquidò non valent. Tanto ex obſcuro nihil ſolidi fluit adverſus *Aloldum*: quem ſuo tempore inveſtigâſſe diligentiùs, & reperiſſe feliciùs, ex inſtituto ejus haud immeritò præſumimus, quando certi eidem opponi nil poteſt.

MA-

MANIODAR. Iterum *Henrico* appellativum *Imperatoris*, & Cognomen *Aucupis* ab *Aloldo* tribui, quod neutrum apud Seculi XI. Scriptorem legeris, ferre non volunt. *PRIMOMERD.* De Cognominibus *Dial. super.* sententiam aperui, videlicet, nata illa meritò censeri cum re, unde deducta sunt: quæ tamen ad Gloriam non conferrent, prætermissa esse à Scriptoribus, donec paris nominis Principes per Cognomina discerni opus esse crederetur: Gloriosa porro statim adhibita fuisse: Sic *Witichindus*, proles *Henrici* Regis enumerans, ajebat: *Primogenitum*, MUNDI AMOREM, *nomine* ODDONEM. Huic deinde Cognomen *Magni*, à magnitudine rerum gestarum enatum, tam coævi, quàm posteriores omnes Chronologi tribuerunt: immo in ipsius Imperatoris hujus nonnullis diplomatibus legitur: *Signum Domini OTTONIS* MAGNI *& invictissimi Regis.* Quidni & *Aucupis* cognomine apud *Henricum* uti poterat *Aloldus*, Seculo toto post hunc Principem scribens?

MANIODAR. Appellativum *Imperatoris* quomodo excusabis ævo illo, quo Imperator non credebatur, vel prædicabatur saltem, qui Romæ coronatus non fuerat? *PRIMOMERD.* Ubicunque *Aloldus* loquitur de *Henrico*, appellat illum *Regem*, præterquam semel & initio, ut verè suspicari quis posset, hæc verba, *postea Imperatorem dictum Aucupem*, ab *Ortilone* claritatis causâ adjecta fuisse. Ita verò scripserit *Aloldus* ipse: non propterea opus erit, ut hoc distracti ad alia animi, sive memoriæ, aut calami lapsu excusem. Oratoriè magis, quàm curialiter, latóque in sensu, ac veluti synonimicè dictum esse ab *Aloldo*, pari ego jure contendo, ac illud Rever.mus D. Abbas *Gottwicensis* Libr. II. p. 145. intelligi debere ait, quando *Witichindus* Annal. I. Regi *Conrado* morituro inter cætera ad *Engelbertum* Fratrem verba de *Henrico*, hæc pariter in ore posuit: *Ipse enimverò Rex erit &* IMPERATOR *multorum populorum*: & Rursum, enarratâ celeberrima *Henrici* de Ungaris Victoriâ, subjunxit: *Deinde Pater Patriæ, Rerum Dominus*, IMPERATÓRQUE *ab exercitu appellatus.* Item si apud *Schannat.* Tradit. Fuldens. n. 572. p. 237. in quadam Charta Communicationis, cujus Notæ chronicæ de *Henrico* I. sermonem esse declarant, ita disertè legatur: *Noverint omnes Christi fideles, quod* HENRICO IMPERATORE *præsente, & permittente, concambium factum est &c.* Quid ad hæc, si in proprio Regis hujus Diplomate pro Ecclesia Frisingensi de Anno 931. subnotatum legatur: Año IMPERII Heinrici Regis XIII.tio? Videatur *Historia Frising.* Part. I. p. 164. Omitto, *Ottonem* I. jam ante Coronationem gessisse Elogium *Imperatoris*: tam *Henricum Sanctum*, quàm *Conradum* alterum, in diplomatibus ferre præconium *Imperatoris*

toris Secundi, cum neque *Conradus* I. neque *Henricus* I. Romæ inaugurati fuerint. *Henricus* V. legitur cum elogiis *Quinti Imperatoris semper Augusti*: nec non *Conradus* III. nunquam licèt coronatus, attamen in Literis audiit *Imperator*. Quæ omnia in Chronico *Gottwicensi* suis locis, ubi de his Augustis ex instituto tractatur, videnda, cùm sint contra communem ævi sui stilum, & nihilosecius genuinis in Monumentis occurrant, profectò testantur, vocabula *Regis* & *Imperatoris* promiscuè sæpius ac synonimicè à Scriptoribus & Notariis etiam sinchronis adhibita fuisse, ac proinde Criticos *Aloldinos*, nimia verborum Religione ductos, nihil proficere. Quod enim in aliis, & in *Aloldo* ferendum.

MANIODAR. Probè hic pharetram excussisti, neque tela tua irrita putem. Adversarii autem nunc dubitant, an credi possit, *Adalberto* decollato Uxorem fuisse Filiam *Ottonis*, celeberrimi & summè in Regno nominati, immo ad illud postulati quoque Saxonum Ducis: quoniam, si ita fuisset, non putant, *Ludovicum* Regem Infantem tam facilem futurum fuisse ad supplicium capitis de *Adalberto* Patre sumendum, & ad proscriptionem *Brunhildis* Conjugis cum Adalberto Filiolo, ne Generi, Filiæ, Nepotis, tristissima fata vindicem *Ottonem* provocarent. *PRITOMERD.* Non quidem abs re sic dubitari videretur, si *Adalberti* culpa, salvâ æquitate tam probi clarique Viri, qualis *Otto* fuerat, Patronum admisisset. Legantur verò, quæ in prima Editione *Ortilonis* Observat. præv. II. p. 55. sq. planè ad sensum *Reginonis* Abbatis Prumiensis jam adverteram: nimirum *Adalbertum* offendisse in Familiam ipsius Regis, sacros æquè ac profanos, quos hostes crediderat, annorum plurium vastationibus, preliis, cædibus, & spoliis inclementissimè habuisse, Evocationibus Regiis paruisse nullibi, in culpa sua turbatæ quietis publicæ diutissimè perstitisse, Armis Regis opposuisse sua, postremùm deditionem fraude, sed proditâ, simulâsse, ut habet *Regino*, atque hoc tandem pacto comeruisse, ut publica, non Regis tantùm, sed unanimi omnium Procerum sententiâ Capitis damnaretur, severissima in se animadversione cæteris cunctis exemplo futurus, quanti criminis esset, spernere Regem & Legem. Consensêre hoc in judicium, quod suprà ex Diplomate Ludoviciano audivimus, præter Francos, Bavarios, Alemannos, etiam Thuringi & Saxones, quibus *Otto* Dux imperitabat. Quis ergo ex illo vindictæ metus *Ludovico* Regi?

MANIODAR. Non malè excipis. Cùm tamen *Aloldus* confugisse *Brunhildim* cum Filiolo ad suos tradat, addubitant ulterius, eccur non apud Patrem potiùs *Ottonem*, usque ad Annum 912. certò superstitem, & clarum, quam apud Fratrem *Hen-*

Henricum, tutelæ præsidium quæsierit? *Pritomerd.* Hæc denuo, uti superior percontatio, talis est, quæ curiosa magis, quàm in rem solida, utramque in partem definiri à nemine possit. Consilia enim hominum, & Motiva, dum plures agendi viæ restant, hanc potiùs præ illa eligendi, unis ipsis, qui egerunt, adeo peculiaria & propria sunt, ut nemo arbitrium præsumere debeat, &, nisi ex ipsis, intelligi nequeat, qua de causa, quo fine, non, quod rectiùs evenisse aliis videri possit, sed quod olim executione faciliùs, tutiúsque exstiterat, actum sit. Non continuò, quia aliquæ illorum temporum, ac Personarum, conditiones ab hoc illóve Scriptore proditæ sunt, ut res tota se tunc habuerit, integrè circumspicimus. Quæ sic, ut nos opinamur, congruentius gesta fuissent, argumentum solidum non præbent, per conversionem, aut illationem necessarium inferendi, secus à quopiam narrata certissimè fallere. *Ottonem* Ducem, jam senio gravem, adeò, ut referente *Ditmaro*, negotia ac bella *Henrico* Filio committeret, ad hunc quoque Filiam cum Nepotulo remisisse, quia eos apertè tueri noluerat, diúque protegere posse vita comite plurimùm dubitaverat, mihi quidem ratio suadet. Si conjectum hoc solummodo à me causentur Adversarii, neque illi probârunt hactenus, quod opinantur. Affirmatio, & Negatio, cui utrinque nulla solida ratio subest, pari profectò jure fiunt. Quamquam nec etiam ineptè forsitan reponerem, confugisse ad *Henricum*, & ad *Ottonem*, propè idem esse, cùm Pater ac Filius eo tempore diversô imperiô non fuerint. Jllo tamen sene, hoc juvene, & posthac regnante, placuit *Aloldo*, Filium potiùs, quàm Patrem, ponere, cúm sub *Henrico*, non *Ottone*, adoleverit *Adalbertus*.

MANIODAR. Ubique, ut video, præsens es tibi: sunt verò & Adversarii, quod iterum ex me, dum utrisque vacaverit, audies. *PRITOMERD.* Absque animo præsenti non agitur quidquam: opperiar illos: nisi verò probaverint, deinceps quoque dubitandô nullum operæ pretium facient.

DIALOGUS IV.

Plura ab ALOLDO tradita, præcipuè de LEOPOLDO Jllustri, & acquisita ab eo Marchia, in dubium vocantur.

MANIODAR. Dum scribit *Aloldus*, Filium *Adalberti* decollati, pariter *Adalbertum*, Patre sublato Anno 908. quinquennem puerum, cecidisse apud Merseburg in prelio Anno 933. & *Leopoldum* tunc decennem reliquisse: multa repe-

reperiunt Critici ejus, de quibus hæsitent. Videlicet, quomodo non plusquam 20. Annorum Juvenis, extorris Patria, paternis bonis omnibus exutus, tam festinus Conjugem duxerit, & statim ex ea Filium sustulerit? Quare deinde *Henricus* Rex Avunculus ejus, qui ei tam favisse, támque mortem ejus doluisse asseritur, avita eidem, aut Filio, bona pro potestate non restituerit? *PRITOMERD.* Otiosè planè iterum quæritur, contrariis nulla ratione assertis. Sinant ergò, qui in talibus hærent, ut reponam, quod occurrit, nulla probandi lege mihi indicta. Inaudita scilicet res, 20. Annorum juvenem nubere, & statim Patrem fieri. Bona paterna, communi sententia fisco Regis ob læsæ Majestatis crimen adjudicata, magnam partem Terassensi Monasterio, in quod Arx Terassa commutata fuit, applicata sunt, ex Monumentis Cœnobii apud Cl. *Hier. Pez.* insinuatis. Pars ex Diplomate Regio *Ludoviciano*, quod priori Dial. ex illustri *Eccardo* laudatum est, concessa fuit Ecclesiæ Wirzburgensi. Cætera inter Nobiliores quosque distribuit Rex, teste *Reginone*. Quibus omnibus è capitibus reddi ab *Henrico* facilè non poterant. Interea verò *Adalberto*, extorri avitis è ditionibus, reliquus Mundus facilè Patria erat, atque Palestra Virtutis, in qua compararet sibi, unde Conjugem ac Filium pro dignitate sustentaret: neque Avunculo Regi aliæ deerant facultates, quas ipsi tribueret, usquedum Comitatus aut Marchia vacaret.

MANIODAR. Nunc, quæ adversus *Leopoldum* habeant ausculta. Legentes in *Aloldo*, Anno 943. *Ottonem* I. *Leopoldo* contulisse Marchiam Orientalem, quam Anno insequenti ingressus fuerit, primum advertunt, singulare omnino esse, quódque minimè videatur, 20. Annorum Juveni ejusmodi limitem Imperii concreditum esse, ubi ex Ungaris quotidiè summum periculum erat, ut vix alibi præsentius. Deinde, conversâ telâ, dum statim *Leopoldi* ætatem imparem tam arduæ stationi causarentur, modò hanc Provinciam illius Nobilitate, Propinquitate Augusta, atque amore, quo eum *Otto* complexus ab *Aloldo* refertur, haud satis dignam existimant, cùm hæc Marchia Austriæ eò temporis angustissima esset, neque ampliùs, quàm ab Anaso fluvio Relaham usque protenderetur. *PRITOMERD.* Præpositum esse *Leopoldum* Orientali Marchiæ, exploratum est: tempus & modum nemo sic tradidit, ut acquiescerent eruditi: *Aloldus* rei hujus unicus antiquissimus, concinnus, & perspicuus testis est. Nónne ergo vel ideo, quia unicus, pariter optimus habeatur? A quo alio rem vetustissimam hodie repetamus? Frustra hìc satagit Ratio nostra, Scriptoris antiquissimi Asserta elevare, quibus neque res ipsæ repugnant, neque Authoritas ulla contradicit. Quamvis admiratio-

rationis nonnihil in fronte præferat, vicennem duntaxat Juvenem à Cæsare Ungarorum finibus observandis oppositum fuisse: certè tamen Indoles *Leopoldi* nobilissima, quæ effecit, ut à morte hoc præconium *Ditmari* mereretur, quòd *Prudentiorem, & in cunctis actibus meliorem nullum reliquerit*, jam etiam in juventute radiis tam claris enituit, ut *Ottoni* spem de ipso maximam præberet. Ex periculo, quod ab hostibus esset, metus tantus ob juventutem Principis non erat. Vel ideo námque, quòd barbarorum vis tam formidabilis, contra verò Marchia Orientalis tam angusta tunc esset, facilè inferas, partes Marchionis non fuisse, ut suis ipse armis Limitem illum servaret, sed, ut hostibus fide ac vigilantia intenderet, inque finibus eorum Speculator Imperii staret, non contriturus hostes, attamen, si molirentur, denunciaturus. Cæterorum fuit, quorum vires & amplæ Provinciæ, junctis cum exercitibus obviam ire.

MANIODAR. Sed insistunt Anti-Aloldini: *Illustris* cognomen *Leopoldo* grandibus à gestis certò certiùs inditum fuisse: cum hoc verò non cohærere, si ab AN. 944. usque 979. otiosus totus, de recuperanda & proferenda Austria, de subigendo Mellicio, præcipuo hic loci barbarorum nido, nihil solicitus, etiam promoverit nihil. Uti & peregrinum penitus consimiliter videtur, si *Ottoni* I. Imp. tam dilectus, nihil unquam suppetiarum ab eo interea tulerit: maximè postquam decumanus Victor hic Cæsar, Ungaros ad Lycum tanta internecione delevit, ut juxta *Sigfridum* Præsbyterum, *ultra nec mutire sint ausi*, immo *non solum Regnum nostrum invadere non præsumerent, verùm etiam suum, desperatione correpti, vallis & sudibus in locis palustribus contra nostros munire cogitarent*, ut *Otto* Frisingensis fidem facit.

PRITOMERD. Nihil à *Sigfrido* & *Ottone* dissonat *Aloldus*, qui, qualiter Ungari à contritione sua ulteriùs invadere Germaniam exhorruerint, magis omnibus perspicuè docet: licèt addiderit, non propterea destitisse eosdem levioribûs excursibûs Marchiam Orientalem vexare. Hoc sævitiæ, & feritati barbaræ hujus Gentis tum adeò congruebat, ut aliter evenisse credi vix possit. Insuper verò nemini dubium est, Ungaros, etiam à clade sua, Austriæ Trans-Cetianæ, hodie scilicet inferiori ad lævum Danubii latus, & Mellicio, quàm diutissimè adhuc incubuisse. Fluit itaque, *Leopoldo* Terræ supra Cetium Custodi, sive ante, sive post internecionem crudissimi hujus populi, Campum Virtutis neutiquam defuisse: quamvis eum, extra velitationes minores, aperti Martis, quia grandium exercituum, copia destitueret. Ante igitur contritos barbaros, nisi pugnandô, vigilandô certè, ut laudat *Aloldus*, Imperii restituit rem: postea iterum iterúmque factis grassationibus multo cum animo, nec sine præconio & lucro, restitit, & occurrit. Cur *Otto* suppetias, Imperatore dignas, ei non tulerit, facilè intelliget,

liget, qui summi hujus Principis historiam legerit. Bella nempe tam intestina perduellium, quàm extra æmulorum, quibus undique implicitus erat, tantum negotii ferè perpetuò eidem facessebant, ut continere Ungaros, quàm ampliandæ provinciæ studio rursum irritare, consultius reputaret. Hæc ego multò securiùs dixero, Authoritate *Aloldi* subnixa, quàm Adversarii contraria jactent, sua tantùm opinione concepta.

MANIODAR. Salvum denuo efferes *Aloldum*, si *Burchardum* quem *Leopoldo* Jllustri post *Rutgerum* Pechlariensem Marchionis Orientalis in munere anteponunt, statione depellere Dialogo proximo poteris. *PRIIOMERD.* Audiam ex te, cùm tibi vacaverit, quomodo eis pro homine perorare libuerit.

DIALOGUS V.

Burchardus Marchi-Comes Orientalis ante LEOPOLDUM Jllustrem obtruditur, & hic Bavaricæ Stirpi intruditur.

MANIODAR. Hic *Aloldum* ex Diplomate *Ottonis* II. Imperatoris conveniunt, allegato apud *Hundium* Tom. I. p. 200. quo is Ann. 973. *Piligrino* Episcopo Pataviensi confirmavit Traditionem *Ludovici* Regis *Vinearum in Wachow in Comitatu reverendi Marchionis Burchardi.* Tractum *Wachoviensem* à Cremsio propè ad fines Austriæ Superioris excurrere, neminem ajunt latere, qui Austriam noverit. Quòd si jam iste *in Comitatu Burchardi* testimonio Regio constiterit, perspicuum fit, inferunt, *Burchardum* adhuc Ann. 973. fuisse Marchionem Austriæ inferioris. Immo ulteriùs quoque, cùm ut Marchi-Comes laudetur ab *Arnoldo de Vobburg* in Libr. de Miracul. S. Emerammi: item ab *Aventino* ex alio *Ottonis* III. Diplomate, ubi appellatur *Præfectus Pagi Bojorum, qui Osterriche vocatur.*

PRIIOMERD. Hæc *Aloldo* nihil obesse ut intelligas, probè te nôsse oportet, quod studiosè, atque prolixiùs in Fastis Dissert. Proleg. §. III. observavi. Oppidò nimirum olim se inter discreta fuisse *Marchiam, & Marchionatum Orientalem*, quæ tamen, in Scriptoribus æquè ac Chartis, infinities confusa, variis gravibúsque erroribus ansam præbuerunt. *Marchia* quippe *Orientalis* non alia erat, nisi *Provincia à superiori parte fluminis Anasi*, ut eam his ipsis vocibus clarissimè definit *Fridericus* I. Imperator in Diplomate pro Austria in Ducatum erecta de An. 1156. proinde vera olim pars, ac limes Bavariæ contra Orientem: cujus Præfecti & Marchiones à Ducibus Bavariæ, quando tales exstiterant, constituebantur. Austriæ verò Sub-

Ana-

Anasinæ proprium Nomen fuerat *Marchionatus Orientalis*, in quem Bavaris Ducibus nihil unquam propriæ & liberæ potestatis erat. Cùm ergò *Henrico Leoni* Saxoni, & *Henrico Jasomirgott* Austrio lis diuturna ac pertinacissima fuisset super Ducatum Bavariæ, & Marchiam: *Fridericus* Imp. eam sic diremit, ut Austrius Bavariam & Marchiam Supra-Anasinam, eò tunc attinentem resignaret: Saxo contrà, redditâ sibi Bavariâ, cedere Marchiam. Quo acto, ait Imperator, *Marchionatum Austriæ, & dictam Marchiam supra Anasum commutavimus in Ducatum &c.* Quæ profectò adeò clara atque perspicua sunt, ut in ullum dubium trahi à nemine possint.

MANIODAR. Hinc porro quid infers? *PRITOMERD.* Hoc certè, quod inde luculentissimè fluit, *Burchardum*, & quicunque alii ab aliis ut Marchicomites Orientales temporibus *Leopoldi Illustris* laudantur, non alios fuisse, nisi Comites limitaneos Bavariæ Orientalis, i. e. Provinciæ supra Anasum: quod ipsum proinde, nec aliud quidquam sonant verba illa, *Præfectus Pagi Bojorum, qui Osterricha vocatur.* Hoc enim vocabulum, ipsa ratione statim suggerente, & affirmante Cl. *Hier. Pezio*, idem est, ac *Ost-Reiche*, sive Plaga Orienti obversa: quocirca plurium Provinciarum extremæ in Ortum partes Orientales audiebant, uti Francia Orientalis, Misnia Orientalis, Lusatia Orientalis, Frisia Orientalis, quò & Osterlandia, Ostrogothia, Austrasia pertinuerunt.

MANIODAR. Quomodo ergò Vineæ *Wachovienses*, utique infra, non supra Anasum sitæ, *in Comitatu Burchardi* describi potuerant? *PRITOMERD.* Quemadmodum laudati Diplomatis verba, cujus tenor integer editus non exstat, non inferunt, quod aliunde credi haud potest, Episcopo Pataviensi universas Wachoviensis Districtus Vineas donatas fuisse, sed aliquas duntaxat earum: ita vero simillimum est, alias nonnullas, Anaso forsitan viciniores, attinuisse ad *Burchardum*: uti hodie adhuc exteri Principes plures, v. c. Archiepiscopus Salisburgensis, Episcopi Frisingensis ac Ratisbonensis, itémque Monasteria varia, nec non & alii Domini, intra Austriæ inferioris provinciam Bona vini feracia possident. Quæ Vineæ *Burchardi* dum essent Bona ipsius Allodialia, quod ajunt, Marchiæ ejus Bavaricæ supra-Anasinæ, licèt infra fluvium, propinquæ: Notarius Comitatum ejus illuc usque extendit, cùm in eandem Personam tam Præfectura Marchiæ Bavaricæ, quàm Allodium hujusmodi Vinearum convenisset. Et quia Vineæ, Episcopo donatæ, Vineis *Burchardi* cinctæ aut stipatæ fuisse videntur, situs earum *in Comitatu Burchardi* Marchionis descriptus fuit. Verba diplomatis curta nimis & succincta perspicuè non docent: si proinde Adversariis eorundem in-

interpretatio in favorem suæ Sententiæ liceat, & mihi eadem sic accipere & exponere par fuerit, ut nihil *Aloldo*, & *Leopoldo Jllustri* officiant. Nequaquam insolentius reputo, hac ratione, qua dixi, Vineas Wacchovienses *in Comitatu Burchardi*, licèt supra-Anasini duntaxat Marchionis, censas esse, ac fuerit, *Henricum Jasomirgott* se in Diplomate pro San-Petrensi Cœnobio Salisburgi de ann. 1150. scripsisse *Ducem Orientis*: Item in altero pro Seytenstetensibus de an. 1155. *Ducem Austriæ*: tametsi neutro adhuc istorum Annorum Austria Ducatus honore insignis esset. Adi Cl. *Hier. Pez.* Tom. I. Dissert. II. Præm. §. XX. simúlque adverte causam hujus rei ibidem rectè subjectam, & tanquam quæ dubio vacet, nimirum: *Quod Marchionatus Austriæ cum dignitate Ducatus Bavariæ in uno eodémque Principe conjunctus esset.*

MANIODAR. Multum tibi fiduciæ sumis: vereor autem, *Aloldi* Criticos omnino tueri velle, *Burchardum* verè Comitem Austriæ inferioris fuisse. *PRITOMER.* Necdum ego omnia dixi. Sedulò iterum admonui in Propyleo Fastor. Elog. III. de *Adalberto* March. §. II. n. 15. probè similiter distinguendos esse *Marchiones Austriæ*, & *Marchiones in Austria.* Non enim continuò, dum quis à Rege, vel Imperatore, Marchiæ cuidam præponebatur, ejusdem Dominus erat, omnémque eam potestate sua continuit. Remansit Provincia in jure Regis, qui portiones ejus, magnas, parvas, pro libitu in varios distribuit, si ferret latitudo Provinciæ, Comites etiam plures in eadem constituendo, sive permittendo, si essent, qui inibi Allodialibus amplis pollerent: quorum tamen dignitate primus Marchi-Comes erat. Sic in Austria potentissimi Comites fuêre, *de Plaien*, *de Schalah* & *Peccah*, *de Trasma*: quibus prostremis Cl. *Hansizius* etiam *Burchardum* accensendum existimavit, cùm fuerit Advocatus Ratisbonensis, quod elogium Comites *de Trasma* perpetuò præferebant. Nisi plures in Austria Comites exstitissent, videtur certè, in Chartis Regum satis futurum fuisse, si dictum esset, *in Pago Osterriche*, *in Plaga vel Marcha Orientali*, nec opus erat adjicere, *in Comitatu Liupoldi*, *Henrici*, *Adalberti Marchionis*. E quibus omnibus ritè collatis (ut sanè, qui veteribus in rebus pronunciare aliquid vult, veterem Provinciæ statum non obiter inspexisse, aut ex more hujus duntaxat ævi arbitrari debuit) omnino colligo, ac infero, *Burchardum*, quamvis *Leopoldo Jllustri* convixerit, ejus tamen rationes & calculum nihil turbare: Vel, quia solius Bavariæ Orientalis, i. e. Provinciæ Supra-Anasinæ Marchi-Comes erat: aut, si infra Anasum quoque Allodialem Comitatum possederit, non tamen, ut *Marchio Austriæ inferioris* Limitaneus, sed ut *Marchio in Austria* Inquilinus respici

ſpici debet. Ampliùs rem iſtam in Faſtis c.l. illuſtratam, & exemplîs demonſtratam, legere licebit.

MANIODAR. Inexſpectata obſervaſti: ſi modò in ea tecum omnes conſenſerint. *PRITOMERD.* Conſenſuros puto, quicunque Rationi deferunt, quibus porro diſceptare condictum eſt, ac glorioſum videtur, facilè utique reperient, quod in ſpeciem opponant. Cui autem commodo Veritatis, cujus unius causâ quærere oporteret, hæ tricæ rotundæ, perpetuum in orbem currentes?

MANIODAR. Ego, ne coram te in hac parte quidquam diſſimulem, ſuggerere tibi adhuc debeo, Adverſarios interea, dum *Burchardum* ad usque *Ottonis* III. tempora Marchicomitem ſtatuunt Orientalem, *Leopoldum*, qui ei demum ſucceſſerit, in Bojaria quærere, ibique eidem Bona, quæ poſſederit, aſſignare: in Pagis videlicet, quod Veteres dixerunt, *Donagaw*, & *Schweinachgaw*, quæ ſita erant intra Danubium & Reganum, Ratisbonam inter atque Straubingam. Ibi námque variis in Diplomatibus *Ottonum* deſcribitur Comitatus *Liutpoldi*, ſubinde & *Adalberti* Marchionis, apud Chronicon *Gottwicenſe* Libr. IV. de Pagis German. Per id porro tempus de nullo alio *Leopoldo* inter Comites conſtare ajunt, niſi eo, qui *Burchardum* poſtea in Marchia Orientali ſervanda, eorum opinione, exceperat. Hæc Bona dictis in Pagis intelligi putant nomine Beneficiorum, quando *Fridericus* I. Imp. in Literis Auſtriæ Ducalis Feudalibus pro *Henrico Jaſomirgott* primo Duce ſcribebat: *Dux autem Bavariæ reſignavit nobis Marchiam Auſtriæ cum omni jure ſuo, & cum omnibus Beneficiis, quæ quondam Marchio* Luipoldus *habebat à Ducatu Bavariæ.* Huc pariter trahunt Poſſeſſiones illas, quas *Fridericus* Imp. ab *Henrico* novo Auſtriæ Duce ſibi reſignatas, commutatione cum eo facta, Monaſterio Windbergenſi, quod in Epiſcopatu Ratisbonenſi eſt, contradidit, vi Chartæ Regiæ apud *Bern. Pez.* Cod. Diplomat. Epiſtolar. Part. I. p. 417. exiſtentis.

PRITOMERD. Trahunt huc iſta: ſed quid, amabo, per hæc incertiſſima, obſcuriſſima, ipſi merè conjicientes, provehunt atque promovent in Sententia ſua? Talia valeant adverſus *Aloldi* planiſſimam *Leopoldi Jlluſtris* Geneſin, atque Hiſtoriam? Puto certè, ex Legibus Criſeos Hiſtoricæ neutiquam eſſe, rapere quælibet Nomina æqualia è Diplomatibus, nullîs adjectîs veſtita, per quæ certam ad perſonam reſtringantur, & ex his Scriptorem domeſticum, perſpicuum, coninnum, undique ſibi conſtantem, nimiô certè animô, falſi poſtulare? Copia fortè Allegationum palmam

rapiat? Sed hujusmodi, quousque ex iis arbitraria interpretatione, citra tutam ullam Authoritatem, merè conjicitur, si fortè obruantur, & terreantur ignari, vel etiam docti nonnulli, quibus tamen causæ examen per se suscipere non vacat; prudentes profectò, & in argumento probè versati, non magis inde moventur, ac si pueri utráque volâ in mutum arenam excutiant.

MANIODAR. Cave, hîc tu animi tui sententiam apertiùs promas, quam velint multi, ac ferant. Aliquid sanè ex allatis posse exsculpi, in rem aptum, sibi persuadent. *PRITOMERD.* Res tota in eo est, ut *Leopoldum Illustrem* Stirpi Bavaricæ inserant: quæ nimirum Cunæ ante omnes visæ sunt splendidæ satis, ac dignæ Serenissimæ Domui Babenbergico-Austracæ: dum contrà *Adalbertus* decollatus per supplicium capitis, quod subiit, per proscriptionem, & publicationem bonorum, prostratus totus, omníque honore dejectus appareret. Solemne hoc Genalogis, ut Stirpibus, quàm possint, illustrissima, immo Augusta, simúlque vetustissima initia quærant, & maximè talia, quæ amplissimis præterea Juribus turgida sint. Non placet illis flumen pro fonte, quod origine rivus erat: ad mare currunt, quod initio fluvios fundit. Unde non veriti sunt, veteres Austriæ Marchiones Boicæ Prosapiæ Lineam juniorem constituere, cui Babenbergicæ nomen, non origo ex *Adalberto Babenbergico*, sed Bona quæpiam circa *Babenberg* fecerint. Qua certè subtili, eáque novissima adinventione singulares quidem se, non item veraciores ostenderunt.

MANIODAR. Parce, si dicam, demonstratione, non explosione, hìc opus esse. *PRITOMERD.* Sciscitor ergo: unde Argumenta Originis Boicæ? Ex curtibus, ex Mansis rusticis in Pagis *Donagaw* ac *Schweinachgaw*, possessis à *Leopoldo*? Quasi verò, esto, hujusmodi possedisset, Nobiles olim Personæ diversis in partibus, immo provinciis, nihil bonorum jure Uxorio, hæreditate, emtione, aliísque titulis acquisivissent, sed omnia talia mera bona avita, quæ stemma demonstrent, fuissent. Quis Pater *Leopoldi* Bavari? totum adhæret: nisi *Aventinum* XV.ti Seculi hominem sequentes, *Eberhardum*, Filium *Arnoldi* Mali, ejusdem Parentem jactent, quin constet, an sui scipionis unius unici consilium secuti sint, dum admonuit: *Ita ego apud quosdam lego. Verùm quod ad imagines Majorum spectat, diligentiùs inquirendum censeo. Quod ego accipio, transcribo: non tamen omnia certò scio.* Appellant hæc ejus dicta super Patrem, Avum, & Abavum *Leopoldi Illustris*, quos hoc loco, nimirum Annal. V. Cap. ij. §. 12. p. m. 476. *Aventinus* recensuit, & propter hos monuit, non propter alios Majores longiùs remotos. Ubi deinde apud Marchiones Ducésque

que Babenbergicos Insignium Boicorum, quæ Stemma edocerent, aut Leonis Palatini, aut Rhomborum ullum vestigium? Aquilam Sigilla Marchionum primorum omnia constantissimè redhibent, qualis & apud Monasterium Terassense in Lapide Sepulchrali *Adalberti* decollati conspicitur, juxta Cl. *Hier. Pezii* relationem Differt. V. Proleg. §. xij. p. xcij. Cùm igitur nihil sit in omni Antiquitate, quod *Leopoldum* Jllustrem Origine Boica fuisse solidè doceat, inane est Argumentum, aut conjectura magis, ex Beneficiis, quæ is à Ducatu Bavariæ habuisse, in *Friderici* I. Imp. feudalibus Literis pro *Henrico* primo Austriæ Duce commemoratur. Quibus demum Beneficiis renunciârit *Henricus* Leo Saxonicus, redditâ sibi Bavariâ, luculentè exponit idem Imperator in Privilegio pro Austria, eodem die cum Literis Feudalibus dato, inquiens: *Prædictus verò Dux Saxoniæ cessit, & renunciavit omni Juri, & Actioni, quas habebat ad dictam Marchiam, videl. a superiori parte fluminis Anasi, cum omnibus suis juribus & Beneficiis.* Habebant námque Marchiones Austriæ etiam supra Anasum Possessiones quasdam, ut fieri solet, non Muneris & Præfecturæ suæ jure, sed feudi Bavarici beneficio. Tales pariter fuisse censendum est, quas, facta cum *Henrico* Austriaco commutatione, Imperator Cœnobio Windbergensi addixit.

MANIODAR. Evolvis omnia, salva nihilominus *Aloldi* fide, quod placet. Bonum factum, si idem deinceps quoque præstiteris, dum rursum, quod adhuc in pera habent Anti-Aloldini, tibi exposuero. *PRIIOMERD.* Spero me non magno negotio æquè præstiturum.

DIALOGUS VI.

LEOPOLDO Jllustri affinguntur Filii Ernustus, & Adalbertus.

MANIODAR. Fortes *Aloldo* Adversarios Critici ejus opponunt, ad Ann. 961. scribenti: „*Leopoldum*, cùm hactenùs absque superviventibus Liberis fuisset, „hoc tandem Anno ex Conjuge *Richarda* obtinuisse Filium „*Henricum.*„ Quia námque nec postea alium ei Filium tribuit, præterquam *Popponem*, censetur meritò, nullos alios agnovisse. At verò *Ditmarus* Præsul Merseburgensis, planè sinchronus, & Scriptor omnium opinione gravissimus, tertium ei Filium assignat *Ernestum* Sueviæ Ducem, ubi Chronicor. Libr. VI. referens, *Henricum* II. Imperatorem à Longobardis, Regem suum

suum *Hartewicum* aversantibus, imploratum, eisdem auxilia direxisse, infit: ,Horum necessitati ad succurrendum *Otto* , Carentanorum Dux & Veronensium Comes, cum *Heriberti* , Comitis Filio *Ottone*, & Arnesto, Luipoldi Marchionis , Filio, cum aliis paucis, ob spem auxilii majoris ab Italis , promissi, à Rege dirigitur., Mortem deinde ejusdem *Ernesti* recensens, rursum ait: ,Mox de luce hac II. Cal. Junii discessit, , sepultus in Wirzeburg juxta Patrem suum Marchionem , Luipoldum, ut ipse rogavit., Addunt *Ottonem* Frisingensem, grande iterum inter Eruditos Nomen, maximè in rebus Babenbergicis sui Generis habentem, per quem non *Ernestus* modò, verùm etiam *Adalbertus* Marchio, *Leopoldi* Filii fuerunt. Scribit enim Libr VI. Cap. 28. de *Gysla* Nepte *Henrici* II. Imperatoris: ,Hæc primùm *Ernusto* Duci Suevorum, *Fra-* , *tri Adalberti Superioris Panoniæ Marchionis*, nupta fuit &c., Idem ad hæc eodem Libr. VI. Cap. 32. denuo testatur: ,Jllu- , strissimus *Adalberti* Marchionis Filius *Leopoldus* (quem vide- , licet *Fortem Militem* dixerunt) à *Patruo suo Poppone* Treviro- , rum Archiepiscopo in Urbe Trevirensi sepelitur., Si Filius *Adalberti* habuit Patruum *Popponem*, Leopoldi Jllustris Filium, certè Pater ejus *Adalbertus* fuit Frater *Popponis*. In consortium adsciscunt *Biographum* S. Colomanni *Pezianum*, narrantem: , Trevirorum Archiepiscopus *Poppo*, *Marchionis Frater*, ab , Hierosolyma rediens, venit in Regnum ejus, nimirum Petri , Ungariæ Regis., Hujus autem tempore Marchio Austriæ fuit *Adalbertus*: ejus proinde Frater exstitit *Poppo*. Ex quibus omnibus fluit, *Leopoldo Jllustri* quatuor Filios fuisse, *Henricum*, *Adalbertum*, *Popponem*, *Ernestum*: præterquam quod aliunde peregrinum foret, *Leopoldum* 40. propè Annis absque Liberis adultis perstitisse.

PRITOMERD. Novi omnino, *Ditmari* Chronica tanquam sui quodammodo Ævi Thesaurum vulgò apud Orbem doctum haberi, plurimísque post eum scribentibus fontem se uberem, unde liberaliter haurirent, præbuisse. Opinionem ei conciliant, ævum rebus à se traditis æquale, aut suppar, peritia atque notitia proba Gestorum, quæ narrat, candor denique, quem præferre videtur, neque sua, neque suorum vitia tacens. Sed hæc ultra communem hominum conditionem eum non extulerunt, qua fit, ut plurimis rebus distracti, non pari ad singula sint attentione, sæpéque labantur, ac fallant nolentes. Errores porro hujusmodi tanto majore Veritatis historicæ periculo fiunt, quantò celebriori sunt fama, qui errant. Vix enim infinitos inter homines, qui ad studia desides, ratione non cogitant, sed Authoritate duntaxat abripi se sinunt, frequentius aliquid est, quamvis & nocivius nihil, ac plena erroris opinio, eum,

eum, qui multa bene ſcripſit, in omnibus verum eſſe. Inde pertinax ad unum adhæſio, lites de rebus æternæ, errorum plurimorum per ſecula præſcriptio. Quàm ſit obſcurus *Ditmarus*, ipſa dictione ſua perſpicuitatem tollente, quantóque obſcurior ad nos pervenerit, tametſi *Reſtitutus* prædicetur, Viri docti palàm fatentur, adeò, ut multa in eo, absque aliorum Scriptorum luce adhibita, vel penitus non, aut perperam planè intelligerentur: quo ipſo ſatis tandem etiam animadverſum eſt, nequaquam eum, ut noſtris in manibus eſt, fortè multa per Librarios paſſum, immunem errorum fuiſſe, ſed ex aliis neceſſariò emendari debere.

MANIODAR. Quorſum iſta Vir bone, quibûs necdum objectorum quidpiam diſſolviſti? Velis forſitan, ut illico credant Anti-Aloldini, falſum eſſe *Ditmarum* circa *Erneſtum* Filium *Leopoldi*, quem tamen clariſſimè adſtruit, obſcuritate omni remota? Hoc tam ultro ſanè tibi non tribuent. *PRITOMERD.* Amovenda ſunt præjudicia, ut Veritati ſit locus. Mihi certè tanta Religio non eſt, ut hac in parte graviſſimæ ante *Aloldum* caliginis circa Originem Babenbergicam *Ditmarum* unum, quaſi Stellam lucidiſſimam adorem, tametſi ex illo petitum ſit, quidquid alii de *Leopoldo Illuſtri* ad poſteros propagârunt, pluriúmque calamô unus ipſe ferè perpetuò loquatur. Patrem Principis hujus non auſus eſt, vel non potuit prodere, in aſſignando eidem Filio tantò liberior.

MANIODAR. Probam *Leopoldi*, cui convixit, veroſimilimè etiam de facie ſibi cogniti notitiam eum habuiſſe, ſatis utique patet ex narratione Mortis ejus, quæ Wirciburgi accidit, & Elogio, quod eidem vita functo præclarè accinuit. *PRITOMERD.* Ut largiar iſta, contrà certiſſimè erravit, ubi, dudum notante Cl. *Hier. Pezio*, eodem in loco, quo mortem *Leopoldi* recenſuit, nimirum Libr. IV. *Henricum* vocavit illius *Nepotem*, cùm *Otto* III. Imp. in Diplomate pro Eccleſia Friſingenſi de Ann. 996. quod integrum exſtat Hiſtor. Friſing. Part. I. p. 193. diſertè ſcripſerit: *Quasdam juris noſtri res in regione, vulgari vocabulo Oſterricbi, in Marcba, & in Comitatu* Heinrici *Comitis*, *Filii Liutpaldi Marchionis: in Loco Niuvanbova dicto*, quas Eccleſiæ Friſingenſi ſub *Koteſcalbo* Epiſcopo tradidit. Non unus hic error, aut veriùs memoriæ circa Nomina lapſus eſt, cujus eum Eruditi revincunt. Noſtro in argumento ut maneam, alii de *Erneſto* aliter certè legerunt. *Adelboldus* Epiſcopus Trajectenſis, non minùs coævus, ac ipſe *Ditmarus*, in Vita *Henrici* II. Imperatoris, cui familiaris erat, & qua præcipuè Res ad Imperium attinentes complexus eſt, apud *Leibnit.* Scriptor.

ptor. Brunsw. Tom. I. p. 434. n. 16. *Ernustum*, ab hoc Cæsare in Italiam submissum, *Thietboldi* Marchionis Itali, Cæsarique fidelissimi, Filium scribit, non verò *Liupoldi* Marchionis Orientalis: neque aliter in eadem Vita legitur apud *Ludewig* Scriptor. German. Tom. I. col. 799. *Suntheimius* & *Arenpeckius* apud *Pez.* tradunt, *Ernustum* hunc Suevum fuisse *Leopoldi Illustris* Nepotem ex Filio *Henrico.* Rursum *Lazius* de Migrat. Libr. VIII. p. m. 419. fonte quidem, unde id hauserit, pro more omisso, *Ernusti* Patrem constituit *Berchtoldum*, Fratrem *Leopoldi Illustris*: quibus ambobus *Eberhardum* Bavarum Parentem assignat. Cùm deinde *Otto* Frisingensis, de quo Præsule, ut se habuerit in suæ Prosapiæ Rebus, *Dial.* I. jam dictum est, retulerit, *Gyslam* Neptem *Henrici* II. Imperatoris, priusquam *Conrado*, postea imperanti nupta fuisset, primùm *Ernusti* Suevorum Ducis, Fratris *Adalberti* Superioris Panoniæ Marchionis, in thoro demoratam, geminos ei Filios peperisse: contrà *Godefridus* Viterbiensis apud *Pistor.* Tom. II. ad Ann. 1020. col. 331. eidem Dominæ *Arnulfum* Sueviæ ducem Conjugem Tribuit, qui ei *Hernestum* & *Hermannum* Filios genuerit. Confer hæc omnia, & vide dissensum, vide dubia, vide caliginem. Nunquid *Aloldus* domesticus, concinnus, perspicuus, in argumento proprio ante omnes dissonos testes rectissimè audiendus censeatur?

MANIODAR. Jam industriè egisti, nihilque nunc tibi negotii facesset, quod ulteriùs addunt, videlicet, neque id è vero esse, quod *Aloldus* ad Ann. 996. docuit, *Henricum* nempe Marchionem Ossa *Liupoldi* Patris, Wirceburgo translata, in Ecclesia Medelik sepeliisse. Hac enim ratione fieri non potuisse, út *Ernustus*, de quo hactenus, Ann. 1015. defunctus, Wirceburgi juxta Patrem, Asserto *Ditmari*, sepultus fuerit. *PRITOMERD.* Quamvis non repugnaret utriusque juxta se quies Wirceburgensis, cùm sine dubio *Leopoldi Illustris*, qui translationem suam Filio demandavit, carnes & viscera, ex barbaro more seculi illius ab Ossibus divisa, Wirceburgi remanserint: & licèt præterea acciderit fortè, *Ernustum* Ducem eodem in loco, quasi digniori, Herbipoli depositum fuisse, ubi *Leopoldi* exta cubabant, aut votô etiam *Ernesti* proprio ita factum sit, ob amicitiam, in vita mutuò cultam: in Parentela tamen errâsse *Ditmarum*, atque hoc posteriore in loco errorem, qui ei primùm obrepserat, necdum advertisse, & emendâsse, è dictis anterioribus liquet.

MANIODAR. Finiamus hodie, spatiúmque cogitandi volentibus demus. Residua aliàs. *PRITOMERD.* Omnino prudenter secum cogitare oportet, ut Veritas reperiatur: quam assequi illi non possunt, qui jam in *Ditmarum*, vel alium quempiam, ita jurârunt, ut accipere, quod ille non fatetur,

tur, undique nolint. Ego *Aloldum* nequaquam ut idolum statuo, cui thure ab omnibus litari velim: ex omnibus tamen adductis necdum persuasum esse mihi profiteor, ab ejus, tanquam domestici, auctoritate, nisi graviora supervenerint, recedere.

DIALOGUS VII.

Impugnatur ALOLDUS ex Profectione Popponis Jerosolymitana.

MANIODAR. PEr *Aloldum* an. 1016. è Palestina rediens *Poppo* Trevirensis Præsul, à Rege Ungariæ *Stephano* tamdiu precibus fatigatus fuit, donec polliceretur, se supplicaturum Fratri suo *Heinrico* Marchioni, ut sanctum Colomanni Corpus Regi cederet. Atqui, ajunt, quî potuit *Poppo* anno 1016. redire è Palestina, cùm constet ex Actis Trevirensibus apud *Lucam d'Acherium*, itémque *Leibnitium* in Accessionib. Historic. eum, nisi hoc eodem anno, summúm postremîs demùm diebûs añi prioris 1015. hoc ad fastigium accessisse. Item, eum, ob exturbatas è Cœnobio quodam Sacras Virgines conscientiâ ductum, adiisse Terram Sanctam, abfuisse peregrè tribus annis, tum unacum B. Simeone rediisse, qui Treviris reclusus, septimô postea annô, videl. 1035. defunctus est: ex quo consequitur, reditum *Popponis* anno demum 1028. factum esse.

PRITOMERD. Pereruditus Vir P. *Godefridus Deppisch* Mellicensis in Actis vernaculis S. Colomanni nuper editis Cap. 13. hanc ipsam Rem pertractans, adducit *Ekkehardi*, Abbatis Benedictini in Aurach Franconiæ, insignem Chronicam, 1126. confectam, quam Cl. olim *Bernard. Pezius* Parisiis in Bibliotheca Regia calamo proprio excepit, necdum editam, & ad ann. 1014. ita habentem. „*Symeon* Mo„nachus de Monte Sina hoc tempore claruit: qui Jerosolymam ve„niens, longam peregrinationem suscepit, & cum *Poppone Treviren„si Archiepiscopo* ad Gallias perveniens, Treviris in altitudine Tur„ris inclusus, post multas hominum tribulationes, post dæmonum „tentationes, beato illic fine quievit: cujus Merita frequens Mira„culorum gratia declaravit.„ Multa hìc quidem, ut mos est Chronicorum, sub uno narrantur, quæ in annum unicum non cadunt, Claritas videl. *Simeonis*, Jerosolymarum Accessus, Reditus cum *Poppone*, Reclusio ejus, Mors beata Treviris obita, frequens Miraculorum Gratia. Cùm nescias tamen, quid hic Scriptor ex his alligare voluerit anno 1014. quo præsentia descripsit: existimare in cæteris certè etiam licet, Adventum in Gallias, aut Trevirim, præcipuum fuisse, quod in

hunc & proximos annos retulerit. Quo pacto faveret sanè *Aloldo*, per se præ aliis attendendo, quia Res D. Colomanni, sui atque domestici Argumenti fuêre. *Popponem* ab ipso appellatum fuisse Archiepiscopum Trevirensem, qualis nondum forsitan erat, fidem ei non abrogat, cùm Scriptionem primùm cœperit triennio ante obitum *Popponis*. Unde morem Scriptorum secutus est, qui apud eos, quorum Acta peculiaria solùm ex occasione recensent, Nomina Dignitatum, quas postea consecuti sunt, frequenter anteoccupant, præcipuè dum plures par Nomen gesserunt, ut lectori, de quo sermo esset, securiùs constaret. Quod idem & *Ekkehardus* laudatus in mox descripto §. fecit: qui, si profectionem ac Reditum Anno à se notato, ac proximè consequentibus, alligare voluit, Accessum ad Palestinam Anno 1014. Adventum inde in Gallias Anno 1016. tribuisse censendus est, eundem cum *Aloldo* calculum subducens.

MANIODAR. Non te hìc audient Anti-Aloldini levem nimis Conjectorem, cùm nulla ratione, vel Authoritate solidiore, ac firmiore nitaris. *PRITOMERD.* Nitar autem: ausculta. Poli quodammodo gemini opponentium sunt annus 1028. quo Treviris à *Poppone* Archiepiscopo Reclusum volunt B. *Simeonem*, & Annus 1035. quo, post exactum ibidem Septennium, in Domino quievit. Posterior Mortis annus in Actis SS.orum Antuerpiens. ad 1.mum diem Junii disertè descriptus est in Vita Sancti, per *Eberwinum* S. Martini Abbatem Treviri, qui B. *Simeoni* familiaris convixit, exarata. Septennium verò Commorationis ejus in Reclusione, eadem in Vita non legitur, sed in Actis duntaxat Elevationis ejus de Anno 1400. Annus Adventus cum Archiepiscopo neutrolibet reperitur. Affirmat quidem *Papebrochius* not. a. ad Cap. III. Vitæ, indicari annum 1028. in Vita *Popponis* Archipræsulis ibi non edita: quæ tamen Acta ipse postea §. II. de Elevat. Venerab. P*opponis neque tam antiqua, neque tam singularia esse* ait, ut adjungi ad fidem cultus faciendam promererentur. Legerunt hanc Vitam citra dubium etiam docti Benedictini Mauriani, *Martene* atque *Durandus*: nihilosecius in Collect. ampliss. Scriptor. Veter. Tom. IV. ubi Acta Trevirensium Archiepiscoporum ex optimis MSS. collegerunt, col. 165. sq. Profectionem *Popponis* in Palestinam tractantes, certum ejusdem Annum decernere nulla ratione potuerunt. Quam incertitudinem ampliùs intricat Epistola P*opponis* ad *Benedictum* Papam IX.num epocha carens, qui Pontifex à fine Anni 1033. usque 1044. sedit. Initium Epistolæ est: „Superiore Anno, cùm an-„nuente Venerandæ memoriæ Domno Joanne, in hac Sede „Apostolica Prædecessore vestro, amore Visionis Sepulchri

DEI

„DEI Hominis JESU Christi Jerusalem profectus, peregrè „fuissem, in Regione nostra pravorum hominum supercrevit „iniquitas &c.„ Auxilium deinde & Remedia contra persecutores Ecclesiæ suæ implorat. Quamvis porro *Browerus* in Annal. Trevirensibus, ubi omnia accommodat, ut profectionem *Popponis* in ann. 1026. figat, locò vocum *Superiore anno* substituerit has alias *Superiori tempore*: novam tamen horum Annalium Editionem cum Notis prolixis curans P. *Jacobus Masenius*, ad Marginem disertè restituit repertas in MS. voces: *Superiore anno*: quas etiam Collectores *Mauriani* retinuerunt. Ex his porro verbis omnino fluere videtur, hanc Epistolam, licèt Æram non habeat, primô tamen *Benedicti* Papæ annô, qui cœperat ann. 1033. & complebatur an. 1034. exaratam fuisse, *Popponem* autem nonnisi postremîs *Joannis* Papæ annis Jerosolymis fuissè.

MANIODAR. Nunquid hoc denuo merè conjicitur. *PRITOMERD.* Assentior. Certum tamen fit ex omnibus, quæ dixi, neminem tutò asserere, quod Anti-Aloldini faciunt, Reditum *Popponis* ex Jerosolymis non alio anno, quàm 1028. evenisse, ac proinde *Aloldum* totum falsum esse, dum illum jam ann. 1016. anteoccupavit. Epocha per alios in dubio est, & neutiquam explorata, quod satis remonstravi: ergò stat apud me pro *Aloldo* coævo, in argumento, ea parte, qua S. Colomanni historiam respicit, sibi domestico, præsumtio Veritatis, donec Adversarii contrarium tutò invictéque testentur. Authoritas ejus mihi tanta est, ut, cùm hactenus nullibi erroris manifestè revictus fuerit, diffiteri etiam nolim, si aliter hæc difficultas complanari non possit, *Popponem* semel, ac iterum accessisse Palestinam, primùm necdum Præsulem, causâ meræ devotionis, iterum deinde compunctum propter expulsas Moniales pœnitentiæ studio.

MANIODAR. Eximiè audes, Amice; vide, quomodo exeas. *PRITOMERD.* Quamdiu Critici certis Fundamentîs adversùm non agunt, & mihi libertas est, non certissima opinandi. Cæterùm hìc addere libet ex occasione, *Popponem* Archiepiscopum, qui B. *Simeonem* Treviros adduxit, reclusit, eúmque in Album SS.orum inferri procuravit, Templum eidem struxit, & ad pedes ejus contumulari se voluit, olim Beati aut planè Sancti elogium, Vitæ ejusdem præfixum, tulisse: elevatus an. 1517. agente *Maximiliano* I. Imperatore, incorruptus repertus est. Videantur Acta SS.orum Antuerp. die 1. Junii p. 104. item inter prætermissos die 16. Junii.

DIALOGUS VIII.

Impetitur ALOLDUS, quòd *Adalberto* Marchioni Conjugem det *Alheidem*, quæ fuerat *Froiza.*

MANIODAR. DUm *Aloldus* ad ann. 1018. Marchionem *Heinricum* ſubitò obiiſſe ſcribit III. Non. Decembr. & Filio, quem unum habuit, *Adalberto* Marchiam dimiſiſſe: adverſus utrumque obſtrepunt Adverſarii, ajúntque, Necrologia, *Mellicenſe*, & *Cl. Neoburgenſe*, conſignare IX. Calend. Julii, adſtipulante ferè *Ditmaro*, qui eum obiiſſe ſcribit *poſt Pentecoſten tranſactis paucis diebûs ad VIII. Cal.* Junii, vel Julii. *Henricum* porro non fuiſſe Patrem, ſed Fratrem *Adalberti* Marchionis, clarere dicunt ex objectis *Dial.* VI.

PRITOMERD. Necrologia coæva non ſunt: quia *Mellicenſe* ſcribi cæptum Seculo XII.mo, teſte Cl. Editore: *Neoburgenſe* ex priori tranſcriptum quantum ad ea, quæ fundationem Canoniæ hujus anteceſſerunt. *Ditmarus* remotus erat, ad quem facilè rumor prævius ex morbo mortem præeunte antevolare poterat, quod adeò peregrinum non eſt. *Henrieum Leopoldi* Jlluſtris Filium fuiſſe, non verò *Nepotem*, quod falsò *Ditmarus* tradidit, ſuprà revictum eſt.

MANIODAR. Dum hæc adeò parum te morari videntur, hærere te certè oportebit ad id, quod ſequitur. Nempe referente *Aloldo*, Ann. 1021. *Adalbertum* Marchionem Nuptias feciſſe cum *Albaide*, quæ fuit Filia *Guilelmi* Comitis Pictavienſis, & *Geiſelæ* Sororis *Stephani*, primi Regis Hungariæ: item Ann. 1055. mortuam eandem teſtatur: Adverſarii illum fundamento diplomatico in hac parte funditus convellere ſibi perſuadent. Adducunt quippe ex celeberrimi Chronici *Gottwicenſis* Libr. II. p. 263. bina Diplomata *Henrici* III. Imperatoris de annis 1048. & 1051. In quorum primo legas: *Noverint - - - qualiter Nos - - - Marchioni Adalberto, & Conjugi ſuæ Froile* (aut *Froize*) *de noſtro predio xxx. jugales Manſos &c.* In altero: *Noverint - - - qualiter Nos - - - ob devotum Servitium Adelberti Marchionis eidem Marchioni Adelberto, Uxorique ſuæ Froile Manſos Graſenberch, & circa eundem Locum ſumendos &c.* Prima Charta Regia Ulmæ, altera Ratisbonæ ſupradictis Annis emanavit. Perſpicua hìc omnia: ambo inſuper diplomata ex Autographo ſumta, cùm inde Specimen Chartarum *Henricianarum*,

narum, æri incisum, Rever.^mum D. Abbas *Gottwicensis* Orbi proposuerit. Quale, obsecro, scutum adversum hæc *Aloldo* quæcunque sagacitas tua obtendet?

PRITOMERD. Acutissima omnium, quæ hactenus excusserunt Adversarii, hæc tela videri possint, immo ineluctabilia, apud eos præprimis, quibus vis tota historicæ Veritatis in Chartis residere persuasum est. Allegavit jam hæc Diplomata Jllustr. D. *de Ludewig* in Diplomatario Miscello ex Tabulario Austriaco, iisque usus est D. *Joann. Guilelm. Hoffmannus* in Dissert. Genalog. Histor, Stemma Babenbergico-Austriacum emendatum atque illustratum sistente. Addo ego, quod à te omissum, in Chronico *Gottwicensi* tertium adhuc Diploma deinceps edendum promitti Libr. II. p. 297. ab eodem Imperatore *Henrico* III. ann. 1058. Cal. Octobr. *Froilæ* Viduæ *Adalberti* Marchionis indultum. Sed non semper triumphus ita penes Diplomata est, prudentum judicio, ut Scriptor coævus, alioquin probatus, iisque conditionibus affectus, quibus gravis verúsque meritò præsumatur, eis continuò herbam porrigere debeat. Conciliatio quærenda est interpretatione commoda verborum, aut sensuum: vel si fieri hoc nequeat, error quantumlibet crassus Notariorum fatendus. Si neque hic satis remonstrari valeat, non raro Chartæ ipsæ Authentiâ sua apud eruditos laborare consueverunt. Nihil hìc pecco in Sacra Diplomatica, cùm hæc ipsa, quæ dixi, ex Diplomaticæ Rei summis Præceptoribus, Magno *Mabillonio*, & Rever.^mo Dño Abbate *Gottwicensi* didicerim. Cui accedit, proborum Scriptorum Authoritatem non minoris, quin paris, nisi majoris fidei censeri, quàm testimonium Diplomatum: eò, quod examen Crisísque Scriptorum expeditiùs longè, quàm Diplomatum fiat. *Huetium* audi Episcopum Abrincensem in Demonstrat. Evangel. inter axiomata p. 21. Ita ille. „Nec enim est tutior publicarum Ta„bularum, aut domesticorum Instrumentorum Authoritas, „quàm Historiæ. Immo etiam infirmior. Illorum enim cu„stodes sunt pauci homines, & obscuri: hujus verò universus „Orbis.„ Qua fide & integritate sint Instrumenta atque Diplomata, illis unis credere oportet, qui eadem se inspexisse testantur, cùm in manus hominum Autographa, maximè extra forum, non veniant, carcere tabulariorum inclusa. Quo commate sit Scriptor in publicum editus, Lectoribus omnibus decernere licet.

MANIODAR. Propius ad rem te accedere velim: Diplomata quippe falsi postulare, uti res invidiæ plena, & ægrè à temeritate excusanda, ita, dum absque solidis rationibus fit, inaniter subterfugere est. *PRITOMERD.* Rectè habes: minùs tamen versatis, aut sedulis, præjudicia, vel certè

tè terrorem eximere necessè est, ne Veritas excludatur: animus enim, qui nimium cohorrescit, consilii inops est, nihilque præsidii reliquum putat. In acie præsenti stant Scriptores Austriaci, Chronographus *Mellicensis*, & *Necrologium* ibidem, Annalista *Neoburgensis*, cum Tabulis *Sundhemianis*, *Arenpeckius*, & *Haselbachius*: quibus omnibus nunc Ducem agit *Aloldus*. Hi omnes *Froizam*, aut *Fruwizam*, ut ipsi scribunt, neutiquam ignorantes, eam tamen *Leopoldi* Fortis Militis, Filii *Adalberti*, Conjugem prædicant, Patri verò uno calamo *Albaidem* Uxorem tribuentes. Ut fortè causetur quispiam, Scriptores *Pezianos* laudatos invicem, ut solet, se excepisse: de *Aloldo* tamen hoc dicere frustra est, qui nullum illorum vidit, nec ab illis est visus. Huic tamen dum consonant reliqui, hic certè consensus leviter explodi non potest, maximè, cùm Statorem illum habeant, qui *Adalberti* Marchionis Capellanus, tam ipsi, quam *Leopoldo* Filio ejus, & utriusque Conjugi à Sacris domesticis fuit. Domino *Hoffmanno*, cui de Diplomatibus *Henricianis* ex D. *Ludewigio*, à quo commemorantur solummodo, constitit, de *Aloldo* verò penitus nihil, consensus tamen cæterorum Scriptorum Austriacorum tanti fuit, ut, cùm *Froizam* Diplomatum ergò negare non auderet, eam in opinionem concesserit, fuisse *Adalberto* Marchioni duas Conjuges, *Froizam* primam usque ad Annum 1051. *Adelbaidem* alteram postremis annis. Quanti fecisset sæpedictum consensum noto sibi cæterorum duce *Aloldo* coævo? Quamquam hic ejus rationes denuo gravissimè turbâsset, tradendô, *Albaidem* ab ann. 1021. usque 1055. in thoro ejusdem perstitisse.

MANIODAR. Sine, Amice, ut seriò tecum, sumus enim ad Rhodum: hìc si feliciter saltet *Aloldus*, ejusdem salva est fides. Consensum juniorum Scriptorum ex canis *Aloldinis* plurimùm extollis: at verò hæc ipsa ejus Ætas est, quæ modò ex consensu ipsius cum æqualibus exploratur. Non respondendum per id, de quo quæritur. Non datur tibi ejus Antiquitas, quam præfert: dubitatur de ea, ac disceptatur. Allegata Diplomata sinchrona sunt *Adalberti* ævo: ipsi enim indulta. Constitit ergo Notariis Regiis æquè, ac tu de *Aloldo* Capellano *Adalberti* prædicas, quæ huic Marchioni Conjux, ac tantò magis quidem, dum Imperator quartùm planè, vel tuo Scriptore teste in Austriam venit, inde armatus Ungariam, *Adalberto* ubique comite, petens. Illi porro duabus in Chartis *Froizam*, non *Adelbaidem* descripsêre.

PRITO-

PRITOMERD. Seriò agis, ac proinde his telis tam probè, ac quisquam adversantium posset, uteris in *Aloldum.* Seriò itaque & ego, præfiscinè tamen, quod ajunt, & salvo meliore quorumlibet sensu, tibi repono, me horum diplomatum causâ nequaquam arena *Aloldina* excedere. Dñus *Ludewigius* eadem recensuit in consortio decem aliorum Austriacorum Privilegiorum, eodem Tabulario cubantium, in quibus & illud pro *Ernusto* Marchione, non tamen *Henrici* III. sed IV^ti^, quo eidem paganicas Literas *Julii Cæsaris*, atque *Neronis* confirmat, ab eruditissimis Viris, immo & ipso Rever.^mo^ D. Abbate *Gottwicensi* dudum ad fabulas relegatum. Quod sanè de cæterorum quoque Authentia timorem aliquem parere potest. In celeberrimo Chronico *Gottwicensi* neque integra hæc Diplomata prostant, neque Sigillorum adjectam Imaginem habent. Ubi verò Scriptoris, cæteroquin optimæ notæ criteriis tuti, fides ex Chartis ad Capital postulatur, hæ certè suis numeris omnibus primùm præstare debent: si secùs, exceptioni meritò locus est, litémque pendere oportet. Non unus, jam dixi, est *Aloldus*, verùm etiam turba Scriptorum Patriorum, in quos hæc censura è Chartis depromitur. Ergo malim, etiamsi Authentiam largiar, his in Literis errorem Scribarum, atque confusionem Uxorum *Adalberti* Patris, & *Leopoldi* Filii, cui postremo, non primo, *Froiza* in thoro erat, quàm ignorantiam tot Scriptorum pertimescere. Diplomata non in Austria, sed Ulmæ ac Ratisbonæ data notantur: unde ex crebriori præsentia Regis aut Imperatoris non ritè arguitur, Scribis atque Notariis, qui haud semper iidem Cæsari ad latus erant, æquè ac *Aloldo*, Sacrorum domesticorum in Curia Marchionis Mystæ quotidiano, quod credendum, donec solidè evertatur, quæ *Adalberto* Conjux fuerit, constitisse. Scio, hìc Adversarios usuros veluti jure suo, & clamaturos pro Diplomatibus: utor verò & ego jure meo haud impari, stóque pro Scriptoribus, horúmque principe *Aloldo*, hactenus in nullis luculentè revicto: qui, si aliàs falsus ex anterioribus foret, hìc proclivior esset ad lapsum.

MANIODAR. Multum potes, si hanc tibi arenam Anti-Aloldini concesserint. *PRITOMERD.* Stent illi, per me licet: Res ita sunt, ut nec ego me propter illos in pedes. Quo interim luculentiùs edoceare, quomodo propter singula cujusdam Diplomatis, etiam Autographi probíque, verba à Scriptoribus gravibus è vestigio recedendum non sit, nonnullis id exemplis remonstrabo. I. Arguunt *Aloldum*, qui eum impugnant, quòd *Adalberti* Babenbergensis Decollationi assignaverit annum 908. quam *Regino* & *Ditmarus* referunt ann. 905. Ut verò *Dial. III.* audisti, Rex *Ludovicus Infans* jam ann. 903. partem Bonorum

Adalberti, judicio publico condemnati, ut ait, *Rudolpho* Episcopo Wirzeburgensi ad Episcopium suum concessit per Chartam solemnem. Fatebuntúrne eapropter Anti-Aloldini *Reginonem* & *Ditmarum* prostratos? II. Filii deinde S. *Leopoldi* Austriæ Marchionis tribus in Chartis alio semper & alio Ordine leguntur descripti: quas omnes vulgavit Cl. olim *Bernard. Pez.* Cod. Diplom. Epistolar. Part. II. pp. 318. & 320. Prima est Charta Fundationis Cellæ Mariæ in Austria, data ab ipso Marchione Añ. 1136. ubi legitur: *Et tribus Filiis suis LIUPOLDO, ADELBERTO, ERNESTO.* Altera ejusdem Principis, & Anni, est Charta Fundationis S. Crucis, sic in cæteris habens: *Et Filiis nostris ALBERTO, HEINRICO, LIUPOLDO, ERNESTO.* Tertia est *Reginmari* Episc. Patav. eodem anno S. Cruci Decimationem Novalium per Concambium remittentis, & ita fatentis: *Insuper precibus Filiorum eorum ALBERTI, LIUPOLDI, HENRICI, ERNESTI.* Vide constantem Ordinis Filiorum inter se inconstantiam vel in Paternis etiam Chartis: vide, inquam, & vade, atque confide deinceps tenori cujuslibet Chartæ, quando luculentè revictus es de supina Notariorum incuria in Rebus, planè sibi præsentibus, ritè describendis.

III. Rursum omnium Scriptorum consensu *LEOPOLDUS* VII. *Gloriosus* Austriæ Dux decessit apud S. Germanum in Apulia V. Cal. Augusti, sive die 28. Jul. ann. 1230. qua & Anniversarium ejus, ut Fundatoris, solemniter quotannis Campililii agitur. Nihilosecius tamen apud Cl. *Hansiz.* Metrop. Salisburg. p. 331. exhibetur Præceptum Regium *Friderici* II. Imp. concessum *Eberhardo* II. Archiep. Salisburg. *apud S. Germanum* (in ipso loco obitus Ducis) *Anno MCCXXX. Mense Augusto*, ubi *LIUPOLDUS Dux Austriæ & Stiriæ*, quasi qui pulcherrimè viveret, primis in Testibus legitur. Quin & in alio ejusdem Cæsaris Diplomate, edito pro Ecclesia Frisingensi *in Castris propè Anagniam Anno MCCXXX. Mense Septembri*, Dux idem inter cæteros, cum quibus Cæsar de causa deliberaverat, enumeratur, nullâ penitus mortis ejusdem ingestâ memoriâ. Anne propter has Chartas Scriptorum unanimis calculus obelum sustinebit? IV. Apud Cl. P. *Marquardum Herrgott* Genealog. Habspurg. Diplomat. Vol. III. p. 468. n. 565. in Charta *Henrici* Marchionis *de Hachberc* anno 1277. Pro Parthenone Oelsbergensi ista sub finem reperies: *Et Nos ANNA Dei gratia Romanorum Regina - - - Sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum.* Sigillum verò si inspexeris, leges in eo non ANNA, sed GERD. *rudis.* Geminam *Rudolphi* I. Imp. Conjugem unica hæc Charta minimè spectare potest: *Annæ* porro & *Gertrudis* nomina eadem esse, nemo, quod putem,
in

in hanc diem docuit. Quare necesse est, vel indulgeas, in Chartis quandoque Mysteria esse, quæ penitus assequi, nostrorum temporum industriam fallat, vel Notarii lapsum & incuriam insignem hic denuo confiteatis. V. Apud Cl. D. *Schannat* in *Clientela Fuldensi* Probation. n. viij. exstat Charta *Henrici* Abbatis Fuldensis, edita *in die beati Dionysii* ANNO 1301. Qua *Magnificis Principibus, Dominis, Rudolpho, Friderico, Lupoldo, Alberto, Heinrico, Meinhardo, & Ottoni* (Fratribus ac Filiis *Alberti* I. Cæsaris) *Ducibus Austriæ, universa bona, & homines ; - - - eo jure, sicut quondam Henricus Marchio de Burgouwe habuit, - - titulo feudali* concessit. Hanc Chartam planissimam statim antea laudatus Cl. P. *Marquardus Herrgott*, summus aliàs Diplomatum Cultor, Geneal. Dipl. Aug. Tom. I. p. 211. n. 7. nihilo tamen secius fide sublesta habet, quia *Meinhardum* cæteris *Alberti* Filiis interserit, dum usque firmioribus monumentis hic Filius *Alberti* probetur : qui cæteroquin omnium Historicorum, aliorúmque documentorum suffragio in hanc diem destituitur. Quantò æquius ergo è converso, *Froizæ* locò, in thoro *Adalberti* Victoriosi ego *Albaidem* tueor, cui, præter *Aloldum*, cæteri quoque Scriptores Patrii communi consensu suffragium ferunt? VI. *Joann. David Kælerus* der Wochentl. Münz-Belustigung Part. VIII. p. 91. sq. commemorat Chartam Donationis de ANN. 1176. quæ sic inchoat. *Ego Simon Dei gratia Dux Lotharingiæ & Marchio notum facio universis, quòd ego ad honorem Dei, & B. M. V. ad requestam Matris meæ, Dominæ Berthæ, Filiæ Friderici Imperatoris &c.* Ubi Vir Celeberrimus Notarium citra controversiam à verò aberrasse asseverat, cùm scripserit *Otto Frisingensis*, proximus Imperatoriæ Suevicæ Domus Agnatus L. I. de Gest. *Frider.* I. Imp. Cap. 14. ut sequitur. „Accepit „ *Fridericus Henrici* Noricorum Ducis Filiam in Uxorem : ex „ qua postmodum *Fridericum* Gloriosissimum, qui impræsentiarum Imperator est, & *Juditham*, quæ modò *Matheo* Lotharingorum Duci copulata noscitur, genuit.„ Erat hic *Matheus*, hoc nomine in Ducibus Lotharingiæ I.[mus], Pater antefati *Simonis*, qui Chartam dedit, *Juditha* verò, alio nomine, juxta *Kælerum*, *Bertha* quoque appellata, Mater ejusdem, Filia *Friderici* II. Monoculi Hohenstauffici, ex quo natus *Fridericus* Imperator, & ipsa : quæ proinde *Soror* Cæsaris, nequaquam verò ejusdem *Filia* fuit. Qualem eam tamen, quasi ex ore Filii *Simonis*, hoc loco Notarius fallissimè descripsit. Tribuit palmare hoc sphalma sæpè laudatus D. *Kælerus* crassæ Laicorum Principum eo tempore latini sermonis ignorantiæ, per quam scil. apti non erant ad proprias Chartas cùm relegendas, tum

emendandas. Nunquid enim *Simon* Maternum Avum suum, eúmque proximum, ignorare potuerat? Vel unum hoc exemplum, si anteriora omnia non valerent, à temeritate excusare me possit, quòd in *Henrici* III. Imp. diplomatibus, mihi oppositis, Notarii lapsum incusem, iisque fidem *Aloldi* anteponam. Quàm facilè enim in Diplomate Lotharingico Notarius *Filiam* pro *Sorore*, tam facilè in Chartis Regiis *Henricianis* alter Scriba Uxorem Filii *Leopoldi Fortis Froizam* Patri *Adalberto* Marchioni pro *Albaide* supponere potuit. Quemadmodum verò Cl. *Kalerus*, inter Historico-Criticos hac ætate peregregio nomine inclitus, Chartæ gratiâ à fide *Ottonis*, tam gravis, coævíque, & agnati Scriptoris, non recedendum judicavit: ita & ego Diplomatum oppositorum causa, *Aloldi* coævi, domestici, inque nullo aliàs luculentè revicti, cæterorúmque Patriorum Scriptorum consentientium fidem deserendam haud esse, mihi planè persuadeo.

VII. Tandem, ut eadem ex pharetra, è qua Adversarii, Archivio nimirum Augusto Austriaco, telum depromam, & ne Cæsarum Notarii, vel ipsæ Curiæ Augustæ, hac aberrandi labe immunes iactentur, postremi exempli locò sit *Petri* Archiepisc. & Elector. Moguntinensis Testimonium: Quo Spiræ ad latus Cæsaris *Henrici* VII. assistens, ann. 1309. eadem die xiv. Kal. Octobris, qua Imperator Ducibus Austriæ caducitatem Bonorum Patrimonalium *Joannis* ob crimen parricidii Augusti remisit, omnique Juri, & Actioni, quæ sibi & Imperio, in ejus Bona ex delicto competere potuissent, renunciavit, in hanc remissionem, & renunciationem, se liberè, plenè, ac integrè consensisse, publicè professus est. Exstat illud in der vorleuffig. Königlichen Beantwortung auf die so genante Gründliche Chur-Bayr. Ausführ. Part. II. Instrumentor. sub Num. lviij. edit. vernac. p. 120. latin. p. 182. ex Autographo editum, & legitur in eo. - - - *Constare volumus universis, quod, quæ Serenissimus Dominus noster, Dominus* HENRICUS *Romanorum Rex, de Consilio nostro, & cæterorum nostrorum, renunciavit omni Juri, & Actioni, quæ sibi, & Imperio, competere potuissent ex delicto homicidii commissi per* JOANNEM, *Filium quondam* FRIDERICI, *Fratris claræ mem. Domini* ALBERTI *Romanorum Regis, in Personam ejusdem Domini* ALBERTI *Regis &c.* Certè in his literis conscribendis Notarius præ oculis habuit alterum ipsius Regis Renunciationis diploma, cujus verba excepit. Quamvis porro *Joannes* ibi disertè, rectéque appelletur Filius *Rudolphi*, ipse tamen scripsit *Friderici*: neque interim in omni Curia Regia, vel inter Duces quoque Austriacos tres numero præsentes, quorum causa vertebatur, quisquam erat, qui animum

nimum tam exſtanti errori emendando adverteret. Vide, & manibus palpa, chare *Maniodarree*, quanta Religione ſit opus, antequam Diplomatum cauſâ Scriptores, in cæteris probos, & graves, è fidei ſtatione audacter dejicias. *MANIODAR.* Quos nodos hìc objicis, Adverſariis diſſolvendos relinquo. *PRITOMERD.* Quocunque ſe verterint, id ſanè largiri debebunt, Diplomata cum Scriptoribus vel comodè conciliari, ſi poſſint, vel in aliqua ſui parte culpâ Notariorum errantia credi, & fide Scriptorum emendari debere.

DIALOGUS IX.

ERNUSTO Marchioni *Swaenehildis* Conjunx, non ergo *Mechtildis*.

MANIODAR. MOdo propè eodem, ut mox circa *Albaidem*, nunc Adverſarii poſtremùm adhuc conveniunt *Aloldum*, ſcribentem ad Annum 1056. de *Ernuſto*, eum jam tunc ex Uxore *Mechtilde* Filium habuiſſe ſpecioſum *Liupoldum*. Ipſe quippe *Ernuſtus* apud *Philibertum Huberum* in Auſtria ex Archivio Mellicenſi illuſtrata Conjugem ſuam *Suaenehildem* appellat in Diplomate Mellicenſibus dato, dum ait. *Ego* Erneſto *Auſtriæ Marchio, cum dilectiſſima thori noſtri ſocia* Swaenehilde, *& Filio noſtro* Liupoldo *&c.* En, ipſe Maritus eſt, qui Conjugem fatetur: Autographum eſt in Archivio Mellicenſi: Sigillum necdum deperditum: ſola epocha deſideratur. Etiam hìc Authoritatem *Aloldi* obtrudis, & potiorem vociferabere.

PRITOMERD. Omnino, ſic tamen, ut integra Diplomatis fide, ſalvóque toto ejuſdem tenore, *Aloldo* deferendum contendam. *Ernuſto* Scriptores Auſtriaci pariter, ut ſuprà, *Mechtildim* Uxorem tribuunt, videl. Lapis *Mellicii* Sepulchralis, Tabulæ *Neoburgenſes*, *Arenpeckius*, *Haſelbachius*: quibus omnibus denuo pondus maximum confert *Aloldus*, id ab ipſis viciſſim obtinens, quòd conſtet jam, relata ejus, quamvis ipſe lateret, per Secula tamen in Patria famam obtinuiſſe. Tenendum itaque Authoritate illius, *Ernuſto* Marchioni Conjugem geminam fuiſſe, *Mechtildim* primam, ex qua *Leopoldum Pulchrum* Filium tulit: deinde poſt Annum 1056. alteram *Swanehildim*. Nilhil hìc adverſatur Diploma *Mellicenſe*: modò illud, cùm Æra certa deſtituatur, neque aliis è conditionibus ab Editore P. *Huebero* determinatum

quempiam in Annum referri potuerit, poſtremos ad Annos *Ernuſti* differatur, quoniam *Aloldus*, usque ad Ann. 1063. ſcribendô pergens, alterius Conjugii *Erneſtini* necdum aliquid inſinuaverit. Quocirca illud poſtea eveniſſe debuit, dum *Swanehildi* duodecim adhuc Annis in thoro *Ernuſti* locus exſtiterat. Voces diplomatis, *& Filio noſtro Liupoldo* haud inferunt, hunc è *Swanehilde* neceſſariò genitum eſſe debuiſſe: nam & Privignus quoque tam eſt, quàm ex more dicitur Filius. Memoriam forſitan defunctæ Conjugis primæ hac in Charta requiris? Sed eam hîs generalibus vocibûs, *Pro remedio noſtrarum, & omnium debitorum noſtrorum Animarum*, ſatis quidem obſcuris, comprehenſam exiſtimes, cùm nullius ibidem perſonæ, jam in Domino quieſcentis, Nomen deſcribatur.

MANIODAR. Planè ſic iterum ſentis, ut aliter ſentire cæteris omnibus liberum remaneat. *PRITOMERD.* Ita ſentio, ut mihi quidem ratio ſuadet. Quemadmodum enim, Jureconſultorum Regulâ, unusquisque tamdiu præſumendus eſt bonus, usquedum probetur malus? Sic & Scriptorum quilibet ſincerus, verúsque tenendus eſt, donec ſubleſtus liquidis rationibus oſtendatur. Diplomata in probationibus Hiſtoricis pondus addere, non verò vim facere Scriptoribus debent: unde componenda cum illis, non eisdem obſtinacius contraponenda ſunt, ſi Veritas, & ipſa rerum Natura, utrorúmque concordiam facilè ferant. Teneo omnino, prudentem & æquam vetuſti Scriptoris, nuper è tenebris reſtituti, Criticam non rectè pauculis è Capitibus, in quibus dubitare liceat, inſtitui, ſed Hiſtoriæ ejus univerſæ modum, ordinem, ac formam exploranda eſſe: Quemadmodum de homine non ex uno alteróve actu, ſermone, aut geſtu, ſi prudentiæ locum demus, mores quod attinet, judicium ferimus, ſed antea vitæ ejus totius, quà licet, rationem inimus. Si Scriptor Nomen, patriam, ætatem, conditionem vitæ, argumentum ſuum candidè ipſe fateatur, ac doceat, & hæc ſingula probæ rerum apud ipſum Cognitioni ſuffragium ferant: ſi ſervet inſtitutum ſuum, ſi ſibi conſtet in hiſtoria, ſi nullæ apud ipſum Antilogiæ, Anachroniſmi nulli retegi queant, ſi fabulis abſiſtat, ſi de odio quorumlibet, affectuque ſiniſtro, nullibi ſuſpectum ſe reddat: ſi nullis in rebus, quarum tractatio ad alios quoque attinuit, vel contradictores cæteros habeat, aut ex iis revinci ſolidè nequeat: ſi demum & MS. & Bibliothecæ, unde eruitur, formæ item, & characterum ratio debita conſtet, & incruſtatio penitus abeſſe conſpiciatur: exiſtimem certè, eundem apud æquos Criticæ profeſſores fidem tantam

tam promereri, quæ, ſui præſertim in argumenti rebus, etiam contra alios valeat, quorum Authoritas ſolummodo dubium parit, demonſtrationem tutam certámque non facit. Novi enim ſi nihil à Scriptore Speciali, atque Domeſtico, in Rebus Argumenti ſui accipere liceat, quod alii ante ipſum non dixerint, vel in quo cum ipſo ad amuſſim non conſonent, ſudore ejusdem ac calamo opus quid erat? Servatum fuiſſe eundem, & in lucem eductum, quid Orbis eruditi interfuit? Quisquis in omnibus, quæ cum aliis communiter tradit, verus, Rerúmque probè conſcius reperitur, ſingularibus quoque ſuis, quæ in ſuæ Hiſtoriæ argumento ſolus ipſe nos edocet, auctoritatem pariter ac fidem, niſi me omnia fallant, conciliat quoque, & vindicat. Hæc porro cuncta, quæ latiùs uno cumulo edixi, cùm in *Aloldo* probè conſpirent; æquum non duco, ejusdem lucidiſſima face neglecta, toties, támque graviter deploratam Hiſtoriæ Babenbergicæ caliginem ultrà ſuſtinere. Attuli pro illo tuendo, quæ cum ratione diſſeri potuiſſe exiſtimavi. In rebus enim à memoriæ hominum remotiſſimis, & ideo obſcuriſſimis pariter, quales in omnium Gentium hiſtoria occurrunt, certiſſima hodie afferri impoſſibile eſt. Maximè probabilibus acquieſcendum, & judicio, non præconcepto, ſed utrámque in partem libero, de gradu probabilitatis, ut ajunt, deliberandum eſt. Mihi animo ſedit, *Aloldum* tueri, ex ratione tamen, non contra rationem. Sat porro Rationis mihi eſſe putabam, ſi dubiis in controverſiis Domeſticum, & ſpecialem, perſpicuum, atque concinnum Scriptorem, exteris, generalibus, ſparsímque duntaxat rem, ſub quæſtione poſitam, attingentibus præhaberem. (*)

MANIODAR. Haud ego ſum ille, qui hæc tibi negem: optâſſim autem, omnes rationem ampliùs pariter, ac præjudicia, ſequi: nullos eſſe deinde, qui contentionem ſibi voluptati, & gloriæ ducant. *PRITOMER.* Cùm ejusmodi nihil mihi negotii eſt, qui tempori, & horæ cuilibet, pretium ampliſſimum ſtatuo. Quem clamores delectant, ei Veritatem nunquam perſuadeas. *MANIODAR.* Cum animo loqueris, quem non omnes æquiſſimè ferent. *PRI-*

TO-

(*) Prodiit noviſſimè Viri Cl. *Hieron. Pezii* Hiſtoria S. Leopoldi, in qua Cap. I. n. 1. & 2. magis eidem placuit pro tuenda *Aloldi*, cæterorúmque Scriptorum Auſtriacorum Authoritate, credere, Uxorem *Ernuſti* binomiam, i. e. Nominum duorum: quàm geminam fuiſſe, domi videlicet in Luſatia *Suaenebildim*, in Auſtria *Mechtildim* appellatam, pluribúsque exemplis ex Antiquitate petitis plurium Nominum uſum apud Regias ac Principes Fœminas demonſtrat. Hanc in ſententiam tanti Viri ſi pluribus ire placuerit, ego quoque non illibenter accedam.

TOMERD. Contra animum loqui candor meus non fert. *MANIODAR.* Referam, quæ copiosè pro *Aloldo* dixisti, Viris doctis, velimque profectò, ut fructu tuo non pœnitendo id faciam. Tibi interim, quòd Adversarii locò contra te stantem eximia cum patientia tamdiu sustinueris, gratias habeo, & Vale amantissimè facio. *PRITOMERD.* Quisquis colit Veritatem, nullum pro ea officium detrectat. Disceptatio, quæ sine pertinacia fit, pulcherrimam Veritati operam præstat. Jucundus magis, quàm gravis, tua mihi contentione fuisti: quapropter amabo te semper, & colam.



SUM-

SUMMARIA
TOTIUS VOLUMINIS
SIVE
INDICES
TABULÆ III.
ECCLESIASTICA, POLITICA,
ET
MISCELLANEA.
CLASSIBUS XXXVIII. DIVISÆ, ET SIC INSTRUCTÆ,

Ut non modò reperiri ſingula queant,

Verùm etiam

Omnia hìc contenta ante Lectionem Operis facillimè prægustari, post illam, unacum Chronologia, commodiſſimè memoriâ repeti poſſint.

SYLLABUS
CLASSIUM OMNIUM,
In

Quibus requirenda ſingula, quæ hìc ſperantur, occurret folio ſequenti,



SYLLABUS TABULARUM INDICUM, ET CLASSIUM EARUNDEM.

CUm operosissimi Indicis, utilitatis publicæ causa tanta cum cura instrecti, confectio ad finem preli differri nequiverit, mihi, à loco impressionis nimiopere distanti, haud integrum fuit, paginas assignare. Notetur ergo, Prænotiones Introductorias, Descriptionem Monasterii, Dissertationem Prolegomenam, his designari syllabis initialibus: *Prænot. Intr. Descr. Monast. Diss. Prol.* Propyleum Elogia habet, ut Fasti Decadibus intersecantur. Utraque numerum Romanum additum habent, sícque allegantur: *El. I. Dec. I. II. &c.* Appendix Apologetica post Fastos tribuitur in Dialogos, & his notis indicatur: *Append. Apol. Dial. I. II. &c.* Porro hæc omnia dividuntur §§.ᵒˢ, & hi Numeris: quare has notas *El. I. ij.* 3. lege Elogio I. §. ij. n. 3. & sic in cæteris. Interim Partes omnes Operis hìc recensitas superscriptio cujuslibet paginæ illico prodet.

TABULA I. ECCLESIASTICA.

CLASS. I. SUmmi Pontifices Romani ordine Chronologico.
II. S. R. E. Cardinales ordine Alphabetico.
III. Patriarchæ ordine Ecclesiarum suarum.
IV. Archiepiscopi varii eodem ordine.
V. Archiepiscopi Salisburgenses peculiariter ordine Chronologico.
VI. Episcopi varii ordine Alphabet. Ecclesiar.
VII. Episcopi Patavienses ordine Chronologico.
VIII. Monasteria Benedictina ordine Alphabetico, eorúmque Abbates.
IX. Canoniæ, ac Præpositi Regulares.

TABULA II. POLITICA.

TABULA III. MISCELLANEA.

TA-

TABULA I.
ECCLESIASTICA
Referens
Personas Dignitate Sacra fulgentes.

CLASSIS I.
Summi Pontifices Romani.

BENEDICTUS VII.

Pilligrino Episcopo Pataviensi donavit Pallium. *Dis. Prœ. III.* 8. Ad eum Epistolam dedit A. 974. *El. I. j.* 6.

LEO IX.

Ovoni pacem, & Regnum Ungariæ apud *Henricum III.* Imp. conciliat, in cujus castris erat, A. 1052. *Elog. III. iij.* 4.

GREGORIUS VII.

Ejus Epistolæ ad *Salomonem* Ungar. Regem, & Reginam allegatæ. *El. IV. ij.* 6. *iij.* 4. Clericis omnibus cœlibatum præcipit. *Henricum IV.* Imp. diris devovet, solvit, iterum ligat. *Clementem* III. Antipapam, ab hoc creatum sustinere cogitur. *El. V. iv.* 3. 4. 5. In Montem Cassinum fugit: Moritur A. 1085. *Ib.* 16.

VICTOR III.

Electus A. 1086. quinto Mense defunctus A. 1087. *El. V. iv.* 16.

URBANUS II.

Electus A. 1088. *El. V. iv.* 16. Concilia celebrat, primámque cruciatam, sive Expeditionem in Terram Sanctam decernit. Clericis Cursum Marianum præcipit. A. 1093. *Ib.* 20. Moritur A. 1099. *El. VI. j.* 5.

PASCHALIS II.

Electus A. 1099. *El. VI. j.* 5. Clementis III. Antipapæ morte relevatur. 7. Mellicium exemtum dicit. 20. 21. Capitur ab *Henrico* V. Imp. coactus, eidem investituras concedere. 24. Quam Concessionem Concilium Romanum execratur, Gallicum hæresin dicit. 25. Moritur A. 1118. *ij.* 10.

GELASIUS II.

Electus A. 1118. contra quem *Henricus* V. Imp. intrusit Gregorium VIII. Antipapam. Obiit A. 1119. *El. VI. ij.* 10.

CALIXTUS II.

Electus A. 1119. Gregorium Antipapam ferre debuit, usquedum hic caperetur. *El. VI. ij.* 10. 15. *Henricum* V. ab excommunicatione Gallicana absolvit. 17. Moritur A. 1124. 18.

HONORIUS II.

Electus A. 1124. *El. VI. ij.* 18. Trecis in Gallia Concilium agit: *Conradum* Pseudo-Regem Italiæ anathemate ferit. *iij.* 2. Moritur A. 1130. 3.

INNOCENTIUS II.

Eligitur A. 1130. sed contra eum alii *Petrum Leonis* sub nomine *Anacleti II.* intruserunt. *El. VI. iij.* 3. Interest Synodo Leodiensi apud Belgas: ubi *Lotharius* Imp. repetebat Investituras. 5. Ordini Cisterciensi, sibi fidelissimo, primus Exemtionem à Synodis Episcopalibus, ac Decimis indulget. 6. Romæ à *Lothario* Imp. Sancta in Sede collocatur, húncque coronat. S. Bernardi Legationibus perpetuò, ac commodissimè utitur. Petrum Leonis anathemate ferit. Cl. Neoburgum exemtum esse jubet. 10. Mellicii exemtionem imperturbatam vult, & ablata eidem restitui mandat. 16. Defuncto S. *Leopoldo* Marchione ejus Viduam, & Filios geminâ Epistolâ consolatur. *iv.* 4. *Leopoldum* Filium *Lothario* Imperatori commendat, Viterbii cum eo conveniens: ubi conjunctis armis in *Rogerium* Siciliæ Regem, Petri Leonis fortissimum defensorem, pugnârunt. *El. VII. j.* 2. 6. Mortuo Petro Leonis, novum quidem Antipapam *Gregorium* vidit, sed statim humiliatum, schismate sublato. 7. Romæ Concilium cogit: Schismaticos damnat: à *Rogerio* Siculo captus, eum Regem Siciliæ agnoscit, neque liber id retractat. 12. Cisterciensibus Monasterium Trium Fontium construit Romæ: damnat sententias Petri Abaelardi. *ij.* 5 Galliæ Sacris interdixit præsente *Ludovico VII.* Rege, quòd hic Bituricensis Ecclesiæ alium Electum tueretur. 6. Romanos Regimen Urbis ad modum veteris Romæ affectantes, molestissimos persentiens, obiit A. 1143. *El. VIII. j.* 10.

COELESTINUS II.

Eligitur A. 1143. Galliæ interdictum tollit. *El. VIII. j.* 10. Moritur A. 1144. *Ib.* 13.

LUCIUS II.

Eligitur A. 1144. *Conradum* III. Imp. frustrà contra Romanos implorat. *El. VIII. j.* 13. Eum Romani à Capitolii accessu pellunt, & lapide percutiunt: unde post paulò obiit A. 1145. *Ib.* 16.

EUGENIUS III.

Cisterciensis, è Schola S. *Bernardi* Claræ-vallis, eligitur A. 1145, statimque Urbe exire coactus, alibi consecratur. *El. VIII. j.* 17. Legatos Armenorum, & Syriorum audit, dúmque coram iis celebraret, unus eorum vidit radium Solis super Caput Pontificis, gemináque Colum-

lumbas ascendentes, & descendentes. *Ludovicum* Galliæ Regem ad suscipiendam Crucem in Orientem invitat. Cum Romanis aliquid pactorum iniens, Urbem mox iterum deserere debuit. 19. Rebellem plebem sic humiliat, ut ei cum palmis obviam ire cogeretur. Statim verò Refractariam denuo fugiens, Gallias accedit. 27. Ibi adveniens, Regi, Expeditionem Sacram aggredienti, Vexillum tradidit. *ij.* 1. Ad Provinciam Tolosanam contra hæresiarcham *Henricum* misit Legatum, & S. Bernardum. 9. Celebrat Concilium Remense præcipuè propter *Gilbertum Porretanum* Ep. Pictaviensem, nova de SS. Trinitate docentem, cui S. Bernardus maximè se opposuerat. Ne schisma fieret, Sanctitas & prudentia Papæ, atque Humilitas Bernardi effecerunt. *Gilberti* Capitulum præcipuum ne in Ecclesia teneretur, prohibitum: cui ille acquievit. 10. 11. Papa è Galliis rediturus Claramvallem visitavit: Cistercii Capitulo Generali præsedit. 12. In Italiam reversus, Romanos, cùm eum *Conradus* Imp. juvare nequiret, humiliavit ope *Rogerii* Siculi Regis. 17. Tandem Romam stabiliter incoluit, erga pessimè meritos summè benignus. *iij.* 3. Sanctissimè obiit eodem, quo S. *Bernardus*, Anno 1153. laudes ejus. 4.

ANASTASIUS IV.

Electus An. 1153. *El. VIII. iij.* 4. Obiit A. 1154. *ib.* 9.

HADRIANUS IV.

Electus A. 1154. non fuit Cisterciensis, sed Canonicus Regularis. *Quardum* Eremitam Cisterciensem Sanctis adscripsit, & ob famam prodigiorum ei Nomen S. *Famiani* imposuit. *El. VIII. iij.* 9. Imperatorem *Fridericum I.* paulò antè coronatum à se, reprehendens, quòd Archiepiscopi Londinensis captionem non vindicaret, offendit eum, quòd commemoraret *Beneficia* ab Ecclesia in eum nuper collata. Hanc enim vocem interpretatus Cæsar pro *Feudis*, ac juridicè, quasi Papa Imperium dixisset Feudum Ecclesiæ, excanduit: ille verò exposuit grammaticè pro *bonis factis*, utcunque sic compositâ Cæsaris irâ. *iv.* 3. 6. Sed mox discordia nova, quòd Papa non confirmaret *Guidonem* Nobilem Juvenem pro Archiepiscopo Ravennæ: agnovisset *Guilelmum* Siciliæ Regem: Cæsar vero, Papæ scribens, Nomen suum præposuisset. Obiit verò *Hadrianus* in tempore A. 1159. *Ib.* 19.

ALEXANDER III.

Electus A. 1159. duobus tantùm Cardinalibus *Victorem* Antipapam proclamantibûs: cujus partes *Fridericus* I. Imp. arripiens, qui oderat *Alexandrum*, magnam Italiæ partem, totámque Germaniam post se traxit. *El. VIII. iv.* 20. Fuisse Cisterciensem *Alexandrum*, tutò probari nequit. 21. Is, ad Pseudo-Concilium Papiense, à Cæsare indictum Schismatis decidendi causâ, quia seculari potestate congregatum, non comparens, ab Episcopis metu Cæsaris reprobatur; & *Victor* legitimus Papa pronunciatur. 22. *Alexander* in Gallia à *Ludovico VII.* Rege cum honore excipitur: qui ei cum toto Regno, & universo Ordine Cisterciensi, fidelissimè adhæsit. In Gallia Concilia plura celebravit. 25. 30. Ordini Cisterciensi insigne Privilegium dedit. *Ib.* Agoni *Fastradi* Archiabbatis Cisterc. Parisiis adstitit. In Concilio Turonis differt S. *Bernardum* Albo SS. publicè inferre, ut alii aliorum dilationem æquiùs tolerarent. 31. Moritur Antipapa *Victor* A. 1164. subrogatur *Paschalis*, quem Cæsar iterum tuetur. 32. *Alexander Thomam* Archiep. Cantuar. exulem Pontigniaco nostro commendat. 33. E Galliis Romam redux, adventante Cæsare, ope Siculorum ægrè Beneventum elabitur. *v.* 15. Cæsar, *Paschali*, quem in Sede Sancta collocârat, An. 1168. defuncto, fovit iterum *Calixtum*. Sed exercitu suo peste ferè consumto, ipse ab Italis conclusus, pacem ab *Alexandro* quærere per Cistercienses cœpit: viâ tamen evadendi repertâ, in schismate perstitit. 16. 17. Italis fœdus pro Papa ferientibûs, exstructa è paleis Urbe, quàm Alexandriam dixerunt, Cæsar iterum pacem obtulit, sed nullis æquis conditionibûs. 21. Græcorum Imperator etiam Occidentis Imperium affectans, Papæ, si se juvaret, Unionem Græcorum, & pecuniam ingentem obtulit, non auditus. 25. Papa *Thomam* Cantuar. impiè trucidatum, Sanctum dixit. 31. Item Mellifluum *Bernardum*. 41. Cæsar à Longobardis decumana clade contritus, seriò demum pacem, licèt longa tractatione, quærens, obtinuit, & *Alexandro* Venetiis reconciliatus est A. 1177. Fabula de Papa collum Cæsaris calcante, retecta. *El. IX. j.* 6. 11. Romæ Alexander ut Victor receptus, *Calixtum* Antipapam se ad pedes abjicientem vidit: Schismatici tamen rursum extulerunt *Innocentium*. Papa contra Albigenses, ut eos reduceret, Legatum submisit. 12. Romæ Synodum Generalem ex omni natione celebravit: ubi statutum, ne Papa legitimus haberetur, qui duas vocum Tertias non haberet. 15. Urgetur nova Palestinæ Expeditio. *Lando* sive *Innocentius* Antipapa capitur, in exilium trusus. 16. Obiit *Alexander* A. 118-. 18.

LUCIUS III.

Electus A. 1181. *El. IX. j.* 18. Romanos rebelles fugere coactus, juvatur à *Christiano* Archiepisc. Mogunt. cum exercitu Germanorum. Hunc decessurum è Vita inunxit: & pro eo *Conradum*, olim à Cæsare Moguntiâ expulsum, restituit, uti Salisburgi *Adalbertum*, æquè priùs ex-

extrusum. 25. Veronæ, præsente *Frider. I.* Cæsare Synodum agit, ubi hæreticos Italiæ anathemate perculit, ab Imperatore proscriptos. Legatos Orientis audiit, opem contra Saladinum urgentes. 28. Conceperat animo, abdicare, Ordinémque Cisterciensium ingredi, dissuadente *Petro* Claravallis Abbate: cui sumtus dedit ad instaurandam Abbatiam quamdam collapsam. Paulò pòst obiit A. 1185. Cisterciensis non computandus. 29.

URBANUS III.

Electus A. 1185. *El. IX. j.* 29. Audita captione totius propè Palestinæ, Jerosolymæ, ejú que Regis, insuper & S. Crucis Dominicæ, cæsis Episcopis & Militibus Templi per Saladinum, terrore ac mœrore obiit A. 1187. *ij.* 1.

GREGORIUS VIII.

Cisterciensis electus A. 1187. deprecante hunc Gradum *Henrico* Card. Ep. Albanensi, æquè Cistercii Alumno. Sedit autem solummodo uno Mense, diebus 27. obiens eodem Anno. *El. IX. ij.* 1.- 4.

CLEMENS. III.

Electus A. 1187. *El. IX. ij.* 4. Jussit prædicationem Crucis pro Oriente: indixit eapropter jejunia, & preces: misit Legatos in Galliam & Angliam ad componenda bella. 5. Obiit 1191. 20.

COELESTINUS III.

Electus A. 1191. *El. IX. ij.* 20. Terribilibus literis instante Regina Angliæ, ut pro captione *Richardi* Regis Filii sui diris feriret *Henricum VI.* Imp. & *Leopoldum VI.* Austriæ Ducem, distulit *IV.* 2. Fecit, impulsus à Rege jam libero, 3. *sqq.* Absolutionem Ducis per *Adalbertum* Archiep. Salisb. approbavit. 17. Ad novam Orientis Expeditionem excitavit fideles. 19. Obiit. A. 1198. *Init. Regim. Leop. VII. n.* 2.

INNOCENTIUS III.

Eligitur A. 1198. Cisterciensium preces rogat, eorúmque opera utitur. *Init. Regim. Leop. VII. n.* 2. Expeditionem in Palestinam disponens, Cistercio, semper hactenus immuni ab omni præstatione, quinquagesimum Numum imperat, cum comminatione abolendi Ordinis. *Ib.* 15. A qua exactione postea ultrò destitit. Philippo electo Romanor. Regi summè contrarius, eum per Legatos execratur, *Ottonem* Æmulum laudat. *Fastor. Decad. I.* §. *j. n.* 2. 3. Cruce signatis iratus, quòd in Christianos pugnâssent, diris ulciscitur. 4. Eos iterum absolvit. 6. Imperatricem *Chunigundim* Albo Ss. infert. *Ib.* Latinorũ expeditionem adversum Constantinopolim ægrè tulit primùm, postea probavit. 10. Crescenti fortunæ *Ottonis* congaudens, nutantem dolet. *Adolphum* Archiep. Colon. pro Coronatione *Philippi* anathemate ferit, & eidem *Brunonem* Successorem dedit. 22. Fortunâ autem *Philippi* molior factus, cæpit ei favere. 25. Absolvit eum per Legatos, ursítque apud Principes concordem electionem, alterutri Coronam spondens. 27. Si *Philippo* vota fluerent, petiit, ut *Ottoni* Filiam suam locaret, non, ut Nepoti suo, quod fabula est. *Ib.* Pronus erat ad Episcopatum novum Viennæ concedendum, nisi Episcopus Patavien. obstitisset. 28.- 31. Defunctô *Philippo*, sustulit impedimentum Cognationis, & effecit, ut *Otto*, ductâ Filiâ *Philippi*, fieret Imperator: quem coronavit Romæ A. 1209. *Ib.* 41. 43. Sed statim orta dissidia, pacatè tolli non poterant: unde Anathema Cæsari dixit, imperio dejecit, & *Friderici II.* electionem procuravit 45. 46. Iterum *Ottonem* diris notavit, ad frugem pro voto non reducendum. *Dec. II. j.* 1. Crucem prædicari jussit in Mauros, seu Saracenos Africanos, diéque pugnæ constituta Romæ pœnitentiam, & supplicationem solemnem egit. Sequebatur prodigiosa Victoria. 6. *sqq.* Concilium Romæ indixit. 16. Crucem pro Oriente undique prædicari mandavit. 20. Egit Concilium Lateranense IV. A. 1215. cujus decreta ubique promulgari præcepit. 25. 26. Obiit A. 1216. *Ib.* 30. Fundationem Campililii primus probavit A. 1208. *Dec. I. iij.* 37. 38. Tria ejus rescripta pro Campililio *Dec. II. iij.* 8. 9. 10. Cisterciensibus plurimùm usus ad magna & ardua negotia, præcipuè ad prædicationem Evangelii in Prussia. *Dec. II. ij.* 3. 7. Cænobium *Curiæ* in Oriente juxta Thessalonicam eis restituit. 8. A *Petro* Aragoniæ Rege, Albigenses juvante, malè informatus, Crucem in eos prædicari, & bellari aliquamdiu vetuit, donec fraudis conscius fieret. 9. Cæso Rege dolens, denuo bellum inhibuit, magno hæreticorum Respirio. 10. Filium Regis *Jacobum* captum dimitti præcepit. 17.

HONORIUS III.

Eligitur A. 1216. *Dec. II. j.* 30. Ursit Expeditionem in Orientem. Coronavit *Petrum* Comitem Antisiodorensem, ad Imperium Constantinopolitanum vocatum, sed paulò post adventum suum à Græcis unacum Legato Apostolico captum. 39. Cruce signatis in Oriente pugnantibus, Romæ nudipes agit supplicationem, talémque ubivis locorum quavis prima Feria sexta cujuslibet Mensis fieri demandat. 42. *Friderici II.* Imp. Expeditionem Sanctam ducere ultro polliciti, exspectante Orbe, moram ex mora invitus, longanimis tamen tolerat. Displicuit quoque, Cæsarem, contra datam fidem, Siciliam cum imperio retinere, Filiúmque *Henricum* in Regem Romanorum eligi procurâsse. Attamen

Cæ-

Cæsarem Romæ cum *Constantia* Conjuge coronavit A. 1220. *Dec. II. j.* 61. 62. Defuncti Angliæ Regis *Joannis* Filio *Henrico* pacem, & securam successionem per Legatum procuravit. Approbavit Ordinem B. Dominici. *ij.* 42. *Guilelmum* Archiep. Bituricen Sanctum dixit. 25. Cisterciensium immunitatem confirmavit. 27. 28. Cæsarem admonet suscipiendæ Expeditionis in Orientem. *Dec. III. j.* 3. Perdito autem ex ejus procrastinatione Exercitu Christiano in Oriente, murmure populi compulsus, diras eidem comminatur. 6. Colloquitur cum eo Verulæ: Veronæ eum ipse, & Principes, frustra exspectant: denuo ad Oppidum Farentinum congressi, statuunt Profectionis diem in Annum tertium: qua nisi iret, jurejurando fassus est se Cæsar reum Dirarum. 11. Sed hoc novam moram injiciente, Papa eidem terminum prorogavit in biennium. 16. Quo elabente Italis Urbibus pacem, & subsidiarias copias mandavit: *Joannem* Jerosolymæ Regem, à Cæsare abdicare coactum, ei conciliare, sed frustra, tentavit. Quibus rebus piè immortuus est, longanimitate in *Fridericum* admirabilis, A. 1227. 32. Cisterciensibus creberrimè usus, nostræ Reformationis primùm Inchoatorem *Robertum* Molismensem Albo SS. intulit. Albigensium pesti fortiter obstitit. Cisterciensium Privilegia integra servavit. *Dec. III. ij.* 3. 4. *sqq.* Campililio tres Bullas dedit. *iij.* 4. 5. 6.

GREGORIUS IX.

Electus A. 1227. quantum Cæsar simularet, probè ex anteriori cum eo conversatione gnarus, dum Cruce signatis maximo numero in Siciliam convenientibûs, Imperator diutissimè moratus esset, ut interea interirent plurimi, tum progressus modicum, statim rediret, morbum causatus, eum in diras incidisse denunciavit, quarum se rerum futurum ipse juraverat. *Dec. III. j.* 33. Oratores ejus non audivit, nil nisi inania prolaturos. Exhortatus tamen est eum, criminibûs damnisque quæ Rei Christianæ intulit, ante oculos positis, ut Reconciliationem seriò quæreret. 34. Nihil promovens, anathema in eum solemniter dixit, comminatus, exolvendos à fide subditos fore, & Feuda Siciliæ subtrahenda. Contrà tumultuantibûs in Ecclesia Frangipanibûs, Papa Perusium fugiens, arma conscripsit, volebàtque à Germaniæ Principibus aliam Electionem fieri, sed incassum. 38. Curiam Cæsaris Ravenæ impediit. 39. Cùm hic, defuncta Conjuge, ut Regnum Jerosolymæ, cujus illa hæres fuerat, occuparet, subitò mare transiret, Ecclesiæ non reconciliatus, summè id improbavit Papa; & quia Præfecti Cæsaris interea rapiebant Ecclesiæ ditiones, Pontifex per suos occupavit Siciliam. 44. In Oriente coram Imperatore Sacra fieri prohibuit. 45. Pacem ejus cum Sultano conclusam, quamvis receptâ Jerosolyma, execratus, ad Principes tanquam summè detestabilem, retulit, auxilia eorum implorans. 47. Quos tantò magis in eum incitare contendit, dum Redux revindicâsset Siciliam, & Lombardiam Armatus intrâsset. 53. Reconciliatio facta per Principes, ac præcipuè *Leopoldum VII.* Austr. Ducem A. 1230. 54. 57. Concordiæ leges, & Absolutio Cæsaris. 61. Ærario Pontificio belli sumtus à Cæsare refundi debuisse, non iniquum. 62.

Gregorius Cisterciensium Privilegiis nihil decedere sinebat. *Dec. III. ij.* 13. In Albingenses usque ad finem pestis pugnabat. 14. Prævertit bellum inter Galliæ & Angliæ Reges. 17. In Casemarii Cænobii Cisterciensis violatores gravissimè ulciscitur. 23. Campililio quatuor Bullas dedit. *iij.* 4. 5. 6.

Papa ac Cæsar mutuò de se suspicantur. *Dec. IV. j.* 1. Illi Romani, huic Insubres obnitebantur. Cæsar Papæ opem spopondit, non præstitit. Papa pacem hunc inter & Longobardos confecit, Imperatori non gratam. Dissentientibûs Capitibûs fluctuabant membra. Conventum Principum, in finibus Italis à Cæsare indictum, procuravit Papa contra nisum Italorum. 21. Aquilegiæ factum. 24. Papa ob seditionem Romanorum Reate fugit: advolavit ad opem Cæsar, timorem solùm excitans, nil adjuvans. Unde Pontifex imploravit Principes: fecerunt autem Germani ab ipso conducti, ut Romani humiliarentur. 38. Pacem cum his confecturo iterum bona verba dedit, nisi commodè posset, non pacisceretur, se Adjutorem & Ultorem futurum. Ipse in Germaniam perrexit, *Henricum* Regem Filium, adversum se conspirantem repressurus: in quem Papa, petente Patre, inque omnes Adjutores ejus, diras intentavit. Unde falsum, hanc conspirationem fovisse Pontificem. 45. Doluit Pontifici, Cæsarem, Palestinæ cursis penitus neglectis, uni Italiæ subigendæ, & hoc quidem ope Saracenorum, quos in Apulia civitate donaverat, intendisse: usurpâsse Ordinationes Præsulum; ditiones Pontificias Italas, & Siculas multipliciter violâsse. 84.

Has ob causas Imperatorem A. 1239. rursum diris devovet, & subditos à fide exolvit. 86. Provocans Cæsar ad Concilium, quod putabat Papam refugere, liberum omnibus accessum spopondit: cùm verò missis epistolis & Legatis indici illud cognosceret, aditum vetuit, & vias omnes obsideri curavit. Congregatis nihilominus Præsulibûs, eos Papa, una cum Cardinalibus Legatis, con-

conducta Genuensium Classe, Romam advehi disposuit. Cæsar verò contrà emisit Classem Pisanam: quæ Genuenses vicit, Præsules & Patres necavit partim, partim dispersit, plurimos captivos accepit, squalidissimè deinde habuit ipse Cæsar A. 1241. *Dec. V. j.* 1. Mox Romam cum exercitu accedens, Papam quoque capere voluit. Hic porro, actâ cum Capitibus Divorum Petri & Pauli Supplicatione, Romanos ad Crucem accipiendam in *Fridericum* accendit. Sed egressi victi sunt, ac dirè ab Imperatore mulctati, Urbe tamen non capta, Pontifice verò jam propè Centenario paulò post mortuo An. eod. 1241. qui Libros V. Decretalium ediderat. 2. 3.

COELESTINUS IV.

Electus à decem solummodo Cardinalium Collegio An. 1241. tuente *Ferdinando Ughello*, fuerat Ordinis Cisterciensis. Cæsari, ante Urbem in Castris demorato, pacem obtulit: sed ante Responsum acceptum jam iterum decessit altero Mense. *Dec. V. j.* 3. *ij.* 2. 3.

INNOCENTIUS IV.

Electus demum A. 1243. Sede ultra novendecim menses vacante, cùm Cæsar Cardinales captos ad Electionem dimittere noluerit. Fecit postremò omnium, etiam sibi adhærentium, convitiis in metum conjectus, sed ea conditione, ut, qui ipse non eligeretur, ad captivitatem rediret. Electo gratulatus, pacem ipse obtulit, ac de ea, urgente maximè *Balduino* Constantinopolis Imperatore, per Tractatus egit. Sed re jam ad jusjurandum deducta, ipse resiliit, voluitque à diris absolvi, antequam Præsules captos dimitteret, terris Ecclesiæ absce-deret, & quidquam aliud præstaret. Quod cùm fieri omnino non deceret, sufflaminata pace, Papam apud Typhernum capere disposuit: qui tamen præmonitus, fugit. *Dec. V. j.* 24. 25. 37. Priusquam verò Italia excederet, Diras in Cæsarem iterum intorsit: deinde in Galliam se recipiens, easdem ex omnibus Cathedris denunciari præcepit, & Concilium Lugduni indixit. Imperatori tamen prævias conditiones posuit, quibus impletis concordia fieri posset. Ni istæ placerent, eum ad Concilium invitavit, ubi causam suam, si jure posset, coram Patribus tueretur. Actum id fuit An. 1245. ibique Cæsar, cujus Oratores nihil in Rem utile afferre poterant, omnium Patrum communi sententia communione fidelium exclusus, Imperio dejectus, & Electio nova decreta fuit. 45.

Electus nutu Papæ novus Romanorum Rex *Henricus*, à paucis verò agnitus, quamvis non agnoscentes Anathemate urgerentur. 60. Obiit is A. 1247. à *Conrado* Filio Cæsaris victus. 75. 76. Ægrè procurata Electio altera *Wilhelmi* Hollandiæ Comitis, quem Papa pecuniis juvit, & indulgentiis pro iis, qui signa ejusdem sequerentur. Præsules, Principes, Provinciæ, ei non obaudientes, anathemate, & interdicto mulctabantur. 77. 78.

An. 1251. *Friderico* Imp. inter turbas defuncto, Papa è Gallis rediens, *Conradum* Cæsaris Filium omnibus modis à successione in Sicilia impedire conatus est: pro quo tamen *Manfredus* Nothus Cæsaris hoc Regnum occupavit. Utrumque Papa execratus est: illi verò rigidè in Pontificios ulti sunt. *Dec. VI. j.* 1. *sqq.* Quare Papa Regnum Siciliæ, tanquam Ecclesiæ fiduciarum, vindicandum, armísque asserendum obtulit *Richardo*, Regis Angliæ Fratri: hoc autem respuente, *Carolo* Andegavensi, Fratri S. *Ludovici* Galliæ Regis: qui acceptavit quidem, statim verò, ut voluerat Pontifex, arma expedire non potuit. 15. Defunctô *Conrado* Rege, etiam Filium ejus *Conradinum* hæreditate Siciliæ exclusit *Innocentius*, & Regnum suis Legatis & exercitibus magna parte occupare disposuit. Sed subitò exurrexit *Manfredus*, Pontificios vicit, Regnóque denuo ejecit. Qui cùm fugientes Papam Neapoli quærerent, jam defunctum repererunt A. 1254. 20.

ALEXANDER IV.

Electus A. 1254. *Wilhelmum* Romanorum Regem invitavit ad Coronam, non venientem. Siciliæ Regnum *Edmundo* Regio Angliæ Principi puero obtulit, à Patre *Richardo* occupandum: in quo denuo frustra fuit. *Dec. VI. j.* 20. 24. Mortuo *Wilhelmo* Rom. Rege An. 1256. Electionem novam totô annô illô procurare non potuit. 26. Discors, anno sequenti facta, dum *Richardus* Angliæ, & *Alfonsus* Castellæ Rex, divisis votis, ex urna prodirent, Papæ omnino displicuit, nescio, ad quem se verteret. 30. Confirmationem petentes distulit, donec vota concordia fierent. *Manfredus*, occupatâ Siciliâ, Romæ quoque Seditionem excitans, Papam fugere, ac tandem cum hostibus etiam pacisci coegit. 33. Qui belli fessus, *Manfredo* Siciliam quoque permittere voluit erga pacta nonnulla; quorum Princeps erat, ut Saracenos Regno illo expelleret: sed in hoc auditus non fuit. Neque Germaniæ Principibus Electionem unanimem persuadere potuit. 37. Ungariæ Regi *Belæ*, de Tartaris triumphanti, gratulatus, Coronationem Regiam permisit. 44. Cisterciensibus multis Bullis favit. *ij.* 10. Concilium Romæ indictum, sed ob irreptionem Tartarorum omissum, his cæsis iterum decrevit; ipse tamen prior mortuus A. 1261. *Dec. VII. j.* 1.

URBANUS IV.

Electus A. 1261. Patriarcha Jerosolymitanus, Orientis causâ tunc Romæ præsens. In *Manfredum*, seditionem Romæ foventem, Cruce signatos immittere debuit. *Dec. VII. j.* 1. Castellæ Regem *Alfonsum*, in Germania quoque electum, & Imperium sibi confirmari petentem, hortatus est, ut vota concordia sibi antea procuraret. Dum verò is pacta connubialia cum *Manfredo* feriret, eidem exprobravit. 12. Monitus ab *Otocaro* Boh. Rege, Principes Germaniæ de *Conradino* Suevo eligendo cogitare, id fieri sub anathemate vetuit. & Acta in hoc omnia præviè irrita declaravit. 17. Siciliæ Regnum S. *Ludovico* Galliæ Regi obtulit: hærentem conscientiæ securum esse jussit, donec consentiret, ut Frater *Carolus* illud susciperet. 18. Hunc Romani Supremum Senatorem dixerunt, Papa in quinquennium hoc permittente. 21. Qui obiit Perusii Anno 1264. *Ibid.* Non fuit Cisterciensis. *ij.* 1. 2. Rogantibus autem Cisterciensibus Fœminis Solemnitatem Ss. Corporis Christi pro universa Ecclesia instituit paulò ante mortem. 8. - 11.

CLEMENS IV.

Electus A. 1265. *Carolo* Andegavensi Feuda Siciliæ Romæ per Cardinales contulit: sed pugnam cum *Manfredo*, Urbem obsidente, vetuit, priusquam exercitu Gallico potiretur. *Dec. VII. j.* 24. *Alfonso* Castellano frustra suasit, ut Imperio renunciaret. Angliæ suppetias Gallicas impetravit, ut Reges à subditis capti liberarentur. 25. Cùm *Carolus*, ipso *Manfredo* occiso, & ejus Conjuge capta, obtinuisset Siciliam, lætus Papa, eum Romæ per Cardinales coronari fecit Anno 1266. Electis Romanorum Regibus diem dixit ad jura sua asserenda, ut alteruter confirmari posset. 28. Dum *Conradinus* ex Germania ad revindicandam sibi Siciliam cum florenti exercitu veniret, & in Italia, quin Romæ quoque, ac in Sicilia, factionem plurimam haberet: Papa in eum, & Adjutores omnes, anathema dixit, atque omnia egit, ut *Carolo* Regnum servaret. 30. - 32. Exercitum ante oculos ejus Viterbii superbè traducenti *Conradino* & Comitibus ejus, pro benedictione multiplicem execrationem impendit, & interitum vaticinatus est. 38. *Carolum*, acto triumphô nimis crudeles de fautoribus *Conradini* pœnas exigentem, reprehendisse scribitur. 40. An ei percussionem captivorum Principum suaserit, incertum. Obiit, antequam ea fieret, An. 1268. 41. Gravem in Ordine Cisterciensi discordiam per se ipsum suaviter composuit. *ij.* 13. Alia quoque ratione Ordini perquam clementem, ac gratiosum se præstitit. *Ibid.*

GREGORIUS X.

Electus A. 1271. Dum Sancta Sedes annis duobus ac mensibus novem vacâsset, neque Sacerdos, neque Episcopus, neque Cardinalis, sed Archidiaconus Leodiensis, & absens tunc insuper in Syria. *Dec. VIII. j.* 1. Consecratus An. 1272. confirmavit Pacem Ungaricam: Concilium Generale propter Palestinam, Unionem Græcorû, & reformandam Disciplinam, post biennium indixit. *Alfonso* Castellano Imperii Romani confirmationem, novæque Electionis prohibitionem negavit. 5. 6. Quin potiùs eam concorditer fieri apud Germaniæ Principes ursit per Legatum, protestatus, ni officium facerent aliquando, se pro potestate sua Imperatorem denominaturum esse, cùm Ecclesia Defensore carere non posset. 7. Proposuerat, ipsemet cum futuro Imperatore Orienti suppetias ire, maximè, quia *Michaelem Paleologum* admodum promtum noverat, facta Unione Græcorum cum Ecclesia Latina, hanc Expeditionem juvare. 29. Egit præterea Concilium Lugdunense IIdum in Gallia A. 1274. 30. Ibi perfecit Unionem Græcorum: decreta est Expeditio Palestinæ, & statutæ Collectæ pro ea: Ordo novus in Electione Pontificis institutus, ad impediendam diuturnam Sedis vacationem. 31. Confirmavit Electionem *Rudolphi I.* Habspurgici: ægrè consopivit *Alfonsum* Castelanum, arma comminantem. 32. Ab his quoque, Cæsari intentatis, compescuit *Carolum* Siculum, & *Philippum* Gallum. 33. *Otocaro* Bohemo quietem suasurus, vatidico calamo interitum præsagiit: maximè dolens, eum Præsulibus tam iniqua fecisse, qui *Rudolphum* agnoverunt. 34. 35. Huic Legatum submisit, cui solidum pro Ecclesia jusjurandum faceret. Suadebat, *Alfonso* Castellano arma opponere, qui in Italia pro imperio sibi asserendo moliebatur: cum *Carolo* Siculo autem amicitiam interea colere. 41. Belliquadri *Alfonso* collocutus Papa, eum ab æmulatione Imperii vehementer dehortatus, offensum dimisit: domi Elogio Romanorum Imperatoris usum, intentatis etiam diris, tandem compescuit. 42. Lausannæ *Rudolphum* Imp. convênit, qui eidem Sacramentum dixit: Cruce signatus, Expeditionem Orientis, si per negotia Imperii posset, spopondit; de die Coronationis Romanæ cum Papa deliberavit. 46. 47. Inde rediens *Gregorius*, Romámque aditurus, Aretii obiit Anno 1276. Ejus Elogium. 49. Ordini Cisterciensi maximè solemnem Bullam dedit cum speciosissimis laudibus. §. *ij.* 19.

INNOCENTIUS V.

Electus A. 1276. primus ex Ordine Prædicatorum. *Dec. VIII. j.* 50. Cæsarem gratulan-

tulantem dehortatus est, ne in Italiam armatus veniret, bellum cum *Carolo* Siculo pertimescens. Obiit quinto Mense eod. Anno. 50. 53.

HADRIANUS V.

Electus Anno 1276. mortis celeris ipse sibi Vates, mensem solummodo unum, diésque novem, Pontificem gessit. Viterbium Legatos direxerat, pacem compositurus inter Cæsarem, & *Carolum* Siciliæ Regem. *Dec. VIII. j.* 50. 54.

Post eum electum ferunt *Vicedominum de Vicedominis* Cardinalem Ep. Prænestinum ex Ordine Minorum, sed altera statim die defunctum: qui verò apud nullum Scriptorem Nomen habet. 50.

JOANNES XXI.

Electus An. 1276. *Dec. VIII. j.* 50. Cæsari comendavit *Sigfridum* ElectumColoniensem, vexatum à variis. 54. Moderatus est Constitutiones *Gregorii X.* de Electione Pontificis. Subitâ Cameræ ruinâ Viterbii contusus, sexta abinde die obiit *A.* 1277. *n.* 72.

NICOLAUS III.

Electus A. 1277. dum Sacra Sedes mense septimo vacâsset. *Dec. VIII. j.* 72. Cæsari Victoriam de *Otocaro* Bohemo, sibi transcriptam gratulatus, impetravit ex eo per Legatum, ut omnes, Ecclesiæ factas Donationes Pancharta solemni confirmaret: spondens è converso, se effecturum, ut *Carolus* R. Siciliæ Lombardiâ absque armis decederet. 88. Requisivit etiam eundem, ut *Ladislaum* juvenem Ungariæ Regem admodum discolum ad saniora hortaretur, eventu non infelici. Ipse obiit A. 1280. Ordinis Minorum Promotor summus. 92.

MARTINUS IV.

Electus A. 1281. à Romanis, nullo exemplô, electus est Senator Supremus, non ut Papa, sed veluti Persona privata: vices Muneris commisit *Carolo* Siculo, quem etiam Defensorem Italiæ in partibus Ecclesiæ constituit, Lombardiâ Cæsari obaudire jussâ. *Dec. IX. j.* 1. Anno 1282. horribiles *Vesperæ Siculæ* evenerunt, Gallîs omnibus in tota Sicilia necatis, conscio, & Authore *Petro* Aragoniæ Rege: cujus proinde Regnum publicavit Pontifex, Francos in vindictam excitans, & undique fulminibûs agens. 9. Regna *Petri*, Aragoniæ & Valentiæ, *Philippi* III. Galliæ Regis Filiis detulit. *Carolo* & *Petro* pro Sicilia certantibûs, rem pauculorum velitationi ducibûs Regibûs, aut horum singulari certamini, committi vetuit, *Carolo* metuens. 25. Invalescentibûs Aragoniis, & *Caroli* Filium captivum ducentibûs, mœstus Pontifex etiam Crucem in eos prædicari jussit. 33. Electum Salisburgensem *Rudolphum*, Cancellarium Cæsaris & aliquando ejusdem Vicarium Italiæ, jura Imperii strictiùs prosecutum, confirmare distulit, usque dum id Imperator seriò ursisset. Obiit Anno 1285. apud multos de odio gravi adversum Germanos notatus: quæ res affectu laborat. 43.

HONORIUS IV.

Electus A. 1285. Siciliæ Vindicationi æquè studuit, pariter verò gratis. *Carolo* tamen I. Rege defuncto, eliberationem Filii ejus *Caroli* II. capti apud Aragonios, per pacta effecit. *Dec. IX. j.* 74. Liberum A. 1289. ipsemet Romæ coronavit tanquam utriusque Siciliæ Regem: *Alfonsum* Aragonium, & *Jacobum* Fratrem pro detentione Siciliæ anathemate feriit. *Rudolpho* Cæsari petenti Legatum submisit, qui eum ad Coronationem deduceret. 79. Victoria *Caroli* Neapolitani, de *Jacobo* Aragonio relatâ, gavisus, fastidiit inter se pactas biennales inducias. 89. Saracenis, capta Ptolemaide, universam Palæstinam tenentibûs, eam revindicari unicè cupiebat. Voluit ergò pacare Occidentem, résque Siciliæ mutuîs pactîs componere: in quo frustra erat. Neque Expeditionem Sacram, ejúsque media conficere poterant plures Episcoporum Synodi. *Dec. X. j.* 1. A Cæsare Pontifex petiit, ut *Meinhardum* Carinthiæ Ducem, pro vexatione Episcopi Tridentini diris notatum, ad officium cogeret. Dehortatus est etiam, ne ipse, aut Filius *Albertus*, Regnum Ungariæ, tanquam Apostolicum, invaderet. 2. 3. Obiit Ann. 1292. 17.

S. COELESTINUS V.

Electus Ann. 1294. Eremita Benedictinus, postquam Sacra Sedes biennio ac Mensibus tribûs vacâsset, multis licet milliaribûs per mare profugus, honorem tamen effugere non potuit. Sed mirum: quem omnes *Hominem Cœlestem* dixêre, mox ineptus habitus est ad Claves Cœli ritè in terra gerendas. Quare ad abdicationem, quam semper in animo habebat, diligenter persuasus, & impulsus fuit. Paucîs ergo actîs, inter quæ Constitutio erat, posse Papam abdicare, Vicariam Christi Potestatem dimisit, Mense quarto. *Dec. X. j.* 40.

Bonifacius VIII.

Electus A. 1294. Jurium peritissimus, quo Antecessor maximè usus est, eúmque abdicationis præcipuum impulsorem habuit. *Dec. X.* j. 40. Privatum jam eum sub nomine priori *Petri de Murrone*, statim arctissimæ Custodiæ dedit, usque dum Vir Sanctus beatissimo agone concluderet An. 1295. Factum id est ob schismatis metum: cùm essent, qui dubitarent, an abdicatio Pontificis valeret. Defunctum solemniter cum Collegio Cardinalium piavit. 43. *Jacobo* Regnum Aragoniæ permisit, ut abscederet Siciliâ: sed Siculi *Fridericum* ejus Fratrem sibi Regem fecerunt. *Adolphi* Electionem Romanam Papa probavit: dum verò stipendia à Rege Angliæ adversum Gallos accepisset, de indignitate rei eum graviter commonuit. 44. Cùm Galliæ & Angliæ Reges omne pacis consilium respuerent, & bellorum causâ Clerum omnem, æquè ac plebem, gravissimis exactionibus premerent: edita Constitutione in toto Orbe Christiano vetuit, ne Clerici ulli Regum, aut Principum quidquam pendant, Sacra Sede non jubente, aut permittente, A. 1296. Quam ob causam terribiliter indignati Politici, maximè in Gallia, crudissimam ibi discordiam Sacerdotii ac Regni provocârunt, postea funestissimam, licèt protestaretur Papa, se solius Pacis procurandæ causâ nunc ita statuisse. 48. Aragoniæ Regi *Jacobo* Corsicam & Sardiniam beneficiario jure contulit. Edidit Librum VI. Decretalium A. 1297. *Ludovicum* IX. Galliæ Regem Sanctum renunciavit. *Philippo Pulchro* subsidia Cleri permisit. Germaniæ Principes *Adolphum* Cæsarem contra Gallos juvare vetuit. *Wenceslao* Bohem. Regi pro Coronatione sua subsidia Cleri rogare, non cogere permisit. 53. An. 1298. pacem inter Galliæ & Angliæ Reges, arbitriô ad se remisiô, lætus composuit. 58. In Cæsaris *Adolphi* depositionem non consensisse dicitur: quin potiùs eum ad Coronam invitâsse. 62. Victus *Fridericus* Siculus prelio navali, terrestri vicit, & *Caroli* Neapolitani Filium *Philippum* captivum abduxit. 73. Nepotem *Caroli*, Carolum Robertum Ungaris Regem dedit, *Andream* ut Administratorem agnoscens. 74. Barbarum morem frixandi corpora, ut Ossa transferri possent, inhuibuit A. 1299. 75. *Alberti* Cæsaris Confirmationem, ac Coronationem distulisse dicitur: fabulæ huic Rei affictæ. 76. An. 1300. Jubileum Romæ celebravit, exemplô *Innocentii* III. quem illud An. 1200. egisse Testes deposuerunt. Quare id in futurum centesimo quovis Anno agendum constituit. 81. *Alberto* Cæsari, de Sacris Electoribus ob negata Vectigalia Rhenana conquerenti, ab his præventus, diem dixit, ut se de Cæde *Adolphi* Antecessoris purgaret. 84.

Cætera *Bonifacii* VIII. Acta, & fata tristia, in Tomo altero occurrent.

CLASSIS II.

S. R. E. Cardinales Ordine Nominum Alphabetico.

ALBERICUS Card. Episc. Prænestinus, *Eugenii* III. Papæ Legatus, unacum S. *Bernardo* in Provincia Tolosana suppressit *Henricum* hæresiarcham Præcursorem Albigensium sub Ann. 1147. *El. VIII. ij.* 9.

ALBERTUS Card. Presb. tit. S. Lucinæ Cisterciensis, creatus ab *Alexandro* III. postea Papa sub nomine *Gregorii* VIII. *El. IX. ij.* 1.

ANCHERUS Cardin. *Urbani* Papæ IV. ex Fratre Nepos, hujus Pontificis Vitam soluto, ligatóque stilo conscribi jussit à Theodoro Vallicolore, & Gregorio Decano Bajocensi. *Dec. VII. ij.* 2.

BALDUINUS Clarævallensis primus ex Ordine Cisterciensi Cardinalis creatus ab *Innocentio* II. A. 1130. *El. VI. iij.* 3.

BERNARDUS Cistercien. è Claravalle Cardinalis A. 1151. *El. VIII. ij.* 25.

S. BONAVENTURA Cardin. Ord. Min. Doctor Seraphicus obiit Lugduni Galliæ durante ipso Concilio Lugdunensi II. A. 1274. *Dec. VIII. ij.* 14.

CONRADUS ex Archi-Abbate Cistercii creatus Cardin. Ep. Portuensis ab *Honorio* III. A. 1219. *Dec. II. ij.* 27. Legatus in Hispaniam, deinde in Galliam contra Albigenses repululantes. *Dec. III. ij.* 3. Quos armis reprimere debuit. 4. Contra eos Concilium Parisiis egit. 5. Rursum in Germaniam ablegatus. 6. Ibi Concilium celebravit Moguntiæ. 9. Coloniæ, itémque Leodii. 11. Romam reversus Monasterio Clarævallensi Galliæ donavit 4. Corpora Sanctorum. A morte *Honorii* III. A. 1227. in eum, & alios duos à Cardinalibus compromissum. Qui dum ipsum nominâssent, renisus, nominavit *Gregorium* IX. Obiit paulò pòst in Claravalle quiescens. 12.

GERARDUS ex Abbate Pontigniaci creatus Cardin. Episc. Prænestinus ab *Innocentio*

centio III. A. 1202. statim defunctus est. *Dec. I. ij.* 11.

GERARDUS *Sessius* Cisterciens. ex Abbate S. Mar. de Tileto An. 1210. Episcopus Novariensis, statimque ab *Innocentio* III. creatus Cardin. Ep. Albanensis, Legatus Insubriæ, & altero Anno Archiepisc. Mediolanens. pòst paulò obiit. *Dec. I. ij.* 30.

GERARDUS *Blanchus* Cardin. Parmensis sub Ann. 1296. de suis facultatibus Cœnobium Cisterciense S. Martini in Valle Serena juxta Parmam fundavit. *Dec. X. ij.* 11.

GUIDO I. Abbas Cistercii Generalis ex Cardinale Præsb. ab *Innocentio* III. nominatur Episc. Prænestinus. An. 1206. *Dec. I. ij.* 24.

GUIDO II. Archiabbas Cistercii ab *Innocentio* III. creatus Cardin. Ep. Prænestinus An. 1202. *Dec. I. ij.* 11. Legatus in Germaniam, instituit usum Campanulæ in Elevatione Missæ, & Deportatione S. Viatici. Fit Archiepiscopus Remensis. 14. Iterum Legatus, *Philippum* Roman. Regem admodum obsequentem habuit, paulò pòst Gandavi defunctus A. 1206. 24.

GUIDO III. Archiabbas Cistercii ab *Urbano* IV. Card. Præsb. tit. S. Laurentii in Lucina creatus A. 1261. *Dec. VII. ij.* 3. Legatus in Daniam, & Germaniam directus. 14. Utilissima ejusdem opera in Dania, Suecia, Polonia. Germaniam ingressus, Viennæ Austriæ Concilium celebravit A. 1267. cujus Canones, pro Archidiœcesi Salisburgensi conditi, omnibus deinde Synodis Provincialibus fundamenti locò supponebantur. 16. Campililio 5. chartis publicis favit. *§. iij.* 12. Statutum in Concilio, ut Episcopi Diœcesani, secum assumtis duobus Abbatibus Cisterciensibûs, visitent omnia Monasteria Nigrorum. *Otocarum* Bohem. Regem cum *Henrico* Bavar. Duce composuit. §. *ij.* 17. Primus erat ex iis, in quos reliquum Cardinalium Collegium compromiserat, cùm eligeretur *Gregorius* Papa X. An. 1271. *Dec. VIII. ij.* 1.

HENRICUS Cardin. Cisterc. è Claravalle A. 1151. *El. VIII. ij.* 25. Legatus Pontificis, *Friderci* I. Imp. concordiam cum *Hadriano* IV. Papa singulari prudentiâ sua resarcivit A. 1158. §. *iv.* 6.

HENRICUS Clarævallis Abbas ab *Alexandro* III. in Concilio Romano An. 1179. creatus est Cardin. Episc. Albanensis. *El. IX. j.* 15. In Burgundiam Legatus, Albigensibus educto Milite Castrum Vallis eripuit. 18. Post *Urbanum* III. Papa eligendus inæqualibus votis, metu schismatis, honorem deprecatus An. 1187. prædicationem Crucis executus est. *§. ij.* 1.

HUGO Cardinalis Cisterciensis è Claravalle An. 1151. *El. VIII. ij.* 25.

HUGO Præsb. Cardin. tit. S. Sabinæ Legatus Apostolicus, probavit, & ordinavit Solemnitatem SS. Corporis Christi in Diœcesi Leodiensi. *Dec. VII. ij.* 8.

HUGO *de Billomo* Cardin. Episc. Ostiensis obiit sub Ann. 1297. *Dec. X. ij.* 17.

JACOBUS *de Pecoraria* Claravallensis ex Abbate Trium Fontium Romæ à *Gregorio IX.* creatus Cardin. Episc. Prænestinus A. 1231. missus est Legatus ad Insubres, in fide *Friderici* II. Imp. continendos, inter hunc & illos, qualem potuit, pacem sanxit, socio *Ottone* Diacono Cardinali. *Dec. IV. ij.* 1. Promovit preces Patavinorum pro B. *Antonio* Ord. Min. vulgò *Paduano*, in Album SS. referendo. 3. Legatus in Ungariam, Regem *Andream* ad abusus tollendos prudenter inducens, Regnum longo Interdicto liberavit A. 1233. 4. Imperatore *Friderico* II. omnes vias arctissimè obsideri curante, ne Episcopi ad indictum Concilium vocari, aut accedere possent, vilissimi Viatoris habitu pervasit in Galliam, Præsules convocans, inque Synodo Sylvanectensi omnium Redditiuum Ecclesiasticorum Vicesimam pro Pontifice obtinens. Armis etiam coactis adegit *Raymundum* Comitem Tolosanum, qui denuo Albigensium errores revocaverat, ad Reconciliationem cum Ecclesia An. 1240. 16. Cum Præsulibus ad Concilium Classe Genuensium pergens, hac per Classem Cæsaris Pisanam devictâ, cum Sociis captus, ac duro longóque carcere detentus fuit. *Dec. V. j.* 1. Cum *Ottone* Cardinali ad Electionem *Innocentii* Papæ IV. dimissus, obstrictus tamen ad revertendum, nisi ipse eligeretur. 24. Papa hoc in Galliis demorante, ipse ejusdem Vicarius Romæ, ibidem piè obiit, ad Claramvallem suam delatus, & juxta S. Malachiam depositus Anno 1245. §. *ij.* 12.

JACOBUS *de Porta* de Castro Arquato olim è Monacho Claræ vallis Episcopus Mantuanus, ab *Innocentio* IV. creatus Card. Episc. Portuensis A. 1252. bien-

niô postea obiit, in Claravalle sepultus. *Dec. VI. ij. 3.*

JOANNES S. R. E. Subdiaconus, & Legatus Apostolicus Constantinopoli, à Græcis, in Latinos insurgentibus, captus ac decollatus est sub An. 1182. *El. IX. j. 24.*

JOANNES *de Toleto* Cisterciensi, ab *Innocentio* IV. creatus Cardinalis A. 1244. *Dec. V. ij. 7.* Fit Episcopus Portuensis Ann. 1261. *Dec. VII. ij. 3.*

JOANNES Cardin. Episc. Tusculanus Legatus *Honorii IV.* ad *Rudolphum I.* Imp. ut eum coronandum Romam deduceret; quod ex obitu Papæ intermissum, A. 1286. *Dec. IX. j. 62*

MARCUS tit. S. Marci Præsb. Card. Legatus Germaniæ, jussu *Sixti* IV. Papæ, ultimam Inquisitionem in Vitam & Miracula *Leopoldi Pii* Austriæ Marchionis per se ipsum fecit post Annum 1470. *El. VI. iv. 10.*

NICOLAUS *de Claro Monte* Cisterciens. ab *Honorio* III. creatus Cardin. Episcop. Tusculanus A. 1219. *Dec. II. ij. 27.*

OLIVERIUS *Scholasticus* Episc. Paderbornensis, ab *Honorio* III. creatus Præsb. Cardin. tit. S. Sabinæ sub Ann. 1226. *Dec. II. j. 43.*

OTTO Diaconus Card. cum *Jacobo* Card. Episc. Prænestino Legatus ad Insubres pro *Friderico* II. Imp. Pacis eidem procurandæ causâ. *Dec. IV. ij. 1. 3.* Deinde à Cæsare captus. *Dec. V. j. 1.*

OTTO *de Castro Rudolphi* Cisterciens. ex Abbate Ursi Campi ab *Innocentio* IV. creatus Card. Episc. Tusculanus An. 1244. Legatus in Galliam, ac Palestinam, S. *Ludovicum* Galliæ Regem Cruce pro Oriente signavit. *Dec. V. ij. 7.* Illuc cum eo se etiam contulit. In Cypro ejus quoque Insulæ Regi Crucem appendit: Græcos Latinósque ibidem univit: ad partem Tartarorum convertendam admodum laboravit A. 1247. 16. Saraceni ultro deseruerunt Damiatam, ac postea magnâ Victoriâ contriti sunt. 17. Felix erat Spectator Pietatis & Humilitatis Regiæ in sepeliendis fœtidis cadaveribus apud Sidonem. *Dec. VI. ij. 2.* Plures in Palestina Episcopos ex Ordinibus Prædicatorum, ac Minorum ordinavit, jussos Tartaris Evangelium prædicare. Numos, à Christianis Palestinæ cum nomine & Æra Mamohetis cudi deinceps, anathemate vetuit. 6. E Palestina cum Rege rediens, eidem roganti facultatem fecit, in Prætoria Navi Oratorium habendi, ubi SS. Eucharistia diu noctuque, ut in Templo, asservaretur. 8.

PETRUS Præsb. Cardin. Legatus *Alexandri* III. Papæ adversus Albigenses sub An. 1178. *El. IX. j. 12.*

PETRUS *de Barr* Cisterciensi. ex Priore Claræyallis Abbas Igniacensis, deinde Præsb. Cardin. creatus ab *Innocentio* IV. An. 1244. *Dec. V. ij. 7.*

PETRUS *Caputius* Cardin. Legatus *Innocentii* Papæ IV. in Germaniam, eligi procuravit *Wilhelmum* Hollandiæ Comitem in Regem Romanorum Ann. 1247. *Dec. V. j. 77.*

PETRUS ad Velum aureum Diacon. Card. Legatus probavit & ordinavit Solemnitatem SS. Corporis Christi per Diœcesin Leodiensem. *Dec. VII. ij. 8.*

ROBERTUS ex Archiabbate Cistercii à *Cœlestino* Papa V. creatus Cardin. Præsbyt. tit. S. Pudentianæ An. 1294. *Carolo* II. Regi Neapolitano Charissimus. A Papa *Bonifacio* VIII. jam cum *Philippo* IV. Franciæ Rege acerrimè colliso, ad sopiendas lites Legatus in Galliam submissus, cum Pontificis jussum, contra præceptum Regis, ne Legatorum quisquam admitteretur, veteri Cisterciensium spiritu exequeretur, captus, sextúmque in Mensem carcere sic emaciatus est, ut reversurus, Parmæ sub iter obiret An. 1305. Scriptis etiamnum clarus. *Dec. X. ij. 8.*

ROMANUS Diaconus Cardin. Cisterciensibus oppidò favit. Ejusdem suffragio *Gregorius* Papa IX. eorum Privilegia integra conservavit. In Galliam adversus Albigenses ablegatus, petiit, ut Capitulum Generale Cistercii eo Anno citiùs ageretur, propter communes prô felici successu Legatiæ preces. Item, ut, quoscunque vellet, sibi ab Ordine ad hoc negotium concederentur. Cessit hoc feliciter, Albigensi hæresi penitus extinctâ sub Annum 1228. *Dec. III. ij. 13. 14.*

RUDOLPHUS Cardin. Episc. Albanensi. Legatus Apostolicus, probante Pontifice, Monasterium Benedictinum Cupersanum tradidit Virginibus Cisterciensibus B. M. de Verga post Ann. 1270. *Dec. VII. ij. 22.*

STEPHANUS Cardinalis Cisterciensis è Claravalle Ann. 1151. *El. VIII. ij. 25.*

STE-

STEPHANUS Cardinalis, & Archiepiscop. Cantuariensis exul, Cancellarius Parisiensis, sub An. 1213. *Dec. II. ij.* 11, 12.

SIMEON *de Bello Loco* Archidiaconus primùm Carnotensis, deinde Monachus Cisterciensis, abinde Archiepiscopus Bituricensis, demum à *Cælestino V.* A. 1294. creatus Cardinal. Ep. Prænestinus. Ejus Acta. Obiit A. 1297. *Dec. X. ij.* 7.

THEOBALDUS *de Ceccano* Cisterciensis, Abbas Fossæ Novæ, Legatus *Gregorii X.* Papæ ad Principes Germaniæ, ut eosdem seriò ad unanimem novi Imperatoris Electionem hortaretur A. 1273. tam feliciter id egit, ut paulò pòst eligeretur *Rudolphus I.* Habspurgicus, Cistercio hac ratione ad subvectionem hujus Augustissimæ Domus concurrente, de quo sibi plurimùm gratulatur. *Dec. VIII. ij.* 4. Creatus fuit Cardinalis ab eodem Papa A. 1275. 19.

de TOLETO *Joannes* Cardin. Cisterciensis, ejusdem jocus in tam diuturna Cardinalium discordia peropportunus ac utilis ad eam abrumpendam. Commendatione ejusdem postea electus *Gregorius* Papa X. *Dec. VIII. ij.* 1. Obiit Lugduni Galliæ durante ibidem Concilio A. 1274. 14.

CLASSIS III.

Patriarchæ ordine Ecclesiarum suarum.

ANTIOCHENUS.

PETRUS Cisterciensis, Abbas Firmitatis, deinde A. 1205. Episcopus Eporediensis, tandem A. 1209. Renunciatus Patriarcha Antiochenus. *Dec. I. ij.* 29.

AQUILEGIENSES.

ULRICUS consecravit *Adalbertum* Archi-Episcopum Salisburgensem A. 1169. *El. VIII. v.* 20.

PILGRINUS testabatur Privilegio *Friderici I.* Imp. pro Austria A. 1156. *El. VIII. iij.* 22. Subscripsit Conciliabulo Papiæ per Imp. congregato A. 1160. ubi *Victor* Antipapa pro legitimo timore Cæsaris declaratus fuit: adjecit verò subscriptioni suæ clausulam, *salvâ imposterum Catholicæ Ecclesiæ censurâ.* *Ib. iv.* 22.

WOLFGERUS ex Episcopo Pataviensi fit Patriarcha Aquilegiensis A. 1204. *Dec. I. j.* 18.

GREGORIUS Patriarcha obiit A. 1269. *Dec. VII. j.* 45. Post quem electus *Philippus* natus Carinthiæ Dux, dejectus Archiepiscopus Salisburgensis, iterum verò desertus. *Ib.*

RAYMUNDUS Mediolanensis, in quem vota locò *Philippi* directa. *Ibid.*

CLASSIS IV.

Archiepiscopi Varii ordine Ecclesiarum suarum.

BITURICENSES.

GUILELMUS Cisterciens. ex Abbate Pontigniaci Archiep. Bituric. Galliæ, fortissimus in tolerandis persecutionibus pro Disciplina, & juribus Ecclesiæ suæ: qua constantia omnium tandem amorem promeruit. Ascendit ad hoc fastigium sub An. 1201. *Dec. I. ij.* 7.

GERARDUS procuravit, ut *Guilelmus* Antecessor ab *Honorio III.* A. 1217. in Album SS. relatus fuerit. *Dec. II. ij.* 25.

SIMEON *de Bello Loco* Cisterciensis, postulante *Philippo Pulchro* Galliæ Rege electus, nec longè pòst, eodem commendante, creatus Cardinalis A. 1294. *Dec. X. ij.* 7. Legatus in Franciam. Vide suprà Cl. II.

BREMENSIS.

GERARDUS Comes Lippiæ à proprio Patre *Bernardo* Episcopo Letalhensi consecratus Archiepiscopus Bremensis, assistente Fratre suo *Ottone* Episcopo Trajectensi. *Dec. VI. ij.* 20.

BURDEGALENSIS.

GIRALDUS Archiepiscopus, ad quem *Ivo* Clericus Narbonensis Epistolam dedit de Vienna Austriæ à Tartaris liberata sub An. 1242. *Dec. V. j.* 20.

CANTUARIENSES.

THOMAS ab *Henrico II.* Angliæ Rege invitus ad fastigium Archipræsulare elevatus, non longè pòst ob Libertatis Ecclesiasticæ intrepidam defensionem Regno expulsus, hospes in Pontigniaco recipitur, & habitum Cisterciensem recipit A. 1164. *El. VIII. iv.* 33. Rege autem Cisterciensibus omnibus in Anglia ultionem comminante, ni Ordo hostem suum à se expelleret, *Thomas*, relictô Pontigniacô, ad *Ludovicum VII.* R. Galliæ se contulit sub An. 1166. *Ibid. v.* 18. E Galliis à Rege suo revocatus, cùm in antiqua fortitudine persisteret, brevì pòst impiorum gladiis in Ecclesia trucidatus fuit A. 1170. ejúsque ad corpus repertus Habitus Cisterciensis. 24. Papa *Alexander III.* eum Sanctum dixit An. 1173. 31.

RICHARDUS Benedictinus, *Thomæ* Successor, mox initio se Observantiæ Cisterciensi addixit. *El. VIII. v.* 31. Obiit A. 1184. *El. IX. j.* 28.

BALDUINUS ex Abbate Fordæ Cisterciensi Successor datus *Richardo* fuit. *El. IX. j.* 28. Prædicata per se Cruce in Anglia, ipse postea cum signatis in Palestinam profectus, in obsidione Urbis Acconis piè defunctus est A. 1190. *ij.* 15.

HU-

HUBERTO, vel *Humberto* Archiepiscopo scripsit *Richardus* Rex Angliæ, captus in Germania A. 1193. *El. IX. iij.* 31. Idem Monasterio Cisterciensi Dunis in Flandria Ecclesiam de Eschiersoh in Stapeya pro perpetua Eleemosina tradidit. 31.

STEPHANUS *Langtonus* Archiepiscopus, Cancellarius Parisiensis, S.R.E. Cardinalis, expulsus à Rege *Joanne*, in Pontigniaco nostro denuo hospes erat An. 1207. *Dec. I. iij.* 25. Plurima scripsit: cujus & nos Commentaria Psalterii integri tenemus in Membrana. *Dec. II. ij.* 12.

EDMUNDUS Archiepiscopus An. 1235. *Dec. IV. ij.* 8. Exul & ipse, fit in Pontigniaco Hospes, & Monachus A. 1239. 15. Sanctè obiit Anno 1240. 18. Sanctus renunciatur A. 1246. *Dec. V. ij.* 13. Elevatur A. 1247. 14. 17.

CASSHELLENSIS.

DAVID *Meccarwil*, cognomento *OCoroll*, Casshellensis Archiep. Hyberniæ, Cœnobium de Rupe Casshell, ab origine Benedictinum, Cisterciensibus tradidit A. 1260. Habitum hìc ipse suscipiens, & A. 1289. Requiem capiens. *Dec. VI. ij.* 22.

COLONIENSES.

ADOLFUS Archiep. cunctis cæteris Principibus *Friderico* trienni Filiolo *Henrici VI.* Imp. jurantibus, ut futuro Regi, solus id renuit: postea tamen egit pariter A. 1196. *El. X. j.* 11. Sic & *Philippo* Rom. Regi vehementer adversus, & ab *Ottone* æmulo stans, illum tamen prævalentem postea coronavit A. 1205. eapropter à Pontifice dejectus. *Dec. I. j.* 22.

BRUNO Comes de Sayn *Adolpho* Successor datus ab *Innocentio III.* Papa. *Dec. I. j.* 22.

ENGELBERTUS Aquisgrani coronavit *Henricum* Rom. Regem, *Friderici* II. Imp. Filium, A. 1222. *Dec. III. j.* 8. Idem pro Justitia occisus, præcipuo Sicariorum Cognato ejus, Cisterciensium potissimùm obsequio à morte honoratus A. 1225. *ij.* 9. *sqq.*

HENRICUS Archiep. Præcessoris *Engelberti* Vitam & Martyrium per *Cæsarium* Heisterbacensem conscribi jussit, & Occisionis Vindictam à Rege, & Legato Apostolico petiit, atque obtinuit. *Dec. III. ij.* 10.

ENGELBERTUS alius à priore fertur à Principibus ad *Otocarum* Bohem. Regem submissus, ut eidem Imperium Romanum deferret. *Dec. VIII. j.* 10. Idem *Gregorio* X. Papæ transcripsit Electionem *Rudolphi* I. cum insigni elogio. 26.

SIGFRIDUS Archiep. electus A. 1276. & à pluribus vexatus, per *Joannem* XXI. Papam commendatur *Rudolpho* I. Imp. *Dec. III. j.* 54. Pervetustum Parthenonem Benedictinum extra Coloniam Virginibus Cisterciensibus tradidit A. 1277. *ij.* 22.

WICHBOLDUS cum cæteris Collegis i.e. Sacris Electoribus *Alberto* I. Imp. negavit Vectigalia Rhenana A. 1300. *Dec.* X. *j.* 83. *sqq.*

COMSANUS.

STEPHANUS *de Orinigo* Monachus Cisterc. de Vidolbono electus ad fastigium Episcopale Comsanum Regni Neapolis, hunc honorem deprecatus est, Electioni suæ in manus Papæ liberè renuncians A. 1278. *Dec. VIII. ij.* 23.

CUSENTINUS.

LUCAS Sambucinæ Abbas Cisterc. diuturnus Legatus Apostolicus, & hæreticorum Inquisitor, Crucisque Præco adeptus est Dignitatem Archiepiscopalem Cusentinam in Calabria A. 1203. Summoque cum laudum præconio gessit usque ad A. 1223. à morte Beati elogio affectus. *Dec. I. ij.* 15.

MATHEUS *Aquaviva* Dux Andrianensis Sepulchra *Henrici* quondam Roman. Regis Filii *Friderici* II. Imp. & Filiolorum Regiorum, ex Ecclesia Cusentina amoveri jussit A. 1574. *Dec. VI. j.* 66.

EBORACENSES.

HENRICUS Claravallensis erat Archiepiscopus Eboracensis Angliæ A. 1151. *El. VIII. ij* 25.

WICCAMUS Archiepis. Vir doctissimus & Scriptis clarus, Dignitate ultrò abdicata, in Pontigniaco Monachum Cisterciensem induisse, biennio ibi vixisse, ac piè obiisse traditur A. 1285. *Dec. IX. ij.* 7.

HYBERNUS.

S. MALACHIAS Hyberniæ Archiepiscopus, & Primas, in accessu Romæ Claramvallem visitans, ibi Habitum Ordinis induit, Monachum acturus, nisi Papa vetasset, A. 1139. *El. VII. j.* 12. Eam denuò visitans, ibidem sanctè moritur, & à S. *Bernardo* sepelitur A. 1148. *El. III. ij* 12.

IADERENSIS.

HENRICUS Archiep. *Alberoni* Abbati Campililiensi contulit Indulgentias A. 1300. *Dec. X. iij.* 21.

JEROSOLIMITANUS.

BASILIUS Archiep. Campililio Indulgentiis favit, A. 1300. *Dec. X. iij.* 25.

LEOPOLIENSIS.

JOANNES *Longinus*, vulgò *Dlugossus*, Archiep. Lembergæ Russiæ Rubræ Polonicæ, Historiæ Patriæ Scriptor obiit An. 1480. *Dec. II. j.* 18.

LUGDUNENSES.

JOANNES Archiep. Lugd. Galliæ ultrò posita dignitate factus Monachus Clarævallensis, *Innocentio* III. Papæ Theologicas

logicas nonnullas quæstiones proposuit: qui ei per se ipsum prolixè respondere dignatus est sub An. 1202. *Dec. I. ij.* 10.

RADULPHUS *de Pinnis* Abbas Claraevalis, An. 1234. Ep. Agennensis, deinde Anno sequenti Archiep. Lugdunensis, obiit Anno 1236. *Dec. IV. ij.* 8.

JACOBUS Archiepisc. in Claravalle solemnem egit Translationem sexcentorum Corporum SS. An. 1269. *Dec. VII. ij.* 20.

LUNDENSIS.

DUNNERUS Abbas Cisterc. Claræ Insulæ factus Archiep. Lundensis in Dania An. 1224. *Dec. III. ij.* 8.

MAGDEBURGENSES.

WICHMANNUS Archiep. eidem *Henricus Leo* Bav. & Saxon. Dux, in Palestinam iturus, tutelam Terræ commisit Anno 1173. *El. VIII. v.* 33.

BURCHARDUS Archiepisc. astitit Coronationi *Wenceslai II.* Boh. Regis, atque Reginæ, Pragæ An. 1297. *Dec. XI. j.* 54.

MEDIOLANENSES.

ANSELMUS Archiep. *Conradum* seditiosum *Lotharii* Imp. Fratrem Lombardiæ coronâ Mediolani in Regem elevans, ab *Honorio* II. Papa An. 1126. & iterum ab *Innocentio II.* dejectus fuit An. 1134. Post eum electus S. *Bernardus*, honorem humilitate felicius declinavit, ac olim S. *Ambrosius*, frustra eundem defugiens. *El. VI. iij.* 2. 10.

GERARDUS *Sessius* ex Abbate Cisterciensi S. Mar. de Tileto An. 1210. Episc. Novariensis, statimque Cardin. Episc. Albanensis, Anno altero renunciatus Archiepisc. Mediolanen. vix capta Possessione defunctus est. *Dec. I. ij.* 31.

S. GALDINUS Archiep. discipulum habuit *Gaufridum de Castillioneo*, postea Anno 1241. Papam sub nomine *Cœlestini IV. Dec. V. ij.* 3.

MOGUNTINENSES.

S. DISIBODUS Episc. Monasterii à se dicti Conditor sub An. 560. *Dec. VI. ij.* 18.

RYCHARDUS Archiep. instauravit Monasterium S. Disibodi A. 1108. *Dec VI. ij.* 18.

CONRADUS Archiep. *Alexandro* III. legitimo Papæ in schismate fidelissimus, à *Friderico I.* Imperatore exulare coactus est Anno 1165. *El. VIII. iv.* 33. & *v.* 3. Cardinalis, & Legatus Apostolicus creatus, *Adalberto* Archiep. Salisburgensi Pallium attulit An. 1169. 20. Post Reconciliationem Cæsaris cum Papa instituitur Archiepiscopus Salisburgensis An. 1177. *Elog. IX. j.* 11. Restituitur Moguntiæ, defuncto æmulo *Christiano* An. 1183. 25. A Cæsare cum Cruce signatis præmittitur in Ungariam, Bulgariam, &c. ad constituendas Vias, & pretia Victualium paciscenda An. 1188. *El. IX. ij.* 6. An. 1197. Palestinam cum Cruce signatis rursum ingressus est. *El. X. j.* 9. Redux Viennæ adstitit Accinctioni Gladii *Leopoldi VII.* Austr. Ducis. Composuit pacem inter ipsum, & *Emericum* Ungar. Regem, hujúsque Fratrem *Andream*. In reditu sub iter Pataviæ decessit Anno 1200. *Init. Regimin. Leopold. VII.* 10. 11.

CHRISTIANUS, expulso *Conrado* à Cæsare intrusus sub Ann. 1156. duxit copias Cæsaris in Italia. *El. VIII. v.* 15. 25. Reconciliato Cæsare confirmari debuit ab *Alexandro* III. Papa in Sede Moguntina, cùm esset primus Cæsaris Orator, Anno 1177. *El. IX. j.* 11. Adversus Romanos *Lucium* III. Papam Cæsareo cum Milite adjuvans, ex morbo lethali, ab ipso Papa extremè inunctus obiit A. 1183. *Ibid.* 25.

SIGFRIDUS electus & confirmatus à Papa Archiepiscopus sub Ann. 1205. sustinuit Æmulum *Lupoldum*, quem tuebatur *Philippus* Rom. Rex. *Dec. I. ij.* 21. Coronavit *Fridericum* II. Imp. Aquisgrani Anno 1215. *Dec. II. j.* 25.

GERARDUS I. Archiep. Monasterium S. Disibodi Moguntiæ Cisterciensibus tradidit An. 1259. *Dec. VI. ij.* 18.

WERNHERUS Archiep. electus, necdum confirmatus Anno 1260. *Dec. VI. j.* 44. Coronavit Pragæ *Otocarum* Boh. Regem cum Regina *Chunegunde* An. 1261. *Dec. VII. j.* 5. Instante Electione Romana, memor obsequii boni, sibi olim à *Rudolpho* Habspurgi Comite impensi, eum Electoribus commendavit, & vota conciliavit An. 1273. *Dec. VIII. j.* 12. 13.

HENRICUS ex Episcopo Basileensi Archi-Episc. Moguntinus favore *Rudolphi I.* Imp. cui acceptissimus erat, sub Anno 1288. *Dec. IX. j.* 75.

GERARDUS II. *de Eppenstein*, jam electus contra *Henricum*, & eidem cedere compulsus, agente *Rudolpho* Cæsare, successit Æmulo An. 1288. aut sequenti. Memor ergo Æmuli, à Patre sibi prælati, Filii ejus *Alberti I.* Austr. Ducis Electionem Regio-Romanam astu impedivit An. 1292. culpam à se amoliens, & in *Conradum* Archiep. Salisburg. conferens. *Dec. X. j.* 29. 31. Pragæ *Wenceslaum II.* Regem cum Regina coronavit An. 1297. paulò post ab *Adolpho* Imper. obsessus. Liber, hoc deposito, eligi fecit *Albertum* Ann. 1298. 54. 61. 65. Huic, Vectigalia Rhenana reposcenti, iratus, eum ad Electoris Palatini tribunal evocavit, responsurum, quo Jure *Adolphum* Regem occiderit An. 1300. 83. Conquerente *Alberto* apud *Bonifacium VIII.* Papam, *Gerardus* cum Collegis Electoribus Sacris per Literas effecit, ut etiam Pontifex Regi diem diceret. Sed hic in armis præsidium quæsivit. 84.

NARBONENSIS.

ARNALDUS Archi-Abbas Cistercii hoc nomine I. Albigensium Flagellum, fit Archiep. Narbonæ in Gallia Ann. 1212.

Dec. II. ij. 4. Suppetias Cruce fignatorum adduxit *Alfonso* Castellæ Regi adversus Mauros, simul de iis vindictam sumturus ob nostros Calatravenses ab iis excisos. Adfuit prodigiosæ de iisdem Victoriæ: tum ad Albigenses debellandos reversus. 6. His denuo molientibus iterum à Pontifice *Honorio III.* Ann. 1224. Judex datus. *Dec. III. ij.* 6.

NIDROSIENSIS.

AUGUSTINUS Archiep. Nidrosiens. Norwegiæ Sanctorum Albo inferendus rogatur An. 1241. *Dec. V. ij.* 1. Inquisitionem cæptam ab *Innocent. IV.* prosequitur *Clemens IV.* Ann. 1268. *Dec. VII. ij.* 19.

PRAGENSES.

ANDREAS Episcopus Pragensis ob jura Ecclesiæ suæ cum *Premislao* Boh. Rege graviter collisus, componitur cum eo Viennæ per Legatum Pontificis A. 1221. *Dec. III. iij.* 2.

JOANNES Episcopus interfuit Concilio Viennæ Austriæ, Anno 1267. *Dec. VII. ij.* 16.

ERNESTUS, primus Pragæ Archiepiscopus, constitutus Inquisitor in Vitam & Miracula S. *Leopoldi* Marchionis Anno 1357. *El. VI. iv.* 7.

RAVENNATENSIS.

GUIDO nominatus Archiep. à *Friderico I.* Imp. sed ob juventutem, & quia Clericus Papæ erat, ab *Hadriano* IV. non confirmatus, ingentis discordiæ Sacerdotium inter & Regnum occasio fuit. *El. VIII. iv.* 19.

REMENSIS.

GUIDO Archiabbas Cistercii hoc nomine II. Cardin. Episc. Prænestinus, fit Archiepisc. An. 1203. *Dec. I. ij.* 14.

ROTOMAGENSIS.

WALTERUS Archiep. geminos Abbates Cistercienses misit ad inquirendum *Richardum* Angliæ Regem in Germania captum sub An. 1191. *El. IX. iij.* 24.

SALERNITANUS.

ROMUALDUS Archiep. Legatus *Gulielmi* Siciliæ Regis ad Reconciliationem *Friderici* I. Imp. cum *Alexandro* III. Papa, modum & Ordinem omnem ejusdem de visu proprio accuratè descripsit in fine Chronici sui ad An. 1177. *El. IX. j.* 9.

STRIGONIENSIS.

LUCAS Archiepiscopus. Pro eo Sanctorum Cultus postulatus An. 1231. *Dec. IV. iij.* 2.

TARACCONENSIS.

PETRUS *de Albalate* Archiepisc. Taracconæ citerioris Hispaniæ ex Monacho Cisterciensi Populetano Anno 1232. *Dec. IV. ij.* 3.

TARANTASIENSIS.

PETRUS Archiepisc. omnium Cisterciensium primus Antistes, ex Abbate Firmitatis electus Anno 1124. *El. VI. ij.* 18.

PETRUS alter ex Abbate Stamedii electus An. 1138. Fortissimus *Alexandri* III. legitimi Pontificis Propugnator, S. *Bernardo* Æmulus. *El. VIII. iv.* 27.

TOLETANI.

RODERICUS *Ximenius*, Hispaniæ Primas, & Historiographus celeberrimus, in Monasterio Hortæ Cisterciensi, cui plurimùm benefecit, sepultus Anno 1247. *Dec. V. ij.* 15.

SANCTIUS, Filius *Jacobi* Aragonum Regis, exercitum ducens in Saracenos, & incautè pugnans, occisus est, capite dexteráque sibi resectis An. 1274. *Dec. VIII. ij.* 17.

TREVIRENSES.

BOEMUNDUS Archiepisc. Ei *Albertus* I. Imp. mox coronatus, Castrum de Cochim, ab *Adolpho* Rege ei pignori suppositum, perpetuò concessit, cum pacto, ut Rex Romanorum, quoties opus fuerit, ibi recipiatur, & inde se tueri possit, An. 1298. *Dec. X. j.* 68.

DIETHERUS, Frater *Adolphi* Regis, cum Sacris Collegiis Electoribus *Alberto* I. Cæsari negavit Vectigalia Rhenana An. 1300. *Dec. X. j.* 83. - 85.

CLASSIS V.

Archiepiscopi Salisburgenses peculiariter Ordine Chronologico.

S. THIEMO M.

Sub iter Hierosolymitanum, quod cum *Welfo* Bavariæ Duce, & *Itha* Marchionissa Austriæ, *Leopoldi Pulchri* Vidua sub Anno 1101. aggressus est, à paganis in Oriente Martyrio crudeli afficitur. *El. V. j.* 2. 5. Electus erat An. 1090.

CONRADUS I.

Suffectus *Thiemoni* sub Anno 1106. cùm *Henricus V.* Imp. Romæ *Paschalem* II. Papam capi jussisset, præsens, ac indignatus, uni Satraparum, stricto acinace mortem comminato, collum intrepidè objecit An. 1111. Quod aliqui perperam *Conrado* II. Episc. Pataviensi adscripserunt. *El. VIII. iv.* 23. Castrum Frisacum in Carinthia tuetur. Interest Synodo Leodiensi apud Belgas in causa *Innocentii* II. Papæ. *El. VI. iij.* 4. S. *Leopoldum* Austr. Marchionem juvat in Canonicorum Regularium Institutione Cl. Neoburgi, eique procurat B. *Hartmannum* primum Præpositum. 7. Monasterio S. Petri Salisburgi exorat beneficentiam S. Leopoldi. 11. Interest fundationi Cellæ Mariæ in Austria. 18. Dedicat Ecclesiam Cl. Neoburgensem. 28. Obiit Anno 1147.

EBER-

EBERHARDUS I.

Postulatus ex Abbate Benedictino Biburgensi An. 1147. Testatus est Privilegio *Friderici* I. Imp. pro Austria A. 1156. *El. VIII. iij.* 22. Non accessit Conciliabulum Papiense contra *Alexandrum* III. Papam A. 1160. *iv.* 22. Constantissimus perstitit in hujus Pontificis obsequio, Imperatore summè iratô, dum absens erat Præsul, sed præsenti ad omnium stuporem semper Clementissimus. 28. Obiit Runæ in Stiria A. 1164. Salisburgi depositus. 32.

CONRADUS II.

S. *Leopoldi* Marchionis Austriæ Filius, Abbas Cisterc. S. Crucis, deinde Episcopus Pataviensis, Salisburgi electus A. 1164. *El. VIII. iv.* 32. Cæsarem adiens, cùm Antipapam non agnosceret, Regalia non obtinuit. 33. Noribergæ propterea in Curiâ Principum ut Usurpator Cathedræ increpatur. *v.* 10. Lauffingæ, ut proscriptus Cæsaris, & excommunicatus *Paschalis* Antipapæ, condemnatur: Possessiones ac Decimæ Salisburgenses Laicis traditæ: proscripta totius Diœcesis Monasteria. Inde vastatio ingens, *Conrado* tamen armis, ut potuit, obnitente. 11. Obiit in Monasterio Admontensi A. 1168. ubi etiam quiescit. 17.

ADALBERTUS.

Filius *Uladislai* Regis Bohemiæ, & Gertrudis Austriacæ, Ord. Præmonstraten. primùm Pataviæ, mox autem Salisburgi electus An. 1168. indignante Cæsare, quia se inconsulto. *El. VIII. v.* 18. Hoc extrema omnia Salisburgo comminante, Antistes eum accedens locum iræ dedit, & Cathedram resignavit: Salisburgenses verò ab eo abscedere noluerunt. 20. Igitur ipse Cæsar Salisburgi præsens, novam Electionem frustra tentavit. 27. Deponi tamen sententiâ Principum curavit *Adalbertum* in Curia Ratisbonensi Anno 1174. solo *Henrico* Austr. Duce reclamante: intrusus pro eo *Henricus Præpositus* Bertolchgadensis. 39. Quod licèt irritaret Pontifex submissis Legatis, arma tamen prævaluerunt. 40. Secuta Reconciliatione Cæsaris cum Papa An. 1177. *Christianus* Moguntiæ olim intrusus, ibidem confirmatus, *Conradus* ibi antehac expulsus, nunc Salisburgi institutus fuit, *Adalbertus*, ultrò Dignitati nunc renuncians, & eam Ecclesiæ immolans, aliud in tempus jura sua sibi reservavit. *El. IX. j.* 11. Defunctô Ann. 1183. *Christiano*, Moguntiæ denuo restitutus est *Conradus*, & Salisburgi *Adalbertus*, ipso Cæsare petente. 25. Adjuvit Fratrem *Fridericum* Bohemiæ Ducem. 30. Ducem Austriæ *Leopoldum* VI. mox moriturum Græcii intentato Pontificis Anathemate ob lytrum Regis Angliæ exolvit. *El. IX. iv.* 16. Obiit Anno 1199. *Init. Regimin. Leop. VII.* 11.

CONRADUS III.

Olim expulsus Archiep. Moguntinus, & Cardinal. Legatus, pro *Adalberto* Salisburgi institutus Ann. 1177. Restitutus Moguntiæ An. 1183. Vide *Class. IV.* in Archiep. Mogunt.

EBERHARDUS II.

Ex Episcopo Brixinensi Archi-Antistes Salisburgensis evasit A. 1199. Adfuit Accinctioni Gladii *Leopoldi* VII. Austr. Ducis, & Pacis arbitrio inter ipsum atque Ungariæ Regem *Init. Regim. Leop. VII.* 10. 11. Pro *Philippo* Rom. Rege ad Papam Orator fuit Germanorum Principum An. 1201. *Dec. I. j.* 3. Ab *Ottone* jam Imperatore, eúmque Papa colliso, in Italiam accitus, dum ei non consentiret, custodiæ datus est An. 1211. *Dec. II. j.* 1. Cum *Leop.* Austr. Duce Laudum Græcii composuit. 20. Consecravit *Ulricum* Episc. Pataviensem. Celebravit Synodum Provincialem. 26. Fundator exstitit trium Episcopatuum intra suam Archidiœcesin, ita comparans Archiepiscopis Salisburgensibus planè singularem prærogativam creandi Episcopos, & simul Principes Imperii. 27. Contra erectionem Episcopatus Seccoviensis conquesta *Theodora* Ducissa Austriæ: non item Dux ipse *Leopoldus* VII. ex Oriente reversus. 59. 60. Lavantinum Episcopatum in Carinthia instituturus, reperit Corpora SS. Viti & Modesti Martyrum, maximo ritu à se Salisburgum translata. Inde Cultus S. Viti in vicinis provinciis invaluit. *Dec. III. j.* 12. Interfuit Coronationi Regis *Henrici* An. 1222. & Reginæ *Margaretæ* A. 1227. 35. Composuit litem *Eckeberti* Ep. Babenbergensis, & *Bernardi* Carinthiæ Ducis. 37. Sub eo Capitulum Metropoliticum Salisburgense à Capitulo Generali Cisterc. in Fraternitatem receptum. *Dec. III. ij.* 16.

An. 1230. dedicavit Ecclesiam Campililiensem, simúlque ibi deposuit funus *Leopoldi* VII. Austr. Ducis Fundatoris eadem die. *Dec. III. iij.* 28. - 31. Inter *Ottonem* Bavariæ, & *Fridericum* Austr. Ducem, refecit pacem: ubi eum à posteriore captû esse falsum est. *Dec. IV. j.* 36. - 41. Adfuit nuptiis *Constantiæ* Sororis Duc. Austr. 39. - 42. Diras Papales pronunciavit in *Henricum* Rom. Regem, quia in Patrem conspiraverat. 45. Proscripto *Friderico* Austriæ Duce non videtur fuisse inter Executores. 72. Cum hoc Græcii convênit de Immunitate Prediorum. 96. Coram ipso celebratum Ducis Repudium in Carinthia. *Dec. V. j.* 26. - 29. Zwetlæ donavit annuum Salem. 36. Electioni novi Regis Romanorum *Henrici*, licèt à Papa inter Electores deputatus, A. 1246. non interfuit. Quapropter, & quia huic neque postea adhæsit, diris notatus est. Quibùs cùm exsolutus non fuerit, paulò

pòst languens, atque defunctus A. 1246. priusquam Nuncii ejus ad Papam pervenissent, sepultura caruit plurimis annis, cæteroquin summa laude dignus. 60. Campililio donavit annuum Salem cum consensu Capituli sui §. *III.* 6. 7. Anno demum à morte 42. Salisburgi tumulatus, & Sarcophago S. Virgilii Ep. tunc translati, impositus fuit An. 1288. *Dec. IX.* j. 76.

BURCHARDUS.

Ab *Innocentio* IV. Papa nominatus, & institutus An. 1246. in ipso ad Metropolim accessu apud Salemium Cœnobium Cisterciense obiit, ibique sepultus est Anno Altero. *Dec. V.* j. 101. *ij.* 15.

PHILIPPUS.

Natus Carinthiæ Dux, electus A. 1247. à Papa toleratus, ut Administrator Archiepiscopatus, quia Ordines non habebat. *Dec. V.* j. 101. Ministerialium ac Civium Austriacorum nonnullos, Veronæ Cæsarem accessuros, in obsequium Papæ captivos accepit. 84. Stiriam Grassatione hostili semel ac iterum graviter vexavit. *Dec. VI.* j. 14. Statuente *Alexandro* IV. ut Laici Præsules omnes intra Annum ordinarentur, secus gradu movendi, ipse, Fratri Duci *Ulrico* improli in Carinthia succedere sperans, Ordines neglexit, & contra Æmulum sibi dandum arma ac fœdera paravit. 27. Papa novam Electionem Salisburgi præcipiente, & electo *Ulrico* Anno 1257. *Philippus* armis omnia atrocissimè miscuit, tantóque id ampliùs post anathema Pontificis. 31. Pergebat his malefactis, *Otocari* Regis auxilio suffultus, compluribûs annis. *Dec. VII.* j. 2. Defuncto *Gregorio* Patriarcha Aquilegiensi, commendante Fratre Duce, ibi electus est: sed Fratre statim defuncto iterum repudiatus. Quare Ducatum Carinthiæ affectans, magnam ejus partem armis occupavit. Ab *Otocaro* verò Rege, qui Carinthiam à Fratre emerat, ejectus, & in Austriam relegatus, exiguis redditibûs vivere debuit. 45. 47.

ULRICUS.

Ex Episcopo Seccoviensi plurimum reluctans electus contra *Philippum* An. 1257. miserrimas in turbas conjectus est. *Dec. VI.* j. 31. Furente armis *Philippo*, Romam profectus, à Papa *Belæ* Ung. Regi, & *Stephano* Filio ejus, tunc Stiriæ Duci, commendatus quidem, parum inde emolumenti tulit: quin *Stephanus* Urbem Pettoviam Salisburgensem occupavit, nullîs precibûs Archiepiscopi retinendam. 34. Salisburgi summa calamitas erat, quam adauxit intentata *Ulrico* à Pontifice dejectio, quòd, nihil propè reddituum percipiens, subsidium indictum pro Palestina, solvere nequiret. Ab hostibus captus, sed *Otocaro* Rege jubente statim dimissus fuit. *Urbanus* IV. Papa, miseriam Salisburgi levare intendens, hujus Ecclesiæ tutelam *Otocaro* commisit: sic verò oleum flammæ addidit, contrà fremente Bavariæ Duce, qui sibi Salisburgi, à Bavaris Ducibus fundati, Advocatiam competere asseruit. *Dec. VII.* j. 2. 20. Unde & Urbem vi capere contendit. *Ib.* Modum itaque malorum & finem nullum prævidens *Ulricus*, ultrò abdicavit Ann. 1264. hac cessione Anno demum sequenti à *Clemente* Papa IV. admissa. 21. 27.

ULADISLAUS.

Otocari Regis ex *Anna* Sorore Nepos, natúsque Silesiæ Dux, electus primùm Pataviæ, mox etiam Salisburgi, cedente *Ulrico* An. 1265. ibi confirmatus est à Pontifice, undique peregregius, sub quo hæc Metropolis plurimùm respiravit. *Dec. VII.* j. 27. Non adfuit Concilio, Viennæ per *Guidonem* Cardinalem Legatum celebrato An. 1267. quia necdum Pallio donatus erat. *Ib. ij.* 16. Sub eo arsit Salisburgum, & ipse, in Silesiam repetendæ hæreditatis ergo profectus, propinatô sibi ibidem à Propinquis venenô, domum reversus, mox obiit An. 1270. maximo omnium luctu. §. j. 49.

FRIDERICUS II.

Electus è Gremio Metropolitico, quod jam rarum erat, An. 1270. Comes Leonsteinius. *Dec. VII.* j. 49. Interfuit Concilio Lugdunensi Galliæ An. 1274. Sed reduci *Otocarus* Boh. Rex, âtque tunc Austr. & Stir. Dux, iratus, quòd Papa Electionem *Rudolphi* Habspurgici confirmâsset, executionem Decretorum Concilii suis in ditionibus vetuit, etiam jusjurandum ab eo exigens nullius imperio, quod sibi contrarium foret, obtemperandi. Abnuentem ferro & igne persecutus est. *Dec. VIII.* j. 34. 35. Quia pro executione Concilii Synodum egit, & Regalia à *Rudolpho* accepit, auxit vastationem Rex, & Frisacum Urbem diruit, Archipræsule Papam, ac Cæsarem implorante. 43. 55. A *Bernardo* Ep. Seccoviensi, quem corripuit, quòd in Comitiis Augustanis tanquam Orator *Otocari* adeò vehementer in Cæsarem declamaverit, ut proditor sui Regis ad vulgus denunciatus, è Stiria fugere debuit. 56. Comitatus Cæsarem, dum adversus *Otocarum* duceret, subditos Austriacos, consentiente omni Clero, à fide hujus Regis absolvit. 62. Pro sustentando Milite Cæsaris Cleri subsidia larga collegit: quod Imperator postea publico Diplomate prædicans, gratuito duntaxat obsequio, nullóque debito factum, neque in sequelam trahendum protestatus est. 76. Post *Otocarum* devictum & occi-

occisum An. 1278. Cæsar ad Archiepiscopum laureatas literas dedit. 85. Qui gratulatùm accurens, Bohemiæ pacem perfecit. 87. Bavariæ Ducem, qui *Paltramum Vazzonem* foverat, plurimai damna Ecclesiis dantem, anathemate ferire volebat, nisi intercessisset Ep. Seccoviensis. Egit Synodum Provincialem Anno 1281. *Dec. IX. j.* 8. Cæsaris Filio *Alberto* Feuda Salisburgensia conferens, reversus Frisaci Carinthiæ obiit in Parasceve An. 1284. Salisburgum reductus. 40.

RUDOLPHUS.

Baro *de Hohenech*, Cancellarius Cæsaris, electus A. 1284. Jurium peritissimus, ac tenacissimus, miratus Vota in se directa, etiam Cæsari suadenti obluctatus, nec Romæ Confirmationem citò obtinuit, quòd ejus constantia in persequendis Juribus timeretur. Fuit quippe olim Vicarius Cæsaris in Italia, *Dec. IX. j.* 40. Instare Cæsar seriò debuit pro ejus Confirmatione, & Pallii concessione: cui tamen ipsi postea Archiepiscopus iste tam commodus non fuit, ac sperabatur. 47. Prima ei contentio, ut Antecessori, cum *Henrico*, inquieto Bavariæ Duce: inducias usque ad Cæsaris sententiam composuit *Ludovicus* Palatinus. 58. Gravior simultas erat cum *Henrico* Abbate Cœnobii Admontensis, fundati ab *Eberhardo I.* Archiep. Salisburgensi. Absonum enim videbatur, Antistitem Patronum, qui multas in Stiria ditiones habebat, Abbati Clienti, ut Supremo Stiriæ Prætori Ducali, subjectum esse debere, maximè cùm uterque Oeconomiam & Jura domestica strictissimè curaret, neuterque subditis alterius quidquam conniveret. Quæ Æmulatio Archipræsulem cum ipso tandem Austr. ac Stiriæ Duce *Alberto*, cui Abbas perpetuò ad latus erat, accerrimè collisit. 59. 60. Occasio erat Feuda quædam aperta, quæ Dux petebat, Præsul sibimet reservabat: liberior quorumdam Vasallorum Salisburgensium in Stiria licentia, quàm jura Ducis ferrent, ab Antistite non coërcita: damna deinde Admontio ab ipso illata, ut causabatur Abbas, Ducisque opem tanquam Advocati implorabat, & hoc cunctante, Patris Cæsaris Mandatum ad eam præstandam procurabat. 66.

Anno igitur 1287. Archiepiscopus Ducem Neostadii accedens, dum, causâ in Arbitros remissâ, horum sententiæ acquiescere nollet, sententiam Pontifici, vel Cæsari deberi protestatus, belli denunciationem, nisi satisfaceret ipse, accepit. Nihil melius Oratores ejus Viennæ retulerunt, Duce jura sua ab ovo remonstrante. 72. Romæ conquestus præcipuè contra Abbatem, & eum per Synodum corrigere admonitus, hanc convocavit, *S. Virgilii* Corpus transferens, *Eberhardum II.* Archiepisc. anathemate solutum, tandem contumulans, & generaliter vertans, ne ullus Clericus Laicalia Principum negotia tractaret: quo putabat, Abbatem à latere Principis abstractum iri. Sed huic statuto non subscripsit Episcopus Seccoviensis: Dux illud contra se latum interpretatus, hostilia cæpit: cujusmodi vicissim Archiepiscopus non segnius egit, Castra Admontensium non solùm occupans, verùm & funditus evertens. Quocirca etiam Dux in Carinthia Frisacum exussit, Vanstorfii munimenta dirui præcepit, ut par pari referret. 72. 76. 77. 86. Tentata pax, maximè urgente Ducissa *Elisabeta*, jámque convecta erat: sed Abbas, à Duce dimittendus, eam suis lamentis denuo abrupit, bellúmque instauratum. 87. Archiepiscopus, armis impar, diris pugnare voluit: sed Episcopi eas promulgare hærebant, aut renuebant, Dux Appellationem ad Papam paravit. Persuasus interim Præsul, Ducem Viennæ rursum adiit: sed neutro quidquam juris remittere volente, nihil actum, ipsi præterea liber abitus negatus, donec polliceretur, se Statuta sua Synodalia, & anteriora pacta Pacis, jam à Duce firmata, sed abrupta, domi annihilaturum: quod & maximo suo dolore fieri debuit. Cæterùm res ad sententiam Cæsaris remissa. Hanc ingratam, quia Filium concernebat, Cæsar Erfordiæ pacatè componere potiùs, quàm decidere malens, moram traxit. Interea Archiepiscopus die 1. Aug. An. 1290. Divina solemniter ad Aram agens, ex pede primùm acutissimè laborare incipiens, malo per corpus omne serpente, tertia die, non sine veneni suspicione, Christianè decessit. 91. - 93.

CONRADUS IV.

Defuncto *Rudolpho*, Provincialium potiùs, quàm Capitularium voto, electus fuit *Stephanus* Juvenis Bavariæ Dux, & pro ejus Confirmatione Oratores Romam dimissi, quorum præcipuus *Conradus* tunc Episcopus Lavantinus. Quoniam verò Papæ *Nicolao IV.* privata inquisitione constitit, *Stephano* Ætatem, ac mores Præsule dignos, præterea & sacros Ordines cunctos deesse: eo reprobato, peregrinum quemdam Belgam aut Flammingum Sedi Salisburgensi imponere voluit. Anxiè hoc deprecantibus Oratoribus injunxit, ut unum è se eligerent: qui vota in *Conradum* Vanstorfium direxerunt, cùm aliud non liceret. Vi tota reluctantem coëgerunt, confirmatum à Papa, Pallióque donatum Anno 1291. Salisburgi verò non nisi post graves turbas, Papæ demum districtione compositas, receptus fuit. Causam Ecclesiæ suæ pendentem sibi ab Antecessore relictam, armis tueri proposuit: persuasus tamen, antea concordiam cum

 Austr.

Austr. Duce per se ipsum in Stiria pertentare decrevit. *Dec. X. j.* 18. Sed sub iter à Seditiosis ibi Provincialibus, causæ suæ quàm felicissimè terminandæ spe illectus, fœdus adversus Ducem ferit An. 1292. 19. 20. In quod postea ipse etiam Bavariæ Ducem pertraxit. Timens porrò, *Albertum* Ducem, ut fama erat, Regem Romanorum eligendum fore, perscriptis ad Moguntinum Electorem literis, nigerrimis Ducem coloribus depinxit, maximè ut anathemate devinctum, quod quidem non curaret, proinde Electionis incapacem. Nec ista gratis. 22. 23. Cujus jam securus, Duci è vestigio, unacum Bavaro, bellum denunciavit. 24. Expilatô Admontiô, Castrísque & Oppidis aliquot captis, Prucka ad Muram obsessa: ubi fortuna adhæsit. Nunciato enim *Alberti* Ducis adventu, recessit Bavarus, & Archipræsulem, nollet, vellet, sequi compulerat. Styri facilè cæsi, Primores capti, cæteri novam in fidem recepti. 25. 27.

Alberto Duce ad Electionem profecto, sed non electo, ut in Suevia demorante, resumtum à Fœderatis bellum, Carinthiæ illatum, quia ejus Dux *Meinhardus* rogatus, *Alberti* supplevit vices, captus *Ludovicus*, illius Filius per fraudem. At verò apud Castrum *Freyberg* fiebat, quod priùs apud Pruckam. Metu *Meinhardi rursum* abscesserunt Bavari, insecutus Archiepiscopus, anxius de ira Austriaci pariter, ac Carinthiaci Ducis. Fiducia una in *Adolpho* novo Romanorum Rege erat, qui ambobus lividus, placere sibi, quidquid in illos fieret, contestabatur. 35. Reverso *Alberto* Duce tentata Pax, iterum urgente ac perurgente Ducissa, quæ timebat Conjugi, & condolebat Fratri *Ludovico* capto: nihil verò actum, cum Archiepiscopus inclusos vellet Provinciales perduelles Stiriæ, Dux posceret exclusos: donec hi tandem peculiariter se dederent, & veniam quærerent. Tum causa princeps per arbitros agitata, æquè pertinacibûs diu partibûs: usquedum *Ludovicus* Elector Palatinus vehementissima concione obstinatos animos per æternas rationes propositas quassaret. Sic tandem confecta Pax An. 1293. perpetuò quidem duratura ex legibus, verùmtamen tertio anno iterum rupta. 38.

Causam præbuit nova Salina, quam Dux in Valle Kuchelensi in commodum suum & Austriæ suæ paravit: unde Salisburgensibus è distractione Salium lucra plurima cessabant. Conquerentibus Dux reposuit, uti se Dono DEI jure suo, & hoc pacto nemini injuriam facere. 42. Interpellatus *Adolphus* Cæsar Archiepiscopo confirmavit Salinas, & inde provenientia telonia omnia, *Alberto* Duci turbationem in iis omnem inhibens, aut secus se ipsum in Austriam venturum comminatus. Quas minas in causa justa Dux non exhoruit. 45. Cùm verò ex veneno propinato propè in mortem impulsus, præcurrente fama jam defunctus nunciaretur: malè credulus Archiepiscopus ejusdem Salinam funditus destrui curavit An. 1295. 47. Restitutus Dux injuriam ac damnum armis ultus est An. 1296. 49. Ægrè pax refecta est An. 1297. sed adeò mira animorum conversione, ut summa inter eos amicitia coalesceret, fœdus mutuum pangeretur adversum omnes, & Archipræsuli Dux, iterum ad Electionem profecturus, Conjugem & Liberos, ut Patri, ac Tutori commendaret. Levavit Filiam, ut Patrinus: Nobiles plures ense mox à Pace confecta accinxit. 56. 57. Jam electo *Alberto* Archiepiscopus Conjugem ejus Norimbergam ad Coronationem Regiam adduxit An. 1298. 69. Cætera narrabit Tomus alter.

CLASSIS VI.

Episcopi Varii extra Patavienses Ordine Ecclesiarum suarum Alphabetico.

ACCIENSIS.

BENEVENUTUS Cisterciensis incerti Cœnobii ascendit in Cathedram Acciensem Corsicæ An. 1297. Obiit Anno 1332. *Dec. X. ij.* 17.

AESINUS.

JOANNES Episc. Aesii Marcæ Anconitanæ Italiæ, Legatus *Nicolai IV.* Papæ ad *Rudolphum* I. Imp. & in Ungariam An. 1291. *Dec. X.* 1. 3.

AGATHENSIS.

ARNOLDUS Cisterc. ex Abbate Populetano factus Episc. Agathens. Hispaniæ An. 1231. *Dec. IV. ij.* 2.

AGINNENSIS.

RADULPHUS *de Pinnis* ex Abbate primùm Igniacensi, deinde Claravallensi, Episc. Aginnensis Galliæ An. 1234. postea Archiep. Lugdunensis. *Dec. IV. ij.* 4.

ALATRINUS.

LEONARDUS Cisterc. ex Abbate Mormorsolii Episc. Alatrinus Italiæ An. 1297. Veliternensem simul, & Ostiensem Ecclesiam regere jussus est. Obiit Anno 1298. *Dec. X. ij.* 17.

ALBARACINENSIS.

PETRUS *Garces* Cisterc. ex Abbte Petræ Episc. Albaracinæ Valentiæ Anno 1246. Ob. An. 1272. *Dec. VIII. ij.* 3.

ALBENSIS.

REINERUS Cisterc. Episc. Albæ apud Insubres in Marchionatu Montferatensi Ann. 1224. *Dec. III. ij.* 8.

AMELI-

AMELIENSIS.

MAURUS Ep. Ameriæ, hodie Ameliæ in Umbria Italiæ, Campililio Indulgentias contulit Anno 1300. *Dec. X. iij.* 25.

ANGLONENSES.

ROBERTUS è Monacho Cisterc. Sagittariæ Episc. Anglonæ in Apulia An. 1241. *Dec. V. ij.* 4.

LEONARDUS denuo Sagittariæ Monachus An. 1269. *Dec. VII. ij.* 20.

ANTISSIODORENSES.

ALANUS M. *ab Insulis*, prædicatus *Doctor Universalis*, ex Monacho Claravallensi primus Ripatorii Abbas, deinde Episc. Antissiodorens. Galliæ An. 1151. abdicavit ultro An. 1167. reversus in Claramvallem: Obiit Cistercii An. 1202. Scriptis plurimis clarissimus. *Dec. II. ij.* 22.

GUILELMUS Episc. Antissiodorensis, usque ad An. 1220. ubi factus est Episc. Parisiensis. *Dec. III. ij.* 1.

AQUILANUS.

NICOLAUS *de Sinistro* Episcop. Aquilanus Italiæ in Aprutiis ex Abbate Cisterciensi Trium Fontium in Urbe Anno 1267. *Dec. VII. ij.* 18.

ATREBATENSIS.

PETRUS ex Archiabbate Cistercii consecratus est Episc. Atrebatensis Galliæ à *Lucio* III. Papa in Concilio Veronensi Italiæ, præsente *Friderico* I. Imp. An. 1184. *El. IX. j.* 26. 28.

AUGUSTANI.

S. ULRICUS Ep. *Ottoni* I. Imp. author fuit aggrediendi Hunnos, eique Victoriam prædixit An. 955. *El. I. iij.* 5.

SIFRIDUS Episc. Cruce signatus, ob longam sub æstivo Sole in Apulia moram, quam *Fridericus* II. Imp. extraxit, interiit cum aliis plurimis Anno 1227. *Dec. III. j.* 33.

SYBOTO Comes *de Gundelfingen* Successor prioris An. 1227. abdicavit Anno 1252. factus Monachus Cisterciensis *Dec. III. ij.* 11.

AUSETANUS.

BERNARDUS Cisterc. & Abbas SS. Crucium, Inquisitor hæreticæ pravitatis, dono miraculorum celebris, admittere debuit Episcopatum Vicensem, sive Ausetanum Hispaniæ Anno 1234. *Dec. IV. ij.* 7.

BABENBERGENSES.

EBERHARDUS Episc. testatus est Privilegio *Friderici* I. Imp. pro Austria A. 1156. *El. VIII. iij.* 22. Submissus est ab eodem Imp. Romam cum Abbatibus Cisterciensibus, *Alexandro* III. Papæ pacem oblaturus, sed à Longobardis fines Italiæ transire non permissus Anno 1170. *El. VIII. v.* 22.

ECKEBERTUS Episc. in suspicionem adductus procuratæ cædis *Philippi* Rom. Regis, exulabat in Ungaria Anno 1212. longius postea restitutus à *Friderico* II. Imp *Dec. II. j.* 12. Dedicavit Ecclesiam Carthusiæ Gyriensis in Stiria, pro cujus dote intercessit apud *Leopoldum* VII. Austriæ Ducem, Ann. 1227. Tunc etiam litem ejus cum *Bernardo* Carinthiæ Duce Laudo diremerunt *Eberhardus* Archiepisc. Salisb. & *Leopoldus* dictus Austriæ Dux, *Dec. III. j.* 37. Captus fuit in acie per Ducem Carinthiæ, non Austriæ, sub Anno 1233. Hunc tamen postremum cum Duce Bavariæ composuit, & Anno 1234. adfuit Nuptiis *Constantiæ* Sororis *Friderici* Ducis Austriæ. *Dec. IV. j.* 31. 32. 36. 39. Hoc deinde proscripto, jubente Cæsare fuit inter Executores, & ab ipso Viennæ, Austriæque captæ Præfectus constitutus, ubi post paulò obiit sub An. 1238 71. 77. Fertur Glunicensi Cœnobio Benedictino Austriæ, ubi hospitio exceptus aliquando fuerat, multum favorem apud *Fridericum* Austriæ Ducem exorâsse. 83.

BASILEENSES.

ORTLIBUS Episc. cum *Conrado* III. Rege in Orientem Cruce signatus perrexit An 1147. cum eodem rediit An. 1149. *El. VIII. ij.* 17.

BERTOLDUS Comes de Ferreto Episc. excitavit Parthenonem in Michelfelden An. 1252. *Dec. VI. ij.* 5.

HENRICUS Episc. Comes de Novo Castro (Newenburg) Michelfeldensem Parthenonem transtulit in Blazheim Anno 1267. *Dec. VI. ij.* 5. Idem à *Rudolpho* Habspurgico adhuc Comite Basileæ obsessus, cum eo pacem jam inierat, priusquam ejus Electionem Romano-Regiam intellexisset, An. 1257. Obiit Ann. sequenti. *Dec. VIII. j.* 16. 19.

HENRICUS Ord. Minor. Episcopus factus sub An. 1274. *Rudolpho* Imp. acceptissimus, ab eo, & Imperio Orator missus est ad *Otocarum* Boh. Regem, ut ab eo debitum Cæsari obsequium postularet, & Provincias Imperii detentas repeteret, An. 1275. in quo nihil egit. *Dec. VIII. j.* 45. Interfuit Expeditioni Cæsaris in Austriam adversus hunc Regem A. 1276. 62. Obtinuit à Cæsare telonium Basileense de lignis, aliàs Regium, hoc pacto, ut sibi ac Successoribus Regibus, quoties ac quamdiu Basileæ demorarentur, semper ac Episcopo de lignis provideretur. 90. Item Privilegium aliud Ann. 1284. cum insigni sui commendatione. *Dec. IX. j.* 38. Factus est postea Archiep. Moguntinus.

PETRUS Episcopus faventem habuit *Rudolphum* Imp. Anno 1288. *Dec. IX. j.* 75.

BELLO-

BELLOVACENSIS.

HENRICUS Cisterciensis è Claravalle ornavit Cathedram Bellovacensem Galliæ An. 1151. *El. VIII. ij.* 25.

BERCHTOLGADENSIS.

HENRICUS Berchtolgadensis Præpositus intrusus à *Friderico* I. Imp. pro *Adalberto* Archiep. Salisburgensi Ann. 1174. *Elog. VIII. v.* 39. 40. Berchtolsgaden Præpositura est, non Cathedra Episcopalis, in Archidiœcesi Salisburgensi intra Montana inamœna.

BITECTENSIS.

JOANNES *de Colopardo* Monachus Cisterciens. Mormosolii factus Episc. Bitectensis Italiæ An. 1263. *Dec. VII. ij.* 5.

BITURICENSIS.

GUARINUS Cisterc. ex Abbate Pontigniani Episc. Bituricensis Galliæ, missus est ad repullulantem Albigensium hæresin iterum restinguendam A. 1178. *El. IX. j.* 12.

BRIXINENSES.

B. HARTMANNUS ex primo Præposito Regulari Cl. Neoburgensi Episc. Brixinensis Ann. 1140. subscripsit Privilegio *Friderici* I. Imp. pro Austria Anno 1156. *El. VIII. iij.* 22. Non accessit Conciliabulum Papiense Anno 1160. §. iv. 22. Piissimè obiit An. 1164. 33.

RICHERUS Electus Brixinensis in Curia Ratisbonensi collegit, & promulgavit sententiam dejectionis *Adalberti* Archiepiscopi Salisburgensis, quia Antipapæ adhærere noluit, A. 1174. *El. VIII. v.* 39.

BRUNO Episc. An. 1267. interfuit Concilio Viennæ habito. *Dec. VII. ij.* 16.

LANDULPHUS Campililio Indulgentias contulit An. 1300. *Dec. X. iij.* 25. Sed iste Brixiæ magis, vel Bresciæ Italicæ, quàm Brixinæ Tirolensis, Episcopus esse poterat.

BRUGNIATENSIS.

SIMON Episc. Brugnatensis, aut Brumensis in Liguria Genuensis ditionis, Campililio Indulgentias contulit Anno 1300. *Dec. X. iij.* 25.

CALVENSIS.

ODOARDUS Cisterc. Episc. Calvensis in Campania Felici à Concilio Lugdunensi Anni 1245. rediens, ubi omnium vehementissimè in *Fridericum* II. Cæsarem peroraverat, hujus jussu captus, raptus ad carcerem, & necatus fuit. *Dec. V. ij.* 12.

CAPRITANUS.

JOANNES Cisterc. ex Abbate S. Marinæ de Stella Episc. Capritanus Italiæ Anno 1254. *Dec. VI. ij.* 8.

NICOLAUS Episc. Campililio Indulgentias contulit Ann. 1300. *Dec. X. iij.* 21. 25.

CARCASSONENSIS.

GUIDO Cisterc. ex Abbate Vallium Sarnay Episc. Carcassonæ Galliæ An. 1212. Zelo in Albingenses maximo, & Virtute eximia fuit. *Dec. II. ij.* 4. 6.

CARNOTENSIS.

GALTERUS Cisterc. ex Abbate Pontigniaci Episc. Carnotensis Galliæ A. 1219. *Dec. II. ij.* 27.

CASTELLANENSIS.

MONALDUS Castellanæ Civitatis in Hetruria Episc. Campililio Indulgentiis favit An. 1300. *Dec. X. iij.* 21. 25.

CASTELLANETENSIS.

PETRUS Electus Castelletani in Regno Neapolis ex Abbate Floræ Cisterciensi Ann. 1282. obiit ante Consecrationem. *Dec. IX. ij.* 4.

CHALCEDONIENSIS.

JACOBUS Episc. Titularis in partibus infidelium Campililio Indulgentias contulit An. 1300. *Dec. X. iij.* 21.

CHIEMENSES.

CHIEMENSIS Episcopatus ab *Eberhardo* II. Archiep. Salisb. fundatus in Bavaria An. 1216. *Dec. II. j.* 27.

RUDIGERUS Episc. dedicavit Capellam D. Catharinæ Salisburgi ad S. Petrum Cœnobium Benedictinum. *Dec. II. j.* 24. Idem adfuit Ecclesiæ Campililiensis Dedicationi, ac Sepulturæ *Leopoldi* VII. Austriæ Ducis Fundatoris nostri An. 1230. *Dec. III. iij.* 28.

HENRICUS Episc. In eum præcipuè compromissum, dum pro *Philippo* Carinthio jubente Papa, alius Archiepiscopus Salisburgensis eligi debuit Anno 1257. *Dec. VI. j.* 31.

CLAROMONTENSIS.

JOANNES *Aucelin* Cisterc. ex Abbate Clarimontis An. 1298. *Dec. X. ij.* 20.

CLOGIENSIS.

UBERTUS Cisterc. ex Abbate de Brondulo Clogiæ in Æstuariis Venetis electus mox vitâ decessit A. 1284. *Dec. IX. ij.* 6.

CONSTANTIENSES.

CONRADUS *de Tegerfeld* Episc. excepit *Fridericum* II. Imp. primùm è Sicilia ad Germanos penetrantem Anno 1212. *Dec. II. j.* 1. 3. 4.

EBERHARDUS Episc. fœdus panxit cum Abbate S. Galli An. 1259. *Dec. VI. j.* 43.

CORDUBENSIS.

LUPUS Cisterc. ex Abbate Fiterii primus Episc. & Apostolus Cordubæ, Mauris ereptæ, in Hispania sub Anno 1236. *Dec. IV. ij.* 10.

CORO-

CORONENSIS.

THOMAS Ep. Coronensis, aut veriùs Crotonensis in Calabria Campililio contulit Indulgentias An. 1300. *Dec. X. iij.* 21.

CONVENTRENSIS.

HUGO Conventrens. & Lichfieldiensis Ep. à *Richardo* Angliæ Rege pulsus, quòd Frater ejus *Robertus de Nonant* egerit Oratorem Regis Franciæ, & *Joannis* Fratris *Richardi* ad Imp. *Henricum* VI. pro impedienda liberatione Regis à captivitate Germaniæ An. 1192. *El. IX. iij.* 38.

CRACOVIENSIS.

VINCENTIUS Episc. Poloniæ abdicat, fitque Cisterciensis apud Andreovium An. 1218. *Dec. II. ij.* 26.

CUPERSANUS.

STEPHANUS Cisterc. factus Ep. Cupersan. Regni Neapolis An. 1270. *Dec. VII. ij.* 22.

CURIENSIS.

ALGOTUS Cisterc. è Claravalle Episcopus An. 1151. *El. VIII. ij.* 25.

DUNENSES.

CHRISTIANUS Cisterc. è Claravalle Episcopus An. 1151. *El. VIII. ij.* 25.

RODULPHUS Cisterc. ex Abbate Meilrosensi factus Dunæ Episcop. Anno 1201. *Dec. I. ij.* 7.

EICHSTETENSIS.

HENRICUS Episcopus Testis Anno 1225. *Dec. III. j.* 20.

ELIENSIS.

JOANNES Cisterc. ex Abbate de Fontibus Episc. Eliensis Angliæ factus Anno 1220. *Dec. II. ij.* 28.

ELNENSIS.

RAYMUNDUS Cisterc. ex Abbate Populeti Episc. Elnensis Catalauniæ An. 1224. *Dec. III. ij.* 8.

EPOREDIENSIS.

PETRUS Cisterc. ex Abbte Firmitatis Episc. Eporediæ in Sabaudia electus An. 1205. *Dec. I. ij.* 21.

ESERNIENSIS.

THOMAS Episc. Campililio contulit Indulgentias An. 1300. *Dec. X. iij.* 25.

EUGUBINUS.

BENEVENUTUS Episc. à *Nicolao* IV. Papa ut Internuncius ad *Rudolphum* Imp. missus, solemnis ad Coronam Romanam Deductionis ergò An. 1289. quæ tamen facta non est. *Dec. IX. j.* 79. Rursum ab eodem Papa in Ungariam destinatus, ut, occisô Ladislaô, Regni discordiam tolleret, illuc tamen non ivit. 89.

FERRARIENSIS.

LAURENTIUS Episc. & Legatus Apostolicus in Ungariam, preces suas adjunxit communi Austriæ Supplicatione pro *Leopoldo Pio* Marchione Sanctis adscribendo sub An. 1469. *El. VI. iv.* 10.

FESULANUS.

ANGELUS Episc. cum aliis pluribus Campililio Indulgentias tribuit Anno 1300. *Dec. X. iij.* 25.

FIRMANUS.

PHILIPPUS Episc. & Legatus Apostolicus in Ungariam An. 1279. Budæ Synodum agere volens, ejectus est Urbe à *Ladislao* Rege, postea tamen pœnitente. *Dec. VIII. j.* 92.

FRISINGENSES.

HENRICUS I. Ep. commutavit predia quædam in Austria Teste *Leopoldo Pio* March. *El. VI. iij.* 11. Obiit An. 1137. *ib.* §. *vj.* 17.

OTTO I. *Leopoldi Pii* Austr. March. Filius. Ejus Historia sparsim, usquedum fieret Abbas Morimundi Cisterciensis, *El. VI. §. ij. & iij.* Parcè & modestissimè de sua Stirpe scripsit. *El. VI. ij.* 20. Peculiaris de eo narratio ab exordio Episcopatûs An. 1137. exstat *ib. §. vj.* 16. - 22. Cruce signatur pro Oriente. *El. VIII. ij.* 1. Unde miserè rediit. 14. Fratri *Henrico* suasit, & persuasit, ut abjudicatâ sibi à Cæsare Bavariâ quiesceret. §. *iij.* 8. Eidem, Gratiæ Cæsaris se permittenti, favorem summum illius procuravit, Privilegio pro Austria in Ducatum erecta testatus An. 1156. 21. 22. 24. Literas *Hadriani* IV. Papæ, priorum, quæ offenderant, excusatorias, coram Cæsare ac Principibus tam prudenter ex latino exposuit, ut *Fridericus* I. Imp. Papæ feliciter reconciliaretur. §. *iv.* 6. Cæsar ipsum cum *Henrico* Fratre Duce Austr. de Bonis Ecclesiæ suæ disceptantem composuit. 7. Cæsaris Comitatum in Italiam deprecatus, paulò pòst in Morimundo piè obiit. A. 1158. 9.

OTTO II. Ep. Gratias obtinet à Leop. VII. Austr. Duce circa An. 1209. *Dec. I. j.* 40.

CONRADUS I. Episc. à *Friderico Bellicoso* Austriæ Duce pignoris locô Forum Aespach accepit An. 1236. *Dec. IV. j.* 74. Adfuit Cæsari Viennæ demorato. Post cujus discessum ipse remanens, à *Friderico* Duce captus, benè autem habitus, brevíque dimissus fuit An. 1237. 76. 80.

CONRADUS idem An. 1241. beneficum habuit *Fridericum* Ducem eundem, & Año altero rursum cum eo pactus est. *Dec. V. j.* 17. 23. Interfuit Nuptiis *Otocari* Bohemi novi Aust. Ducis A. 1252. *Dec. VI. j.* 9.

CONRADUS II. aderat Concilio Viennæ Austr. habito An. 1267. *Dec. VII. ij.* 16. Item Expeditioni *Rudolphi* I. Imp. in Austriam An. 1276. *Dec. VIII. j.* 62. A quo plures obtinuit chartas, ejúsque Filiis Feuda Frisingensia contulit. 76. Apud eum evicit Jus Provinciale in Oppido Lack adversus *Meinhardum* Comitem Tirolis An. 1279. *Dec. VIII. j.* 90.

FRIDERICUS Ep. Mansus nostros in Probstorf & Schœna, ad se devolutos, nobis permisit jure emphiteutico erga annuum Censum An. 1281. *Dec. IX. iij.* 3.

FUNDARUM.

ROBERTUS Cisterc. è Priore Fossæ Novæ fit Episc. Fundis in Latio An. 1210. mansitque septendecim Annis cum laude, ac meritis plurimis. *Dec. I. ij.* 30.

GERUNTINUS.

BERNARDUS Cisterc. ex Abbate Sambucinæ Ep. Gerunti in Calabria An. 1209. Obiit piè cum preconio Beati An. 1216. *Dec. I. ij.* 29.

MATHEUS Cisterc. ex Abbate Florensi Episc. An. 1234. *Dec. IV. ij.* 17.

GROSSETANUS.

PETRUS Cisterc. è Monacho S. Galgani Episc. sub An. 1220. *Dec. II. ij.* 28.

GURCENSES.

HILDEBOLDUS Episc. pro Archiepiscopo Salisb. *Conrado* I. tuetur Frisacum in Carinthia 1131. *El. VI. iij.* 4.

ROMANUS Ep. interest Institutioni Canonicorum Regularium Cl. Neoburgi An. 1133. *El. VI. iij.* 7. Monasterio S. Petri Salisburgi procurat Beneficentiam S. *Leopoldi* Austr. Marchionis. 11. Adfuit Fundationi Cellæ Mariæ in Austria. 18. Item Dedicationi Ecclesiæ Cl. Neoburg. 22.

JOANNES Episcop. Filiam *Rudolphi* I. Imp. *Constantiam* Sponsam *Caroli* Regii Principis Salernitani Neapolim deduxit An. 1281. *Dec. IX. j.* 2.

MATHEUS *Langius* Episcop. ac Cardinal. (postea Archiepisc. Salisburgensis) An. 1506. Adfuit solemni Translationi S. *Leopoldi*. *El. VI. iv.* 16.

HALBERSTADENSIS.

CONRADUS Episc. ab An. 1214. septenniô cum laude exactô, libere abdicavit, factus Monachus Cisterc. in Sedebecke An. 1221. *Dec. III.* ij. 1.

HERBIPOLENSES.

PERWARTUS Ep. invitavit *Leopoldum Illustrem* Austr. Marchionem ad Festum S. Kiliani: qui ibidem infelici casu obiit An. 994. *El. I.* j. 17.

BRUNO Episc. defunctus Anno 1045. ad Aram petitus An. 1238. *Dec. IV.* ij. 14.

CONRADUS Ep. Cruce signatus in Oriente præ cunctis ante Turonem Urbem clarus, ejus tamen obsidionem postea solvit An. 1197. *El. X.* 10.

BERTOLDUS Episc. interfuit Expeditioni *Rudolphi* I. Imp. in Austriam Ann. 1276. & captâ Viennâ Coarbiter Pacis cum *Otocaro* exstitit. *Dec. VIII. j.* 62. 64.

HILDESHEIMENSIS.

ALBERTUS Princeps Anhaltinus ut Canonicus An. 1282. fundare cœpit Aderslebium Parthenonem Cisterciensem, absolvit ut Episcopus. *Dec. IX. ij.* 4.

ILERDENSIS.

RAYMUNDUS Cisterc. ex Abbate Populetano fit Episc. An. 1239. *Dec. IV. ij.* 15.

IMMOLENSIS.

MAINARDUS Ep. à *Friderico* II. Imp. impositus, cui semper adhæsit, ejúsque Res gestas descripsit: in quibus ob affectum fide meritò laborat. *Dec. V.* j. 102.

JUVENACENSIS.

LEONARDUS *de Strminete* Cisterciens. ex Monacho Fossæ Novæ Episc. Juvenaci in Regno Neapolis An. 1253. *Dec. VI.* ij. 7.

LAVANTINI.

ALMARICUS Cisterc. ex Abbate Runensi Stiriæ sub An. 1259. *Dec. VI.* ij. 15. Interfuit Concilio Viennæ An. 1267. *Dec. VII.* ij. 16.

CONRADUS *de Vanstorf* Ep. Lavant. usque ad An. 1291. ubi factus est Archiep. Salisburgensis. *Dec. X.* j. 18.

HENRICUS *de Haus* nominatus à *Conrado* Successor An. 1291. *Dec. X. j.* 18.

JOAN. SIGISMUNDUS à *Kilenburg* confirmatus An. 1704. *Dec. II.* i. 27.

LAUDUNENSIS.

JACOBUS *de Cereto* Cisterciens. ex Abbate Clarævallis Italiæ electus Lauduni Anno 1217. ante inaugurationem obiit. *Dec. II. ij.* 25.

LAUSANENSES.

AMADEUS Ep. ex Abbate Clarævallis Galliæ An. 1151. *El. VIII. ij.* 25.

B. BONIFACIUS Ep. Lausannensis in Sabaudia, à *Friderico* II. Imp. sæpe in præsens vitæ discrimen conjectus, attamen evadens, factus est Monachus Cisterciensis Cameræ B. M. V. prope Bruxellas. Obiit An. 1260. *Dec. VI. ij.* 21.

LEODIENSIS.

ROBERTUS Ep. disponente DEO per S. *Julianam* Priorissam in Monte S. Cornelii Sanctimonialem Cisterciensem, primus probavit, ac per Diœcesin Leodiensem instituit Solemnitatem SS. Corporis Christi. *Dec. VII. ij.* 8. Ejus Merita tanta & Familiaritas cum Cisterciensibus, ut S. *Lamberti* Episcopi ac Tutelaris Leodiensis Festum quotannis ab universo Cistercio celebari impetraverit. Obiit An. 1246. *Dec. V. ij.* 13.

LESMORIENSIS.

N. Cisterciensis ex Abbate Monasterii ad S. Benedictum electus Episc. Lesmoriæ in Hybernia An. 1203. *Dec. I. ij.* 15.

LETALHENSIS.

BERNARDUS primus Comes Lippiæ postea Cisterciensis sub An. 1260. factus Episc. Letalhensis Livoniæ, consecratus à poprio Filio *Ottone* Episc. Trajectensi, rursúmque cum hoc consecrans alterum Filium *Gerardum* Archiep. Bremensem. *Dec. VI. ij.* 20.

LINGONENSIS.

GODEFRIDUS Cisterciens. è Claravalle Ep. Lingonens. Galliæ A. 1151. *El. VIII. ij.* 25.

LUBICENSIS.

CONRADUS Episc. cum *Henrico Leone* Bavariæ & Saxon. Duce profectus est in Palestinam An. 1173. *El. VIII. v.* 33.

MACLOVIENSIS.

PHILIPPUS Claræ vallis Abbas ab ipso *Urbano* IV. Papa designatus Macloviens. in Gallia Episcopus, deprecatus est honorem An. 1263. *Dec. VII. ij.* 5.

MANTUANI.

GUIDOTTUS Episc. pro tuenda Ecclesiastica Libertate immaniter trucidatus ab Impiis An. 1238. *Dec. IV. ij.* 14.

JACOBUS *de Castello Arquato* è Monacho Cisterciensi eidem Successor datus. *ibid.*

MARTURANENSES.

PHILIPPUS Episc. Mamerti seu Martorani Calabriæ, utriusque Sicil. Regni Magnus Cancellarius, *Friderico* II. Imp. gratissimus, ejus Filium *Henricum* Rom. Regem è Germania captivum in Apuliam conduxit sub An. 1236. *Dec. IV.* j. 65. Ejus Mensæ Episcopali à Cæsare collata Bona Dominorum *de Kala*, qui profugo è custodia *Henrico* hospitium præbuerant. 66.

THOMAS Cistercien. ex Abbate S. Stephani de Bosco Episc. An. 1252. Obiit An. 1254. *Dec. VI.* ij. 3.

MELDENSIS.

JOANNES Cistercien. ex Abbate de Joyaco Ep. Meldens. Galliæ A. 1232. *Dec. IV. ij.* 8.

MELITENSIS.

ANDREAS Cistercien. ex Abbate S. Martini de Bosco eligitur Ep. Melitens. Calabriæ An. 1298. Obiit 1311. *Dec. X.* ij. 20.

MERSEBURGUM.

MERSEBURGENSIS Episcopatus voto nuncupatus ab *Ottone* I. Imp. contra Hunnos pugnaturo, in honorem S. Laurentii: quos decumana internecione sic contrivit, ut nunquam ultra redirent, An. 955. *El. I.* ij. 5.

MISENICIUM.

PRÆPOSITURA Bohemiæ. Ibi Præpositus erat *Adalbertus*, Filius *Uladislai* Bohem. Regis: qui postea factus est Archiepisc. Salisburgensis. *El. VIII* v. 18.

MISNENSIS.

BERNARDUS Comes *de Camenz* Episcop. Misniæ in Lusatia Super. An. 1264. erigere cæpit Parthenonem Cisterciensem dictum Stellam S. Mariæ, consummavit An. 1284. *Dec. VII. ij.* 12.

MORINENSIS.

ADAMUS Morinorum in Belgio Ep. dignitate ultrò posita, Cisterciensem induit in Claravalle An. 1229. *Dec. III. ij.* 20.

NANNETENSIS.

BERNARDUS Cistercien. è Claravalle Ep. ad Nantes Bretagniæ Gallicæ An. 1151. *El. VIII.* ij. 25.

NEOSTADIENSIS.

CASPARUS Episc. per Diœcesin suam Festum S. *Leopoldi* in Choro & Foro præcepit An. 1593. *El. VI. iv.* 17.

NEPESINUS.

HUBERTUS Cistercien. è Claravalle Episc. An. 1151. *El. VIII.* ij. 25.

NOVARIENSIS.

GERARDUS *Sessius* primùm ex Abbate de Tileto Cisterc. Episc. Novaræ Italiæ An. 1210. mox Cardin. Ep. Albanen. deinde Archiep. Mediolanen. *Dec. I.* ij. 31.

OLENENSIS.

JOANNES Episc. Campililio contulit Indulgentias An. 1300. *Dec. X. iij.* 21.

OLOMUCENSES.

ROBERTUS Cistercien. ex Priore in Nepomuck assumtus ad Cathedram Olomucensem Anno 1204. aut sequenti. *Dec. I. ij.* 21.

BRUNO Episc. interfuit Nuptiis *Otocari* Bohemi novi Austr. Ducis An. 1252. *Dec. VI.* j. 9. Scripsit *Gregorio* X. Papæ An. 1273. quales ævo illo essent animi eligentium, sive Præsul, sive Princeps novus quærendus esset. *Dec. VIII.* j. 9. Ab *Otocaro* Rege Præfectus Urbis Viennæ constitutus adversus obsidionem *Rudolphi* I. Imp. eam tradere cogebatur, biduò exinde propter ab irato Rege non admissus: nihilominus postea Coarbiter Pacis Anno 1276. 63. 64. Post *Otocarum* occisum etiam Bohemiæ Pacem absque prelio novo conciliavit An. 1278. *ibid.* 87.

JOANNES Episc. An. 1357. constitutus Inquisitor in Vitam & Miracula *Leopoldi* Pii Austr. Marchionis. *El. VI. iv.* 7.

OPPITENSIS.

STEHANUS Episc. Oppidi in Calabria Ulteriori Campililio Indulgentiis favit An. 1300. *Dec. X. iij.* 25.

OTONIENSIS.

PETRUS Episc. Otonien. Galliæ in Claravalle adfuit solemni Translationi Sexcentorum Corporum Sanctorum Anno 1269. *Dec. VII.* ij. 20.

OXOMIENSIS.

DIDACUS Episc. Oxomii in Hispania, Vir verè Apostolicus, Cistercii Habitum induit, & Ordinem professus, cum Beato *Dominico* secum adducto, nostros adjuvit in prædicatione adversus Albigenses An. 1206. altero Anno ex Mandato Apostolico rediens. *Dec. I.* ij. 23. 25.

PADERBORNENSIS.

OLIVERIUS Scholasticus Cardinalis. *Dec. II.* j. 43. Vide *Class.* II. inter *Cardinal.*

PALESTINUS.

GIRARDUS Cistercien. Episcop. Palestinæ An. 1151. *El. VIII.* ij. 25.

PARISIENSIS.

GUILELMUS Episc. Parisiensis. Vide suprà *Antissiodorensis.*

PARMENSIS.

JOANNES *de Castro Arquato* Cistercien. ex Abbate de Columba Episc. Parmæ Anno 1294. Obiit An. 1299. *Dec. X.* ij. 11.

PLACENTINUS.

JOANNES Cisterc. è Claravalle Episc. Placentiæ An. 1151. *El. VIII.* ij. 25.

ÆGYDIUS Cisterc. ex Monach. Claravallis de Columba An. 1236. *Dec. IV.* ij. 10.

PETINENSIS.

MICHAEL Ep. Petinen. Subdelegatus Inquisitor in Vitam & Miracula S. *Leopoldi* Austr. March. 1470. *El. VI. iv.* 9.

PICTAVIENSIS.

GILBERTUS *Porretanus* Episc. nova de SS. Trinitate tradidit, obnitente S. *Bernardo*. Ejus Capitula præcipua in Concilio Remensi An. 1148. prohibita, ipso aquiescente. *El. VIII.* ij. 10. 11.

PICTAVIENSIS Capituli Cathedralis perniciosum Religioni Consilium *Gregorius* Papa IX. correxit per Episcopum Petragoriensem, & Abbatem de Petrosa Cisterciensem, An. 1229. *Dec. III.* ij. 18.

RATISBONENSES.

CHUNO sive *Conradus* Episc. obiit Anno 1130. *El. VI.* iij. 3.

HENRICUS Comes *de Wolfratshausen* successit *Chunoni*, ignaro *Henrico* Bavariæ Duce, proinde non sine turbis. *El. VI.* iij. 3. Fœderatus cum *Guelfone* Bavaro, vastavit Austriam, ipse vastatus. *El. VIII.* j. 21. Cruce signatur pro Oriente Anno 1147. §. ij. 1.

HARTWICUS Episc. testatus est Privilegio *Friderici* I. Imp. pro Austria An. 1156. *El. VIII.* iij. 22.

ALBERTUS I. Comes *de Piettingau* Episc. interfuit Nuptiis *Otocari* Bohemi novi Austr. Ducis An. 1252. *Dec. VI.* j. 8. 9.

LEO Episc. adfuit Concilio Viennæ Anno 1267. *Dec. VII.* ij. 16.

HENRICUS Comes *de Roteneck* Episc. obtinuit à *Rudolpho* I. Imperatore Confirmationem Privilegii *Friderici* II. Imp. de Immunitate omnis Cleri ab exactionibus Civicis An. 1284. *Dec. IX.* j. 39.

REATINUS.

NICOLAUS Cisterciens. Episc. Præsulari fastigio se ultro abdicavit Anno 1296. *Dec. X.* ij. 14.

ROSCHILDENSIS.

NICOLAUS Episcop. Roschildæ in Dania exul, & Hospes in Claravalle, ibi defunctus, atque sepultus fuit An. 1249. *Dec. V.* ij. 17.

SALMANTINUS.

ORDONIUS Cisterciensium primus in Hispania Episcopus, Congregationi cuidam Nobilium Virorum, Equestrem in Societatem congredienti, cùm ultro sic peterent, Leges dedit ad normam Instituti Cisterciensis. Præludium hoc erat postea exortarum Militiarum Cisterciensium. Factum sub Ann. 1156. *El. VIII.* iij. 24.

SARDENSIS.

GEORGIUS Episc. Campillio Indulgentias contulit An. 1300. *Dec. X.* iij. 21.

SASSENATENSIS.

GUIDO à Monacho Cisterciensi electus Episc. Sassenatensis Flaminiæ in Italia An. 1265. in ipso aditu Cathedræ pro Defensione Libertatis Ecclesiasticæ crudeliter trucidatus est, multùm commoto Pontifice. *Dec. VII.* ij. 14.

SECCOVIENSIS.

HENRICUS Episc. Seccoviæ in Stiria defunctus Anno 1243. & in Monasterio Zwetlensi sepultus. *Dec. V.* j. 36.

ULRICUS ex Episcopo Seccoviensi electus Archiepiscopus Salisburgensis An. 1257. *Dec. VI.* j. 31.

BERNARDUS Episc. Arbiter Litis inter Monasteria S. Lamberti Stiriæ & Campililium An. 1269. *Dec. VII.* iij. 21. Ab *Otocaro* Bohemiæ Rege, cùm esset Vir vehemens atque disertus, tanquam Orator ad Comitia Augustana submissus, amaram Philippicam in Cæsarem declamans, Capitis incurrisset periculum apud Principes, nisi *Rudolphus* I. Imp. vetuisset, Anno 1275. *Dec. VIII.* j. 45. Correptus postea secretò ab Archiepisc. Salisburgensi, quòd ea de re insuper gloriaretur, hunc quoque propalam dictis armis proscidit, & fugere è Stiria compulit. Sed mollibûs Cæsaris literis flexus, ei deinceps constantissimum animum addixit. 66. Adfuit Synodo Salisburgensi An. 1281. cúmque Archiepisc. *Fridericus* Bavariæ Ducem *Henricum* diris devovere jam vellet, ei mitiora, Duci verò saniora persuasit. *Dec. IX.* j. 8.

LEOPOLDUS Episc. non assensit Statuto Synodali, Salisburgi adversus *Albertum* I. Austriæ Ducem concepto Anno 1288. *Dec. IX.* j. 77. Eod. Anno Cl. Neoburgo Indulgentias dedit. 78. Cum *Henrico* Abbate Admontensi, Stiriæ Supremo Prætore collisus, ipsi Duci *Alberto* obsequium renunciavit, & factiosorum Provincialium Orator fuit. Sed Judenburgi post genialem cœnam nocte insequenti subitò defunctus est Anno 1292. *Dec. X.* j. 19.

SEDUNENSIS.

GUARINUS Cisterciens. è Claravalle Seduni Vallesiæ Episc. Anno 1151. *Dec. VIII.* ij. 25.

SIGNINUS.

PETRUS Cisterciens. antea *Martini* IV. Papæ Prælatus Domesticus cum titulo Ep. Lacedemoniensis, factus Ep. apud Signinum Italiæ Anno 1281. *Dec. IX.* ij. 2.

SISTARICENSIS.

RUDOLPHUS Cisterciens. ex Abbate Florilegiæ Ep. apud Sistaricam Provinciæ in Gallia Electus An. 1216. Obiit An. 1241. perpetuo in hac Cathedra Virtutum fulgore illustris. *Dec. II.* ij. 24.

SLESWICENSIS.

WALDEMARUS Episcop. Daniæ Regius Princeps, electus etiam Bremensis Archiepisc. sed ingratiis Regis atque Pontificis

tificis, tandem apud Morimundum Cisterciensis Monachus effectus post An. 1280. *Dec. III. ij. 2.*

SUANENSIS.

DAVID Cisterciens. è Monacho S. Galgani Episc. apud Suanum Hetruriæ An. 1270. *Dec. VII. ij. 22.*

SULMONENSIS.

JACOBUS Cisterciens. è Casæ Novæ Monacho Episc. apud Sulmonem, simúlque apud Valvas Italiæ An. 1252. *Dec. VI. ij. 3.*

THEATINUS.

NICOLAUS Cisterciens. è Monacho Fossæ Novæ Ep. apud Chieti, sive Theate Regni Neapolis in Aprutio Citeriori, unde Ordo Theatinorum à S. Cajetano inchoatus Nomen habet, evectus Anno 1262. *Dec. VII. ij. 4.*

TOLOSANUS.

FULCO Cisterciens. ex Abbate Floreſiæ Ep. apud Tolosam Galliæ An. 1204. *Dec. I. ij. 20.* Ejus pro fide exulis constantia. *Dec. II. ij. 2.* Perduxit B. *Dominicum* ad Concilium Lateranense An. 1215. *ib. 17.* Eidem Tolosæ Decimas dedit. 20. Et Ædes, in quibus cœpit Ordinem suum. 24. Obiit grave Albigensium flagellum An. 1231. *Dec. IV. ij. 2.*

TORNACENSIS.

GIRALDUS Cisterciens. è Claravalle Episc. apud Dornacum, sive Tornacum, vulgò Dornick Flandriæ A. 1151. *El. VIII. ij. 25.*

TRAJECTENSIS.

OTTO Ep. Comes Lippiæ, proprium Parentem *Bernardum* consecrans in Episc. Lethalensem circa An. 1270. mox una cum eodem consecravit etiam Fratrem *Gerardum* in Archiepiscop. Bremensem. *Dec. VI. ij. 20.*

TRIDENTINI.

HARTWICUS Episc. Tridenti pariter & Ratisbonæ subscripsit Privilegio *Friderici* I. Imp. pro Austria An. 1156. *El. VIII. iij. 22.*

HILLINUS Episc. non adfuit Conciliabulo Papiensi An. 1260. morbo prohibitus *El. VIII. iv. 22.*

TURTIBULENSIS.

STEPHANUS de Ferrentino Cisterc. ex Monacho Fossæ Novæ Episc. An. 1254. *Dec. VI. ij. 8.*

NICOLAUS Episc. Campililio Indulgentias contulit An. 1300. *Dec. X. iij. 21.*

VASATENSIS.

GUILELMUS *Gaufridi* Cisterciens. ex Abbate Bellæ perticæ Episc. apud Vasionem Galliæ in Provincia obiit An. 1293. *Dec. X. ij. 6.*

VIRDUNENSES.

GERARDUS *Grandson* Episc. apud Verodunum ad Mosam obiit Anno 1278. *Dec. VIII. ij. 23.*

HENRICUS *Grandson* Frater prioris, & Successor, Cisterciens. ex Abbate Castellionis, sedit usque ad An. 1288. plurimæ laudis Præsul. *Dec. VIII. ij. 23.*

VOLATERANUS.

GALGANUS Cisterciens. ex Monacho S. Galgani Episc. ad Volaterras Italiæ in Tractu Pisano ab An. 1244. usque 1251. *Dec. V. ij. 7.*

UPSALENSIS.

STEPHANUS Cisterciens. Monachus Albastriæ Sueciæ Apostolus, & Primus Upsaliæ Episc. institutus An. 1162. *El. VIII. iv. 30.*

WINTONIENSIS.

NICOLAUS Cisterciens. ex Monacho Wayerleyensi Episc. Wintoniæ in Anglia obiit An. 1280. *Dec. VIII. ij. 26.*

WORMATIENSIS.

CONRADUS Episc. Legatus *Friderici* I. Imp. ad *Emanuelem* Imp. Græcorum in causa Sponsalium Filii sui *Henrici* Regis cum illius Filia, adjunxit se *Henrico Leoni* Bavariæ & Saxon. Duci Jerosolymam petenti An. 1173. *El. VIII. v. 34.*

WRATISLAVIENSIS.

WALTHERUS Episc. cum Capitulo suo intercesserunt, ut Luba, Benedictinis Patribus Lublinium in Poloniam translatis, traderetur Cisterciensibus. Annus intutus. *El. VI. vij. 12.*

CLASSIS VII.

Episcopi Patavienses Ordine Chronologico.

PILGRINUS.

Sedit ab An. 971. usque 991. Fertur ex Prosapia *Rutgeri* Pechlariensis Austriæ Marchionis descendisse, & Versificatori cuidam Ævi sui Author fuisse, Gesta Hunnorum & Avarorum, eorúmque contritionem per *Ottonem* M. Imp. rythmis describendi. A *Benedicto* VII. Papa Pallium consecutus dicitur. *Dissert. Prolog. §. iij. n. 8.* Ab *Ottone* III. obtinuit Confirmationem Vinearum in Wacchau An. 972. *ib. 10.* Item Diploma aliud gratiosum An. 985. *El. I. ij. 12.*

BERENGERUS.

Aliis *Bennio*, ordinatus An. 1013. sedit usque 1045. Obtinuit ab *Henrico* II. Imp. An. 1018. quoddam Prædium propter i. e. propè sive juxta *Marchionem*, ad construendam Ecclesiam, & Mansionem Parochi in Herzogburck. *El. II. ij. 8.*

S. ALTMANNUS.

Evectus ad Cathedram An. 1065. Fundavit Canoniam Regularem S. Nicolai extra Pataviam An. 1075. *El. V. iv. 2.* Expulsus ab *Henrico* V. Imp. tutus agebat

Præsulem in Austria infra Anasum. 3. Eleemosinæ ejusdem 12. Æmulos patitur Pataviæ *Hermannum*, ac *Thiemonem* intrusos. 15. 16. Sanctè obit A. 1091. 18.

ULRICUS I.

Ingressus Præsulatum An. 1092. Æmulo pluribûs adhuc Annis *Thiemone*. *El. V. iv.* 18. Palestinam petit An. 1101. *El. VI. j.* 8. Inde reversus, *Leopoldum Pium* Austriæ Marchionem gladio accinxit. 9. Dedicavit Ecclesiam Meuslingensem An. 1111. 22. Fundat Canoniam Regularem in Trasamure, hodie translatam, dictámque Ducumburgensem. 23. Ejusdem Laus egregia. *Ibid. ij.* 9. Reperit Corpus S. Valentini Episc. Ipse verò, Centenario gravior, vita defungitur Anno 1121. 14.

REGINMARUS.

Electus An. 1121. *El. VI. ij.* 14. Interest Institutioni Canonicorum Regularium Cl. Neoburgi An. 1133. *iij.* 7. Cisterciensium Monachorum in S. Cruce An. 1135. 12. Ei S. *Leopoldus* plures decimas, ex ignorantia contra jura Canonum possessas, libens restituit. 15. Quarum aliquas cum Cl. Neoburgensibus commutavit. Ipse verò ab *Innocentio* II. Papa jubetur, Mellicenses pariter sua in Exemtione non turbare, eísque ablata restituere. 16. Interest Fundationi Cellæ Mariæ in Austria. 18. San-Crucensibus concambio remittit decimas. 20. Adfuit Ecclesiæ Neoburgensis Dedicationi An. 1136. 22. Deposuit Funus S. *Leopoldi* March. An. eod. *iv.* 2. Obiit An. 1138. *El. VII. j.* 9.

REGINBERTUS.

Electus An. 1138. *El. VII. j.* 9. Cruce signatur in Orientem An. 1147. *El. VIII. ij.* 8. Ibidem obiit An. 1148. 14.

CONRADUS.

S. Leopoldi Austriæ Marchionis Filius: de cujus Rebus & Meritis, antequam ex Abbate S. Crucis ad Clavum Episcopalem postularetur, leges *El. VI. vj.* 24. -27. Cathedram Pataviensem conscendit An. 1149. Subscripsit Privilegio *Friderici* I. Imp. pro Austria, Fratríque *Henrico* gratiam Cæsaris conciliavit. *El. VIII. iij.* 21. 24. Adfuit Conciliabulo Papiensi, eique subscripsit *salvâ Catholicæ Ecclesiæ imposterum censurâ*, tum æquô timidior. *iv.* 22. Falsum, quòd se Romæ opposuerit Captivitati *Alexandri* Papæ III. & quòd sustinuerit Anti-Episcopos intrusos *Rupertum*, & *Alberonem*, ipse exul. 23. Ante omnia curavit Monasteriorum Disciplinam fautore *Henrico* Duce Fratre. 24. Cum eo tamen postea discordabat, Arbitro *Eberhardo* Archiepiscopo Salisburgensi delectô. Sed hoc obeunte, & succedente *Conrado*, lis evanuit An. 1164. 31. 32. Cætera vide *Class. V.*

RUPERTUS.

Electus An. 1164. totus ab Antipapa *Paschali* in obsequium *Friderici* I. Imp. stetit. *El. VIII. iij.* 9. Obiit An. 1165. 19.

ALBERO.

Electus An. 1165. animo quidem adhæsit *Alexandro*, sed foris aliud ex metu simulavit, seditione Canonicorum expulsus An. 1168. nec à Cæsare adjutus. *El. VIII. v.* 19.

THIOBALDUS.

Pulso *Alberone* eligebatur *Adalbertus* Regius Bohemiæ Princeps: quem tamen Pataviæ Salisburgum statim eripuit. Suffectus *Henricus* Comes Bergensis, Papam simul ac Cæsarem timens, pòst paulò sponte abdicavit. Collata itaque Vota in *Theobaldum* Fratrem *Henrici*, Cæsare Electioni præsente, An. 1172. *El. VIII. v.* 27. Cum Cæsare jam reconciliato, in Palestinam profectus, Comite *Tagenone* Decano, inde *Leopoldo* VI. Austriæ Duci familiarem Epistolam dedit. *El. IX. ij.* 13. Obiit Antiochiæ An. 1190. 16.

WOLFGERUS.

Electus An. 1191. adfuit Curiæ Ratisbonensi *Henrici* VI. Imp. *El. IX. iij.* 1. Ducem *Leopoldum* VI. sepelivit in S. Cruce An. 1195. *iv.* 14. Osterhoviensi Canoniæ à *Friderico* I. Duce Austr. immunitatem teloniorum impetrat. *El. X.* 8. Cum eo Cruce signatus in Orientem tendit. 9. Dux infirmatus, per eum S. Cruci legat Villam Wezelstorf. 12. Viennæ dedicavit Ecclesiam Scotorum, & putatur *Leopoldum* VII. Ducem accinxisse gladio, & Arbiter fuisse Pacis Ungaricæ. *Init. Regimin. Leopoldi* VII. 10. 11. Funus *Conradi* Cardinal. & Archiep. Moguntini, in finibus Pataviæ defuncti, curat, & Moguntiam conducit Anno 1199. *Ibid.* Fit Patriarcha Aquilegiensis An. 1204. *Dec. I. j.* 18. In animo habuisse dicitur novum Episcopatum, in Austria erigendum. 30.

POPPO.

Electus An. 1204. *Dec. I. j.* 18. Cum Duce *Leopoldo* VII. Fundatore interfuit Inductioni primorum Campililii Monachorum, benedixit primum Abbatem *Okerum*, & probavit Fundationem nostram dicto: ne scripto posset, mors impedivit, quam paulò post obiit An. 1206. *Dec. I. iij.* 22. *sqq.*

MANEGOLDUS.

Electus ex Abbate Cremifanensi, & Administratore Tegernseensi, Episcop. Pataviensis An. 1206. mox Anno altero obnisus est fundationi novi Episcopatus Viennensis. *Dec. I. j.* 29. *sqq.* Captivitatem sibi in Italia ab *Ottone* IV. Imp. intentatam ægrè effugit. *Dec. II. j.* 1. Fun-

Fundationem Campililii scripto probavit An. 1212. *Dec. II, iij.* 5. Fœderato sibi *Alberto* Comite *de Bogen*, bellum Ecclesiis damnosum gessit cum *Rapotone* Ortenburgico Palatino Bavariæ. *Dec. II, j.* 14. Ducem Austriæ *Leopoldum* VII. Patronatus, Advocatiæ, aliorúmque causâ, in jus apud Cæsarem postulavit, lite ultro abscedentem, 21, 22. Moritur Viennæ An. 1215. 23.

Ulricus II.

Electus An. 1215. sed non statim acceptatus. *Dec. II, j.* 23. Consecratus ab *Eberhardo* II. Archiep. Salisburg. 26. Sub eo Canonici Patavienses à *Leopoldo* VII. cujus Præceptor aliquando fuerat *Ulricus* Episc. accipiunt Immunitatem Victualium suorum. 29. Ipse obtinet à *Friderico* II. Imp. Feudum abalienatum Ecclesiæ suæ. 33. Pataviæ Castrum *Oberhaus* dictum exstruxit An. 1219. ob insolentiam Civium. 60. Campililio donavit SS. Reliquias pro Altari novo. *Dec. II, iij.* 25. Profectus in Palestinam Anno 1221. ursit ibidem Cruce signatorum ex Damiata progressum in Ægyptum tempore maximè incommodo, proinde pessimè cedentem. *Dec. III, j.* 4. Reddendæ Saracenis Damiatæ obses datus, cùm postea reverteretur, sub iter obiit Anno eodem 1221. 5.

Gebhardus.

Electus An. 1221. incidit in grave dissidium cum Præposito suo, & An. 1228. Romam petere debuit, Pataviæ rebûs undique turbatis. *Dec. III, j.* 51. Adfuit Ecclesiæ Campililiensis Dedicationi, ac Depositioni *Leopold.* VII. Ducis Fundatoris An. 1230. *Dec. III. iij.* 28. Ducem *Fridericum* Viennæ gladio accinxit Anno 1232. *Dec. IV, j.* 22. Hoc porro eodem Anno ob inimicorum pertinaciam Episcopatu abscessit.

Rudigerus.

Electus Ann. 1233. Anno sequenti interfuit Nuptiis *Constantiæ* Sororis *Friderici* Ducis Austr. *Dec. IV. j.* 39. Hoc deinde proscripto, jubente Cæsare, cum *Ottone* Bavariæ Duce vastavit Austriam Superiorem. 68. Cum Cæsare Viennam pergens, & hoc abeunte ibidem remanens, à *Friderico* Duce, qui Neostadio eruperat, captus fuit, sed benè habitus, ac brevi dimissus An. 1237. 76. 80. Cum hoc postea fœdus inivit perpetuæ Defensionis mutuæ, 96. 97. Sed iterum abruptum. 98. Dux eidem Feuda omnia fassus est Chartâ prolixâ, quæ ab Ecclesia Patavienſi habebat. *Dec. V. j.* 14. Coram ipso pariter, aliísque Præsulibus, *Fridericus* Dux tertiam Conjugem *Agnetem* Frisaci Carinthiæ repudiavit Anno 1243. 26.-29. Cùm Episcopus perpetuò à Cæsare staret contra Pontificem, Dux *Fridericus* in eum hostiliter egit. 40. Præsul contrà Duci, Viennæ Episcopatum erigere meditanti, obnisus est. 57. Benefecit Zwetlæ. 59. Diras Pontificis incurrit, quia dejecto per Concilium *Friderico*, novum electum *Henricum* non agnovit. 60. Suîs, & Bavaricîs Armîs non valentibûs, Cathedrâ suâ est motus An. 1250. 101. Ab eo Campililium redemit Probstorfenses Decimas parato ære: quod ipse Munitioni S. Hippolyti, & aliorum Locorum impendit. *Dec. V. iij.* 10.-12.

Bertoldus.

Comes *de Sigmaringen* ab *Innocentio* Papa IV. Successor datus est *Rudigero* Anno 1250. Sed à Capitulo electus *Albertus* natus Poloniæ aut Silesiæ Dux: qui verò cùm Ordines non haberet, & Cathedram armis asserendam esse conspiceret, renuncians dignitati tertio Mense, ad Nuptias transit. *Dec. V. j.* 101. Liber Æmulô *Bertoldus* An. 1252. adfuit Nuptiis *Otocari* novi Austr. Ducis. *Dec. VI, j.* 8. 9. Obiit An. 1254. 23.

Otto.

Dictus *de Lonsdorf* successit *Berchtoldo* An. 1254. & mox visitavit in Austria. *Dec. VI. j.* 23. Campililii Altaria tria dedicavit An. 1263. causámque Cœnobii contra Plebanum Meuslingensem decidit. *§. iij.* 3. 4. Obiit cum laude magna An. 1265. *§. j.* 27. Post eum electus *Wladislaus* natus Silesiæ Dux: sed abdicante interea *Ulrico* Archiepisc. Salisburgensi, *Clemens* IV. Pontifex Electum Pataviensem Salisburgo Metropolitam dedit, & *Petrum* ejusdem Præceptorem Pataviæ Præsulem constituit.

Petrus.

Nominatus à Pontifice An. 1265. Interfuit Expeditioni *Rudolphi* I. Imp. in Austriam An. 1276. A quo obtinuit Confirmationem telonii in Obernberg, & facultatem Civitates suas muniendi. *Dec. VIII, j.* 71. Ipse Filiis Cæsaris contulit Feuda Patavienſia in Austria, Patre pro eis stipulante. 76. Civitati suæ Mauttern eadem Privilegia impetravit à Cæsare, quæ erant Cremsii, & Steinæ. 90. Obiit verò Tulnæ Anno 1280. 96. Campililio Decimas in Haidpach benignè remiserat, atque donaverat Anno 1274. *Dec. VIII. iij.* 6. Consecraverat quoque Ecclesiam novam in Radelprunn Anno 1280. 20.

Wiccardus.

Stirpis *Polheimiæ*, multùm adjutus commendatione *Rudolphi* Imp. successit *Petro* An. 1280. *Dec. VIII. j.* 96. Obiit Anno 1282.

Godefridus I.

Denuo intercedente Cæsare, cujus Protonotarius fuerat, electus An. 1283. Intercessit bello *Alberti* Austr. & *Henrici* Bavariæ Ducis. *Dec. IX. j.* 29. Apud S. Hippolyti Urbem egit Synodum Provincialem An. 1284. 41. Cæsaris deinde Aulam secutus, An. sequ. 1285. apud Norimbergam devixit. 46.

Ber-

BERNARDUS.

Appellatus de *Prompach* ex Canonico Pataviensi electus Episcopus An. 1285. Ordinis Cisterciensis Amator præcipuus pro devotione sua in Mellifluum, cujus Nomen gessit, statim benefecit S. Cruci. *Dec. IX.* j. 46. Bellis inter Archiepiscopos Salisburgenses *Rudolphum* ac *Conradum*, Ducésque Bavariæ & Austriæ, diu & obstinatè ferventibûs, iterum iterúmque Pacis Arbitrum, sive frustra, sive utiliter egit. Contra ipsum verò Cives Patavienses multo cum tumultu insurrexerunt, ut egredi Urbem cum Canonicis coactus, eam sub Interdicto ponere, machinísque bellicis impugnare debuerit. Sententiam dixit *Albertus* I. jam Cæsar in Comitiis Norimbergensibus An. 1298. Per quam Cives Episcopo obedire, Consules creatos abrogare, Domum Senatoriam, Campanam, Sigillum, Præsuli extradere jubebantur. *Dec. X.* j. 71. An. 1293. de suis facultatibus, & fortuna Domus privata, in Austria Super. Everdingam inter & Passavium erexit Cœnobium Cisterciense, Cellam *Angelorum* dictum: cui moriens Tabulis postremis legavit, quidquid sibi superfuit. §. ij. 6. Vitam tamen suam sequenti adhuc Seculo plures in Annos extendit: unde residua de ipso dicenda supersunt, *Tomo II.*

CLASSIS VIII.

Monasteria, & Abbates Ordinis S. Benedicti Serie Alphabethica Cœnobiorum.

ADMONTIUM.

Antiquissimum Stiriæ Super. Cœnobium. Eidem benefecit *Henricus Jasomirgott* tunc Bavariæ Dux, & Austriæ Marchio, hujus deinde Dux Primus, circa An. 1150. *El. VIII.* ij. 24. Monasterii Advocatiam in se suscepit An. 1169. §. *v.* 21. Ibidem obiit *Conradus* II. Archiep. Salisburg. Filius S. *Leopoldi* Austr. March. 1168. ubi etiam quiescit. *v.* 17. Favit huic Cœnobio *Leopoldus VI.* Austr. & Stiriæ Dux. *El. IX.* j. 15. Eidem *Leopoldus* VII. Dux donavit Capellam S. Martini in Ensthall erga duo Luminaria perpetua An. 1201. *Dec. I.* j. 5. Præterea hoc eod. An. Monasterium sub Abbate *Joanne* peculiarem in Tutelam suam recepit. *Ib.* 9. Quoties emendi causâ Austriam, aut Stiriam accederent, eisdem jus Fori remisit An. 1206. 26. An. 1214. Litem Cœnobii arduam, diuturnam, ac pretiosam, una cum *Eberhardo* II. Archiep. Salisburg. per Laudum diremit. *Dec. II.* j. 20. An. 1242. *Fridericus Bellicosus* Austr. Dux Cœnobio innovavit Immunitatem ab exactionibus Judicum suorum Provincialium. *Dec. V.* j. 22.

HENRICUS Abbas Admontensis, Oeconomus insignis, Stiriæ primùm Archigrammateus, deinde Prætor Supremus, acerrimam aluit simultatem cum *Rudolpho* Archiep. Salisburgensi: unde & ipsi Duci *Alberto* gravissimum cum Archipræsule bellum enatum est. *Dec. IX.* j. 59. 60. Cœnobium suum Abbas ab Archipræsule variè læsum ratus, & id conquestus Duci, ejúsque Defensionem, ut Advocati Admontensis, implorans, cunctantem impetrato ex Patre Cæsare Mandato, perursit. 66. Inde quanta ex Armis Archiepiscopi Cœnobii damna, expilationes, incendia, desolationes ditionum eò attinentium, cùm Antistes Monasterio, quod erat Fundatio Salisburgensibus, præ omnibus iratus esset, legendum tota ferè *Dec. IX. ac X.* Obiit *Henricus*, vanè aliquando in spem Cathedræ Archiepiscopalis ingressus, misera internecione, propriis à famulis occisus. *Dec.* X. j. 49.

ENGELBERTUS ejusdem Successor *Alberto* Duci, Oppidum Rastatt Salisburgense obsidenti, annonam, quantam potuit, subministravit, belli, & miseriarum hæres post *Henricum*. Ibid.

ALTAHA.

Vulgò *Quercus inferior*, sive *Altaich*, vetustissimum Bavariæ inferioris Cœnobium. Ibi obiit *Leopoldus* V. Marchio Austriæ, Dux Bavariæ An. 1141. *El. VI.* *ix.* 14. 15. Sub Abbatibus *Udalrico* & *Ditmaro* gravia Cœnobii hujus damna ab inquietudine *Alberti* Comitis *de Bogen* Advocati. *El. IX.* iij. 3. 4. Abbas *Hermannus* Scriptor Chronicus sub nomine Annalistæ *Steronis*, Antecessori suo Romæ impetratam Infulam, hoc defuncto redux, ipse primus sibi Viennæ imponi curavit à *Rudigero* Episc. Pataviens. An. 1242. aut sequenti: quo postremo *Fridericus Bellicosus* Austriæ Dux eidem confirmavit immunitatem Villæ Abstorf in Austria. *Dec. V.* j. 34. Idem in qua Campililii Judex datus ab *Ottone* Episc. Pataviensi An. 1263. *Dec. VII.* iij. 4.

ASPACUM.

Monasterium Bavariæ gravissimè læsum in bello *Manegoldi* Episcop. Pataviens. cum *Rapotone* Ortenburgico Palatino Bavariæ An. 1212. *Dec. II.* j. 14.

BENEDICTOBURUM.

Inclitum Cœnobium Bavariæ Superioris. Ejus Abbatem *Ortolfum*, Principem suum dilectum, à se Regalia consecutum esse testatus est *Rudolphus* I. Imp. An. 1275. *Dec. VIII.* j. 48. Rursum eidem facultatem indulsit, more Principum è suis constituendi Marescallum, Dapiferum, Pincernam, & Camerarium. 77. Ann. 1286. *Henrico* Abbati absenti Regalia transmisit ob arctas Monasterii sui Res,

sic

ut sumtibus parceret, intercedente Ducissa Bavariæ (*Mechtilde*) Filia sua. *Dec. IX. j.* 69.

BIBURGUM.

Cœnobium Bavariæ. Ejus Advocatiam absque omni emolumento suo suscepit *Leopoldus* VI. Austr. Dux, eique Decimas, ac Nemus donavit anno 1185. *El. IX. j.* 30.

CELLA MARIÆ.

Pervetustum Austriæ Inferior. Cœnobium. Ejusdem Fundatio à S. *Leopoldo* Marchi. perfecta anno 1136. *El. VI. iij.* 17. 18. Idem ab Ungaris exustum. *Dec. V. j.* 100. Ejusdem Abbas *Joannes* an. 1470. subdelegatus Inquisitor in Vitam & Miracula S. Leopoldi. *El. VI. iv.* 9.

CREMIFANIUM.

Celeberrimum Austr. Super. Monasterium. Ejus Abbas *Ulricus* cum *Leopoldo* VI. Duce Austr. in Palestinam peregrinatus an. 1182. sub iter decessit. Quænam Dona retulerit, & quonam illa devenerint. *El. IX. j.* 21. Idem Dux Monasterio favit an. 1189. *Ibid. ij.* 14. Dux *Leopoldus* VII. toto studii sui conamine interposito hoc Cœnobium ab Advocatorum tiranide, & Judicum secularium potestate liberavit, se Advocatum ejus constituens an. 1217. *Dec. II. j.* 34. Cum eodem Abbas *Rudolphus* in Orientem tendens, obiit in reditu, an. 1217. *Dec. II. j.* 41. Cœnobio huic eximiè, munificéque benefecit *Fridericus Bellicosus* Austriæ Dux. *Dec. V. j.* 69.

EINSIDEL.

Monasterium Principale Helvetiæ Eremitarum Benedictinorum, aliàs *Cella S. Meinradi*. Ejus Abbatem *Ulricum* Rudolphus I. Imp. an. 1274. in S. R. I. Principum Consortium adsciscit. *Dec. VIII. j.* 38.

S. EMERAN.

Principalis Abbatia Ratisbonæ. Hic *Conrado* Regi Roman. *Friderici* II. Imp. Filio an. 1251. sicaria mors, incassum tamen, parata fuit. *Dec. VI. j.* 1.

ENGELBERGA.

Cœnobium Vallis Uraniæ in Helvetia. Pro eo Diploma *Gertrudis* Conjugis Rudolphi I. Imp. *nutu DEI in Romanorum Reginam Electæ* miri tenoris. *Dec. VIII. j.* 22.

ESSEDIUM.

Parthenon Benedictinus Imperialis. Propter ejus defensionem *Engelbertus* Archiepisc. Coloniensis pro justitia crudeliter occisus an. 1225. *Dec. III. ij.* 9.

FORMBACUM.

Cœnobium Bavariæ Infer. inhumaniter expilatum ab Austriis an. 1233. *Dec. IV. j.* 35. 39.

S. GALLUS.

Principalis Abbatia Helvetiæ. Ejus Abbas *Ulricus* plurimùm adjuvit *Fridericum* II. Imperatorem, cùm primùm è Sicilia in Germaniam, adhuc Æmulus *Ottonis* IV. Imp. penetrâsset an. 1212. *Dec. II. j.* 3. 4. Orator ejusdem Cæsaris ad Pontificem an. 1217. ut se habuerit in Coronatione *Petri* Constantinopolitani Imperatoris. 39. Abbas *Conradus* gratiâ *Henrici* Român. Regis, Filii Friderici II. Imp. admodum valuit: eum à divortio Reginæ revocavit: ejus Orator fuit pro Dote Conjugis ad *Fridericum* Austr. Ducem, Reginæ Fratrem an. 1231. *Dec. IV.* j. 17.-19. Abbas *Bertholdus* fœdus panxit cum *Eberhardo* Episc. Constantiensi an. 1259. *Dec. VII.* j. 43.

GARSTEN.

Cœnobium antiquissimum Austriæ Super. Primùm Ecclesia Collegiata, ab *Otocaro* Stiriæ Marchione Primo fundata: qui postea introduxit Benedictinos. *El. V. ij.* 4.-7. *VI.* j. 19. Abbas *Hadmarus*, Mellicii postulatus, cum *Leopoldo* VII. Austr. Duce profectus in Palestinam an. 1217. obiit in itinere. *Dec. II. j.* 41.

GLUNICUM.

Austriæ Superioris Asceterium inclitum. Cum ejus Abbate *Raporone* anno 1201. Leopold. VII. Austr. Dux Cambium celebravit Cœnobio gratissimum. *Dec. I. j.* 5. Item aliud cum Abbate *Pilgrimo* an. 1224. *Dec. III. j.* 15. Præsul idem, sub quo Cœnobium subitò incendiô graviter desolatum fuit, Adjutorem permunificum habuit *Fridericum Bellicosum* Austriæ Ducem sub an. 1239. interventu *Eckeberti* Episc. Babenberg. quem hic Abbas aliquando hospitio exceperat. *Dec. IV. j.* 83. 88.

GOTTWICUM.

Splendidissimum hodie longéque celeberrimum, Liberum, & Exemtum Austr. Infer. Monasterium. Fundatur à S. *Altmanno* Episc. Patav. sub an. 1073. primo tum Lapide posito pro Canonicis Regularibus. Ecclesia dedicata sub an. 1083. *El. V. iv.* 3. 14. Inducti Benedictini à morte Fundatoris, ipso Sancto per visionem hoc ordinante, sub anno 1094. Hoc Cœnobium beneficum habuisse scribitur *Leopoldum* V. Austriæ Marchionem & Bavariæ Ducem. *El. VII. ij.* 13. Abbas ejusdem *Wezbelinus* Testis erat Compositionis inter *Premislaum* Bohemiæ Regem, & *Andream* Episcop. Pragensem, Viennæ an. 1221. *Dec. III. iij.* 3.

GRASSIANUM.

Cœnobium Italiæ Padum inter & Astense Territorium Diœcesis Vercellensis in Castro *Granarcim*, Fundatore *Alramo* Marchione primo Montferatensi. Novas eidem Donationes contulerunt *Guilelmus* Marchio Montferatensis, & *Julita* (aliàs *Judith*, vel *Guta*) Conjux, Filia S. *Leopoldi* Marchion. Austriæ, an. 1156. *El. VI.* vij. 23. 24.

LAMBACUM.

Cœnobium Austriæ Super. Fundata ibidem primùm ab *Arnoldo* Comite *de Welas* Ecclesia Collegiata sub an. 1032. Cujus deinde Filius *Adalbero* Episc. Wirceburgensis de Patrimonio suo construxit, atque dotavit Monasterium, introductis Benedictinis an. 1089. *El. V.* iv. 17. Exustum illud à Bojis sub an. 1234. *Dec. IV.* j. 39.

S. LAMBERTI.

Monasterium Antiquissimum ac Celeberrimum Stiriæ: quò etiam attinent Thaumaturgæ Cellæ Marianæ. Eidem favebat *Leopold.* VII. Austr. Dux. ann. 1202. *Dec. I.* j. 9. Orta hujus Monasterii lite cum Campililio, finium Celensium ergò, primum Laudum Arbitrorum, ab *Otocaro* Rege datorum, abnuit *Gotschalcus* Abbas Lambertinus an. 1266. quia se absente factum. Aliis vero Arbitris, Partium compromisso delectis controversia composita an. 1269. *Ibid.* 21.

LAUREACUM.

Vulgò *Lorch* Cœnobium Sueviæ. Surrexit illud an. 1102. Fundatoribus *Friderico Hohenstaufio* Sueviæ Duce, & *Agnete* Conjuge, Filia *Henrici* IV. Imp. secundùm deinde nupta S. *Leopoldo* Austr. Marchioni. *El. VI.* v. 2.

MELLICIUM.

Splendidum & Antiquissimum, summéque florens Cœnobium, Liberum & Exemtum, Primatu Austriæ illustre. Ibi *Leopoldus* I. *Illustris* Proto-Marchio Austr. Babenbergicus, Mellicô Castrô Ungaris ejectis occupatô, excitavit Collegium Sacrum Canonicorum an. 980. *El. I.* ij. 11. Ibi sepultus pro voto suo an. 996. licèt Wirceburgi defunctus. 17. 19. S. *Colomanni* ibi quiescentis Historia. *El. II.* ij. 1. 7. S. Crucis portio insignis unde *Adalberto* Marchioni, Mellicio ab eodem donata an. 1045. *El. III.* ij. 4. 7. iij. 1. Ab *Ernesto* Marchione accepit Predium, Lanceam S. Mauritii, Craterem S. Udalrici. *El. IV.* iij. 12.

Leopoldus III. *Pulcher* Marchio ibidem introduxit Benedictinos an. 1089. *El. V.* iv. 17. Ibi natus *Leopoldus Pius*, Ense accinctus, nupsit, sæpe cum psallentibus psallebat. *El. VI.* j. 1. 9. 16. 18. Impetrat Monasterio Exemtionem annô 1110. 20. 21. Templum consecrari facit, & largiter donat. *j.* ij. 4. Ope ejusdem *Reginmarus* Episc. Patav. compulsus est ad non turbandam Exemtionem, & ablata restituenda. §. iij. 16. Ibidem *Adalbertus* natumaximus *Leopold. Pii* Filius factus est Miles. *j.* vj. 5.

Mellicensium litem gravem sub Abbate suo *Conrado* cum San-Crucensibus, appellatam ad *Alexandrum* III. Papam, Laudo diremit *Leopoldus* VI. Dux an. 1178. *El. IX.* j. 14. Eisdem variè favebat *Leopold.* VII. Dux. *Dec. I.* j. 26. 1. 29. 32. 35. Abbas *Hadmarus*, ex Abbate Garstensi Mellicii postulatus, cum hoc Duce profectus in Palestianam, sub iter obiit, quod agressus erat an. 1217. 41. Favores *Friderici Bellicosi* Austr. Ducis erga hoc Cœnobium, etiam sub ipso suæ Proscriptionis turbine. *Dec. IV.* j. 20. 26. 73. *Dec. V.* j. 23.

Ortolphus Abbas, ab *Alexandro* IV. Papa in causa Campililii unacum *Ottone* Episc. Pataviensi Judex datus, pro eo pronunciat anno 1259. *Dec. VI.* iij. 10. Eundem pariter *Guido* Cardin. Legatus Defensorem Campililii constituit in causis Judicii Provincialis anno 1267. *Dec. VII.* iij. 12. Abbas *Gerungus* anno 1281 vendidit Campililio Decimas Radebrunenses cum pacto de retrovendendo post decennium. *Dec. IX.* iij. 4. Electus *Fridericus* eam Venditionem perpetuam statuit jure emphiteutico erga annuum censum unius Modii purioris tritici an. 1283. Quæ vox *Modius* deinceps trium Seculorum litem peperit. *Ib.* 10. 11.

METEN.

Cœnobium Bavariæ vetustissimum. Illud, Canonicis translatis, Benedictinis restituit, non *Henricus Jasomirgott* destitutus, sed *Henricus Leo* Saxonicus, restitutus Bavariæ Dux. *El. VIII.* iv. 2.

S. PETRI.

Monasterium Antiquissimum Salisburgi. Accepit à *Leopoldo Pio* Austr. March. Montem post Cœnobium situm, & in Austria inferiori predium Dornpach. *El. VI.* iij. 11. Beneficum habuit *Henricum Jasomirg.* primum Austriæ Ducem. *El. VIII.* ij. 23. iij. 18.

SCOTORUM VIENNÆ.

Monasterium pervetustum ac Celebre, fundatum ac confirmatum *ab Henrico Jasomirgott* Austr. Duce circa an. 1150. *El. VIII.* iv. 14.-17. Ecclesia ibidem consecrata an. 1200. & confirmata Cœnobii Bona cum Juribus omnibus à *Leopoldo* VII. Austr. Duce *Init. Regimin. Leopoldi* VII. 10. 14. Dux idem designaverat Monasterium hoc pro Sede Episcopali, Monachis novum Cœnobium concedere pro-

proponens. *Dec. I. j.* 32. Iterum Cœnobio favit. *Dec. II. ij.* 29. sub Abbate *Matheo.* N. Scotorum Abbas Nuncius Provincialium Austriæ in Misniam, cum Sociis detentus à Rege Bohemiæ. *Dec. VI. j.* 4. Cœnobitæ Scotenses *Rudolpho* I. Imp. Tulnæ concambio cesserunt Capellam S. Crucis pro Parthenone novo ibidem exstruendo an. 1280. *Dec. VIII. j.* 93. Abbas *Mathias* an. 1470. subdelegatus Inquisitor in Vitam & Miracula S. *Leopoldi* March. *El. VI. iv.* 9.

SEITENSTADIUM.

Cœnobium elegans Austriæ Infer. Eidem favebat *Henricus Jasomirg.* Austriæ tunc Marchio an. 1155. *El. VIII. iij.* 17. Item *Leopoldus* VII. annis 1201. & 1203. *Dec. I. j.* 5. & 11. Rursum *Fridericus Bellicosus* annis 1240. & 1244. *Dec. IV. j.* 96. atque *Dec. V. j.* 44.

TEGERNSEE.

S. Quirini Cœnobium antiquissimum Bavariæ Super. Ejus Abbas *Gozpertus* ab an. 983. usque 1001. scripsit *Meginhelmo* Comiti summæ Nobilitatis in Regione Orientali dominanti. *Elog. VIII. ij.* 15. Monasterio huic gravissima vastatio illata an. 1212. in bello *Manegoldi* Episc. Patav. qui præter Cremifanium, etiam Tegernseenium Administrator erat, cum *Rapotone* Comite *Ortenburgico* Palatino Bavariæ. *Dec. II. j.* 14. A *Friderico Bellicoso* Austriæ Duce hoc Cœnobium accepit Immunitatem teloniorum in Austria an. 1241. *Dec. V. j.* 15. Ejusdem Abbas *Henricus* sponte abdicans factus est Monachus Cisterciensis apud Salemium an. 1242. *Dec. V. ij.* 5.

WEINGARTEN.

Cœnobium clarissimum *ad Vineas* dictum in Suevia. Ibi *Guelforum* Ducum Familia in crypta sua non cubare, sed considere dicitur in sellis. *Dec. VI. ij.* 17.

CLASSIS IX.

Canoniæ ac earum Præpositi Regulares.

CLAUSTRONEOBURGUM.

Canonia Austriæ Infer. celeberrima & antiquissima. Ejus Fundatio inchoatur à *Leopoldo Pio* March. an. 1114. Ibi primùm parva Ecclesia Collegiata erecta: deinde integra Canonia non Regularis: postea Regularis: cui postremæ primus præerat B. *Hartmannus* Præpositus. *El. VI. ij.* 5. 7. 16. *iij.* 7. 8. Fit exemta. 10. Solennis Ecclesiæ Dedicatio. 21. 22. Filii Fundatoris *Leopoldus* & *Henricus* simul ibidem fiunt Milites. *El. VII. j.* 1. 2. Habebat hæc Canonia decimationem Coquinæ Ducis. *El. VIII. iv.* 17. Eidem *Henric. Jasomirg.* Dux confirmavit Privilegia. 30.

Cl. Neoburgensis Canonia in fide *Alexandri* III. legitimi Papæ constantissimè perstitit contra omnes vexationes, & post se totam Austriam traxit. *El. VIII. v.* 4. 9. Apud eam *Henricus Jasomirgott* Austr. Dux occurrit *Henrico Leoni* Bavariæ & Saxon. Duci, in Palestinam tendenti, lustratô ibi sepulchro D. *Gertrudis*: quæ *Henricum Leonem* ex primo Conjugio genuit, postea *Henrici* Austriaci prima Uxor. *Ibid.* 34. *vj.* 3. 4. Hic quoque sepultus *Henricus* Junior Dux de Medlico. 15.

Canoniæ huic *Leopoldus* VI. confirmavit Privilegia. *El. IX. j.* 19. Favit *Leopoldus* VII. Austr. Dux. *Dec. II. j.* 20. Cujus Primogenitus *Leopoldulus* ibi ex arbore cadens extinctus est an. 1216. 31. Ad ejus Sepulchrum D. *Theodora* Ducissa Mater Lumen perpetuum fundavit. *Dec. III. j.* 30. Præpositus *Waltherus* Viennæ Testem egit Compositionis inter *Premislaum* Bohem. Regem & *Andream* Episc. Pragensem an. 1221. *iij* 3. Eidem Canoniæ benefecit *Fridericus Bellicosus* Dux. *Dec. IV. j.* 20.

Ditmarus Præpositus Provincialium Austriæ nuncius in Misniam, cum cæteris detentus à Rege Bohemiæ. *Dec. VI. j.* 4. Ducissa *Elisabeta* Conjunx *Alberti* I. Ducis hic fundavit Devotionem hebdomadariam SS. Sacramenti, & Anniversarium perpetuum ann. 1288. *Dec. IX. j.* 78. Custos Canoniæ hujus *Thomas Harder.* an. 1470. Romam Orator submissus fuit pro Cultu SS. *Leopoldo Pio* tandem decernendo. *El. VI. iv.* 10. Solemnis Elevatio, & Translatio S. *Leopoldi* hic facta ann. 1506. *El. VI. iv.* 16. Archiducalis Pileus ei oblatus, & in hac Canonia servatus. 18.

DUCUMBURGUM.

Canonia Austriæ Infer. Ejusdem Fundatio facta primum in Insula Trasamure ab *Ulrico* I. Episc. Patav. *El. VI. j.* 23.

FANUM S. FLORIANI.

Canonia Austriæ Super. Eidem sub *Ottone* Præposito favebat *Leopold.* VII. Dux. *Dec. I. j.* 18. 40. Item *Fridericus Bellicosus* Dux. *Dec. V. j.* 36.

FANUM S. HIPPOLYTI.

Canonia Austriæ Infer. Ejusdem Præpositus *Marquardus* Viennæ Testem egit compositionis inter *Premislaum* Bohem. Regem, & *Andream* Episc. Pragensem ann. 1221. *Dec. III. iij.* 3. Canoniæ huic benefecit *Fridericus Bellicosus* Austr. Dux. *Dec. V. j.* 16. 35. Præpositus *Henricus* Arbitrum egit in causa Campililii ann. 1263. *Dec. VII. iij.* 4.

FANUM S. MAGNI.

Canonia Regularis Ratisbonæ. Ejusdem Fundator, primúsque Præpositus *Gebhardus* an. 1138. *El. VIII. ij.* 26.

MONS SERENUS.

Canonia Regularis in Misnia, dicta *B. Petri*, fundata à *Conrado* Marchione Misniæ, ibidem converso. *El. VI. v.* 3.

S. NICOLAI.

Canonia Austr. Super. Patav. extra Muros. Ejusdem Fundatio per S. *Altmannum* Ep. Pataviens. *El. V. iv.* 2. Cui benefecit *Leopoldus* V. Marchio Austr. & Bavariæ Dux. *El. VII. j.* 9. Item *Leopoldus* VII. Dux. *Dec. I. j.* 11. Ejusdem Præpositus *Leopoldus* Arbitrum egit in causa Campililii an. 1264. *Dec. VII. iij.* 4.

REICHERSPERG.

Canonia Regularis Bavariæ. Eidem damna per Milites illata compensavit *Leopoldus* V. Austr. Marchio & Dux Bavariæ. *El. VII. ij.* 10. 11.

SCHLEDORF.

Cœnobium Bavariæ, instauratum ab *Ottone* I. Episc. Frising. & Canonicis Regularibus traditum. *El. VIII. j.* 4.

SCHLIERSÉE.

Monasterium Bavariæ, ex ruinis Hunnorum resuscitatum, atque Canonicis Regularibus commendatum ab *Ottone* I. Episc. Frising. *El. VIII. j.* 4.

SECCOVIUM.

Canonia Regularis in Stiria. Eidem *Leopoldus* VI. Dux Privilegia confirmavit. *El. IX. iij.* 2. Item *Leopoldus* VII. Dux. *Dec. I. j.* 9.

SUBA.

Canonia Regularis Bavariæ. Huic *Fridericus Bellicosus* Austriæ Dux tribuit Exemtionem Vectigalium apud Neuburg, aliáque confirmavit ann. 1241. *Dec. V. j.* 16.

CLASSIS X.

Monasteria Variorum Ordinum Utriusque Sexus.

PRÆMONSTRATENS.

ADELSBERGA.

Canonia Præmonstrat. in Suevia, & Ducatu Wirtembergico. Ejusdem Fundatio ann. 1181. *El. VI. v.* 2.

DOXA.

Parthenon Præmonstr. Bohem. Fundatur à *Gertrude*, Filia S. *Leopoldi* Austr. Marchionis Conjuge *Uladislai* II. Bohemiæ Ducis, deinde Regis ann. 1144. *El. VI. vij.* 16.

KAUNIZ.

Parthenon Præmonstr. Bohemiæ. Ejusdem Fundati causa. *El. VIII. v.* 46.

NEO-CELLA.

Canonia Præmonstrat. Bavariæ. Fundatur ab *Ottone* I. Episc. Frising. *El. VI. vj.* 18. *VIII. j.* 4.

OSTERHOVIUM.

Canonia Præmonstr. Bavariæ. Eidem graviter nocuit *Leopoldus* VI. Austr. Dux in Bello Bavarico, & ideò per Filios Compensationem fieri præcepit. *El. IX. iij.* 4. Fecit eam *Fridericus* I. Dux Frater *Leopoldi* VII. sub Præposito *Gerungo* anno 1196. *El. X.* 8. Confirmavit eam *Fridericus* II. *Bellicosus* Dux. *Dec. V. j.* 15.

SCHEFFLARIA.

Canonia Præmonstrat. Bavariæ. Instauratur ab *Ottone* I. Episc. Frising. *Elog. VI. vj.* 18.

SCHLEGEL.

Canonia Præmonstr. Austr. Super. Ejusdem Fundatio per *Calbohum de Falkenstein* ann. 1200. primùm pro Cisterciensibus facta, sed Proventibus nimiùm tenuibus, & in loco nimis horrido, ut eam deserere oporteret. Congruentius deinde instauratam Cistercienses Norbertinis cesserunt. *Dec. I. ij.* 9.

STRAHOVIUM.

Canonia Præmonstr. Bohemiæ. Fundatur ab *Uladislao* II. Bohemiæ Rege in Urbe Praga ann. 1143. *El. VI. vij.* 15. Ibi professus erat *Adalbertus* Filius Regis Fundatoris, postea Archiepisc. Salisburgensis. *El. VIII. v.* 18.

CARTUSIANI.

GYRIUM.

Cartusia Stiriæ. Eam avulsam Ordini suo restituit *Leopoldus* VII. Austr. Dux. *Dec. I. j.* 47. Templum illius exstruxit, dotavit, ac dedicari fecit. *Dec. II. j.* 12. 13.

SEIZIUM.

Cartusia Stiriæ. Eidem benefecit *Leopoldus* VII. Austriæ Dux sub *Nicolao* Priore: quem deinde Romam ut oratorem submisit, ab eóque Reduce transmissam à Papa Crucem pro Palestina accepit. *Dec. I. j.* 33. 35.

PRÆDI-

PRÆDICATORES.

Ordinis Prædicatorii Institutor S. DOMINICUS, primùm Canonicus Oxomiensis, cum *Didaco* Episcopo suo venit in Galliam, se Cistercensibus in Prædicatione, & Inquisitione Albigensium versatis, adjungens, *Dec. I. ij.* 23. 25. Ab his potestatem delegatam accepit in hæreticos inquirendi, eósque reconciliandi, vel condemnandi. 33. Eum *Falco* Episc. Tolosanus Cisterciensis *Innocentio* III. Papæ, atque Concilio Lateranensi an. 1215. præsentavit, jussum, sibi Regulam ex approbatis deligere. *Dec. II.* ij. 20. Conventum primum *Tolosæ* instituit, Ædibûs ac Decimis à *Fulcone* sibi donatis. *Ibid.* Institutum ejus approbavit *Honorius* III. Papa an. 1216. imposito Nomine *Prædicatorum*, 24.

VIENNENSIS.

Conventum in Austria primum Viennæ huic Ordini dedit *Leopoldus* VII. Aust. Dux sub an. 1226. *Dec. III.* ij. 29.

CREMSENSIS.

Conventus Cremsensis matura propagatione ortus est ex Viennensi. *Dec. III.* ij. 29.

TULNÆ.

Parthenon Ord. Prædicat. Austr. Infer. dictus ad S. Crucem, votô constructus fuit à *Rudolpho* I. Imp. an. 1280. *Dec. VIII.* j. 94.

MINORITÆ.

VIENNÆ.

FF. Ordinis Minorum Conventum primum Viennæ acceperunt à *Leopoldo* VII. Aust. Duce an. 1224. *Dec. III.* j. 15.

GRÆCII.

Conventus Græcensis in Stiria Originem pariter habuit ex gratia *Leopoldi* VII. Austr. & Stir. Ducis sub ann. 1226. *Dec. III.* j. 29.

JUDENBURGI.

Parthenon S. Claræ in Stiria cœpit sub *Leopoldo* VII. Austr. ac Stir. Duce circa ann. 1226. *Dec. III.* j. 29.

ORDO DE MERCEDE.

Ordo B.M.V. de Mercede pro Redemptione Captivorum, à *Jacobo* Aragoniæ Regio Principe & Hærede, in Adolescentia sua in Gallia captivo, votô conceptus, postea institutus fuit, consilio verosimillimè Cisterciensium. *Dec. II.* ij. 17.

MILITIÆ EQUEST.

ORDO S. JOHANNIS.

Johannitæ Jerosolymitani, sive *Hospitalarii* Equites olim dicti, postea *Rhodii*, hodie *Melitenses* appellati. Eorum aliquos *Bela* profugus Hungariæ Rex, è Dalmatia redux, secum in Regnum, à Tartaris desolatum, induxit sub ann. 1243. *Dec. V.* j. 31.

Altmil - Münster ad rivum Altmillam supra Vicum Rietenburg prope Ratisbonam, antiquissima hujus Ordinis Domus, an. 1155. excitata. *El. VI. vij.* 5.

GLADIFERORUM.

Equites *Mariani*, seu *Gladiferi*, deinde cum *Teutonicis* uniti, eodémque nomine appellati, ann. 1227. à *Conrado* Masoviæ Duce, suadente *Christiano* primo Episcopo Culmensi Ord. Cisterciensis, adversum barbaros & infideles Prutenos in Poloniam vocati sunt, cum pacto, ut, quidquid his eriperent, ipsorum esset. Dum verò armis victricibùs jam plurima occupâssent, *Suentepoldus* Dux propriæ quoque Regioni timens, cum Prutenis adversum hos Equites fœdus inivit. Contra quem proinde, sub Supremo Ordinis Magistro *Casimiro* Cuiariæ Principe, etiam à Cruce signatis pugnatum. *Dec. III. ij.* 12. *Dec. V.* j. 47. 48.

TEUTONICORUM.

Teutonici Ordinis Magister Supremus *Hermannus*, Castra *Friderici* II. Imp. secutus propter Cruce signatos pro Palestina, à Cæsare insigne Privilegium retulit. *Dec. II.* j. 20.

Eidem Ordini *Fridericus Bellicos.* Austr. Dux Sacellum S. *Chunegundis* Græcii concessit. *Dec. V.* j. 69. Equiti cuidam *Ortolpho* concredidit Castrum Stahrenberg, in quo Thesaurum suum deposuerat. Qui, à morte Ducis, invitus cogebatur per Provinciales ad Resignandum Castrum, Thesaurô inter Fœminas Principes Hæredes divisô. *Ib.* 88.

Commendatores Ordinis: *Ortolfus* de Draskirchen: *Ortolphus* de Ottersteten: Eques *Ortolphus* de Utenstein. *Dec. V.* j. 89.

Domum Viennensem hujus Ordinis confirmâsse scribitur *Leopoldus* VII. Austriæ Dux Ann. 1210. proinde hi Equites ibi jam antea ibidem introducti. Possederunt Villam & Ecclesiam in Hiezing, uno lapide Viennâ distantem, eámque *Ortolfus de Dreskirchen*

Commendator an. 1253. concambio tradidit Canonicæ Regulari Claustro-Neoburgensi: quæ Ecclesia Mariana *Hietzingensis* hodie Gratiis insignis est.

CLASSIS XI.

Archi-Abbates Cistercii Generales.

CISTERCIUM.

Archi-Cœnobii hujus, totiúsque cum eo Reformationis Cisterciensis Origo ann. 1098. in Gallia sub *Roberto* Abbate Benedictino Molismensi. *El. VI.* j. 4. Erat hic Primus Cistercii, cui tunc *Novi Monasterii* nomen erat, Abbas: Molismensibûs autem impensè flagitantibûs, & optante Pontifice, anno altero Molismum regressus est. 6.

ALBERICUS.

Sub S. *Robertò* Prior, post ejus discessum Abbas an. 1099. Sub eo Habitus Cisterciensium in Album è nigro commutatus: Reformatio præterea Nova à *Paschali* II. Papa confirmata, & ab Episcopis exemta fuit an. 1100. *El. VI.* j. 6. 7. Sanctè obiit an. 1190. 20.

STEPHANUS.

Electus an. 1109. *El. VI.* j. 20. Unius Monasterii Abbas, ad quod nimii rigoris causa nemo accedere audebat, tandem an. 1113. providente DEO, *Bernardum* cum 30. Sociis Nobilibus & Literatis, ad conversionem suscepit. Quo augmento accepto, mox de Ordine ac propagatione cogitans, hoc eodem Anno Coloniam primam regularem emisit, alterúmque Monasterium condidit, imposito Nomine *Firmitatis*, primam Cistercii Filiam. §. ij. 4. Ann. 1114. fundavit *Pontigniacum*: an. 1115. *Claramvallem*, ac *Morimundum*. Quæ primæ 4. Filiæ factæ sunt postea Matres omnium per Orbem Cœnobiorum Cisterciensium, quatuor abinde Lineis descendentium, præter Lineam quintam ipsius Archi-Cœnobii Cisterciensis. 7. 8. An. 1119. celebravit Primum Capitulum Generale, congregatis jam decem Abbatibûs, in quo edidit Chartam Charitatis, ipse Primus Archi-Abbas Generalis. 14. An. 1130. novum Ordinem suum prima Cardinali Purpura radiare vidit in *Balduino* Claravallensi. §. iij. 3. An. 1132. ab *Innocentio* II. Papa obtinuit Exemtionem Ordinis ab adeundis Episcoporum Synodis, & præstandis Decimis, insignis apud alios invidiæ fomentum. Ann. 1133. Senio cogente Fasces ultrò posuit, & sequenti sanctam animam egit. 6.

REINARDUS.

Electus an. 1133. *El. VI.* iij. 6. Vidit Ordinem, cujus Curam summè providam gessit maximè per S. *Bernardum* amplissimè propagatum, summisque honoribus exaltatum in *Eugenio* III. Summo Pontifice, Cardinalibus quatuor, Archiepiscopo uno, ac duodecim Episcopis, florentibûs ann. 1151. & ex unicâ Claravalle assumtis, extra cæteros aliorum Cœnobiorum. Ipse tamen hoc eodem an. obiit. *El. VIII.* ij. 25.

GOZEVINUS.

Electus an. 1151. *El. VIII.* ij. 25. Lugebat obitum *Eugenii* III. Papæ, & S. *Bernardi* eodem anno 1153. si tamen de Sanctorum obitu, quo nascuntur Cœlo, lugeri possit. §. iij. 4. An. 1154. *Quardus* Eremita Cisterciensis Catalogo SS. illatus est cum nomine *Famiani* ob latissimam prodigiorum famam. S. *Bernardum* gratiâ Miraculorum in Vita æmulatus est *Petrus* Archiep. Tarantasiæ. 9. An. 1155. Cœlum petiit *Gozevinus*, quintus è 24. Archiabbatibus Cisterciensibus, qui perpetua successione *Sancti* aut *Beati* elogium à morte promeriti fuerunt. 10.

LAMBERTUS.

Electus an. 1155. *El. VIII.* iij. 10. Mox *Friderici* I. Romæ nuper coronati Imperatoris Epistolam, ad se, & Capitulum Generale perscriptam, accepit, summis laudibûs Ordinis, & maximis favoris contestationibus refertam, qua preces, & Fraternitatem Ordinis rogavit. 11. 12. Mox verò *Victorem* Antipapam totis viribûs tueri præsumens, eidem Cistercienses obtemperare iniquè postulavit. *Lamberti* autem decretò universus Ordo *Alexandro* III. vero & legitimo Papæ immobiliter adhæsit, universo meliori Orbi in exemplum. Quapropter Imperator in Cistercienses maximè ac ante omnes furebat, Præsules, Abbates, & Monachos omnibus locis expellens. Pertimuit attamen *Petrum* Archiep. Tarantasiensem, D. *Bernardo* sanctitate, laboribus, & prodigiis propè suppàrem. §. iv. 25. 26. 27. Ann. 1161. *Lambertus* ultro abdicavit. *Ib.* 26.

FASTRADUS.

Electus ann. 1161. *El. VIII.* iv. 26. Obtinuit ab *Alexandro* III. Privilegium, ne Coloni & famuli Ordinis Censuris aut interdicto ab Episcopis feriri possint, sed ab Abbatibus, sic promeriti, puniantur. 30. Papam Parisiis adiens, ibidem obiit, agoni ejus adstantibus Pontifice, ac Rege, an. 1163. 31.

GIL-

Gilbertus.

Cognomento *Magnus*, electus an. 1163. *El. VIII. iv.* 31. Immensus ei dolor fuit, quòd, ob novum Antipapam *Paschalem* non agnitum, novâ sævitiâ Cæsaris, Monachi Cistercienses, pariter & Moniales, totis gregibûs expellerentur. 32. Sub eo S. *Thomas* Archiep. Cantuariensis exul, Pontigniaci hospes, ibi Habitum Ordinis induit. 33. Decessit vita *Gilbertus* an. 1166. §. v. 12.

Alexander.

Electus an. 1166. *Dec. VIII. v.* 12. Timuit Angliæ Cœnobiis, quibus *Henricus* II. Rex mala omnia comminabatur, nisi Ordo *Thomam* Archiep. à se expelleret. *Ib.* Petitione Cæsaris eundem cum Abbate Clarævallensi in Italia, conclusum ab hostibus, adiit pacis causâ ad *Alexandrum* Papam ablegandus; liber verò Imperator eum non admisit. 16. Iterum in Germaniam vocatus, etiam eò se contulit parem ob finem: missus autem Romam cum Episcopo Babenbergensi, per Longobardos ab ingressu Italiæ prohibitus fuit. 22. Piissimè obdormivit An. 1175. cùm sacra in Castra adversus Albigensium hæresin Cistercienses evocarentur. 45.

Guilelmus I.

Electus an. 1175. eximiæ fuit in pauperes Largitatis. Iterum sub eo Abbates & Monachi in Albigenses Recrudescentes emissi. *El. IX. j.* 12. Obiit 1179. 15.

Petrus II.

Electus an. 1179. Mox interfuit Concilio Romano. *El. IX. j.* 15. Fit Episcopus Atrebatensis an. 1183. Obiit sequenti. 26.

Bernardus.

Electus an. 1183. & altero jam consummatus. *El. IX. j.* 26.

Guilelmus II.

Electus an. 1184. in gravi Grandimontensium Controversia Judex designatus, profugis hospitium præbuit. Fato autem pio sublatus est an. 1186. *El. IX. j.* 26.

Petrus II.

Electus an. 1186. annum in Præfectura non explevit. *El. IX. j.* 26.

Guido I.

Electus an. 1187. diuturnior, sed extra Cistercium, futurus. *El. IX. ii.* 4. Sub ejus exordium *Henricus* Cardinal. Cisterciensis optatus in Pontificem, hoc Summum Ecclesiæ Fastigium per humilitatem deprecatus est. Suffectus alter Cardinalis æquè Cisterciensis, dictus *Gregorius* VIII. neque tamen bimestri sedit. *Guido* creatur Cardinalis an. 1190. 15. Vide de eo plura *Classe* II.

Guido II.

Electus an. 1190. *El. IX. ij.* 15. Franciæ & Angliæ Regibûs, in Palestinam ducturis, preces Ordinis, & Comites Abbates ac Monachos rogantibus, decrevit in Capitulo ne quisquam ad hoc deputatus illud abnueret, vel revocari postulans audiretur. 18. Dum verò utriusque hujus Regis Munera, gratámque Recognitionem non respueret: Contrà *Henrici* VI. Imperatoris tria Marcarum Millia Ordini oblata pro comparandis thuribulis argenteis accipere noluit, tanquam decimas de Mammona iniquitatis, litro nimirum, à Rege Angliæ, quem captum tenuerat, extorto. *El. X.* 4. an. 1199. *Leopoldo* VII. Austr. Duci roganti Fraternitatem Ordinis indulsit. *Init. Regim. Leopold.* 5. 6. an. sequenti ab ipso sponsionem novi Monasterii condendi cum gratiarum actione recepit. *Dec. I. iij.* 1. 2. 3. Summam in angustiam conjectus, dum *Innocentius* III. Papa, contra semper hactenus stantem Immunitatem Ordinis, quinquagesimum Numum pro Oriente à Cisterciensibus, sub comminatione extinguendæ Reformationis nostræ, postulâsset: ad obtinendam DEI, ac DEIparæ opem, statuit, ut in universo Ordine singulis Quadragesimæ diebûs fieret Supplicatio nudis pedibus, ac dicerentur in ea Psalmi Pœnitentiales. Ita nostri misertus est DEUS, non modò placatum Ordini, sed etiam summè addictum Pontificem reddidit. *Init. Regim.* 15. *Dec. I. ij.* 1. 4. Hac calamitate evolutus *Guido*, dum antea statuisset, ut Cursus B. M. V. quem singuli hucusque privatum recitabant, simul ab omnibus in choro quotidie psalleretur, Romam ivit, Pontifici Gratias acturus: à quo Cardinali Purpura, & Archiepiscopali Infula Remensi donatus est an. 1202. *Ib.* 11. Vide *Class.* II.

Arnaldus I.

Electus an. 1202. *Dec. I. ij.* 12. Eidem *Innocentius* III. Papa Sermones suos inscribere dignatus est. *Ib.* Emisit eum in Albigenses. 16. Sudores ejus Apostolicos in hac Legatione, cum duodecim Abbatibus assumtis, leges hoc toto §. Armis Cruce signatorum in hæreticos eductis, Duce Comite *Simone Montfortio*, perpetuus Director fuit. 26.-28. 33. Postquam an. 1210. statuisset, ut in Missa sub Elevatione se omnes prosternerent super articulos Manuum, quasi non audeant in tanti Mysterii gloriam intueri: anno 1212. factus est Archiepiscopus Narbonensis. *Dec. II. ij.* 4. Vide *Class.* IV. Obiit an. 1225. Sub eo incepta lis infelix Quatuor Primorum Abbatum cum Patre suo Cisterciensi.

Arnaldus. II.

Electus an. 1212. *Dec. II. ij.* 4. Sub eo mandavit

davit *Innoc.* III. Papa, ne Ordo quemquam suorum prohiberet à prædicatione Evangelii in Prussia. 7. Ad prædicationem Crucis pro Oriente nostri non evocati, sed rapti è Monasteriis. 10. In Anglia à *Joanne* Rege graviter vexati Cistercienses, quòd *Stephanus* Cantuariæ Archiep. exul hospitio uteretur in Pontigniaco. 11. Ann. 1213. *Arnaldus* cum Capitulo Generali ultro moderatus est Immunitatem Ordinis à Decimis, ob invidiam cæterorum tollendam, statuens, ut nostri posthac Decimas penderent, non de iis, quæ nunc tenerent, sed quæ deinceps acquirerent. 13. Ann. 1215. interfuit Consilio Lateranensi: ubi damnatus Libellus *Joachimi* Abb. Florensis, non autem ipse. 18. Lis etiam Quatuor Abbatum cum Cistercio discretè composita. 19. Decretum, ut omnes Ordines Religiosi celebrarent Capitula, more Cisterciensium, præsidentibus nostris. 20. An. 1216. ab *Honorio* III. mittitur *Arnaldus* ad *Philippum* Galliæ Regem. 24. an. 1217. senio admodum gravis Clavum Ordinis Generalem ultro deposuit. 25.

CONRADUS.

Electus ann. 1217. ex Abbate Claravallis. *Dec. II.* ij. 25. Postquam in Ordine celebranda festa S. *Ursulæ*, & SS. *Joannis ac Pauli* statuisset, Militiam quoque *Julianeam*, deinde *Alcantariensem* dictam, mediante *Calatravensi*, ann. 1218. ad Obedientiam Ordinis recepisset: an. 1219. fit Cardinalis Episc. Portuensis. 27. Vide *Class.* II.

GUALTERUS.

Electus ann. 1219. *Dec. II.* ij. 27. Eidem *Honorius* III. Sermonum suorum Opus inscripsit; *Waldemarum* quoque, Regium Daniæ Principem, & Episcopum Sleswicensem, ad susceptionem in Ordine commendavit. *Dec. III.* ij. 2. Legatum eum direxit ad *Philippum* Galliæ Regem. 4. Obiit an. 1223. 5.

JACOBUS I.

Electus ann. 1223. *Dec. III.* ij. 5. Privilegiorum Ordinis integritatem ab *Honorio* III. firmari obtinuit: cui defuncto Anniversaria Sacra decrevit. Ipse verò, fama Sanctimoniæ inclitus, Regimine Ordinis ultrò, statim quoque vita decessit. an. 1227. 12.

GUILELMUS III.

Electus ann. 1227. Privilegia Ordinis mox manuteneri curat à *Gregorio* XI. Papa *Dec. III.* ij. 12. 13. Integrum Capitulum Salisburgense Metropoliticum in Fraternitatem Ordinis recipit an. 1228. 16. Reconciliat pacem inter Franciæ & Angliæ Reges, ut Legatus Pontificis ann. 1229. 17. Eodem jubente restituit Archiepiscopum Lugdunensem. 19. Sub eo Perusii in Italia tria Monasteria Cisterciensia insolita Spiritus Divini operatione excitata ann. 1236. *Dec. IV.* ij. 9. ann. 1237. consenescens, Dignitatem sponte deposuit. 13.

BONIFACIUS.

Electus an. 1237. vetuit Abbatissis & Monialibus, ne ipsæ ad Capitulum Generale accederent. *Dec. IV.* ij. 13. Commemorationes quotidianas SS. Benedicti & Bernardi ex Cursu Mariano transtulit in Officium Canonicum an. 1238. 14. an. 1240. *Friderico* II. Imp. itinera omnia, quà mari, quam terra, arctissimè obsidente, ne Patres ad Concilium Romam penetrare possent, ob fidem tamen in Romanam Ecclesiam, se, cum plurimis Abbatibus, viæ periculosissimæ dedit. 16. Capitur cum aliis à Classe Pisana Cæsarea, & longum ac indiscretum carcerem sustinet an. 1241. *Dec. V.* ij. 1. Sub eo eligitur *Cœlestinus* IV. Papa, quem *Ughellus* omnino tuetur fuisse Cisterciensem. 2. 3. Ann. 1243. eidem, jam reverso è captivitate, *Innocentius* IV. Electionem suam gratiosissimis Literis nunciavit. 6. An. 1244. ipso in Capitulo Generali, cui præsens aderat *Ludovicus* IX. Sanctus Franciæ Rex, cum Regina Matre, & geminis Fratribus, preces Ordinis pro Expeditione sua in Terram Sanctam rogaturus, cum Patribus omnibus Ordinis de genu supplicavit pro Gratiosa exceptione *Innocentii* IV. Papæ, Italiâ profugi, Rege vicissim coram ipsis flectente, & omnia ad Votum spondente. 8. Adfuit Concilio Lugdunensi, ubi ab universo Patrum Cœtu dejectus est *Fridericus* II. Imperator. 11. Instituit in Ordine Festum *S. Lamberti* Ep. Leodiensis, rogatu *Roberti* ibidem Præsulis, in Claravalle sepulti. 13. An. 1251. Antiphonam *Salve Regina*, quotidie post Completorium decantari solitam, deinceps majoris Solemnitatis ergò, per Cantorem imponi, & Collectam per Superiorem dici ordinavit. *Dec. VI.* ij. 2. Ann. 1254. prægravante Senio Magistratum Supremum Ordinis ultro posuit, paulò post æternam ad requiem vocatus. 8.

GUIDO III.

Electus an. 1255. Disciplinæ Regularis maximè tenax fuit. *Stephanum* Claravallis Abbatem, quòd Collegium S. Bernardi Parisiis pro studio Cisterciensium absque facultate Ordinis erexerit, locô movit, nil motus Pontificis mandato, ut eum restitueret. *Dec. VI.* ij. 9. Privilegia plura pro Ordinis disciplina ab *Alexandro* IV. Papa obtinuit. 10. Ann. 1258. Usum Serici in Ecclesiis permisit, hucusque prohibitum. 13. Vetuit autem omnem petitionem pro quacunque Persona Ordinis in Album SS. inferenda ann. 1259. 14. Ann. 1261. creatus est Cardinalis. *Dec. VII.* ij. 2. Vide *Class.* II.

JACO-

JACOBUS II.

Electus an. 1262. sed non consultis Votis Quatuor Primorum Abbatum à solo Conventu Cisterciensi: quæ res inveteratam horum litem cum Archiabbatibus, gliscentem semper, vehementissimè exsuscitavit. *Dec. VII. ij.* 4. Cujus pertæsus tandem *Urbanus* IV. Papa, Ordini externos Judices, quos nunquam patiebatur, designavit: hi tamen ob reverentiam Ordinis traxerunt moras usque ad obitum Papæ. 7. An. 1264. instituta Solemnitas SS. Corporis Christi pro universa Ecclesia, promotione Cisterciensium Sanctimonialium. 8. 11. Litem Ordinis *Clemens* IV. Papa per se ipsum componere dignatus est an. 1265. *Jacobo* Fasces Ordinis ultro, vel hortatu Pontificis ponente. 13.

JOANNES I.

Electus an. 1265. *Dec. VII. ij.* 13. Favore Pontificis Archi-Cœnobium Cisterciense gravi ære alieno liberavit. *Ib.* Ann. 1269. instituit Anniversarium solemne ac perpetuum pro Abbatibus & Superioribus Ordinis. 20. An. 1273. duodecim Anniversaria Mensium per annum. *Dec. VIII. ij.* 7. Ab eodem *Rudolphus* I. Imp. pulchrâ Epistolâ rogavit Suffragia Ordinis, & alia peculiari à Monialibus. 8. 13. An. 1274. interfuit Concilio Lugdunensi. 14. A *Gregorio* X. obtinuit Confirmationem Immunitatis à decimis, præstatione, & exactione. 19. Nihilominus coactus tandem est Ordo ad præstationem pro Terra Sancta à Concilio indictam, centenis millibûs librarum faciendam an. 1281. *Dec. IX. ij.* 3. Abbati Ebracensi *Winrico* potestatem fecit erigendi Domum Studiorum pro Cisterciensibus apud Academiam Herbipolensem, eique, & studentibus eadem Privilegia contulit, quæ sunt Collegii Parisiensis, ann. 1284. & paulò pòst obiit. 6.

THEOBALDUS.

Electus an. 1284. *Dec. IX. ij.* 6. Sub ann. 1286. *Joannem de Wardo* Monachum Dunensem, primum Ordinis Doctorem Theologum Parisiensem, ibique publicè legentem, & Verbi DEI Præconem eximium, peculiari epistola, & indultis prærogativis honoravit. 10. 11. Electus *Nicolaus* IV. Papa Evectionem suam non ipsi solùm, sed simul etiam 4. primis Abbatibus, præter omnium Pontificum usum, nunciavit an. 1289. & Archiabbati Visitationem Monasterii percelebris S. Dionysii Parisiis injunxit. 19. Ab hoc pro se, & 4. primis Abbatibus obtinuit, ut Monasteriorum sibi subjectorum causas agere valeant, si id Monasteria ipsa agere nequeant. 25. Privilegium item pro universo Ordine, cum hujus pulcherrimo Elogio an. 1291. *Dec. X. ij.* 1. Obiit *Theobaldus* an. 1293. 6.

ROBERTUS II.

Electus an. 1293. sub quo floruisse *Alanum M. ab Insulis* perperam tradebatur. *Dec. X. ij.* 6. Creatus est à *Cœlestino* V. Papa Cardinalis an. 1294. 8. Vide *Class.* II.

RUFINUS.

Electus ann. 1294. statim à *Bonifacio* VIII. suæ Evectionis Literis honoratur. *Dec. X. ij.* 9. An. 1295. instituit Octavam solemnem S. *Bernardi* agendam. Permisit Abbatibus, & Monachis, ut in itinere absque Cucullis pergere possent, quod antea interdictum erat. 10. Sustulit in Ordine abusum excipiendi contra judicia Abbatum in Castigatione Culparum, concedente Pontifice, ne Superiores in pœna irroganda ad Juris formam adstringantur. 13. Obiit an. 1298. 21.

JOANNES II.

Electus fuit an. 1298. Ejus Virtuti theatrum aperuit Seculum sequens: sub cujus primordia veteris inconcussæ fidei Cisterciensis erga Sanctam Sedem recens exemplum in durissimo discrimine Orbi exhibuit, altero Tomo celebrandum.

CLASSIS XII.

Quatuor prima Cisterciensia Monasteria Galliæ, Matres cæterorum, eorumque Abbates.

FIRMITAS.

Prima Archi-Cœnobii Cisterciensis Filia, cùm post susceptum S. *Bernardum*, ac 30. Socios ejus, Locus omnibus in uno Monasterio non esset, à S. *Stephano* an. 1113. in Diœcesi Cabilonensi exstructa, selecto *Firmitatis* nomine in spem Ordinis per Secula duraturi. *El. VI. ij.* 4. Ejusdem Prior primus, Abbas deinde secundus *Petrus* omnium primus ex Ordine Cisterciensi effulsit in Candelabro Episcopali, electus Archiepiscopus Tarantasiensis ann. 1124. probè distinguendus ab altero *Petro* Stamediensi Thaumaturgo, qui hunc in eadem Cathedra ann. 1138. secutus fuit. *Ibid.* 18. Abbas *Petrus* ann. 1205. factus Episcopus Eporediensis, & an. 1209. renunciatus Patriarcha Antiochenus. *Dec. I. ij.* 21. 29. Scribitur hoc Cœnobium exustum, Abbate, & omnibus Monachis per hæreticos trucidatis ann. 1300. quod fallere videtur. *Dec. X. ij.* 24.

PONTIGNIACUM.

Fundatur an. 1114. in Diœcesi Antissiodorensi, cui Cathedræ mox primum Abbatem suum *Hugonem* Episcopum dedit, postea huic, & aliis Ecclesiis, alios, quemadmodum etiam Cistercio Archi-Abbates, Romæ Cardinales. *El. VI. ij.* 7. Exules ibidem recepti, sacrum Ordinis habitum induerunt Archiepiscopi Cantuari-

tuarienfis : *Thomas* an. 1164. *El. VIII. iv.* 33. Item *Stephanus* an. 1207. *Dec. I. ij.* 25. Adhæc *Edmundus* an. 1239. qui etiam ibidem obiit, & requiefcit Sanctus. *Dec. IV. ij.* 8. Vide *Claff.* IV. in Archiep. Eum *Joannes* III. Abbas elevavit, & tranftulit Annis 1247. & 1249. *Dec. V. ij.* 13. 14. 17.

CLARAVALLIS.

Summam claritatem accepit à Mellifluo Proto-Abbate fuo *Bernardo*, Gloriæque fuæ & Sanctitatis radios in univerfum Ordinem, ac Orbem diffudit, fundata an. 1115. Dedit Ecclefiæ Summum Pontificem *Eugenium* III. Cardinales complures, Archiepifcopos & Epifcopos maximo numero, uti fuis in Claffibus leges: Archicœnobio Cifterciensi, & Ordini univerfo Suprema Capita, Monafteriis Filiabus, aliisque, Abbates propè infitos. Ann. 1151. B. *Bernardo* convixerunt Summus Pontifex *Eugenius*, Cardinales quatuor, Archiepifcopus unus, Epifcopi duodecim, Claravallenfes omnes, ejúsque Filii; quæ certè Claritas unius Cœnobii fine exemplo effe videtur, amplior tamen eft ex Admirabili communis Patris eorum Humilitate, qui nullum confimile Honoris faftigium admifit. *El. VIII. ij.* 25.

Claravallis Monachus *Balduinus* primus ex Ordine Cardinalis. *El. VI. iij.* 3. S. *Malachias* Hyberniæ Primas in Claravalle Habitum Ordinis induit *El. VII.* 12. Eandem iterum vifitans, ibi moritur, & fepelitur. *VIII. ij.* 12.

Henricus Abbas S. *Bernardi* Elevationem folemniter egit. Legatus ad Albigenfes reducendos miffus, priusquam Arma in eos expedirentur. *El. IX. j.* 12. Deprecatus Archiepifcopatum Tolofanum, itémque Clavum Ordinis Generalem, reluctari non potuit *Alexandro* III. qui eum in Synodo Romana creavit Cardinalem Epifcopum Albanenfem. *El. IX. j.* 15. In Burgundiam Legatus, Albigenfibus, verbo falutis non obaudientibus, educto Milite Caftrum Vallis eripuit. 16. Ab *Urbano* III. defignatus ad prædicationem Crucis, eo verò defuncto in Papam electus, fe hac fua obedientia excufavit. *Ibid. ij.* 1. Prædicationem folâ efficaciâ Verbi abfque miraculis non minori accurfu, ac S. *Bernardus*, perfecit, adjunctis fibi Ciftercienfibus plurimis. 5. *fqq.*

Gualtero Abbati *Richardus* Angliæ Rex fcripfit ex Oriente, enixè fupplicans, ut pecuniæ ac Militum fuppetias pro Oriente procuret, ingentis certè fiduciæ argumento. *El. IX. ij.* 25. 26. Lugdunenfis Archiep. *Joannes*, ultro pofita dignitate fit Monachus Claravallis: cui ipfe *Innocent.* III. Papa ad Quæftiones Theologicas prolixè refpondit. *Dec. I. ij.* 10.

Conradus hic quondam Abbas, deinde Archiabbas Ciftercii, tandem Cardinalis Ep. Portuenfis, Summum Pontificatum, ad quem jam nominatus erat, à fe amolitus, dilectæ à fe Claravalli donavit 4. Corpora SS. ipfe Sanctus cum Sanctis ibidem dormiens. *Dec. III. ij.* 12.

Ebrardus Abbas, jubente Pontifice, compofuit Galliæ & Navarræ Reges, ab ipfis ultro Judex & Arbiter caufæ delectus. *Dec. IV. ij.* 10. Abbas *Guilelmus* ad Concilium Romanum profectus, cumque aliis à Frider. II. Imp. captus, tandem dimiffus quidem, fed ita è fqualore carceris æger, ut mox iter domum ingreffus obierit, mortuus redux, non vivus. *Dec. V. ij.* 1.

Stephanus Abbas erexit Collegium Parifienfe S. *Bernardi* pro ftudiis Ciftercienfium an. 1254. Quia verò id fecerat abfque facultate Ordinis petita, eundem *Guido* III. Archiabbas Ciftercii, Difciplinæ Regularis mirè tenax, depofuit. Tulit hoc ipfe tanta humilitate, ut, licèt ad aliorum querelam eum reftitui præceperit *Alexander* Papa IV. ipfe non acquieverit, fed lubens privatus remanferit. Tantam Virtutem coronaturus Papa, nominavit eum Epifcopum Angliæ: prævênit autem DEUS, & eum ad prœmia æterna vocavit. *Dec. VI. ij.* 8. 9. Adhuc Abbas *Nicolaum* Epifcopum Rofchildenfem Daniæ hofpitio recepit, atque defunctum tumulavit. *Dec. V. ij.* 17. Exuvias B. *Aleydis*, Matris S. *Bernardi*, ex Monafterio S. Benigni in Claramvallem tranftulit. *Ib.* 18.

Joannes I. Abbas excepit Funus *Margaretæ* Reginæ Navarræ. *Dec. VII. ij.* 3. *Philippus* I. Abbas, cùm Ciftercii *Jacobus* II. Archiabbas præter morem, neglecto præfidio Votisque primorum Quatuor Abbatum, electus fuiffet, fufcitata veteri lite, omnium vehementiffimè reclamavit, ipfe Virtutis atque Doctrinæ opinione Magnus, quam confirmavit, oblatam fibi à Papa Cathedram Epifcopalem conftanter deprecatus. Lis verò ifta exiftimationi, juribus, reique familiari Ordinis, in plures annos extracta, vehementer incommodavit, donec à *Clemente* Papa IV. componeretur. *Dec. VII. ij.* 4. 5. 13. Idem Abbas in Claravalle fua Sexcentorum Corporum SS. Translationem folemniter fecit. *Ib.* 20.

Sylvanus Monachus Claravallis, unus & folus è S. *Bernardi* difcipulis nunquam aliorfum emiffis, in Album SS. folemniter illatus. *Manriquei* noftri reflexio defuper. *Dec. X. ij.* 2. Sub *Joanne* III. Abbate *Bonaventura* incertæ Sedis Epifcopus, hofpitio acceptus, & profeffus, obiit, & fepultus eft. *Ib.*

MORI-

MORIMUNDUS.

Quarta Cistercii Filia, fundatur an. 1115. de cujus Linea etiam est Campus Liliorum. *El. VI.* ij. 8. Ibidem professus, & Abbas *Otto*, *S. Leopoldi* Austriæ Marchionis Filius. *Ib.* §. iij. 1. 5. Factus Ep. Frisingensis, in Morimundo suo sepultus. Per hunc Ordo Cisterciensis in Austria propagatus. *Ib.* §. vi. 16. sqq. Conferatur *Class.* VI. *Episcopor. Varior.* Abbas *Guido* Legatus Pontificis in Germania, & Italia. *Dec. I.* ij. 29. 30. Ad hujus Cœnobii honorem faciunt plures Militiæ Equestres Cistercienses Hispaniæ, ejus imperio devinctæ, de quibus postea.

CLASSIS XIII.

Monasteria Cisterciensia per Orbem ordine Alphabetico.

ADLERSLEBEN.

Prope Hildesheimium Parthenon Cisterciensis cœpit an. 1282. Fundatore *Alberto* Principe Anhaltino, tum Canonico, postea Episcopo Hildesheimensi. *Dec. IX.* ij. 4.

ALBA DOMINORUM.

Cœnobium Ducatus Wirtenbergici: cui favit *Rudolphus* I. Imp. *Dec. VIII.* j. 48.

ALCOBACIA.

Nobile Lusitaniæ Monasterium, ab *Alfonso* Portugalliæ Rege votô excitatum, cùm an. 1147. Mauri, sive Saraceni Hispaniæ terribiliter insurrexissent, eisdémque, S. *Bernardi* ac Claravallensium Oratione implorata, Scalabim, Lisabonam, & Almeriam, potentes Urbes, eripuisset. Prædictio prophetica Melliflui hoc de Cœnobio post annos quadringentos impleta. *El. VIII.* ij. 8. Monachi omnes à Saracenis hic trucidati an. 1195. *El. X.* 4. Sepultus ibidem *Alfonsus* alius Lusitaniæ Rex an. 1223. permunificus in Cistercienses. *Dec. III.* ij. 5. Abbas *Stephanus* rursum alium *Alfonsum* Regem, diu in Censuris Apostolicis impœnitentem, instante morbo lethali tandem compunctum, anathemate exolvit an. 1279. *Dec. VIII.* ij. 24.

ALDERSPACH.

Aliis *Allerspach* Cœnobium Bavariæ infer. prope Vilshovium, non confundendum cum *Walderbachio* Super. Palatinatus Monasterio æquè Cisterciensi. Fundatum à S. *Ottone* Episc. Babenbergen. pro Canonicis sub ann. 1139. Cisterciensibus traditum, agente S. *Bernardo*, tunc Germaniam circum eunte, sub ann. 1146. *El. VI.* vii. 6. *El. VIII.* j. 31. Favit huic Cœnobio *Leopoldus* VII. Austr. Dux *Dec. I.* j. 44. 47. An. 1212. desolationem magnam perpessum est in bello *Manegoldi* Ep. Patav. cum *Rapotone* Comite Ortenburgico. *Dec. II.* j. 14. Monachus ejusdem *Adam* circa medium Seculi XIII. è Summa magna Theologico-Morali *Raymundi de Penna forti* construxit Metricam Summulam, Campililii MS. *Dec. VI.* ij. 16.

ALNA.

Cœnobium Diœcesis Leodiensis ad fluvium Sambre, primum Clericorum, deinde Augustinianorum, tandem, impetrante S. *Bernardo*, Cisterciensium sub an. 1148. *Simon* ejusdem Conversus, spiritu prophetico clarus, ab *Innocent.* III. Papa vocatus, & Concilio Lateranensi interesse jussus fuit an. 1215. *Dec. II.* ij. 20.

ALTOVADUM.

Vulgò *Hohenfurt*, Cœnobium Bohemiæ fundatum à *Petro Wocko Ursino de Rosenberg* an. 1259. Ibi Familia Fundatorum in crypta sua non cubat, sed considet in Sellis. *Dec. VI.* ij. 17.

ANDREOVIUM.

Cœnobium Poloniæ minoris, fundatum à *Joanne* tum Episcopo Wratislaviæ, deinde Archiep. Gnesnensi, sub ann. 1149. unacum Fratre suo *Clemente*. Filia ejusdem *Rauda* Silesiæ. *Dec. VI.* ij. 5.

AULA REGIA.

Cœnobium Bohemiæ, à *Wenceslao* II. Rege votô erectum ann. 1296. & regiè dotatum, Filia Sedlicii. Ejusdem fata, *Dec. X.* ij. 16. Primo Abbati *Conrado*, & *Gezrichio* Abbati Sedlicensi, *Bonifacius* Papa VIII. facultatem fecit prædictum Regem & Reginam absolvendi, cúmque ipso dispensandi in Quadragesima circa esum carnium. *Ibid.* 18.

AUREA VALLIS.

Cœnobium Ducatus Luxenburgici in Belgio Hispanico, sub an. 1070. pro Benedictinis fundata, deinde Canonicis Regularibus tradita, tandem an. 1131. Cisterciensibus cessit, & ab an. 1674. severissimæ ad Regulæ literam Disciplinæ effecta est. Eam *Rudolphus* I. Imp. insigni Privilegio donavit: cùm verò nimiam ob distantiam tueri ipse non posset, *Philippo* Franciæ Regi defendendam comendavit. *Dec. IX.* j. 31. Gallicè *Ourval*.

de AUROCA.

Parthenon Cisterc. Lusitaniæ, ubi *Mafalda* Castellæ olim Regina longis annis usque ad vitæ finem egit Monialem piissimam. *Dec. VI.* ij. 4.

BACHERACH.

Parthenon Cisterciensis, vulgò ad omnes SS. dictus, in Palatinatu infra Bacherachum, antiquissimæ, sed hodie incertæ Originis ob Monumenta igne exusta, olim alterius Ordinis, Cistercio traditus sub ann. 1259. ægrè sub dissidio Religionis conservatus, adhuc tamen florens sub cura Abbatum Hemmenrodensium. *Decad. VI.* ij. 19.

BARBELLUM.

Cœnobium Galliæ ad Sequanam fluvium surrexit Fundatore *Ludovico* VII. Rege sub an. 1165. qui ibidem sepultus fuit an. 1180. *El. IX.* j. 16.

SS. BARTOLOMEI & APRI.

Parthenon Benedictinus extra Coloniam Agrippinam vetustissimus, Virginibus Cistercienſibus traditus à *Sigfrido* Archiep. Colon. ann. 1277. postea ob frequentem bellorum tumultum in Urbem translatus. *Dec. VIII.* ij. 22.

BEBENHUSA.

Cœnobium Ducatus Wirtenbergici, sub an. 1180. à *Rudolpho* Comite Palatino Tübingensi Præmonstratensibus erectum, sed sub ann. 1191. Cistercienſibus traditum. Ducibûs verò ad Lutheri sectam deviantibûs, sibi Fundationem hanc attraxerunt, paululum quidem restitutam Ordini à *Ferdinando* II. Imp. Pace autem Westphalica Ducibus denuo relictum. Eidem favit *Rudolphus* I. Imp. *Dec. VIII.* j. 36.

BELLUS LOCUS.

Cœnobium Regni Scotiæ surrexit an. 1263. *Dec. VII.* ij. 6.

S. BERNARDI.

Parthenon olim Austriæ infer. in Sylva Nortica excitatus an. 1269. Fundatore primo *Henrico* Comite *de Hardeck*, altero D. *Stephano* de Meissau. *Dec. VII.* ij. 21. Plura de hoc *Tom.* IV.

BIRCKENFELDA.

Parthenon quondam Cistercienſis Franconiæ, conditus à *Friderico* Comite *Hohenzollerano* Burggravio Norimbergensi, atque *Helena* Conjuge, sub an. 1276. cui se postea DD. *Seckendorfii* admodum quoque liberales præstiterunt: hodie Secularis est. *Dec. VIII.* ij. 21.

BLAZHEIMIUM.

Parthenon ex *Michelfelda* huc translatus. *Dec. VI.* ij. 5. Vide infra *Michelfelda*.

CASAMARIUM.

Cœnobium Italiæ in Provincia Romana Diœcesis Verulanæ, ab Origine Benedictinum, in quod S. *Bernardus* sub ann. 1140. Coloniam Cistercienſem è Claravalle sua induxit. Ob illud vehementer violatum *Gregorius* Papa IX. gravem sumsit ultionem. *Dec. III.* ij. 23.

CELLA ANGELORUM.

Cœnobium Austr. Super. à *Bernardo de Prambach* Ep. Patav. erecta an. 1293. Filia Hilariæ *Dec. X.* ij. 6.

CELLAS.

Parthenon Lusitaniæ, quem construxit *Sanctia*, Regia Princeps Lusitana, & cùm ad Nuptias cum *Ferdinando* Castellæ Rege urgeretur, ipsamet festina subintravit an. 1221. *Dec. III.* ij. 1.

CORONA COELI.

Parthenon Ducatûs Brandeburgico-Culmbacensis, vulgò *Himmels-Cron*, Fundatore Comite *Ottone de Orlamund* ann. 1281. surgens, & etiamnum florens. *Dec. IX.* ij. 2.

CORONA SPINEA.

Cœnobium Bohemiæ, ob opulentiam dictum *Gulden-Cron*, excitatum votô ab *Otocaro* Boh. Rege, Austr. & Stir. Duce, post insignem de Ungaris Victoriam an. 1263. *Dec. VII.* ij. 6. In cineres redactum per Milites an. 1278. Restitutum à *Wenceslao* Rege Fundatoris Filio. *Ibid.*

S. CRUCIS.

Primum Austriæ Cœnobium Cistercienſe, plerorúmque cœterorum propagatione Mater Venerabilis. Fundatorem habuit S. *Leopoldum* Austr. Marchionem, suadente, & rogante *Ottone* Filio suo, Abbate Morimundi: qui suo è Cœnobio primam Coloniam submisit in Locum, *Sattelbach* dictum, an. 1134. Proto-Abbate *Gotschalco*, Priore primo *Wilhelmo*. *El. VI.* iij. 9. Dum fundatio perficeretur an. 1136. S. Fundator nomen *Sattelbach* in alterum *S. Crucis* commutavit, vulgò tamen antiquum Nomen, cui assueverat, retinente. 12. 13. 14. Quando id omiſſerit. *El. IX.* j. 22. 23. An hìc Monachus extiterit, & sepultus fuerit *Salomon* Ungariæ Rex? *El. III.* iij. 7. Abbas *Conradus* Filius Fundatoris, post *Gotschalcum* postea Episc. Pataviensis, demum Archiep. Salisburgensis. *El. VI.* vi. 24.-28.

Eidem Cœnobio multùm benefecit *Leopoldus* V. Austr. Marchio, & Dux Bavariæ: ex cujus modo jurandi Insignia Monasterii, Crucem cum jurante Manu referentia, desumta ferunt. *El. VII.* j. 4. 5. Idem visitans Monasterium, defectum Vini levare promisit. 11. Vineas dedit, ibique quiescit. §. ij. 13.

Beneficos habuit *Conradum* jam Episcop. Pataviensem, & *Henricum* Fratrem Marchionem. *El. VIII.* iij. 5. Sub *Henrico* Abbate *Leopoldus* VI. Dux, Arbiter ab *Alexandro* III. Papa constitutus, litem gravem cum Mellicensibus diremit. *El. IX.* j. 14. Idem huic Cœnobio donavit insignem Portionem Salvificæ Crucis Dominicæ sub an. 1183. Abinde vulgus dimisit Nomen Antiquum *Sattelbach*, & recepit alterum S. Crucis. 19. 22. 23.

An. 1187. dedicatum Cœnobii Templum à *Theobaldo* Cardin. Ep. Ostiensi Legato Apostolico. *El. IX.* ij. 4. Eidem denuo favit *Leopoldus* VI. Dux. §. 14. Qui S. Crucis Monachus haud aliter fuit, nisi *ad succurrendum*, ut ajebant, licèt Habitum susceperit, postea ibidem sepultus. §. jv. 20.

Grako-

Gratiosus pariter fuit Monasterio *Fridericus* I. Dux Austr. *El. X.* 8. Iterum decumbens in Palestina per supremam Voluntatem: ubi defunctus, & reductus, hic Parti consepultus est. 12.

Marquardus Abbas considerat, ac probat Locum pro fundatione Campililii oblatum, adjunctis sibi aliquot Sociis. *Dec. I. iij.* 9. Emittit primam Coloniam in Campililium, & inducit ann. 1206. 20. Visitat illam. *Dec. II. iij.* 45. Moritur. 11. 12. Succedit *Wernherus*, beneficum habens *Leopoldum* VII. Austriæ Ducem. *Dec. II. j.* 32. Comittente *Honorio* III. Papa, cum Archiepisc. Salisburgensi, cognovit Viennæ causam *Premislai Otocari* Bohemiæ Regis, & *Andreæ* Episc. Pragensis ann. 1220. *Dec. II. ij.* 28.

Egilolfus Abbas erat Commissarius Apostolicus in causa erigendi novi Episcopatus Lavantini per *Eberhardum* Archiep. Salisburgensem. *Dec. III. ij.* 8. Interfuit Dedicationi Campililii ann. 1230. §. *iij.* 28.

Favit huic Monasterio, & 3. Filiabus ejus, Zwetlæ, Monti Pomerio, ac Campililio *Fridericus* II. Imp. *Dec. III. iij.* 14. Item *Fridericus Bellicosus* Austr. Dux. *Dec. IV. j.* 73. Abbati S. Crucis à *Gregorio* Papa IX. commissa est Visitatio gravis cujusdam & Antiqui in Austria Monasterii an. 1235. §. *ij.* 8. Item ab *Innocentio* IV. injuncta Inquisitio, an expediat, novum Viennæ Episcopatum erigi. *Dec. V. j.* 57.

Fridericus Austr. Dux Cœnobio huic à se dilecto contulit Spinam sacram è Corona Dominica, Papa indulgentias concedente, ann. 1245. *Dec. V. j.* 58. Altero anno Dux idem, in bello Ungarico occisus, hic sepultus est. 61. 69.

Abbas *Henricus* Laudum celebravit inter Campililium & *Gneussonem* Militem. *Dec. VI. iij.* 3. Iterum ab *Alexandro* IV. Papa Judex datus. 4. Testatur *Otocaro* Regi anno 1257. 8.

Huic Cœnobio favit *Rudolphus* I. Imp. ann. 1276. *Dec. VIII. j.* 71. Ejus *Abbati Bertholdo* Papa *Bonifacius* VIII. injunxit Cognitionem ac decisionem causæ Mellicensium cum Plebano Dreskirchensi ann. 1297. *Dec. X. ij.* 19. Abbas *Conradus* ann. 1357. constitutus est Inquisitor in Vitam & Miracula *Leopoldi Pii* Austriæ Marchionis Fundatoris S. Crucis. *Elog. VI. iv.* 17.

S. Crucis.

Cœnobium Poloniæ prope Cracoviam excisum à Tartaris, B. *Stanislao* Abbate cum octoginta duobus Monachis necato. *Dec. VI. ij.* 21.

Cupersanum.

Cœnobium Regni Neapolis Benedictinum traditum Virginibus Cisterc. post annum 1270. *Dec. VII. ij.* 22.

Cuprunicum.

Cœnobium Poloniæ unacum Religiosis per Tartaros excisum circa Annum 1260. *Dec. X. ij.* 25.

S. Disibodi Mons.

Vulgò *Diesenberg*, Monasterium Benedictinum Antiquissimum juxta Moguntiam, à *Gerardo* I. Archiepisc. Moguntino Cisterciensibus traditum sub anno 1259. Ejus Abbates Benedictini vetustiores *Burchardus* ann. 1108. item *Dodechinus* Prosecutor Chronici *Mariani Scoti*. Postremi Cistercienses, *Gaspar Jongelinus*, & *Joann. Caramuel Lobkowiz*, uterque Scriptis notissimus. Hodie à Pace Westphalica hæc Fundatio est in manibus Achatolicis; *Dec. VI. ij.* 18.

Dulce Cor.

Cœnobium Scotiæ, patria dialecto *Suetbaert*, Fundatrice Dña *Deruodilla Macdoual* erectum sub ann. 1276. *Dec. VIII. ij.* 21.

Dunæ.

Cœnobium hodie Brugis in Flandria. Ejus Origo à tenui Eremitorio *B. Ligerii* sub ann. 1106. Post primam Translationem à S. *Fulcone* Abbate Benedictino Reformationi Cisterciensi subjectum an. 1137. Iterum deinde ex desolatione hæretica Brugis ipsa in Urbe resuscitatum. Scriptores ejus Chronographi, *Joannes Bodo*, *Bartolomeus de Beca*, *Ægydius de Roya*, *Adrianus Buzius*. Ejus Abbas *Helias* putabatur aliquando à servitio habuisse *Leopoldum* VII. Austriæ Ducem, dum juvenis esset, ad hoc Monasterium dissimulata conditione sua pietatis causâ declinantem. Idem Abbas à Regina *Alienor* ad eundem Ducem submissus pro liberando Filio *Richardo* Angliæ Rege capto, eapropter postea à Rege & Regina multùm honoratus, ac donatus fuit. *El. IX. iij.* 26. - 29. Monachus Dunensis *Joannes de Wardo* primus ex Ordine Doctor Theologus, ac Professor Parisiensis, Verbique DEI Præco eximius sub ann. 1286. *Dec. IX. ij.* 10. 11.

Ebracum.

Cœnobium Franconiæ, probè distinguendum ab *Eberbaco*, surrexisse scribitur sub ann. 1127. éstque Lineæ Morimundensis: cujus Filiæ in cæteris *Runa* Stiriæ, hodie Campililii Mater, item *Hilaria* vulgò *Willering* Austriæ Super. *El. VI. iij.* 1. Ejusdem Proto-Abbas B. *Adam* vice S. *Bernardi* prædicationem Crucis in Germania prosecutus est. *Elog. VIII. ij.* 1. Abbas *Winricus* anno 1282. à Capitulo Generali obtinuit facultatem ad imitationem Collegii S. Bernardi Parisiis, exstruendi similiter Domum Studiorum pro Cisterciensibus apud Academiam Herbipolensem, pariáque pro hoc Collegio Privilegia ab Ordine consecutus est. *Dec. IX. ij.* 4.

EGLES.

Cœnobium Scotiæ fundatum sub an. 1258. *Dec. VI. ij.* 13.

S. ELISABETÆ.

Parthenon Italiæ prope Perusium, à sponte condicentibus Nobilibus Matronis, ac Domicellis, exstructus pro seipsis, Cisterciense ibidem institutum amplexis sub ann. 1236. *Dec. IV. ij.* 9.

FELDBACUM.

Parthenon Helvetiæ fundatus à *Cunone de Feldbach* ann. 1252. *Dec. VI. ij.* 5.

FLOREFIA.

Cœnobium Galliæ fundatum sub an. 1143. Ejus Abbas *Eustachius* in Angliam directus, prædicatione celeberrimus. *Dec. I. ij.* 7.

FLORA.

Cœnobium Calabriæ in Silæ Montibus excitatum ann. 1190. à *Joachimo* Abbate Cisterciensi, dictóque Propheta, una cum nova Congregatione *Florensi*, à Cistercio exemta. Hujus Abbatis libellus contra Magistrum Sententiarum anno 1215. in Concilio Lateranensi damnatus fuit, non tamen ipse. *Dec. II. ij.* 18.

FORDA.

Cœnobium Angliæ Diœcesis Heresfordiensis an. 1135. Ejusdem Abbas *Balduinus* primùm electus Episcopus Wigorniensis, deinde Archiepisc. Cantuariensis, & Angliæ Primas, defunctus in Palestina ann. 1190. *El. IX. j.* 28. *§. ij.* 15. Abbas *Joannes* Regi *Joanni* Arbiter à conscientia scriptis clarissimus sub an. 1210. *Dec. I. ij.* 31.

FOSSA NOVA.

Cœnobium Regni Neapolitani in Campania felici, ab origine Benedictinum, Cisterciense ab ann. 1135. Ejus Abbas *Theobaldus de Ceccano*, Postea Cardinalis, & Legatus Apostolicus, ann. 1274. promeruit B. *Thomam Aquinatem* Doctorem Angelicum, iturum ad Concilium Lugdunense, sed ægrotantem hospitio excipere suo in Monasterio, sanctúmque ibidem agonem consummanti assistere, defunctum tumulo reponere. *Dec. VIII. ij.* 15. An S. Doctor ibi, post Melli-fluum, expositionem Cantici Canticorum sit prosecutus? 16. Ejus Translatio altera facta per *Petrum* Abbatem an. 1281. *Dec. IX. ij.* 1.

FRAUENTHALL.

Parthenon Cisterciens. Bohemiæ, latinè *Vallis Virginum*, sibi & Sodalibus excitatus ab *Utha* & *Ludmilla* Sororibus Comitissis *de Berneck* an. 1265. *Dec. VII. ij.* 14.

FRIGIDUS MONS.

Cœnobium Galliæ Diœcesl. Bellouacensis, Gallicè *Froy-Mont*, fundatum an. 1134. Ejus Monachus *Helinandus* Chronographus celebris, clarus an. 1210. *Dec. I. ij.* 31.

FÜRSTENCELL.

Cœnobium Bavariæ Inferioris, latinè *Cella Principum*, inchoatum anno 1274. ab *Hartwico* Canonico Pataviensi, perfectum ab *Henrico* Bavariæ Duce an. 1276. *Dec. VIII. ij.* 18.

FÜRSTENFELD.

Cœnobium Bavariæ Super. latinè *Campus Principum*, erectum sub an. 1263. à *Ludovico Severo* Electore Palatino, atque Bavariæ Duce, in expiationem Uxoris innocentis, à se ob levem suspicionem capitis damnatæ. *Dec. VII. ij.* 6.

GEMELNIECUM.

Cœnobium Silesiæ pietate Ducum Oppeliensium fundatum sub ann. 1280. *Dec. VIII. ij.* 26.

GRANDIS SYLVA.

Cœnobium Galliæ, vernaculè *Grand-Selve*, fundatum ann. 1144. Diœcesis Tolosanæ: cui Ecclesiæ plures Episcopos dedit. Hinc prodierunt *Arnaldus* Archiabbas Cistercii, deinde Archiep. Narbonensis: item *Fulco* Episc. Tolosanus, perpetua Albigensium hæreticorum flagella. Abbas quoque *Helias*, præcipuus in multis aliis Cisterciensibus Adjutor *Romani* Cardinalis Legati, donec perversissima & pertinacissima hæc secta debellaretur. *Dec. III. ij.* 14. & alibi sæpissimè.

GRISSOVIUM.

Cœnobium Bohemiæ sub ingressum Silesiæ, à *Bolkone*, sive *Boleslao* Sueidnicensi Duce sub ann. 1292. erigi cæptum, & ab ipso dictum *Gratia S. Mariæ Virginis*. Incrementa ejusdem, fata, atque Congregatio amplissima Josephina, quæ est Filia Archi-Confraternitatis Campililiensis. *Dec. X.* 3.-5.

GUMIEL.

Cœnobium Hispaniæ in Regno Castellæ, dictum S. *Petri*, inhabitari cæptum à Cisterciensibus circa Annum 1200. Ejus Abbas *Petrus*, Orator *Ferdinandi* Castellæ Regis in Germaniam, ab *Engelberto* Archiepiscopo Coloniensi tot SS. Reliquiis honoratus est, ut universam Hispaniam eisdem dotare posset, anno 1223. *Dec. III. ij.* 5.

GUTENCELL.

Parthenon Sueviæ juxta Ochsenhusam, cujus Fundatio, monumentis igne consumtis, hodie tutò non constat, tanta interim, quæ ducentarum Virginum Alimoniæ olim suffecerat, hodie Monialium numero multò minore. Favebat eidem pluribus Diplomatibus *Rudolphus* I. Imp. *Dec. IX. j.* 31.

HADERSLEBEN.

Parthenon Episcopatus Hildeshelmensis fundatus ann. 1253. à Nobilibus Dominis de Hackelborn. *Dec. VI. ij.* 7.

HAY-

HAYLEN.

Cœnobium Angliæ, fundatum à *Richardo* Comite Cornubiæ, *Henrici* III. Angliæ Regis Fratre, Electo Romanorum Rege, in Agro-Gloucestrensi ann. 1246. & ipso curante summo cum splendore dedicatum ann. 1251. Qui & Requiem ibi cepit ann. 1271. *Dec. VIII. ij.* 2.

HEISTERBACUM.

Cœnobium in Ducatu Bergensi Diœcesis Coloniensis, Fundatore *Philippo* ibidem Archiepisc. surgens circa ann. 1188. in Monte vicino S. Petri, post paulò subjectam in Vallem translatum, cum nomine *Vallis S. Petri*. Celebratur hoc Monasterium à Sanctis Viris compluribus: in quibus etiam B. *Cæsarius*, Scriptis tam Sacris, quàm Historicis notissimus. Qui pariter Vitam & Martyrium *Engelberti* Archiepisc. Coloniensis scribere jussus est ann. 1225. *Dec. III. ij.* 10.

HEMMENRODE.

Cœnobium Archidiœcesis Trevirensis, cui Fundator erat *Adalbero* Archiepisc. sub ann. 1131. Coloniâ primâ Claravallensi à S. *Bernardo* impetratâ, qui & ipse Ædificium curavit, eique nomen *Claustri B. M. V.* imposuit, Locóque spiritum quodamodo Sanctitatis afflavit. Ejus Cellerarius in sterquilinio offendit corpus *Engelberti* Archiepiscopi Coloniensis impiè pro justitia trucidati anno 1225. *Dec. III. ij.* 10.

HENRICHOVIUM.

Cœnobium Silesiæ Ducatus Münsterbergensis, Anthore *Nicolao* Canonico Wratislaviensi, & Notario *Henrici* Ducis Münsterbergensis, cognomine *Barbati*, cæptum ann. 1222. sed à Duce laudato consummatum, acerbissima fata iterum iterúmque subivit, ita tamen semper reflorescens, ut jam etiam alterum Cœnobium Zircense Ungariæ, à Campililio redemtum, instaurare potuerit. Hujus Monasterii memoriam, in hoc Tomo nullam, hoc loco supplere collibuit.

HILARIA.

Vulgò *Willering*, Cœnobium Austriæ Superioris, Filia *Ebraci*, surrexit an. 1146. Fundatoribus DDñis *de Waxenberg*, Abbate primo *Gebbardo* Professo Runensi. Filias habuit Altovadum Bohemiæ, Cellam Angelorum, & Vallem DEI in Austria. Ejus Abbas *Hildegardus* fertur *Otocarum* Stiriæ Ducem, tametsi leprosum, attamen subSacro solemni coram eodem celebrato, per osculum honorâsse: quam ille dignationem insigni beneficentiâ remunerabatur. *El. IX. j.* 32.

HORTA.

Cœnobium Hispaniæ in finibus Castellæ, cæptum an. 1151. *Alfonso* Castellæ Rege, electo Romanorum Imperatore Locum *de Cantabos* donante, ubi prima Religiosorum Colonia mansit, statim coëmtâ *Hortâ*, ad quam decennio postea Monasterium translatum est: quod sub an. 1500. ad Observantiam Hispanicam accessit. Obtinuit illud ann. 1247. Exuvias *Roderici Ximenii* Archiepisc. Toletani, Hispaniæ Primatis, munifici semper Fautoris sui, unacum duobus Sanctorum Corporibus, ejúsque Bibliotheca, in qua & Autographum celeberrimæ ejusdem Historiæ Hispanicæ. *Dec. V. ij.* 15. Ibidem *Alfonsus* Castellæ, & *Jacobus* Aragoniæ Rex, cum Grandibus, Conventum celeberrimum egerunt anno 1167. *Dec. VII. ij.* 18.

de las HUELGAS.

Parthenon Regius ac splendidissimus Castellæ prope *Burgos*, omnium Odeorum Virginalium Cisterciensium Castellæ, ac Legionis Caput, incepit anno 1187. Fundatore *Alfonso* Castellæ Rege. In eo ann. 1255. *Alfonsus* Castiliæ, & electus Romanor. Rex *Eduardum* Regium Angliæ Principem balteo militari accinxit, & eidem *Eleonoram* Sororem suam Sponsam tradidit. Bienniô postea Monialium hujus Odei numerum centenarium definivit, præter 40. Nobilium Puellarum, è quibus Moniales eligi queant, educationem, & 40. Sororum Laicarum sustentationem. *Dec. VI. ij.* 12. Ibi *Ferdinandus*, prælaudati *Alfonsi* Regis Filius ac Hæres primus tumulatur anno 1272. *Dec. VIII. ij.* 3. Obtinuit hoc Cœnobium tria Odea Filialia, Vilenam, Avîam, & Barriam, circa an. 1283. *Dec. IX. ij.* 5.

S. JACOBI.

Cœnobium Ungariæ in Insula Danubii fundatum ann. 1274. *Dec. VIII. ij.* 18.

KENDORFIUM.

Parthenon proximè Hammonam in Comitatu Markæ fundatus ab *Engelberto* ibidem Comite anno 1270. Promotore *Eberbardo* Filio ejus. *Dec. VII. ij.* 22.

KIRCHEMIUM.

Parthenon Sueviæ non longè *Nördlingâ*, fundatus à *Ludovico* Comite *de Oettingen* anno 1270. *Dec. VII. ij.* 22.

LACOK.

Parthenon Angliæ excitatus fertur ab *Ela* Comitissa Sarisberiensi, ubi & ipsa Monialem induta, ad usque prodigia claruerit circa an. 1300. *Dec. X. ij.* 25.

LANGHEMIUM.

Cœnobium Franconiæ an. 1132. fundatum à Ducibus Meraniæ, promotum à Comibus de Orlamünd, amplissima devotione Franckenthalensi ad XIV. Auxiliatores celebratum. Ejusdem Abbas N. an. 1206. Romam adiens, ab *Innocentio* III. Papa prædicandi Evangelii causâ in Livoniam expeditus fuit. *Dec. I. ij.* 24.

LOCK-

LOCEDIUM.

Cœnobium Benedictinum Antiquissimum Italiæ in Pedemontio Diœcef. Vercellensis, Fundatores habuit Marchiones Monferati: qui illud postea denuo instauratum, novisque Redditibus auctum, sub anno 1123. Cistercienfibus tradiderunt. Ejusdem Abbas *Oglerius* Beati elogium promeritus, an. 1204. cum Cruce signatis in Palestinam tendens, dum ab his occupata esset Constantinopolis, & novus Imperator Latinus *Balduinus* I. eligendus esset, inter Quindecim - Viros Electores erat, in quos reliqui compromiserant. *Dec. I. ij.* 19.

LUBA.

Cœnobium Silesiæ ad Viadrum sive Oderam, pro Benedictinis fundatum à B. *Casimiro* I. Poloniæ Rege ante ann. 1058. Postea ab ejus Trinepote *Boleslao Alto* Silesiæ Duce Cistercienfibus traditum sub ann. 1175. Benedictinis Patribus in Cœnobium Lubliniense Poloniæ translatis. *El. VI. vij.* 11. 12.

LUCCA.

Cœnobium Italiæ, antea Canonia Regularis S. Pantaleonis, miro spiritu multorum Nobilium, Clarorum, Potentum, & Conjugatorum, communi consilio pro se ipsis instauratum fuit, ubi, probante *Gregorio* IX. Papa, Ordinem Cisterciensem professi sunt an. 1236. *Dec. IV. ij.* 4.

LUCELLA.

Cœnobium Alsatiæ Diœcef. Basileensis, Cisterc. Ordinis in Super. Germania Antiquissimum surrexit an. 1124. Fundatoribus *Hugone*, *Amadeo*, & *Richardo*, Comitibus Burgundicis *de Falkenberg*, Agnatis S. *Bernardi*: qui proinde in fundo, quem dederant *Bertulfus* Episc. & Capitulum Basileense, Monasterii fabricam ipse direxit. Cujus incrementum, & florem latè exposuit *Bernardinus* Abbas in *Epitome Fastor. Lucellensium* edita anno 1666. Appellatur *Lucis Cella*, compendiò *Lucella*, vernaculè *Lyzell*. Ejus tamen mentio directa hoc in Tomo non occurrit: obiter solùm commemoratur. *Dec. VI. ij.* 5. 11.

MARIÆ CAMPUS.

Cœnobium Westphaliæ fundatum ab *Hermanno* Episc. Monasteriensi sub an. 1185. Ibidem *Bernardus*, primus Comes Lippiæ, dimisso Conjugio, Monachum & Abbatem egit, factus postea Apostolus Livoniæ, & Episcopus Leholmensis, ab uno Filiorum suorum consecratus, & mox alterum ipse consecrans. *Dec. VI. ij.* 20.

S. MARTINI.

Cœnobium Italiæ Vallis Serenæ juxta Parmam à *Gerardo Blancho* Cardinali Parmensi erectum sub ann. 1296. *Dec. X. ij.* 11.

MAULBRUNNUM.

Cœnobium olim Ducatus Wirtenbergici, fundatum à *Walthero de Lamersheim* ann. 1138. novis redditibûs auctum, ac translatum beneficio *Guntheri* Episc. Spirensis Comitis *de Leiningen*. Illud *Rudolphus* I. Imp. in Protectionem suscepit. Hodie seculare est à Pace Westphalica. *Dec. VIII. j.* 27.

MELROSA.

Cœnobium Antiquissimum Scotiæ, pro Benedictinis excitatum ab *Oswaldo* Northumbriæ Regulo sub ann. Chr. 636. Cistercienfibus traditum à *Davide* Scotiæ Rege ann. 1136. semper Magnorum Virorum, ac plurimorum Præsulum fœcunda Parens: cui Decus, & famam æternam in cæteris peperit Vener. *Beda* Præsbyter, hìc D. Benedicti Alumnus. E Cistercienfibus *Radulphus* Abbas, Scriptor celebris, factus est Episc. Dunensis anno 1201. *Dec. I. ij.* 7.

MEYENDORF.

Parthenon S. Andreæ in Ducatu Magdeburgico, fundatus à Nobilibus DD. *de Gronenberg* anno 1267. adhuc florens. *Dec. VII. ij.* 18.

MICHELBACUM.

Parthenon olim Benedictinus, & Fundatio Comitum *de Ferreto*: Authoritate postea *Alexandri* IV. Papæ à *Bertholdo* Episc. Basileensi, qui de Familia Fundatorum erat, innexus est gremio *Lucellensi* Ord. Cisterc. sub ann. 1256. hodie præpositura S. Apollinaris. *Dec. VI. ij.* 11.

MICHELFELDA.

Parthenon olim Helvetiæ fundatum à *Bertholdo* Episc. Basileensi an. 1252. deinde ab ejusdem Successore *Henrico* translatus in *Blazheim* ann. 1267. Cùm verò bellico furore destrueretur, Fundatio ejus inserta est Gremio *Lucellæ*. *Dec. VI. ij.* 5.

MONS S. MARIÆ.

Cœnobium Hungariæ in Loco Regali fundatum ann. 1280. *Dec. VIII. ij.* 26.

MONS S. MARIÆ.

Cœnobium olim Ungariæ in Comitatu Soproniensi Diœcef. Jaurinensis prope Ginsium: Surrexit sub ann. 1194. Fundatore Comite *Dominico Bann*, insigniter postea auctum ab ejusdem Cognato Comite *Bors*, unde & Ungaris dictum *Bors - Monostra*, i. e. Borsii Monasterium, nunc vulgò appellatur *Kalastrom*, i. e. Closter. Latè floruit, usquedum ann. 1529. per Turcas & Tartaros, à prima obsidione Viennensi recedentes, & Ginsium Urbeculam vicinam frustra impugnantes, funditus excisum fuerit. Abinde Fundatio amplissima sub perpetuo Mar-

Marte Ungarico vagabatur inter plures: donec ann. 1680. Celsiss. Princeps *Paulus Esterhasi* Caput Bonorum, Pagum nempe, ubi stetit Monasterium, Ordini restituerit. Quo à tempore Residentia ibidem erecta est, cui de Superiore, & Vicariis ex Campililio providetur. Hæc obiter hoc loco, donec plenius de eodem *Tomo III.*

DE MONTE.

Cœnobium Italiæ prope Viterbium ferè collapsum, & ad incitas redactum, *Innocentius* Papa III. sumtu suo restituit ann. 1206. *Dec. I.* ij. 24.

MONS ACUTUS.

Cœnobium dictum *S. Salvatoris* propè Perusium, ferè collapsum, Spiritu de cœlis illabente, complurium Nobilium Magnorúmque Virorum condicta Societate, primùm instauratum fuit, ipsis deinde Cisterciensem Disciplinam primigeniam ibidem professis an. 1236. *Dec. IV.* ij. 9.

MONS VETUS.

Cœnobium Ducatus Montensis ad fluvium Dunam Diœces. Coloniens. excitatum sub ann. 1133. Fundatore *Adolpho* Comite *de Monte*. Ibi *Engelberti* Archiep. Coloniens. pro justitia crudeliter occisi Corpus lotum, & solemni supplicatione Coloniam delatum anno 1225. Cor & Viscera in Monasterio deposita. *Dec. III.* ij. 10.

MORIMUNDUS.

Cœnobium Italiæ juxta Mediolanum à Papiensibus, *Friderico* II. Cæsari devotis, unacum Templo vastatum anno 1237. Fundari cæptum erat anno 1133. *Dec. IV.* ij. 13.

NEPOMUCUM.

Cœnobium olim Bohemiæ fundatum creditur sub ann. 1146. vero Auctore ignoto. In eo doctrinæ & Sanctitatis Rudimenta posuit S. Joannes Nepomucenus, ut puer quotidie ad Aram ibidem serviens, & elementa literarum edoctus. Desolationem suam accepit ex rabie Hussitica Seculi XV.

NOVUM CASTRUM.

Cœnobium Alsatiæ inferioris contra Hagenoiam Diœces. Argentinens. Fundatore *Reinoldo* Comite Lüzelburgensi sub ann. 1128. exstructum.

NOVA CELLA.

Cœnobium Lusatiæ inferior. Fundatoribus *Henrico* Marchione Misniæ, atque Conjuge *Constantia*, Filia *Leopoldi* VII. Austr. Ducis, ibi quiescentibus, excitatum sub ann. 1228. superatis omnibus Religionis turbinibus adhuc superstes, ac florens: in quo Devotio Josephina insigniter floret, illuc è Campililio propagata, uti *Tom. III.* dicetur.

OBACINA.

Cœnobium Galliæ Diœces. Lemovicensis à B. *Stephano*, ejus Auctore & Abbate *Fastorum Campililiens. Tom. I.* primo sub ann. 1142. cum tribus Cœnobiis Filialibus, unoque Parthenone, Cistercio subjicitur an. 1148. *El. VIII.* ij. 12.

de ODIVELLAS.

Parthenon S. Dionysii in Lusitania à *Dionysio* Rege constructus. *Dec. X.* ij. 23.

OELSBERGA.

Parthenon Diœces. Basileensis origine Benedictinus, de cujus Fundatione ritè non constat, Cisterciensem Reformationem suscepit sub ann. 1250. Eidem favebat *Rudolphus* I. Imp. sub *Agnete* Abbatissa ann. 1283. *Dec. IX.* j. 31.

OLIVA.

Cœnobium Prussiæ Polonicæ, uno lapide Dantisco Urbe distans, fundatum post Annum 1175. à *Subislao* Cassubiorum & Pomerellorum Principe. Ibi *S. Casimirus* Abbas, cum omnibus Monachis, ab infidelibus Prutenis Martyrio affectus an. 1224. *Dec. III.* ij. 6. Sæpius hic locus peracerba fata sustinens, adjuvante Domino, semper tamen refloruit. Alia *Oliva* est in Hispania, & item alia in Regno Navarræ, utraque Cisterciensis.

PARISIUM.

Cœnobium Alsatiæ Diœces. Basileensis sub ann. 1138. fundatum ab *Udalrico* Comite *de Hohen-Egisheim*. Ejusdem Abbas IV. *Martinus* Prædicator Crucis erat per Germaniam, & ann. 1204. Exercitus Cruce signati Ductor, præsens occupationi Urbis Constantinopolis: qua à Latinis obtenta ingentem Sacrarum ac pretiosissimarum Reliquiarum Thesaurum ibi collegit, secúmque domum adduxit. Dec. [illegible] ij. 10. 13. 18. 22.

DE PASTRO.

Cœnobium olim Ungariæ surrexisse scribitur sub ann. 1290. *Dec. IX.* ij. 28.

PENTOYSE.

Parthenon Franciæ fundatus à *Blancha* Regina Matre S. *Ludovici* Regis, quæ velo ante mortem suscepto professa, piè defuncta ibidem condita fuit anno 1252. *Dec. VI.* ij. 4.

PLAGA MARIÆ.

Cœnobium Bavariæ olim Cisterciense, sed post instaurationem suam è ruinis traditum Præmonstratensibus, vulgari nomine Schlegel. *Dec. I.* ij. 9.

PLASSIUM.

Cœnobium Bohemiæ Fundatorem veneratur *Uladislaum* II. Bohemiæ Regem, cum Conjuge *Gertrude*, Filia S. *Leopoldi* Austr. March. circa ann. 1146. *El. VI.* vij. 15.

POMERIUS MONS.

Cœnobium Austr. Super. vulgò *Baumgartenberg*, fundatum ab *Ottone* Comite *de Machland* sub ann. 1141. Filia S. Crucis, unde prima Monachorum Colonia à *Conrado* Abbate, Filio S. *Leopoldi* Marchionis Austriæ illuc immissa fuit.

Cum tamen Abbas primus *Fridericus* ex *Morimundo* venerit, arguebatur exinde Filiatio immediata Morimundi. *El. VIII. j.* 9. Abbas *Rudigerus* cum Cœnobio suo, simul cum S. Cruce tanquam Matre, & Zwetla, ac Campililio, ut Con-Filiabus, à *Friderico* II. Imp. per speciosum Privilegium eximitur ab omni Advocatia ann. 1227. *Dec. III. iij.* 11. 12.

POPULETUM.

Cœnobium Hispaniæ celeberrimum ac opulentissimum in Comitatu Barcinonis Catalaunensi, erigi cæptum ann. 1153. à *Raymundo Berengario* Aragonum & Barcinone Comite, consummatum postea à Filio ejus *Alfonso* Rege. Protulit hoc illustre Monasterium multos Ecclesiæ Præsules, & quiescunt in eo complures Aragoniæ Reges. In his est *Jacobus* I. Rex piissimus, qui post Acta præclarissima ad extremum vitæ deveniens, ultrò & liberè abdicatis, & in filios distributis Regnis, advocato ad se *Bernardo* Populeti Abbate, eidem se integrè in Filium tradidit, cum eóque ad Monasterium perexit: sed subiter febre correptus, pióque agone consummatus, non nisi mortuus eò devênit ann. 1276. *Dec. VIII. ij.* 20.

POTRA COELI.

Cœnobium Voitlandiæ ann. 1256. fundatum ab *Ottone* Comite *de Orlemund* & *Agnete* Conjuge Ducissa Meraniæ. *Dec. VI. ij.* 11.

QUARRERIA.

Cœnobium Benedictinum Angliæ in Diœcesi Wintoniensi, fundatum sub anno 1131. Erat inter illa 30. Monasteria, quæ se unacum *Savigniaco*, quod hujus Congregationis Caput fuit, Reformationi Cisterciensi subjecerunt ann. 1148. *El. VIII. ij.* 12.

RAMERUDUM.

Parthenon Galliæ fundatus à *Gerardo* Comite Brienæ ann. 1260. deinde in Cœnobium Virorum transiens. *Dec. VI. ij.* 22.

RAUDA.

Cœnobium Silesiæ fundatum à *Wladislao* Duce Oppeliensi sub ann. 1252. postea genuit Filiam Gemelniecum. *Dec. VI. ij.* 5.

RUNA.

Cœnobium Cisterciense in Stiria Antiquissimum, hodie Venerabilis Mater Campililii, ab origine dictum *Vallis Pœnitentiæ*, vernaculè *Reu-Thall*, voce *Reu* lapsu temporum transeunte in *Rein*. Fundari cæpit post ann. 1127. ex possessionibus & bonis *Waldonis* Comitis *de Runia* per *Leopoldum*, dictum *Fortem*, Stiriæ Marchionem, Nepotem S. *Leopoldi* Austr. Marchionis ex *Elisabeta* Sorore, & à morte ejus, nomine *Otocari* Filioli, à relicta ejusdem itidem *Elisabeta* consummatum fortè usque ad Ann. 1138. *Dec. V. ij.* 10.

Ibidem obiit *Eberhardus* I. Archiepisc. Salisburgensis ann. 1164. Corpore Salisburgum reducto. *El. VIII. iv.* 32. An. 1205. *Leopoldus* VII. Austr. & Stiriæ Dux ferì donationem fecit, eique denuo favit anno sequenti, sub *Theodorico* Abbate. *Dec. I. j.* 23. 26.

Ejusdem Abbati N. in consortio Abbatum S. Crucis, & Zwetlæ, *Innocentius* IV. Papa ann. 1245. injunxit Inquisitionem, an expediat, novum Viennæ Episcopatum erigi ad petitionem *Friderici Bellicosi* Austr. Ducis. *Dec. V. j.* 57.

Abbas *Almericus* factus Episcopus Lavantinus sub ann. 1259. *Dec. VI. ij.* 15.

de RUPE CASHEL.

Cœnobium Hyberniæ Benedictinum, vernaculè *Hore-Abbey*, traditum Cisterciensibus à Davide *Meccarwil* Archiepisc. Cashellensi ann. 1260. Qui & ipse Habitum Religionis hic induit, & requiem cæpit ann. 1289. *Dec. VI. ij.* 22.

SANDAL.

Cœnobium Scotiæ sub ann. 1256. Fundatore *Sorlio Maderdi* Dynasta de Kentire. *Dec. VI. ij.* 11.

SALEMIUM.

Cœnobium Imperiale Sueviæ Diœcesis Constantien. vulgò *Salmansweil*, votum & Successionem primam habens in Sede Prælatorum Sueviæ, fundatum an. 1134. à *Guntramo* Dynasta *de Adelsreuth*. Ejusdem Abbas *Eberhardus* I. ab *Innocentio* III. Papa ablegatus fuit ad *Philippum* Roman. Regem ann. 1205. *Dec. I. ij.* 21. Item ab *Honorio* III. submissus ad urgendam apud Comites & Nobiles in Germania Expeditionem Sacram Anno 1221. Erat enim Sanctimoniæ opinione, & Jubileo Regimine celeberrimus. *Dec. III. ij.* 3. Rursum ab eodem Papa Anno sequenti constitutus est Inquisitor, an Lavantini Episcopatus erectio, per *Eberhardum* II. Archiepisc. Salisburgensem intenta, nullius in Præjudicium cedat. Sed Anno 1228. à *Gregorio* Papa IX. obtinuit Privilegium, ne sibi, & Successoribus, ejusmodi Comissiones Apostolicæ, quæ Abbates à Filiis diu sæpè abesse cogunt, deinceps imponerentur. *Dec. III. ij.* 8.

Eidem Cœnobio sub eodem adhuc Abbate ann. 1238. extincta Familiâ Fundatrice, *Eberhardus* II. Archiepisc. Salisburgensis alterum Fundatorem se obtulit, ac præbuit, Monasterio se eidem in perpetuam Protectionem tradente erga annuum aureum in Recognitionem, ictóque Fœdere inter Capitulum Metropoliticum, Gremiúmque Salemitanum. *Dec. IV. ij.* 14. Obiit Salemii *Burchardus* nominatus à Papa Archiepiscopus Salisburgensis, dum Româ veniens, Metropolim suam adire vellet, ipsum sub iter, ibique sepultus est ann. 1247. *Dec. V. ij.* 15.

Ple-

Pleraque hæc desumta ex *Apiario Salemitano*, quod, curante D. *Stephano* Abbate, Doctiss. noster *Augustinus Sartorius* Ossecensis *Cistercio* suo *Bis Tertio*, vernaculè reedito ann. 1708. in fine annexuit.

SAVIGNIACUM.

Cœnobium Normanniæ, quæ hodie est una è XII. Præfecturis Galliæ, Mater plurium Cœnobiorum, & integræ Congregationis Caput, incepit sub an. 1112. Abbas ejusdem *Serlo* se, cum omni Congregatione sua 30. Monasteriorum, ann. 1148. subjecit Reformationi Cisterciensi, ac peculiariter Obedientiæ Claraevallis. *Elog. VIII.* ij. 12.

SCHLYSSELAU.

Parthenon Cisterciensis prope Bambergam, latinè *Ager Clavium*, fundatus à LL. BB. *de Schlüsselberg* ann. 1260. *Dec. VI. ij.* 22.

SEDES MARIÆ.

Parthenon Principatus Magdeburgici erectus ann. 1259. ab *Ottone* Comite de Hadersleben. *Dec. VI. ij.* 19.

SEDLICIUM.

Cœnobium primum Bohemiæ Cisterciense, ann. 1143. fundatum à *Miroslao* Dynasta, cujus deinde Familiæ universa hæreditate auctum, Nominis celeberrimi factum, & Regiis Redditibus dives, trecentos Monachos aluit, Chorum perpetuum agentes, præter ducentos Conversos, Oeconomicis laboribus intentos. Devotione erga Venerabile Sacramentum infinitorum hominum, summorum, imorum frequentiam sibi attraxit, quorum & plurimi ibidem sepeliri voluerunt. Unde de Ossuario, ac Coemeterio Sedlicensi, quorum vulgare Nomen *Terræ Sanctæ*, mira narrantur. Excisum est primùm ann. 1421. ab Hussitis: deinde restauratum utcunque, in Rebellione Bohemica adversus *Ferdinandum* II. Imp. Nunc primi splendoris vix tenuia vestigia habet. Monachus quidam ibidem, quem *Antonium* scribunt, sub ann. 1237. reperit Argenti-Fodinas Cutnenses, ingenti Regum Bohemiæ emolumento. *Dec. IV. ij.* 13.

S. SEVERI.

Cœnobium Italiæ Diœces. Ravennatensis cæpit ann. 1257. *Dec. VI.* ij. 12.

SMILHEIM.

Cœnobium olim in Moravia, aliàs *Wizowiz*, latinè *Rosa S. Mariæ*, Fundatorem habuit *Smilonem* Comitem *de Berneck* an. 1264. postea ab Hussitis excisum. *Dec. VII.* ij. 12.

STAMSIUM.

Cœnobium Tirolis fundari cæptum anno 1273. ab *Elisabeta*, Nata Ducissa Bavarica, relicta *Conradi* IV. Roman. Regis, tunc Conjuge *Meinhardi* Comitis Tirolis, in memoriam & expiationem *Conradini* Sueviæ Ducis, Regii Filii sui, Neapoli capite plexi. Monasterium absolvit Maritus, ac dedicari fecit anno 1284. plurimis Antecessorum, ac Majorum suorum Corporibus illuc translatis. *Dec. VIII. ij.* 5. 6. *IX. ij.* 6.

STANLEYA & WALLHEYA.

Cœnobia Angliæ, quorum primum ab origine Benedictinum Reformationem Cisterciensem amplexum, tandem anno 1296. translocatum est in Wallheyam. *Dec. X. ij.* 15.

STELLA S. MARIÆ.

Parthenon Cisterc. Lusatiæ Superioris à *Bernardo* Comite de Camenz Episcopo Misniæ fundari cæptus ann. 1264. consummatus ann. 1284. Ejus Antistitæ *Amabilia* & *Agnes* Germanæ Fundatoris. *Dec. VII. ij.* 12.

S. STEPHANI DE BOSCO.

Cœnobium Calabriæ, primùm Carthusia, ab ipso S. *Brunone* excitata, qui & ibidem ad Cœlos evolavit ann. 1101. Deinde Abbatia Cisterciensis anno 1150. Tandem ann. 1514. quo *Bruno* in Album SS. illatus est, ob memoriam beati transitus ejus in eodem Loco, & insignes ibidem ejusdem Reliquias, Ordini Carthusiano denuo restituta per *Leonem* X. Papam. *Dec. X.* ij. 20.

TREBNICIUM.

Parthenon Silesiæ, Fundatoribus *Henrico Barbato* Poloniæ ac Silesiæ Duce, & Sancta ejusdem Conjuge *Hedwige*, Regia Munificentia excitari inchoatus an. 1203. perfectus ann. 1219. ipsa S. Ducissa eundem compluribus annis inhabitante, & Filia Fundatorum *Gertrude* secundam Antistitam agente. *Dec. V. ij.* 6.

TRIUM FONTIUM.

Cœnobium Italiæ ipsa in Urbe Roma erectum ab *Innocentio* II. Papa anno 1140. Colonia primâ è Claravalle Galliæ deductâ, dictum alio nomine SS. *Vincentii* & *Anastasii*, sive *ad Aquas Salvias*. Inde prodiit *Eugenius* III. Papa, hujus Loci antea primus Abbas. *Elog. VII.* ij. 5.

VALLIS ANGELORUM.

Parthenon Wetteraviæ fundatus à Burggraviis Fridbergensibus anno 1268. *Dec. VII. ij.* 19.

VALLIS ARCTA.

Parthenon olim propè Basileam fundatus à Comitibus de Homburg ann. 1269. tumultu Rusticorum ann. 1525. excisus. Fundatione à Magistratu Basileensi sibi attracta. *Dec. VII.* ij. 21.

VALLIS LILIORUM.

Parthenon Turgoiæ in Helvetia, fundatus per Nobiles DDños *de Bichelsee* an. 1257. *Dec. VI.* ij. 12.

VALLIS RHENANA.

Parthenon Cisterc. Diœcef. Constantiensis fundatus sub ann. 1255. à *Conrado* Comite *de Friburg*: postea Prioratus Monachorum Lucellensium: tandem omnino ab Ordine ablatus per Comites Hachbergenses. *Dec. VI. ij.* 10.

VALLIS ROSARUM.

Parthenon olim in Palatinatu fundatus post ann. 1290. Hunc inter & Oppidum Gellenheim ann. 1298. factum est decretorium prelium inter Æmulos Romanorum Reges *Albertum* I. Austriacum, & *Adolphum* Nassovium, posteriore occiso, & hic sepulto ann. 1580. Odeum hoc à Milite Nassovio excisum fuit, fundatione ad Academiam Heidelbergensem attracta. Parthenon alius Cisterciens. prope Kochemium, æquè dictus *Vallis Rosarum*, adhuc floret. *Dec. X. ij.* 22.

VELSPACH.

Parthenon Cisterc. Helvetiæ, Fundatio *Cunonis de Feldbach* ann. 1252. Eidem favit Rudolphus I. Imp. *Dec. VIII. j.* 38.

VITAVIA.

Parthenon Poloniæ, à Tartaris, trucidatis Virginibûs omnibus, excisus circa medium Seculi XIII. *Dec. VI. ij.* 21.

WALDERSPACH.

Cœnobium (ab *Altersbach* aut *Allersbach* distingendum) in Palatinatu Superiori ad fluvium Regen, primùm pro Canonicis excitatum sub ann. 1139. deinde ab *Ottone* Comite de Stephaning & Rietenburg, Burggravio Ratisbonensi, Cisterciensibus traditum ann. 1143. instante D. *Richarda* Matre ejus, Sorore *S. Leopoldi* Austr. Marchionis. *El. VI. vij.* 6.

WALDSASSIUM.

Cœnobium ad fines Palatinatus Superioris altero lapide ab Urbe Egra, cæpit sub ann. 1134. Ejusdem Abbas *Theodoricus* Bohemiæ Regi *Wenceslao* II. gratissimus, ab ipso Primi Consiliarii locò habitus, & Compater adlectus, eidem instaurationem *Coronæ Spineæ*, & fundationem *Aulæ Regiæ* Monasteriorum Cisterciensium persuasit. *Dec. IX. ij.* 20.

WETTINGA.

Cœnobium Helvetiæ fundatum ann. 1227. ab *Henrico* Comite de Rappersweil: qui ipse pariter à morte Uxoris 19. annis ibidem professus piè devixit. Alio nomine vocatur *Maris Stella*. Favit huic Cœnobio *Rudolphus* I. Imp. *Dec. VIII. j.* 48. Eidem *Anna* Imperatrix Usum fructum certorum Bonorum suorum paraphernalium concessit ad decennium, ut inde satisfieret Creditoribus, quibus teneretur. *Dec. IX. j.* 3.

WOHNENTHALUM.

Parthenon Brisgoiæ Virginibus Cisterciensibus traditum ab *Alexandro* IV. Papa sub ann. 1256. ad preces *Rudolphi* Comitis *de Isenburg*, novi Fundatoris partes assumentis. *Dec. VI. ij.* 11.

WURMBACUM.

Parthenon Helvetiæ fundatus à *Rudolpho* Comite de Habspurg Ann. 1259. *Dec. VI. ij.* 19.

ZIKADOR.

Cœnobium Ungariæ Diœcef. Quinque-Ecclesiensis fundatum ann. 1142. Filia S. Crucis Austriæ. *Elog. VIII. j.* 9.

ZWETLA.

Cœnobium inclytum Austr. Infer. Filia S. Crucis, alio nomine *Claravallis Austriæ*, fundata ann. 1138. ab *Hadmaro de Cuopharn* Dynasta, cujus Posteri appellati Chunringii. *El. VII. j.* 11. Eidem favit *Leopoldus* V. Austr. March. Dux Bavariæ. *Ibid. ij.* 13.

Henricus Jasomirgott Dux eidem benefecit. *El. VIII. ij.* 19. Non propterea negavit Predium Chrumpenau, quod Monasterium nollet *Paschali* Antipapæ adhærere. *Ibid. v.* 8. Rursum eidem gratiosus. 25. Exusta Zwetla scribitur à Bohemis. 46.

Leopoldo VI. Duci ibidem præsenti mutuum dedit Argentum, favorem ejus hoc pacto sic promerita, ut postea apud eam quasi Fundatoris elogium sustulerit. *El. IX. j.* 13. Benefacta ejus. *Ibid. ij.* 8.

Fautor pariter erat *Leopoldus* VII. Dux. *Dec. I. j.* 5. 26. Abbas *Wulfingus* consideravit Locum Fundationis Campililiensis, & approbavit ann. 1201. *Dec. I. iij.* 9. Abbas *Marquardus* Testis erat Compositionis inter *Premislaum* Regem Bohemiæ, & *Andream* Episcopum Pragensem, Viennæ ann. 1221. *Dec. III. iij.* 3. Sub eo, unacum S. Cruce Matre, tres Filiæ Zvvetla, Mons Pomerius, & Campililium, specioso Privilegio *Friderici* II. Imp. in perpetuum eximuntur ab omni Advocatia ann. 1227. 11. 12. Eidem, atque Priori suo, injuncta Commissio Apostolica ann. 1230. 24. Interfuit Dedicationi Ecclesiæ Campililiensis, & Sepulturæ Ducis Fundatoris eod. Añ. 28.

Henricus ex Cive Oppidi Zvvetlensis factus Episc. Seccoviensis, hoc in Monasterio, uti vivus constituerat, sepultus fuit. *Dec. V. j.* 36. Cœnobio huic benefecit *Fridericus Bellicosus* Dux. *Ibid.* 22. 36. 44. 59. Abbati Zvvetlæ injungitur ab *Innocentio* IV. Papa Inquisitio, an expediat, Viennæ novum Episcopatum erigi, quòd supplicaverat *Fridericus* Dux. *Dec. V. j.* 47.

Ebro Abbas Zvvetlensis ut Scriptor Domesticus laudatur. *Dec. VIII. ij.* 25. Eidem à Campillilio venditur predium Haidpach. *Ibid. iij.* 22.

Rudolphus I. Imp. Cœnobio favit. *Dec. VIII. j.* 90. 93. *Dec. IX. j.* 3. Idem Locus à DDñis *de Valkenberg* graviter læsus, compensationem accipit à *Rudolpho* Austriæ Duce, petulantibûs ad officium reductis. *Dec. X. j.* 79.

CLAS-

CLASSIS XIV.

Militiæ Equestres Cistercienses.

SANT - JULIANEA, postea dicta ALCANTARIENSIS.

Ut hodie ad Scientias acquirendas Lycea, & Academiæ, sic olim ad Propugnandas Provincias Militiæ ac Societates Equestres instituebantur, maximè in Hispania, cujus potiorem adhuc partem Mauri infideles, postea Saraceni Afri obtinuerunt, vel incessanter impugnârunt. Oportebat, hos Pugiles, optimè de Republica & Ecclesia merituros, tam strenuos armis, quàm pietate conspicuos esse: quia hostes, ut Regionem sic etiam Religionem barbaro more persequebantur. Necesse præterea fuit, hujusmodi Milites totis Collegiis & Societatibûs fuisse congregatos, ut non modò vis unita fortior esset, verùm etiam imperia ab uno supremo Capite data, Obedienti Membrorum executione finem feliciorem sortirentur. Verbô, ut res ordine fieret, postulabantur *Ordines Militares*, legibûs aliis tempore pacis, & aliis, dum bellum urgeret, utentes. Et quoniam eò temporis præ *Cisterciensi* nullus alius Ordo celebrior ac honorabilior erat, præcipuè apud Hispanos: pleræque tales Militiæ, vel ultro, & statim, aut lapsu temporum altiore imperio Pontificum, vel Regum Cistercii Legibus, & Obedientiæ subdebantur: donec tempora, quæ omnia mutant, has quoque Militias primùm in libertatem noxiam, tandem quasi plenam in dissolutionem saltem Ordinis impulerint, Regibûs Administrationem earum suscipientibûs, postquam pericula hostium barbarorum cessaverunt. Pax námque in opulentia bonorum, quæ Majores olim sanguine suo largo promeruerunt, Milites fecit molles, & securitas à barbaris apud Nobiles Provinciarum eisdem, ob opulentiam suam, quotidie ampliorem invidiam conflavit. Facti sunt Membra, & Capita Ordinis, non qui disciplinam servare, sed qui bonis & juribus Militiæ sine merito uti, fruique volebant. Quæ pessima res certissimè Religionem omnem dissolvit.

Præludium hujusmodi Militiarum factum est an. 1156. dum *Suerius* & *Gomesius* nobilissimi Viri, in Urbe Salmantina Pugiles fortes adversus Mauros congregârunt, Arce constructa, & à proxima S. *Juliani* Ecclesia indito huic Societati primo Nomine Militiæ *Sant-Julianeæ*. Cui petenti *Ordonius*, primus in Hispaniis ex Ordine Cisterciensi assumtus Episcopus Salmantinus, leges ad normam Instituti Cisterciensis præscripsit. *El. VIII.* iij. 24.

Postquam verò ab *Alfonso* Rege Legionis Norba Cæsarea, sive *Alcantaria*, Saracenis erepta, & Militiæ Castellanæ *Calatravensi* tradita fuisset an. 1218. hujus Magister *Martinus Ferdinandi* eandem concessit Militiæ *Sant - Julianeæ*, quæ hanc Urbem potissimùm expugnaverat, eo pacto, ut paribus cum *Calatrava* legibûs in Obedientia Cistercii viveret, & Sedem suam in *Alcantariam*, nomine quoque deinceps inde assumto, transferret: quod factum an. 1219.

Huic deinde Militiæ, jam dictæ *Alcantariensi*, an. 1239. sub *Petro* Magistro, eximio Privilegio favit *Gregorius* IX. Papa. *Dec. IV.* ij. 15.

Garsias Ferdinandus Magister, cum suis, *Alfonso* Castellæ Regi in bello intestino fidelissimam, & utilissimam operam præbuit sub an. 1266. *Dec. VII.* ij. 15. Quod & ulteriùs gnaviter præstitit, etiam contra barbaros: in quos ad internecionem pugnavit, cùm contrà in Civilibus bellis moderatus, non plus, quàm necessitas posceret, hostibus obstaret. *Dec. VIII.* ij. 17.

Ferdinandus II. Magister Mauros debellans, Castellæ Regi *Sanctio* Castrum fortissimum Cartejam, aliàs Tarifam, strenua manu asseruit, Rege in Ordinem non ingrato. an. 1296. *Dec. X.* ij. 14.

de Avisio.

Lusitana hæc, seu Portugalliæ Militia, quæ omnium diutissimè in obedientia Cistercii perstitit instituebatur an. 1162. ab *Alfonso* Lusitaniæ Rege, & Primum ab eo sibi præpositum Supremum accepit Magistrum *Petrum*, Filium Regis, aut Fratrem. Occupatâ deinde *Ebora* Urbe, sibique à Rege donata, dicebatur Militia *Eborensis*, & Leges habebat, à *Zirita*, Tauroccæ Abbate Cisterciensi, ad normam Cistercii. Erepta verò barbaris Urbe *Avisio*, qua in occupatione Aquila grandis omen Victoriæ fecerat, assumsit Nomen Militiæ *Avisiensis*. Postremò ante ann. 1200. à *Calatravensibus* seu Filia adoptata fuit.

Martinus I. Supremus ejusdem Magister, cum suis, an. 1248. Albufeyram Saracenis eripuit, suæque Militiæ acquisivit: Regi præterea Castellæ *Ferdinando* in expugnatione Hispalis, Maurorum Regiæ, strenuissimo adjutorio fuit. *Dec. V.* ij. 16.

Laurentius Alfonsus Magister *Dionysio* Lusitaniæ Regi sub an. 1299. manum fortissimam commodavit in acerrimo bello cum *Ferdinando* Castellæ Rege, donec fidem suam occumbens etiam sanguine suo obsignâsset. Quapropter & Rex Militiam *Avisiensem* amplissimis beneficiis prosecutus, suis in Diplomatibus plerúmque *Laurentii* gratam inseruit memoriam. *Dec. X.* ij. 23.

de CALATRAVA.

Hæc Militia, cœpta in Regno Castellæ an. 1158. & princeps cæterarum, quas ut Filias adoptavit, propterea maximè admirabilis est, quod à Monachis inchoata sit. Cùm nàmque *Calatravam*, Castiliæ tunc Munimentum fortissimum, & Regni totius contra Saracenos præsidiùm ferè præcipuum, Templarii Milites, defendere illud non audentes, deseruissent, & sub intestina Regni discordia nemo omnium reperiretur, qui tutelam ejusdem suscipere vellet, inspirante Domino *Didacus Velasquez* Monachus Cisterciensis Fiterii, Miles antea in Seculo strenuissimus, longòque usu exercitatus, modis omnibùs institit apud *Raymundum* Abbatem suum, ut Calatravam à Rege peteret, ejúsque defensionem sponderet. Quo obtento, prædicatione nostrorum tam insignis ac florens exercitus brevì congregatus est, cujus vel fama barbaros à Calatrava absterruit, Militiæ deinde Novæ sub legibus Cistercii fœcunda Parente. *El. VIII. iv.* 18.

Sub an. 1195. *Alfonso* Castellæ Rege à Saracenis Afris, vi tota insurgentibus, ad internecionem contrito, barbari etiam *Calatravam* occupàrunt, Militibûs nostris omnibûs trucidatis: quæ eisdem post plures demum annos rursum erepta fuit. *El. X.* 4. Ordinis interim Sedes fuit *Salvaterra*, deinde *Zo ita*.

Sub *Gundisalvo* Magistro *Ferdinandus* Castellæ Rex præcipuâ Calatravensium operâ, & virtute Cordubam, tunc Maurici Regni Caput, barbaris eripuit, *Lupo* Monacho Fiteriensi primo Episcopo, & Apostolo ibidem constituto, an. 1236. *Dec. IV.* ij. 10.

Ferdinandus Ordonius Magister an. 1248. strenuè denuo *Ferdinandum* Regem adjuvit in expugnanda Regia Urbe Hispali. *Dec. V.* ij. 16.

Petrus Joannis Magister *Alfonsum* Castellæ Regem contra Rebelles insigniter propugnavit sub an. 1263. largiter ab ipso donatus. *Dec. VII.* ij. 12.

Joann. Gundisalvus Magister rursum *Alfonso* Regi utilissima belli obsequia præbuit, Filium eidem conciliavit, perduelles castigavit. *Sanctium* Archiep. Toletanum, *Jacobi* Aragoniæ Regis Filium, in Saracenos infeliciter pugnantem, & obtruncatum, strenuè ultus est, defuncti cadaver mœstus reducens an. 1274. *Dec. VIII.* ij. 17.

Ruizius Perez Magister *Sanctio* Castellæ Regi fidelissimo semper obsequio adstitit. Castrum nobilissimum, *Tarifam* dictum, jamjam diruendum, cùm id nemo contra Saracenos tueri auderet, ipse cum suis propugnavit. *Ferdinandi* Infantis Educator & Magister à Rege constitutus fuit. Saracenos demum apud Granatam gloriosâ Victoriâ prosternens, lethali ex vulnere post pugnam decessit, coronam in cœlis accepturus an. 1295. *Dec. IX.* ij. 19. *X.* ij. 12.

de MONTESA, & de CHRISTO.

Hæ ambæ Militiæ, Seculo XIV. sub legibus Cistercii institutæ, pertinent ad Tomum II.

CLASSIS XV.

Personæ & Res Cistercienses disparatæ.

ALBIGENSES hæretici. Eorum Inquisitio, Correctio, Reductio, Condemnatio, Expugnatio per Arma Cruce signatorum, Seculi integri negotium summè arduum, à primordio usque ad finem Cisterciensibus commissum, eorum labore, sudore, sanguine profuso, adspirante DEO, tandem confectum. *El. IX.* j. 12. 16. *Dec. I. II. & III. ubique* §. *ij. ferè per totum.*

ARCHIEPISCOPI Cistercienses variarum Ecclesiarum unus & vingiti. Videantur *Class.* IV. & V.

S. BERNARDUS nascitur Fontanis in Castro prope Divionem Burgundiæ an. 1091. *El. V. iv.* 18. Cistercium cum 30. Sociis ingreditur an. 1113. *El. VI. ij.* 4. Ad fundandam Claramvallem Porto-Abbas ejusdem emittitur an. 1115. 8. B. *Norberto* Præmonstratum concedit an. 1120. 14.

Leodii apud Belgas unacum *Innocentio* Papa II. legitimo, cujus causam perpetuis Legationibus ubique sustinuit, cúmque *Lothario* Imp. interfuit Synodo, hósque ambos concordes conservavit ann. 1131. ubivis interim prodigiis inclitus. *El. VI.* iij. 5. Pro tollendo schismate *Petri Leonis* decumanis laboribus perfungitur. *El. VII.* j. 6.

Revincit errores *Petri Abaelardi*, & cum eo reconciliatur ann. 1140. *El. VII.* ij. 5. Scissionem *Innocentii* II. Papæ & *Ludovici* VII. Galliæ Regis componere studuit. 6. Rex ejusdem objurgationem haud parum acrem attamen modestissimè tulit. *El. VIII.* j. 9.

Portugalliæ Regnum sub *Alfonso* Primo Rege Claravalli tributarium acipit. *El. VIII.* j. 18. Gratulatur *Eugenio*, olim Filio suo in Claravalle, ad Sedem Petri assumto an. 1145. 18. Hoc jubente Crucem in Gallis pro Oriente prædicat: ubi Dux Expeditionis eligitur. Sed Papa ei Crucis prædicationem in Germania quoque injunxit. 28.-30.

Ejus precibûs *Alfonsus* Portugalliæ Rex Mauros gloriosè vicit, S. Viro Victoriam prophetice prænoscente. Qui & prædixit Regi divisionem Regni à Stirpe sua, si reditus Alcobaciæ, quam vo-

to fundaverat, dividerentur. *El.VIII. ij.* 8.

Græcorum Imperatorem epistolâ obsecravit, ut Expeditionem sanctam Latinorum adjuvare ac promovere vellet, quasi præscius Græcæ perfidiæ. *Ib.*5. Vicit *Henricum* hæresiarcham Albigensium Præcursorem in Provincia Tolosana. 9. Oppugnavit *Gilbertum Porretanum* Ep. Pictaviensem in Concilio Remensi, nova de SS. Trinitate tradentem: quæ Contentio ardua, & periculosa, prudentia Papæ *Eugenii*, & humilitate *Bernardi*, feliciter composita an. 1147. In Clara Valle sua deinde Papam excepit, eúmque ad Capitulum Generale Cistercium comitatus est. Præterea S. *Malachiam* Hospitem habuit, ac paulo postea defunctum, in Claravalle deponit. *Ib.* 10. 11. 12.

Refellit Orbis dicteria adversus DEUM, *Eugenium* Papam, *Ludovicum* Galliæ Regem, & se, ob infelicem Sacræ Expeditionis Successum. *El.VIII. ij.* 20. Cistercienses impediunt novam Expeditionem: an rectè? 20. 21.

S. *Bernardo* an. 1151. conviventes Filii *Eugenius* Papa, Cardinales quatuor, Archiepiscopus unus, Episcopi duodecim, omnes è Claravalle assumti. Mirum hoc certè: sed mirabilius, Sanctum eorum Parentem Dignitatem omnem humilitate declinâsse. 25.

Obiit S. Pater cum *Eugenio* Papa eodem anno 1153. *El. VIII. iij.* 4. Petitur pro eo Cultus SS. an. 1163. sed differtur propter aliorum consimiles petitiones ab *Alexandro* III. in Concilio Turonensi. *El. VIII. iv.* 31. Decernitur ab eodem Papa an. 1174. *Ib.* §. *v.* 41. Elevatio Corporis ejus fit in Claravalle an. 1178. *El. IX. j.* 12. Renunciatur ab *Innocentio* III. Doctor Ecclesiæ, qui & proprias pro eo Collectas composuit an. 1201. *Dec. I. ij.* 7. Festum ejus cum Octava solemni celebrari præcipitur in Ordine an. 1295. *Dec. X. ij.* 10.

CAPITULA ad normam Cisterciensium pluribûs diebûs celebrare jubentur Regulares omnes, præsidentibûs Albbatibûs Cisterciensibûs, in Concilio Lateranensi an. 1215. *Dec. II. ij.* 20. Capitulum Generale Cisterciense anni 1244. æterna memoria dignum ubi præsens *Ludovicus* IX. Sanctus Galliæ Rex, Patribûs omnibûs coram eo pro benigna Susceptione *Innocentii* IV. Papæ supplicantibûs, & ipse in genua prostratus precibus consensit. *Dec. V. ij.* 8.

CARDINALES Cistercienses tres & viginti videndi *Class.* II.

CISTERCIENSIS Ordinis Libertas, & Exemtio Originaria. *Dec. I. iij.* 6. Hierarchica ejusdem Gubernatio. 7.

Cistercienses *Fridericus* I. Imp. extrema persecutione insequitur, totisque gregibûs utriusque sexus in exilium trudit propter obedientiam *Alexandri* III. legitimi Papæ. *El. VIII. v.* 32. Abbates & Monachi plurimi à *Philippo* Galliæ, & *Richardo* Angliæ Regibus ad Expeditionem Sacram Orientis postulati, & assumti. *El. IX. ij.* 18.

Dum pro lytro *Richardi* capti Angliæ Regis collectæ pecuniarum in Anglia fierent, Cistercienses maximè omnium à Collectoribus emungebantur, coacti omnem lanam pecudum suarum tradere, quæ præcipua eorum substantia erat. *El. IX. iij.* 36. Rex liber iterum unius anni lanam, rogandô quidem, & compensatione in speciem promissa, extorsit: quo pacto complura clarissima Monasteria in solitam in egestatem impulsa fuerunt. *El. IX iv.* 6.

Henricus VI. Imp. Ordini 3. millia Marcarum pro Thuribulis argenteis comparandis obtulit, non acceptata, quòd esse putarentur de Lytro Anglico, quapropter Cæsari censura Apostolica intentata erat. *El. X.* 4.

Innocentius Papa III. comminatus est Ordini abolitionem, nisi, contra Exemtionem suam, quinquagesimum Numum pro Oriente contribueret. Quo in discrimine nostri opem apud DEUM, atque DEIparam, quæsiverunt, & repererunt, Papa desistente, & sic mutato, ut Ordini addictissimus fieret. *Dec. I. ij.* 1.-4. DEO, & hominibus redditæ ab Ordine grates. 5. 6.

Balduinus Imp. Græcorum Latinus Cistercienses Constantinopolim petiit. *Dec. I. ij.* 20. Imp. *Henricus* eos ibidem cum honore recepit. 24. *Innocentius* III. eorundem Elogium in Græciam perscripsit. *Dec. II. ij.* 8.

Cistercienses Præsules, & Abbates plurimi fuerunt eorum in cœtu, quos *Fridericus* II. Imp. sub *Gregorio* Papa IX. ad Concilium Romanum profectos capi, durissimoque ac diuturno carcere premi mandavit. *Dec. V. ij.* 1.

Ordo noster, ob nimiam cæterorum invidiam, spontè moderatus est Exemtionem suam à Decimis, eas persolvere decernens de acquirendis post Concilium Lateranense anni 1215. *Dec. II. ij.* 13.

Commissiones nostrorum Apostolicæ quamplurimæ videndæ *Dec. I. & seqq.* omnibus ubique §. ij.

EPISCOPI Cistercienses novem & Septuaginta videndi *Class.* VI. VII.

SS. EUCHARISTIA. *Guido* II. ex Archi-Abbate Cistercii Card. Ep. Prænestinus, Legatus in Germaniam, instituit Usum Campanulæ in Elevatione Missæ, ac deportatione S. Viatici ad infirmos, postea in tota Ecclesia receptum. *Dec. I. ij.* 14. Solemnitatem Corporis Christi DEUS in Ecclesia procuravit operâ Cisterciensium. *Dec. VII. ij.* 7.-11.

S. FA-

S. FAMIANUS à prodigiorum fama sic dictus, proprio Nomine *Quardus*, Monachus & Eremita Cisterciensis. *El. VIII.* iij. 9.

FRIDERICUS II. Imp. in cuculla Cisterciensi pœnitens obiisse scribitur. *Dec. V. j.* 102. ij. 18.

IMMUNITAS Cistercii à Subsidiis pro Oriente primùm infracta an. 1281. *Dec. IX.* ij. 3.

LIS infelix Quatuor Primorum Abbatum cum Archiabbatibus Cisterciensibus cœpta sub *Arnaldo* I. Abb. Generali, ferè perpetuò duravit. Ad Concilium Lateranense an. 1215. delata: quod in ea discretè pronunciavit. *Dec. II. ij.* 18. Agitata tamen ulterius. 24. Semper gliscens, vehementissimè resuscitata est an. 1262. *Dec. VII.* ij. 4. Jam cognoscenda per externos Judices, quos Ordo nunquam est passus. 7. Nisi *Clemens* IV. Papa eam per se ipsum decidere dignatus esset. 13.

OBEDIENTIÆ humilis Exemplum singulare in *Stephano* Abbate Clarævallis. *Dec. V.* ij. 9.

PARISIENSE S. Bernardi Collegium pro Studio Cisterciensi cœptum an. 1244. *Dec. V. ij.* 9. Item Herbipolense an. 1284. *Dec. IX. ij.* 6.

PATRIARCHA Antiochenus *Petrus* Cisterciensis. *Vide Class.* III.

S. PETRUS Archiep. Tarantasiæ hoc nomine II. prodigiorum copia S. Bernardo æmulus. *El. VIII, iij.* 9. *iv.* 27.

PONTIFICES Romani Cistercienses. *Eugenius* III. & *Gregorius* VIII. extra dubium sunt. *Cœlestinum* IV. Ordini adstruit *Ughellus*. *Alexander* III. tutò probari nequit. *Hadrianus* IV. *Lucius* III. & *Urbanus* IV. non fuerunt. *Henricus* Cardin. Albanensis, & *Conradus* Card. Portuens. Sanctam Sedem deprecati sunt. *De singulis Pontificibus vide Class.* I. *Cardinal. Cl.* II.

RITUS Ordinis. Anniversaria duodecim Mensium instituta ann. 1273. sub *Joanne* I. Archiabbate. *Dec. VIII. ij.* 7. Item antea sub eodem Anniversarium solemne pro Superioribus an. 1269. *Dec. VII.* ij. 20.

SS. *Benedicti* & *Bernardi* Commemorationes ex cursu Mariano ad Officium Canonicum translatæ sub *Bonifacio* Archiabbate an. 1238. *Dec. IV. ij.* 14.

Cucullæ usus apud Abbates & Monachos in itinere dispensatus sub *Rufino* Archiabbate an. 1295. *Dec. X. ij.* 10.

Cursus B. V. antea privatim à singulis recitatus, simul ab omnibus quotidie in choro dici jussus est sub *Guidone* II. Archiabbate an. 1194. *Dec. I. ij.* 11. Antiphonæ *Salve Regina* solemnior decantatio an. 1251. statuta à *Bonifacio* Archiabb. *Dec. VI. ij.* 2.

Sub Elevatione in Missa decreta prostratio omnium, quasi non auderent in tanti Mysterii gloriam intueri, an. 1210. sub *Arnaldo* I. Archiabb.

SS. *Joannis* & *Pauli* Martyrum festum in Ordine statutum an. 1218. sub *Conrado* Archiabbate.

S. *Lamberti* Festum institutum rogatu *Roberti* Ep. Leodiensis per *Bonifacium* Archiabb. ante an. 1246. *Dec. V. ij.* 13.

Psalmorum Pœnitentialium Origo per Quadragesimam an. 1201. *Dec. I. jj.* 1. 4. 5.

Serici usus, antea vetitus, permissus in Ecclesiis Cisterciensibus an. 1258. sub *Guidone* III. Archiabb. *Dec. VI. ij.* 13.

S. Ursulæ Festum in Ordine statutum ad petitionem Coloniensis Archiepiscopi an. 1217. à Conrado Archiabb.

S. ROBERTUS Molismensis, Reformationis Cisterciensis Inchoator an. 1098. rediit Molismum an. 1099. Obiit 1100. Sanctorum Cultum accepit ab *Honorio* III. Papa an. 1222. *Dec. III. ij.* 4.

SANCTORUM Cultum *Arnulpho* Converso Villariensi petere negavit Capitulum Cisterciense, & statuit, ne de ulla deinceps Persona Ordinis, in Album SS. postulanda, ab Ordine mentio fiat, ne Sancti multitudine vilescerent, an. 1259. *Dec. VI. ij.* 14.

SCRIPTORES Cistercienses quærendi *Tab.* III. *Miscellan. Class.* II.

UNGARIÆ Monasteriorum Cisterciensium, & aliorum excidium unde? *Dec. IX. ij.* 22.

ZELI Regularis peculiare Exemplum in *Guidone* III. Archiabb. *Dec. VI. ij.* 9.

CLASSIS XVI.

Res & Abbates Campililii.

CAMPILILII Anecdota Historica, & Chartularia. *Prænot. Introd.* §. V. 7. 8.

CAMPUS LILIORUM vulgò *Lilienfeld*. Nomen unde? Insignia: Situs: Vicinia. Antiqui ejus Possessores DD. *Lilienveldarii*. Vallis ejus hyeme Eremus, æstate Via publica. Illuc Viennâ ducit Via gemina. Abinde ulteriùs iter per Montes Sacros ad usque Thaumaturgas Cellas Marianas in Stiria. Loca sub utrumque iter antè ac post Monasterium occurrentia. *Descript. Monaster.* §. I. 1. *sqq.*

Monasterii Dimensio Geometrica, & Fabrica exterior. *Ibid.* ij. 1. *sqq.* Templi dimensio, atque descriptio. In eo S. *Justini* M. Corpus expositum. S. Crucis Dominicæ Portio insignis, ejúsque Theca pretiosa, atque Cultus. Amplissimæ Archi-Confraternitatis Josephinæ Sacellum elegans. §. iij. 1. *sqq.* Monasterii Fabrica interior. Fons plumbeus uberrimus §. iv. 1. *sqq.*

Campililio nostro surgere incipiente, quænam fuerint Summa tum Ecclesiastica, tum Politica Reipublicæ Capita, *Dec. I. j.* 1. Clementissimus Fundator *Leopoldus* VII. Dux Austriæ & Stiriæ, cognomine *Gloriosus*, an. 1199. ab Ordine rogavit Fraternitatem. *Init. Regimin. n.* 5. Hac obtenta, facultatem construendi Monasterium, *Dec. I. iij.* 1.

Campililium est de Linea Morimundi. *Ib.* 7. Ejus Origo è S. Cruce: moderna Mater Inclita Runa. 8. Locum Fundationis inspiciunt *Marquardus* S. Crucis, & *Wulfingus* Zvvetlæ Abbas, adducti ab ipso Duce Fundatore, statim explicante Dotem Cœnobii, eique struendo necessaria convehi jubente, Locum verò Redimente de Manibus possidentium, an. 1021. ubi Loci traditione, & acceptatione, cœpit Fundatio. Primum Lapidem Dux ipse posuit die 10. April. an. 1202. Introductio Monachorum facta Vesperi die 7. Septembr. ann. 1206. Variorum de Fundatione nostra variæ & aberrantes Sententiæ. 11. - 19.

Proto - Abbas Okerus.

Anno 1206. Emissio primæ Coloniæ è S. Cruce, & Introductio Campililii, præsente ipso Duce Fundatore, & *Poppone* Ep. Pataviensi, atque *Marquardo* Abbate S. Crucis. Benedictio primi Abbatis. Primæ Coloniæ nostræ exacta in ingressu disciplinæ observantia. Habitatio Abbatialis erat Domus *Lilienveldariorum*, ubi Capella S. *Thomæ*: unde ejus Cultus apud nos antiquissimus. Oratorium, ubi tunc psallebatur, erat Capella B. M. V. Annunciatæ, quam hodie dicimus S. Sebastiani. *Dec. I. iij.* 20. - 34.

Anno 1207. Cur *Okerus* Proto-Abbas Confirmationem Pontificiam rogaverit, & ante eam obtentam Fundator Chartam non dederit? Ex pecuniis hujus comparavit Vineas ac Domus plures. 35. Obtinet ab *Innocentio* III. Bullam amplam, ac solemnem: quæ per extensum adscripta. 37. 38. Obiit præmaturè an. 1208. Ejus elogium. 39.

2. Gebhardus.

Anno 1209. Ex primo Priore Præsul, obtinuit à Duce Fundatore geminas Fundationis Literas. 40. Cur eæ hucusque dilatæ, causa gemina. 41. Initium prioris Chartæ. 42. Causa posterioris Reclamatio DD. *de Altenburg*: quibus, re per Arbitros judicata, non jure, sed merè gratuitò, compensationem fecit Gratiosissimus Dux, ut holocaustum suum pingue faceret. 43. Illi non pari Religione, uti & Filii, ac Filiæ eorum, iterum iterúmque deinceps reclamârunt. 44. Charta posterior Fundationis per extensum: cujus largitas vexationi multæ nostrorum locum fecit. 45.

Anno 1210. Fundamenta Templi admodum magnifici absoluta. 46. Ubi licuit Fundatori, Majestati consulere, non item in Claustri ædificiis, cùm id nostri humiliter deprecarentur. 47. Dux construxit Hospitale pauperum in chremis, nobis postea donatum. 48. Campililii frequentia pauperum, & in eos nostrorum Largitas: quæ laus Cisterciensium communis, tot insignium Privilegiorum causa fuit. 49.

Anno 1211. Cœmeterium primum apud nos, qua itur ad Ossuarium. *Dec. II. iij.* 3. An. 1212. D. *Manegoldus* Ep. Patav. probavit Fundationem nostram. 4. 5. Ann. 1213. Prior secundus *Gotschalcus* Romam submissus, Prior tertius *Otto*. 6. An. 1214. *Innocentii* III. Papæ tres Bullæ pro Campililio. 8. 9. 10. Visitavit illud Fundator, cum D. Ducissa *Theodora*, & Filia *Margareta*. 8. 10. Muri Templi ad unam orgiam ascenderunt. Religiosorum numerus 24. Capita. *Ib.*

Anno 1215. Vexatio frequens nostrorum propter Jus Provinciale. Circa id providentia Ducis Fundatoris. 11. 13. An. 1216. Muri Ecclesiæ ad Orgiam tertiam surgunt. Ambitus inferior incamerari incipit. Porta cum Cella Hospitum, item Grangia in Pfaffsteten exstruitur. Primus Plebanus in Wilhelmspurg à *Gebhardo* Abbate præsentatur. Numerus Religiosorum 42. 15. 17.

Anno 1217. *Fridericus* II. Imp. confirmat Possessiones, & Jura nostra, maximè Alta, uti Jus provinciale, ac Gladii, Fodinarum &c. interventu Ducis Fundatoris, non quidem necessitatis, sed Securitatis firmioris causâ. Literarum tenor, & Meditatio. 18. - 21. Fundator in Palestinam iturus, visitavit Campililium, séque nostrorum precibus enixè commendavit. 22. 23. Primus Plebanus in Dürniz præsentatus. Numerus Religiosorum 48. Grangia in Tannberg exstructa. 24.

Anno 1218. In Oratorio constructum Altare S. Joannis Bapt. 25. 26. An. 1219. Reversus ex Oriente Dux Fundator, visitavit Campililium cum duobus Filiolis: quibus Monasterii amorem inspirare contendit. Donavit nos multis reliquiis Sanctorum, præcipuè Insigni Portione salvificæ Crucis Dominicæ. Curavit Ecclesiolam S. Magdalenæ in Porta. Contulit predium Eschenau. 27. - 35.

Anno 1220. Dux Fundator iterum adfuit, viditque perfectam Ecclesiolam S. Magdalenæ, & Ecclesiam magnam usque ad aptitudinem fornicum surgentem. Operi

Operi DEI apud nos semper interfuit devotissimus. 33.-35. Ann. 1221. In ambitu Claustri inferiori, perfecto usque ad columnellas, hoc anno in Rogationibus nostri primùm supplicârunt. Visitavit eos *Wernberus* Abbas S. Crucis. *Dec. III. iij.* 1. Abbas noster *Gebbardus* Testis Compositionis inter *Premislaum* Bohem. Regem, & *Andream* Ep. Pragensem Viennæ. 3.

Anno 1222. *Honorius* III. Papa confirmavit nobis Hospitale in Chremis, cum attinentibus Parochiis Meusling & Dresing. 4. An. 1223. Idem Papa solemni Bulla confirmavit universam Fundationem nostram: & aliâ Jus Patronatûs in 3. Ecclesiis, cum insigni laude Beneficentiæ nostræ hospitalis in pauperes. 5. 6. Imitanda hæc nobis: licèt huic tempori alius congruat benefaciendi modus apud Monasteria. 7. 8.

Anno. 1225. Incamerari incipit Præsbyterium. 10. Ann. 1227. *Fridericus* II. Imp. quatuor Monasteria, S. Crucem ut Matrem, Campililium, Zwetlam, & Montem Pomerium ut Filias, suscipit in suam & Imperii Protectionem, atque tam Libertate Ordinis, quàm sua constitutione, perpetuò eximit ab omni Advocatia, seipsum Advocatum constituens, aut, quem sui locò ipsa Monasteria elegerint. Privilegii tenor integer. 11-12. Expenditur. 13. Obit *Wernberus* S. Crucis Abbas. 14. Et *Gebbardus* Abbas noster. Ejus Laus. 15.

3. OTTO.

Successit eodem Anno, cujus primordia commendat Amor Fratrum erga eum. 16. Ann. 1228. *Fridericus* II. Imp. Campililium denuo peculiariter suscipit in Protectionem Imperialem, ita solicito pro Nobis Fundatore Clementissimo, cui ob malitiam hominum nulla nostri Tutela nimia videbatur. 17. Visitavit nos, *Henricum* Filium defunctum enixè nobis in Sacra commendans. Et cùm altero anno Ecclesiam consummari posse lætus intueretur, operarum numerum adauxit, deque Altarium dispositione cum *Ottone* Abbate sermonem contulit. 18. Filium porro alterum jam unicum *Fridericum* in Oratorio adjuravit, ut, si ipse abesse deberet, vel non superesset, Fundationem integrè perficeret, & Ecclesiam dedicari faceret, atque Ossa ejus huc transferret, sibi quasi vaticinatus. 19. Lamenta *Ortilonis*, Patres nostros hæc non intellexisse, neque Piissimo Parenti, quem non ampliùs visuri essent, supremas Gratias exolvisse. 20.

Anno 1229. Perfecta est Ecclesia usque ad Campanile, & Altaria. Suscepti apud nos plures. 21.

Anno 1230. Cùm jam 14. Chartis, tam suis, quàm alienis, incolumitati Possessionum ac Jurium nostrorum consuluisset Clementissimus Fundator: hoc anno, sibi postremo, 4. adhuc Bullas nobis impetravit à *Gregorio* Papa IX. Romæ præsens. Primâ breviter, alterâ prolixè & solemniter confirmavit Pontifex Fundationem nostram. Tertiâ Archiepiscopo Salisburgensi, ejúsque Suffraganeis Episcopis, præcepit nostri Defensionem. Quartâ pro Dedicatione Ecclesiæ, ejúsque anniversario Indulgentias contulit. 23. 26.

In Obitu piissimo Dux Fundator rursus Filium *Fridericum* supremis tabulis adstrinxit ad perfectionem suæ Fundationis, ut Benedictio DEI, & sua, essent super ipsum. Qui omnibûs probè expletis, Dedicationi Ecclesiæ, ac mœstæ Depositioni Funeris, eundem diem festum S. *Andreæ* Apostoli, sive 30. Novembris constituens, ipse, cum Serenissimis Ossibus, ex Apulia adductis, ac D. Matre *Theodora*, & Filiabus ejus, *Constantia* atque *Gertrude*, præter Carinthiæ Ducem *Bernardum*, Archiepiscopum Salisburgensem, Episcopos Pataviensem, ac Chiemensem, cumque Comitibus, Nobilibus, ac Plebe innumera, pridie advênit, ipse universis largè prospiciens. Ipsa die, manè quidem Dedicatio, vesperi Depositio Funeris fiebat: altera die Missæ pro eo, & largæ Eleemosinæ.

Dux *Fridericus* Fratribus Altenburgensibus, iterum reclamantibus, novam denuo de suo fecit compensationem: Patris Fundationem integrè nobis confirmavit eámque propria pietate & Munificentia, Oppido Wizelstorf, & aliis pluribûs adauxit. 32. Reliquiæ Summo Altari dedicato impositæ. 33. Dominæ *Eufemiæ* Comitissæ de Pilstein Donatio. Benefecerunt nobis ea die plures hodie tamen ignoti. 34. Clausula *Ortilonis*. 35.

Anno 1231. *Otto* Abbas Ecclesiam perfectam, ac dedicatam, diligenter in usum vertit, ex more Ordinis. Laboratum in Tumulo marmoreo Fundatoris. *Dec. IV. iij.* 1. Tumultuantibûs in Austria Chunringiis sine damno exire non poterant bona Campililii ultra Danubium. 2.

Anno 1232. Dux *Fridericus* confirmavit nobis donationem *Chunradi de Imenerlebe* sui Militis. 3. Ann. 1233. *Albero de Piela* pactus est sibi facultatem proprii Sacerdotis pro Capella sua. 4. *Otto* Abbas decessit, succedente *Berchtoldo* hoc eodem anno. 5.

4.

4. Berchtoldus.

Anno 1234. *Ditmarus* Nobilis in *Potenstein*, in Palestinam iturus, legavit nobis bona, nisi reversurus esset. 6. Ann. 1235. *Berchtoldo* Abbati nostro, ut & *Egilolfo* Abbati S. Crucis, à *Gregorio* Papa IX. injuncta fuit Visitatio Antiqui cujusdam ac celebris in Austria Monasterii, cujus Nomen à *Manriqueo* tacetur. In Pago Vinitorum Cremsii exundatio Danubii ingentia damna fecit, verosimillimè etiam in Curia nostra. 7.

Anno 1236. & sequ. proscripto Duce, & Austriâ undique direptâ, nisi jactura, certè timor immanis Campililio fuit. Aut, si Loci solitudo immunitatem præstiterit, illuc refugientes pauperes Eleemosinæ largè dispensandæ copiam sine dubio nostris fecisse, censendum est. 8.

Anno 1238. DD. *de Töpel* non infimæ Nobilitatis, cœperunt apud nos fundationem Capellæ S. *Mauritii*, ubi & sepeliri constituerunt, Fraternitate nostra rogata. 10.

Anno 1239. & sequ. Oratum utique apud nos quàm ferventissimè pro restitutione Ducis. 11. Si Dux ab *Alberto Behamio* Legato diris aliquando notatus, & Austria interdicto supposita fuisset: non tamen puto, nostros ad has Censuras promulgandas coactos fuisse.

Anno 1241. Metus Campililii, uti totius Germaniæ, cùm Tartari tot Regna ac Provincias vastarent. *Dec. V. iij.* 1. An. 1242. Pavor summus, cum ipsam Austriam incursarent. Gratiarum Actio, dum in fugam conversi sunt. 2. Donatio *Vritlonis Lilienveldarii* sub Sigillo *Friderici* Ducis. 3. Dux idem donavit nobis Decimas in Probstorf ann. 1243. 4.

Anno 1244. *Eberhardus* II. Archiepiscopus Salisburgensis donavit nobis annuas Libras duas cuppularum Salis, ob memoriam Sereniss. Fundatoris. 5. 6. Duravit hoc Beneficium usque ad finem Seculi XV. 7.

Anno 1245. In Bello Bohemico ægrè sine damno evaserit Campililium. 8. An. 1246. Luctus ejusdem è Funeribus maximis, *Friderici* Ducis, *Theodoræ* Matris ejus Ducissæ Fundatricis, & *Eberhardi* Archiep. Salisburgensis. 9.

Anno 1247. *Berchtoldum* Abbatem Austria, sub tot Procis miserè laborans, in tot Ungarorum vastationibus, difficillimâ exitûs curâ suspensum tenuit. Redemit à *Rudigero* Ep. Pataviensi Decimas in Probstorf, antea à *Friderico* Duce donatas, quia Ecclesiæ Pataviensi feudales erant, & à morte Ducis apertæ. 10.-12.

Anno 1248. Videtur *Berchtoldus* Abbas interfuisse solemni Provincialium Conventui, cùm Testem egerit *Leutoldo* Comiti *de Hardeck* in Donatione, Cl. Neoburgo facta, inter innumeros alios ex omni propè Nobilitate Austriaca. 13.

Anno 1249. Austria sub Interdicto laborante, tristis usus erat Privilegii, Divina clausis januis celebrandi: donec sub Hermanno *Badensi* commune hoc Sacrorum Interstitium denuo laxaretur. 14.

Anno 1250. Concussio nostrorum, dum Ungari & Cumani per valles Comageni Montis ad usque Cellas Marianas Austriæ, ditionibus Monasterii ea ex parte contiguas, penetrâssent, illique Cœnobio flammam supposuissent. 15.

Anno 1251.-1254. Fluctuante adhuc *Otocari* Bohemi Principatu in Austria, solicitus de eventu *Berchtoldus* Abbas, sævientibûs bellis ac protritâ justitiâ, contra temeratores Jurium domesticorum implorare Principem non potuit: neque licuit piis, in Campililium beneficis esse. Nihilosecius tamen *Godeschalcus de Neidsperg* initium fecit Fundationis Capellæ S. *Wolfgangi* in Capitulo nostro an. 1251. *Dec. VI. iij.* 1. 2.

Anno 1255. Transactio *Berchtoldi* Abb. cum *Gneussone* Milite. 3. Ann. 1256. litem *Meinhardi* Plebani Meuslingensis, ut Patronus Ecclesiæ, appellare coactus est ad *Alexandrum* IV. Papam: qui *Henricum* Abbatem S. Crucis. Judicem dedit. 4.

Anno 1257. *Berchtoldus* Abbas ab *Otocaro* Bohem. Rege, novóque Austriæ Duce, Campililium pertranseunte, tria Diplomata obtinuit: quibûs universam Fundationem nostram, item Judicium Provinciale, & Jura alta confirmavit. Præcipuè verò Dominis *Altenburgicis*, jam tertiùm nos impetentibus, iterum de bonis nostris satisfecit, statutâ tamen in eos pœnâ caducitatis omnium Bonorum, nisi post hac acquiescerent 5.-8.

Anno 1258. Domini *Altenburgici* in possessionem Compensationis novæ immissi, reversales Literas dederunt, quibus omni juri & Actioni super his, de quibus toties reclamaverant, adversum nos renunciârunt. Testis Literarum legitur ipse *Otocarus* Rex, neque tamen primus descriptus, sed præeunte omni Clero. 9.

Anno 1259. *Hermannus* Plebanus Wilhelmspurgensis, contra nos ad Pontificem *Alexandrum* IV. per datos ab eo Judices, *Ottonem* Ep. Patav. & *Ortolfum* Abb. Mellicensem, condemnatur. *Irnfridus*

fridus quoque Decanus Cremsensis liti cessit. 10.

Anno 1260. Emta Domus Viennæ juxta Conventum PP. Prædicatorum. Donatio facta in Radeprunn. 11.

Anno 1261. *Otocarus* Rex existimans, Jus Patronatûs in Wizelstorf sibi competere, facta Inquisitione de jure nostro plenè edoctus, libenter illo abscessit, idque Nobis Regiis Literis fassus est. Interim repudium Dominæ *Margaretæ*, Filiæ Fundatoris nostri, ac quondam Romanorum Reginæ, certè etiam Campililio maximè doluit, credique facilè potest, *Berchtoldum* Abbatem nostrum afflictæ Reginæ solatio non modico adfuisse, ampliorem abinde ejusdem affectum promeritus. *Dec. VII. iij.* 1. Nobilis Dominus *Lupoldus de Sachsengang* donavit nobis Areas in Pfaffsteten, pactâ sibi apud nos Sepulturâ. 2.

Anno 1262. & 1263. Rogavit Abbas noster, & impetravit ab *Urbano* IV. Papa Confirmationem Fundationis nostræ. *Otto* Ep. Pataviens. consecravit apud nos tria Altaria. 3. Decîdit pro nobis contra Plebanum Meuslingensem, datis arbitrîs. 4.

Anno 1264. & 1265. *Otocarus* Rex violationem Jurium nostrorum omnibus districtè inhibuit, nostrique Defensionem *Henrico* Comiti de Hardeck, & *Alberoni* Dapifero de Veldsperg, Judicibus Provincialibus Austriæ, planè seriò injunxit. D. *Ulricus de Töpel* promovit Capellam S. Mauritii. 5. Adhortante D. *Margareta* Regina, D. *Elisabeta* de Siedenberg, & *Dietricus* de Hohenberg, abscesserunt usurpatione Jurium nostrorum. 6.

Anno 1266. Opera diligenti Judicum Provincialium ex Mandato Regio confectæ sunt lites nostræ cum *Alberto* de Liechtenstein, *Wichardo* de Romenstein, & Monasterio S. *Lambertino* Stiriæ, finium & Metarum ergò. 7. 8. Ad preces nostras *Petrus* Ep. Patav. transtulit Anniversarium Dedicationis Ecclesiæ nostræ in diem Octavam S. Martini. 9. D. *Margareta* Regina Filia Fundatoris sepeliri apud nos constituens, donavit nobis Oppidum Gravenberg. Literæ Donationis ejus, Regio tenore, atque Sigillo constantes, omnes illos manifestè revincunt, qui eam Treviris ut Monialem vixisse, ac decessisse confinxerunt. 10. 11.

Anno 1267. *Guido* Cardinal. Legatus Cisterc. quinis Literis gratiosis innexuit Campililio Parochiam Wizelstorf: Confirmavit Jus Provinciale: *Ortolfum* Abbatem Mellicensem constituit nobis Defensorem: Exemit nos à præstationibus pecuniariis etiam tunc, si per Bullas Pontificias Ordo Cisterciensis disertè involveretur: Addixit nobis Decimas Dürnicenses. 12. Sororibûs Altenburgensibus nos denuo impetentibûs, *Otocarus* Rex, Campililium rursum transiens, & imploratus, vexationem istam iterum à nobis removeri celeriter per Judices Provinciales mandavit. 13. Legatum pium Sereniss. Ducis Fundatoris alio nobis commodiore permutavit. 14. *Albero* de Arenberg, & *Henricus* de Meyenberg, ob gravia damna nobis illata tandem compuncti, Monasterio satisfecerunt. Dominæ *Herradis* de Rosenberg, aliorúmque Donationes. 15. 16. Funus lugubre Dominæ *Margaretæ* Reginæ apud nos depositum. 17.

Anno 1268. *Otocarus* Rex confirmavit nobis Oppidum Gravenberg, à Domina *Margareta* Regina donatum. 18. Varii Contractus Emtionis. 19. Domini *Lilienveldarii* à diuturna nobiscum lite, sententiâ Judicum, imposito silentio remoti. 20.

Anno 1269. Lis cum Sant-*Lambertinis* à *Bernardo* Ep. Seccoviensi, aliisque Arbitris tandem composita. 21. D. *Berchtoldus* Abbas noster, instaurata à se Ecclesia Razelstorffensi, obtinuit eidem Plebi facultatem proprii Sacerdotis, assentiente D. *Petro* Ep. Pataviensi. 22. Celebravit varios Contractus. 23. Cùm Fundatio Parthenonis S. *Bernardi* in Sylva Nortica inchoaretur, aderat Inspectioni Loci. 24.

Anno 1270. DD. *Neidtpergii* promovent Fundationem Capellæ S. *Wolfgangi* in Capitulo nostro. Celebrantur alii Contractus. 25.

Anno 1271. Dominus *Bertholdus* Abbas Præsulare 38. annorum Regimen, tam arduum quàm laudabile, pia morte posuit die 19. Maij. Successit.

5. Herwicus.

Sub quo D. *Berchta* de Hohenberg, defunctô Maritô, cessit liti nobiscum. *Otocarus* Rex duo feuda in Gravenberg, sibi aperta, nobis propria fecit. *Henricus Streuno* de Schwarzenau, aliique, nobis benefici fuerunt. *Dec. VIII. iij.* 1. 2.

Anno 1272. Abbas *Herwicus* Novam in Civitatem evocatus, duplex ibi Laudum celebravit. Ab *Otocaro* Rege Mandatum obtinuit ad Wiennenses, Cremsenses, & Neostadienses Cives, ne nos in educillatione Vinorum impediant. 3. 4.

Anno 1273. Predii Haidpach trans Danubium census omnes nobis remissi sunt à Fratribus de Werfenschlag in gratiam Germani sui *Henrici* apud nos Professi. 5. Ann. 1274. etiam D. *Petrus* Ep. Patav. decimas præfati predii, & attinentium, nobis benignè donavit. 6.

Anno

Año 1275. Liberales in nos erant Dña *Mechtildis de Stabrenberg*, & *Ebergerus de Potendorf*. Sed *Herwicum* Abbatem, senio gravem, abstulit nobis Religiosa Mors die 29. Novemb. 7.

Giselbertum ex Monasterio *Wosecensi*, quem his annis *Waldsassio* simul ac Campililio, Cœnobiis tantoperè à se invicem distantibus, præfuisse tradidit *Jongelinus*, non agnoscimus: cujus Nomen in omnibus Monumentis nostris penitus exulat. 8.

6. Paulus I.

Anno 1276. Novi hujus & vix annui Præsulis animum solicitudo vehemens ursit, *Rudolpho* I. Imp. Austriam ab *Otocaro* armis vindicante. Fidem tam clementi adversum nos Regi tamdiu servavit, usquedum ipse Provinciis renunciâsset. Tunc eam tanta cum humilitate, ac devotione in Cæsarem transtulit, ut Campililio publicam ejus commendationem promeruerit. 9. Dñi *Chunringii* pro Ecclesia, Domóque Parochiali, ac Coemeterio in Dresing fundum novum donârunt, cùm ad Ecclesiam veterem nimis remotam, propter bellorum vicissitudines, securus accessus non foret. 10.

Anno 1277. Porrexerat Abbas *Paulus* I. *Rudolpho* Monarchæ Augustissimo preces humillimas pro Confirmatione Fundationis nostræ: priusquam tamen expediretur Diploma, prioribus hujus Anni Mensibus jam decessit. Successor.

7. Conradus I.

Chalhohum de Hohenberg, infirmitate gravi compunctum, pœnitentem habuit de vexatione Monasterii, litíque coram Altari B. M. V. cum jurejurando renunciantem. 11. Ad instauratas deinde preces Clementiam sensit Imperatoris, Panchartâ peramplâ donatus, qua laudatur Campliliiji fervor in Cultu Divino, Fidei puritas erga Cæsarem; optatur Flos ejus in spiritualibus, in temporalibus Opulentia: illud in Protectionem Augustam & Imperialem suscipitur, atque omnia ejus Bona, Jura, Privilegia, latè enarrata, confirmantur, & innovantur. 12. - 14.

Anno 1278. Luctus Campililii ex fato acerbo Regis *Otocari* Fautoris nostri: cujus animam etiamnum Anniversario Sacro die 26. Augusti piamus. 15.

Anno 1279. Præter Donationes nonnullas, compositæ sunt nobiscum graves Lites Dñorum de *Weissenburg*, de *Innpruck*, & S. *Hippolyti* Canonicis, finium, ac jurium ergò. 16. - 19.

Anno 1280. Concordia inita cum Dñis *de Pain*. A D. *Petro* Episc. Pataviensi consecrata Ecclesia nova in Radelbrun. Contractus alii facti: præcipuè Inclitæ *Zwetlæ* venditum à nobis prædium Haidpach cum attinentibus, ob nimiam distantiam, & pericula bellorum, atque exundationum, quibus Bona Transdanubiana perpetuò obnoxia erant. Pro quibus abalienatis comparata Bona Monasterio vicina: quorum aliàs causâ plurimæ cum Nobilibus lites enasci solebant. 20. - 22.

Anno 1281. Dño *Conrado* I. Abbati pro damnis illatis *Otto de Arberg* satisfecit. *Dec. IX. lit.* 1. Dñis *Lilienveldariis* in lite denuo suscitata nobiscum silentium iterum impositum à *Rudolpho* I. Imp. traditâ nobis desuper clementissimâ Regiâ Chartâ. 2. Cæsare deinde Ecclesiæ Frisingensi Villas Probstorf, & Schœna, quas Duces Austriæ olim feudo tenebant, integrè remittente, Mansus quoque nostri, ibidem à Sereniss. Duce Fundatore donati, Juris Frisingensis effecti sunt. Quos tamen Abbas noster multâ precum instantiâ à *Friderico* Episc. Frisingensi rursum obtinuit, jure tamen emphiteutico, i. e. erga annuum Censum, 3. A *Gerungo* Abbate Mellicensi Decimas Radeprunenses emit, cum pacto de retrovendendo post decennium. Postea abdicavit *Conradus*, biennio adhuc superstes.

8. Georgius I.

Brevissimi, nec annui Regiminis, constat nobis ex Transactione à se facta inter duos Cives Wilhelmspurgenses die 15. Julii Ann. 1281. Fortè ad eum etiam pertinet Dñorum *de Zinsendorf* nobis facta Donatio predii *Slet*, cùm apud nos, ubi *Chunradus Zinzendorfius* professus erat, sepeliri cuperent Parentes ejus, Frater, atque Sorores. 5. Item Laudo sublata Lis Cognationis Nobilis *de Hohenwart*. Traditur præterea in Chronicis, hoc anno ventum vehementissimum Campililii sic invaluisse, ut vasa atque dolia ultra Montes rejecerit: quod suæ fidei relinquitur. 6.

9. Ludovicus.

Anno 1282. Sive, defunctо *Georgio*, aut anno priori, aut hoc præsenti, post benè gestum antea Prioratum, *Ludovicus* Clavum Abbatialem susceperit, certum est, abdicatione celeri eum denuo posuisse. Innotescit nobis ex unica Venditionis Charta, quam Sigillo, Nomen ejus disertè referente, die 25. Januarii Anni 1282. communivit. Memoriâ porro ejus, *ut quondam Abbatis*, adhuc Anno sequenti occurrit. 7.

10. Wiccardus.

Ut Monachus visitavit aliquando Venerabl Reclusam apud S. Florianum, dictam *Willbirgim*, cum aliis Monachis. 7. Accepit Donationem *Alberonis de Scheurnberg*, cujus Filius apud nos professus, ob egestatem, ut scribit, nostram, suàmque Sepulturam. 8.

 Anno

Anno 1283. *Fridericus* Electus Mellicensis Decimarum Radeprunensium venditionem perpetuam esse statuit erga annuum Censum unius Modii tritici purioris. Quæ vox *Modius* postea trium Seculorum litem peperit. 10. 11.

Anno 1284. *Martinus* IV. Papa confirmavit Fundationem nostram. *Albertus* I. Austr. Dux absolvit nos à Lite quadam super Curia in Inzerstorf. 12.

Anno 1285. Dñi *de Sunnenberg* vendiderunt nobis Bona plura in Neusidel. *Henricus de Laubenberg* donatione in Piesting depactus est sibi Sepulturam. Post hæc obiit D. *Wiccardus* Abbas. 13.

11. Conradus II.

Anno 1286. Legimus hunc primùm in Charta anni hujus ad diem 30. Martii. Obtinuit ab *Henrico* Infer. Bavariæ Duce Imunitatem Salium nostrorum Salisburgensium erga Anniversarium pro Serenissima Bavarica Domo. Accepit à Dño *Ottone de Berchtolsdorf* donationem. 14.

Anno 1287. *Albertus* I. Austriæ Dux magna Clementià in litibus tertiùm pronunciavit pro nobis. Peramplo deinde diplomate confirmavit nobis PancharTam Augustiss. Parentis *Rudolphi* Imp. adjecta immunitate navali Salium nostrorum, & facultate Educilii publici Viennæ, ac Cremsii. 15. Magistratus Civicus Neostadiensis, multùm laudata nostrorum Hospitalitate, concessit nobis parem facultatem in Urbe sua. 16. Varii Contractus Emtionis. 17.

Anno 1288. Dñi *de Rastenberg*, item *Heinricus de Lapide* Minsterialis Ducis, benefecerunt nobis. 18.

Anno 1289. Dñi *Leutoldi de Chunring* Donatio in Strazing. Cum aliis Nobilibus Dñis celebrati Contractus Emtionis. 19. Anno 1290. alii complures hujusmodi Contractus. 20.

Anno 1291. D. *Conradus* Abbas noster coarbitrio suo diremit arduam litem Inclitæ Canoniæ Sanct-Hippolytanæ cum Nobili Viro *Henrico de Radeck*. *Dec. X. iij.* 1. Campililii luctus de Obitu *Rudolphi* I. Imp. & Pietas funebris. 2. Metus, verosimiliter etiam damnum ex Populatione Ungarica. 3.

Anno 1292. Solicitudo ex bello Stiriaco, & Salisburgensi, ob affectum in Ducem, & eventus incertitudinem. Dñorum *Altenburgensium* beneficia. Emtiones geminæ. 4. 5.

Anno 1293. Dñus *Leutoldus de Chunring* donavit *Conrado* Abbati pro fundo novæ Ecclesiæ in Dresing Hofmarchiam suam in ipso Oppido, cùm anterior fundus ab ipso priùs donatus, adhuc nimis remotus esset. 6. Emtio nova. 7. Obiit D. *Conradus* II. Abbas finiente isto, vel inchoante altero Anno.

12. Albero.

Anno 1294. Erat hic Abbas, cognomento *Paterfamilias*, vulgò *Haus - Vatter*, & hoc nomen Annis prope octo multo cum Campililii emolumento implevit. 8. Donationem statim dictam Hofmarchiæ in Dresing, ut litibus viam præcluderet, etiam à Propinquis *Leutoldi* Chunringii confirmari fecit. 9. *Hartnidus de Wildonia* Stiriæ Marescallus, *Alberto* Duci summè refractarius, confirmavit nobis Donationem *Ernusti* cujusdam Civis Wiennensis feudo sibi devincti, ejúsque defensionem spopondit sub omnium Bonorum suorum in Austria & Stiria obligatione. Dñi, *Dietricus de Hohenberg*, & *Ulricus de Merckenstein* benefecerunt nobis. 10.

Anno 1295. Præter varios Contractus celebratos, D. *Bernardus* Episc. Pataviensis rursum confirmavit omnem fundationem nostram, & Libertatem Ordinis: item Donationem Hofmarchiæ Chunringicam. *Albertus* Dux *Pernoldum* Militem de Telesprunne ab usurpatione Juris nostri Provincialis in Wizelstorf iterum rigido præcepto abscedere jussit. 11. Periculum Ducis ex veneno propinato, immo extremum Vitæ discrimen, atque calida Postulatio *Elisabetæ* Ducissæ, piam nostrorum in precando contentionem sine dubio vehementer inflammârunt. Fiduciæ de Campililio conceptæ, & Gratitudinis impensæ testes liquidi centum Talenta, pro Vestibus postea donata. 12.

Anno 1296. Dum à *Rudolphi* Archiepiscopi Salisburgensis, fortè etiam *Conradi* Successoris Censura & diris appellâsset Romam *Albertus* Dux, & huic libello ejus Episcopi, Clerúsque omnis, quod ferunt, subscripsisset, non poterat Campililium contra torrentem niti, neque propterea in Papam offendit: deliberatio tamen certissimè anxia fuit. 13. Benefecerunt nobis *D. Chunegundis de Stockstall*, *D. Reinhardus* Decanus in Kilb. *D. Albeidis de Reinsperg* cessit liti, & à Dño *Alberone* Abbate rogavit, adjutorium sibi præberi pro Consecratione Capellæ suæ in Randeck. 14.

Anno 1297. *Bonifacius* VIII. Papa confirmavit Fundationem nostram. *Albero* Abbas Laudum egit inter Plebanum, & Colonos nostros in Wizelstorf, atque alia plura. 15.

Anno 1298. Alea, infinito discrimine plena, quam Rex *Albertus* electus cum *Adolpho* deposito Rege ingressus est, tum propriæ solicitudinis ergò, tum contentiosissimo hortatu Reginæ, nostros denuo diu noctúque levare manus in cœlos, & non

non cessare ab Oratione perursit. 16. Cui piissimo precum studio calcar admoturi Episcopi, *Enicho* Frisingensis, & *Bernardus* Pataviensis, Capellæ S. Joañis Baptistæ Curiæ nostræ in Weinzierl apud Cremsium Indulgentias addiderunt 17.

Anno 1299. Memoriam Seculis dignam in Fastis nostris promeretur Augusta illa de Campililio fiducia, atque dignatio, qua jusserunt *Albertus* Cæsar, & Augusta ejusdem Conjux, item Primogenitus eorum *Rudolphus* novus Austriæ Dux, ut eorum nomine Marschalcus *Hermannus de Landenberg*, Custodiæ Bursariæ nostræ (hodie *der Cammerey*) consignaret tredecim Privilegia, tum Regia cum bullis Aureis, tum alia, quæ in Archivio Ducali Austriæ tunc omnium præcipua erant, & suis Rubricis in Charta Mareschalli, adhuc apud nos Autographa, ordine describuntur. Quæ Campililii prærogativa latiùs ex circumstantibus expenditur. 19. 20. Insigne pariter, quòd *Henricus* Jadrensis Archi-Episcopus, cum septem Episcopis, post eximias *Alberonis* Abbatis nostri laudes maximè à Mellifluis doctrinis, omnibus, ejus Missam, vel sermonem audientibus, aut peccata sua eidem confitentibus, quoties devotè id fecerint, singuli singillatim indulgentias concesserint. Quas etiam pro certis Festis contulerunt, ad ejus exhortationem præscriptas preces dicturis, aut Monasterium devotionis causâ visitaturis. 21. A præpotentibus Dominis *de Valckenberg*, cum Cœnobio Zwetlensi componentibus, etiam *Albero* Abbas noster Testis adhibitus fuit. Cum Domina *Engelguta* Priorissa in Tulna Ordinis Prædicat. ipse quæstionem composuit. 22. Alii ejusdem contractus celebrati. A Dñis *Dietrico de Weissenburg*, & *Chadoldo de Altenburg*, Testimonia publica retulit, Wilhelmspurgense Telonium nobis à Sereniss. Duce Fundatore sic collatum esse, ut ipsi debebatur, neminémque ab eo pendendo exceptum. 23.

Anno 1300. *Basilius* Archiepiscopus Jerosolymitanus, cum 7. aliis Episcopis, omnibus, Altare S. Joannis Baptistæ in Ecclesia nostra devotè visitantibus, ibi Missam, vel Exhortationem audientibus, ad ornatum ejus quidquam conferentibus, aut legantibus, singuli singillatim Indulgentias contulerunt. Quod rursum idem Archiepiscopus, duóque cum eo Episcopi, pariter fecerunt pro Altari S. Joannis Baptistæ in Weinzierl. 24. D. *Albero* Abbas, post *Henricum de Hage* Equitem Strenuum, Judicii nostri Provincialis Administrationem, erga reversales Literas solummodo gratuitæ, precariæque ad nobis collibitum tempus impensionis hujus officii, nullum in hæredem transfundendi, commisit Dño *Weichardo de Töpel* Burggravio in Peilstein. 25.

Et hæc erant Acta Campililii Seculô suô primô, Christi XIII. nobis cognita. Ulteriora dabunt insequentes Tomi.

TABULA II.
POLITICA
Referens
Personas profana in Republica præeminentes.

CLASSIS I.
Reges & Imperatores Romani.

Reges Germaniæ, Romæ non coronati, à Scriptoribus Italis, & eos imitantibus, inter Imperatores non connumerantur. Undè idem v. g. *Conradus*, *Henricus*, *Fridericus*, aliis II. aliis III. &c. appellatur, nempe II. Coronatorum, III. Electorum. Hodierni Imperatores Romam Coronationis causâ haud ampliùs adeunt, & ab utraque Scriptorum parte sub æquali numero scribuntur Electi Romanorum Imperatores. *El. IV.* iij. 5.

CAROLINGI Reges Francici vetus Bojorum Regnum dissolverunt, & neque Ducem in Bavaria tolerârunt, publicæ quietis causâ. Cui statim incommodavit, quòd ARNULFUS Imp. *Arnulfum*, cognomine *Malum*, rursum, sed improvidè, Bavariæ Ducem constituerit. *Dissertat. Proem.* §. *iij.* 2.

Ludovicus.

Dictus pueritiæ causâ *Infans*, ultimus Carolingorum, decollari jussit *Adalbertum* Comitem Babenbergicum. *Elog. I.* j. 4.

Con-

Conradus I.

Electus anno 912. *Arnulfum* Bojariæ Ducem seditiosum ad Ungaros profugere coëgit. *Diss. Proem.* iij. 2. Obiit Rex anno 919.

Henricus I.

Electus ann. 919. cognomine *Auceps*. Reducem *Arnolphum*, abjurato per eum Regio Nomine, in Bojaria Ducem esse permisit. *Diss. Proœm.* iij. 2. Filium *Adalberti* Comitis Babenbergensis decollati *Adalbertum* Puerum, unacum *Brunhilde* Matre Sorore sua, exules recepit, ac fovit. *El. I. j.* 5. Hunnos apud Merseburg sub Signo Angeli memorabili clade profligavit ann. 933. ubi dictus *Albertus* generosè occubuit. 6. Defunctus est Rex anno 937.

Otto I.

Successit Patri *Henrico* I. an. 938. *Arnulphi Mali* defuncti Filios Bavariæ Ducatu, quem hæreditate, non Beneficio, inire voluerant, exclusit, eúmque *Bertoldo*, Fratri *Arnulphi* sua gratia contulit. *Diss. Proœm.* iij. 2. 12. Rex *Leopoldum Illustrem* primum instituit Austriæ Marchionem Babenbergicum ann. 943. *El. I.* ij. 1. & *Append. Apolog. Dial. IV.* Ei rebellis Filius *Luitolfus* Hunnos in Germaniam inducit. Quos Rex, Vigiliam S. Laurentii jejunio præveniens cum omni populo, & eidem Sancto Episcopatum Merseburgensem voto nuncupans, ipso deinde Festo die prædicatam sibi à S. *Udalrico* Episc. Augustano ingentem Victoriam de Hunnis reportat apud Augustam Vindelicorum ann. 955. *Elog. I.* ij. 4. 5. Obiit ann. 973. cum benè merito Elogio *Magni*.

Otto II.

Electus, & coronatus in Germania an. 961. Romæ an. 968. utrumque vivente Patre. Ejus Diploma pro Ecclesia Pataviensi allegatur. *Diss. Proœm.* iij. 10. Eidem Rebellis *Henricus* Bavariæ Dux, pro quo *Ottonem* Alemanniæ Ducem instituit anno 976. Altero anno *Leopoldus Illustris* Cæsari suppetias Pataviam attulisse fertur, rursum deinde ab hoc ad occupandum Mellicium adjutus. *Elog. I.* ij. 10. Obiit Imp. ann. 983.

Otto III.

Patri Succedens ann. 984. Unctionem Regiam in Germania suscepit, Romæ coronatus Imperator ann. 996. Ejus bina Diplomata pro Ecclesia Pataviensi allegata. *Dissert. Proœm.* iij. 10. *Elog. I.* ij. 15. Obiit ann. 1002.

Henricus II.

Electus ann. 1002. Romæ coronatus ann. 1014. cognomine *Claudus*, postea *Sanctus*. Fundavit Episcopatum Babenbergensem anno 1005. eique Præpositum dedit *Popponem* Filium *Leopoldi Illustris* Marchionis Austriæ, Fratrem *Henrici* Marchionis, quem postea Trevirensibus Archiepiscopum dedit exeunte an. 1015. *El. I.* iij. 6. Ducatum Bavariæ, quem ipse priùs regebat, *Heziloni* Boico negans, eum rebellem habuit, & ad officium compulit: pro quo malè diffamatus, lapsu Scriptorum, *Henricus* Austr. Marchio, *Rebellis* cognomine, aut convitio veriùs, eidem affricto. *El. II.* j. 3. Obiit Imperator, cum Conjuge sua *Chunegunde* perpetuò Virgo cohabitans, anno 1024. Utrique Conjugum SS. Cultus impenditur.

Conradus II.

Electus anno 1024. Romæ coronatus anno 1027. tulit Cognomen *Salici*. Anno 1030. bellum gessit cum S. *Stephano* Ungariæ Rege Bavaviæ causâ; subita pace compositum. Paratus in hoc bellum etiam erat *Adalbertus* Austriæ Marchio. *El. III.* j. 5. Defunctus Imp. an. 1039.

Henricus III.

Electus Patri successit anno 1039. Romæ coronatus ann. 1046. Ann. 1042. cum exercitu intrans Ungariam, Comite *Adalberto* Austriæ Marchione, hujúsque Filio *Leopoldo Forti*, ut *Petrum* profugum Regem in Thronum restitueret, *Ovoni* maximam Cladem intulit: eum tamen Ungaris concessit. *El. III.* ij. 3. 4. Apud Ingelheim nuptias fecit, ubi *Leopoldus Fortis* obiit. Anno 1044. iterum subegit Ungaros, *Petro* restituto. *Ibid.* Eidem *Ovo* non tradidit partem Regni usque ad fluvium Leytam, quam *Adalbertus* Marchio Austriæ laureato ense obtinuit. 14. Sed *Petrus* Cæsari Regnum tributarium fecit cum pacto, ut à Morte sua ad Imperium Romanum redeat. iij. 1. An. 1038. & 1052.* rursum in Ungariam duxit adversus *Andream*, se inconsulto regnantem. Interventu tamen *Leonis IX.* Papæ, in exercitu præsentis, illi conciliatus Regnum permisit, ejúsque Filiolo *Salomoni* infanti Filiam suam *Sophiam* in Sponsam addixit. 4. Obiit ann. 1056. 5.

Henricus IV.

Patri puer succedit, & coronatur an. 1056. *El. III.* iij. 5. Anno 1063. *Salomoni* Sororem suam adducit, & nuptui collocat, eúmque Regem Ungariæ instituit. *El. IV.* ij. 6. Ejus Diploma pro *Ernesto* Austriæ Marchione criticè expenditur. iij. 8. - 11. Saxones graviter vicit apud Unstruth. Ann. 1075. Eodem in prelio cecidit *Ernestus* Austriæ Marchio. 13. 14. Sorores ejus enumeratæ. *El. V.* j. 3. Anno 1076. Excommunicatur: absolvitur: ad resiliendum statim à malevolis inducitur. iv. 3. Contra eum *Rudolphus* Dux Sueviæ eligitur. *Leopoldum* III. Pulchrum Austr. Marchionem, unacum D. *Altmaño* Ep. Pataviensi à se expulso, persequitur.

Ite-

iterum excommunicatur. Defuncto *Rudolpho* Anti-Regem *Hermannum* patitur, *Guibertum* Antipapam creat. Romam frustra aggreditur. 4. 5. Bohemos, aliósque in Austriam immittit, 6. Romam occupat ex parte an. 1084. & ab Antipapa suo coronatur: statim verò Italiâ pellitur. 15. Cladem apud Herbipolim accipit. 16. Italiam ingressus, in eam furit. 19. Redire compellitur, *Conrado* Filio contra se Italiæ Regnum arripiente. *El. VI.* j. 3. *Henricum* Filium natuminorem, reprobatô *Conradô*, Principibus ut Regem persuadet. 6. *Conradus* piè decessit. 8. Pater iterum diris notatus, ut fulmen leniret, simulat profectionem Orientalem sub Cruce an. 1103. 9. Contra eum Filius *Henricus* Imperium arripit, eúmque capit ann. 1105. 13. 14. Elapsus, frustra in Filium armatus tendit: miserè demum obiit an. 1106. 15.

Henricus. V.

Filius prioris natuminor, Patre procurante in locum *Conradi* Fratris natumajoris, Rex eligitur an. 1099. *El. VI.* j. 6. Ducatu Bavariæ auctus, contra Patrem Imperium arripit: S. *Leopoldum* Austr. Marchionem, cui Sororem suam in Conjugem depactus est, è Castris Paternis revocat: Patrem captivum accepit ann. 1105. 13. 14. an. 1108. Ungariam cum exercitu petiit, ubi *Colomannus* cum Fratre *Almo* diffidebat. Concordiam, absque prelio, solo metu effecit. §. ij. 2. Investituras Episcoporum affectans, uti Pater, an. 1110. Italiam ingressus, sequenti Romæ *Paschalem* II. Papam captivum accepit, & à capto Investituras, cum promisso Coronationis extorsit, deinde etiam coronatus est. *El. VI.* j. 24. Sed ann. 1112. Concilium Romanum hanc Concessionem Investituræ execrabatur: aliud Concilium Viennense Galliæ eandem ut hæresin damnavit, Cæsarem ob captionem Papæ anathemate ferit. 25. Is à Saxonibus vehementi clade affectus, an. 1117. Italiam rursum ingressus, cùm Confirmationem Investituræ, exsolutionem Anathematis, novámque solemnem Coronationem impetrare non posset, rursum Cardinalem *Burdinum* ad se coronandum induxit: quem etiam, defuncto *Paschali* II. Papa, contra *Gelasium* II. legitimè electum, sub nomine *Gregorii* VIII. intrusit, tertium ab eo coronatus. *Ib.* §. ij. 10. An. 1121. capto Antipapa, sequenti deinde anno concordatum est Romæ, ac in Germania, ut Sacræ in Ecclesiis Electiones liberè celebrarentur coram Imperatore, & Electi ad potestatem spiritualem investirentur baculo & Annulo, Regalia Sceptro regio consequerentur. 15. Hoc pacto Cæsar ann. 1123. Romæ in Concicilio Generali Lateranensi I. anathemate exolutus, Ecclesiæ integrè reconciliatus fuit. 17. Obiit filio carens ann. 1125. 20.

Lotharius.

Eligitur, licèt plurimùm renisus, an. 1125. *El. VI.* ij. 2. sqq. Ann. 1128. *Fridericum* & *Conradum* Fatres & Suev. æ Duces vehementer obnitentes habuit, *Conrado* etiam Italiæ Coronam obtinente Mediolani, anathema verò Pontificis propterea incurrens. iij. 2. An. 1130. defuncto *Honorio* II. Papa, oborto schismate, ac *Petro Leonis* contra *Innocentium* II. legitimum Papam intruso, *Lotharius* in causa *Innocentii* anno sequenti Leodii apud Belgas congregavit Synodum: ubi ab *Innocentio* præsente repetiisse Investituras fertur, ab iis tamen, rogatu S. *Bernardi*, pacatè desistens. 4. 5. Ann. 1133. *Innocentium* Romæ in Sede Sancta collocavit, ab eo coronatus. 6. Ann. 1136. Italiam ingressus, ut Antipapæ adhærentes ad officium redigeret, Papæ Viterbii collocutus est: ubi *Leopoldus* V. annutu Cæsaris Marchio Austriæ constitutus est. *El. VII.* j. 2. Rediens gloriosus ab Italis, adhuc sub iter infirmatus, vitam posuit in vilissima casa, ann. 1137. 6.

Conradus. III.

Plurimùm antea *Lothario* Cæsari refractarius, & contra eum Italiæ Regnum arripiens, tandem in ejus gratiam rediens, à morte ejusdem eligitur an. 1137. Cui statim *Henricus*, cognomine *Superbus*, Bavariæ & Saxoniæ Dux, vi tota obnitebatur. *El. VII.* j. 7. 8. Hoc proscripto ann. 1138. Saxoniam dedit *Alberto* Brandeburgico: Bavariam *Leopoldo* V. Austr. Marchioni, Fratri suo Uterino an. 1139. 10. Ann. 1140. devicit *Guelfonem* Fratrem *Henrici* proscripti Ducis jam defuncti, cùm Bavariam affectaret, ad Castrum Winsperg. §. ij. 2. An. 1142. cum exercitu restituit *Uladislaum* Bohemiæ Ducem: & *Leopoldo* Austriaco Bavariæ Duce celeriùs defuncto, *Henrico Leoni*, Filiolo *Henrici Superbi* proscripti, permisit Saxoniam: sed Matrem ejus *Gertrudem* Viduam despondit *Henrico* Austr. Marchioni, quæ dotis locò eidem Bavariam attulit. 6. Attamen à *Guelfone*, quem *Geisa* II. Ungar. & *Rogerius* in Sicilia Rex, assiduè stimulârunt pecuniis, Bavariæ causâ perpetuis armis lacessitur. 20.-22. An. 1146. Cruce pro Oriente signatus, à S. *Bernardo* Vexillum, tanquam Dux Expeditionis in Orientem, accepit. 30. An. 1147. Filium suum *Henricum* eligi, & coronari procuravit: deinde in Orientem duxit. §. ij. 2. Ibi nihil multùm prosperè actum. 13. 14. Ann. 1149. redivit: sed *Eugenio*

nio III. Papæ, Italiam declinans, nihil opis adversus insolentiam Romanorum præstitit. 17. An. 1150. morte præmatura perdidit Filium *Henricum* Regem. *Henrico Leoni* Bavariam negans, eum hostem habuit. 22. An. 1151. *Ottonem* Wittelspachium debellavit, ac proscripsit. 26. An. 1152. Obiit, Regalia Fratris Filio *Friderico* Sueviæ Duci transmittens. 27. Vindicatur ab imaginario probro *Ottonis* Frisingensis. 28.29. Ejus Epochæ, 130.

FRIDERICUS I.

Cognomine *Barbarossa*, sive *Oenobarbus*, Sueviæ Dux, antea, Cruce signatus, cum *Conrado* Cæsare movit in Palestinam: reversus, pacem inter Cæsarem & *Guelfonem* conciliavit: à morituro Cæsare Insignia regalia accepit: electus demum an. 1152. *El.VIII.ij.* 1. 19. 27. §. iij. 1. Controversiam arduam inter *Henricum* Austrium, qui Bavariam tenuit, & *Henricum Leonem*, qui in eam restitui flagitavit, placidè submovere, primis in curiis habuit, dicta utrique varia die, sed Austrio non comparente. Decreverat Expeditionem in Ungaros: *Geisa* verò, Rex Principes Imperii pecuniâ ab assensu flexit. Expeditio in Siculos firmata. 2. Controversiam duorum *Henricorum* tribus Curiis componere nequiens, quartâ Bavariam *Henrico Leoni* adjudicavit, neque tamen eum in possessionem immisit. 5.6. Ipse Italiam ingressus an. 1154. comite *Henrico Leone*, Austrio per summam modestiam nihil interim turbante, Urbibus non obsequentibus vindex fuit admodum asper: Papiæ deinde, & Romæ coronatus est an. 1155. 7.8.11. Reversus concordiam amborum *Henricorum* iterum variæ tentavit: frustra in hoc, *Henricum Leonem* in Bavariæ possessionem immisit, *Henrico* Austrio nunquam propterea arma ostentante, ac tandem causam suam Gratiæ Cæsaris totam commitente: 14.-16. Quo facto, Cæsar diuturnum Consilium suum exequens, Bavariæ partem supra Anasum detrahens, eam cum Austria univit, & *Henricum*, dictum *Jasomirgott*, primum Austriæ Ducem creavit, additis nobilissimis Prærogativis, ac Privilegiis, Feudum Austriacum etiam Fœmineum constituens ann. 1156. Diploma ejusdem cum Notis. 19.-22.

Anno 1157. restituit *Uladislaum* Polonum affinem, à Fratribus mox iterum pulsum. In Burgundia neglexit vindicare spoliationem & Captivitatem Archiepiscopi Londinensis: eapropter reprehensus ab *Hadriano* Papa, commemorante *Beneficium*, eidem ab Ecclesia in Coronatione mox impensum. Quam vocem Cæsar juridicè accipiens pro *Feudo*, vehementer indignatus est. Sed Papa eam Grammaticè explicante pro *Bono facto*, suppressa est ira. *El. VIII.iv.* 3. 6. Composuit Imperator discordiam *Ottonis* Ep. Frising. & *Henrici* Austr. Ducis Fratrum. 7. Ann. 1158. Expeditionem Italicam suscepit cum Principibus, Mediolano, accerimè resistente, in deditionem accepto. 8. 10.-12. Papæ *Hadriano* IV. iterum irascebatur, quòd *Guidonem*, à se nominatum Archiepiscopum Ravennæ non confirmaverit, & *Guilelmum* Siciliæ Regem agnoverit: Papa verò statim defunctus hanc iram non sensit. 19. Electô *Alexandro* III. quem ut Cardinalem oderat, Antipapæ *Victori*, à duobus duntaxat Cardinalibus nominato, Imperator adhæsit ann. 1159. 20. Quem per Conciliabulum Papiense an. 1160. ut legitimum Papam declarari, terrore perfecit. 22. Inde in Mediolanenses, iterum inobedientes, progressus, Urbem diu obsessam, tandem occupatam, dirutis omnibus Munimentis, terribili animadversione castigavit an. 1162. 24.

Antipapæ totum Orbem devovere cupiens, in Cistercienses, tum Præsules, tum Cœnobia, propter fidem unanimem, ac constantissimam in *Alexandrum* III. gravissimè desæviit. 25. 26. Consilium cœpit, utrumque Papam in Ordinem redigendi, procurata unanimi electione, adjutoribus Regibûs convocatis; quod non successit. 29. Mortuo *Victore* Antipapa, alterum *Paschalem* pari ferocia tuebatur, Cistercienses utriusque sexus denuo totis gregibus pellens. 32. Ann. 1165. ex Italia redux, & Herbipoli Curiam agens, præsente Antipapa, jusjurandum pro *Alexandro* III. nunquam agnoscendo, ipse dixit, & à Præsulibus, ac Principibus omnibus, sub crimine perduellionis, dici voluit, animatus hortatu *Henrici* II. Regis Angliæ. §. v. 1. Inde per Bojariam in Austriam venit, & Viennæ Ungaris, receptô Aurô maximô, & Clientelæ professione adjecta, Regem *Stephanum* dedit, & huic, *Agnetem*, Filiam *Henrici* Austr. Ducis, Conjugem depactus est. 3.-6. Archiepiscopum Salisburgensem *Conradum* propter fidem *Alexandri* III. proscripsit, & Bona Archiepiscopatus Laicis diripienda exposuit: unde vastatio ingens. 10. 11. In Græciam Legatum non misit *Henricum* Austr. Ducem. 13. 14. Italiam cum grandi exercitu intrat: cujus metu Italos in par Jusjurandum pro *Paschali* Antipapa, ut antea Germanos, adegit. Anconâ captâ, Romam invasit: unde *Alexander*, jam è Galliis redux, ægrè profugerat. Ibi *Paschalem* in Sede collocavit: qui *Beatrici*, Cæsa-

Cæsaris Uxori, Coronam inposuit, ipse verò Imperator ab *Alexandro* III. anathemate percussus fuit, & Itali ab ejus fide exoluti. Malè quoque eidem cum exercitu successit, quin & ipse vix exitum in Germaniam reperit, jamjam de pace cum *Alexandro* tractaturus: quam verò liber statim abrupit, quinimmo, mortuo *Paschali*, tertium Antipapam *Calixtum* iterum tuendum suscepit ann. 1168. 15.-17.

Anno 1169. Filiolum *Henricum* in Regem eligi fecit: *Adalbertum* novum Archiepiscopum Salisburgensem, Regalia suscepturum non admisit, quia ab *Alexandro* Papa stabat. 20. 21. Longobardîs, prò Pontifice fœderatis, ex paleis munitissimam Urbem adversus Germanos in ingressu Italiæ struentibûs, Alexandriam dictam, timens Imperator, per pacis Tractatus extrahere tempus laborabat: sed ejus Oratores non admissi, 22. Filio Regi apud Imperatorem Græcorum Sponsam rogabat. 25. Dejecturus *Adalbertum* Archiep. Salisburg. primùm dejecit Patrem ejus *Uladislaum* Bohem. Regem: in *Henricum* Austr. Ducem, cui is è Sorore Nepos erat, Bohemos, Carnos, & Stiros incitavit: deinde *Adalbertum* in Comitiis publicâ sententiâ deponi fecit. 38. 39.

Anno 1174. ducens in Italos, fortunam adhærentem habuit ad *Alexandriam* prædictam. Exercitum enim Longobardorum, in suppetias Urbis adductum, sibi ultrò deditum habens, jam consummasse Victoriam sibi videbatur, Germanîs in patriam remissîs. Sed Itali tunc demum in eum totis viribûs insurrexerunt. Unde frustra revocatis Germanîs, & maximè *Henrico Leone* sibi obsequium denegante, Papiæ se conclusit, per Oratores de pace cum *Alexandro* agens, tractâ usque ad hyemem deditâ morâ, donec novus exercitus, è Germania conscriptus, adveniret. Tunc Italos Marte subito adortus clade magna prostravit, & vicisset, nisi alius exercitus, qui erat in insidiis, Victoribus Germanis palmam cum præda eripuisset. Sic demum fractus Cæsar, paci feriundæ serium animum adjecit, tantò autem longiùs extractæ, quantò plures Arbitri erant: donec Arcanîs nunciis Papa Cæsárque convenirent in puncta pauca, & præcipua. Reconciliatio utriúsque facta Venetiis ann. 1177. Fabulæ huic actui affictæ, ejúsque verus Ordo, ac Modus. 42. 45. Item *El. IX. j.* 6.-11.

Rediturus ex Italia Imperator, exercitum è Germania conscripsit, quo securè conduceretur: alium Italis invigilaturum dimisit. Favit *Friderico* Filio depositi antea à se *Uladislai* Bohem. Regis, ut Sobieslaum expelleret. 13. Proscripsit *Henricum Leonem*, Bavariâ *Ottoni* Wittelspachio, Saxoniâ *Bernardo* Anhaltino traditâ. *Otocarum* è Stiriæ Marchione Ducem creavit, sui Generis primum, & ultimum. 16. 17. Cum Civitatibus Italiæ, advocatis eorum Oratoribûs, in Comitiis Constantiensibus Pacem perpetuam feriit, quæ appellata *Pax Constantiæ*, Corpori Juris annexa est: feriebatur ann. 1183. 26. Moguntiæ Filios, *Henricum* Regem, & *Fridericum* Sueviæ Ducem, summo cum ritu Gladio accingi, non coronari fecit. 27. Vocatus à Papa, ingressus est Italiam, ut Romani timore saltem continerentur. Ubi Veronæ cum *Lucio* III. Papa assedit Concilio, & hæreticos Italiæ, à Papa damnatos, proscripsit ann. 1184. 28.

Captâ à *Saladino* Hierosolymâ, & Sancta Cruce Domini, Moguntiæ indixit Comitia Principum, quæ appellabantur *Curia DEI*, cùm ibidem prædicanda esset Crux in Orientem: quam ipse, & Principes ingenti numero susceperunt. Græcorum Legatos in pacta pro sincerè juvanda Expeditione jurejurando adegit. Archiepiscopum Moguntinum in Ungariam & Bulgariam, viæ reparandæ, & Annonæ condicto pretio constituendæ causâ, præmisit. Apud *Guilelmum* Siciliæ Regem vetuit, ne quemquam Germanorum Cruce signatorum per mare transire permitteret: cùm pauci nihil utile agere possent, neque commeatum habituri essent. *El. IX. ij.* 67. Saladini oblata non audivit; quin potiùs Fecialem ei submisit. Ipse cum innumerabili exercitu, plurimisque Præsulibus ac Principibus ann. 1189. iter ingressus per Bavariam, & Austriam, primùm Ungariam commodè pertransivit: Bulgaros vi ad officium transitûs, & commeatûs, adigere debuit. Græcos planè hostes declarare debuit, Castra eorum occupare, & Munire Montem quemdam, ubi agebat hyberna, ac terrore perfidos ad Annonam convehendam compellere. 9. Humiliatîs Græcîs perfidiam pariter Turcomannorum, potentissimô Iconiô captô, subegit, spem amplissimam ingentium de Saracenis Victoriarum omnibus faciens. Sed occulto DEI judicio sub iter Tharsum Ciliciæ versùs amne haustus, inde extractus licèt, illico obiit an. 1190. 15. 16.

Superstes, ac præsens Filius *Fridericus* sustentavit Exercitum sacrum, ut potuit: quem tamen Antiochiæ contagio ita diminuit, ut Reliquiæ nil ampliùs possent, quàm se Obsessoribus Acconis conjungere, ductore *Friderico*. Attamen & hunc quoque Mors ibidem sustulit, hoc cum elogio immortali, quòd mori maluerit, quàm è consilio Medico-

dicorum cum fœmina fœdari. In ejus locum grandi errore à quibusdam *Conradus* in hiſtoria adſcriptus Fuit. *Ibid.*

HENRICUS. VI.

Primogenitus *Friderici* I. electus ut puer an. 1169. imperare cœpit poſt Patrem ann. 1190. Uxor eidem fuit *Conſtantia*, hæres Regni Siciliæ à morte *Guilelmi* II. Regis. Hoc autem Regnum invaſit *Tancredus*: quem *Richardus* Angliæ Rex legitimum agnovit, & cum eo fœdus contra quoscunque depactus eſt in maximum Cæſaris præjudicium. *El. IX.* ij. 17. an. 1191. Imperator cum Uxore Romæ coronatur à *Cœleſtino* III. pergens ad vindicandam ſibi Siciliam: ubi primùm vincit, deinde exercitum contagione perdit, & capta ab hoſtibus etiam Uxore, inglorius reverti cogitur. 20. An. 1192. *Leopoldo* VI. Auſtr. Duci Feuda Stiriæ contulit. §. *iij.* 1. A quo *Richardum* Angl. Regem ad ſe adductum, ſibi extradi petiit. 5.6. 14.-17. Cum hoc Pacta fecit, quæ ipſe Rex propriâ epiſtolâ tanquam optima, ſibique chariſſima, laudavit. 28. 29. Imputabatur Cæſari occiſio Epiſcopi Leodienſis contra ſuam voluntatem electi. 30. Fallit, *Richardum* Cæſari Regnum Angliæ clientelâ addixiſſe. A quo tamen Regnum Arelatenſe feudô accepit. 30.31. Lytrum regium quantum, & quomodo pactum? 32. 33. Galliæ Rex *Philippus*, & *Joannes* Regis *Richardi* Frater, hujus Liberationem retardârunt, tantâ, aut majori ſummâ Cæſari promiſsâ, ſi eum non dimitteret. Nutantem verò Cæſarem urgebant Principes, ut Pactis integra fide ſtaret. Sic tandem Rex liberatus. 38.-40. Terribiles Reginæ Matris Literæ ad *Cœleſtinum* III. Papam, ut Cæſarem, atque Auſtr. Ducem, anathemate feriret. §. *iv.* 2. Papâ ad novam Expeditionem Orientalem adhortante, Imperator Exercitum Germanum quingentis militibus de ſuo auxit, & multum aurum contulit. 19. *Tancredo*, ejúsque Filio natu-majore *Rogerio* defunctis, Cæſar an. 1194. Siciliam omnem occupavit: Reginam cum altero Filio *Guilelmo* III. captivos duxit: in Siculos tam atrociter vindicavit, ut *Aſperi* cognomen, aut veriùs convitium, inde retulerit. Lytri Anglici causâ, urgente *Richardo* Rege, Cenſurâ Apoſtolica laborabat, niſi illud reſtitueret. Unde Ciſtercienſes oblata ſibi ab eo tria marcharum millia pro thuribulis argenteis non acceptârunt. *El. X.* 4. Ann. 1196. Expeditioni novæ in Orientem, ipſe quidem Cruce non ſignatus, omne tamen Conſilii, & auxilii genus impendit. 6. 7. Filiolo ſuo *Friderico* vix trienni in Regem Romanùm ſuſcipiendo jusjurandum ab omnibus Principibus impetravit. Obiit an. 1197. in Sicilia. 11.

PHILIPPUS.

Filius *Friderici* I. Imp. natu minimus, Frater *Henrici* VI. Sueviæ Dux, habens à Fratre Inſignia Regalia, cuſtodienda pro Filiolo ejus *Friderico*, cui tam Germaniæ, quàm Siciliæ Regna ſervare juſſus erat, in Germania, ut Imperii Defenſor ſub *Friderici* pueritia, electus fuit à plurimis Principibus ann. 1198. Aliis contrà *Ottonem* Brunswicenſem eligentibûs alio in loco, eúmque coronantibûs. *Init. Regimin. Leopold.* VII. *n.* 3. 4. Maximè eidem contrarius fuit *Innocentius* III. Papa: Quòd electus eſſet, anathemate laborans, à paucis tantùm Principibus, uti Papæ perperam ſuggeſtum erat: quòd à Legato abſolutus quidem, ſed contra formam Apoſtolicam, inſuper à Præſule non Germano, ſed ab Archiepiſcopo Tarantaſienſi planè peregrino coronatus fuiſſet: tandem quòd eſſet Filius *Friderici* I. Imp. qui Eccleſiam tanto tempore adeò terribiliter perſecutus fuerat. *Dec. I.* j. 2. Unde Papa *Ottonem* ſubmiſsô Legatô confirmavit, *Philippum*, tametſi ſe devotiſſimum præberet, novo anathemate notavit. Hic tamen Auro, favore Principum, & fortuna belli ferè ſemper ſuperior exſtitit. Supplicabant pro eo Principes: Papa tamen eapropter nihil immutatus. 3. Habuit Conjugem Græcam, *Irenen*, aliis *Mariam*: cujus Fratrem *Alexium*, ad ſe profugum commendavit Principibus, ut eum cum Patre *Iſaacio Angelo*, juvarent ad recuperandum Imperium Orientis. 7. Claſſem Cruce ſignatorum Conſtantinopolim dirigit, quæ Urbem cepit. 10. Ipſe Erfordiæ obſeſſus, effúgit, venitque Viennam ann. 1203. Nuptiis *Leopoldi* VII. Auſtr. Ducis præſens, qui Caſtra ejusdem ſecutus eſt. 13. Deficiunt ad eum *Premislaus* Bohem. Rex, & *Henricus* Brunswicenſis, Frater *Ottonis* Æmuli Regis: quibûs auctus, potenter vincit. 14. An. 1205. jam undique prævalens, renunciavit primæ Electioni ſuæ, Aquisgrani iterum, & unanimiter electus ab omnibus, atque coronatus ab *Adolpho* Archiep. Colonienſi. Papa verò eapropter Præſulem dejecit: Urbs quoque Colonia in fide *Ottonis* adhuc perſtitit. 22. Altero autem anno, cæſo fugatóque *Ottone*, hæc pariter Urbe deditionem fecit. Papa quoque melior factus, inducias, & concordiam tentavit. 25. Dum verò *Philippus* proximè plena cum gratia omnium, pactis jam initis, regnaturus erat, Bambergæ phlebotomus occiditur ab *Ottone* Palatino de Wittelſpach an. 1208. Conjux ejus *Irene* paulò poſt gravitate luctûs deceſſit. 37.

OTTO

OTTO IV.

Filius *Henrici Leonis*, olim à *Friderico* I. Imp. proſcripti Bavar. & Saxon. Ducis, à paucis Electus contra *Philippum* ann. 1198. *Init. Regimin. Leopoldi* VII. 3. Urbe Aquisgrano expugnata, coronatus, gaudebat favore *Innocentii* III. Papæ, & ope *Richardi* Angliæ Regis, cujus è Sorore Nepos erat: Principibus contrà pauciſſimis placuit, fortunâ quoque *Philippo* inferior. 4. Per Legatum à Papa Rex proclamatur. *Dec. I. i.* 3. Sociis auctus mirè invaluit: ſed mox versâ fortunâ, propè extra ſpem fuit. 14. Anno 1206. apud Coloniam victus, & fugatus, ægrè elabitur. 25. Ad Concordiam tamen durus fuit, adjutus pecuniis *Joannis* Angliæ Regis. 27. Occisô *Philippo* ann. 1208. eidem Imperium conceditur, cum pacto, ut nubat Filiæ *Philippi*. 41. 42. Proſcripſit *Ottonem Wittelſpachium* ſicarium *Philippi*. 38. Quidam tamen Principum clam propendebant in *Fridericum* Siculum. 39. Instituitur *Otto* per Legatos Pontificis, deſponſatâ eidem Filia *Philippi* in publicis Comitiis, prævia diſpenſatione, anno 1209. 41. 42. Mox Italiam ingreſſus, Romæ poſt ſolitum Jusjurandum ab *Innocentio* III. coronatus eſt. Statim verò ſimultas inter eos coorta eſt, Cæſare quasdam Urbes Eccleſiaſticæ ditionis per Militem ſuum cuſtodiente, Siciliam invadente, & Galliæ bellum indicente, licèt alia omnia ſtatim ſpopondiſſet. 43. 45. Nihil ad Concordiam valentibus Epiſtolis, & Legatis, ſequebatur anathema Cæſaris, exſolutio ſubditorum à fide, novæ Electionis diſpoſitio anno 1210. 46. Cæſaris ira non ſegnior: proterebat Italiam: Præſules ſecum non conſentientes cuſtodiæ dedit: Germanis Prælatis acceſſum Romæ inhibuit: præ omnibus verò cavere ſtuduit, ne *Fridericus*, juvenis Rex Siciliæ, quem eligendum contra ſe in Germania noverat, Alpes tranſire poſſet. *Dec. II. j.* 1. Urbes paucas beneficiis ſibi devinciens, Germaniam repetiit, nemini gratus. Comitia Norimbergæ, & exercitum in Thuringos cogit. Nubit *Beatrici*, ſtatim defunctæ. 2. Ann. 1211. *Friderici* adventum, & ingreſſum Conſtantiæ fruſtra prohibet, quin potiùs ipſe Urbe excluſus, in Saxoniam ſe retulit. 3. 4. Ann. 1214. fœderatus cum *Joañe* Angliæ Rege, Brabantiæ Duce *Henrico*, & *Ferdinando* Flandriæ Comite, adverſus *Philippum* Franciæ Regem, ad Bovinas internecinam cladem accipit, ægrè fugâ elapſus. 19. Coloniâ excedere compellitur. 25. Obiit in Caſtro Hardesburg cum compunctione maxima anno 1218. 47.

FRIDERICUS II.

Infans, procurante Patre *Henrico* VI. Imp. Ann. 1196. ſponſionem Regni jurejurando Principum accipit. *El. X.* 11. Hi, *Ottonem* corde averſati, jubente inſuper Papa, eum evocant è Sicilia, & ad Imperium invitant. *Dec. I. j.* 39. 45. 46. Contra omnes *Ottonis* curas itinere, periculis ac moleſtiis pleno, penetrans in Germaniam, venit Conſtantiam Anno 1211. Comitia agit, eligitur. *Dec. II. j.* 1. 3. 4. Fabula de eo, ut infante, allato, 5. Sueviam & Bavariam devotas habet: Ratisbonæ Comitia egit. 16. Aquiſgranum obſidere parat. 17. Principes *Ottonis* Fautores ad Moſellam vincit. 19. Ordini Teutonico inſigne Privilegium largitur. 20. Aquiſgrani coronatur anno 1215. 25. Spoponderat eſſe Dux Cruce ſignati Exercitus in Paleſtinam. Pro Eccleſiis omnibus, & peculiariter pro Magdeburgenſi, Privilegium dedit, ſpoliis, i. e. proventibus earum unius Anni à morte Præſulum, renuncians, quos aliàs Imperatores ac Reges uſurpaverant, ann. 1216. 28. Omiſit Profectionem cum Cruce ſignatis, anno ſuperiore à Concilio conſtitutam. 30. Eandem deinceps quoque novâ ſemper morâ extraxit, alios pariter Principes, à quibus voluit ſe exſpectari, cum ingenti Paleſtinæ detrimento retardans. 61. Pollicitus Papæ, ſe Filio *Henrico* Regnum Siciliæ traditurum, ne illud unacum Imperio Romano unam in Perſonam conveniret, nihiloſecius procuravit Electionem Filii in Regem Romanorum, ann. 1220. factam. Ipſe cum Conjuge *Conſtantia* ab *Honorio* III. accepit Coronam Romanam. 62.

Anno 1221. Expeditio in Orientem ſub Aquilis Auguſtis *Friderici* denuo commune Votum Orbis, ſed inane. *Dec. III. j.* 1. Dum omnes ipſum exſpectarent, nemo iret, ſequebatur pernicies magna Rei Chriſtianæ in Oriente, cùm inhibente Papa ac Cæſare, qui ibi erant, paciſci cum Sultano non auderent, & pugnantes, propter paucitatem ubique ſuccumberent, vel deditionem facere cogerentur: quo pacto Damiata quoque reddenda fuit. 2.-5. Intentatum propterea Cæſari anathema ab *Honorio* III. Quod ut effugeret, colloquia cum Papa inſtituit, advocatis Principibus. 7. Apud Oppidum Farentinum in tertium Annum Profectionem jurejurando ſpopondit, ſéque, niſi verbo ſuo ſtaret, Dirarum reum ipſe pronunciavit. Ibi quoque, defunctâ jam Uxore *Conſtantia*, nova Sponſalia contraxit cum *Jolanta* Filia & Hærede *Joannis* Jeroſolymorum Regis, ann. 1223. 11. Urſit in ſpeciem Prædicationem Crucis diligentiorem. 13. Ann. 1225. duxit novam Sponſam: ſed adveniente Profectionis termino, eum in aliud bieñium extendi à Papa poſtulavit, ac impetravit, additis promiſſis magnificis de Apparatu faciendo. 16. Longobardis iratus, Filium *Henricum* cum Cruce ſignatis in Italiam evocavit, quaſi

 Con-

Concilii de Expeditione Sacra habendi causâ: sed Itali, in se arma parari suspicati, hunc Conventum prohibuerunt. Cæsar iram coxit: nova tamen simulatione Pontifici Laudum, se inter & Longobardos celebrandum commisit. 22.

Anno 1227. Cruce signatorum exercitu maximo ad se congregato, nullos mare transire permisit: tantas verò moras traxit, ut innumeri, summi & imi, in Apulia ex insano aëre, calore æstivo, fame, ac penuria interirent. Tandem profectus, mox prætenta ægritudine, substitit, paulò pòst omnino redivit, perdito sacro Exercitu totius Orbis Christiani spem summo cum scandalo, damnóque maximo fallens. Culpa in Pontifices propè ab omnibus conjecta, quòd Cæsarem non compellerent. Quare *Gregorius* IX. Papa eundem anathema, cujus reum se ipse futurum obstrinxerat, incurrisse publicè denunciavit. 33. Oratores ejus, quorum excusationes inanes prævisæ erant, non auditi: unde Imperator se contra juris ordinem damnatum cavillabatur. Crimen ejus expensum: quod & Papa eidem, cum aliis pluribus ante oculos per Epistolam posuit, cúmque ad satisfactionem exhortatus est. 34. Incurium denunciationis, & Admonitionis, & in vexatione Ecclesiæ pergentem, solemni anathemate ferit, cum comminatione dejectionis ab Imperio, Feudóque Siciliæ: contra quam proclamationem, in ipsa Ecclesia, subornatione Cæsaris, tumultus fiebat. 38. Curiam Principum, Ravennæ ab ipso indictam, Papa impedivit. 39.

Sub hæc, defuncta *Jolantha* Conjuge, Cæsar, cùm per eam hæres esset Regni Jerosolymitani, ne eodem excideret, ann. 1228. subito, celatóque Consilio, cum aliquot Galeis in Palestinam contendit, ingentia Pontifici per epistolam pollicitus: Præfecti autem ejus interea ditiones Ecclesiæ quotidie ampliùs infestârunt. Quos ut revocaret, Papa, conducto exercitu, è converso Siciliæ non minimam partem occupari præcepit. 44. In Oriente Cæsar decennalem Pacem cum Saracenis conclusit ann. 1229. Rei Christianæ summè noxiam, sibi in hoc utilem, quod Jerosolyma ei reddita sit, cujus Regem (nam hic esse volebat) se ipse manu propria coronavit, quia ob anathema, quo devinctus erat, nemo Præsulum cum eo communicabat. Jubilus ejus, & eorum, qui rem obiter solùm noverant, ob recuperatam Jerosolymam: contra verò Papæ exactum, ut res verè gesta fuerit, Rescriptum. 45. - 47. Redux reoccupavit Siciliam, Lombardiam cum exercitu intravit. Papa Principes Germanos in eum cum armis provocante, ipse contra eosdem rogavit, & flexit, ut pacati venientes, Arbitros potiùs Concordiæ ipsum inter ac Pontificem agere vellent: 53.

Anno 1230. Reconciliationem cum Papa primùm per Italos, felicius postea per Germanos quæsivit. 54. Horum præcipuus *Leopoldus* VII. Austriæ Dux, qui Pacis opus, diligentissimus omnium tractavit. 55. 56. Et in quem quodammodo compromissum fuit. 47. Sed operi pulcherrimo immortuus est. 58. Concordiæ leges: Absolutio Cæsaris, ejúsque publicus cum Papa Conventus. 61.

Anno 1231. Non sustulit hæc Concordia suspiciones mutuas Papæ, ac Cæsaris: & inter hos Orbis affectibùs divisus. *Dec. IV.* j. 1. Cæsar contra Romanorum insolentiam Ecclesiæ Tutorem se obtulit, non præstitit. Pacem, à Papa se inter & Longobardos factam, improbavit. Comitia Principum Aquileiæ celebravit ann. 1232. 21. 24. An. 1234. Papa ob Seditionem Româ profugo, ipse cum exercitu accurrit, terrens, non humilians Romanos. 38. Totus ad simulationem compositus, sæpissimè omnia alia scripsit, ac egit, vel agere voluit. 47. Ann. 1235. in Germaniam profectus, & sub iter Stiriam accedens, *Fridericum* Austriæ ac Stiriæ Ducem obsequentem habuit: à quo tamen Dotem Sororis *Margaretæ* Reginæ, indicto solvendi termino, vel secus adjecta comminatione armorum postulavit. 44. 46. - 48.

Anno 1236. *Henricum* Filium Regem, qui cum Longobardis adversum Patrem conspiraverat, supplicem admisit quidem in gratiam: statim autem, ob causas veras, aut fictas, captivum variis primùm in locis Germaniæ tenuit: deinde, unacum Uxore, & Liberis, in Apuliam transmisit. 51. 52. Auxilia à Principibus undique adversus Italos quærens, cum ab Austriæ Duce neque pecunias, neque Militem impetraret: ulturus ejusdem olim fœdus cum Rege Filio, obtentâ illius contumaciâ in solvenda Sororis Reginæ dote, & accedendis Comitiis, Regi Bohemiæ Epistolam dedit, terribilibùs in Ducem criminationibùs oppletam: hunc proscripsit, Executores Principes immisit, tandem ipse venit, ac Viennam Urbem Liberam dixit, & Imperialem. 58. - 75. Filium Regem cum Filiolis in carcere necavit: postea planxit, & Episcopis ad Aras piandum præcepit. 64. - 67.

Anno 1237. Venit in Stiriam, Castra occupans, maximo cum Principum, & Copiarum numero, iterúmque Viennam perrexit: ubi *Conradum* alterum Filium in Regem eligi fecit. Intentatum tamen reliquit Neostadium, ubi se Austriæ Dux

Dux concluserat. Abiit Ratisbonam, vota rursum pro Filio colligens, relictô in Austria Præfectô. 78. 79. Cur Ducem *Fridericum* ad pristinam fortunam tam citò redire permiserit? Attritum nempe viribûs volebat, ne sibi nocere posset, cùm fœderatum eum adversus Pontificem nancisci non posset. 85.

Anno 1238. Palestinæ curam omnem abjiciens, Italiam verò totis viribus subigere connisus, quam suam esse dixit, Ecclesiæ ditionibus non pepercit, Præsules pro voluntate instituit, suisque in bellis ante omnes ope Saracenorum est usus, quos in Apulia civitate donavit. 84. Idcirco à *Gregorio* IX. Papa an. 1239. novo anathemate percutitur: cui contrà terribiliter convitiatur. 86. Anno 1240. Austriæ Ducem *Fridericum* plenam in gratiam per Nuncium recepit: per quem pariter ab Ungariæ Rege fœdus, frustra tamen, postulavit. 89. 90.

Anno 1241. Ad Concilium provocans, quod Papam refugere crediderat, accessuris omnibus tutum iter spopondit media inter arma. Sed videns, illud convocari, versô animô publicis epistolis edixit, neminem tutum accessurum esse. Venientibûs attamen Præsulibûs, & Classe Genuensi Romam tendentibûs, ipse contrà Classem Pisanam, Ductore *Entio* Notho suo, emisit, Præsulésque maximo numero captos, diuturno deinde squalore carceris maceravit. Quod scelus, veluti maximum quemdam triumphum, laureatis literis ad alios nunciavit. *Dec. V. ſ.* 1. Romam obsidens, Cruce signatum exercitum, quem Papa emiserat, repulit, captísque, in Crucis contemtum, barbara crudelitate, capita, vel corpora, Crucis in modum secari præcepit. Urbem tamen occupare non potuit. 2. Defunctô *Gregorio* Cardinales, qui extra Urbem erant, ad Electionem novam admisit, non tamen, quos captivos tenebat. *Cœlestinus* IV. electus ei pacem obtulit: sed ante Responsum acceptum obiit. 3. Ungariæ Regem *Belam*, quòd secum fœdus non feriisset, in Tartarorum excidio imani, sine ope reliquit: imo & Cruce signatos pro Ungaria, illuc procedere vetuit. 9. 10.

Anno 1242. Ipse causa longi Inter-Pontificii, increpavit tamen Cardinales, & ab iis Reconciliationem quæsivit, sed iis conditionibûs, quibûs fieri non posset. 18. Anno 1243. omnium convitio publico adactus in metum, Cardinales captos tandem dimisit, ea tamen lege, ut, nisi ipsi eligerentur, in custodiam redirent. 24. Electo *Innocentio* IV. perofficiosè gratulatus, nil tamen nisi verba bona dedit, ne hoc quidem ei, pacem offerenti, largiens, ut Præsules captos dimitteret, extra Gallos, quos ei *Ludovicus* IX. Galliæ Rex comminatione armorum extorsit. 25. Anno 1244. à *Balduino* II. Imp. Constantinop. persuasus, inchoavit Pacis Tractationem: sed cùm absolvi vellet, antequam aliquid ipse præstaret, neque id Ordo juris admitteret, abrupto negotiô Papam capi disposuit, ægerrimè in Galliam elapsum. Quo crimine sibi apud universum Christianum Orbem convitium manifesti Persecutoris Ecclesiæ conscivit. 37. Miserrima conditio Orbis, contrario studio sub hac discordia scissi: ubi cupiditas, ambitio, ira, ac petulantia cujuslibet propria, sub velo devotionis in Papam, vel Cæsarem, egregium reperit locum. 38. 39.

Anno 1245. Cæsar ab *Innocentio* IV. in Concilio Lugdunensi Galliæ omnium Patrum consensu, & communi actione, à communione fidelium proscriptus, Imperio dejectus, & novi Imperatoris Electio decreta fuit: cùm ejus Oratores ipsius nomine nihil in rem utile afferre potuerint. Causabatur ille impetum præcipitem, & Principes Germaniæ ad se Veronam evocavit, ut è præsentia, vel absentia eorum, quo quisque erga se animo esset, cognosceret. Ibi Austriæ Duci venienti Privilegia confirmavit, & auxit: obtulit quoque Regiam Dignitatem, & Neptem ejus ex Fratre sibi Sponsam expetiit. Dux utrumque deprecabatur. 45. 51. -53-

Anno 1246. Contra se à nonnullis electum *Henricum* Landgravium Thuringiæ Filius Cæsaris *Conradus* Rex statim aggressus, eidem succubuit, fortiter attritus: ab *Ottone* tamen Bavariæ Duce, cui Gener fuit, adjutus. 60. Vicit itaque Æmulum ann. 1247. qui & obiit, multùm plaudente Cæsare. 75. 76. Instante autem Pontifice iterum electus *Wilhelmus* Holandiæ Comes. 77. Austriis & Stiriis occiso *Friderico* Duce, Præfectum dedit Comitem Ebersteinium: cui obedientes inciderunt in Pontificis diras. 78. Cupiebat Imperator, ex Austria Provinciales, ac Cives Viennenses præstantiores, tanquam obsides fidei, ad se Veronam adduci: sed intercepti sunt. 84.

Anno 1248. Regi Galliæ iratus ob tutelam Papæ, bellum ei intulisset, nisi rebelles Parmenses ira majori castigandos decrevisset. Urbem eorum obsidens, lignea Urbe nova circumdedit, cui nomen *Victoriæ* imposuit. Deditione jam próxima, copias majori parte dimittens, una obsessorum eruptione decumanam cladem pertulit, totis Castris exutus, & ægerrimè ipse fugâ elapsus. In Germania *Conradus* Filius Aquisgrano Urbe abactus fuit. 85.

Anno 1249. Bononienses ceperunt *Entium* Nothum ejus, à se præ omnibus Filiis dilectum, quem nullâ industriâ eliberare valuit. Ipsi sibi ægro Medicus venenum porrexit, prodito tamen sce-

scelere: quo territus Cæsar, non emendatus fuit. 92. Tandem obiit Florentiolæ in Arce Apuliæ ann. 1250. De genere mortis ejus incertæ sententiæ, uti pariter de morientis habitu animi. 102. Testamentum ejus, quod circumfertur, fidei non tutæ meritò reputatur. 103.

Henricus Rex.

Natumaximus *Friderici* II. Imp. Filius, procurante Patre eligitur Roman. Rex ann. 1220. *Dec. II.* j. 62. Coronatur ann. 1222. *Dec. III. j.* 8. Nubit, rejectis aliis, *Margaretæ* Seniori Filiæ *Leopldi* VII. Austr. Ducis. 17. A Patre cum Principibus & Exercitibus evocatus in Italiam, arcetur à Longobardis. 22. Aquisgrani Curiam egit, ubi Regina coronata. 35. Venit in suspicionem fœderis cum Longobardis adversus Patrem. *Dec. IV.* j. 1. A *Friderico* Austriæ Duce per Oratorem petiit suæ Conjugis dotem, ipse interim fidei Conjugalis incurius, & Uxori, ex qua prolem jam habuit, repudium cominatus. 17. - 19. Aquilegiæ Patrem cum Principibus accedens, ibi contra eum cum Austr. Duce fœdus feriit, fingens, Papam ita velle. Vera, cur in Patrem sit molitus, causa latens, opiniones diversæ. 24. 25. Bavariæ Ducem *Ottonem*, Patri fidelem, persecutus est, donec Filium obsidem daret. 39. Patre petente, à Papa diris devotus est: Prælulibus, ac Principibus inhibitum, ne eum Consilio vel auxilio juvarent. 45. Sic desertus Patri supplex factus, tunc quidem in gratiam receptus fuit: sed paulò pòst captivus accipitur, aliquamdiu in Germania detentus, anno 1236. Deinde, cum Conjuge & Filiolis *Friderico* atque *Henrico* missis in Calabriam. Audiens verò, Patrem in Italiam venturum, nimiúmque timens, elabendi viam reperit, inque Calabria Dñorum *de Kala* hospitio usus est in Territorio Martirano, donec Cæsari proditus, iterum cum Filiolis arcto carceri inclusus, & in eo tum squalore tum inedia cum iisdem confectus fuerit. Tumulum lapideum à Cusentinis acceperunt in Ecclesia Metropolitana. Quo post Secula amoto, reperta eorum corpora. 64.-66. Variæ & fallentes de ejus morte relationes. 67.

Conradus Rex.

Alter *Friderici* II. Imp. Filius, dejecto à Patre *Henrico* natumajore, ann. 1236. Viennæ primùm, deinde Ratisbonæ electus Rom. Rex, electum contra Patrem *Henricum* Thuringum statim aggressus, ab eo contritus fuit. Sed ab *Ottone* Bavariæ Duce, cujus Filiam *Elisabetam* duxerat, novo exercitu auctus est ann. 1246. *Dec. V. j.* 60. Æmulum itaque vicit ann. 1247. qui paulò pòst obiit. 75. Año autem sequenti à *Wilhelmo* novo Rege Urbe Aquisgrano depulsus fuit. 85. Patre defuncto ab *Innocentio* IV. Papa dirîs, cum omnibus Adjutoribus, notatus, omníque studio ab occupatione Imperii, & Siciliæ impeditus, ann. 1251. Ratistisbonæ apud S. Emeramum sicariam necem, noctu sibi intentatam, ægerrimè evasit. *Dec. VI. j.* 1. Anno 1252. in Italiam cum exercitu veniens, Regnum Siciliæ ferè totum, studio *Manfredi*, Nothi *Friderici* II. Imp. pacatum accepit. 7. Cùm anno 1253. Siciliam omnem sibi subjecisset, & in eos, qui Pontifici studuerant, severè vindicâsset: *Innocentius* IV. hoc Regnum, tanquam Ecclesiæ fiduciarium, Cornubiæ Comiti, *Richardo*, Angliæ Regis Fratri, obtulit, armis vindicandum. Sed hoc abnuente, detulit *Carolo* Andegavensi, *Ludovici* IX. Franciæ Regis Fratri, acceptanti quidem, neutiquam verò ad votum Pontificis illud mox occupare aggredienti. 15. Interea *Conradus*, Gloria atque potentia inclitus, ætate vegetus, ex Italia Germaniam petere volens, inopino morbo obiit ann. 1254. *Manfredo* in suspicionem necis adducto. Reliquit Filiolum *Conradinum*, scripsítque Siciliæ hæredem, à Papa tamen rejectum. 20.

Henricus Thuring.

Cognomine *Raspo*, Landgravius Thuringiæ, ann. 1246. jussu Papæ & Concilii, contra *Fridericum* II. Imperatorem dejectum, ejúsque Filium *Conradum* Regem, à nonnullis Sacris Principibus electus, à *Conrado* per contemtum *Rex Clericorum* dictus, mox armis petitus fuit. Vicit verò, & Adversarium vehementer attrivit. *Dec. V. j.* 60. Revaluit hostis ope Bavari Ducis, & *Henricum*, Coronæ suscipiendæ causâ Aquisgranum petentem, gemino exercitu aggressus est, uno tamen in insidiis, quas ignorabat Æmulus, collocato. Facto prelio iterum vicit *Henricus*: dum verò sui spolia legebant, *Conradus* altero cum exercitu irruens, lauros collegit, *Henrico* sive vulnere, sive morbo, sive mærore confecto, ac obeunte anno 1247. 75. 76.

Wilhelmus.

Holandiæ Comes admodum juvenis, summè adnitente Pontifice electus Romanorum Rex à paucis ann. 1247. à paucissimis agnitus: sed à Papa pecuniis adjutus. *Dec. V.* j. 77. Anno 1248. *Conradum* Aquisgrano depellens, ibi coronatur. 85. Anno 1251. Brunswici nubens, ipsa nocte ex incendio proximum vitæ periculum subiit. *Dec. VI.* j. 1. Lacessivit Franciam absente S. *Ludovico* Rege: sed in Germania quotidie auctoritate sua defecit. 20. Ab *Alexandro* IV. Papa ad Coronam Romanam invitatus, antea Italiæ statum explorare voluit, privatus intrans: ubi neque grata sibi, neque commoda cognovit. Redux Frisios

sios rebelles reperit, ac semel & iterum vicit. 24. Alterius Anni 1256. principio rursum in Frisones pugnaturus, ab iis miserè occisus est, ætate necdum plenè Vir adultus. 26. Post eum Electio discors, &, præter morem omnem, exterorum planè Principum, celebrata, longo ac pernicioso Interregno initium dedit ann. 1257. *Dec. VI. j.* 29.

RICHARDUS.

Comes Cornubiæ, *Henrici* III. Angliæ Regis Frater, eligitur ann. 1257. contra eum ab aliis nominato *Alfonso* Castiliæ Rege. Quousque durabant opes ejus, à Coronatione sua per Principes in varias Imperii Urbes cum ostentatione circumducebatur: iis profusis cogebatur ad reditum. *Dec. VI. j.* 30. Eum *Otocaro* Bohemiæ Regi Feuda Austriæ & Stiriæ contulisse, refellitur. *Dec. VII. j.* 13.-16. Rebellibus in Anglia subditis Anno priori arma corripientibus, unacum Rege *Henrico* III. ejúsque Filio *Eduardo*, etiam *Richardus* Regis Frater captus fuit Ann. 1264. 21. Elapsus *Eduardus* cum suppetiis Gallicis triumphavit de Rebellibus, Patrémque, ac Patruum liberavit. 25. Papa *Richardo* simul, ac Æmulo ejus *Alfonso*, Juris, quod in Imperio Romano se habere existimaverant, edocendi diem constituit. 28. Obiit *Richardus* ex morbo, cùm Romæ Filius ejus *Henricus* à Comitibus Monfortiis *Guidone* & *Simone*, dum in Ecclesia Sacro assisteret, miserè & sacrilegè trucidatus est ann. 1271. *Dec. VIII. j.* 2. Sepultus est in Cœnobio Haylensi Angliæ Ord. Cisterc. quod ipse fundaverat ann. 1246. & Regiâ pompâ dedicari curavit añ. 1251. Pro bello sacro Orientis legavit octo millia Unciarum Auri. *Ib. II.* 2.

ALFONSUS.

Castellæ & Legionis Rex, cognomine *Sapiens*, Materno saltem Sanguine Germanus, cùm esset Filius *Ferdinandi* III. Regis, atque *Ethisæ* Filiæ *Philippi* quondam Imperatoris, contra *Richardum* Anglum electus ann. 1257. Confirmationem petenti respondit *Alexander* IV. Papa, se probaturum, si in eum omnium Principum Vota convenirent. Volebat ingenti armorum apparatu Imperium Romanum sibi asserere; sed Mauri, Cordubam infestantes eum domi continuerunt. *Dec. VI. j.* 29. 33. Ab Urbano IV. idem Responsum, quod ab *Alexandro*, retulit: postquam verò cum *Manfredo* Siculo pacta Nuptialia, fœdúsque feriit, tanquam Diris Apostolicis proscripto, à Pontifice graviter increpatus fuit: uti & S. *Ludovicus* Galliæ Rex pacta alia Connubialia, cum ipso jam conclusa, *Manfredi* causâ, è vestigio abrupit. *Dec. VII. j.* 12. Confirmationem suam nihilosecius urgens, diem ab eodem Papa, unacum Æmulo *Richardo* accepit, quo uterque jura sua in Imperio remonstraret. 19. *Clemens* IV. Papa suasit eidem Renunciationem Imperii, non persuasit. 25. Unde novum eidem dicendi juris diem constituit. 28. Dum, *Conradino* Suevo Italiam cum exercitu ad vindicandam Siciliam intrante, Papa *Carolum* Siciliæ Regem, in defectu legitimi Imperatoris, Vicarium Imperii per Longobardiam constituisset, maximè reclamavit *Alfonsus*. Inde Papa animosior, eum, velut ex officio, vocavit in judicium ad ostensionem juris, nominatis Urbibus, ubi Testes ejus audirentur. 32. Perdidit Æmulum *Richardum* defunctum ann. 1271. non tamen propterea Imperium consecutus. *Dec. VIII. j.* 2. A *Gregorio* X. Papa confirmari, novámque Germaniæ Principibus Electionem vetari cupiens, auditus non fuit. 6. Factæ *Rudolphi* Habspurgici Electioni contradixit, & Exercitum in Italiam pro vindicando sibi Imperio submittere comminatus est. A *Rudolpho* Sueviam postulavit quasi Materno jure. Sed ubique frustra fuit. 32. Belliquadri Galliæ Pontificis alloquium vehementer expetens, admissus est, Galliæ tamen Rege non plures ei copias, quàm quæ Regium Comitatum decerent, permittente. Ibi porro, cùm jam antea Militem in Italiam transmisisset, & Urbes Italas pecunia, aliísque modis pro se solicitâsset, denuo Imperii Confirmationem postulavit, déque *Rudolpho* ob Sueviam non redditam, de *Carolo* Siculo ob Fratrem *Henricum* adhuc captum, de *Philippo* Franco ob Regnum Navarræ infestatum, querebatur. Responsum verò ad votum, præcipuè in causa Imperii, non tulit. Redux ergo, domi Nomine, Sigillo, & mandandi Principibus Germaniæ Potestate, velut Imperator, est usus: donec, jubente Papa, Archiepiscopus Hispalensis cum graviter argueret, & intentatis Diris compesceret. Sic tandem spe inanni dejectus est, ac destitit ann. 1275. 41. 42.

RUDOLPHUS I.

Comes Habspurgicus electus exeunte Septembri ann. 1273. Tradita præsagia Electionis ejus. *Dec. VIII. j.* 8. Quorum commendatione evectus fuerit. 12. 14. Electionis dies non planè explorata. 15. Nuncium Electionis an acceperit in Castris ante Basileam? An sub conditione Filiarum, Electoribus nuptui dandarum? 16. 18. 19. Coronatio Aquisgrani cum ostento. Dies iterum ambigua. Numus Coronationis. 16. 20. Cum eo diadema recepit etiam Conjux, de cujus nomine disceptatio anceps. 21.-23. Feuda Principibus collaturus *Rudolphus*, eósque in fidem recepturus, Sceptri locò Cruce usus est. 24. Acclamatio auspicatæ hujus Provectionis Augustæ. Origo Habspurgica à variis variè tradita. *Rudolphus* Protoparens Cæsarum Habspurgicorum sem-

semper Gloriosus. 25. An Electoribus Filias illico dederit? *Alberto* Filio *Elisabetam* Tirolensem statim copulâsse fallit. Electionem Papæ nunciavit, Coronam Romanam flagitans. Nunciârunt quoque Electores cum insigni Electi præconio. 26. Ejus in varios Beneficia. 27.

Año 1274. Electionem ejus confirmavit *Gregorius* X. Papa. *Alfonso* Castellæ Regi, Æmulo Imperii, Sueviam quasi Materno jure inaniter postulanti, Cæsar respondit, sibi soli, & Imperio, eandem vacare. 32. A *Carolo* Siciliæ Rege Hetruriam repetiit: alia à *Philippo* Galliæ Rege. Utrumque negantem ab armis Papa compescuit: qui Cæsari Coronationis Romanæ diem præstituit. 33. Bohem. Regem *Otocarum*, ad Comitia tertia invitatum, nullibi obsequentem habuit, qui & impediit, ne salutaria Cæsaris Consilia de tollendis latrociniis, aliisque, à Principibus promoverentur, & alias in Provinciis, quas tenuerat, egit omnia, quæ Cæsaris obedientiam penitus tollerent. 34. 35. Complura Imperatoris Diplomata Gratiose laudantur. 36. 38. Videtur hoc Anno nupsisse ejusdem Filias. 39. An usum Vernaculæ in publicis Instrumentis præceperit, & quomodo id accipiendum? 40.

Año 1275. Legato Pontificis jusjurandum solitum pro Ecclesia ore proprio dixit. Monitus de Milite in Italiam submittendo propter *Alfonsum* Æmulum, & de Amicitia cum *Carolo* Siculo colenda, primum omisit, tractâ morâ pacatè vincere malens, alterum per Pacta Nuptialia implevit. 41. Regem *Otocarum*, propter obsequium omne negatum, detentas Imperii Provincias, Subditos gravissimè afflictos, & vastatam Provinciam Salisburgensem, comnni Consilio Principum proscripsit. Comparuit ille tandem per Oratorem *Bernardum* Episc. Seccoviensem: sed qui meram Philippicam in Cæsarem declamavit, præsenti capitis periculo, nisi Imperator eum servâsset. Qui Regni novos Oratores direxit, Austriam, Stiriam, & Carnioliam, atque Carinthiam repetentes, ab ipso tamen non auditos. Quare in eum unanimi sententia bellum decretum. *Henricum* Bavariæ Ducem, Regi fœderatum, sed modestiorem, epistolis in viam reducere studuit. 44. 45. Pontifici apud Lausanam Helvetiæ collocutus est, Sacramentum pro Ecclesia renovans, &, Cruce accepta, Expeditionem in Orientem pollicitus, si Negotia Imperii sinerent, déque die Coronationis conveniens. Inerat ei seria in Palestinam cogitatio. 46. 47. Diplomata ejus varia allegata. B. *Albertum M.* & S. *Philippum Benitium* conscientiæ Arbitros habuit. Constitutionem *Friderici* II. Imp. in hæreticos renovavit. 48.

Año 1276. Ad Romandiolam, sive Exarchatum Ravenæ in fidem recipiendum Legatos direxit, & Urbes, tot aliis Impp. renitentes, sola suæ Virtutis existimatione obsequentes habuit. 51. Defuncto *Gregorio* Papa Cardinales celerem ad Electionem hortatus, *Innocentio* deinde V. gratulabatur, ubique Reverentiam conjungens Majestati, & Coronæ Romanæ desiderium præferens. 52. 53. Qui bellum cum *Carolo* Siculo timens, cùm Velitationes per Legatos jam cœpissent, Cæsarem ab ingressu Italiæ dehortatus est, antequam cum Rege composuisset. 53. Imperatori in *Otocarum* ducturo, quæ impedimento fuerint, quæ adjumento. Obex præcipuus deficiens belli nervus pecunia. Comodissimus autem Favor Pontificis, Clerum omnem reddens obsequentem. Juvit pariter contemtus hostis apud *Otocarum*, qui Bohemiæ quidem aditus muniens, ex Austria se impetendum, spe in *Henrico* Bavaro fortiter collocata, vix per somnium cogitavit. 57. Ante Expeditionem Cæsar Campoduni Curiam celeberrimam cum ingenti sua Gratulatione habuit. 58. Volebat in Bohemiam per se, in Austriam per Filium *Albertum* penetrare: primum verò non potuit. 59. Quare Ducem Bavariæ aggressus, territum etiam obsequentem, imo socium habuit, ejusdem Filio *Ottoni* depacta Filia *Catharinâ*, sibi vero grande Aurum mutuum stipulatus, pro quo Austriam Superiorem obligavit. Inde Castra promota, Comitantibûs Principibûs, 61. Præsulibûs quoque plurimis, qui subditos à fide *Otocari* exolverunt. 62. Quare se Urbes certatim tradiderunt: Neoburgum astu occupatum: Viena obsessa metu Vinearum exscindendarum deditionem fecit, cùm *Otocarus* Danubium ad opitulandum transire nullibi posset, 63. Facta cum Rege Pax per Arbitros. 64. Pacta ejusdem: per quæ Bohemiæ & Moraviæ feuda recepit à Cæsare, redditis Provinciis reliquis: Nuptiæ item statutæ inter Liberos Imperatoris, & Regis. 65. Feudi collatio variè tradita: an in Palitio facta, an sub Tabernaculo Militari concidente? an in toga Cæsaris Grisea? 66.-70. Natus Imperatori Filius *Carolus* Rheinfeldæ, post paulò defunctus. 71. Gratiæ ejus in varios. *Ibid.*

Anno 1277. Imperator Viennæ commoratus, Provincias Imperio acquisitas non Principibus, qui eas forsitan cum potentia detinerent, sed inferioris conditionis Præfectis administrendas tradidit. Quo offensus *Henricus* Bavariæ Dux iterum ad *Otocarum* defecit. 75. Archieoiscopo Salisburgensi, cæterisque Præsulibus, Cæsar publico Diplomate gratus fuit pro subsidio universi Cleri, ultro ad bellum sibi collato, cavens, ne quisquam Regum deinceps parem largitionem, ceu debitum, reposcat.

Va-

Variorum Privilegia confirmavit. Novas *Otocari* molitiones facilè intelligens, expertus est pariter, fidem Provincialium Venalem esse : quorum culpâ sibi sustentatio Militum oppidò difficilis reddita fuit. Cogebatur proinde, tributa Provinciæ imperare, quo pacto illi sperabant, odium populi secuturum. Aliter verò DEUS providerat. 74. 76.

Anno 1278. Adversus *Ootocarum*, in Austria jam populantem, auxilia undique imploravit, Ungarorum præcipuè: quorum Rex juvenis *Ladislaus* ei vicena millia adduxit. 78. Cætera ejusdem subsidia armata : Arena pugnæ delecta : Dies prelii : Votum Cæsaris, sub S. Crucis titulo Monasterium condendi : Vexillum Palatinum, à Filio prælatum, Crucifixi Imago: Tessera Militaris Christus. Creditur Cæsar præmonuisse *Otocarum* de infidelitate suorum. Utriusque Aciei Ordo. 79. 80. Prelium coortum, & summum Cæsaris discrimen, diviso Ordine suorum : Cui Jovem Statorem egit Crucifixus, ante quem procubuit. Equum vix iterum ascendens, eo per Militem fortissimum dejectus est, scuto se protegens ab Ungulis equorum, donec novum sonipedem ascenderit : tunc periculo Victoria succedere cæpit. 81. Consistens *Otocarus*, dum sui jam undique fugerent, captus, mox à suis occiditur, Cæsare eum servare frustra conato. Acerbitas pugnæ ex mortibus utriusque partis. 82. Laureatæ Victoris Cæsaris Literæ ad Archiepiscopum Salisburgensem, & *Nicolaum* III. Papam. 84. Prosecutio Victoriæ in Bohemia : ubi Cumanorum & Ungarorum solita intemperantia. Quos proinde Cæsar, cum Auxiliaribus aliis, dimisit. Revocare verò debuit, extra Ungaros, *Ottone* Marchione Brandenburgico novum exercitum adducente : Castra nova locata. Sed confecta pax in veteres Leges, hoc addito, ut *Wenceslao* Filio *Otocari*, cui Regnum permissum, absque Liberis decedente, succedat Filius Cæsaris jure Uxorio. 87.

Anno 1279. Imperator ob felicem rerum successum gratæ in DEUM pietatis plenus, rogante Papa per Legatum, Viennæ solemni Pancharta confirmavit Ecclesiæ Romanæ omnes Donationes, Possessiones, & Jura, tum jurejurando, nihil horum se violaturum; parem quoque Confirmationem à Principibus Electoribus procuravit, maximo Pontificum commodo, grandi autem Politicorum querelâ, haud æquâ. Papa vicissim grande Cæsaris dissidium cum *Carolo* Siciliæ Rege pacatè componere studuit. *Ladislaum* juvenem Ungariæ Regem, Cumanis in detrimentum Religionis nimiùm indulgentem, Cæsaris admonitione emendari curavit. 89. Imperator toto hoc Anno Viennæ demoratus, Clemens, ac Gratiosus in Urbem, Præsules, & Monasteria fuit. *Henricum* Chunringium, *Otocaro* etiam defuncto adhuc quasi devotum, Gratiámque Augustam implorare respuentem, in Castro Weitra obsideri præcepit. 90. 91.

Anno 1280. Interventu *Nicolai* III. Papæ Imperator convênit cum *Carolo* Siculo : ejus Nepoti *Carolo* Principi Salernitano Filiam suam *Clementiam* Sponsam pepigit, pro dote Comitatum Provinciæ, beneficio Feudi Imperialis tenendum, concessit, Lombardiam vicissim integrè recepturus. 92. Castrum Weitra deditione acceptum, in potestatem Ducum Austriæ transcripsit, *Henrico* Chunringio proscripto. Principes, Provincias Austriacas cupientes, ad proxima Comitia distulit. Exactiones, olim necessitate factas, Clero pro facultate compensavit. 93. Fundavit Parthenonem Ord. Prædicat. Tulnæ ex voto in honorem S. Crucis. 94. Arma ei ponere non licuit ob Chunringii molitiones, & rumores ex Bohemia, ubi *Otto* Marchio Brandenburgicus, Regis Tutor, sed Regno gravissimus, Provinciales in Cæsarem concitare, eductos deinde in aciem, ei tradere cogitabat, ipso hanc perfidiam detestante. 95. Bavariæ Ducibus iram reservavit, quòd *Henricus* denuo *Otocari* socius fuerit, *Ludovicus* Frater ejus, Elector Palatinus, adduxerit quidem copias, quasi Cæsari in subsidium, sed eas in finibus Bavariæ continuerit, Cæsare Succumbente, cum Fratre Austriam Superiorem occupaturus. Profectus itaque in Stiriam Imperator eam quoque Provinciam, in fidem receptam, ordinavit. Defuncto *Petro* Episcopo Pataviensi commendavit *Wichardum* Polheimium. 96.

Anno 1281. Stiriæ *Ottonem Liechtensteinium* Præfectum imposuit. Filiam *Clementiam* Sponsam Neapolim dimisit. Viennæ perdidit *Annam* Augustam Conjugem, Basileæ suo voto sepultam. *Dec. IX. §.* 2. Parthenoni suo Tulnensi ampliorem Fundationis Chartam dedit, aliísque pluribus Ecclesiis favit. 3. Viennâ quinto Commorationis Anno digressus, Primogenitum suum *Albertum* Austriæ ac Stiriæ Vicarium reliquit. Inde in Bavarum Ducem *Henricum*, qui Militem expeditum habuit, armis ulturus processit. Territo tamen, & per Fratrem *Ludovicum*, Filiúmque *Ottonem*, atque amborum Conjuges, Cæsaris Filias, gratiam quærenti, eam dedit hoc pacto, ut Aurum, olim Cæsari mutuò datum, remitteret, & Austriam supra Anasum, pignori eapropter sibi suppositam, gratis restitueret. 4. Diplomata Ratisbonæ, & Norimbergæ edita : In quibus Instrumentum Pacis publicæ, pro Franconia in quinquennium sancitæ. 5. Secuta Comitia Fran-

cofurtensia, ubi de latibulis prædonū destruendis saluberrimè consultum fuit. *Ib.*

Anno 1282. Cæsar in expugnatione plurium obstinacium versatus, longiùs aliquantulum Oppenheimii morabatur. Ad quem *Hartmannus* Filius, juvenis octodecim annorum, secundo Rhenô descendere volens, incuria nautarum, unacum Comitibus, infeliciter mersus interiit. 10. Imperator Augustæ Curiam celebrans, ibidem *Alberto* ac *Rudolpho* Filiis Austriam, Stiriam, Carinthiam feudô contulit. Tricæ Scriptorum de Anno, quo id contigerit: item error geminus, *Rudolpho* peculiariter tunc Sueviam, *Meinhardo* autem Tirolensi Carinthiam collatam fuisse. 11. Fallit etiam Traditio pervagata, *Albertum* Jus ad Austriam per Uxorem *Elisabetam* Tirolensem acquisivisse, & hoc motivo conferendi usum esse Cæsarem. 12.-19. Contulit eam, & attinentes Provincias, Filiis ut Feuda, sibi & Imperio aperta, armísque, & sanguine suo vindicata, nullo penitus Jure Hæredum læso, tanquam prorsus impotentium ad vim *Otocari* retundendam. Bavari Duces aut non reclamarunt, aut frustra, aliter decernente Principum Senatu, in quo & ipse *Ludovicus* Palatinus. 20. 21. 22.

Anno 1283. Felix sub *Rudolpho* Cæsare Germania, vel quievit, vel quieti restituta est, ipso plerumque, licèt jam sexagenario, exercitus suos ducente. Contra Sabaudiæ Comitem in Helvetia pugnans, sum̄um adiit vitæ discrimen, Victor tamen evasit. 25. Filio *Alberto*, Austriæ Ducatum adeunti, supremos Consiliarios Regiminis dedit *Hermannum de Landenberg*, & *Eberhardum de Walsee* Suevos, Viros provectos & sapientes, additis 4. Austriacis. Confirmavit, & innovavit eidem Privilegia Austriæ tenore veteri, supplens, quod vi in iisdem violatum erat. 26. 27. Regem Bohemiæ juvenem *Wenceslaum*, & Regnum, ab iniquis pactis *Ottonis* Brandeburgici Tutoris pro potestate absolvit. 30. Ordini Cistercienfi in pluribus Monasteriis eximiè favit: quæ inter anterioribûs annis etiam Campililium erat. 31. Per Privilegia Urbibus, aliísque Secularibus data, se Libertatibus Cleri nullatenus derogare voluisse, publico diplomate professus est. 32.

Añno 1284. Germaniam restituere perrexit, eíque Felicem Temporis reparationem firmare hoc etiam ex capite, quòd Augustæ suæ Domus Imperium, tot in Secula duraturum, fundaverit. Unde scomma est, maluisse *Rudolphum* esse bonum Patremfamilias, quam Principem. 34. Nupsit iterum: de Conjuge tamen, & Nomine, ac Genere illius disceptatio. 35. Certum verò, eam Sanguine Regio Francico fuisse. 36. An à morte Cæsaris cælebs manserit, rursum ambiguum. 37. Imperatoris peculiari gratia valebat *Henricus* Ord. Minor. ei primùm à Confessionibus, deinde Consiliis, & Secretis, postea ejus commendatione Episc. Basileensis, tandem Archiepiscopus Moguntinus. 38. Clerum Ratisbonensem Cæsar ab exactione Civica clementer liberavit. 39.

Anno 1285. Electo Salisburgensi *Rudolpho*, olim Cancellario, & Vicario suo per Italiam, apud Pontifices diu morato; instanti com̄endatione Confirmationem, & Pallium procuravit. 47. Tributum Italis Urbibus imperans, quibus nulla profectione gravis erat, pro præteritis pariter & futuris Imperii sui annis, plerasque largas & obsequentes habuit. Id adnotantes nonnulli antiquiorum Scriptorum, vocibúsque impropriè usi, scribebant, *Rudolphum* Italis Libertatem vendidisse: quod Convitium huic optimo Augusto diu perperam affrictum fuit. 47.-53. Impostorem, qui se *Fridericum* II. Imp. adhuc superstitem artificiosè mentitus plurimis imposuit, captivum Cæsar accepit, & igni è medio sustulit. 54. 55. Papæ *Honorio* IV. gratulatus, ab eo diem pro Corona Romana petiit. Contra decimas, Galliæ Regi etiam in Diœcesibus nonnullis confinibus, ad Germaniam attinentibus, permissas protestatus est. 56. Diplomata ejus, & Benefacta in Ecclesias. Ejus judicio contentiones *Rudolphi* Archiep. Salisburg. cum Duce Bavariæ remissæ. 58.

Anno 1286. Postulavit, & obtinuit à Papa Legatum, qui eum sequenti anno ad Coronationem Romam deduceret. 62. Petentibûs Filiîs, *Meinhardo* Comiti Tirolis Ducatum Carinthiæ Feudo contulit, ad Austriacas devolvendum deficiente ipsius propagine. Archiepiscopum Salisburgensem cum Duce Bavariæ per datos Arbitros composuit. *Wenceslao* Bohemo veniam Ætatis, & facultatem per se regendi dedit, Filiámque suam *Gutam* eidem ex pacto Sponsam tradidit. 63. Nuptiarum splendore Pragæ, Cæsare tamen non præsente. Qui verò, cùm illæ statim fæcundæ essent, Egram Urbem accedens, suis ad se vocatîs, hanc Civitatem cum adsitis terris, pluribúsque Misniæ ac Lusatiæ Castris, Filiæ in Dotem dedit: Maritum ejus Regem Vicariatu Imperii, Wratislaviæ Principatu, aliísque insignibus Beneficiis ornavit, & Electoralem eidem Dignitatem, cum Pincernatus munere, innovavit, non tamen hæc omnia hoc uno, sed pluribus diversis insequentibus Annis. 64. 65.

Anno 1287. Pacem publicam Imperii rursum in triennium sanxit. Burgundiæ Comitem, in eum ducens, iterum ad officium redegit, editô lepidô, sed insigni ad exemplum cæterorum Frugalitatis specimine in Castris, simul verò & Magnanimitatis. 71.

Anno

Anno 1288. *Alberto* Saxoni Genero suo Palatinatum Saxoniæ contulit. Austriis mandavit, ut uni *Alberto* Duci suo obtemperarent. Benefecit Episcopo Basileensi. 75.

Anno 1289. Papa *Nicolaus* IV. Cæsari rursum petenti, præter Epistolam, eximia Probitatis Augustæ laude refertam, denuo Internuncium submisit, qui ei, ad Coronam Romanam ituro, comes esset. 79. Multò laudabiliùs, utiliusque Imperio, *Rudolphus* Majestati Probitatem, quàm *Henrici*, ac *Friderici*, vim & iram sociârunt. Fallit, eidem nunquam animum fuisse ad Coronam Romanam: ne caperet, tot brevium Pontificum neces, & Membrorum Imperii status, qui absentiam Capitis non tulit, effecerant. 80. Denuo in Burgundia ei bellandum erat. 81. Spoponderat quoque *Alberto* Duci Filio, Signa in Ungaros ferre: quo tamen, ipso per se vincente, opus non erat. Mutuæ de hoc utriúsque Epistolæ. 82.-84. Adversus Archiep. Salisburgensem Filio consulturus, impetravit eidem à Papa Privilegium, ne cum suis à quoquam anathemate per quinquennium percelli posset. 85.

Anno 1290. Cæsar Erfordiæ Curiam celeberrimam egit, prædones plurimos ense feriri, & Castra eorum, aliorúmque, tanquam rapinarum receptacula, confringi præcepit. Jucundabatur ibidem cum Filiis, ac Filiabus. Permolesta verò eidem fuit causa Filii *Alberti* Ducis cum Archiepiscopo Salisburgensi: quam componere malens, ac judicare, moram traxit, quam inter Archipræsul ibidem decessit. 90. 93. Obiisse hoc anno traditur Cæsaris Filius junior *Rudolphus*, cùm Pragæ Sororem visitâsset. 95.

Anno 1291. Papa, rogante Patriarcha Hierosolymitano, novam Orientis Expeditionem perurgente, Cæsar negotium istud in Comitiis tractare proposuit: quò etiam, requirente Pontifice, vocavit *Meinhardum* Carinthiæ Ducem, diris notatum, ut ei concordiam cum Episcopo Tridentino suaderet. *Dec. X.* j. 2. Occiso *Ladislao* Ungariæ Rege, dum Cumani & Tartari Regnum illud occupare niterentur, Cæsar, id in fide & tutela Romani Imperii positum esse asserens, ejus Administrationem interim *Alberto* Filio Austriæ Duci commisit. Quod *Nicolaus* IV. Papa de occupatione interpretatus, Patrem & Filium epistola pariter ac Legato dehortatus est, cùm Ungaria esset Regnum Apostolicum, & ad Sanctæ Sedis dispositionem pertineret. 3. Cæsaris porro ad ostia Mors pulsavit febre lethali. An vota Principum pro Regno Romano conciliare studuerit *Alberto* Filio, non auditus, intutum est. Fatum tamen suum præsentiens, festinabat Spiram, ubi Sepulchra Regum Romanorum. Sed morbi vis eum, Germersheimii subsistere coactum, ibidem adhuc Mense toto detinuit, donec piissimè ad agonem comparatum, tandem confecerit die 15. Julii, fallentibûs Epitaphii Inscriptionibûs, quæ traduntur. 4. Ejus Epochæ, Laúsque suprema. 5.

ADOLPHUS,

Comes Nassovius, arte & astu Electoris Moguntini, in quem compromissum erat, Francofurti electus an. 1292. *Dec. X.* j. 29. Eidem postulanti *Albertus* Austriæ Dux Insignia Regalia, facilis extradidit, & ab ipso Feuda Austriaca recepit. 31. Neque tamen inter eos amicitia integra constitit. Traditæ simultatis causæ: Postulata à Rege pro Feudis pecunia: Filio Regis à Duce negata Filia Sponsa: Suspicio Regis, Ducem cum Electore Palatino suam in necem conspirâsse. 32. Cæsar ab *Alberto* Degeneri Misniæ Marchione Provincias, Filiis debitas, coëmens, & ense vindicans, à se Principum animos avertit. 34. Quos cùm in *Albertum* Austriacum vehementer propendêre cognosceret, eidem semper æmulabatur. Ab Austriæ ac Stiriæ seditiosis Provincialibus vocatus, omni occasioni, quæ justi speciem præseferret, intendit, Austriæ arma inferendi. 41. Ab *Eduardo* Angliæ Rege centena marcarum accepit millia ut adversus *Philippum* Galliæ Regem pugnaret, quasi stipendiarius Anglorum: quod ei magno probro datum, præcipuè, cùm ne quidem promisso steterit. 44. Archiepiscopo Salisburgensi Salinas, earúmque telonia confirmans, Austriæ Duci, si Præsulem in his turbaret, semel, iterum, ac tertiùm arma comminatus est. 45. 52. Papa *Bonifacius* VIII. Principibus Germaniæ vetuit, ne eum in bello contra Gallos juvarent. 53. Ann. 1298. Principes plerique decreverunt, *Adolphum* deponere, *Albertum* Austriacum eligere. An, & quibus de causis Imperatorem deponere liceat, sub judice lis est. 59. Dejectus *Adolphus*, electus *Albertus*: an cum, vel sine assensu Pontificis, tutò non constat. Statim inter æmulos bellum. *Otto* Bavar. Dux, *Rudolphus* quoque Elector Palatinus, & Urbes Rhenanæ, in devotione *Adolphi* perstiterunt. Pugna decretoria apud Gellenheim 2. Julii, utroque Rege exercitum suum ducente. Vicit *Albertus*, occisus *Adolphus*. Chronicorum de his omnibus relata. 61.-67. Dejectionem, necémque Regis præcipuè perficientes, implacidè defuncti. 68. Neque Mens Electorum erat, illum occîdi, sed Regno duntaxat excludi. 84.

ALBERTUS I.

Anno 1298. devictô & occisô *Adolpho*, renuncians primis votis, regnare noluit, nisi ab omnibus unanimiter electus. Quod factum, secuta Coronatione. Mox *Boëmundo* Archiep. Trevirensi concessit Castrum Cochim, quod antea pignoris locò habebat. *Dec. X.* j. 68. Acta Norim-

Norimbergæ Curiâ splendidissimâ, ibidem coronari fecit Reginam *Elisabetam*. Filiis *Rudolpho*, *Friderico*, & *Leopoldo*, quos tunc habebat, Austriæ ac Stiriæ feuda concessit. 69. Innovavit Pacem publicam: deliberavit de Civitatibus Rheni ad obsequium reducendis: quæ omnia cum favore Principum fiebant. Ingratum autem pluribus verbum erat, quòd repeteret Vectigalia Rhenana, ab antiquo Regia, sed ex Interregni tempore ab Electoribus Sacris, Rhenum accolentibus, itémque Palatino, usurpata: qui proinde se unanimes opposuerunt. 70. Edita Cæsaris Diplomata varia. 71. 72.

Anno 1299. Sui Confirmationem, ac Coronationem Romæ postulâsse, sed *Bonifacium* VIII. Papam ad id hæsisse dicitur, cùm ei fœdus & cognatio Cæsaris cum *Philippo* IV. Galliæ Rege displiceret. 76. Cùm enim Imperator primùm à Gallo postulâsset Regnum Arelatense, submota hæc quæstio fuit pactîs nuptiis inter Primogenitum suum *Rudolphum*, nunc Austriæ Ducem, & *Blancam* Sororem Galliæ Regis, adjuncto Fœdere mutuo, Nuptiîs in annum sequentem dilatîs. Quæ etiam Electoribus, præcipuè Sacris, nimiam Cæsaris potentiam formidantibus, ingrata fuerunt. 77. 78. Hic Norimbergæ pro Anima Patris perpetuum Sacrum fundavit: Ecclesiis atque Cœnobiis varia Diplomata dedit. 80.

Anno 1300. Nuptiîs *Rudolphi* Filii Parisiis Regiè actîs, Imperator novo fœdere fretus, atque grandia cogitans, Comitatus Holandiæ, & Seelandiæ, quos dicebat Imperio apertos, armis per se vindicare voluit. Monitus autem de insidiis vitæ, eas effûgit, opere infecto reversus. 82. Urgens apud Electores Rhenanos Vectigalia, ab iis ad Electoris Palatini tribunal evocatus est, responsurus, quo jure *Adolphum* occiderit, Regnúmque invaserit. 83. Papæ conquestus, apud quem Sacri Electores aurem jam præoccupaverant, ab ipso quoque diem sibi dictum retulit, causam suam apud ipsum dicendi. 84. Quare Electores armis ad officium compellere statuit, annóque altero executus est. 85. Regi Bohemiæ, quidquid in Polonia, hæreditario jure sibi debita, acquireret, feudô à se conferendum spopondit. Alia ejus Diplomata. 86. Prosecutio Imperii ejus altero Tomo quærenda.

CLASSIS. II.

Imperatores nonnulli Constantinopolitani.

EMANUEL Comnenus.

Filius natu minor *Calo-Johannis*, Orientis Imperium aggressus an. 1143. Rogabatur per epistolam à S. *Bernardo*, ut faveret Expeditioni Sanctæ sub *Conrado* III. Imperatore an. 1147. in Orientem ductæ. *El. VIII.* ij. 5. Sed Imperio suo à Cruce signatis metuens, contrarium agit. 4. Jam attritos Latinos, ut à se perfidiæ suspicionem amoliretur, cum omni benevolentia suscipit, & recreat, & in his *Conradum* Imp. atque *Henricum Jasomirgott* Austriacum: Cui *Theodoram*, Augusti Sanguinis Græci Dominam despondet. Cum Imperatore fœdus init adversus *Rogerium* Siciliæ Regem. 14.-16. Affectat interim Occidentis Imperium, & licèt *Friderici* I. Imp. Filio *Henrico* Regi Filiam suam Legatione desponderet, in maritimis tamen Italiæ oris occupabat, quæ poterat: Papam verò, & Longobardos, auro plurimo sibi conciliare nitebatur. §. v. 25. Obiit an. 1180. *El. IX.* j. 16.

ALEXIUS Comnenus.

Filius *Emanuelis*, sed adhuc sub Tutoribus. *El. IX.* j. 16. Cum honore excipit, & conducit *Leopoldum* VI. Austr. Ducem in Palestinam profectum. 19. 21. Sponsam secum habuit *Agnetem*, Filiam *Ludovici* VII. Galliæ Regis, cum qua coronatus est. Sed *Andronicus*, Patrui ejus Filius, conspirationis Græcorum in Latinos, ejúsque cruentæ admodum, Strategus, primùm commune sibi cum *Alexio* imperium procuravit: tum eundem, quasi Latinorum Fautorem, capitis damnari fecit, & noctu strangulari, sub an. 1183. 24.

ISACIUS Angelus.

Ex belli Præfecto contra *Andronicum* tirannum, à quo jam ad mortem quæsitus erat, electus sub ann. 1185. *El. IX.* ij. 6. Corruptus fuit à *Saladino*, ut Latinorum Expeditionem in Orientem impediret. Ideò à *Friderico* I. Imp. Exercitum Sacrum ducente an. 1189. ut hostis habitus, & vi ad obsequendum adactus fuit, Cruce signatis in Græcia hybernantibus. 9. An. 1195. ab *Alexio* Fratre thronô dejectus, & oculis privatus fuit, cúmque Filio *Alexio* in Insulam deportatus. Sed evadens Filius, primùm Romæ apud *Innocentium* III. Papam opem quæsivit, frustra tamen. Deinde Germaniam adiens, *Philippum* Romanorum Regem, qui Sororem ejus *Irenen*, alio nomine *Mariam*, Conjugem habuit, imploravit: qui eum Cruce signatis, in Orientem tunc paratis, commendavit. *Dec. I.* j. 7. Videtur hic *Leopoldo* VII. Austr. Duci *Theodoram*, unam Propinguarum suarum secum fuga elapsam, despondisse. 8. Veneta deinde Cruce signatorum Classe in Orientem revectus est: qui Constantinopolim occupantes, *Isacium* restituerunt ann. 1203. fugiente *Alexio* tirannò ejusdem Fratre. 10. Tumultu verò populi ob Latinorum prædas

rdas exorto, Pater ac Filius brevi periunt, proclamato Imperatore *Alexio-Duca*. Latini autem Urbem denuo obsederunt, & occupatam expilârunt, 15.

Balduinus I.

Comes Flandriæ à Latinis Victoribus electus an. 1204. *Dec. I.* j. 15.16. Regi *Philippo*, & *Leopoldo* VII. Austr. Duci, quòd utriúsque hortatu Classis Latina ad expugnandam Constantinopolim animata fuerit, Gratitudinis ergò Sacra Donaria misit. Inde *Leopoldo* Duci insignis Portio S. Crucis, ab ipso deinde plures post annos Campililio suo donata. 16.23. Primo statim anno adversus Wallachios exercitum infeliciter ducens, & à *Joanne* Principe eorum captus, nusquam ampliùs comparuit. 24.

Henricus.

Frater prioris, eidem Successor datus anno 1206. decennio feliciter imperavit, obiens an. 1216. *Dec. I.* j. 24.

Petrus.

Antisiodorensis Comes in Francia duxerat *Jolantam*, *Henrici* Sororem, vel juxta alios Filiam, ab ipso Successor designatus, non ad omnium votum. Invitatus tamen à pluribus Romam se contulit, ab *Honorio* III. Papa extra Urbem coronatus ob æmulationem Imperatorum Occidentalium. Sed vix Constantinopoli adveniens, & splendidè susceptus, fraude Græcorum capiebatur per *Theodorum Lascarem*, biennio postea per eum occisus sub ann. 1221. In ejus locum, patefacta morte, successit Filius *Robertus*, exiguâ fortunâ imperans, usque dum obiret ann. 1229. *Dec. I.* j. 38. 39.

Balduinus.

Successit *Roberto* Patri ferè infans. Sedentibûs porro Constantinopoli Latinîs, Græci Imperatorem suum Niceæ habebant, semper Constantinopoli insidiati. Sub *Balduino* Thesalonicæ Rex *Vatacius* omne propè Latinorum Imperium evertit. *Dec. V.* j. 24. Venit ergo Romam afflictus Imp. auxilium implorans. Quod cum sperare non posset sub discordia Papæ ac Cæsaris, unicè apud hunc institit, ut eum *Innocentio* IV. transigeret. Cœptum negotium: quod attamen *Fridericus* II. Imp. dum confectum jam videbatur, abrupit, *Balduino* misero furiis Græcorum relictô. 37. Quare eum *Michael Paleologus*, Constantinopoli fraude capta circa an. 1260. cum suis fugere, privatúmque vivere coëgit. *Dec. VII.* j. 19.

CLASSIS III.

Reges Galliæ.

Ludovicus VI.

Cùm *Henricus* V. Imp. an. 1111. *Paschalem* II. Papam Romæ capi jussisset, & ab eo Investiturarum Concessionem extorsisset, ultrò Viennæ in Gallia, coacta Synodo, hujus criminis ergò Cæsarem anathemate ligari, & extorsionem ejus ut hæresin damnari procurevit an. 1112. *El. VI.* j. 25.

Ludovicus VII.

Galliam bello miscet an. 1141. ob Ecclesiæ Bituricensis Electionem: quapropter *Innocentius* Papa II. Regnum sub Interdicto ponit, S. *Bernardo* pro concordia plurimùm adlaborante. *El. VII.* ij. 6. Cujus post crebras obsecrationes gravem tandem objurgationem Rex modestissimè tulit. *El. VIII.* j. 9. Ejus exercitus unica in Ecclesiæ ter millenos térque centenos homines, qui illuc confugerant, concremavit, atrocissimum hoc factum Rege ipso deflente. 10. Interdictum sustulit *Cœlestinus* II. Papa *Ib.* Rex ab *Eugenio* III. ad Expeditionem Orientis excitatus, promtum se rescripsit, coactóque Conventu, S. *Bernardum* Ducem Expeditionis eligi fecit. 28. Movet Palæstinam, excepto antea Pontifice in Galliis, à quo Vexillum accepit. §. ij. 1. Ibi nihil cum fructu actum, perfidia & ambitione obstantibûs. Hierosolymis tamen Rex per annum demoratus, suîs antea redeuntibûs. 13. 14. In reditu detentus à Græcis, per Siculos liberatur. 18. Legitimum Papam *Alexandrum* III. in schismate *Victoris* cum honore excepit, eique cum toto Regno suo adhæsit. A *Friderico* I. Imp. ad Consilium pro tollendo schismate invitatus, in speciem venit, sed ante adventum Imperatoris recessit. §. iv. 29. 39. Decrevit, cum Rege Angliæ exercitum in Albigenses educere, eorum tamen reductione priùs per Præsules tentata. *El. IX.* j. 12. Obiit an. 1180. apud Barbellum Cisterciense Monasterium à se excitatum sepultus. 16.

Philippus II.

Cognomine *Augustus*, Crucem suscepit in Orientem, exemplô Patris, sancita pace cum Rege Angliæ. *El. IX.* 5.9. Convênit cum *Richardo* Angl. Rege apud Siciliam Sacræ Expeditionis causâ, socia vela facturus. Sed hoc diutiùs ibi hærente, & ex hospite hostem induente, indignatus *Philippus* cum Classe sua perrexit. 17. In Oriente Ptolemaidem expugnare juvat. 20. 21. Redit. 22. De reversione ejus, & simultate cum Rege Angliæ, diversæ senten-

Sententiæ. 34. 36. Eidem *Henricus* VI. Imp. captivitatem Regis Angliæ per epistolam nunciat. §. *iij*. 6. Hujus ipse dimissionem oblatis Cæsari pecuniis, impedire, aut retardare contendit, Papa propterea censuram eidem comminante. 38. Ab *Ottone* IV. Imp. belli denunciationem Angliæ Regis *Joannis* causâ accipit. *Dec. I.* j. 45. Utrumque fœderatum ad Bovinas internecina clade afficit. *Dec. II.* j. 19. Albigensibus denuo invalescentibus, Rex, tametsi ad mortem æger, attamen ad Synodum, Parisiis adversum eos coactam, properavit, sub iter verò decessit an. 1223. *Dec. III.* ij. 5.

LUDOVICUS VIII.

Patri succedens, ab *Almarico* Comite de Monteforti Ditiones, Albigensibus ereptas, quas ipse tueri satis non poterat, suscepit. Unde in Albigenses ipse duxit, Avenione Urbe capta, mœnibusque solo æquatis. Paulò pòst verò obiit ann. 1226. *Dec. III.* ij. 6. 11.

LUDOVICUS IX.

A morte Patris adhuc sub tutela existens, & cultum Sancti promeriturus, anno 1228. etsi maxime juvenis, vehementer tamen exardescens ad Albigensium hæresin penitus exscindendam, Legatum à Pontifice postulavit, & ipse, cum aliis innumeris, contra eos Cruce signatus fuit. Qui proinde, solo timore adacti, seriò tandem ad Ecclesiæ reconciliationem confugerunt. *Dec. III.* ij. 11. 14. Angliæ Rege *Henrico* seditiosos Galliæ clam fovente, bellum imminens *Gregorius* IX. Papa Legatione *Gulielmi* III. Archiabbatis Cistercii feliciter apud utrúmque Regem prævertit. 17. Dum *Fridericus* II. Imp. Præsules, ad Concilium Romanum profectos, & à se captos, diuturno & planè inhumano carcere premeret, Rex Gallorum saltem suorum dimissionem à Cæsare, sub interminatione armorum, postulavit, & impetravit. *Dec. V.* ij. 1. Cruce in Orientem jam signatus, ann. 1244. Capitulum Generale Cistercii, cum *Blancha* Matre, geminisque Fratribus accedere, precésque Ordinis rogare dignatus est. Dum verò ipso confidente congregati Patres unanimes ei de genu supplicarent ut *Innocentium* IV. Papam clementer in Regno suscipere dignaretur; ipse, pariter genuflexus, assensit, addita fundatione pro Patribus durante Capitulo sustentandis. *Dec. V.* ij. 8. Ann. 1248. profectus est in Orientem. 16. Obtinuit Damiatam, magnámque de Saracenis victoriam retulit. Cæsis verò deinde Christianis, ipse captus fuit, & pro ejus liberatione Damiata reddi denuo debuit. 18. Fratri ejus *Carolo* Comiti Andegavensi *Innocentius* Papa IV. obtulit Regnum Siciliæ, armis vindicandum. *Dec. VI.* j. 15. Regis in Palestina Religio, Pietásque eximia, atque Humilitas, maximè Sidone, in sepeliendis per se ipsum fœtidis occisorum cadaveribus. §. ij. 2. Absente illo Regia ejus Mater *Blancha* piè defuncta, in Parthenone Cisterciensi, quem ipsa fundaverat, cum Velo & Habitu Ordinis deposita fuit. 4. In reditu è Palestina Rex piissimus, permissu Legati Apostolici comitantis, SS. Eucharistiam sub tabernaculo Militari Prætoriæ Navis, velut in Ecclesia, diu noctúque asservatam, insatiabili devotione venerabatur. 8.

Reversus, jam celebrata cum *Alfonso* Castellæ Rege, in Roman. Regem electo, Pacta Connubialia mox retractavit, inaudiens, *Alfonsum* pari contractu, & insuper perpetuo fœdere, se devovisse *Manfredo* Siculo, diris Papalibus notato, ac proinde hosti Ecclesiæ. *Dec. VII.* j. 12. *Urbano* IV. Papa an. 1262. eidem pro uno Filiorum Regnum Siciliæ deferente, adhæsit in acceptatione, donec Papa securum eum esse juberet, id nullius injuriâ fieri. Tum hoc Regnum à Fratre *Carolo* acceptari permisit. 18. In Angliam, rogante Pontifice, auxiliares copias misit: quarum ope, capti ibidem à subditis perduellibus Reges, liberati fuerunt. 25. Ipse rursus in Orientem Cruce signatus, mutato consilio, Classem ad Urbem Tunetum duxit, piratis barbaris plenam, qui in Orientem tendentibus perpetua damna intulerunt. Extracta obsidio propter serum adventum *Caroli* Siciliæ Regis. Interea in Classe Gallica invaluit pestis, ipsúmque Sanctum Regem abripuit an. 1270. 44. Albo SS. illatus est à *Bonifacio* VIII. Papa an. 1297. *Dec. X.* 53.

PHILIPPUS. III.

Sancto Parenti succedens, Cognomen *Audacis* tulit. Cum *Carolo* Siculo Tunetô Romam reversus ann. 1271. longam biennii integri, novémque Mensium discordiam Cardinalium in eligendo novo Pontifice, seria adhortatione tandem abrupit. *Dec. VIII.* j. 1. Dum *Rudolphus* I. Imp. nonnulla ad Imperium attinentia ab eo repeteret, responsi locò exercitum instruxit. Monitus verò à *Gregorio* Papa X. quievit. 33. An. 1282. per infandas, quas ajunt, Siculas Vesperas Francigenis omnibus in Sicilia trucidatis, conscio & Auctore *Petro* III. Aragoniæ Rege, Siciliam statim occupante: Papa *Martinus* IV. ob atrocitatem criminis *Petrum* diris omnibus devovit, Regnísque Aragoniæ & Valentiæ privavit, utrúmque *Philippi* Filiis deferens, armis vindicandum; quæ etiam correpta sunt. *Dec. IX.* j. 9. 25. Imp. *Rudolphus* I. ann. 1284. alteram Conju-

gem

gem duxit, Neptem, aut certè Propinquam *Philippi* III. Regis: ad quem proinde Epistolam dedit, sibi de affinitate gratulatus. 35. 36. In Aragonios Rex ipse pugnans, ab obsidione Gerundæ, ob epidemicam suo in exercitu luem, desistere coactus, alibi in Catalaunia alterius exercitus gravem ab Aragoniis Cladem accepit: item prope Narbonam suæ quoque Classis maritimæ destructionem inaudiit. Quare tristitia æger, lectica vectus, domum repetiit. Verumtamen apud fauces Montium Pyreneorum ab hostibus obsessus, rursus plurimo suorum sanguine viam sibi facere coactus, sub iter planè animam egit ann. 1285. 45. Quem Papa *Honorius* IV. sic doluit, ut omnibus, pro Anima ejus Orationem Dominicam dicturis, decem dierum indulgentiam dederit. *Ibid.*

PHILIPPUS IV.

Cognomine *Pulcher*, Patrem excipiens, cum Angliæ Rege *Eduardo* Burgundiæ causâ acerrimo bello collisus, metuebat pariter *Adolphum* Cæsarem, Anglo fœderatum, Regnúmque Arelatense à se repetentem: hostem tamen haud sensit, tametsi centenis millibus Marcarum contra se conductum. *Dec. X.* j. 44. E converso Dux Austriæ *Albertus*, missis Oratoribûs, cum eo Armorum societatem inivit. 45. Constitutio *Bonifacii* Papæ VIII. ne Clerus universus totius Orbis ulli Regum, aut Principum, quidquam pendat, Sede Sanctâ non jubente, aut permittente, terribiliter obstrepentibûs Politicis, maximè Francicis, fax funestissima fuit infandæ discordiæ, Sacerdotium inter & Gallicum Regnum Seculo sequenti succensæ. 48. Papa Regi subsidia Cleri permisit, & Pacis cum Anglo procurandæ causâ vetuit Germaniæ Principibus, *Adolphum* Cæsarem contra Gallos juvare: quin jussit, eundem potiùs impedire. 53. Ann. 1298. Pontifex, Arbitriô ad se delatô Pacem inter Galliæ & Angliæ Reges composuit, Nuptias pactus inter *Eduardum* II. Angliæ Regium Principem, & *Elisabetam* Gallicam, *Philippi* Filiam. Hoc Connubium, plures post annos initum, nunc quidem bellum restinxit, postea verò tantò vehementiùs accendit, Anglis in Galliæ Throno succedere volentibûs. 58. Ann. 1299. *Albertus* I. Cæsar fœdus cum *Philippo* Rege, & Sponsalia Primogeniti sui *Rudolphi* cum Sorore Regis *Blancha* solemniter pactus est, Nuptiis alteroanno Parisiis fastu Regio actis. 77. 82.

CLASSIS. VI.

Hispaniarum Reges, videl. Aragoniæ, Castiliæ, Lusitaniæ sive Portugalliæ.

I. ARAGONIÆ REGES.

PETRUS II.

Aragonum Rex. Soror ejus erat *Constantia*, Uxor *Emerici*, Regis Ungariæ: deinde nupta *Friderico* II. Imp. & Regi Siciliæ. *Dec. I.* j. 21. Adjuvit *Alfonsum* Castellæ Regem contra Mauros, reportatâ prodigiosâ Victoriâ ann. 1212. *Dec. II.* j. 6. *sqq.* A *Raymundo* Comite Tolosano inescatus, prætentâ politicâ causâ effectus Albigensium Patronus, pro eis tuendis aciem eduxit, sed inter primos cecidit ann. 1213. *Dec. II.* j. 18. ij. 9.

JACOBUS I.

Petri Filius minorennis, cæso Patre, ne mortem ejus ulcisceretur, à *Simone* Comite Montfortio in Galliis Regiâ custodiâ detentus, in captivitate sua concepit propositum, fundandi Ordinem pro Redemtione Captivorum, qui postea nomen tulit *B. Mariæ V. de Mercede.* Liber dimissus fuit in Regnum suum, jubente *Innocentio* III. Papa, ann. 1215. *Dec. II.* ij. 17. Virtute Alcantariensium, & Calatravensium Militum Cisterciensium, Baleares Insulas Majoricam & Minoricam obtinens, novum ibi Episcopatum è voto instituit ann. 1230. *Dec. III.* ij. 21. Interfuit Concilio Lugdunensi Galliæ ann. 1274. *Dec. VIII.* j. 30. Post præclarissima Acta ad extrema deveniens, *Petro* natumaximo Aragoniæ, *Jacobo* juniori Filio Balearicum Regnum ultro ac liberè cedens, ipse, sumta Veste Cisterciensi, se *Bernardo* Abbati Populetano, & Ordini integrè tradidit, viam ad Monasterium sub obedientia Abbatis ingressus: sed sub iter febri consumtus, & Populeti sepultus ann. 1276. §. ij. 20.

PETRUS III.

Jacobi I. Filius major. Eidem adhuc Regio duntaxat Principi, tanquam Propinquo suo (cùm haberet Uxorem *Constantiam*, Filiam Siculi Regis *Manfredi*, qui erat Nothus *Friderici* II. Imperatoris) *Conradinus* Suevus, Neapoli capite plexus, Jus suum ad Regnum Siciliæ, cum Chirotheca sua, & Annulo Regio transcripsit ann. 1269. *Dec. VII.* j. 43. Quare, Rex factus, infando Consilio procuravit Siculas Vesperas, i. e. Occisionem Gallorum omnium in Sicilia cum pulsu Vesperarum cœptam, ac crudelissimè perpetratam ann. 1282. ipso cum Classe jam parata Si-

Siciliam statim occupante. Hujus ob facti atrocitatem à *Martino* IV. Papa diris omnibûs notatus est, Regnis ejus, Aragoniâ & Valentiâ, publicatis, Francisque ad eorum occupationem provocatis. *Dec. IX. j.* 9. Sed ipse Siciliam contra *Carolum* Regem Gallum Neapolis fortibûs armis propugnans, obtulit ei, pro causæ decretoria decisione, vel parvam cum paucis velitationem se utrisque Ducibûs, vel planè singulare certamen. Papa verò utrúmque vetabat. 25. Heros fortissimus *Rogerius Laurea* à *Carolo* Rege ad Aragonios deficiens, *Carolum* ejus Filium clade maxima affectum, cepit, Siculorum votó jam Capitis damnatum, & ad reddendas *Conradino* vices ense percutiendum, nisi *Constantia* Regina intercedens, eum *Petro* Regi Marito suo captivum in Aragoniam transmisisset ann. 1284. 33. A Francis in Aragonia impugnatus Rex, eisdem in Valle Catalaunia cladem gravem inflixit. Ipse tamen saucius, quia mox curata vulnera incauto motu iterum rupit, ex profluvio sanguinis extinctus est, compunctus, & ab anathemate exolutus, quantum in illo articulo fieri potuerat, ann. 1285. 44.

Alfonsus III.

Natu major *Petri* Filius, Patri in Aragonia successit, eámque adversus Gallos tuendam suscepit, invito *Honorio* IV. Pontifice, qui eum diris devovit: uti & *Jacobum* Fratrem ejus, cum *Constantia* Matre Siciliæ Regnum propugnantem. Sed hic nonnullam submissionis formam apud Papam prætulit. *Decad. IX.* j. 62. Ambo Fratres, dimisso quidem è captivitate *Carolo* II. Rege Neapolitano, attamen Siciliam retinentes, novo anathemate perstricti sunt à *Nicolao* IV. Papa ann. 1289. *Jacobus*, qui Siciliam tenuit, etiam Neapoli inhians, à Rege *Carolo* II. an. 1290. maritimo prelio rejectus, ab hoc biennales inducias, invito Pontifice, obtinuit. 89. Cum *Alfonso* tractavit Papa, Aragoniæ Regnum ei permissurus, si Fratri *Jacobo* persuaderet Siciliæ dimissionem, vel armîs eum ad hoc compelleret. Sed obiit Rex ann. 1291. *Dec. X. j.* 1.

Jacobus II.

Successit *Alfonso* III. Fratri. Cum eo *Bonifacius* VIII. Papa ita composuit, ut Aragoniam teneret, *Caroli* Neapolitani Regis Filiam duceret, Siciliâ abscederet. Sed Siculi, nolentes jugum Gallicum, Fratrem ejus *Fridericum*, quem ipse Siciliæ Proregem constituerat, Regio diademate ornârunt an. 1295. *Dec. X.* j. 44. Rex *Jacobus* Romæ Sororem suam nuptui dedit *Caroli* II. Neapolitani Regis Filio *Carolo*. Ipse à *Bonifacio* Papa Regna Sardiniæ, atque Corsicæ, beneficiario jure recepit, & Signifer Ecclesiæ dictus est. 53. Hortante Pontifice, Classem adversus Fratrem *Fridericum* cum *Carolo* II. Neapolis Rege conjunxit, prelióque navali superatus est *Fridericus*, qui Siciliam tenuit. Ob vinculum verò Sanguinis *Jacobus* eum elabi permisit, ante tempus cum Classe domum reversus. 73.

II. REGES CASTILIÆ.

Alfonsus VIII.

Sanctii III. Regis Filius, Rex ab ann. 1158. à Saracenis Afris, quos alii Mauros dicunt, per Albigenses excitatis, gravissimam cladem pertulit, ann. 1195. *El. X.* 4. Quam, & alia damna ulturus, impetravit ab *Innocentio* III. Papa prædicationem Crucis pro Hispania, illuc etiam per Gallias tendente *Leopoldo* VII. Austr. Duce. Interim Rex, cum Aragoniæ & Navarræ Regibus fœderatis, an. 1212. ingentem & prodigiosam de barbaris Victoriam retulit, Austr. Duce seriùs adveniente, & merè gratulatoriè. *Dec. II.* j. 6. sqq. Obiit an. 1214. Successore Filio *Henrico*; qui an. 1217. absque hærede decessit.

Alfonsus IX.

Filius *Ferdinandi* II. qui erat Patruus *Alfonsi* VIII. tenebat Regnum Legionis, defunctoque *Henrico*, Aragoniæ Regnum, hæreditate ad se devolutum, permisit Filio suo *Ferdinando* ann. 1217. Ipse porro moriens ann. 1230. Regno Legionis terribilem discordiam consevit, dum supremis tabulîs Filias ex prima Conjuge, quam dimittere ex thoro debuerat, attamen prædilecta, Filio *Ferdinando*, ex altera Conjuge suscepto, præposuerat. Sed Mater Filiarum *Tarasia*, sive *Theresia*, è Monasterio accurrens, ignem feliciter sopivit, persuadens Filiabus, ut Fratri cederent. *Dec. III. ij.* 22.

Ferdinandus III.

Filius *Alfonsi* IX. primùm Castellæ Rex an. 1217. deinde à morte Patris ann. 1230. etiam Legionis, *Sanctiæ* Lusitanæ Principis connubium secum urget an. 1221. Illa verò præveniens, in Parthenone Cellas dicto, & à se constructo, Velum Cisterciense festina suscepit. *Dec. III. ij.* 1. Rex Mauris, ope Militiarum Cisterciensium de Avisio, & Calatrava, Regiam Urbem Hispalim sub an. 1248. eripuit, aliásque præclaras de eis Victorias retulit. *Dec. V.* ij. 16. Obiit ann. 1252.

Fer-

ALFONSUS X.

Patri *Ferdinando* in Castilia & Legione successit ann. 1252. electus quoque Romanorum Rex ann. 1257. contra *Richardum* Anglum. Cognomen tulit *Sapientis*. Ann. 1257. *Eduardum* Regium Angliæ Principem in Castilia apud Parthenonem Cisterciensem S. Mariæ Regalis Gladio militari accinxit, eique Sororem suam *Eleonoram* Conjugem tradidit. *Dec. VI.* ij. 12. Imperii Romani sibi asserendi causâ quid pertentaverit, vide *Class.* I. hujus Tab. II. Eidem renunciavit ann. 1275. Obiit an. 1284.

III. REGES PORTUGAL.

ALFONSUS I.

Comes Lusitaniæ, sive Portugalliæ, deinde 5. Maurorum Regibûs uno prelio victîs, à populo Rex acclamatus sub an. 1139. novum Regnum *S. Bernardo*, & Claraevalli suæ, tributarium fecit ann. 1143. *El. VIII.* j. 11. 12. Eripuit Mauris præpotentem Urbem Scalabim precibûs S. Bernardi, & nuncupatô voto condendi Abbatiam Cisterciensem. Unde postea struxit Alcobaciam. Ope quoque Cruce signatorum à Mauris vindicavit Lisabonam, & Almeriam. *El. VIII.* ij. 7. 8. Præter Alcobaciam duodecim aliorum Cisterciensium Cœnobiorum Fundator, semperque Gloriosus pro Fide Pugil, dum Victor ex Boecia Mauris erepta rediret, sub iter ægritudine correptus, piam & laureatam animam efflavit sub ilice Arbore ann. 1158. Eo defuncto Successionis ergò Regnum divisum erat inter *Sanctium* & *Ferdinandum* Filios, prævalente primo. *El. VIII.* iv. 18.

SANCTIUS I.

Filius *Alfonsi* gravem vastationem patiturà Saracenis Afris an. 1195. *El. X.* 4. Supremis tabulis Ordini Cisterciensi, quem tres ejus Filiæ, *Tarasia*, *Sanctia*, & *Mafalda* professæ erant, permunificè testatus est. *Dec. II.* ij. 3. Obiit ann. 1212.

ALFONSUS II.

Sanctii I. Filius moriturus ann. 1223. æquè in Cistercienses voluntate ultima regiam contestatus est Munificentiam, inter eos Alcobaciæ requiem postulans, trésque Ordinis Abbates Executores Testamenti constituens. *Dec. III.* ij. 5. Successit ei *Sanctius* II. natu major Filius, an. 1244. depositus.

ALFONSUS III.

Frater *Sanctii* II. dejecti, ob Episcopos graviter vexatus Censuris Pontificiis diu laborans, moribundus tandem resipuit, à *Stephano* Abbate Alcobaciæ Cisterciensi anathemate solutus ann. 1279. *Dec. VIII.* ij. 24.

DIONYSIUS.

Filius *Alfonsi* III. à multis ædificiis dictus *Fabricator*, inter hæc etiam construxit Parthenonem Cisterciensem de Odivelas. *Dec. X.* ij. 23.

CLASSIS V.

Italiæ Reges, videl. Siciliæ, Neapolis, Sardiniæ, Corsicæ.

Hæc Regna, in extrema parte Italiæ sita, marique adjacentia, vel integræ, vel semi-Insulæ sunt: è quibus licèt Neapolis & Sicilia diversa, & spatiosa sint Regna, ut unum tamen computantur sub nomine Utriusque Siciliæ. Imperatoribus Orientis à Saracenis erepta, diúque detenta, operâ tandem potissimâ Summorum Pontificum Romanorum à barbaris lapsu temporum erepta sunt, & ideo Sanctæ Sedi Romanæ feudo, censúque annuo obligata: unde Pontifices Jus quoque, eadem conferendi, aut eripiendi, sæpè exercuerunt, ac etiamnum inde annuum Censum percipiunt. In eorum recuperatione Normanni quidam Comites, *Robertus Guiscardus*, & *Rogerius* I. fortiter adlaborârunt: quorum posteri etiam Regiam Dignitatem occupârunt, invitîs tamen Imperatoribûs Romanîs.

ROGERIUS II.

Filius *Rogerii* I. Siciliæ Regni Coronam primus è Normannis accepit ann. 1129. confirmatus ab Antipapa *Petro Leonis*, dicto *Anacleto* II. quem contra *Innocentium* II. legitimum Papam pertinacissimè tuitus est, idcirco ab ipso, & *Lothario* Cæsare impugnatus. *El. VII.* j. 6. Mortuo *Anacleto* eligi curat *Gregorium* Antipapam, statim verò humiliatum. 7. Internecinum *Conradi* III. Cæsaris hostem *Guelfum* auro stipendiariô ad bellum fovit, timens à Cæsare Coronæ suæ. *El. VIII.* j. 20. Ejus auxiliô, cùm nihil opis Cæsar præstaret, *Eugenius* III. Papa Romanos expugnat. 17. Galliæ Regem *Ludovicum* VII. Græcorum captivitate *Rogerius* liberum fecit, cum eo fœdus depactus, 18. Obiit an. 1154.

GUILELMUS I.

Patri *Rogerio* II. successit. Quem agnoscens *Hadrianus* IV. Papa, *Fridericum* I. Cæsarem offendit. *El. VIII.* iv. 19. Obiit an. 1267.

GUILELMUS II.

Excepit Patrem in Solio. Papam *Alexandrum* III. cum *Friderico* I. Imp. concordiam initurum, Classe sua Venetias conduxit ann. 1177. Ipse quia Longobardis fœderatus erat, pro se inducias à Cæsare obti-

obtinuit: Papam iterum Romam reduxit. *El. IX.* j. 10. Petente Cæsare, non permisit Germanos, Cruce signatos, mare transire. ij. 7. Italis verò commodissimum se præbuit, semperque commeatum in Palestinam submisit. Moriturus absque Filio, *Friderici* I. Imp. Filium *Henricum* Rom. Regem, Amitæ suæ *Constantiæ* Maritum, Regni Hæredem scripsit. Ipso verò defuncto ann. 1189. Siculi *Tancredum* Spurium elegerunt: unde turbæ Regni. 10.

TANCREDUS.

Nothus *Rogerii*, & à Siculis intrusus, ann. 1190. ambos Reges, *Philippum* Galliæ, & *Richardum* Angliæ, Classes in Orientem simul ducturos, maximis officii generibus excepit. Sed *Richardum*, qui dotem Relictæ *Guilelmi* II. Regis *Johannæ*, suæ Sororis, hostiliter extorsit, coacto è provincia auro placare debuit, sic ab eo legitimus Rex agnitus: cum quo & fœdus inivit, atque Nuptias pepigit, in summam *Henrici* VI. Imp. injuriam, cui Sicilia debebatur. *El.IX.* ij. 17. Venit ergò Cæsar ann. 1191. Romà digrediens à Coronatione sua, cum Conjuge, & milite maximo, magnam Apuliæ partem occupavit. Invaluit autem lues in exercitu ejus, & coactus est reverti celeriter, capta etiam Uxore Augusta. 20. Obiit verò *Tancredus* jam ann. 1192. eúmque *Rogerius* Filius natu major præcessit in mortem.

HENRICUS VI. Imp.

Anno 1194. vindicatâ sibi tota Siciliâ acerrimam de Magnatibus Normannis pœnam repetiit, *Asperi* Cognomen inde referens. Relictam *Tancredi*, ejúsque Filium natu minorem *Guilelmum*, captivos in Germaniam abduxit. *El. X.* 4. Ann. 1197. Siciliam revisens, ibi defunctus est, Successionem *Friderico* Filiolo relinquens. 11.

FRIDERICUS II. Imp.

Infans licèt, attamen à *Cœlestino* III. Papa coronatus est Siciliæ Rex, & ab *Innocentio* III. institutus. Ann. 1198. Mater ejus *Constantia* Augusta defungens, Filioli tutelam, Regnique Administrationem *Innocentio* Papæ commisit, acceptatam ab eo, & per Legatos actam, Siculis in Sacramentum fidelitatis adactis, & *Marcuvaldo*, qui Regnum invadere nitebatur, diris proscripto, atque etiam armis depulsô. *Ottone* Imp. in Ecclesiam immorigero, nec emendato, Papa *Friderici* Siculi Electionem in Germania procuravit: cujus Acta vide *Class.* I. hujus Tab. II. Obiit Florentiolæ in Apulia ann. 1250.

CONRADUS Rom. Rex.

Defuncto *Frider.* II. absque Reconciliatione publica, *Innocentius* Papa IV. qui eum sicut Imperio Romano, ita pariter Regno Siculo cum anathemate dudum dejecerat, modis omnibus contendit, Filium ejus *Conradum*, se invito dictum Roman. Regem, à successione excludere, jámque cœpit Siciliam armis occupare. Sed *Manfredus*, Nothus *Friderici* Imp. vicissim arma corripiens, Utrámque Siciliam à defectione continuit, eâmque *Conrado*, in Italiam venienti, totam pacatam reddidit ann. 1252. *Dec. VI.* j. 7. Nihilosecius, postquam novus hic Rex, ordinato Regnô, anno 1254. Germaniam repetiturus, subitô morbô interiret, *Manfredus* in suspicionem procuratæ mortis apud plurimos venit. *Ib.* 20.

MANFREDUS.

Reliquit *Conradus* Filiolum quasi infantem *Conradum*, qui cùm ultra juventutem non adolevisset, vulgò scribitur per diminutionem nominis *Conradinus*. Hunc Papa hæredem Siculi Regni non agnoscens, Siciliæ, jam Anglis, deinde Gallis Principibus oblatæ, magnam partem suo Milite denuo occupavit. Dissimulabat *Manfredus*, clam interim collecto exercitu: quo parato, Ducem Ecclesiæ, & Legatum Apostolicum anno 1254. acie contrivit, & Regno expulit. *Dec. VI.* j. 20. Quo toto, nomine *Conradini* pueri, à se primùm in fidem recepto, desiderium cepit, Coronam, jam semel ac iterum suo periculo pro aliis vindicatam, &, nisi adulto sub Rege, tutam futuram, ipse gestandi. Sparsit itaque, quod fertur, *Conradinum* in Germania demortuum esse, Nunciisque Regni, qui veritatem inquirerent, auro corruptis, fructus venenatos, quasi donaria pro Puero, si viveret adhuc, dedisse. Quam fraudem præmonita Regia Mater *Elisabeta* fraude nova elusit, Puerô alio substitutô: quo comedente, & mortuo, Legati reduces, *Conradini* mortem toti Regno de visu affirmârunt. Unde factum, ut *Manfredo* se universa Sicilia traderet. 33. Papam *Alexandrum* IV. excitata Romæ Seditione, fugere, secúmque pacisci compellebat. *Ibid.* Ann. 1259. Regia Mater, submisso in Siciliam gravi quodam & facundo Abbate, toti Regno in publicis Comitiis, præsidente *Manfredo*, nunciari jussit, *Conradinum* vivere, ac postulare Regiam sui Proclamationem, & fidei Sacramentum. Contradicens *Manfredus*, Abbatem reducem capi, & occidi jussit. Ipsum verò Papa pro Usurpatione Regni anathemate feriit. 35. Quare Saracenos

cenos in Campaniam immisit, & Romæ tumultum fovit. *Dec. VII*, j. 1. Pacem offerens, non cessavit interim occupare ditiones Ecclesiæ. 19. Defuncto *Urbano* IV. novum Papam *Clementem* IV. qui absens in Gallia electus fuerat, vel prohibere Italiâ, vel capere, viis omnibus obsessis, voluit, immutato habitu demum penetrantem. Romam frustra obsidens, *Carolum* Andegavensem, destinatum à Papa Siciliæ Regem, in Urbe existentem, provocavit in aciem: ne hic iret, Papa prohibuit. 24. Postquam verò coronatus, & exercitu Gallico auctus fuit *Carolus*, ab Urbe digressus, *Manfredum* apud S. Germanum acie contrivit: profugum apud Beneventanam Urbem penitus prostravit, ipso occiso, & Conjuge capta ann. 1266. 28.

Conradinus

Conradi Regis Filius, ipso verò defuncto ann. 1254. tener adhuc puerulus, Sueviæ Dux, & Siciliæ scriptus à Patre Hæres, à Papa non agnitus, à *Manfredo* vitæ insidias passus, Regnóque exclusus fuit. Post quem illud, largitione Pontificum, & armorum victoria, *Carolus* Gallus Andegavensis occupavit. *Dec. VI. j.* 20. 33. 35. *Dec. VII. j.* 1. 19. 24. 28. Germaniæ Principes, Æmulorum *Richardi* & *Alfonsi* Roman. Regum pertæsi, cogitârunt de *Conradino* eligendo: quod *Urbanus* IV. Papa, ab *Otocaro* Bohemiæ Rege sibi proditum, anathemate vetuit ann. 1262. *Dec. VII. j.* 17. Ann. 1267. *Carolo* jam in Sicilia regnante, *Conradinus*, avitum Regnum revindicaturus, florenti cum exercitu Italiam petiit, Comitibûs *Ludovico* Electore Palatino Fratre Matris, & *Meinhardo* Comite Tirolis, quem iterum duxerat Mater, item *Friderico* Austriaco, Filio *Hermanni* Marchionis Badensis, quondam Ducis Austriæ, atque *Gertrudis*. In Italia magna ejus Factio, & præcipuè Romæ, ubi in partibus ejus erant *Henricus* & *Fridericus*, Fratres *Alfonsi* Castellæ Regis electi Imperatoris. *Dec. VII.* j. 30. Pontifex *Clemens* IV. totis ei viribûs obnisus, progressum armatum vetuit, Juris duntaxat viam offerens. Non auditus, *Conradinum*, omnéque ubilibet locorum Adjutores] ejus, diris perculit. 31. Progressus *Conradinus*, Romæ quasi ritu Imperatoris exceptus, Italorum copiis admodùm auctus, déque Siculorum propè omnium affectu certus, Regis nomine, Sigillo, ac Potestate usus, cum *Henrico* Aragonio, gemino agmine in Apuliam tetendit, Apparatu suo nullibi splendidius explicato, quàm ubi Viterbium ante oculos Pontificis pertransiret. Sed hic, benedictionis locò, multiplicavit execrationes, interitu prædicto: quibûs ante jam territus Elector Palatinus, Bavariæ Dux, Avunculus *Conradini*, licèt maximè necessarius, & in hunc Comitatum adpromissâ sibi Sueviâ conductus, retrocessit. *Carolus* Æmulo obvius, Agmina tria eduxit, duo tamen solummodo à fronte objiciens, tertio cautissimè in insidiis collocato. Coortô prelio, vicit uterque Imperator, *Conradinus* & *Henricus* Aragonius, quisque sui loco, tertii tamen Agminis *Carolini* latentis improvidi penitus, & ignari. Dum ergo *Conradinus* prædæ incumbit, iterum *Carolus* tertio Agmine irruit, & *Henrici* accurrentis compositam turmam per suorum quosdam palantes, fugámque simulantes Manipulos dissolvit, reliquo exercitu, cujus nulli sanguini pepercit supra modum cruentam Victoriam retulit. Infelices juvenes Principes, fugâ quidem elapsi, sed viæ oberrantis tutum exitum non reperientes, dum cymbâ nauticâ salutem quærerent, Annulum Vectori pro pecunia tradere coacti ad emendam Annonam, pretio ejusdem proditi, à *Joanne Frangipano* capti, atque *Carolo* Regi extraditi sunt ann. 1268. 38. - 40. Qui eos Neapoli in publico foro securi percuti jussit, *Conradino* antea Jus omne, cum chirotheca sua & Annulo Regio, in *Petrum* Aragoniæ Regium Principem Propinguum suum transcribente, Anno 1269. 43. 44.

Carolus I.

S. *Ludovici* IX. Galliæ Regis Frater, Comes Andegavensis, utriusque Siciliæ Regnum, à pluribus Pontificibus in se collatum, & à *Manfredo*, atque *Conradino* Æmulis iterum iterúmque sibi victricibûs armis assertum, jam sibi tutissimum opinabatur. Antea Supremus Romæ Senator, postea Rex constabilitus, hoc Munus deposuit. Triumphator de *Conradino*, non acerbas modò, verùm etiam crudeles pœnas de ejusdem Siculis Fautoribus reposcebat, eapropter à Pontifice haud leviter perstrictus. De captis Principibus quid statueret, Annum totum in speciem consulit. Percussionem eorum suasisse *Clementem* Papam IV., & *Otocarum* Bohemiæ Regem, vulgò traditur. 40. - 42. Eadem facta Neapoli anno 1269. ex qua *Carolus* invidiam Orbis terrarum, & *Sanguinarii* convitium retulit. Circumstantiæ facti. 43. 44. A morte *Clementis* Papæ *Carolus* in Italia, uti *Otocarus* in Germania, summa cum libertate agebat. Condixerat cum S. *Ludovico* Rege Fratre ad expugnandum Tunetum: dum verò moram traheret, pestis ante Urbem S. Regem abripuit. Ipse

Ipse demum adveniens, Urbi barbaræ jamjam dedendæ, præter omnium exspectationem pacem dedit. Redux, ad Siciliæ litora Classem suam naufragam habuit. Romæ autem triennalem propè Cardinalium discordiam in eligendo Pontifice seria adhortatione abrupit Anno 1271. *Dec. VIII. j.* 1. Vicarius Imperii à Pontifice antea constitutus, *Rudolpho I.* Imperatori petenti Hetruriam reddere tergiversatus, arma cogitabat, quem *Gregorius* Papa X. ab iis desistere monuit. 33. Pergebat attamen, Regníque Arelatensis partes non exiguas detinebat. Ne bellum fieret, plures intercesserunt Pontifices: donec *Nicolaus* III. pactis Nuptialibûs inter *Clementiam* Cæsaris Filiam, & Nepotem Regis *Carolum*, Principem Salernitanum, Concordiam efficeret. 92. Anno 1281. iterum Romæ Supremi Senatoris Munus administravit, & à *Martino IV.* Papa Defensor Italiæ in partibus Ecclesiæ constitutus est. *Dec. IX. j.* 1. Anno 1282. acciderunt crudelissimæ Vesperæ Siculæ, Francis omnibûs in Sicilia cæsis, Regnúmque hoc *Carolo* à *Petro* III. Aragoniæ Rege ereptum est. 9. Armîs Æmulum depellere conatus, parvulæ Velitationi paucorum se Duce, aut singulari suo cum *Petro* Rege certamini, jamjam committere volebat, nisi Papa vetâsset, nihil studii pro eo omittens. 25. Ann. 1284. captus ab Aragoniis ejus Filius *Carolus*, voluntate Siculorum jamjam capite plectendus erat, tanquam hostia *Conradini*, nisi Regina *Constantia* intercedente, Regi Marito in Aragoniam transmissus esset. 33. Improspero rerum successu mœstus *Carolus*, ex morbo, Christiana admodum, quod ferunt, morte decessit ann. 1285. Regni Administrationem pro capto Filio, quem non admodum doluisse scribitur, *Roberto* Comiti Atrebatensi, Filio Fratris sui, committens. 42.

Carolus II.

Prioris Filius, captus ab Aragoniis Ann. 1284. Pacta ejus pro eliberatione ann. 1287. jam confecerat *Eduardus* Angliæ Rex, & ipse rata habebat: Rescidit autem *Honorius* Papa IV. quia Ecclesiæ damnosa. *Dec. IX. j.* 70. Alter annus per *Nicolaum* IV. Papam novis pactis totus extractus. 74. Hîs tandem conclusîs ann. 1289. liber *Carolus*, Romæ Utriusque Siciliæ Rex coronatus est: Aragonii verò Siciliam retinuerunt, novis propterea diris à Pontifice notati. 79. Ann. 1290. *Carolus* vicit *Jacobum* Aragonium, qui Siciliam tenuit, dum etiam Neapoli inhiaret, navali prelio: victoriam tamen haud prosecutus, biennales inducias cum Æmulo, summè invito Pontifice, pepigit. Causa ei fuit, quòd occiso *Ladislao* Ungariæ Rege, cujus ipse Sororem Conjugem habebat, cuperet natum ex ea Filium suum *Carolum*, quem apellabant *Martellum*, ibi Regem fieri: qualem ipsum publicè proclamari, ac coronari fecit, Regnum tamen non ipse, sed Filio demum ejus obtinente. 89. Anno 1293. è Gallia Redux, cum *Carolo* Filio mox dicto Romam adiens, Cardinales, Electionem Pontificis rursum in semialterum annum extrahentes, ad concordiam hortatus est. *Dec. X. j.* 34. Filio *Jacobus* II. Aragoniæ Rex nuptui dedit Sororem suam. 53. Anno 1299. Cum Socia hujus Regis Classe navali prelio divicit *Fridericum*, qui Siciliam tenuit. Hic tamen, à Fratre *Jacobo* Aragoniæ Rege elabi permissus, reparatis viribus, *Philippum* Principem Tarentinum, *Caroli* Regis Filium, terrâ superavit, & captivum abstraxit. 73. Regis *Caroli* Nepotem *Carolum Robertum* ex Filio *Carolo Martello*, Papa *Bonifacius* VIII. Regem Ungariæ dixit, *Andrea*, qui ibi regnabat, solummodo ut Regni Administratore tolerato. *Carolus*, quamvis adhuc puer, postulantibûs Magnatibûs pluribus, nihilominus jam in Ungariam submissus. 74. Anno 1300. *Carolus* Rex Pater *Fridericum* Siculum classe denuo repulit: terrâ verò ipse rursum contritus est. 81.

Petrus.

Rex Aragoniæ hoc nomine III. Cùm ei, adhuc Regio Principi, ut Propinguo suo, *Conradinus*, Neapoli capite plectendus ann. 1269. cum Annulo suo Regio Jus omne in Siciliam transcripserit, Rex factus, ann. 1282. Auctor fuit crudelium Vesperarum Sicularum, & Siciliam classe parata occupavit: quam Filio natuminori *Jacobo* concessit. Vide *Class. II. in Regg. Aragon.*

Jacobus.

Rex Aragoniæ hoc nomine II. *Petri* Filius, tenuit Siciliam, donec Pater, & Frater *Alfonsus* natumajor viverent, & regnarent: deinde ann. 1291. eisdem in Aragoniæ Regno succedens. Vide *Class. II.*

Fridericus.

Frater *Jacobi* Regis natuminimus, & Siciliæ Prorex ab eo constitutus, donec cum *Carolo* II. Neapolis Rege pacisceretur: ubi eidem Sicilia restituenda erat. Sed Siculi, Gallorum dominatum aversati, coronârunt *Fridericum*, bis mari victum, terrâ Victorem.

Sardiniæ Rex Entius.

Nothus *Friderici* II. Imp. eidem omnium propè Filiorum charissimus, quia audaciâ simillimus, & manu strenuissimus, ab ipso Sardiniæ Rex proclamatus fuit. Longobardorum plurimis annis flagellum, ann. 1241. Classis Pisanæ Archithalassus, Præsules ad Concilium Lateranense

rauense mari tendentes, cæpit. *Dec. V. j.* 1. Anno 1249. à Bononiensibus captus, quidquid Pater ejus eliberatione tentaret, dimissus non fuit, donec squalore carceris interiret. 92.

Jacobus.

Aragoniæ Rex hoc nomine II. dum Anno 1295. Siciliam cederet, à Papa *Bonifacio* VIII. Regna Sardiniæ, atque Corsicæ, beneficiario jure recepit, præterea Ecclesiæ Signifer dictus. *Dec. X. j.* 53.

CLASSIS VI.

Angliæ Reges.

Henricus II.

Primus Gallicæ Stirpis Andegavensis in Anglia Rex ab anno 1154. Motu proprio *Thomam* Cancellarium suum nominat Archiepiscopum Cantuariensem: sed ob defensionem Ecclesiasticæ Libertatis Regno expellit sub Ann. 1164. *El. VIII. iv.* 33. Hujus partes cùm teneret *Alexander* III. Papa, Rex ab eo recessit ad *Paschalem* Antipapam, idque *Friderico* I. Imp. missis Legatis nunciavit. *Ibid. V. j.* Cistercienſibus omnibus in Regno suo ultionem comminatus est, nisi *Thomas* Archiepiscopus Pontigniaci hospitio dimitteretur. 12. Inde apud Galliæ Regem versatum Archipræsulem revocavit in Angliam, paulò pòst ibidem gladiis impiorum ipsa in Ecclesia trucidatum. A quo nefando crimine, sibi imputato, Rex postea sententiâ Legatorum Pontificis inquirentium absolutus fuit. 24. Cum Rege Galliæ collisus armis, sancita, mox rupta, & iterum resarta pace, Crucem pro Oriente suscepit, condicta cum *Philippo* Rege Galliæ profectione; quam vero Mors inhibuit Anno 1189. *El. IX. ij.* 5. 9.

Richardus I.

Cognomine *Cor Leonis*, alter *Henrici* II. Filius, cùm vivente Fratre natumajore *Henrico*, spem Coronæ non haberet, nec Principatu satis amplo pro ambitione sua donaretur, Patri tam Regni quam Vitæ insidias, insuper habitis Apostolicis diris, tetendit. Defuncto autem Primogenitô ante Patrem, & hoc septenniô postea in mortem secuto, ipse in Regnum succedens ann. 1189. ne à Fratre residuo *Joanne* pares turbas pateretur, eidem tertiam ferè Regni sui partem concessit: quo non extinxit, sed accendit ambitum ejus. *El. IX. ij.* 9. Cum *Philippo* Galliæ Rege apud Siciliam convênit, ut simul junctis Classibus Orientem Cruce signati peterent. *Tancredus* Usurpator Siciliæ Ann. 1190. nulli officio in eis excipiendis pepercit: sed *Richardus*, cui non sola Crux Domini propugnanda, sed multa suæ fortunæ provectio pariter animo sedit, postulata Sororis *Joanne*, Relictæ *Guilelmi* II. Regis Dote, tumultum concitavit in Siculis & Anglis, ut Messina Urbs prorsus hostiliter fœderaretur. Pacem *Tancredus* auro ingenti, à subditis coacto, emere debuit. Tunc *Richardus* eum Regem agnovit, fœdus cum eo pactus, promissis nuptiis firmatum, in summam novi Imperatoris *Henrici* VI. injuriam, cui Sicilia debebatur. 17.

Sub has turbas indignato, & progressô Galliæ Rege, *Richardus* sequentis demum anni Vere in Palestina adveniens, Ptolemaidem expugnare juvit: ubi *Leopoldi* VI. Austriæ Ducis Vexillum, & ipsum pariter contumeliosè despexit. 20. - 33. Quàm commodè ibi rem Christianam procuraverit, & quæ ejusdem cum Rege Galliæ simultates, in utramque partem proponitur. 34. - 38. Induciis triennalibûs cum Saladino initis, reversus, auditô, quòd *Joannes* Frater ejus Regnum Angliæ invasisset, festinare cupiens, peculiari trireme Classem suam anteivit, mutata veste. Sed naufragus, & in partes Aquileiæ rejectus, terrâ iter prosequebatur. Ubique verò insidiatores habuit ob necem *Conradi* Marchionis Montferatensis, sibi imputatam. Capti hic, & ibi, ferè omnes ejus Comites: ipse ægerrimè elapsus. Tandem, ignarus Regionis, in Austriam delapsus est, & Viennæ proditus, captúsque. Inde ad Cæsarem à *Leopoldo* Duce adductus: reductus iterum: tandem petenti Imperatori extraditus: & ab ipso custoditus. Prolixè & variè hæc omnia multorum calamo narrata. *Ibid. §. iij.* 5. - 17.

Capita accusationis apud Imperatorem ei objecta: Fœdus cum *Tancredo* Siculo: Cyprii Regni venditio: *Conradi* Montferatensis procurata cædes: cum *Saladino* collusio, & impeditio, ac Contumelia Cruce signatorum. 18. - 23. Ope Abbatum Cistercienſium ex Anglia submissorum Pacta ab Imperatore consequitur, quæ ipse ut optima, sibique charissima, propriis literis deprædicavit. 24. - 26. 29. Eundem Regnum Angliæ Cæsari clientelare fecisse fallit. 30. 31. Beneficio autem ab eo accepit Regnum Arelatense, sive Provinciæ. 31. Lytrum ejus quantum, & quomodo pactum. 32. Qua ratione eapropter totius Angliæ Ecclesiæ spoliatæ credi debeant. Dæmonis confessio in hac re. 34. 37. Liberatio Regis retardata per *Joannem* Fratrem ejus, & *Philippum* Galliæ Regem. 38. 39. Tandem facta Anno 1194. 40.

Re-

Reginæ Matris *Alienor* terribiles Literæ ad *Cœlestinum* III. Papam, ut Cæsarem, Ducémque Austriæ propter captivitatem Filii Regis anathemate feriret. §. *iv*. 2. Rex ipse jam liber apud Papam pro ultione pariter institit. Eapropter utrique, nisi lytrum acceptum restituerent, accipiendum remitterent, intentatæ Diræ. 12. Defuncto Austriæ Duce, Rex ejusdem Filios pari modo ad restitutionem compelli, à Papa flagitavit. *El. X.* 3. Sed interea obiit, igne sacro exustus ann. 1198. *Init. Regim. Leopoldi VII. n.* 2.

JOANNES.

Regis *Richardi* Frater, & eo in Palestina absente, atque in Germania capto, Regni Invasor, cum redeunte tamen compositus, ac tandem ei succedens, Cognomen tulit *sine Terra*, quia vitiô suô sub finem Regno privatus est. Clerum summum & imum gravissimè afflixit, & *Stephanum* quoque Archiepiscopum Cantuariensem fugere compulit: qui cùm in Pontigniaco hospes esset, Rex eapropter Cistercienses in Regno suo durissimè habuit. Nihilominus tamen postea per eos, dum à Papa anathemate percussus, & Regno dejectus esset, hujus gratiam quæsivit. *Dec. II. ij.* 11. A *Philippo* Galliæ Rege, cum *Ottone* IV. Imp. aliisque fœderatus, ad Bovinas internecinam cladem pertulit ann. 1214. *Dec. II. j.* 19. Obiit, contemtus ab omnibus, ann. 1216. Filio tamen *Henrico* ejus comendatione in Regem suscepto.

HENRCUS III.

Filius *Joannis* Regis ei statim successit ann. 1216. Frustra conabatur Sororem suam desponsare *Henrico* Roman. Regi, Filio *Friderici* II. Imp. *Dec. III. j.* 17. Perduelles Franciæ fovens, ipsum Regem *Ludovicum* IX. irritavit in arma. Sed bellum *Guilelmus* III. Archiabbas Cistercii, commissione Apostolica *Gregorii* IX. Papæ, feliciter avertit. *§. ij.* 17. Ejus Fratri *Richardo* Comiti Cornubiæ *Innocentius* IV. Siciliæ Regnum obtulit, armîs à *Conrado* Suevo vindicandum: qui illud non acceptavit. *Dec. VI. j.* 15. Papa *Alexander* IV. eandem Coronam Siculam conferre voluit in *Edmundum* Filiolum ejus Puerum, si ipse *Manfredo* Usurpatori eandem eripere voluisset: quod votum denuo irritum fuit. 24. Primogenitum ejus *Eduardum* Castellæ Rex *Alfonsus Sapiens* ann. 1257. Militari balteo accinxit, eíque Sororem suam *Eleonoram* Conjugem tradidit. *Dec. VI. ij.* 12. Anno 1264. à subditis rebellibus, cum Filio *Eduardo*, & Fratre *Richardo* electo Rom. Rege, captus fuit. *Dec. VII. j.* 21. Sed elapsus *Eduardus*, cum suppetiis, quas, rogatu *Clementis* IV. Papæ, S. *Ludovicus* IX. Rex è Gallia submiserat, rebelles prostravit, cæso *Simone Monfortio* Antesignano, Patrémque, ac Patruum liberavit ann. 1265. 25. Obiit Rex ann. 1272.

EDUARDUS I.

Patre *Henrico* III. obeunte absens in Palestina, Anno 1274. Reversus Regnum iniit. Ann. 1287. Arbiter electus, Pacta pro liberando *Carolo* II. Neapolis Rege captivo jam confecerat cum *Alfonso* III. Aragoniæ Rege: rescissa tamen à Pontifice, quia Ecclesiæ incommoda. *Dec. IX. j.* 70. Burgundiæ causâ cum *Philippo* IV. Galliæ Rege acerrimè collisus, fœdus junxit cum *Adolpho* Cæsare, centenis Marcarum millibus eidem persolutis, ut in Gallos pugnaret. Sed hic, tanto stipendio conductus, nihil egit. *Dec. X. j.* 44. Anno 1298. *Bonifacius* VIII. Papa, Arbitrio ad se delato, Pacem inter utrosque Reges restituit, mediô Nuptiarum inter *Eduardum* II. Regium Angliæ Principem, & *Elisabetam* Francicam *Philippi* IV. Filiam. Quæ verò cùm Regni Galliæ, Fratre non superstite, hæres fieret: hoc Connubium, plures demum post annos factum, belli flammam, quam nunc quidem restrinxerat, lapsu temporum vehementissimè iterum succendit, *Eduardo* in Gallia succedere volente. 58.

CLASSIS VII.

Reges Ungariæ.

HUNNORUM DUCES.

Anno 933. *Hunni* (postea à nonnullis *Ugri*, *Ungri*, tandem *Ungari*, aut *Hungari* dicti) ab *Henrico I. Aucupe* apud Merseburgum gravissimè contriti sunt. *El. I. j.* 6. A Bojis variè. *§. ij.* 3. Ab *Ottone I.* Imp. Ann. 955. apud Augustam Vindelicorum clade tam decumana affecti sunt, ut redire deinceps in Germaniam ausi non fuerint. *Ibid.* 5. 6. Austriam tamen Dux eorum *Ursus*, dum viveret, quietam esse non permisit. 6. Mitior *Geisa*, armorum locô suis mercimonia persuasit, partem tamen Austriæ usque Mellicum retinuit. Idem factus Christianus. 7. 8. 11. Ungari per *Leopoldum Illustrem* Austriæ Marchionem ann. 979. Mellicô, non tamen omni Austria ejecti. 11. 12.

S. STEPHANUS I.

Geisæ jam Christiani Ducis Filius, Patri successisse scribitur ann. 997. Primus Ungariæ Rex coronatus ann. 1000. diademate è Cœlis destinato, & Româ per *Sylvestrum* II. Papam, ab Angelo præmonitum, transmisso, additô *Regis Apostolici* Elogiô. Is, obtenta nuper à Christianis Jerosolymâ, magno numerô in Palestinam tendentibus Peregrinis commodissimum se præbuit. *El. II. ij.* 3. Im-

Impetravit Corpus S. *Colomanni*, sed invitô DEO, ideòque cum honore in Austriam remisit ann. 1017. *Ibid.* 5. Bellum ei Bavariæ hæreditandæ cusâ subortum cum *Conrado* II. Cæsare, prodigiô, ut volunt, sublatum est ann. 1030. *El. III.* 1. 5. - 7. Obiit ann. 1038. S. *Emerico* Filio ante ipsum defunctô. *Ibid.*

Petrus.

6. *Stephani* ex *Gisela* Sorore Nepos, eidem successit Anno 1039. *El. III.* j. 2. *ij.* 2. Regnô pulsus ab *Ovone*, confugit in Austriam: cui *Adalbertus* Marchio impetrat gratiam *Henrici* III. Cæsaris. 3. Qui *Petrum* restituturus, an. 1042. cum armis Ungariam aggressus, vicit *Ovonem*: Ungaris verò *Petrum* nolentibûs, illum tamen Regem esse permittit. Sed insolentem denuo debellat ann. 1044. & à suis occiso rursus *Petrum* substituit. 4. - 14. Quem *Andreas* & *Levenza* Propingui rursum pellunt, ex fuga retractum oculis privant, anno altero in carcere mortuum 1047. *§. iij.* 1. - 4.

Ovo.

Patria dialecto *Aba*. Ad eum Ungari, quibus *Petrus* invisus erat, hoc pulso defecerunt ann. 1040. Vincitur ab *Henrico* III. Imp. ann. 1042. Sed ipso se valdè humiliante, & Ungarîs *Petrum* respuentibûs, permittitur ei Regnum, cum etiam Dona daret: quæ inter *Adalberto* Austr. Marchioni insignem S. Crucis Portionem obtulit, ab eo deinde Mellicii repositam. Gratiâ autem Cæsaris insolescens, subditis durus evasit, Religionem Christianam tollere voluit, & *Petrum* Æmulum persequens, Austriam invasit, fortiter tamen repressus. Anno 1044. iterum à Cæsare victus, à suis planè occisus fuit. Fallit, eum Cæsari Austriam infra Cetium dono dedisse: quam *Adalbertus* Marchio ense laureato vindicavit. *El. III. ij.* 2.-14.

Andreas I.

Cum *Levenza* Fratre ab Ungaris ad idololatriam pronis instigati, surrexerunt adversus *Petrum* Regem: quem fugâ elapsum retraxerunt, oculis privârunt, & in Levenza carcere obire fecerunt. Paulò pòst, defunctô, coronatus est *Andreas* Aňo 1047. Impugnatus ab *Henrico* III. Cæsare, quia, è promisso *Petri* Regis, ipso defuncto Ungariæ Regnum ad Imperium Romanum redire debuerat, ejus invasiones, subtractis pabulo & annonâ, incassas reddidit: postremùm, quia rem Christianam benè & salubriter procuravit, interventu *Leonis* Papæ IX. cum Cæsare præsentis, Regni veniam obtinuit, ejúsque Filiolo *Salomoni* Imperator Filiolam suam *Sophiam* Sponsam adpromisit anno 1052. *El. III. iij.* 1. - 4. Rex Fratrem *Belam*, concessa ei tertia parte Regni, Ungariæ Ducem constituens, qui mos ad sequentes etiam Reges dimanavit, perpetuæ discordiæ semina jecit. Expertus id est, mox ut Filiolum *Salomonem* coronari fecit Anno 1058. Contra hunc enim Regnum sibi asserere *Bela* statim contendit. Armîs ergo ab hoc correptîs, Rex Filiolum in Austriam transmisit ad *Ernustum* Marchionem, unacum Corona, atque Thesauro Regio ann. 1060. Ipse anno altero in Fratrem duxit: sed infeliciter pugnans, equô decidit, equorum ungulis contritus. *El. IV. ij.* 1. - 4.

Bela I.

Occumbente *Andrea* Fratre, Regnum brevi gaudio capessebat ann. 1061. Altero Anno *Salomonem* Æmulum, Coronam, atque Thesauros repetiturus, Austriam armatus adoriebatur, fortiter ab *Ernusto* Marchione repressus. Instaurandi porro exercitûs causâ Comitia congregans, subitâ domûs ruinâ graviter contritus, anno tertio 1063. obiit. *Elog. IV. ij.* 5.

Salomon.

Filius *Andreæ* Regis. Eidem adhuc tenero Adolescenti, jam vivente Patre coronato, par ætate *Henricus* IV. Roman. Rex Sororem *Sophiam* in Austriam adduxit, eúmque cum exercitu in Ungariam reductum, ibidem sine pugna instituit, cùm Filii *Belæ* per omnia obsequentes essent, ann. 1063. *El. IV. ij.* 6. Sed Ungaris non ferentibûs, Regem sibi à Germano Cæsare impositum esse, stimulârunt *Salomonem*, ut *Belæ* Filiis *Geysæ* ac *Ladislao*, probis & innocentibus, quasi Æmulis, vitæ insidias tenderet, eósque Armis persequeretur. Qui cùm coacti Polonorum & Bohemorum subsidia cogerent, Regémque iteratis victoriis contererent, pro vita, non Regno, decertantes, Ungari *Salomonem* inertiæ causâ repudiantes, reluctantem *Geysam* acclamârunt Regem, & coronârunt ann. 1074. Quo defunctô sub anno 1077. Fratrem *Ladislaum* ei subrogârunt. *Salomon*, implorata *Ernusti* Austr. Marchionis ope, vicit aliquando, sed non debellavit. Unde *Henricum* IV. Imp. denuo implorans, ei Regnum tributarium fore spopondit, si in illud restitueretur: eapropter à *Gregorio* Papa VII. reprehensus. Venit Imperator, sed nihil profecit: neque *Salomon* semel dejectus, Regnum deinde recuperare potuit. Quare rerum humanarum tandem pertæsus, clam omnibûs in solitudinem se recepit, vel Eremita factus, vel Monachus? An in S. Cruce Austriæ conversus, ac sepultus jaceat? Ungari eum elogio Sancti honorant. *Elog. IV. iij.* 2. - 7.

GEYSA I.

Belæ I. Filius major, à Scriptoribus non Ungaris nunquam *Geysa*, sed *Joas, Joïada, Loitsco &c.* appellatus, ab Ungaris *Pius* dictus, Coronam Regiam, quam Pater *Salomoni* præripuerat, non affectavit: sed huic manu Strenua fidele servitium exhibuit. Malevolorum tamen, qui non ipsi, sed Salomoni excidium struebant, apud Regem de ambitu delatus, & ab ipso innocens ad necem quæsitus, arma tandem non pro Regno, sed pro vita corripere compulsus est. Quæ cùm feliciter gereret, Votum Ungarorum implevit, qui à *Salomone* deficere statuerant, & ab iis invitus, plurimúmque reluctans, raptus est ad Regnum ann. 1074. semper ad abdicandum pronus, si permissus fuisset. Rexit benè, à *Salomone*, adjutore Cæsare *Henrico* IV. semper vexatus, nunquam superatus. Obiisse scribitur sub ann. 1077. *El. IV. iij.* 2. - 6.

S. LADISLAUS I.

Frater *Geysæ* I. Regis, cum eodem paris animi boni, & officii fuit in *Salomonem*, parem tamen ab hoc persecutionem sustinuit. Vitâ sua armis vindicatâ, post Fratrem ann. 1077. Rex esse coactus fuit. *El. IV. iij.* 2. - 6. In discordia perniciosissima *Gregorii* Papæ VII. & *Henrici* IV. Imp. stetit à Pontifice fidelis. *El. V. iv.* 5. Subditos ad idololatriam pronos, ut antea Frater, immisso Milite in Religione continere debuit. Croatiæ atque Dalmatiæ Regna Ungariæ acquisivit. Bellis in barbaros vicinos perpetuò Victor, prodigiosis actis, & eventibûs claruit. Regnum suum effecit Marianum, & Beatissimæ Virginis Iconem, cum elogio *Patronæ Ungariæ*, primus Monetæ Aureæ Ungaricæ intulisse refertur. Moriturus, inter duos ex Fratre *Geysa* Nepotes, juniorem *Almum* successioni designabat, ob spem de eo ampliorem: Ungari tamen malô suô *Colomannum* Seniorem prætulerunt. Obiit Rex pio agone ann. 1095. & hodie Cultu SS. publico per totum Regnum honoratur. *El. V. iv.* 20. *VI. j.* 2.

COLOMANNUS.

Filius natu major *Geysæ* I. corpore indecorus, animo non formosior, successit Patruo S. *Ladislao* ann. 1095. *El. VI. j.* 2. Mox anno sequenti Cruce signatis, per Ungariam tendentibus, transitum negans, fortiorum, vi sibi viam facientium, arma in se proritavit, innumeris aliis redire compulsis, & egestate pereuntibûs. *El. V. iv.* 20. Inter eum, & *Almum* Ducem, Fratrem ejus Natu minorem, discordia ingens malorum insusurratione succrevit, ut *Almus* in Austriam ad *Leopoldum Pium* Marchionem confugere deberet. Imploratus ab eo *Henricus* V. Imp. Ann. 1108. cum exercitu in Ungariam venit: cujus metu *Colomannus* Rex, absque pugna, cum Fratre composuit. Ast iterum abruptâ concordiâ, eum, & Filios ejus excæcari jussit, ut Regno inepti fierent. Ipse finitimos omnes, extra Austriam, armis vexavit, cædens, ac cæsus: donec inquietus obiret ann. 1114. *El. VI. ij.* 1. - 3.

STEPHANUS II.

Colomanni Filius, ampliùs, ac Pater, vicinis omnibus populatione gravis, Austriam quoque Annis 1117. & 1118. infestans, generosè repressus est à *Leopoldo Pio* Marchione: qui ann. 1119. adjuncto sibi Bohemorum Duce *Stephanum* in Ungariam usque persecutus, ei talionem rependit, Castrúmque Ferreum succendit. *El. VI. ij.* 11. 12. Moriturus Cucullam, pœnitentiæ signum, induisse fertur: Obiit ann. 1131.

BELA II.

Colomanni Regis Nepos ex Fratre *Almo*, à Patruo unacum Patre oculis privatus & ideo *Cæci* Cognomen habens, à *Stephano* Rex nominatus, benè, nec infeliciter gubernavit, Ungariam Urbibûs ornans, & Ramæ Provinciâ augens. Æmulum, & infestum *Borichium* habuit, qui se *Colomanni* Regis Filium, *Stephani* II. Fratrem dixit, ab Ungaris tamen ut Regius Princeps nullo tempore agnitus, & contra *Belam* non valens. Obiit Rex ann. 1141. *El. VIII. j.* 21.

GEYSA II.

Belæ II. Filius, æquè ut Pater, *Borichium* Æmulum habuit. Cui cùm opitulari velle *Conradus* III. Cæsar videretur, *Geysa* largo & perpetuo aurô *Guelfonem* stimulavit, ut arma irremissa Cæsari inferens, eum ab Ungaria invadenda detineret. *El. VIII. j.* 21. Deinde *Borichio* copias quasdam equestres in Austria suis pecuniis conducente, & per easdem Posonium expugnante, *Geysa* Urbem quidem revindicavit: ratus autem, has copias nutu *Henrici* Austriæ Principis directas esse, bellum eidem denunciavit. Mox ingenti cum exercitu veniens, & antea in Castris per Episcopos Ense accinctus, maximè arduo prelio etiam vicit Anno 1146. 25. 26. Dum *Fridericus* I. Imp. proposuisset Expeditionem in Ungaros, iterum *Geysa* Principes, ne consentirent, Aurô præviè expugnavit. §. *iij.* 2. Obiit Rex ann. 1161. *§. v.* 5.

STEPHANUS III.

Geysæ II. Filius Patri successit, mox verò à Patruo *Ladislao* extruditur. Sed à *Friderico* I. Imp. Viennæ in Austria comorato, cui aurum plurimum porrexit, & Clientelæ professionem adjecit, restitutus, eique *Agnes*, Filia *Henrici* Austriæ Ducis, de-

desponsata fuit ann. 1166. *El. VIII. v.* 5. 6. Fœdus iniit, & bello diuturno coluit cum *Emanuele* Græcor. Imp. adversus Venetos pro Dalmatia recuperanda. 27. Patruus *Ladislaus* denuo contra eum insurgens, cito moritur. Sed hujus Frater *Stephanus* turbas instauravit: quem acri prelio vicit ope *Henrici* Austriæ Ducis Soceri sui Anno 1172. 29. 30. Proficiscentem in Palestinam *Henricum Leonem* Bavariæ & Saxoniæ Ducem, quem *Henricus* Austrius comitabatur, excipere volens, ipsa nocte, qua advenerant, obivit ex veneno, Patrui fraude sibi porrecto, anno 1173. ipso criminis Authore paulò pòst pariter in mortem secuto. Reginam gravidam Dux *Henricus* Frater secum abduxit. 35.

Bela III.

Regis *Geysæ* II. Filius natuminor, *Stephani* III. Frater, revertentem è Palestina *Henricum Leonem* Ducem ann. 1174. summo cum honore excepit. *Elog. VIII. v.* 37. Sociis Bohemis in Australes pugnâsse fertur ann. 1176. 46. Cum honore excipit *Leopoldum* Virtuosum Austr. Ducem, in Palestinam profectum ann. 1182. *El. IX. j.* 19. 21. Dum *Otocarus* improlis *Leopoldo* Austrio Stiriam donâsset, primo bellum comminabatur Provinciæ causâ, quam Ungari olim sibi detractam querebantur, nunc pro parte ad se redire cuperent. §. ij 10. Obiit ann. 1196. *Init. Regim. Leopoldi VII. n.* 7.

Emericus.

Belæ III. Filius natumajor. Frater eidem *Andreas* fuit, manu strenuus, multisque in expeditionibus utilis, sed Regni cupidine, quàm Religionis ardentior. Unde injunctam sibi à Patre *Bela* sui locò Expeditionem in Palestinam omisit, & grandes thesauros in hanc rem datos Coronæ potiùs, sibi vindicandæ, impendit. Fratri tamen Regi non prævalens, & iram ejusdem veritus, fugit in Austriam: quem *Emericus* hostiliter persequens, repulsus est à *Leopoldo* VII. Duce ann. 1199. *Init. Regim. Leopold. VII. n.* 7. 8. 9. Pax per Præsules facta, per cujus pacta *Leopoldus* Dux Ungariam administrare, ambo verò Fratres Palestinam adire debuissent, illo deinde, qui rediret, imperaturo. 10. 11. Sed neuter ivit, & brevì rupta eorum concordia: *Andreas* in carcerem datus. Moriturus tamen *Emericus* (quem alii *Henricum* scribunt) eum Filiolo *Ladislao* Tutorem dedit, ipse decedens ann. 1204. *Dec. I. j.* 17.

Ladislaus II.

Filius *Emerici* Puer, vivente Patre coronatus, Patruum *Andream*, sibi Tutorem datum, Æmulum potius & insidiatorem habuit. Unde Mater *Constantia* cum eo, Corona, & Thesauris, elapsa est in Austriam. *Andreas* arma corripuit, quæ pariter *Leopoldus* Austr. Dux opposuit: bellum avertit mors Pueri Regis ann. 1205. *Andrea* jam legitimo Rege: cui Corona cum Thesauris extradita, Regia Mater in Aragoniam Patriam conducta fuit. 19.-21.

Andreas II.

Belæ III. Filius, *Emerici* Frater, cognomine *Jerosolymitanus*. Uxor ejus *Gertrudis* gladio sicarii, atque linguæ occisa, pro Marito Rege cecidit ann. 1213. *Dec. II. ij.* 18. Rex in Palestinam duxit, unde ei Cognomen. 35. Spem incassam concepit obtinendi Imperii Græcorum. 38. 39. E Palestina ante tempus, nec sine convitio rediit. 45. Adductam Filio suo *Belæ* Conjugem *Mariam*, ab eo rursum repudiari voluit. Quam Filius, reclamantibus Episcopis, denuo in thorum recipiens, incurrit iram Patris, eámque veritus, in Austriam se cum Conjuge recepit, tutus per *Leopoldum* VII. Ducem. Parata utrinque arma: bellum Papa prævertit ann. 1224. *Dec. III. j.* 12. 14. Rex *Andreas*, suæ Nurùs repudiatam à *Friderico* Austr. Duce Sororem ulturus, *Premislai* Bohemiæ Regis irruptionem in Austriam, & Nobilium Austriacorum seditionem, fœdere procuravit ann. 1231. *Dec. IV. j.* 5. 12. Anno 1233. ipse in Stiriam, & Austriam irruens: ibi vicit, hìc victus, pacem rogare compellitur. 33. 34. Anno 1234. ab Austriæ Duce invitatus, adfuit Nuptiis *Constantiæ* Sororis ejus, unacum *Bela* Filio suo. 39. 42. Anno 1235. senex licèt, & æger, ipse tamen adhuc nupsit *Beatrici* Estensi, paulò pòst obiens, ipsâ gravidâ relictâ: quæ Privignum verita, in Italiam Patriam fugit. 49.

Bela IV.

Regis *Andreæ* II. Filius, *Friderico* Austriæ Duci, Nuptiis Patris præsenti, lividus erat ob favorem Ungarorum, qui eum Regem optabant. *Dec. IV. j.* 44. Suis enim ipse sic exosus erat, ut *Fridericum* semel, iterum, ac tertiùm, submissis Nunciis, ad Regnum invitarent. Qui, cupidine Regni imprudenter allectus, Ungariam cum exercitu silenter ingressus, condictam seditionem exspectabat. Quæ cùm, Regi re prodita, non fieret, Dux iratus vastabat, Rege cum exercitu grandi superveniente. Congredi Dux volens, nullo pacto suos, ut starent, adigere potuit. Quare profugos Rex insecutus, inclementer usque Viennam populabatur, non desistens, donec Auro plurimo pax emeretur, ann. 1236. 52.-54.

Anno 1241. Tartari, Regnis aliis vastatis, irruperunt in Ungariam, quæ, propter receptos, & nimio favore protectos à Rege

Rege Cumanos, vehementi diffidio sciffa fuit. Unde *Bela*, Reginâ cum thesauris in Austriam præmissâ, Ducem in auxilium vocavit, *Dec. V. j. 7.* Venit ille cum paucis, & velitandô barbaros vicit. Cumanorum verò Rege *Cuthene* in aciem vocato, ut adversus Tartaros pugnaret, plebem autem Ungaram in se concitatam timente, ipse in Urbe sua, Ductore *Friderico* Austrio, sic impugnatus est, & se ipsum cum Reginis occideret. 8. Regi *Belæ* indignatus *Fridericus* II. Imp. quòd fœdus cum ipso non coleret, auxilium eidem contra Tartaros negavit, & Cruce pro Ungaria signatos Germanos illuc duci prohibuit. 9. Clade itaque decumana à Tartaris prostratus, occiso etiam Fratre *Colomanno*, ægrè ipse fugâ elapsus est. 10. Evasit in Austriam, quod alii aliter, aliterque enarrant. Ibi à Duce perhumanè primùm exceptus, mox auro & monilibus omnibus multatus est, in compensationem vastationum anteriorum, quas Austriæ intulerat, & auri, quo Duci Pacem vendiderat. Debuit præterea insignem Ungariæ portionem, Austriæ Vicinam, Duci concedere. Quod licèt multùm inhospitale fuerit, necessitate tamen præsenti, & eventu felicissimo, qui ipsi Regi utilis fuit, excusari debere videtur. Dux enim Regem in Dalmatiam conducens, undique conscriptis auxiliis, Tartaros Viennam accedentes, solo sui exercitus conspectu sic terruit, ut festini retrocederent, omni Germaniâ pavore im̃enso liberatâ, & ipsi *Belæ* spe revertendi in Ungariam factâ. 11. - 13.

Regni hujus miserrima facies ann. 1243. quo *Bela* redivit, cum nonnullis Equitibus Rhodiis, & Frangipanibus Nobilibus. In Austria volens arma ostentare, quasi in ultionem *Agnetis* Meraniæ Ducissæ Propinquæ suæ, nuper à Duce repudiatæ, Duce optimé comparato pacatus abscedere debuit. 26. 30. - 33. Anno 1245. fœdere icto, Regem Bohemiæ, Ducémque Carinthiæ in Austriam provocavit, ambos devictos. 54. 55. Ann. 1246. ipse iterum Austriam adortus, post internecinam cladem terga jam verterat: cùm Dux *Fridericus* Victor, immoderata fugientes persequendi cupidine in fatum impulsus, cum duobus tantùm Comitibus, cæteros è suis omnes antevolavit. Ubi equó ejus per telum Cumani cujusdam prostrato, ipse dejectus à *Frangipane* quopiam pone oculum perfossus est. Accurrentes Austriaci rursum quidem vicerunt: sed Ungaris mors Ducis omni triumpho præstantior fuit. 61. *sqq.*

Ab hujus interitu, inchoante fatali Austriæ Interregno, *Bela* Rex cum Ungaris & Cumanis propè per singulos annos in Austria & Stiria vastavit, atque prædatus est, homines quoque in servitutem abducens, ut Regno suo novum populum induceret. 83. 93. 97. 100. Mortuo *Hermanno Badensi*, qui se brevi tempore uti Ducem gesserat, cùm videret Conjux ejus *Gertrudis*, Provinciales, neglecto Filiolo suo, *Otocarum* Bohemum in Ducem eligere, jus ad Austriam, quod opinabatur suum esse, *Belæ* Regi consignavit ann. 1251. novi Mariti promissum ab ipso referens. *Dec. VI. j. 6.* Stiriis *Ottonem* Bavariæ Ducem ad Regimen invitantibus, is absque *Belæ* consensu non ausus est Provinciam acceptare. Rex porro Stirienses potiùs Filio suo *Stephano* larga vi auri conciliavit, & Bavarum fœdere sibi adjunxit. *Ibid.* 2. 5.

Anno 1253. *Bela* Rex denuo Austriam atque Moraviam graviter populabatur, & plurimam Stiriæ partem occupavit. Inducias fecit Mors *Premislai* Bohemiæ Regis, Patris *Otocari*: item *Ottonis* Bavar. Ducis. *Ibid.* 16. 19. Has excepit ipsa Pax ann. 1254. Stiria *Belæ* concessâ. 21. 22. Ducem ejusdem constituit *Stephanum* Filium: cui verò Stirii, clam eos fovente *Otocaro*, semper refractarii erant. Renitentium facta ab eo expugnatio Petovii. 34. *Belæ* Regi aut fœdus pangendum, aut novam irruptionem denunciârunt Tartari: Papa in eos Crucis prædicationem spopondit. 35. A Stiriis Ungari unanimi insurrectione cæsi, vel expulsi, advocatô *Otocarô*: quapropter *Bela* grandem exercitum instruxit anno 1259. 36. Anno 1260. ad Leytam fluvium ab *Otocaro* decumanam cladem accepit, Castra perdidit, & Victori, Posonium usque grassanti, per pacta Pacis universam Stiriam cedere debuit, Filio etiam suo juniori *Belæ* Nepte *Otocari* in Sponsam depactâ. 38. - 42.

Anno 1261. Tartaros, Ungariam iterum adorientes, inflicta ingenti clade repulit. Viennæ postea, pacis cum *Otocaro* plenè confirmandæ ergò, cum Filiis *Stephano* & *Bela* comparens, pertimuit apparatum *Otocari*, clam effugiens, postquam eidem Neptem suam *Chunigundim* novam in Conjugem spopondisset. *Dec. VII. j.* 3. 4. Filio Nuptias in Austria fecit ann. 1264. 22. Stiriæ nihilominus inhians, captâ novi belli causâ, iterum arma ostendit, pacante eum, ut poterat, *Otocaro*, qui tunc in Carinthia occupanda versabatur. Interea defunctus est Rex Anno 1270. 48.

STEPHANUS IV.

Belæ IV. Filius, qui compluribûs Annis Patri jam coronatus convixit, idcirco Rex junior dictus. Mox Patre defuncto bellum instaurans, *Otocaro*, per Stiriam in Austriam ituro, insidias tetendit, & iis proditis, Austriam vastavit ann. 1270. *Dec. VII. j.* 48. Anno altero consimili ratione pergens, præcipuè in Moravia sævviit: donec *Otocarus* ex Austria subitò in Ungariam irruens, par

pari

pari confertâ mensurâ referret, Socru tandem furorem ejus ploratibûs fœmineis avertente. Tum Pax inter utrúmque Regem tanta specie religionis coaluit, ut mutuo consensu anathema incurrere deberet, qui prior eam violaret. *Dec. VIII.* j. 3. 4. Obiit *Stephanus* ann. 1272. 5.

LADISLAUS IV.

Impubes Filius *Stephani* V. cujus pueritia túrbis regni intestinis statim copiam fecit. Seditiosis, nonnullis jam ad *Otocarum* confugientibûs, jam iterum deficientibûs, cæsóque per eos *Bela* Duce, qui Frater erat *Chunegundis* Reginæ Bohemiæ, & Posonio, quod *Otocarus* tenuit, Ungaris tradito, rupta fuit pax Regum. *Otocarus* bellum indixit, Ungari populatione Austriæ prævenerunt, statim verò repulsi, domique suæ castigati ann. 1272. *Dec. VIII.* j. 5. Ann. 1278. *Otocaro* pacem cum *Rudolpho* I. Imp. confectam statim abrumpente, Cæsar *Ladislaum* Ungarum in fœdus vocavit, qui ei 20. millia adduxit, Victoriæ præsens. 78. Cæsar in Bohemiam progressus, Cumanos modum non servantes, cum Ungaris dimisit. 87. Reversus *Ladislaus*, & Cumanis in detrimentum Religionis nimiùm favens, valde præterea incontinens, Legato Apostolico Budæ Synodum inhibuit: Monitione tamen *Rudolphi* Imp. aliquantulum resipuit. 92. Relapsus, incursum Tartarorum sustinuit, sævientium, donec imbribûs nimiis ferè omnes delerentur. Sed Regem spreverunt subditi tumultuantes, Stiriámque pariter & Austriam vexantes sub an. 1286. *Dec. IX.* j. 67. Rex *Ladislaus* occisus fuit à Cumanis sub an. 1290. Filio destitutus. 89. Unde *Carolus* II. Neapolis Rex, cui Soror *Ladislai* Conjux erat, susceptum ex ea Filium *Carolum*, cognomine *Martellum*, Neapoli Regem Ungariæ proclamari, & coronari fecit, nunquam tamen regnantem. Ungari Magnates Venetiîs advocârunt *Andream*, Regis *Andreæ* II. *Hierosolymitani* Nepotem traditum. Alii in *Wenceslaum* II. Bohem. Regem, alii in *Ottonem* Bavariæ Ducem, è Filiabus anteriorum Regum progenitos, propendebant. *Rudolphus* I. Imp. Ungariam sub tutela & fide Imperii constitutam asserens, ejus Administrationem *Alberto* I. Austr. Duci Filio suo commiserat. Omnibus verò *Nicolaus* IV. Papa, missô Legatô, intercessit, ajens, hoc Regnum, tanquam Apostolicum, Sanctæ Sedis Ordinationi subjectum esse. *Dec. X.* j. 3.

ANDREAS III.

Traditus *Andreæ* II. dicti *Hierosolymitani* Nepos. Qua ratione in Austriam, inde in Ungariam venerit, variæ diversorum relationes. Item cur in Austriam exercitum duxerit, immo, an duxerit, an ostentaverit solummodo, vel vastaverit cum eodem? An Filiam *Alberti* Ducis *Agnetem* bonis, an violentis pactis consecutus fuerit, maximæ ambiguæ Narrationes *Dec. X.* j. 10. - 15. Ann. 1296. fertur Dux Austriæ ad eum venisse, eique Filiam nuptui dedisse, & cum eo adversus *Iwanum* Ginsiensem pugnâsse. 51. An. 1298. *Andreas* Viennæ præsens cum *Wenceslao* Bohem. Rege, Filio ejus *Wenceslao* Filiam suam *Elisabetam* despondit, postea tamen non ductam. 60. Cùm Filio careret, futuræ Successionis ergò soliciti Magnates plurimi, Romæ à *Bonifacio* VIII. Papa Regem postulárunt. Qui eis petitum *Carolum Robertum* Neapolitanum, *Caroli Martelli* Filium, ex Avia Regio Sanguine Ungarico clarum, designavit ad Coronam, etsi adhuc Puerum, statim tamen submissum. *Andream* Papa ut Administratorem tantummodo Regni agnovit. 73.

CLASSIS. VIII.

Duces & Reges Bohemiæ.

BORIVORIUS II.

Filius *Wratislai* II. primùm Ducis, deinde Regis post *Bretislaum* II. Fratrem Dux Bohemiæ ann. 1100. eodem anno duxit *Heilwigem* Sororem S. *Leopoldi* Austr. Marchionis: ter depulsus à Propinguis, aliquamdiu custodiæ datus, deinde in Polonia, demum in Ungaria exul, ubi malorum finem obeundô fecit an. 1124. *El. V.* iij. 4. Ejus Pater, adhuc Dux, antehac an. 1082. cum Fratribus, *Ottone*, ac *Conrado*, ab *Henrico* IV. Imp. à Papa proscripto in *Leopoldum* III. Austr. Marchionem, ejúsque Provinciam immissus fuit, vincens primùm, altero autem anno victus. *Ibid. iv.* 6. - 14.

SOBIESLAUS I.

Borivorii II. Frater, & post eum, intermedio seniori Fratre *Uladislao* I. an. 1125. Dux Bohemiæ, *Leopoldo* V. Marchioni Austriæ, ac Duci Bavariæ, Filiam suam *Mariam* Conjugem dedit an. 1138. *El. VII.* j. 9.

ULADISLAUS II.

Filius *Uladislai* I. Ducis, à Patruo *Sobieslao* I. pro Successione commendatus *Conrado* III. Cæsari, ab hoc renunciatur Dux sub ann. 1138. eique *Gertrudis*, Filia S. *Leopoldi* Austr. Marchionis, desponsatur. Successit, & Conjugem duxit sub ann. 1140. Vitæ ejus Epitome. *El. VI. vij.* 13. - 19. Peculiariùs deinceps referuntur sequentia. Dejectus à *Conrado* Moraviæ Marchione Propinguo, restituitur à *Conrado* III. Cæsare an. 1142. *El. VIII.* j. 6. An 1144. Cruce pro Oriente signatur. §. ij. 1. An. 1156. promulgavit in Curia Ratisbonensi Privilegium *Friderici* I. Imp. quo Austriam in Ducatum erexit. §. iij. 22.

Anno 1158. Cum Imperatore in Italiam profectus, ante Mediolanum obsessum optimè meretur. §. iv. 10. 12. 13. Regia propterea Dignitate auctus, *Adalbertum* Filium suum eligi vidit primùm Episcopum Pataviensem, & mox Archiepiscopum Salisburgensem Anno 1168. §. v. 18. Consenescens, pietatis causâ apud Strahoviensem Canoniam Præmonstratensem, quam ipse fundavit, privatus habitans, Administrationem Regni Filio *Friderico* commisit. Quod pro colore assumens *Fridericus* I. Imp. ne Pater Filium *Adalbertum*, quem pro fide erga *Alexandrum* III. Papam Archiepiscopatu Salisburgensi dejicere statuerat, juvare posset, eum Regno privavit, & *Sobieslaum* Bohemis Ducem dedit ann. 1173. 38. Obiit ann. 1174.

SOBIESLAUS II.

Filius *Sobieslai* I. Ducis, ob graves antea molitiones adversus *Uladislaum* II. diuturna custodia clausus, ann. 1173. per *Fridericum* I. Imp. liber factus, Dux Bohemiæ institutus est. *El. VIII. v.* 38. Mox, instinctu Cæsaris, cum *Conrado* Marchione Znoimæ, Carnisque, ac Stiriis fœderatis, pugnat in *Henricum* Austr. Ducem, qui *Adalberto* dejecto Archiep. Salisburgensi opitulari metuebatur. Bellatum tribùs annîs, & vehementiùs, ac Cæsar voluerat, Austriâ gravissimè ac barbarè vastatâ, usquedum *Henricus* Dux obiret. Quapropter Cæsar *Sobieslao* graviter indignabatur, ut etiam Ducatu depelli eundem permitteret, ann. 1178. *Ibid.* 43. 44. 46. 47. *El. IX* j. 13.

FRIDERICUS.

Filius *Uladislai* II. Regis, favore *Friderici* I. Imp. Pragâ depulit *Sobieslaum* II. ipse Dux Bohemorum ann. 1178. *El. IX. j.* 13. A *Sobieslai* Filiis *Wenceslao* & *Udalrico* graviter infestatus, confûgit ad *Leopoldum* VI. Austr. Ducem, cujus, & Fratris *Adalberti* Archiep. Salisburgensis auxilio Bohemiam revindicavit sub an. 1186. *Ib.* 30. Obiit an. 1190.

PREMISLAUS II.

Filius *Uladislai* II. Frater *Friderici* ressumsit Regium Nomen, constanter deinde à Successoribus retentum: primus præterea tulit *Otocari* Cognomen, quod meliùs *Ottogar* scriberetur vernacula dialecto Germanica, ut idem sonet, ac *totus Ottonis*, quòd in dissensione Æmulorum, *Philippi* & *Ottonis* Regum Romanorum, huic postremo primis annis firmissimè adhæserit. Postea tamen ab eo descivit. *Dec. I.* j. 14. Ejus Filiolæ adhuc infanti *Fridericus* II. Imp. aliquando per jocum adpromiserat Sponsum *Henricum* Primogenitum suum: sed hic adultus alibi nupsit. *Dec. III.* j. 17. Cum *Andrea* Episc. Pragensi litigans, Viennæ compositus est per Legatum Apostolicum, & *Wernherum* Abbatem S. Crucis ann. 1220. *Dec. III.* iij. 2. Perperam traditur, eum *Uladislao* Marchioni Moraviæ auxiliatum, & Filium ejus *Wenceslaum* Austriam vastâsse, ipsámque Viennam cepisse an. 1229. *Dec. III.* j. 71.-73. Obiit an. 1230. *Ib.*

WENCESLAUS III.

Filius *Premislai*, pariter cum cognomine *Otocari*, Patri successit an. 1230. Ex fœdere cum *Andrea* Rege Ungariæ per Patrem *Premislaum* inito, non vivente, sed jam defuncto ipso, durante Chunringiorum seditione, ann. 1231. vastavit Austriam. *Dec. IV.* j. 12. 26. Dum Austr. Dux *Fridericus* an. 1233. Ultor adveniens, Oppidum Vettau occupásset, Rex cum exercitu se metu retraxit. Falsa plura in contrarium ficta. 27.-29. Ann. 1234. adfuit Nuptiis Sororis Austriæ Ducis. 39. 42. Hoc proscripto, Executorum primus fuit an. 1236. jubente Cæsare, Viennam capiens, Neostadium frustra oppugnans. Quæ vera, quæ falsa de eo tradantur. 69.-71. Abeunte Cæsare in fœdus à Duce pertractus, juvit eum in recuperanda Austria. 81. Pactis de tradenda Terra Transdanubiana non servatis, novam Austriæ vastationem inchoavit, frigoris asperitate cessare compulsus. Per hyemem confecta Pax, depactis Nuptiis inter *Uladislaum* Filium Regis, & *Gertrudim* Neptem Ducis ex Fratre. 89. 93. Ann. 1245. inductus fœdere cum *Bela* Ungar. Rege, socio Duce Carinthiæ, rursum grassabatur in Austriam: ubi victus uterque: ipse tamen nova & proxima tulit promissa *Gertrudis* pro Filio. 54. 55. Tradidit eandem Dux an. 1246. dum esset in procinctu Belli Ungarici, ubi paulò post occubuit. A morte ejus *Uladislaus*, quasi Uxorio jure, Austriam occupare cœpit: sed altero statim anno improlis decessit. 73. 74. Ann. 1251. Dum defuncto *Hermanno* Badensi, altero *Gertrudis* Conjuge, Provinciales Austriæ Nuncios in Misniam dimisissent pro Rectore, Rex eos Pragæ detinens, epulis, promissis, donis, ac minis ad pollicitationem compulit, se suis Dominis suasuros, ut alterum Filium ejus *Premislaum* in Ducem acciperent. Abeuntes Filius mox cum thesauris, & exercitu insecutus, plurimorum vota emit auro, cæteros metu in in suffragia adegit, cum pacto, ut nuberet *Magaretæ*, quondam Romanorum Reginæ, Natu maximæ Sorori *Friderici* Ducis. *Dec. VI.* j. 2.-6. Obiit *Wenceslaus* Rex ann. 1253. Ob cujus fatum *Otocarus* Filius, cum Ungaris populantibus inducias fecit. 16.

PRE-

PREMISLAUS III.

Wenceslai III. Filius, vulgarius *Ottocarus* dictus, successit Patri, qui ei Ducatum Austriæ jam stabiliverat, an. 1253. Turbæ tamen Regni, arte, ac celato aliquamdiu Paterno Funere, prævertendæ erant ob dissidia anteriora, quæ cum Patre habuerat. Unde cum Ungaris, qui Stiriam volebant, pacandi Patrii regni causâ primùm inducias, deinde etiam pacem feriit, dimissâ interim hac Provinciâ, commodiori verò tempore revindicandâ. *Dec. VI.* j. 16.-19. 21. 22. Cætera ejus Acta & fata, item occubitum ann. 1278. quære infra *Class.* XII. in *Actis Interregni Austr.*

WENCESLAUS IV.

Filius *Premislai* III. *Otocari*, Patre ann. 1278. in decretoria cum *Rudolpho* I. Imp. pugna occiso, Puer erat. Eum defensurus *Otto* Marchio Brandeburgicus Avunculus ejus, Cæsari, in Bohemiam grassanti, exercitum opposuit. Pax absque prelio confecta, ut *Wenceslaus* Boemiam atque Moraviam haberet, nuberet Filiæ Cæsaris, *Gutæ*, Sororem *Agnetem* Cæsaris Filio *Rudolpho* nuptui daret, cum jure Successionis in Regno, si ipse hæredem non haberet: *Otto* ejusdem Tutor esset. *Dec. VIII.* j. 87. Hic verò tutelam pessimè gessit, Regem ceu captivum detinuit, Regnum opibùs emunxit, attamen mercedis locò, utrique gravissimam pecuniam imperavit, pignoris locò quamplurima & optima Castra suo Milite opplens. Quæ pacta iniqua rescidit Imperator. *Dec. IX.* j. 30. Ab hoc *Wenceslaus* an. 1286. veniam ætatis, & per se regendi, cum *Guta* Sponsa obtinuit: ipse contra Sororem suam Filio Cæsaris tradens, utriùsque Nuptiis Pragæ splendidissimè actis. Dotem consecutus est Egram Urbem cum circumsitis terris, atque compluribus Misniæ, & Lusatiæ Castris. Ornatus est Electoratu, & Vicariatu Imperii, item Principatu Wratislaviæ, aliisque, primo statim anno ex Conjuge Filium referens. 63.-65.

In dote connumeratam fuisse partem Austriæ, Bohemiæ vicinam, quam ann. 1291. defuncto Cæsare repetierit *Albertus* I. Dux: eapropter *Wenceslaum* Regem corripuisse arma, sed *Gutam* avertisse bellum: in congressu, pacis ergò instituto, Ducem fraude usum esse, in cujus ultionem ei Rex postmodum in ElectioneRomana Votum negaverit: omnia fallere videntur. *Dec. X.* j. 8.9. Mutua Visitatio amica, *Alberti* Ducis Pragæ, & *Wenceslai* Regis Viennæ Regio splendore facta traditur ann. 1293. 39. An. 1297. Rex & Regina Pragæ Coronabantur pompâ ultra fidem splendidâ. 54. Decimo septimo autem die postea Regina *Guta* defuncta. Ejus laudes eximiæ. 55. Rex in Solemniis istis consensit *Adolphi* Cæsaris depositioni, & Electioni *Alberti* Austriaci. An. 1298. venit Viennam, ubi *Andreas* III. Ungar. Rex Filio ejus *Wenceslao* despondit Filiam suam *Elisabetam*, postea tamen non ductam. 60. 61. Eodem anno, *Alberto* jam imperante, splendidissimis ejusdem Comitiis Norimbergensibus adfuit, ubi Augusta coronabatur, Pincernæ munus coronatus peragens: quod ex affectu solummodo non debito, factum esse, Cæsar Diplomate fassus est. 69. 71. Dum *Wenceslaus* pro Polonia, sibi hæreditario jure debita, pugnaret, à Cæsare promissum retulit, quæcunque ibi occuparet, feudi beneficio sibi collatum iri. 86.

CLASSIS IX.

Reges Varii singulares ordine Regnorum Alphabetico.

CUMANORUM.

CUTHENES Cumanorum Rex barbarus cum suis per Tartaros è finibus Russiæ pulsus, impetravit à *Bela* IV. Ungar. Rege hospitium, ad fidem conversus, invitis tamen Ungaris. Dum postea Tartari irruissent in Ungariam, postulatus in Castra, ajebat, se ob indignationem plebis absque præsidio regio comparere non posse. Quo ampliùs irritati Pannones, Urbem, in qua degebat, tam vehementer obsederunt, ut præ timore, occisis reginis suis, ipse quoque se jugulaverit. *Dec. V.* j. 7. 8. An. 1241.

CYPRI.

ISACIUS Cypri Rex, dictus *Comnenus*, sub ann. 1191. à *Richardo* Angl. Rege, in Palestinam ducente, dejectus, captus, & argenteâ catenâ vinctus fuit, cùm ei spopondisset, ferro non esse onerandum. *El. IX.* iij. 2. Ejus Filia *Leopoldo* VI. Austr. Duci, tanquam Propingua, ex Anglia remitti debuerat. *Ibid.* 32.

DANIÆ.

VALDEMARUS Danorum Rex an. 1229. beneficum se præbuit Ordini Cisterciensi suo in regno. Fuerat hoc nomine II. *Dec. III.* ij. 20.

GEORGIANORUM.

RUSSUTANA Regina Georgiæ, quæ Asiæ Provincia est inter Maria, Nigrum & Caspium, Exercitui Cruce signatorum, an. 1224. si *Fridericus* II. Imp. in Orientem duxisset; suum quoque adjungere spoponderat, *Dec. III.* j. 13.

HIEROSOLYMÆ.

JOANNES Jerosolymarum Rex ann. 1221. cum Cruce signatis infeliciter ex

Damiata in Ægyptum progressus, ita conclusus est, ut ipsam Damiatam Saracenis reddere cogeretur. *Dec. III.* j. 4. 5. Veronæ frustra exspectabat colloquium Papæ ac Cæsaris *Friderici* II. hoc non comparente. 8. Actum id postea ad oppidum Farentinum: ubi Rex, cùm Filium non haberet, adhortante *Honorio* III. Papa, Cæsari tum Viduo Filiam suam unicam & Hæredem *Jolantham* despondit. 11. Quæ eidem nupsit ann. 1225. 16. Socerum Regem Cæsar ablegavit ad Papam, ut ei terminum Profectionis Orientalis in biennium aliud extenderet. *Ib.* Coactus à Genero Imp. se Regno Jerosolymæ abdicare, confugit ad *Honorium* Papam: qui, cùm reconciliationem frustra tentâsset, *Joannem* in magna Ditionum Ecclesiæ parte Administratorem constituit. 32.

NAVARRÆ.

SANCTIUS VII. utriusque Navarræ Rex (quod Regnum cis & trans Alpes Pyrenæas consitum in superius, quod hodie Hispani, & inferius, quod modò Galli tenent, tribuebatur) ann. 1212. *Alfonsum* VIII. Castellæ Regem in grandi & prodigiosa de Mauris Victoria strenuè adjuvit. *Dec. II.* j. 6. sqq.

THEOBALDI I. Regis Utr. Navarræ Neptem duxisse traditur *Rudolphus* I. Imp. an. 1284. quod fallere videtur. *Dec. IX.* j. 3. 5.

POLONIÆ.

MIECISLAUS II. Rex Poloniæ ab an. 1025. usque 1034. moriturus *Casimirum* Filium sub tutela Matris *Rikscha* minorennem reliquit: quam Poloni unacum Filio, regiminis fœminei pertoesi, expulerunt. *El. VI. vij.* 11.

CASIMIRUS I. Filius prioris post expulsionem suam Cluniacum in Italiam se conferens, factus est Monachus Benedictinus, ordinatus Diaconus. Poloniam verò Successionis causâ miscentibûs terribilibûs turbis, per Oratores in Regnum revocatus est, postquam *Benedictus* IX. Papa, Regno compassus, Professionem ejus Religiosam, Votúmque Castitatis, Authoritate Apostolica dissolvit, ergà conditiones nonnullas, à Rege, omníque Nobilitate Polonica, perpetuò servandas; quas inter fuisse ferunt, ut omnes attonsis capitibûs essent. Ita Regnum inire, & hæredum causâ nubere coactus est an. 1041. Amore suæ Religionis ductus, & forte à Pontifice etiam jussus, Lubæ in Silesia ad Viadrum sive Oderam (tunc enim Silesia ad Poloniam attinuit) Cœnobium Benedictinum condidit: Cæterùm Vitam suam ea pietate exegit, ut Beati elogio honoretur. Obiit ann. 1058. *El. VI. vij.* 11. Successit Filius *Boleslaus* II. Quem ann. 1081. expulsum excepit Frater *Uladislaus* I. defunctus an. 1102. Dimisit Regnum Filio *Boleslao* III. qui à distorto per morbum ore *Crivousti* cognomen tulerat, obiens ann. 1139. Hic Regnum, partitis inter Filios, *Uladislaum* II. *Boleslaum* IV. *Miecislaum* III. & *Henricum* Provinciis, in Ducatus distraxit, & immani Fratrum discordia involvit.

ULADISLAUS II. Filius natu maximus *Boleslai* III. *Crivousti* Regis, à Patre partiente Provincias optimas, in quibus & Silesia, cum præconio Supremi Ducis in Polonia, obtinuit ann. 1139. Duxerat antea *Agnetem*, Filiam *Leopoldi Pii* Austr. Marchionis ann. 1134. morte autem perdidit ann. 1139. sub extrema Patris, aut eo statim defuncto. Altera ei Conjux *Adelhaidis*, Filia *Henrici* V. Imperatoris: quæ ob Stemma suum Regium impullit Maritum, ut jure Primogeniti, omni Poloniæ imperare vellet. Quapropter ab indignantibus Fratribus expulsus fuit. Inde crudum bellum, exitiale Poloniæ, expulso nihil utile: donec *Fridericus* I. Imp. id Saltem effecerit, ut ei Silesia permitteretur. Sed hanc adire volens ann. 1159. extra eam obivit. Filiis ejus *Boleslao*, cui *Alti* cognomen, *Miecislao*, & *Conrado*, novæ turbæ fiebant usque ad ann. 1163. quo tandem Silesiæ Domini facti sunt, eam inter se partientes. Ex his *Boleslaus Altus*, mediæ Silesiæ Dux, Cœnobium Lubense, Benedictinis Patribûs in Lublinensem Poloniæ Monasterium translatis, Cisterciensibus tradidit, veriori sententia sub an. 1175. *El. IV. vij.* 7. - 12.

ULADISLAUS III. Dux Poloniæ, prioris ex Fratre *Miecislao* III. Nepos, expulsus an. 1205. Ejus Filius *Uladislaus* recuperavit Poloniam, quam dicunt Majorem. Hunc *Innocentius* III. Papa per ablegatos Cistercienses cum Archiepiscopo Gnesnensi componi jussit an. 1211. *Dec. II. ij.* 3.

CLASSIS X.

Austriæ Marchiones.

Generalia de Austria, & ejus Principibus.

Austria infra & supra Anasum sub uno communi *Marchiæ Orientalis* nomine olim in Chronicis, ac Diplomatibus sæpenumero confusæ: neque *Marchionatus*, & *Marchia* ritè distincta. Quod errores plurimos in historia tam Bavariæ, quàm Austriæ peperit: quibûs adhuc multi incauti laborant, ab iis seducti qui Marchiones Orientales Bavariæ, i. e. Provinciæ supra Anasum, pro Marchionibus Austriæ inferioris venditant, & proinde utrosque Ducibus Boiis clientela-

res tradiderunt. Quæ omnia potissimùm ex diplomate *Friderici* I. Imp. pro Austria, ann. 1156. in Ducatum erecta, luculentè revincuntur. *Differt. Procem.* §. iij. 1.-7. Item *El. VIII.* §. iij. n. 21. 22.

Austriæ Inferioris Marchiones ultimi ante *Babenbergicos* fuere gemini RUTGERI *de Pechlarn*, Pater, & Filius: quorum res, & epochæ ab erroribus vindicantur. Cæteri omnes, non *Babenbergici*, uti *Burchardus*, & quotquot alii assignari possunt, Supra-Anasinæ Provinciæ solummodo, quæ tunc *Marchia Orientalis Bavariæ* appellabatur, fuerunt Rectores. *Differt. Procem.* §. iij. 8. 13.

Austria inferior Cis-Cetiana non fuit *Ovonis* Regis Ungari donum: sed ense laureato *Adalberti* Marchionis asserta est. *Elog. III.* ij. 14.

Austriæ Marchiones, & *Marchiones in Austria*, diversi erant, probè discernendi. *Elog. III.* ij. 15.

Austriæ Marchionibus, qui, ut & alii Marchiones, immo Duces, non fuêre Domini Terræ, sed meri Præfecti Regum, & Imperatorum: non erat facultas, Portiones, vel Comitatus Terræ, Filiabus in dotem conferendi, maximè cum Exteris nuberent. Licuit autem, Ecclesias ac Cœnobia condere atque dotare. *Elog. V.* ij. 7.

Austria tempore Marchionum Hæreditaria non fuit. *El. VI.* iij. 19. vj. 13. 14. *Elog. VII.* j. 3.

Austriæ Erectio in Ducatum ann. 1156. & pro ea *Friderici* I. Imp. Privilegium integro tenore, adjectis Notulis. *Elog. VIII.* iij. 21. 22.

Austriacorum Principum hodiernus Pileus Archiducalis, Claustro-Neoburgi custoditus, unde? *El. VI.* iv. 18.

Marchiones Babenbergici.

BABENBERGICORUM in Austria Principum Gloria & Memoria immortalis. *Præfat. ad Differt. Procem.* n. 3. Eorum generatim Laus pulchra. *El. V.* iv. 1.

Leopoldus I. Illustris.

De ejus Origine, atque Parente, Cl. Virorum, *Aventini*, *Lazii*, *Pezii*, *Eccardi*, eruditæ quidem, sed non justæ Conjecturæ, harúmque schemata. Item de Anno Adventus ejus in Austriam fluctuantes plurium traditiones. *Differt. Procem.* §. ij. 1. 2. 6. - 9.

Ejus Abavus verosimillimè *Poppo* Franciæ Comes. *El. I.* j. 1. Proavus *Henricus* Orientalis Franciæ Dux, Heros inclitus. 2. 3. Avus *Adalbertus* Comes Babenbergensis decollatus ann. 908. 4. Pater *Albertus* junior, sub signis *Henrici Aucupis* Imp. Avunculi sui gloriosè cadens in prelio contra Hunnos apud Merseburg Anno 933. Mater latet. 5. 6.

LEOPOLDUS natus sub ann. 923. Austriæ Marchio dictus ab *Ottone* I. Imp. ann. 943. *Ibid.* §. ij. 1. In Austriam venit anno 944. 2. Vigil contra Hunnos, pugnandi copiam non statim habuit, donec illi aliâ vià in Germaniam pellicerentur. 3. Adfuit eorum Contritioni apud Augustam sub *Ottone* M. anno 955. 5. Vexationes parvas Ungarorum sustinet. 6. Cæsari *Ottoni* II. Pataviam obsidenti opem tulisse scribitur Anno 977. 10. Occupat Mellicium, & in Collegium sacrum convertit ann. 979. 11. 12. Non tamen propterea totam Austriam infra-Cetianam obtinuit. 13. Acclamatum eidem *Illustris* elogium. 14. Ecclesia Pataviensis, ac Cremifanium, per *Ottonem* III. Imp. ab ejus potestate exemta. 15. Seniculus Marchiam Filio regendam, sed non sine Cæsaris annutu, commisit ann. 991. 16. Ann. 994. Wirceburgum invitatus ad Festum S. Kiliani, ibi tristi fato innocenter sagittâ ictus, obiit paulò pòst anno ætatis 71. aut 72. Regiminis anno 48. 17. 18. Petiit à Filio *Henrico*, tunc quidem Wirceburgi sepeliri, commodo verò tempore in Austriam reduci, & Mellicii deponi. 19.

Fratres ejus non fuêre, *Berchtoldus* Franconiæ Marchio, & *Poppo* Episc. Wirzburgensis. *Ibid.* §. iij. 1. Uxorem habuit *Richardim*, incertæ Stirpis Dominam, non tamen Sororem *Henrici* Aucupis Imp. 2. Filios habuit, *Henricum* sibi succedentem, & *Popponem* Archiepiscopum Trevirensem. Nullum *Leopoldum*. 3. Neque *Ernestum*, 4. 5. Nec *Adalbertus Victoriosus* ei natus. 7. Christiana Filia dubia. Acta *Popponis*. 6. Conferatur *Append. Apologet.* in calce Tomi hujus *Dialog. IV. V. VI.*

Henricus I. Perperam dictus Rebellis.

Natus Anno 961. Regimen à Patre transumsit ann. 991. *Elog. II.* j. 1. Cognomen sive Convitium *Rebellis* immeritum unde ei affrictum. 2.-4. Uxor *Swanhildis* erat: Filius unicus *Adalbertus* Victoriosus. 5. Sub eo passus S. *Colomannus* ann. 1012. §. ij. 1.-3. Translatus Mellicium præsente *Henrico*. 4. Sacrum ejusdem Corpus in Ungariam dimissum ab invito Marchione, S. Stephano Rege illud per *Popponem* Præsulem importuniùs efflagitante, Anno 1016. 5. & in *Append. Apolog. Dial. VII.* Reductum in Austriam, cùm Ungaria spolium lueret,

ret, ann. 1017. 5. - 7. Citra dubium *Henricus* consedit Mellicii: videtur tamen etiam Ducumburgi subinde commoratus. 8. Obiit ann. 1018. Ætatis 57. Regim. 28. 9. Ejus elogia. 10.

Adalbertus Victoriosus.

Nascitur ann. 996. Nupsit *Albaidi* Filiæ *Guilelmi* Comitis Pictaviensis, & *Giselæ* Filiæ *S. Stephani* Ungariæ Regis, cujus Frater erat *Petrus*, Sancti Avi sui Materni Successor in throno. *El. III. j.* 1. 2. Nec primo, nec altero loco Conjugem habuit *Frowizam*: sed hæc erat Uxor *Leopoldi Fortis* Filii ejus natumajoris. Utriusque hujus Dominæ Obitus. 3. 4. & *Append. Apologet. Dial. VIII.* Partes *Adalberti* nonnullæ in bello Bavarico *Henrici* II. Imp. & *S. Stephani* I. Ungariæ Regis, ann. 1030. 5. - 7.

Ad eum confugiebat *Petrus* Ungariæ Rex ab *Ovone* expulsus: cui ipse gratiam & opem *Henrici* III. Imp. impetravit ann. 1041. *Ibid. §. ij.* 23. Cum Cæsare in Ungariam, unacum Filio *Leopoldo* descendit, fortiter pugnans, dum *Ovo* vinceretur ann. 1042. Victum deinde intercedendô apud Cæsarem adjuvit, ut ei Regnum, sic postulantibûs Ungaris, permitteretur: pro quo donum ab *Ovone* tulit insignem Portionem S. Crucis. At reverso Imperatore, *Ovo* irrupit in Austriam, ab *Adalberto*, & Filio *Leopoldo*, non modo fortiter repulsus, verùm etiam Austriæ parte infra Cetium usque ad Leytam fluvium ei erepta. Inde Patri elogium *Victoriosi*, Filio *Fortis Militis* acclamatum. Rediit quoque Imperator, & *Ovone* occiso, *Petrum* rursus instituit, *Adalberto* denuo Comite ann. 1044. 4. - 15. Anno priori Filius ejus *Leopoldus* (Genealogico ordine II.dus) Nuptiis Cæsaris interesse volens Ingelheimii defunctus, ac Treviri sepultus est, à Cæsare Marchio post Patrem jam designatus. Viduam *Frowizam* absque Liberis reliquit. Ejus vero rogatu Pater à *Poppone* Patruo Archiep. Trevirensi obtinuit Militem fortissimum *Azzonem*, in Austria deinceps potentem factum, Stirpisque *Chuuringicæ* satorem. *Ibid.* 4. 10. 11.

Mellicio Portionem S. Crucis donavit anno 1045. *Ibid. §. iij.* 1. Dejecto *Petro*, contra *Andream* iterum in Ungariam ducente *Henrico* III. Imp. Comites ibant ipse, & Filius *Ernustus* ann. 1052. 2. - 4. ann. 1055. morte perdidit *Albaidem* Conjugem, & sequenti ipse obiit, natus Annos sexaginta, & octo annis supra triginta gubernans. 5. Præconium ejus. 6.

Ernustus Strenuus.

Natus ann. 1027. successit Patri ann. 1056. *Elog. IV. j.* 1. Conjuges habuit, primam *Mechtildem*, alteram *Swanhildim*. 3. 4. Filium non nisi unicum *Leopoldum*, non item *Albertum*, quod fingebant. 4. 6. Filiæ *Juditha* & *Vireta*, item Soror ipsius *Hemma*, intutæ. 7.

Eidem *Andreas* Rex Ungariæ, cum *Bela* Fratre lethaliter discors, Filiolum *Salomonem* jam coronatum, unacum Corona, & Thesauro Regio transmisit Mellicium. Eapropter, *Andrea* defunctô, *Bela* Austriam adortus, Strenuo defensore *Ernesto* nihil profecit. *Ibid. §. ij.* 1. - 5. Anno 1063. *Henricus* IV. Imp. tum adhuc adolescens, *Bela* jam pariter defuncto, *Salomoni* Sororem suam *Sophiam* Sponsam cum exercitu in Austriam adduxit, eique ibidem nuptui dedit, tunc eundem, Comite *Ernesto* Marchione, in Ungaria instituit sine pugna. 6.

Hoc Rege turbas varias patiente, & subinde per Cæsarem adjuto, *Ernestum* denuo interfuisse, vix ambigere licet, neque dubium, Patri Filium *Leopoldum* Comitem ivisse. *Ibid.* §. *iij.* 1. - 6. An *Ernusto* Privilegium ab hoc Cæsare datum, & quid de illo censendum? 8. - 12. Imperatori contra Saxones auxilio ivit, & apud Unstrut in prelio occubuit ann. 1075. Vixit Annos 48. rexit 19. Pugnans pro *Henrico* IV. non offendit in Ecclesiam. 13. 14.

Leopoldus III. Pulcher.

Natus conjicitur sub Annum 1050. Successit Anno 1075. à specie Corporis *Pulcher* appellatus, æquè *Pulcher* & animo. *Elog. V. j.* 1. Conjunx *Itha* ignotæ Stirpis, neque *Henrici* III. aut IV. vel *Guelfi* IV. Bavari Filia. 2. - 4. Vidua Jerusalem peregrinata, haud ampliùs redivit, Mellicii proinde non sepulta. 5. Filius unicus *Leopoldus Pius*, postea Sanctus. 6. Non præterea *Poppo*, neque *Albertus*. 7.

Filiarum notissima *Elisabeta*, nupta *Otocaro* Stiriensi, non hoc nomine, sed Marchionum dignitate Primo. *Ibid. ij.* 1. - 3. Cum qua Marito dotis loco non obtigit Tractus Austriæ ab Herzogburg usque ad confinia Stiriæ. Fundavit autem cum ea Cœnobium Garstense: ubi Uxor ante Maritum defuncta quiescit. 4. - 7. Ejus Filius erat Leopoldus Marchio Stiriæ, qui Runæ fundationem inchoavit. 8. *seqq.*

Filiarum altera *Itha* nupta *Leopoldo* Comiti Znoymæ. *Ibid. §. iij.* 12. Tertia *Heilbirgis* Uxor *Borivorii* Bohemiæ Ducis. 4. Quarta *Eufemia*, quam duxit *Conradus* Comes de Pilstein. 5. Quinta *Sophia*, desponsa *Sighardo* Comiti de Schala. 6. Sexta fortè *Richardis*, dubia, uti & Maritus ejus. Septima planè incerta. 7.

LEO-

LEOPOLDUS perpetuò conjunctus S. *Altmanno* Episc. Patav. cum adjuvit in fundatione Canoniæ Regularis S. Nicolai Pataviæ. *Ibid. §. iv.* 2. Exturbatum ab *Henrico* IV. Imp. fovit in Austria inferiori. 3. Contra Cæsarem electô *Rudolphô*, primùm comunis erat *Leopoldus* inter utrumque: paulò autem post ab *Henrico*, diris Apostolicis devoto, se retrahens, ejus iram vastatione Austriæ persensit. 4. Cæsare autem Antipapam creante, *Leopoldus* in paucis aliis, exhortante *Altmanno*, Ecclesiæ fidelis perstitit. 5. Tandem pro ea planè arma corripuit, Electioni *Hermanni* novi Regis Germaniæ præsens, eique in obsidione irrita Augustæ Vindelicorum opitulatus. Tulnæ in Curia Provinciali Schisma solemniter abjuravit, & Schismaticos ejicere incepit. 6. Hinc Cæsar Bohemos, Bavarósque in eum immisit: à quibus Anno 1082. apud Mauerberch gravissimam cladem sustinuit. 7. - 13. Quam ultus est anno 1083. 14. Cùm Pataviæ impositus esset Episcopus Schismaticus, S. *Altmannus* tutus egit apud *Leopoldum* nostrum. 15. Qui Marchio ann. 1089. Melicii Benedictinos introduxit. 17. Perseveravit in fide Ecclesiæ. 19. Non in Expeditione Sacra Palestinæ, sed in Austria, ac domi, ut plane videatur, obiit ann. 1096. fortè agens Annum 47mum, Regiminis Anno 22. Præconium ejus. 21.

Leopoldus IV. Pius. hodie Sanctus.

Ejus Historiam statim ab obitu conscripsit *Rikardus* Canonicus de Newburga: ex quo perbreve Excerptum fecit *Lewpoldus de Newnburga*, Professus Campililii factus ann. 1330. Cujus hìc primùm vulgati usus percommodus. *Elog. VI. Observat. præv.*

Nascitur *Leopoldus Pius* Mellicii ann. 1073. successit Patri ann. 1096. *Ibid. §. j.* 1. Cruce signatos, ex pauperie redire coactos, largis eleemosinis ab insolentia continuit. 2. Pataviensem Episcopum *Ulricum* benignissimè fovit contra *Thiemonem* intrusum. 3. Jerosolymam transmisit largam pecuniam pro trecentis Cruce signatis alendis. 5. Cremisanensibus restituit possessiones, à suis Majoribus detentas præter Jus, uti Cœnobium causabatur. 6. Sororem *Heilwigem* cum *Borivorio* Duce Bohemo despondet. 7.

Anno 1101. *Ithæ* Matri, Jerosolymam peregrinatæ, nec ampliùs rediturae, rursum trecentas Marcas Argenti, pro Bello sacro offerendas, tradidit. Ipse Curiam in Monte Cetio exstruere cæpit. 8. Simulante *Henrico* IV. Imp. Expeditionem Sacram ann. 1103. etiam *Leopoldus* animum comitandi concepit, ideo anno altero Mellicii Gladio accinctus. 9. Anno 1105. Imperatori contra Filium *Henricum* V. cum exercitu opitulatûm iverat: sed edoctus ab hoc de perverso animo Patris, recessit è Castris ejus, promissa sibi in Uxorem *Agnete*, Vidua juveni, *Henrici* V. Sorore. 13. Cui nupsit Mellicii ann. 1106. Octava Nuptiarum die, dum jam concepissent Votum fundandæ Ecclesiæ, blandus Favonius in Monte Cecio abstulit velum de capite *Agnetis*. 16. 17.

Pii Conjuges perbenefici esse cæperunt in pauperes, & omnes ferè Ecclesias. 18. Ann. 1107. eis natus est *Adalbertus*. Stiriæ Marchioni *Otocaro* ex Gottwico Monachos impetravit *Leopoldus* pro Cœnobio Garstensi. Anno 1108. obtinuit Filium alterum *Leopoldum*. 19. In Mellicium largus, laborat pro ejus exemtione. Anno 1109. consequitur tertium Filium *Ottonem*. 20. Anno 1110. nascitur ei Filia *Bertha*. Obtinet Mellicii exemtionem. 21. Reædificavit Ecclesiam Meusslingensem Parochialem, eámque dotavit, ac dedicari fecit ann. 1111. 22. Adjuvit *Udalricum* Episc. Patav. in constructione Monasterii S. Georgii, hodie Ducumburgensis, eodem anno & sequenti: quibûs eidem pariter natæ sunt duæ Proles, mox in Cœlum reversæ. 23.

Anno 1108. *Henricum* V. Cæsarem in Ungariam comitatus est: ubi *Colomannus* Rex cum *Almo* Fratre Duce absque pugna compositus. Ruptâ autem horum concordiâ, & *Almô* oculis privatô, *Colomannum* Regem anno 1112. Austriam hostiliter aggressum esse, omnino fallere videtur. *Ibid. §. ij.* 1. - 3. Ann. 1113. *Leopoldus* adfuit Ecclesiæ Mellicensis Dedicationi. 4. Anno 1114. quo natus ipsi Filius *Henricus*, reperit Velum, de *Agnetis* Capite ablatum, quod omine Divino accepit, statímque Ecclesiæ Cl. Neoburgensi positione primi Lapidis initium dedit. 5. - 7. Anno 1115. genita illi Filia *Agnes*, & in sequentibus duobus añis geminæ Proles statim defunctæ. Interea cum *Udalrico* I. Episc. Pataviensi certabat æmulâ Munificentiâ in omnes ferè Patriæ Ecclesias. 8. 9. *Stephano* II. Ungariæ Rege omnes vicinos, & Austriam pariter lacessente, munivit Curiam suam in Cetio Monte, & alia Loca. Sociis deinde Armis Bohemorum Annis 1117. & 1118. Ungaros vastantes gemina inflicta clade repulit. Anno 1119. talionem sumturus, Ungariam ingressus, Castrum Ferreum occupavit, & exussit, Pacem Austriæ asserturus: quo territi Ungari, postea quieverunt. 11. 12.

Anno 1118. natus est illi *Conradus*, & ann. 1119. Filia *Gertrudis*. Ipse omnibus omnium Virtutum genere exemplo fuit. 13.

13. Anno 1122. Neoburgi locò parvæ Collegiatæ Ecclesiæ instituit integrum Canonicorum non Regularium Collegium, dato primo Præposito Filio *Ottone*; pro quo ad Scholas Parisienses dimisso substituit *Opoldum*. 16. Anno 1123. suscepit Filiam *Elisabetam*, & sequenti Filium *Ernestum*. 17. 18. Redeunte è Scholis *Ottone* Filio, & Sacras Reliquias afferente, easdem præmonitus excepit Supplicatione solemni. 19. Ann. 1125. mortuo *Henrico* V. Imp. Vota Principum præcipuè collimabant in *Lotharium* Saxonem, & *Leopoldum* Austriacum. Utroque Dignitatem enixè, flexis genibus, fusisque lachrymis deprecante, Leopoldi humilitas triumphavit *Lothario* ad Imperium rapto. 20. - 23.

Anno 1126. Nata *Leopoldo* Filia *Jutha*. Sed *Otto* cum quindecim Sociis Morimundi ingressus est Ordinem Cisterciensem, altero Anno eundem professus. *Ibid.* §. iij. 1. Anno 1128. & seq. *Agnes*, ut Vitis abundans, ultimùm genuit, Cœlo autem, non *Mundo*, ex tunc à labore pariendi quiescens. 2. Ann. 1130. *Leopoldus* fertur *Henrico* Neo-electo Episcopo Ratisbonensi suppetias misisse contra Ducem Bavariæ *Henricum Superbum*: quod non satis exploratum. 3. Anno 1131. *Hildeboldo* Episcopo Gurcensi auxilia submisit ad Frisacum, à Carinthiæ Ducibus tuendum. 4. Hoc eodem anno *Otto* Filius ejus factus est Abbas Morimundensis. 5. Utrùm *Leopoldus* anno 1133. cum *Lothario* Cæsare Romam iverit ad instituendum ibi Papam *Innocentium II.* intutum est. Eodem autem anno Cl. Neoburgi instituit Canoniam Regularem, Præposito primò *Hartmanno*: qui profusam Liberalitatem Pii Marchionis deprecatus est. 7. 8. Rogatu Filii *Ottonis* proposuit condere Cœnobium Cisterciense, primámque ab eo submissam Coloniam recepit in loco Satelbach, mox condendo Monasterio S. Crucis operam addicens anno 1134. Quo eodem Canoniæ suæ Neoburgensi Exemtionem obtinuit. Circa hunc etiam annum Monasterio S. Petri Salisburgi tam ibi, quàm in Austria, possessiones largiebatur. 9. - 11. Anno 1135. fecit Fundationem S. Crucis. Item Ecclesiæ Pataviensi decimas tredecim Parochiarum restituit. Vicissim verò Mellicensibus parem Restitutionem fieri ab Episcopo Pataviensi *Reginmaro*, procuravit. 15. 16. An. 1136. Ecclesiam Cellæ Mariæ in Austria in suo Jure fundavit. 17. - 19. San-Crucensibus impetravit Redemtionem Decimarum ab Episcopo Pataviensi. 20. Curavit Ecclesiæ Neoburgen. Dedicationem. Tandem hoc eodem anno sanctissimè obiit 15. Novembris, 23. Vixit annos tres & sexaginta, & quod excurrit: rexit quadraginta annis.

A morte accurrentibus per triduum expositus, deinde à *Reginmaro* Episcopo sepultus Cl. Neoburgi, primis illico diebus prodigiis à DEO honoratus. *Ib.* §. *jv.* 2. Papa *Innocentius II.* literis consolatus *Agnetem* Viduam, & Filios, scribebat, se defuncto Apostolicam Absolutionem impendisse. 3. 4. Miraculorum copia. 5. Inde per orbem celebritas. 6. Prima pro ejus Apotheosi Supplicatio facta ab *Alberto II.* Duce Austriæ, Filioque *Rudolpho IV.* Inquisitionem decernente *Innocentio VI.* Papa anno 1357. 7. Quibus de causis effectum non consecuta. 8. Reassumta à *Friderico III.* Imperatore denuo decreta, & facta intra annos 1465. & 1470. 9. Instauratæ preces: quibus *Pauli II.* & *Sixti IV.* fata celeriora obicem posuére. 10. Tandem *Leopoldus* ab *Innocentio VIII.* renunciatus est Sanctus anno 1485. 11. Ejus Præconia in Bulla 12. - 14. Solemnitas Translationis ejus in Austria quibus de causis 20. annis dilata. Officium tamen Chori de eo per Diœcesin Pataviensem indictum anno 1487. 15. Translatio demum summa cum Solemnitate acta Cl. Neoburgi, præsente *Maximiliano I.* Imperatore non in veste Augusta, sed Archiducali, anno 1506. 16. Inde cultus redivivus vehementer denuo incaluit. Cusi Numi, Aræ, Capellæ, Statuæ, Colossi erecti. Festum Translationis agi cæptum: Dies Obitus festivus populo indictus. 17. Inter Donaria collata præcipuum Archiducalis Pileus, oblatus ab Archiduce *Maximiliano* Electo Poloniarum Rege anno 1616. 18. Sanctum Corpus fugâ subductum, annis 1529. 1603. 1683. 19. Ab Ecclesia S. *Leopoldi*, destructâ Synagogâ Judaicâ per *Leopoldum* Imperatorem erecta, totum illud Viennæ Suburbium appellatur *Leopoldopolis*. Idem Cæsar, voto nuncupatô, restaurare incepit Ecclesiam in Monte Cecio: quam Filius Augustus *Carolus VI.* perfecit. 20. 21.

Agnetis Genus, ac Propago Augusta. *Ib* §. *v.* 1. Prior ejus Maritus *Fridericus Hohenstaufius* Sueviæ Dux, Liberique ex eo. Cum ipso fundavit Monasterium Laureacense: non item Adelbergense. 2. 3. Ejus Laudes. 5. De flammeolo Capitis ablato, & invento, Observationes Criticæ. 6. - 9. Aliæ laudes. 10. 12. Epochæ Nativitatis, Nuptiarum, ac Mortis ejus disquiruntur: unde conficitur, eam natam anno 1076. & anno Ætatis 81. decessisse anno 1157. 13. - 15.

Ordo

Ordo Nativitatis Filiorum S. *Leopoldi* neque in Chronicis, neque in Diplomatibus hactenus justus erat. *Ib.* §. *vj.* 1.-3. Primogenitus *Adalbertus* quem & reliquos, uti & Filias, peculiari recensu vide *Claſſ.* XII.

Leopoldus V. Largus.

Natus an. 1108. in Monte Cecio: Miles factus Cl. Neoburgi ann. 1131. A Morte Patris *Leopoldi Sancti*, Fratre natu majore *Adalberto* per morbum pertinacem atque lethalem ſpe vitæ dejecto, dictus eſt Marchio Auſtriæ à *Lothario* Imp. an. 1137. *El. VII. j.* 1. 2. Unde fallunt, qui ajunt, eum Fratri *Adalberto* ſucceſſiſſe: ſicut & illi, qui tradiderunt, eum alteri Fratri *Henrico*, quaſi ſeniori, à Patre prælatum. 3. 4. San-Crucenſibus donavit predium Trumau. 5. Defuncto *Lothario* Imp. eligitur *Conradus* Suevus, Uterinus *Leopoldi* Marchionis Frater. 7. Cui reſiſtens *Henricus Superbus* Bavariæ & Saxoniæ Dux, proſcribitur, & utraque Provinciâ exuitur. 8. Cæſar *Uladislao* Bohemiæ Duci deſponſavit *Gertrudem* Sororem *Leopoldi* noſtri. Hic autem viciſſim duxit *Mariam* Filiam *Sobieslai* Bohemi ann. 1138. Prolem inde non conſecutus. 9. Renunciatur Bavariæ Dux à *Conrado* Cæſâre ann. 1139. Provincia verò nova armis acquirenda erat. Favit Zvvetlæ, & S. Cruci 10. 11. Pluri̇ma Bavariæ pars ei ſe tradidit, obeunte interim *Henrico* Duce proſcripto. 13.

Caſtrum Valeja obſidens, à *Guelfo* Fratre *Henrici* defuncti, repellitur ann. 1140. *Ib.* §. *ij.* 1. Sed *Guelfus* à Cæſare ad Caſtrum Weinſperg vincitur. 2.-4. Dux noſter Ratisbonæ per tumultum de vita periclitatur: aſtu autem ſe liberans, Urbem iterum in deditionem coëgit. 7. Ulturus Cladem, ſibi à *Guelfo* olim illatam, vaſtat Bavariæ tractum, ubi erant hoſtis Fautores, neque Fratris *Ottonis* Præſulis Friſingenſis ditionibus parcens. 8. Ratisbonam redux, languere cœpit, uti putabatur, ex veneno. 9. Excuſatur à probro vaſtationis per licentiam ejus ævi Militum, quæ contineri non poterat. 9. 10. Item, à parato ejus animo, damna, maxime Eccleſiis illata, compenſandi, ut fecit Canoniæ Reicherſpergenſi. 11. 12. Beneficus pariter exſtitit Zvvetlæ, S. Cruci, & Gotvvico. 13. Obiit ann. 1141. in Monaſterio Altaichenſi Bavariæ, necdum expleto anno quarto ac triceſimo, Regiminis quarto, in S. Cruce ſepultus. 14. 15.

CLASSIS XI.

Duces Auſtriæ Babenbergici.

HENRICUS II. Jaſomirgott Marchio, deinde Dux Auſtriæ Primus.

Naſcitur ann. 1114. junior itaque, non poſtpoſitus Fratri *Leopoldo* à Patre. Miles factus ann. 1131. Cl. Neoburgi. *El. VIII.* j. 1. Studium devotionis in juvene. Videtur Viennæ, quæ tunc ſurgere cæperat, plerumque commoratus, &, vel Caſtra Fratris ſecutus, vel Auſtriæ pro eo moderatus. 2. Hoc defuncto ann. 1141. à *Conrado* Cæſare in Marchionatu Auſtriæ confirmatur. 3. An *Ottonem* Fratrem Præſulem Friſingenſem juverit in Monaſteriis pluribus inſtaurandis, dubium eſt. 4. Alter Frater *Conradus* fit Abbas S. Crucis. 5. Ipſi porro *Conradus* Cæſar ann. 1142. deſpondet *Gertrudim*, Viduam *Henrici Superbi* proſcripti olim Ducis, quæ ei pro dote attulit BavariæDucatum. *Eliſabeta*Soror ejus nupſit *Hermanno* Thuringico. Frater *Erneſtus* juvenis moritur. 6. 7. Bavariam vaſtavit *Guelfo*: in cujus ultionem *Henricus*, à Cæſare adjutus, muros Friſingiæ deſtruxit, Caſtrúmque Valeia occupavit. 8. An. 1143. Conjugem in primo puerperio immaturo perdidit. 10. Ipſe Viennæ conſtruxit Eccleſiam S. Stephani. 14. Bavariam appetens *Guelfo*, ſemper Cæſarem, Ducémque laceſſit. 20.-23. Quidam Auſtralium, à *Borichio* ſtipendiis conducti, in Ungaria occupârunt Poſonium: quod *Bela* Rex juſſu Auſtriaci factum interpretatus, ei bellum denunciavit, cladémque intulit ann. 1146. 24.-26. Alderſpacum Bavariæ Ciſtercienſibus traditum, favente Duce noſtro. 31.

Ann. 1147. Cruce ſignatus eſt proOriente. *Henricus Leo* Bavariam repetens, dilatus eſt in reditum è Paleſtina. Auſtrius, & Frater *Otto* Præſul, illuc cum eo profecti. *Ib.* §. *II.* 2. 3. *ſqq.* In Paleſtina nihil egregiè actum. Cæſar cum Duce adorârunt Hieroſolymis: tum Conſtantinopolim reverſi. Ibi Cæſar valetudinem curans Duci apud *Emanuelem* Imperatorem procuravit Uxorem alteram *Theodoram* Auguſti Sanguinis

Græci. 13.-16. Redierunt anno 1149. statim denuo turbante *Guelfo*, sed per Cæsarem superato, & ad pacem adacto. 17.-19. Eo silente *Henricus Leo* Bavariam repetiit: non auditus, corripuit arma, jam conclusus à Duce nostro, nisi astu elapsus esset. 22. Hic benefecit San-Petrensibus Salisburgi, & Admontensibus. 23. 24. Fuit cum *Conrado* Cæsare in expugnatione Castri Kelheim, ubi intercessit pro Canonia Regulari S. Magni Ratisbonæ. 26.

Anno 1152. *Conrado* Cæsare defuncto, electus *Fridericus* I. precibûs *Henrici Leonis* pro Bavaria restituenda multò propensior, utrôsque *Henricos* Duces, Saxonicum & Austriacum, pacatè potiùs componere, quàm Sententiam dicere pro potestate, constituit. Unde eosdem varia ad Comitia evocavit, Austriaco non comparente. *Ib.* §. *iij.* 1. Aut contra forum excipiente. 6. Tandem Bavaria *Leoni* adjudicata, nec dum tamen in possessionem immisso. 78. Redux ex Italia Imp. Germaniam totam turbatam reperit, solum ferè *Henricum* Austriacum quietum. Cujus virtutem perfectam reddere volens, primæ suæ Sententiæ institit, & *Henricum* Saxonicum etiam in possessionem Bavariæ immisit, cupiens, ut Austriacus Gratiæ suæ se totum permitteret. 14.-16. Hic in tam duro Cæsaris facto DEI gratiam quæsivit benefaciendô San-Petrensibus, & Seitenstetensibus. 17. 18. Tandem hortatu Amicorum Cæsari causam suam omnem committens, Bavariam integrè resignavit. Qui provinciam supra Anasum ex ea decerpens, cúmque Austria uniens, ex utraque Ducatum fecit, Feudúmque promiscuum, in quo nimirum & Masculi, & Fœminæ succederent, collatis Privilegiis speciosis, ann. 1156. 19.-21. Diploma Cæsaris integro tenore, cum Notalis. 22.

Anno 1151. *Henrico*, novo Primóque Austriæ Duci, nascitur Filius *Leopoldus*. Benedictinorum pro Canonicis institutio in Monasterio Mettensi Bavariæ non ab ipso, sed *Henrico Leone* facta. §. *jv.* 1.-3. Dissidia Ducis nostri cum *Ottone* Fratre Frisingensi composuit Cæsar. 7. Quem deinde Dux, contra Mediolanenses progressum, comitatus, in ejus Urbis obsidione se strenuè gessit, simúlque postea pacis Orator exstitit. 8.-13. Anno 1158. reversus, domi reperit Filium alterum *Henricum*. Cœpit & absolvit Fundationem Monasterii Scotorum Wiennæ. 14.-17. Fratri *Conrado*, ex Abbate S. Crucis Episcopo Pataviensi, favet in reformanda Disciplina Monastica. 24. Cum eo tamen postea aliquatenus diffidebat. 31. Lis verò sublata, dum *Conradus* fieret Archiepiscopus Salisburg. 32.

Abfuit à Curia, in qua Imp. Præsules ac Principes jurare coëgit Antipapæ. §. *v.* 2. Cæsar Viennam venit propter Ungaros, *Stephano* Regi despondens Filiam Ducis *Agnetem*. Quo in Actu politico Dux obsecundans Cæsari, ut Supremo Principi, non propterea Schismati communicavit. 3.-10. Non fuit Legatus Cæsaris in Græciam. 13. 14. Post obitum *Conradi* Fratris Archiep. Salisburg. ibidem electus *Adalbertus*, Regis Bohem. Filius, ejus è Sorore Nepos. Cui suasit *Henricus* Dux, ut iræ Cæsaris locum daret, Salisburgo excedens. 20. Dux in Admontenses, & Scotenses gratiosus. 21. Item in Zwetlenses. 25. Ungariæ Regem *Stephanum* Generum suum non contra Græcos, sed Patruos, nec ante ann. 1172. adjuvit. 27.-30. Privignum suum *Henricum Leonem*, Bavar. & Saxon. Ducem, in Palestinam peregrinatum, in Austria solemniter excepit, splendidè habuit, & in Ungariam conduxit. 32.34. Ubi Strigonii ea nocte, qua advenerat, *Stephanum* Ung. Regem veneno extinctum, & Sororem Viduam, ac gravidam reperiens, tristis redivit. 35.36. Videtur, præsente *Henrico Leone*, sive cùm iret in Palestinam, vel altero anno rediret, Viennæ Filios Ducis Gladio accinctos, & alterius Nuptias cum *Helena* Ungarica actas esse. 37. Dum *Fridericus* Imp. ann. 1174. *Adalbertum* Archiep. Salisburg. Ratisbonæ in publica Curia dejiceret, solus unicúsque Dux Austriæ contradixit. 39. Unde Cæsar, ne *Henricus* noster Antistitem juvare posset, Bohemos, Carnos, & Stiros, itémque Moravos in Austriam provocavit: qui eam tribûs annis fœdè vastaverunt, plus quàm Cæsar voluerat, & Principes æquo animo tolerarent. Sed in hoc turbine ipse Dux *Henricus*, equo lapsus, paulò pòst obiit anno 1177. dum annum ætatis ageret tertium & sexagesimum, Regiminis tricesimum quintum, apud Scotos Viennæ sepultus. 43.-48.

Uxor ejus prima *Gertrudis*, Filia *Lotharii* Cæsaris, Vidua *Henrici Superbi* proscripti Bavar. & Saxoniæ Ducis, Mater *Henrici Leonis*, ei nupta ann. 1142. pro Dote secum afferens Bavariam, una cum prole obiit uterum ferens, sub iter in Bavariam: veriùs autem in Austria Cl. Neoburgi, quàm in Saxonia, sepulta videtur. §. *vj.* 1.-4. Abinde Dux, in sextum annum Viduus, Constantinopoli sibi despondit *Theodoram*, Græci Sanguinis Augusti Principem, Patre tamen adhuc incerto. Neque tutum, Nuptiæ in Græcia, vel Austria sint factæ. 5. 6. Ejus laudes. 7. Superstes vixit usque ad annum 1188. 8. Filius natu major *Leopoldus*: de quo statim, Alter *Henricus*, dictus Dux de Medlico;

Medlico: quem vide *Class.* XII. uti & Filiam *Agnetem*.

LEOPOLDUS VI. Virtuosus, Dux Austriæ II. & Stiriæ I.

Omnium primus natus Austriæ Dux ann. 1157. *El. IX. j.* 1. Miles cum Fratre *Henrico* factus ann. 1173. ibi & nupsit, altero anno Filium accipiens Primogenitum *Fridericum*. Uxor ejus *Helena*, Filia *Geisæ* II. & Soror *Stephani* III. ac *Belæ* III. Ungariæ Regum. 3. Ann. 1175. ambo Fratres ex Moravis ultionem anteriorum Grassationum cum lauro repetierunt. 4. A morte Patris ann. 1177. traditur *Leopoldus* Feuda Austriæ à *Frideric.* I. Imp. in Italiæ recepisse, & reconciliationi Cæsaris cum Papa utilem operam interposuisse. Postremum certò fallit; fortè & primum. 5. Ann. 1178. graviter vindicavit in Moravos. 13. Monasteriis variis eximiè favit. 14. 15. Ann. 1180. *Otocarus* renunciatus fuit Stiriæ Dux: quæ nova Dignitas ad Austriæ potiùs, cum qua statim jungenda erat, honorem ac Gloriam fecit. 17. Ann. 1181. *Leopoldus* Curiæ Cæsaris adfuit Normbergæ: ubi tradunt, Filium ejus *Fridericum* à Cæsare feuda Austriæ jam accepisse, quod absonum videtur. 18. Ann. 1182. Jerosolymam peregrinatus est, rediens anno sequenti, & secum afferens insignem Dominicæ Crucis Portionem, à se donatam S. Crucis Monasterio. 19. - 24. Favit Zvvetlensibus. 26. Ann. 1184. adfuit solemni Curiæ apud Moguntiam, ubi Filii Cæsaris Milites facti. 27. Ann. 1185. Non pugnavit in Bavaria adversus Comites Ortenburgicos: Sed *Fridericum* Propinguum suum, Bohemiæ Ducem, Pragâ depulsum, submissis suppetiis adjuvit. 30. Ann. 1186. ab *Otocaro*, primo simul & ultimo sui Generis Duce Stiriæ, hujus Provinciæ Successor & Hæres designatur. Neque verò *Otocarus* Filiam Ducis nostri Conjugem habuit: aut ei Stiriam vendidit: vel eâdem se, dum viveret, exuit. 31.-36.

Anno 1188. Dux iterum benefecit Zvvetlæ. §. ij. 8. Ann. 1189. *Fridericus* I. Imp. Expeditionem Sacram ducens in Orientem, pertransivit Austriam. 9. Cum quo Dux noster pergere pro voto nequiens, metu *Belæ* III. Ungar. Regis, Stiriam affectantis, Cæsarem, ac Principes transeuntes splendidissimè habuit: in reliquos Cruce signatos egentiores largas pecunias distribuit. 11.12. Propterea ei Cæsar, & Episcopus Pataviensis, è Græcia perfamiliariter rescripserunt. 13. Clemens fuit in Cremisanium, & S. Crucem. 14. Ann. 1190. ipse quoque in Palestinam profectus, in acerrima expugnatione Ptolemaidis, anno sequenti à Christianis capta, fortissimè pugnavit, unáque præcipua in Turri, primùm à se occupata, Vexillum suum gloriosus erexit. 19. - Contumelia, ipsi, & Vexillo ejus, à *Richardo* Rege Angliæ illata, prolixè, ex variorum relatu discussa. 27.-38.

Reversus ex Oriente Dux noster ann. 1192. interfuit Curiæ *Henrici* VI. Cæsaris Ratisbonæ. Paulò pòst, defuncto *Otocaro*, Stiriæ Ducatum iniit: unde & Austria utraque, præcipuè Superior, multis ditionibus aucta. Favebat Canoniæ Seccoviensi. §. iij. 2. Pugnavit in Comites Ortenburgicos Bavariæ. 3. 4. Viennæ captivum accepit *Richardum* Regem Angliæ, profugum ab inimicis, & ignarum in Austriam delapsum, ann. 1192. Sequenti eum Cæsari præsentavit. Reductum verò, tandem iterum Cæsari petenti adduxit, & extradidit, non vendidit. *Ib.* Prolixè. 5.- 17. Quid à Cæsare Regi factum. Hic sua fassione, mediante Duce Austriæ, optima pacta ab Imperatore consecutus est, & nunciavit, peculiari Legato à Regina Matre ad *Leopoldum* misso: contra quem tamen illa Pontifici acerrimè scripsit. Tandem Rex mediante iterum Duce nostro liberatus, sed erga gravissimum lytrum. Quantum de hoc Duci nostro deberetur, ac provenerit &c. *Ib. denuo fusè* 18.- 40.

Non ad Reginæ, sed *Richardi* Regis jam liberi vehementem postulationem, *Cœlestinus* III. Papa *Leopoldo* Duci diras intentavit sub conditione: quas non contemsit, sed à conditionibus implendis, celeriori fato iminente, præpeditus fuit. Equo enim lapsus crus fregit, igne sacro accensum: quo resecto, malum in reliquum Corpus proserpens, ei mortem acerbam, & festinam induxit, summè tamen contrito, & absoluto per Archiepiscopum Salisb. & in Cuculla Cisterciensi animam agenti ann. 1194. exeunte Decembri. §. *iv.* 1. - 16. Quas ob causas Sepultura ejus in S. Cruce aliquamdiu dilata? 17.- 21. Plagæ tunc Austriam vexantes, iis annis erant communes omni Germaniæ: unde, tanquam peculiaris pœna DEI, à Scriptoribus Anglis perperam jactantur 22.- 26. Devixit *Leopoldus* anno ætatis octavo & tricesimo, Regiminis decimo octavo. Hæc Historia, hic tractata, peculiariter legenda, ob Anglorum Scriptorum affectum sinistrum, quorum tamen convitia in Ducem omnes ferè alii transcripserunt.

FRIDE-

FRIDERICUS I. Catholicus Dux Austriæ.

Natus ann. 1174. Patri in Austria successit postremis diebûs anni 1194. Fratri *Leopoldo* Stiriæ Ducatum permisit: quamquam utrorumque veluti commune regimen fuisse, credibile sit. §. *Unic.* 1. 2. *El. X.* Permagna tunc temporis rerum calamitas. *Richardus* Angliæ Rex ab eo lytrum repetiit, non redditum. 3. Dux non in Hispaniam profectus adversus Mauros. 5. Sed Cruce in Orientem signatus est. 6. Suasit ei Frater, non persuasit novi Monasterii Cisterciensis in Austria erectionem, ob sumtus, Expeditioni Sacræ necessarios. 7. Benefecit Canoniæ Osterhoviensi, S. Cruci, & Parthenoni Erlacensi. 8. Contulit se cum Cruce signatis in Palestinam ann. 1197. Ubi capta Berythus, Castrum Turon obsessum, sed relictum propter mortem *Henrici* VI. Imp. omnibûs ferè domum festinantibûs. 9-11. Dux *Fridericus* ibi remanere disponens, infirmitate correptus, & ad extrema deductus, petiit in Austriam reduci, & Patri in S. Cruce consepeliri: cui Monasterio Villam Wezlenstorf legavit: ibi etiam à Fratre Duce ad tumulum conductus. 12. Devixit absque Uxore & Prole, ann. 1198. ætatis 24. Regiminis 4.

LEOPOLDUS VII.

Gloriosus Dux Austriæ, & Stiriæ.

Campililii Fundator Clementissimus.

Cum hoc Serenissimo Duce inchoat Seculum I. Fastorum Campililiensium, in Decades tributum. Quoniam verò Fundatio nostra cœpit ann. 1201. Initium Regiminis *Leopoldi* Propyleo adhuc annectere libuit: ubi sequentia occurrunt.

Nascebatur *Leopoldus* ann. 1176. Præceptorem habuit *Ulricum*, postea Episcopum Pataviensem. *Ad ann.* 1198. *n.* 1. Fratrem *Fridericum* ex Oriente reductum, in S. Cruce deponi fecit se præsente. *Innocentius* III. Papa ei præcepit, ut lytrum redderet *Richardo* Angliæ Regi: qui verò sequenti anno pariter igne sacro interiit. 2. Ann. 1199. Dux à Capitulo Generali Cistercii rogabat Fraternitatem, atque Precum, & Meritorum communionem, ei libenter indultam. Utriusque Epistolæ tenor. 5. 6. Perdidit morte Matrem *Helenam* Ducissam. 7. Expulsum ab *Emerico* Ungar. Rege. Fratrem *Andream* benevolè in Austria suscepit, & Regem, Arma propterea inferentem, fortiter repulit. 8. 9. Ann. 1200. Pax per Episcopos composita in conditiones haud satis certas, nec impletas. 10. 11. Dux Gladio accinctus, contra irruptiones Ungarorum condidit Novam Civitatem, aut saltem communivit. 12. 13. Scotensibus Wiennæ Privilegia confirmavit. 14.

Anno 1201. Adhæsit *Philippo* Suevo electo Roman. Regi contra *Ottonem* Brunsvvicensem. 3. Benefecit Glunicensibus, Seitenstetensibus, Admontensibus, Zwetlensibus. 5. Interfuit Bambergæ elevationi S. Chunegundis, eique deinde prope Græcium Sacellum struxit. 6. Videtur ei *Alexius* Græcus, Filius *Isacii Angeli* Imp. Orientalis, throno pulsi, Dominam *Theodoram* Propinguam suam desponsâsse. 8. Benefecit Admontensibus, Seccoviensibus, Sant Lambertinis. 9. Item Seitenstadio, S. Cruci, S. Nicolao Pataviæ. 11. Nubit *Theodoræ*, de cujus Patre nihil exploratum, Wiennæ præsente *Philippo* Rege, cujus deinde Castra secutus est ann. 1203. 12. 13. Ipso præcipuo hortatore, Latini Cruce signati tendebant Constantinopolim, quam postea capientes, ipsum quoque Imperium Orientale occupârunt. 15. 16.

Anno 1204. *Constantiam* Viduam Ungariæ Reginam, cum *Ladislao* Filiolo ad se profugam, benignè excepit. *Andrea* se ut Regem gerente, Dux pro *Ladislao* exercitum expedit. Hoc autem defuncto, *Andreæ* Regnum gratulatus, arma posuit, *Constantiam* Reginam in Aragoniam promovit ad Regem Fratrem ejus. 17. 19.-21. Exercitum *Philippo* Regi ad Coloniæ obsidionem adduxit: quæ tamen soluta fuit. 22. Ann. 1205. à *Balduino* Imp. Orientis accepit insignem S. Crucis Dominicæ Portionem. 23. Cœnobiis variis omni anno benefecit: quod hîc singillatim ubique notare prolixum foret. Campililii Fundationem quomodo perfecerit, lege *Tab. I. Class. ult.* Hoc anno accepit Filiam *Margaretam*.

Anno 1206. Nascitur ei Filia altera *Agnes*. 25. Ann. 1207. Conabatur novum Viennæ Episcopatum fundare, prono ad hoc *Innocentio* III. Papa, nisi *Manegoldus* Episcopus Pataviens. obstitisset. 28-33. Obtinuit Filium *Leopoldum*. 34. Ann. 1208. Consequitur Filium alterum *Henricum*. Accipit Crucem pro Palestina. 35. 36. Consulens Pontificem, adhærere *Ottoni* Regi, *Philippo* jam defuncto, monetur. 39. Ann. 1209. Eidem Sponsam *Beatricem*, Filiam *Philippi*, ceu Paranymphus adduxit. 41. 42. Ann. 1210. assensit Electioni Romanæ *Friderici* adversus *Ottonem* anathemate laborantem. 46. Filiolo *Leopoldo* procurare studuit Sponsam è Misnia, supplicans Papæ pro dispensatione: qui moras traxit. 47.

Anno 1211. Natus ei tertius Filius *Fridericus*. *Dec. II*, j. 1. Anno 1212. *Enenchelii* fabula de *Friderici* II. ut infantis è Sicilia in Germaniam transportatione, per Ducem nostrum procurata, 5. Dux in Hispaniam contra Mauros profectus, in transitu Galliæ pugnabat contra Albigenses: Hispanis, apud eos adveniens, gratulari solummodo Victoriam potuit, jam ante relatam, 6.-11. Accepit *Constantiam* tertiam Filiam. Gyriensis Carthusiæ, quam Ordini restituerat, Templum exstruxit, atque dotavit. 12. 13. Vigilavit in turbis Bavaricis. 14.

Anno 1213. Ratisbonæ adfuit Curiæ *Friderici* II. Imp. Privilegiis ejus testatus. 20. Anno 1215. A *Manegoldo* Episc. Patav. in jus vocatus, coram Cæsare ultro lite abscessit. 21. 22. Ejus quondam Præceptor, deinde Notarius *Ulricus* factus Episcopus Pataviæ. 23. Ann. 1216. fundavit Capellam cum Sacro quotidiano ad S. Petrum Salisburgi. 24. Capitulo Pataviensi indulsit Immunitatem Victualium. 29. Morte præcoci perdidit primogenitum suum *Leopoldum* decennem, ex arbore cadentem. 31. Benefecit Mellicio, & S. Cruci, laudo perutili. 32.

Anno 1217. Favit Mellicio: valedixit, séque commendavit Campililio: profectus cum Cruce signatis in Palestinam, ibi, ut piissimè, ita gloriosissimè egit ante Damiatam, usque ad Abitum suum. 35.-56. Posthuma ejusdem ferè post seculum Laus apud Saracenos. Obstrinxit Regulorum Saracenorum aliquem, ne unquam ipse, vel Hæredes ejus, militarent in Christianos. 56. Anno 1219. rediens, vitæ periculum in Ungaria incurrisse haud videtur. 57. Eo absente, *Theodora* Ducissa apud Papam conquerebatur de *Eberhardo* Archiepisc. Salisburg. ob erectionem novi Episcopatus Seccoviensis in Stiria. Sed ipse Redux non legitur quidquam excepisse. Adfuit Comitiis Cæsaris. 59.-61. Anno 1220. Ejus in Cives, & Patriam, horúmque in ipsum Amor mutuus. Viennensibus communicavit Numorum signandorum Jus: Patriam variè auxit, & munivit. 63.-66.

Anno 1221. doluit Princeps noster Damiatam iterum perditam. *Dec. III.* j. 6. Anno 1222. Creditur adfuisse Coronationi *Henrici* Roman. Regis: Item Veronam accessisse, ubi Colloquium Papæ cum Cæsare sperabatur, hoc tamen non comparente. 8. Viennæ Nuptias fecit *Agneti* Filiæ suæ, non cum *Alberto* Saxonico, sed *Bernardo* Anhaltino. 9. 10. Invitatus à Pontifice ad novam Crucis Expeditionem, non acquievit, prævidens turbas Ungaricas. 12. Ann. 1224. *Belam*, Regis Ungar. *Andreæ* Filium, cum Conjuge *Maria* ad se confugientem, peramanter excepit, donec Patri reconciliatus redire potuerit. 14. Viennæ induxit Ordinem Minorum. 15.

Anno 1225. Adfuit Norimbergæ Nuptiis Filiæ suæ *Margaretæ* cum *Henrico* Roman. Rege, Filio *Friderici* II. Imp. Item *Henrici* Filii sui cum *Agnete* Thuringica, Festo infelici. *Constantiam* Filiolam in futurum despondit Marchioni Misnensi. 17. 18. Induxit Viennæ Ordinem Carmeli. 19. Munivit Schardingam, non verò Neoburgum ad Oenum. 20. Ann. 1226. *Henricum* Regem Generum in Italiam comitabatur: cui tamen Longobardi transitum per Alpes, & Colloquium cum Patre Cæsare inhibuerunt. 33. Interea *Henricus*, natu major *Leopoldi* Ducis Filius, arma arripiens, & Matri injurius, Castrum Haimburg occupavit, à Patre reduce brevi ad officium redactus, sed facili venia donatus. 23. Error est, hunc *Henricum* scribi Ducem de Medlico. 24. Pater alteri Filio *Friderico* dat Uxorem *Gertrudem* Brunswicensem, altero Mense defunctam. Qui postea eodem anno duxit Uxorem Græcam, Sororem *Mariæ* Reginæ Ungariæ. Extricatur hoc duplex Coñubium à nodo perplexo Scriptorum, & contradictione Illustr. D. *Eccardi*. 25.-28. PP. Prædicatoribus Dux Viennæ Conventum dedit. 29.

Ann. 1227. interest Coronationi Filiæ *Margaretæ* Reginæ Aquisgrani. 35. Animum ad novam profectionem in Orientem habuisse videtur. 36. Ecclesiam Carthusiæ Gyriensis dedicari fecit: & cum *Eberhardo* Archiep. Salisb. Laudum celebravit inter *Eckebertum* Ep. Babenberg. & *Bernardum* Carinthiæ Ducem. 37. Ann. 1228. accedere voluit Curiam Raveñatensem, à Cæsare indictam, quem Papa solemniter proscripserat: sed Pontifex Principes progredi vetuit. 39. Inde, cum *Henrico* Rege, aliísque invitatus à Duce Bavariæ, apud Straubingam solemni Ludo Equestri præsens, vitæ periculum ex insidiis incurrit: quod malum factum *Henrico* Filio suo imputatum fuit. Hic paulò pòst multùm contritus obiit, Campililio à Patre præsente impensè in preces commendatus. 40.-41. Qui Curiam Regis insecutus, Privilegiorum Austriacorum Confirmationem obtinuit, & facultatem, Ducalem Pileum suum Regio circulo ornandi. 42. Aliis Privilegiis Regiis ipse testatus est. 43.

Anno 1229. Pontifex literas dedit ad eum, quam propudiosam Pacem Imperator in Oriente cum Saracenis concluserit, & quàm criminosè, ac noxiè pro re Christiana aliàs ibidem egerit. 47. Filius ejus *Fridericus*, ipso permittente, repudiavit alteram Conjugem suam de Ungaria, duxit verò tertiam, Filiam Ducis Meraniæ, exeunte fama, hæc Acta contra leges esse, nimirum absque facultate Ecclesiæ susce-

susceptæ. 48.-52. Dux præparavit se itineri Italico, ad Papæ ac Cæsaris concordiam sarciendam. 53.

Anno 1230. Italiam petiit initio Anni. 55. Pacis opus diligentissimus omnium tractavit. 56. In ipsum quodammodo compromissum fuit. 57. Sed finem optatum, laboribus in terra consumtus, è cœlo spectavit, apud S. Germanum in Apulia morbo confectus, 28. Julii. 58. Carnes ejus in Monte Cassino ab utriusque Ordinis Principibus elatæ: Ossa Campililium reducta. 59. Quæ dum in Austria advenirent, lachrymis totius Patriæ quasi submersa sunt. 60. Epochæ Ducis. Viduam *Theodoram* literis *Gregorius* Papa IX. consolabatur. Tenor, & exegesis Epistolæ. 64.-66.

FRIDERICUS II.
Bellicosus Dux Austriæ, & Stiriæ, Dominus Carniolæ.

Nascitur ann. 1211. natu minimus Fratrum, sed, fatis volentibus, Patre moriente unicus. *Dec. II.* j. 11. Ann. 1226. bis nupsit, primùm *Gertrudi* Brunswicensi, & hac statim defuncta, *Sophiæ* Principi Græcæ. *Dec. III.* j. 25.-28. *Dec. IV.* j. 5. 6. Anno 1229. hac repudiata, tertiùm *Agneti* Ducissæ Meraniæ. *Dec. III.* j. 48. 52. A Patre, in Italiam profecturo, institutus est Rector Provinciarum, appellatus tunc junior Dux. 55. Illo autem defuncto integrè in Regimen succedens, perfecit Templum Campililiense, dedicari fecit, Patris Depositionem in eo curavit, Fundationem confirmavit, & auxit ann. 1230. In famam ejus lacerandam quasi communis calamorum conspiratio: Icon animi ejus è vulgari Scriptorum sensu æquo liberius picta. Causæ perpetuorum sub eo bellorum præcipuæ: 1. Insolentia Nobilium. 2. Impendens extinctio Stematis Babenbergici: 3. Scissio Sacerdotii & Regni. Bohemorum, aliorúmque in Austria vastatio nulla annis 1229. & 1230. *Dec. III.* j. 66.-73. *§. iij.* 28. *sqq.*

Anno 1231. Chronicæ *Friderici Bellicosi* Scriptor, & Famæ ejusdem Vindex *Pernoldus* Ord. Prædic. apud nos Anecdotus, & acephalus, hìc ante omnes audiendus. *Dec. IV.* j. 2.-4. Per ipsum Fontes Bellorum Fœminæ, duæ nimirum Conjuges à *Friderico* repudiatæ, unde Propinquorum Regum prætenta Ultio: & *Margareta* Regina Soror, cujus occasione gravissima Imperatoris Ducísque dissensio. 5. 6. Seditio Chunringiorum, & irruptio Bohemorum, incitante *Andrea* Ungariæ Rege: primìs per Ducem humiliatis, secundi ultro abscesserunt. Provocatus hinc Dux, non provocans, bellavit, facili venia Moderationis laudem promeritus. 12.-16. Regi Romano *Henrico*, Dotem Conjugis reposcenti, opposuit fidei Maritalis violationem. 17.-19. Cœnobiis benefecit. 20.

Anno 1232. Dux Viennæ cum 200. Nobilibus gladio accinctus est. 22. 23. Aquilegiam ad Cæsarem profectus, cum *Henrico* Rege fingente, sic Papam velle, fœdus contra Imperatorem feriit. 24. Redux exercitum in Bohemos ad ulciscendam vastationem anteriorem paravit. 26. Anno 1233. iis Vetoviam, finitimam & munitissimam Urbem, ac Prædonum latibulum, contra omnium exspectationem eripuit. Eum abinde, verè aut fictè infirmum, fugisse: item pugnâsse in Carinthia, & Episc. Babenbergensem cepisse, vel captum eliberâsse, mera figmenta. 27.-32. Vera causa festini reditus ejus fuit irruptio Ungarorum in Stiriam, & Austriam: ibi vicerunt, hìc victi à Duce, pacem rogare cogebantur. Irruptio facta ex fœdere cum Bohemis, & in ultionem repudiatæ à Duce Conjugis Ungaricæ, item ob Stiriæ affectationem antiquam, quasi Ungariæ olim detractam. 33. 34. Rom. Rege *Henrico Ottonem* Bavariæ Ducem persequente, eundem Austriacus ex fœdere pariter per suos vexari curavit, falsò inductus, id Pontificem cupere. 35. Utrique Imp. arma prohibuit: quæ Dux dimisit, etiam, dum Bavari ultionem acerbam sumerent: donec *Eberhardus* Archiep. Salisb. & *Eckebertus* Episc. Babenberg. utrumque Ducem plenè reconciliarent. Hos ambos Præsules ab Austriaco captos fuisse, iterum confictum. 39.-41.

Anno 1234. Ternæ Pontificis Epistolæ ad *Fridericum* Ducem, multæ in eum confidentiæ indices. 38. Hic *Constantiæ* Sorori Nuptias Magnificas fecit, præsentibûs Regibûs, Præsulibûs, Ducibûs, cum *Henrico Illustri* Misniæ Marchione: non tamen Viennæ, ubi Imperator, quòd suarum partium Princeps noster non esset, jam clanculum moliebatur in eum. 39. 42. Carniolæ Status Duci, ob famam Generositatis, ultro Principatum suum obtulerunt. 39.-43.

Anno 1235. Imperatori, Stiriam transeunti, Græcii officiosus adfuit: sed is ab eo *Margaretæ* Reginæ Dotem, indicto solutionis termino, aut armîs denunciatîs, petiit. 46.-48. Ungariæ Rege *Andrea* seniculo attamen rursum nubente, Dux invitatus nuptiis præsens, ita placuit Ungaris, ut eum Regem optarent: unde *Bela* eidem invidiam coxit. 49. Anno 1236. semel, iterum, ac tertiùm, ab Ungaris ad Regnum invitatus, ambitui imprudenti locum dedit, fines Ungariæ cum exercitu latenter ingressus. Re autem *Belæ* Regi prodita,

&

& per eum sufflaminata seditione Regni, iratus Dux, quòd frustrà vocatus esset, vastare cæpit: cui Rex cum exercitu multò fortiori superveniens, Pugilem eum habuisset, nisi sui, quos in Arena continere nullo pacto potuerat, omnes fugissent. Quos Rex insecutus, usque Viennam populabatur, Ducémque coegit, auro gravi pacem, cum ingenti quidem ira coemere. 52. - 54. Capita vituperiorum *Friderici* Ducis apud veteres, vehementi cum auxesi à Recentioribus transcripta. 55. - 57. Ad æquum reducta ex Pernoldo. 58. - 60.

Proscribitur Dux, prætentis querelis Vicinorum, ac Subditorum, ipsiusque nulla ad Comitia comparentis contumaciâ. Sed ulciscebatur Cæsar in eo dotem Reginæ Sororis non solutam: Fœdus antea cum Filio Rege initum: maximè verò Adjutorium sibi negatum. Ducem contra offendit occisio Regis, ac præcipuè Nepotulorum innocentum è Sorore, hujúsque in Calabris detentio, 58. - 67. Proscriptionis modus, & executio per plurimos Principes, tandem & per se ipsum, falsis multis apud Scriptores conspersa, 68. - 72. Inter hæc Contractus Ducis cum Episcopo Frisingensi: Gratiæ in San - Crucenses, ac Mellicenses: quæ Acta & Diplomata multum elevant Convitia, in Ducem totis plaustris accumulata. 72. 73. Fons & Caput harum omnium criminationum Epistola *Friderici* II. Cæsaris ad Regem Bohemiæ de causis Proscriptionis, ex *Petro de Vineis* per extensum adscripta: sed Notis undique subjunctis, quæ, quantum singula Capita cum vero conveniant, perspicuè pandunt. 74. Item Privilegium ejusdem Cæsaris, quo Viennam Urbem Imperialem esse jussit, paribûs observationibûs expensum. 75. Imperator Stiriam occupans, Scribitur Duci abstulisse Conjugem suam, non admodum invitam. 77.

Postquam verò Cæsar Ann. 1237. Viennâ discessisset, Urbi, Austriæque Præfectis datis; Dux Neostadio erumpens, cum *Alberto* Comite de Bogen, quem in Societatem adscivit, grassantes Præfectos, eorúmque copias contrivit. Episcopis geminis captis. Quos verò, pro dignitate habitos, brevì dimisit. 76. 80.

Ann. 1238. immissos ab Imperatore in specem Stirios, aliáque ex parte Comitem *Eberfteinium*, Dux pariter vicit, & abegit. Conciliato sibi quoque Rege Boëmiæ, sociâ ejusdem operâ omnem propè Austriam quotidianis ferè deditionibûs recuperavit. 81. 82. Laudatur ejus beneficentia in Glunicense Cœnobium igne absumtum. 83. Cæsaris mens non erat, dejicere Ducem, sed atterere, ne tantum, quantum forsitan vellet, eidem nocere posset. 85. Anno 1239. in medio adhuc turbine Proscriptionis *Henrico* Landgravio Thuringiæ despondit Sororem *Gertrudem*, manifestô argumentô, iram Cæsaris fuisse duntaxat Ludum umbratilem probè consciis Principibûs. 87. 88. Majores Austriæ, ac Stiriæ, cum Urbe Wienna, supplicium timentes, longiùs differebant ad eum reverti. 88.

Ann. 1240. dederunt se omnes, summam ejus Clementiam experti contra spem suam. Cæsar quoque non roganti Gratiam suam per Oratores obtulit, quam acceptavit. Rex verò Ungariæ eosdem Legatos, fœdus offerentes, non audivit. 89. - 91. A quibusdam traditum est, Ducem precibus Cleri, minùs anteà à se dilecti, restitutum: quod refellitur copiosis erga Cœnobia Gratiis & Favoribus Ducis, in singulos propè Annos laudatis, quamvis hic brevitatis ergò singillatim non ubique adnotatis. 91. Peculiaris ejusdem in Viennenses Clementia. Convitium grande ex errore Chronico eidem imputatum ab *Adelzreitero*. 92.

Cum Bohemiæ Rege diffidens, eum iterum hostem habet: sed instante jam hyeme, & arma grassari prohibente, pactæ sunt Nuptiæ inter Filium Regis *Uladislaum*, & Neptem Ducis *Gertrudim*, sicque rediit pax. 89. 93. In fatali Papæ, Cæsarísque dissidio valde providè Dux incessit, sua curans, ut neutri prodesset multum, neque obesset. Fertur ab *Alberto Behamio*, indiscreto Papæ Legato, in hac causa aliquando diris notatus: quarum tamen eum securum esse Præsules jusserunt. 94. 95. Seitenstetensi Cœnobio gratiosus fuit. 96. Cum Episcopo & Ecclesia Pataviensi fœdus pepigit. 97. 98.

Anno 1241. Tartarîs, post Regna plura vastata, in Ungariam irruentibûs, Dux á *Bela* Rege in auxilium vocatus, dum Regina cum Thesauris ad se jam transmissa esset, parvo agmine stipatus illuc properavit, velitandô feliciùs pugnans, quàm Rex, Cumanorum Regis obsidionem dirigens, eum ad suimet desperatam occisionem adegisse refertur. *Dec. V. j.* 7. 8. Redux postea, dum *Bela* infelix repetitis cladibûs penitus attritus esset, profugum in Austriam primùm benignissimè habuit; mox verò adegit ad Monilia, omnésque thesauros, insignem præterea Ungariæ portionem Austriæ proximam, sibi tribuenda, pro populatione, quam olim in Austria fecerat, pro auro sibi extorto, próque tributo, ipsi Viennæ imperato. Unde Dux exactionem istam excusandam putaverit, per extremum videlicet Germaniæ periculum, nisi ipse pro ponte staret. Quare hîs pecuniis Regiis è vestigio terras, à Rege sibi contraditas, munivit, ut Austriæ nonnulli propugnaculo essent: cæteris, Regem atque Reginam in Dalmatiam comitatus, co-

copiosa apud omnes vicinos Auxilia conduxit, eventu tam prospero, qui & ipsi Regi, nunc quidem emunctо, eximiæ utilitati fuit. 9. - 13.

Anno 1242. Tartari Viennam aggressi cum immani exercitu, incipiebant furere per viciniam, cum extremo Germaniæ discrimine, atque pavore. Dux verò cum exercitu suorum, ac Sociorum accurrens, solo aspectu, suique nominis fama ex velitationibus Ungaricis, barbarum ac decumanum hostem in celerem fugam adegit. Quæ res, par prodigio habita, attamen in omnibus Patriæ Chronicis calamo Scriptorum adhæsit, ab exteris memoriæ æternæ conservata. 19. - 21.

Anno 1243. Dux tertiam Conjugem suam *Agnetem de Merania*, præsentibûs & agentibûs Præsulibûs, publico Repudiô celebratô dimisit, quòd Cognata diceretur, Imperatorem antea secuta fuerit, tantisque annis infœcunda exstiterit. 26. - 29. Appellavit illa Pontificem, qui nihil immutavit. Propingui verò ejus coxerunt bilem, & maximè *Bela* Ungar. Rex: qui Ungariam suam repetens cum nonnullis Equitibus Rhodiis, & Nobilibus Frangipanibus, in Austria Duci arma ostendere voluerat, nisi adeo florentem ejus exercitum vidisset. Variæ hujus rei, & incongruæ Narrationes. 26. 30. - 33.

Anno 1244. Miserrima Orbis conditio, contrario studio divisi sub discordia Papæ ac Cæsaris :: quorum partes tuendi prælato colore, agebant Reges, Principes, Nobiles, quidquid cupiditas, ambitio, ira, invidia, petulantia propria unicuique suggessit. In hæc tempora incidens *Fridericus* Dux, magna arte, tam Papæ, quàm Cæsaris favorem retinuit, suos in hostes omnes victor armatus esse perseveravit. 38. 39. Bellum ejus adversus *Ottonem* Bavariæ Ducem, & *Rudigerum* Episc. Patav. 40. Ipso petente decrevit Papa, S. *Colomanni* festum per Austriam etiam in foro celebrari. 41. Unde Votum, aut propositum conceperit, contra Prutenos ducendi, Papâ cunctis, sub ejusdem Signa convolaturis in Prussiam, indulgentias largiente. 42. 43. Licèt illuc, impedientibus domesticis bellis non duxerit, eò tamen Militiam electam Ordini Teutonico submisit. 46. - 48. Seitenstadio rursum eximiè favit. 44.

Anno 1245. Veronæ Cæsarem accessit: hujus rei variæ, & incongruæ narrationes. 49. 50. Obtinuit ab illo Confirmationem Privilegiorum cum augmento Gratiarum, & facultate, Pileo Ducali, qui Pinnas, Arcúsque regales jam habebat, etiam Crucem Regiam imponendi. Tenor Diplomatis. 51. 52. Oblatam sibi præterea à Cæsare Dignitatem Regiam non acceptavit, noluitque fidem Ecclesiæ debitam Imperatori pro Corona vendere. 53. Ab Italia redux, *Wenceslaum* Bohemiæ Regem, & *Ulricum* Carinthiæ Ducem, in Austria hostes habuit, à *Bela* Ungariæ Rege ex fœdere immissos. Vicit autem acri prelio, in quo captus Carinthus, diùque detentus, donec se lytro grandi liberâsset. Rei hujus diversæ Relationes. 54. 55. Belli finis geminum connubium depactum, Carinthi cum Repudiata nostri Ducis: & Filii Regis cum Nepte Ducis. 55. Postulaverat hanc pariter Cæsar, iterum viduus: Dux verò eandem, nisi Imperator cum Papa reconciliaretur, negavit. Quod ita Pontifici placuit, ut inter novi Imperatoris Electores Austriæ Ducem primo loco nominaret. 56. Hoc deinde supplicante pro novi Episcopatus Viennæ errectione, & S. Colomanni illuc Translatione permittendis, Papa Inquisitionem, an expediat, tribus Abbatibus Cisterciensibus injunxit. Adhæsit verò res, obnitente *Rudigero* Episcopo Pataviensi, ac morte Ducis interveniente. 57. S. Crucis Cœnobio donavit Spinam è sacra Corona Dominica, impetratis à Papa Indulgentiis pro die Translationis. 58.

Anno 1246. *Bela* Ungariæ Rege denuo adversus Austriam ducente, lætus eidem & alacer occurrit *Fridericus* Dux. Decretoriè certatum 15. Junii die S. Viti, quæ Duci olim Natalis, nunc lethalis fuit. Victi Ungari jam fugerunt. Sed Victor Princeps, ultionis intemperantior, suos omnes, cum duobus duntaxat Comitibus, in persequendis hostibus antevolans, equi sui jacturam per cujusdam Cumani telum retro emissum fecit, ipse prostratus à Nobili aliquo *Frangipane* per oculum transfossus est. Advolans Austriacorum Cohors rursum quidem vicit, Duce verò interim exspirante, cujus mors Austriæ præ omni clade funestior fuit. Diversæ de hoc variorum sententiæ, à vero exerrantes. 61. - 66. Dux in vicino S. Crucis Monasterio sepultus: in cujus Tumulo falsum est, imagini ejus additum esse frœnum, quo ab uno Potendorfiorum, ob crimen Cognatæ illatum, sit suffocatus. 63. 64. Sublatâ cum eo rigidâ justitiâ ejus, recruduit in Austria indomita iniquitas. 67. Lessi probè sapientium ob ejus mortem. 68. Suprema ejusdem laus, & epochæ. 69. Domina Ducissa *Theodora* Mater, præ terrore ac dolore languida, octava post ipsum die obiit, Cl. Neoburgi sepulta. 70. Ita Serenissima Babenbergica Domus, Austriæ Regimen in Le-

Leopoldo Illustri ann. 943. indepta, illud post exacta Secula tria anno tertio in Friderico II. dimisit.

CLASSIS XII.

Liberi & Propingui Marchionum & Ducum Babenbergicorum, qui non gubernârunt.

ADALBERTUS, sive *Albertus*, cum convitio *Levis*, turpiter affictus *Ernusto* Marchioni Filius, *Leopoldo Pulchro* Frater. *El. IV. j.* 4.-6.

ADALBERTUS Primogenitus S. *Leopoldi* March. Ejus Nativitas. *El. VI. vi.* 4. Fit Miles. 5. Nubit *Hedwigi* Ungaricæ. 9. Juvat Socerum *Belam* Cæcum Ungar. Regem. 10. 11. Aliæ ejus laudes, ac Obitus post Patrem. 12.

AGNES Filia S. *Leopoldi* M. erat prima Conjux *Uladislai* II. Poloniæ Ducis, ante turbida ejus fata jam defuncta. *El. VI. vij.* 7.-12.

AGNES Filia *Henrici Jasomirgott* Primi Austr. Ducis, nupta *Stephano* III. Ungar. Regi. Ann. denuo ab hujus morte venerit in thorum *Hermanni* Carinth. Ducis, intutum. *El. VIII. vj.* 16.

AGNES Filia *Leopoldi* VII. Ducis, nata ann. 1206. *Dec. I. j.* 25. Nupsit *Bernardo* Principi Anhaltino an. 1222. *Dec. III. j.* 9. 10.

BERTHA Filia *Leopoldi Pii* March. nupta *Henrico* II. Burggravio Ratisbonensi, non *Friderico*, minùs Polonorum Duci. *El. VI. vij.* 1.-6.

CHRISTIANA, Filia dubia *Leopoldi* I. *Illustris*, Austr. March. *El. I. iij.* 6.

CONRADUS S. *Leopoldi* March. Quintus Filius. Ejus Nativitas, studia, Monachatus ac Præsulatus in S. Cruce, Evectio ad Sedem Cathedralem Pataviensem, tandem & Metropolitanam Salisburgensem. *El. VI. vi.* 24.-28.

CONSTANTIA Filia *Leopoldi* VII. Austr. Duc. nata ann. 1212. *Dec. II. j.* 11. Desponsatur *Henrico Illustri* March. Misniæ ann. 1225. 18. Nupsit eidem an. 1234. Adfuit Dedicationi Ecclesiæ Campililii, & Sepulturæ Patris. *Dec. III. iij.* 28. Eidem pars Thesaurorum *Friderici* II. Ducis olim Fratris sui in Misniam directa. *Dec. V. j.* 88. Apud eam *Gertrudis* Neptis ex altero Fratre *Henrico*, Conjux *Hermanni* Marchion. Badensis, ob turbas Austriacas, Puerperium Filiolæ *Agnetis* egit. *Dec. VI. j.* 1. Unum Filiorum ejus Provinciales Austriæ per Nuncios postulare volebant ad regimen administrandum pro Domina *Margareta*: illos tamen Rex Boëmiæ Pragæ detinuit. *Ib. sqq.*

ELISABETA Filia *Leopoldi* III. *Pulchri* March. nupta *Otocaro* Stiriæ Marchionum Primo, cum eo Fundatrix Cœnobii Garstensis, in quo ante Maritum defuncta quiescit. Ejus Filius *Leopoldus* March. Stir. inchoavit Fundationem Runæ. *El. V. ij.* 1.-4. 7. 8.

ELISABETA Filia *Leopoldi Pii* March. prima Conjux *Hermanni* Comitis de Winceburg Landgravii Thuringiæ. *El. VI. vij.* 20.-22.

ERNUSTUS natu minimus S. *Leopoldi* March. Filius juvenis obiit. *El. VI. vj.* 29. 30.

EUFEMIA Filia *Leopoldi* III. March. nupta *Conrado* Comiti de Pilstein. *El. V. iij.* 5.

GERTRUDIS Filia *Leopoldi Pii* March. nupta *Uladislai* II. Duci, postea Regi Boëmiæ. *El. VI. vij.* 13.-19.

GERTRUDIS Filia *Leopoldi* VII. Ducis, nata an. 1214. *Decad. II. j.* 19. Adfuit Dedicationi Ecclesiæ Campililiensis, & Sepulturæ Patris ann. 1230. *Dec. III. iij.* 28. Nupsit *Henrico* Landgravio Thuringiæ ann. 1239. Is postea electus Romanor. Rex, sed Conjuge haud ampliùs vivente. *Dec. IV. j.* 87.88.

HEILBIRGIS Filia *Leopoldi* III. *Pulchri* March. nupta *Borivorio* Bohemiæ Duci. *El. V. iij.* 4.

HEMMA Conjux *Rapotonis* ab Hohenwart, tradita Filia *Adalberti Victoriosi* March. sed intuta. *El. IV. j.* 7.

HENRICUS Dux *de Medlico* Senior nascitur *Henrico Jasomirgott* Duci, natu minor *Leopoldi* VI. Virtuosi Frater. Fit Miles. Cum Fratre in Moravos ulciscitur. Nubit *Reichzæ*, ut volunt, Bohemicæ Principi. *El. VIII. vj.* 9. Iterum eum nupsisse non probatur. In Palestinam cum Fratre Duce eum profectum esse, dubium est. 10. 11. Erat Princeps tenerrimæ conscientiæ, & Mellicensibus Decimas, indebitè possessas, libenter remisit. 12. Zvvetlæ, & S. Cruci benefecit. Obiit, relicto Filio. 13. Traditur præterea, eidem Filiam quoque fuisse *Agnetem*, aut *Chunegundem*, Conjugem *Henrici* Znoimæ Marchionis, cum Viro paralysi liberatam, & ad Cellas Marianas in Stiria ex voto peregrinatam: unde Loci illius Celebritas. *Dec. III. j.* 31.

HENRICUS Junior Dux *de Medlico* prioris Filius, alius ab *Henrico Impio* Benefecit S. Cruci, & Cl. Neoburgo, ubi sepultus. *El. VIII. vj.* 14. 15.

HENRICUS dictus *Impius*, Filius *Leopoldi* VII. Austr. Ducis. *Dec. I. j.* 35. Nubit *Agneti* Thuringicæ. *Dec. III. j.* 17. 18. Insurgit adversus Patrem absentem, injurius Matri. 23. Per errorem

scribitur Dux *de Medlico*, ubi nunquam consedit. 24. Ad officium redigitur, & facilem veniam obtinet. *Ib.* Venit in suspicionem insidiarum Vitæ Paternæ. Paulò pòst obiit multum contritus an. 1228. 40. 41. Ejus Filiam *Gertrudim*, quæ extincto *Friderico Bellicoso* Duce Patruo, Austriæ dominari vehementer contendit, vide *Class. sq.*

ITHA Filia *Leopoldi* III. *Pulchri* Marchionis nupta *Leopoldo* Comiti Znoimæ, *El. V. iij.* 1. 2.

JUDITH incerta Filia *Ernusti Strenui* Marchionis, *El. IV. j.* 7.

JUDITHA Filia *Leopoldi Pii* Marchion. Uxor *Wilhelmi* IV. March. Montferatensis, non *Raynerii*. *El. VI. vij.* 23.-25.

LEOPOLDUS, dictus *Fortis Miles*, Filius *Adalberti Victoriosi* Marchionis. *El. III. j.* 1. Cum Patre in Ungaros processit: in Austria eosdem cum illo vicit. §. ij. 4. Ingelheimii Nuptiis Regis interfuturus, moritur, Treviri à Cognato *Poppone* sepultus. 10. Viduam reliquit *Froizam*, absque Prole. 11.

LEOPOLDUS Filius *Leopoldi* VII. Ducis. *Dec. I. j.* 34. Decennis obiit ex Arbore cadens. *Dec. II. j.* 31. Pro eo *Theodora* Ducissa Mater Cl. Neoburgi fundavit lampadem perpetuam. *Dec. III. j.* 30.

MARGARETA Filia natu maxima *Leopoldi* VII. Austr. Ducis, eidem nata ann. 1205. *Dec. I. j.* 19. Visitavit Campililium cum Patre an. 1214. *Dec. II. iij.* 10. Nupsit. *Henrico* Roman. Regi, Filio *Friderici* II. Imp. ann. 1225. *Dec. III. j.* 17. Coronatur Aquisgrani ann. 1227. in Dominica Passionis, quasi tacito omine perpetuorum dolorum. 35. Dejectô per Patrem Rege Marito, ipsa pariter cum eo in Apuliam traducta, & custodita fuit. Necato autem illo, unacum geminis Filiolis *Friderico & Henrico* ann. 1236. Reginam Imp. apud Calabros detinuit, dum interim Fratrem ejus *Fridericum* Austriæ Ducem proscripsisset, & hostiliter insequeretur, ne fletu, & obsecratione sua quosdam Principum in illius auxilium commoveret.

Anno 1245. dum Duci Fratri conciliatus esset, eam cum honore dimisit. Quæ in Germaniam veniens, toedio sortium humanarum, & ob Austriæ miseras turbas defuncto jam Fratre, Treviris in Parthenonem S. Catharinæ Ord. Prædicatorum, sed absque voto & velo, quietis duntaxat, pietatisque causâ, se contulit. *Dec. V. j.* 71. 72. Suasit eidem *Innocentius* IV. Papa Nuptias cum Nepote *Wilhelmi* Romanor. Regis: hic verò, spem vindicandæ Austriæ non concipiens, hoc Conjugium abnuit. 79. 80. Tum Pontifex iterum hortabatur Reginam, ut se in Austriam conferret, eámque Provinciam ad obedientiam Ecclesiæ reducere satageret. 83. Ibidem sedit Haimburgi, ac, divisis per Provinciales Thesauris *Friderici* Ducis Fratris, ut jure prima, primam etiam partem accepit. 88. Ejus Charta pro S. Hippolyto. 91. Mortuo *Hermanno* Badensi, qui uti Ducem se gesserat, Provinciales, quoniam Austria hostibûs turbata, Principem Defensorem poscebat, unum Filiorum *Constantiæ* Sororis optabant, qui pro Matertera Regina Austriam administraret: Nuncios verò detinuit Bohemiæ Rex. *Dec. VI. j.* 2. Interea Pontifex rursum consuluerat Reginæ, ut nuberet *Florentio* Fratri *Wilhemi* Roman. Regis. Rursum verò spes nulla affulsit eum, tanquam penitus exterum, à Provincialibus in Ducem acceptatûm iri. *Dec. V. j.* 104.

Ergò postquam *Otocarus* partim vi, plurimùm verò largitionibûs Provinciales adegisset, ut Austriæ Dux agnosceretur, pactum Nuptiarum cum Domina *Margareta* Regina intercessit, illa tamen diu renitente, & Cognationem causata. Falsum itaque, eam Vetulam, & Monialem, ad plurimorum displicentiam nupsisse. *Dec. VI. ij.* 5. Celebratæ Nuptiæ Haimburgi an. 1252. dispensante Papa in impedimento Cognationis non Professionis Religiosæ. Regina porro Successionis jura non transtulit in *Otocarum*, sed merè cum ipso communicavit. Amborum diplomata. 8.-12. Calumnia est, ipsam Regi permisisse usum pellicis ad faciendum fœcunditatis periculum. 28.

Repudiatur ab *Otocaro* ann. 1261. ablegata Cremsium. Scriptores, hoc divortium assentiente Pontifice per Episcopos factum asserentes, latè solidéque refelluntur. *Dec. VII. j.* 5.-11. Regina benefica in Zwetlam. 23. Obiit ann. 1267. die 28. Octobr. Non veneno peremta ab *Otocaro*: neque ut Monialis professa, Treviri decessit, ibique sepulta fuit. Qui Scriptorum errores revincuntur. Ejus epochæ. 33.-35.

Hortatu illius plures ab injuriis Campililii destiterunt. *Dec. VII. iij.* 6. Ibidem sepeliri constituens, donavit ei Oppidum Gravenberg: cujus Donationis Literæ planè Regiæ, & ab *Otocaro* plenè confirmatæ, penitus convellunt Scriptorum in eandem convitia. Edita Charta ann. 1266. 10. 11. Moesta ejusdem Campililii Depositio ann. 1267. 17. Error *Bzovii* circa eam, quasi exprobrâsset *Otocaro* perditam Austriam, cùm ipsa jam pluribûs annis defuncta quievisset. *Dec. VIII. j.* 73.

OTTO tertius S. *Leopoldi* March. Filius. Ejus Natalis, & reliqua in Monachatu Cisterciensi, usque ad Episcopalem dignitatem Frisingensem. *El. VI. §. ij. & iij.*

Acta

Acta Præsularia, Laudes, ac Obitus. *Ib.* §. vj. 16.-22.

POPPO Filius natuminor *Leopoldi Illustris*, unius *Henrici* Frater, factus Archiepiscopus Trevirensis. *El. I. iij.* 6. Jerosolymâ rediens, coactus Ungaris à Fratre *Henrico* Marchione impetrat Corpus S. Colomanni. *El. II. ij.* 5. *sqq.* *Adalberto* Marchioni misit *Azzonem* strenuum Heroëm. *El. III. ij.* 4. 11. De ejus Profectione in Palestinam, & reditu exactior Disquisitio videatur *in Append. Apologet. Dialog.* VII. Affectus est Elogio *Beati*.

SOPHIA Filia *Leopoldo* III. *Pulchri* Marchionis, nupta *Sighardo* Comiti de Schala. *El. V. iij.* 6.

VIRETA tradita, sed non probata Filia *Ernusti* Marchionis, *Otocaro* I. Stiriæ Comiti Uxor assignata. *Elog. IV. iij.* 7.

CLASSIS XIII.

Interregnum Austriacum & sub eo cupientes, vel occupantes Dominatum.

Occiso *Friderico Bellicoso* ultimo Duce Babenbergico, legitima Hæres erat *Margareta* Senior Filia *Leopoldi* VII. & Soror *Friderici* natumaxima, tenore Privilegii pro Austria in Ducatum erecta ann. 1156. per *Fridericum* I. Imp. dati, qui Feudum Austriacum promiscuum, atque indivisibile, pro Masculis, & Fœminis constituit. Nihilominus pro hac, & attinentibus Provinciis, Stiria, & Carniolia multi Proci erant. Quorum primus

ULADISLAUS.

Alio nomine *Henricus*, natumajor Filius *Wenceslai* Bohemiæ Regis: cui *Fridericus* Austr. Dux semel ac iterum annis 1240. & 1245. ex pactis Pacis adpromiserat *Gertrudem*, Fratris *Henrici* Filiam relictam: tradidit verò ann. 1246. dum esset in procinctu belli Ungarici sibi fatalis. A morte itaque Ducis hic *Uladislaus*, quasi Uxorio jure, Austriam illico occupare cœpit: sed altero statim anno, absque Prole relicta decessit. *Dec. VI. j.* 71.-74.

FRIDERICUS II. Imp.

Nurum ille aliquando habebat *Margaretam* veram Austriæ Hæredem: quippe Filii *Henrici* Regis Conjugem, & ex eo duorum Filiolorum *Friderici* & *Henrici* Matrem: cujus tamen Dos nec à Patre *Leopoldo* VII. Duce, neque à Fratre *Friderico* exsoluta fuerat. Unde Cæsar Austriacas Provincias conservare sibi volebat, vel tanquam hæreditatem, Nepotibus ex Filio debitam, vel Dotis non exsolutæ plenam compensationem, vel denique tanquam Feudum Imperio apertum. Nepotes quod attinet, eos dudum cum Filio in carcere tam squalore quàm inedia interire fecit, tantò autem sub Secreto, ut à plurimis, immo omnium propè in Germania saltem opinione, vivere crederentur.

Quare mox intellecta Morte *Friderici* Ducis, *Ottonem* Comitem *Eberfteinium* Viennam submisit, suo Nomine Austriam gubernaturum. *Dec. V. j.* 74. Papa, qui Cæsarem sententiâ Concilii nigerrimo anathemate dudum ferierat, & Imperio plenè dejecerat, Australes quòd nihilominus Præfecto huic obaudirent, pariter Diris notavit, & utrámque Provinciam, Austriam videl. ac Stiriam sub interdicto solemniter posuit. 75. 78. Ad obedientiam porro Ecclesiæ easdem revocaturus, Dominæ *Margaretæ* Reginæ semel ac iterum suaserat Nuptias cum *Wilhelmi* Regis Nepote, item Fratre: qui ambo cùm nollent, animum ad *Belam* Ungariæ Regem, Austriæ Stiriæque tunc arma perpetua inferentem, adjecit: Reginæ autem *Margaretæ*, cujus Pietatem eximiam noverat, suggessit, ut in Austriam saltem se conferret, eámque Provinciam Ecclesiæ conciliare studeret. *Bela* Ungarus interim arma non posuit: *Otto* verò Bavarus inhiabat Austriæ Superiori. 79.-83.

Tam varios inter Procos Provinciales affectibûs divisi, unusquisque illi favebat, ad quem animô, sive commodo majori trahebatur. Alii Fœminarum Hæredum jura cogitabant, hi præcipuum Dominæ *Margaretæ*, alii *Constantiæ* Sororis Misnensis, tertii *Gertrudis* Neptis earum: inter quas etiam Thesauros *Friderici* ultimi Ducis diviserunt. Quoniam verò *Belæ* Ungari Regis irremissa populatio Virum poscebat, strenuúmque Provinciæ Tutorem: rursum alii non pauci adhærebant Cæsari, nonnulli in *Ottonem* Bavarum propendebant: Ungarum oderunt omnes. Sed apud cunctos res constitit intra affectum: jungere vires pro illis, quibus favebant, aut contra communem hostem, neutiquam volebant. Quod videns *Eberfteinius* discessit Viennâ, instructus tamen à Cæsare, ut spe Provinciæ facta, ab ipso unum Filiorum Dominæ *Margaretæ* submittendum esse tanquam legitimum Austriæ Ducem, cùm tamen eorum nullus ampliùs viveret, magnum Provincialium, ac Civium præcipuorum Viennensium numerum secum abduceret, quasi Cæsarem Veronæ salutaturos, ac Ducem rogaturos, re autem vera nil nisi obsides fidei futuros. Ibant, minimè verò ad Imperatorem pervenêre, dispersi, partímque in gratiam Pontificis capti, operâ *Philippi* Electi Salisburgensis. 84. 87.

Non destitit propterea Cæsar, & quasi pro postate sua, Austriæ, suo & Imperii nomine gubernandæ, *Ottonem* Bavariæ Ducem ob vicinitatem præposuit: Stiriæ verò *Meinhardum* Goritiæ Comitem. Sed

Sed *Otto* Dux, quem Papa per Episcopos repetitis, Diris, belloque intentato, ad obedientiam Ecclesiæ compelli præcepit, sui periculi solicitus, Austriæ curam insuper habuit, per sese gerendam. Satius verò fore existimavit, si huic Provinciæ, mediis nuptiis, proprium Ducem procuraret. Unde, cùm Domina *Margareta* Regina exiguam aut nullam novi Mariti voluntatem præseferret: contrà verò Neptis ejus Domina *Gertrudis*, accepta Thesaurorum parte, ad Nuptias novas vehemens desiderium proderet, sponsum eidem obtulit *Hermannum* Badensem Marchionem, è Sorore suæ Conjugis natum: quem illa, tantum Regiminis quantum thori cupida, è vestigio acceptavit, Cæsare, quem altero anno suprema fata occupatura erant, nihil impedimenti facturo. Provincialium non minima pars muneribus conciliabatur. 93.94.

HERMANNUS Marchio Badensis cum GERTRUDE.

Nuptiis amborum factis ann. 1249. venientes in Austriam, obtinuerunt Viennam, aliásque Civitates, favore plurium ac potentum Optimatum: à quibus agniti fuerunt, præcipuè natô eisdem jam Filiô *Friderico*: universa tamen in Austria neque rerum, neque affectuum potiebantur. *Hermannus* à Conjuge persuasus, Pontifici se obtulit adCrucem suscipiendam contra partes *Friderici* dejecti Cæsaris, atque ad agnitionem *Wilhelmi* Romanorum Regis. Quod Papa gratissimum habens, Interstitium Sacrorum ex Austria sustulit, & *Wilhelmo* Regi commendavit *Hermannum*, ut Feuda eidem Austriaca conferret. Hic se Austriæ & Stiriæ Ducem scripsit, nonnulla Diplomata, aut solo suo, aut etiam addito Conjugis nomine, edens. At verò contra Ungarorum vastationes nullarum virium erat. 93.-97. Altero anno cum initio Octobris mors miseriis potiùs ejusdem, quàm deliciis finem fecit, dum jam etiam Filiolam *Agnetem* suscepisset: cujus puerperium *Gertrudis* in Misnia apud Amitam *Constantiam* egerat, ob Austriæ turbas. 98. 99. Frustra fuit, alterò ann. 1251. festina Austriam repetens, & Filiolo *Friderico* successionem firmare contendens. *Bela* námque Ungaro populari non cessante, & *Ludovico*, Filio *Ottonis* Bavari Ducis, Austriam Superiorem invadente, Provinciales communi decreto Spectabiles Nuncios in Misniam direxerunt, unum Filiorum *Constantiæ* postulaturos, qui Austriam pro Domina *Margareta* Regina administrans, eam ab hostibus defenderet. Sed hos Nuncios *Wenceslaus* Bohemiæ Rex expiscatus, Pragæ bonis malísque detinuit, donec eos cogeret, ut *Otocarum* Filium ejus ipsi in Ducem reciperent, totique eum Provinciæ reduces persuadere promitterent. Ut verbis eorum efficacia esset ineluctabilis, statim post eos *Otocarus* cum exercitu, ac Thesauris Regiis aderat, nonnullos armis perterrens, plurimos Auro sibi concilians, interposito tamen pacto, ut nuberet Dominæ *Margaretæ*. Quod videns *Gertrudis*, convertit se ad *Belam* Ungarum Regem, eique Jus, quod habere videbatur, deferens, novum ab eo Maritum *Romanum* Rusciæ Ducem tulit: qui eam postea gravidam deseruit, cernens, sibi nihil Dominii per eam obvenire. Stirii recusantes *Otocarum*, invitârunt *Henricum* Bavarum, *Ottonis* Ducis Filium. Qui noscens, Stiriam ab Ungaro avidissimè quæri, *Belam* Regem consuluit. Hic porro Oratorem ejus largitione induxit, ut Herum suum à petenda Provincia abducens, *Stephanum* contrà Filium suum Stiriæ Provincialibus in Ducem commendaret: Cui voto eventus respondit. *Dec. VI. j.* 2.-6.

OTOCARUS Bohemus, & MARGARETA.

Post Reginæ, ac Provincialium Consensum, Papæque in impedimento Cognationis Dispensationem, ac editum jusjurandum de agnoscendo *Wilhelmo* Romanor. Rege, & *Conrado* Suevo nullibi juvando, *Otocarus* cum Regina *Margareta* splendidum Haimburgi in Austria Connubium egit ann. 1252. Jura Successionis Austriacæ communicata secum ab illa, non in se translata accipiens. Quæ omnia à crebris erroribus variorum Scriptorum repurgantur. *Dec.VI. j.* 8.-12. Amborum Diplomata. 13.

Anno 1253. *Bela* Ungaro Rege, socio *Henrico* Bavarico Principe, Austriam, & Moraviam graviter vastante, Stiriam occupante, moritur *Wenceslaus* Pater *Otocari*. Unde hic, Regni turbas præcisurus, cum Ungaris inducias pepigit, secuta anno altero Pace, Stiriâ *Belæ* permissâ. 16.-22. Suasu Reginæ *Otocarus* Ecclesiis percommodus, etiam in Prussiam duxit adversus Prutenos, cum laude triumphans. 23. 25. Reducem *Philippus* Electus Salisburgensis in fœdus contra *Henricum* Bavar. Ducem pertraxit. 27. Reginæ fidem Conjugii infregit: quam ultro eidem, fœcunditatis experiundæ causâ usum pellicis permisisse, calumnia est. 28.

Anno 1257. ex fœdere Bavariam vastans, pessimè multatus effugit. 32. Fovit Stiriensium Conspirationem in *Stephanum* Ungarum Ducem, occultus tamen. 24.

34. A quibus Anno 1259. per Oratorem ad Regimen invitatus, tractâ in speciem nonnullâ morâ, comparuit brevi, sed inermis, quasi qui pacem non violaret. Aliter autem *Bela* rem interpretatus, postquam Stirii una insurrectione Ungaros omnes trucidârunt, vel expulerunt, exercitum instruxit, qualem & *Otocarus* comparavit. 34. 36. Bellum actum Anno 1260. quo velitationibûs parvîs primùm Ungari vicerunt, internecina deindè clade ab *Otocaro* prostrati, qui Posonium usque vastavit, Urbe hac etiam capta : tandem roganti *Belæ* inducias dedit, cum præviis pactis Pacis, altero Anno sarcitæ, per quam Ungari Stiriam omnem reddere cogebantur, 38.-44.

Anno 1261. Reges ipsi in Conventu solemni Viennæ firmârunt pacem, sibíque clam *Otocarus* Neptem *Belæ* novam Conjugem depactus est. *Dec. VII.* j. 3. 4. Post paulò repudiavit Dominam *Margaretam*, objecta eidem sterilitate, sparsóque rumore, compertum sibi esse, quòd foret Monialis professa. Cremsium itaque eam ablegavit : ipse porro Pragæ *Chunegundim* Ungaricam duxit, & una cum ea Regiam Coronam suscepit. Scriptorum circa hæc errores remonstrantur. 5.-11. Malè ab hoc repudio audiens *Otocarus*, crudelis esse in subditos cæpit. Salisburgi *Philippum* à Papa dejectum, restituere volens, multùm illi Ecclesiæ nocuit. Dominam *Gertrudim* nec in Austria, neque in Stiria sustinuit. 18.-20.

Anno 1264. Rursum in Prussiam duxit. Deinde Nobiles Austriæ, quorum fidei metuebat, partim capi, partim occîdi jubebat. 26. Bavariam subito bello denuo adortus Anno 1266. grandem cladem accepit. 29. Anno 1267. obiit Domina *Margareta* Regina : cujus mortem *Otocarus*, licèt eidem à pluribus imputetur, non procuravit. 34. Anno 1268. fertur *Carolo* Siciliæ Regi suasisse percussionem juvenum Principum, *Conradini* Suevi, & *Friderici* Austriaci, Filii *Gertrudis* ex *Hermanno* Marchione Badensi, maximè propter odium postremi, qui se Ducem Austriæ & Stiriæ scripsit. Ipse tertiùm in Prutenos duxit, non pro voto felix. Redux in Stiriæ Proceres admodum sævus fuit. 42. Quod Ungaris novi belli ansam præbuit. Id verò *Otocarus*, quibûs potuit modîs, declinavit, ut Carinthiam, quam emerat ab *Ulrico* Duce, nunc defuncto, contra *Philippum* Fratrem ejus vindicare sibi posset. 47.

Anno 1270. defuncto *Bela* Ungariæ Rege Successor Filius *Stephanus* inducias rumpens, *Otocaro*, ad votum confectô bello Carinthiacô è Stiria in Austriam tendenti, insidias posuit : quas præmonitus, Campililium pertransiens, evasit. Quapropter Ungari Austriam vastaverunt. 48. Anno sequenti idem in Moravia agebant : *Otocarus* contrà subito impetu invasit Ungariam, par pari referens usque Posonium captum, nec desistens, donec *Stephanus* pacem rogaret, tanta cum Religione sancitam, ut jurarent Reges, anathematis reum fore, quisquis prior eam denuo rumperet. *Dec. VIII.* j. 3. 4. Rupit eam nihilominus *Otocarus* anno mox altero ob seditiosos Ungaros, Posonium sibi eripientes, & Fratrem suæ Conjugis necantes. Bellum ergo nova vastatione egit, 5.

Anno 1273. Instabat novi Romanorum Regis Electio, serio eam perurgente *Gregorio* Papa X. Sunt, qui volunt, *Otocarum* sibi à Principibus Imperium delatum cum contemtu respuisse: & sunt vicissim, qui tradant, eum iritis votis illud quæsiisse. 10. 11. Electioni *Rudolphi* Habspurgici totis animis contradixit, contra illum se fœdere cum *Henrico* Bavariæ Duce communiens. 13. Papæ, & omnium Gratiam, ac Societatem quæsivit : Austriæ verò & Stiriæ Proceribus, fidei non fallendæ causâ, Filios obsides eripuit : potentiorum Castra obsedit, & nisi tradere se vellent, Liberos eorum, arietibus impositos, excutere in Muros comminabatur. 28. Audiens *Rudolphum* à Papa confirmatum, excanduit, & ab omnibus Provinciarum suarum Episcopis jurari sibi voluit, se nemini in iis, quæ ipsi adversa forent, obtemperaturos. Abnuentes ferro & igne persequebatur. 34. 35. Propter hæc, & quòd nullis in Comitiis compareret, à Cæsare & Imperio proscriptus fuit. Et licèt ad Comitia tandem Augustana Oratorem dimitteret Episcopum Seccoviensem, nil tamen nisi Philippicam acerbam in Cæsarem declamari jussit. Unde vicissim ad eum submissi Oratores, qui ab eo obsequium Cæsari debitum, & restitutionem Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ ultimo ex condicto postularent. Ipso omnia negante, bellum in eundem communi sententia decretum. 45.

Anno 1276. Cæsar, Bohemiæ quidem aditu Vigilantiâ *Otocari* prohibitus, Bavariam cum exercitu accessit, *Henricum* Ducem exterritum non modo ad pacem, sed etiam ad

ad fœdus adigens. Inde, quod vix demum somniaverat Rex Bohemus, Austriam ingressus, deditione plurima, pauca loca, in quibus & Vienna, circumvallatione magis, quàm obsidione, obtinuit, *Otocaro* trans Danubium in Castris hærente, quin transgredi posset. Tandem pacisci & ipse compulsus est sine prelio, Feuda Cæsari fateri, solâ Bohemiâ, Moraviâque contentus esse, Austriâ, Stiriâ, Carinthiâ, Carnioliâ excedere, mutuas Liberorum Nuptias cum Liberis Cæsaris spondere. 57. 63. - 70. Sic confusus, & perpetuò subsannatus à Conjuge, aurô primùm cæpit moliri, fidem Provincialium Austriæ nonnullorum iterum coëmens, & *Henricum* Bavarum nova in fœdera conducens. Tum exercitu è suis & sociorum copiis amplissimè instructo, Cæsari pacta omnia renunciavit, & bellum indicens, illud Austriæ populatione inchoavit. 73. - 75.

Anno igitur 1278. perurgente eum fato decretoriam cum Cæsare arenam subiens, fortissimè quidem pugnavit: cæsus tamen ob suorum perfidiam, dum ultimus in arena magnanimiter persisteret, captus ab hoste, & servandus, à suis occisus est. 79. - 82. Laudes ei scriptæ, & Capita ruinæ ejus. 83. Clementia ejus perpetua in Campililium videatur *in Reb. Monaster. Tab. I. Class. ult.*

CLASSIS XIV.

Duces Austriæ Habspurgici.

Albertus I.

Primogenitus *Rudolphi I.* Imperatoris in Expeditione, & Commoratione Austriaca præsens, ab eodem Viennâ discessuro Anno 1281. Austriæ pariter, ac Stiriæ, tam suo, quàm Imperii nomine Vicarius relictus fuit. *Dec. IX.* §. 4. Quibus tunc elogiis usus fuerit in diplomatibus. 6. Quos ei Pater Consiliarios dederit. 7. Anno 1282. in Comitiis Augustanis à Patre, cum Consensu Imperii, creatus est Austriæ ac Stiriæ Dux, nullo tamen jure Uxorio. De Anno, ac modo, tricæ & errores plurium Scriptorum latiùs expensi. 11. - 23. Frater ejus *Rudolphus* simul quidem cum ipso Feuda horum Ducatuum consecutus est, non autem ut simul regeret, sed substitutus duntaxat cum Posteris, deficiente forsitan *Alberti* Stirpe. 24.

Anno 1283. Austriæ possessionem iniit *Albertus*, Consiliariis præcipuis eidem à Patre constitutis *Hermanno de Landenberg*, & *Eberhardo de Walsee* Suevis. Confirmavit quoque Cæsar Pater eidem Vetera Austriæ Privilegia, & si quid per vim Regum *Belæ* & *Otocari* in eis perversum, restituit ac innovavit. 26. 27. Primum novo Duci bellum oriebatur cum *Henrico* inferioris Bavariæ Duce, ob Austriam Superiorem, ac Dotem Sororis, absque prole defunctæ, non redditam. Ostensa mutuò arma: quibus tamen alii intercesserunt: pacem *Ludovicus* Elector Palatinus composuit. 28. 29. Videtur hoc Anno natus *Alberto* Duci *Rudolphus* Primogenitus ex Conjuge *Elisabeta* Tirolensi. 41.

Anno 1286. Ipso, & *Rudolpho* Fratre petentibus, Cæsar *Meinhardo* Comiti Tirolis Feuda Carinthiæ contulit eo pacto, ut in defectu Stirpis ejus Austriaci succederent. 63. Juveni Bohemiæ Regi *Wenceslao* ambo Fratres *Gutham* Sororem Sponsam adduxerunt, Nuptiis Pragæ præsentes, ubi eodem festo etiam *Rudolphus* Frater *Agnetem* Sororem Regis duxisse creditur. 64. 65. Initium contentiosi belli Ducem inter & *Rudolphum* novum Archiepiscopum Salisburgensem causam præcipuam dante *Henrico* Abbate Admontensi, Supremo Stiriæ Præfecto, Ducique acceptissimo, sed Archipræsuli, plurimisque aliis admodum exoso. Concordia frustra tentata. 66. Comes quoque Ginsiensis *Iwanus* Ungarus Austriam & Stiriam incursionibus divexans, utrobique velitandó superior fuit, Duce ad pacem ei dandam coacto. 67. 68.

Anno 1287. Ungaris denuo turbantibus, Archipræsul Neostadii per se ipsum, Viennæ per Oratores Duci causam suam probare conatus est, sed frustra, *Alberto* Jurium suorum læsionem ore proprio ubertim remonstrante, & nisi ea sibi integra redderentur, bellum denunciante. 72. Anno 1288. Antistes *Henricum* Abbatem, quem Ducis incentorem credidit, ab ejus latere remoturus, Salisburgi Synodum egit, qua generaliter vetitum, ne ullus Clericorum laica Principum officia administraret. Hoc Statuto, tanquam conta se lato, Dux offensus, hostilia cæpit, Archiepiscopo ad arma non segniore. 76. 77.

Anno 1289. Dux de Ungaris semel ac iterum laureatam ultionem sumsit. 82. 83. Pater Augustus eidem à Papa impetravit, ne intra quinquennium à quoquam Anathemate ferri posset. 85. Bellum in Archiepiscopum, qui illud severè prosecutus est, pari districtione à Duce actum fuit, non modò captis, sed etiam destructis ubique Castris. 86. Instante porro Ducissa confectæ jam erant, firmatæque Pacis Tabulæ, per quas

quas Abbas à Duce dimittendus fuerat. Sed hujus valefacturi nimiis lamentis turbatus Dux, rescidit pacta omnia, nisi Abbas sibi permitteretur. Ita recruduit bellum. 87.

Anno 1290. Archiepiscopus in Ducem diras edixit, quas nemo ausus est promulgare, Duce etiam Pontificem appellante. Urgente autem iterum Ducissa, Antistes ipse Viennam venit concordiæ causâ: dum autem cedere in nullo vellet, promotum in pace nihil, & neque liber abitus ei permissus, donec spopondisset, tam Synodalia Decreta sua, quàm Pacis Tabulas anteriores, se detractis Sigillis annihilaturum, quæstione omni ad sententiam Cæsaris remissa. Postulata hæc in Comitiis Erfordiæ: quam verò dum Imperator ob arduitatem aliquantò diutius extraheret, Archiepiscopus interea ibidem ex veneno, ut credebatur, decessit. 91.-93.

Anno 1291. Occiso *Ladislao* Ung. Rege ob intestinas Regni discordias, & Cumanorum ac Tartarorum insidias, Cæsar, Ungariam in fide ac tutela Imperii esse affirmans, ejus Administrationem *Alberto* Filio Duci commisit. Sed utrumque Papa dehortatus est, *Dec. X. j. 3.* Dux Patrem Germersheimii defunctum, Spiræ sepultum, in Austria ritu Augusto piavit. Mox verò erupit sub cineribus latitans Provincialium adversum Suevos Aulæ Primates Æmulatio: cui ut colorem inducerent, Privilegia sua variè à Duce violata, tam Austrii, quàm Stirii conquerebantur. Hæc ergo integra sibi servari, Suevosque expelli postulabant, secus fidem Duci disertis verbis renunciantes. 6. Turbarum initium fecerunt Viennenses: quorum primo furori cedendum Dux ratus, in Montem Cetium se retulit, Milite duntaxat suo Urbis exitus omnes ita observans, ut neque ingredi, neque egredi quispiam posset. Ita fames brevì inducta, cùm Provinciales opem promissam non ferrent, ad quærendam supplicem veniam Cives adegit. Data illa, sed Privilegia Urbis complura, insolescendi adversus Principem Ansam præbentia, abolita fuêre. 7. An Provinciales Austriaci cum Ungaris, & Bohemis fœdus inierint, relationes intutæ. 8.-15. Hi felici, nec longo, vel difficili Marte ad obsequium redacti. Stirii non ita. 16.

Ann. 1292. Fœderati cum *Conrado* IV. novo Archiep. Salisburgensi, maximè oderunt Abbatem Admontensem: Antistes *Ottonem* quoque Bavariæ Ducem, promissâ ei Stiriâ, belli socium adscivit, ac præterea Electionem Ducis Romanam apud Moguntinum Electorem impedivit. Tum omnes juncti *Alberto* bellum denunciârunt, qui singulos dehortandô, frustra undique fuit. 18.-24. Inchoârunt Stirii, successerunt Dux Bavarus, & Antistes, *Alberto* Militem suum in præsidiis continente, donec hostes, fœdè expilatô Admontiô, & aliquot Castris, ac Oppidis captis, Pruckam ad Muram fluvium obsiderent. Ibi metu approximantis Ducis in celerem fugam conjecti, reliquerunt Stirios, à Duce humiliatos, novámque in fidem receptos, præter paucos, qui Capita erant reliquorum, in perduellione pertinaciter persistentes. 26. 27.

Albertus Dux, astu Electoris Moguntini, spe suæ Electionis Romanæ, ad quam, cæterorum propè omnium Principum invitatione vocatus, splendidissimè processerat, exclusus, electo *Adolpho* Nassovio, graviter pugnavit in Helvetia adversus Propinquos *Rudolphi* Archiepisc. Salisburg. qui Ditiones ibidem Habspurgicas invaserant. Traditur ibi Filiarum aliquam Lotharingico cuidam Duci desponsâsse. Redux, amicorum suasu, Regi *Adolpho* petenti Regalia Insignia libens extradidit, ab eóque Austriaca Feuda recepit. 28.-31. Neque tamen propterea inter eos amicitia integra constitit. Simultatis variæ causæ relatæ. 32. Diplomata *Alberti* Ducis. 33.

Anno 1293. Absente eo Dux Bavariæ, & Archiepisc. Salisburgensis cum Stiriæ perduellibus, Carinthiam graviter infestârunt, quia Dux *Albertus* locò sui *Meinhardum* Carinthiæ Ducem constituerat, ut Stiriis, nova molientibus, intenderet. Captivum duxerunt *Meinhardi* Filium *Ludovicum*, & alterum *Ottonem* permolestè vexârunt. Ad Castrum tamen Freiberg timore *Meinhardi* adventantis iterum diffugerunt. 35. Reverso *Alberto* Duce non destitit ejus Conjux, donec pacem, difficilimè quidem, tandem efficeret. 36.-38. Visitâsse hoc Anno se mutuò traduntur *Wenceslaus* Rex Boëmiæ, & *Albertus* Dux Austriæ, hoc Pragam, illo Viennam accedente. 39.

Anno 1294. Pacatîs licèt Austriâ, Stiriâque, Æmulatio tamen Provincialium cum Suevis non cessabat: unde clanculum quærebatur occasio, *Adolphum* Regem in Austriam pelliciendi, quem *Alberto* Duci perpetuò infensum noverunt. 41. Opportunum id visum, cùm Dux Montem quemdam, unde Salisburgo scatebræ salinares proveniunt, ea parte, quà Austriam respicit, ac suus erat, perfodi, sibique pariter Salinam parari curâsset. Inde Archiepiscopo lucra plurima è Sale, hactenus in Austriam distracto, cessârunt. Querulanti Dux reposuit, se, utentem dono DEI, ac Jure suo, nemini injuriam facere. 42.

Anno 1295. Querelâ per Antistitem ad *Adolphum* Regem delatâ, hic jussit semel ac iterum, ne Dux Archiepiscopum in Salinæ commodis turbaret: secus ipsum se venturum, & læso jus pro potestate asserturum. *Albertus* contra Cæsarem, se fœdere Gallico præmuniens, aliorumque Societate, Græcii Filiam *Annam* nuptui tradidit *Hermanno Longo* Marchioni Brandenburgico. 45. Regresso Viennam venenum porrectum: ex quo occumbendum ipsi fuerat, nisi ultra modum solicita Conjunx, precum publicarum, & Medicorum exstimulatâ industriâ, eum servâsset, cum oculi tamen unius jacturâ. Fama interim eum jam defunctum undique nunciaverat. 46. Cui credulus Archiepiscopus Salisburgensis, è vestigio Salinam Ducis funditus destrui curavit. 47.

Anno 1296. Restitutus Dux Ausu Archiepiscopi intellecto vehementer indignatus, ultionem cum armis cæpit, Oppidum Radstatt obsidens: unde tamen abscedere debuit, ob nimium incommodum situm loci, & Auxilia Bavari Ducis. 49. Epistola gratulatoria *Wolfgangi* Monachi Altaichensis ad Archiepiscopum multæ bilis in Ducem. 50. Accessit is Ungariam, Regi *Andreæ* III. Filiam *Agnetem* nuptui tradens. 51. Rex *Adolphus* eidem denuo præcipit, ut Archiepiscopo satisfaciat, sub armorum suorum comminatione. Tractatur de concordia: sed solummodo induciæ breves obtinentur. 52.

Anno 1297. *Albertus* Pragæ interest Coronationi *Wenceslai* Regis, & Reginæ, Sororis suæ, paulò autem post defunctæ, cum ingenti fama probitatis. 54. 55. Redux cum Archiepiscopo Pacem felicissimam condidit, fœdus feriit in omnes, & amicitiam summam contraxit: qui & Filiam, ei mox natam, sacro de fonte levavit, plurésque Nobiles ense accinxit. Dux, rursum à Principibus ad Coronam invitatus, Antistiti Conjugem, & Liberos, ut Patri commendavit. 56. 57.

Anno 1298. Ad eum Viennæ convenerunt Rex Ungariæ, & Bohemiæ, Duces, Principésque Imperii: ubi condictum de *Adolphi* depositione, & Electione *Alberti*, postmodum secuta. 60. 61. Reliqua vide hujus *Tabula II. Class. I. in supp.*

CLASSIS XV.

Liberi RUDOLPHI I. & ALBERTI I. Imperatorum, aliique Duces Habsp. Austriaci

Ordine Alphabetico.

AGNES Filia *Rudolphi* I. Imp. nupta *Alberto* Saxoniæ Duci sub anno 1274. *Dec. VIII. j.* 39.

AGNES Filia *Alberti* I. Imp. nupta *Andreæ* III. Regi Ungariæ Anno 1296. *Dec. X. j.* 15.

ALBERTUS II. *Contractus* Austriæ Dux supplicare incipit pro *Leopoldo Pio* Marchione in Album SS. inferendo, Anno 1357. *El. VI. iv.* 7.

ANNA Filia *Alberti* I. Imp. nupsit *Hermanno Longo* Marchioni Brandenburgico Græcii ann. 1295. *Dec. X. j.* 45.

CATHARINA Filia *Rudolphi* I. Imp. nupta *Ottoni* Filio *Henrici* Ducis Bavariæ infer. *Dec. VIII. j.* 61. Obiit absque prole sub ann. 1283. *Dec. IX.* j. 28.

CLEMENTIA Filia *Rudolphi* I. Imp. depacta Sponsa *Carolo* Principi Salernitano, Nepoti *Caroli* I. Siciliæ Regis, ann. 1280. cum dote Comitatus Provinciæ. *Dec. VIII.* j. 92. Transmissa ann. 1281. *Dec. IX.* j. 2.

ELISABETA Filia *Alberti* I. Imp. ab ipso, ut adhuc Duce, ann. 1292. desponsata dicitur Duci cuidam Lotharingico. *Dec. X. j.* 30.

GUTHA Filia *Rudolphi* I. Imp. nupta *Wenceslao* Bohemiæ Regi ann. 1286. statim Filio fœcunda. *Dec. IX. j.* 64. Anno 1297. cum Rege splendidissimè coronata, decimo septimo à solemniis die defuncta est. Ejus Laudes eximiæ. *Dec. X. j.* 54. 55.

HARTMANNUS *Rudolphi* I. Imp. Filius adultorum natuminimus. Ob ejus immaturum fatum ægrotâsse, & obiisse Matrem Augustam, fallit, cùm eidem supervixerit ipse. *Dec. IX.* j. 2. Anno autem 1282. Patrem Cæsarem Oppenheimii salutaturus, & ex Rheinovia secundo Rheno illuc descendens, incuriâ Nautarum submersa navi, octodecim Annorum Juvenis interiit, Basileæ Matri, Fratrique *Carolo* infanti consepultus. *Ibid.* 10.

HEDWIGIS Filia *Rudolphi* I. Imp. nupta *Ottoni* Electori Brandenburgico sub Anno 1274. *Dec. VIII. j.* 39.

LEO-

LEOPOLDUS Filius *Alberti* I. Imp. anno 1298. in Comitiis Norimbergensibus à Patre Feuda Austriaca simul cum Fratribus *Rudolpho* & *Friderico* natumajoribus consecutus est. *Dec. X.* j. 69.

MAXIMILIANUS Archidux Austr. *Maximiliani* II. Imp. Filius, electus Poloniæ Rex, S. *Leopoldo* Marchioni obtulit Archiducalem Pileum, Cl. Neoburgi custoditum, quo hodie Archiduces inaugurantur. *El. VI. iv.* 18.

MECHTILDIS Filia *Rudolphi* I. Imp. nupta *Ludovico Severo* Electori Palatino Ducique Bavariæ Super. sub an. 1274. *Dec. VIII.* j. 39.

RUDOLPHUS II. natuminor *Rudolphi* I. Imp. Filius. Cùm ann. 1276. *Otocarus*, occupatâ jam à Cæsare Austriâ, pacisci deberet, promissa est *Rudolpho* adhuc Adolescenti Sponsa *Agnes* Filia *Otocari* Boh. Regis, & pro dote 40. Millia Marcarum, datîs in pignus allodialibûs *Otocari* in Austria Bonîs. *Dec. VIII. j.* 65. Rege isto ann. 1278. iterum arma corripiente, rescissis Pactis anterioribûs, denuo autem victo, ac planè interfecto, cum Filio ejus *Wenceslao* pacta priora, & Nuptiæ *Rudolphi*, rursum instauratæ sunt, hoc addito, ut, si *Wenceslaus* Prole destitueretur, in Bohemiæ regno *Rudolphus* è vestigio succederet. 87. An. 1282. in Comitiis Augustanis à Patre, unacum Fratre *Alberto*, recepit Feuda Austriaca, tanquam eidem subsistutus, si Stirps illius deficeret. Ipse verò pro se Feuda Ducatus Sueviæ non consecutus est, quamvis communiter ita traditum fuerit. *Dec. IX. j.* 11. 24. Cum *Alberto* Fratre Duce Sororem suam *Gutham* Sponsam *Wenceslao* Bohemiæ Regi Pragam ad Nuptias adduxit Ann. 1286. ipse ibidem, ut volunt, pariter nuptus *Agneti*, Sorori Regis. 64. 65. Obiit Pragæ Sororem visitans ann. 1290. 95. Juxta alios Anno sequenti, Uxore gravida relicta, quæ postea *Joannem* Filium, Patrui Cæsaris occisorem, enixa est. *Dec. X. j.* 33.

RUDOLPHUS III. Primogenitus *Alberti* I. Imp. a Patre Ann. 1298. in Comitiis Norimbergensibus Feuda Austriæ ac Stiriæ accepit, & sui locò utrobique Dux regens institutus est. *Dec. X. j.* 69. Ann. 1299. ei Cæsar Pater depactus est Sponsam *Blancam*, Sororem *Philippi* IV. Franciæ Regis: quam duxit Parisiis Anno 1300. 77. In Austria, mandato Patris, *Valchenbergios* nimium in Cœnobia, aliósque Nobiles tenuioris fortunæ insolescentes, armata manu compescuit, atque è jure egit. 79.

RUDOLPHUS IV. Primogenitus *Alberti* II. *Contracti* Ducis, unacum Patre Ann. 1357. primùm supplicare cæpit apud *Innocentium* VI. Papam, ut *Leopoldo Pio* Austriæ Marchioni SS. Cultus decerneretur. *Elog. VI. iv.* 7. *sqq.*

CLASSIS XVI.

Duces Bavariæ.

Henricus Superbus.

Bavariæ simul atque Saxoniæ Dux, restitit *Henrico*, qui se inconsulto eligebatur Episcopus Ratisbonensis. *El. VI. iij.* 3. Defuncto *Lothario* Imperatore, cujus Filiam Conjugem habuit, frustra exspectabat Imperium sibi delatûm iri, *Conrado* III. Electo refractarius proscribitur, Saxoniâ *Alberto* Brandenburgico, Bavariâ *Leopoldo* Austriæ Marchioni collatâ. *Elog. VII. j.* 7. 8. 10. Saxoniam recuperat, non item Bavariam. Potentia ejus. Obiit Ann. 1139. 13. 14.

Leopoldus Austriacus.

Obtinuit Bavariæ Ducatum à *Conrado* III. Cæsare Anno 1139. Obiit Anno 1141. Vide Acta ejus hujus *Tabul. Class. X.* in *Marchion. Austr. Babenberg.*

Henricus Austriacus.

Huic pariter *Conradus* III. post mortem *Leopoldi* Fratris Conjugem dedit *Gertrudim*, Viduam *Henrici Superbi* proscripti, ac pro dote Bavariam, ann. 1142. Quam verò ab ipso rursum abstulit *Fridericus* I. Imp. Austriæ Provinciam supra Anasum, ex Bavaria decerptam, adjiciens, illámque erigens in Ducatum Anno 1156. Vide *Class. XI.*

Guelfo.

Frater *Henrici Superbi*, eô proscriptô pro ipso, à morte autem ejus Bavariam sibi ipsi vindicaturus, perpetua in *Conradum* Regem, ambósque per ipsum in Bojaria institutos Duces, *Leopoldum* & *Henricum*, signa sustulit, jam cædens, jam cæsus: usquedum ann. 1149. aut sequenti ad pacem adigeretur. *El. VII. j.* 13. *ij.* 1.-4. *El. VIII. j.* 8. 20.-22. *ij.* 1. 18.

Henricus Leo.

Filius *Henrici Superbi* proscripti Ducis, Patre defuncto Puer, suadente Matre *Gertrude*, ad votum *Conradi* III. Cæsaris, erga restitutam sibi Saxoniam, Bavariâ se abdicavit, ac permisit, ut Mater eandem *Henrico* Austr. Marchioni, cui nubebat, in dotem afferret. Obiit verò illa primo Anno cum Partu adhuc immaturo. *Elog. VIII. j.* 6. 7. 10. *vj.* 3. 4. Mortis ergo *Henricus* Bavariam repetiit, dilatûs primùm à *Conrado* Cæsare, dein repulsam ferens, atque propterea

 Arma

Arma corripiens. Cæsare Brunswigam obsidente, ipse ex Urbe quadam, ubi conclusus erat, astu elapsus, inexspectatus Obsessorem cedere compulit. *El. VIII. ij.* 22. Imp. *Fridericus* I. ad eum restituendum valde propendens, ipsi & *Henrico* Austriaco varias dies, in quibus eos componeret, edixit, Austrio non comparente. *iij.* 2. 6. Adjudicatur ei Bavaria 7. Comitatur Cæsarem in Italiam. 14. 15. Redux etiam in possessionem immittitur. 16. Componitur cum Austriaco, dimittens Provinciam supra Anasum, Austriæ in Ducatum erectæ, unitam. 17. Palestinam adiens, Austriam transit, occurrente eidem *Henrico* novo Duce, Vitrico suo: Viennæ summo cum honore excipitur, Ducémque Comitem in Ungariam habet. §. *v.* 32. - 37. Iterum cum Cæsare Italiam petens, & Longobardis deditis jam dimissus, his rursum arma corripientibus revocatus, enixæ Cæsaris petitioni, ut remaneret suo cum Milite, non acquievit, hoc pacto rationes ejus magnopere turbans, sed & iram Augustam sibi accersens. 42. Unde à Cæsare reverso, quemadmodum Pater, proscriptus fuit, Saxoniâ *Bernardo Anhaltino*, Bavariâ *Ottoni Witelspachio* concessâ. *Elog. IX. j.* 15. 16.

OTTO Witelspachius.

Comes, Ecclesiis, quarum Advocatus erat, gravis admodùm, & armis inquietis infestus, à *Conrado* Cæsare proscriptus, ac debellatus fuit ann. 1151. Filium obsidem dare coactus. *El. VIII. ij.* 26. De Cæsare postea *Friderico* I. optimè meritus, ab eo Bavariam consequitur ann. 1180. proscripto *Henrico Leone*, Electoralis hodiernæ Domus Parens, ipse porro Lineæ Palatinalis Schirensis Surculus, & *Arnulphi*, dicti *Mali*, Bavariæ Ducis, serus Nepos. *El. IX. j.* 16. Ejus Filius *Ludovicus* gladio accingitur. *Ib. ij.* 1. Scribitur *Otto Major*, & obiit primùm adeptæ Ducalis Dignitatis Bavaricæ anno tertio, i. e. 1183.

Ludovicus I.

Filius prioris, ad utriúsque Bavariæ Ducatum insuper acquisivit Electoratum Palatinum: Provinciâ suâ Bavaricâ per Comites *de Bogen*, & *Ortenburg* fœdè turbatâ, correptis in eos armis, effugatur: Sed Austriæ Duce æquè in Turbatores ulciscente, convaluit & ipse, donec Cæsar pacem imperaret. *El. IX. iij.* 3. 4. In dissidio Imperii adhæsit *Philippo* Regi. Quo occiso, ejus Filiam *Beatricem*, antè Æmulo, nunc Successori *Ottoni*, quasi paranymphus adduxit. Hoc autem diris devoto, consensit Electioni novæ *Friderici* II. *Dec. I. j.* 41. 46. In Palestinam ducens, ibidem Cruce Signatorum progressum est Damiata in Ægyptum infelicissimè urfit, ita, ut hæc quoque Urbs reddi Saracenis debuerit, ipso interea obside, donec traderetur. *Dec. III. j.* 4. 5. Consensit in Schardingæ Munitionem, à *Leop.* VII. Austr. Duce factam. 20. Filio suo *Ottoni* Solemnia Gladii agens, in cæteris Principibus *Henricum* Roman. Regem, & *Leopoldum* Austrium Hospites habuit: cui verò postremo ibidem vitæ insidiæ parabantur. 40. A Cæsare Filio Regi *Henrico* Tutor datus, aut potiùs Rector Juventutis, odium ejus incurrit, & armis violatus est, donec Filium obsidem daret: subitò verò sicaria manu planè occisus fuit ann. 1231. Causa, & Auctor latuerunt. *Dec. VI. j.* 1.

OTTO Illustris.

Rursum Elector Palatinus, & utriúsque Bavariæ Dux, æquè, ut *Ludovicus* Pater, *Henricum* Romanor. Regem hostem ex una, & *Fridericum* Austriæ Ducem ex altera parte, communi fœdere habuit. Regi se non opposuit: de Ducis hominibus gravem ultionem sumsit, donec Præsules pacem resarcirent. *Dec. IV. j.* 35. 39. 41. Austriaco proscriptô, jubente Cæsare, invasit Austriam Superiorem: ad Lincium verò cum Sociis omnibus frustra fuit. 68. Propter unum *Sigebotonem de Neuburg*, in Bavaria grassatum, fertur *Otto* quingenta Templa effregisse, & Bona illuc congesta, sive Cleri, sive plebis essent, abstulisse, donec hostis antefatus caperetur. *Dec. V. j.* 39. Gravissima ac diuturna in discordia Sacerdotii, & Imperii, primùm à Pontifice fortiter stans, deinde ad partes Cæsaris pellectus, ab hoc se dimoveri non permisit. Castrum Obernberg sex mensibus frustra obsedit. 40. Electum jussu Pontificis Roman. Regem *Henricum* Thuringum non agnovit: contrà verò *Conrado*, Filio Cæsaris diris devoto, Filiam suam nuptui dedit, ejúsque vires contra Æmulum Regem pecunia & Milite ubique sustentavit. 60. Anno 1246. occiso *Friderico* Austr. Duce, invasit Provinciam supra Anasum. 81. Ann. 1249. à Cæsare, ob vicinitatem, constitutus est suo Nomine Austriæ Rector. Jusserat autem Papa Episcopos, ut modis & viis omnibus Bavarum Ducem ad Ecclesiæ obedientiam revocarent, diris, & armis eidem intentatis. Sic ille exagitatus, noluit Austriam ipse curare, sed ei potiùs de proprio Principe *Hermanno* Badensi, è Sorore suæ Conjugis genito, providere satagit, postquam ejusdem Nuptias cum *Gertrude* Babenbergica procuravit. 90. 94. Defuncto *Hermanno*, Provinciæ supra Anasum cupido cum rursus invasit ann. 1250. 100. Ann. 1253.

1253. eundem, Diris Pontificiis laborantem, geniali die subitò Mors ex epulis rapuit, metuentibûs plurimis, ne infeliciter. *Dec. VI.* j. 17.

LUDOVICUS II. Severus.

Ottonis Filius natumajor, Elector Palatinus post Patrem, & Superior. Bavariæ Dux, levi è suspicione temeratæ fidei Conjugalis, occîdit *Mariam* Brabantinam Conjugem suam primam ann. 1256. Deprehenso autem errore suo, præ nimia amaritudine animi, necdum tricenarius, una nocte totus incanuit, & ab hoc præcipiti facto *Severi* cognomen ore ac calamo retulit. *Dec. VI.* j. 26. Fratri *Henrico* infer. Bavariæ Duci contra *Otocarum* Regem celeriter & utiliter auxilium tulit. 32. *Conradinum* Sueviæ Ducem, *Conradi* Regis Filium, suúmque ex Sorore *Elisabeta* Nepotem, ut puerum quasi Tutor fovit, adultum opibûs & armis expedivit, ipse quoque an. 1267. in Italiam comitatus est ad vindicandum avitum Siciliæ Regnum: diris tamen Pontificiis absterritus, eundem, retrogressus, cùm plurimùm præstare debuerat, reliquit. 30. Ad expiandum innocenter occisæ Uxoris crimen, jubente Papa, condidit Monasterium Cisterciense non longè Monachio, cui nomen *Campi Principum*, vulgò *Fürstenfeld.* §. *ij.* 2. Anno 1273. instante Electione Romana, & commendato Principibus *Rudolpho* Habspurgico, primùm dubius hæsit, deinde, cùm in se compromissum esset, ipsum è voto omnium nominavit Regem. *Dec. VIII. j.* 13. Qui ei Filiam *Mechtildem* Uxorem dedit, & omnia *Conradini* bona Suevica, sibi debitô obligata, confirmavit. 36. Oratori *Otocari* Bohem. Regis ad Comitia Augustana Episcopo Seccoviensi, vehementer adversus Cæsarem detonanti, sic iratus fuit, ut irruisset in eum, nisi Imperator vetâsset. Ipsum contrà Frater proprius *Henricus*, ne Cæsarem juvare posset, ex fœdere cum *Otocaro* hostiliter lacessivit. 43.-45. Cum hoc verò, Cæsaris armîs, dum Austriam accederet, exterrito pacem ipse primus feriit, tum eundem etiam Imperatori conciliavit, ambobûs Cæsarem comitantibûs. 61. Ann. 1276. Viennâ jam captâ Coarbiter pacis exstitit *Rudolphum* inter, & *Otocarum.* 64. Hoc Rege arma iterum capiente, Elector, subsidiarias quidem Cæsari copias adduxit, non tamen in arenam, sed cum iis in finibus Austriæ Superioris substitit, Fratrem potiùs adjuturus, si Cæsar victus fuisset. 96. Offendit quidem hoc pacto, tantâ tamen Imperatoris gratiâ valuit, ut Fratrem, qui rursum cum *Otocaro* fœdus percusserat, illi, denuo reconciliaret ann. 1281. *Dec. IX.* j. 4. Anno 1282. dum *Rudolphus* Cæsar Austriam & Stiriam Filiis conferre vellet, aut non reclamârunt Duces Fratres Boii, aut Frustra id egissent, aliter decernente Principum Senatu. *Ludovicus* Elector ad hanc collationem disertum consensum præbuit. 22. In dissidio Fratris cum *Alberto* I. Austr. Duce ob dotem Conjugis restituendam, *Ludovicus* exigentibus Pactis adversus Fratrem sententiam dixit ann. 1283. 29. Hunc cum Archiep. Salisburgensi collisum rursum composuit. 58. Sub ann. 1290. perdidit Filium Primogenitum *Ludovicum* equestri è ludo obeuntem. 95. Anno 1292. gravem in suspicionem venit Elector, unacum *Alberto* Austr. Duce, apud *Adolphum* Cæsarem de insidiis vitæ sibi paratis: neque ulla purgatio juvit, donec Arma Cæsarem à calumnia depellerent. *Dec. X.* j. 32. In gravissima collisione *Alberti* Ducis cum Archiep. Salisb. Arbitri munus iterum iterúmque difficillime tentavit, nec antea peregit, quàm, tametsi Laicus, Ecclesiasten induisset, & ambos lethaliter dissidentes in summam subditorum perniciem seria commonitione Judiciorum DEI perterruisset ann. 1293. 36. 38. Obiit anno altero, Fürstenfeldæ suo in Cœnobio sepultus. §. *ij.* 9.

RUDOLPHUS Palat.

Filius & Successor *Ludovici* II. in Palatinatu Electorali, & Super. Bavariæ Ducatu. Ann. 1298. *Alberto* Austriaco, Romanam ad Coronam vocato, transitum per provinciam suam ægrè permisit, *Adolpho* fidelis persistens. *Dec. X.* j. 64. Cum quo & in acie stetit adversus *Albertum* jam electum: sed victo illo &, occiso, sibi fugâ consuluit. 67. Reconciliatus postea, eidem, dum iterum eligeretur, & ipse Votum addidit. 68.

HENRICUS Infer. Bav. Dux.

Erat natuminor *Ottonis Illustris* Filius, *Ludovici* II. Frater, in arma corripienda undique citissimus, quæ tamen oborta difficultate facillimè iterum dimisit. Vivente Patre, dum Austriaci ann. 1251. *Otocarum* Ducem reciperent, Stirii ad ipsum conversi, Provinciam suam eidem obtulerunt. Quam suscipere, inconsulto *Bela* Ungar. Rege, non ausus, hunc potiùs juvit, Stiriam suo Filio *Stephano* vindicantem, donec Pater *Otto* moreretur. *Dec. VI. j.* 2. 5. 17. Huic in gubernanda Bavaria inferiori successit ann. 1253. Primam ei vastationem intulit *Otocarus* Bohemus: donec à Fratre *Ludovico* Palatino Electore adjutus, Rege elapso, de Grassatoribus reliquis insignes poenas repetierit. 32. Cùm Papa *Otocarum* quasi Advocatum Salisburgo

go dedisset, excanduit *Henricus*, cùm ea Ecclesia ex dono Ducum Bavariæ surrexerit. Quare Urbem aggressus, durè in eam pugnavit, usquedum subito, & horribili sudi cœli fulmine perteritus, abscesserit ann. 1263. *Dec. VII. j.* 20. Iterum ab *Otocaro* subita vastatione vexatus, ultionem de eo vehementem sumebat ann. 1266. 29. Pace anno altero inter eos per Cardinal. Legatum facta, pepigerunt simul etiam fœdus in *Rudolphum* Imp. *Dec. VIII.* j. 11. 13. Idcirco etiam Fratrem *Ludovicum* Palatinum armis insecutus, à Cæsare semel ac iterum epistolis, ut resipceret, admonebatur. 44. Eidem *Otocarus* confidens, Austriam adversus Imperatorem parum, aut nihil communicbat. Sed is cum omni exercitu Bavariam statim adortus, *Henricum* illico terruit, ut primùm cum Fratre componeret: deinde per hunc Cæsaris gratiam quæreret. Hanc obtinuit, *Otocaro* renuncians, fœdus cum Cæsare feriens, Filio suo *Ottoni* Nuptias cum *Catharina* Imperatoris Filia depactus, grandémque Auri Summam Cæsari mutuam tradens, Austriâ Superiori pro eadem sibi inpignus obligatâ, ann. 1276. 61. Revindicatis per Cæsarem Provinciis offensus, quòd is Austriam eidem administrandam non tradiderit, iterum *Otocaro* novum in fœdus manus dedit, ann. 1277. 75. Cæsar eidem iram commodum in tempus reservavit. 96. An. 1281. Cæsar Viennâ digrediens, accessit Bavariam. Stabat *Henricus* in armis, sed animo concidit, rursumque pacem rogavit, sibi datam eo pacto, ut aurum, quod antea mutuum dederat, Imperatori remitteret, & Austriam Superiorem, quam pignori habebat, gratis restitueret. Filio ejus Dotis loco à Cæsare assignatæ Urbes, Neoburgum ad Oenum, Schardinga, Freystadium, aliæque conterminæ, reddendæ tamen, si Conjux ejus absque Prole decederet. *Dec. IX. j.* 4. Dux fovendô Paltramum Vazonem, Præsules dirè persequentem, Episcoporum iram incurrit. 8. Defuncta Filii *Ottonis* Conjuge, Cæsaris Filia, dotem, ut in pactis erat, reddere nolens, *Alberto* Austriæ Duci arma ostentavit: concordia tamen Arbitrio Fratris Electoris Palatini reducta. 29. Biennio postea ann. 1285. Frater eum, cum Archiepisc. Salisburg. iterum collisum, denuo composuit. 58. Ann. 1290. Filius ejusdem natuminor *Stephanus* eligebatur Salisburgi, non approbatus à Pontifice: Pater verò eodem anno vita decessit. 94. 95.

OTTO Infer. Bavar. Dux.

Filius *Henrici* prioris. In eum quidam Ungariæ Magnatum, occisô *Ladislao* Rege, inclinarunt, quia natus erat ex Ungarica Principe: ideo vulgò appellabatur *Otto* Rex. *Dec. X j.* 3. A *Conrado* IV. Archiep. Salisb. in fœdus pertractus, spe Stiriæ obtinendæ, cum eo, & perduellibus Provincialibus, arma populantia conjunxit adversus *Albertum* Austr. Ducem. Hujus verò superventuri metu à Prucka Urbe Stiriæ celer aufugit. 23. 26. 27. Idem in Carinthia fecit ante Castrum Freiberg, metu *Meinhardi* Carinth. Ducis. 35. Pax inita an. 1293. 38. Eâ ruptâ, anno 1296. Archiepiscopo rursus Auxilium tulit apud Oppidum Rastatt Salisburgense, ab *Alberto* Duce obsessum. 49. Ann. 1298. Duci, ad Coronam Romanam contra *Adolphum* Regem vocato, cui prostremo ipse fidelis perstitit, ægrè transitum per Bojariam cum copiis permisit. 64. Contra jam electum in Castris *Adolphi* militavit, hoc occiso fugâ elapsus, ac postea in *Albertum* electum votô consentiens. 67. 68.

CLASSIS XVII.

Duces, Marchiones, & Principes varii.

ANHATINI.

BERNARDUS Princeps *Anhaltinus*, proscripto *Henrico Leone* Bavar. & Saxoniæ Duce, à *Friderico* I. Imp. an. 1180. obtinuit Saxoniam. *El. IX. j.* 15. 16.

ALBERTUS Episc. Hildesheimensis, fundavit Aderslebium Parthenonem Cistercicnsem an. 1282. *Dec. IX. ij.* 4.

BRABANTINUS.

HENRICUS Brabantiæ Dux, fœderatus *Ottoni* IV. Imp. & *Joanni* Angliæ Regi contra *Philippum Augustum* Franciæ Regem, ab hoc ad Bovinas cum suis fœderatis ad internecionem cæditur, ægrè fugâ elapsus. *Dec. II.* j. 19.

BRANDEBURGICUS.

OTTO Marchio *Otocarum* Bohem. Regem, qui Sororem ejus Conjugem habebat, adjuvit contra Prutenos an. 1254. *Dec. VI. j.* 22. Item in triumpho contra *Belam* Ungar. Regem ann. 1260. electus postea Pacis Arbiter, pacto simul connubio Filiæ suæ cum juniore Filio *Belæ* Regis 42. Tertiùm eidem adfuit in bello priori contra *Rudolphum* I. Imp. captâ Viennâ denuo Coarbiter Pacis ann. 1276. *Dec. VIII. j.* 64. Instaurato per *Otocarum* bellô, ipsóque in ac e occiso, Marchio Cæsari, in Bohemiam grassanti, exercitum novum opposuit, in tutelam *Wenceslai*, tanquam Avunculus ejus. Pax citra prelium coaluit. 87. Tutor *Otto*, Rege puero in Marcam abducto quasi captivo,

vo, Regnum opibus exhausit, & summam in miseriam conjecit. Bohemos deinde in Cæsarem vehementer incitans, cogitâsse fertur, si bellum oriretur, eos omnes Cæsari prodere, atque ad interitum tradere: quam perfidiam Imperator sit execratus. 95. A Bohemiæ Statibus, si Regem suum cuperent, 20. Marcarum millia & à Rege pro bene gesta Tutela alia quinque Marcarum millia poscens, in pignus Urbes, ac Castra plurima Bohemiæ extorsit, suo Milite occupata. Quæ cum Rex per Oratores detulisset ad Cæsarem, ille hæc pacta potestate rescidit. *Dec. IX. j.* 30.

BRUNSWICENSIS.

HENRICUS Dux à Fratre *Ottone* electo Roman. Rege descivit. *Dec. I. j.* 14.

CARINTHIÆ.

HENRICUS tam Senior, quàm Junior, item *Engilbertus*, Carinthiæ Duces, impugnant Castrum Frisacum Salisburgensis juris. *Elog. VI. iij.* 4.

HERMANNUS Dux è Comitibus Ortenburgicis, post primam Conjugem *Mariam* Principem Bohemicam improlem, duxisse scribitur *Agnetem*, Filiam *Henrici Jasomirgott* Austr. Ducis, Viduam *Stephani* III. Ungariæ Regis, & ex ea procreâsse *Ulricum* & *Bernardum*, ambos post se Carinthiæ Duces. *El. VIII. vj.* 16.

BERNARDUS Carinthiæ Dux cum *Eckeberto* Babenbergensi Episcopo reconciliatur per Laudum *Eberhardi* Archiepisc. Salisburg. & *Leopoldi* VII. Austriæ Ducis. *Dec. III. j.* 37. Anno 1230. adfuit Ecclesiæ Campililiensis Dedicationi, & Sepulturæ mox laudati Ducis. *Ibid. §. iij.* 28. Bellum ejus cum *Eckeberto* Episcopo Babenbergensi, quem captivum diu detinuit. *Dec. IV. j.* 31. Proscripto Austriæ Duce *Friderico* fuit inter Executores à Cæsare constitutos. 68.

ULRICUS Carinthiæ Dux, Frater prioris, fœderatus *Belæ* Ungariæ Regi, cum Bohemis irrupit in Austriam anno 1245. Sed victus, captusque, ac diu detentus fuit, donec se pecunia redimeret. Ei *Fridericus* Austrius exprobrâsse fertur, quòd Pantheram Stiriæ suis in Insignibus referret, quasi hæc sua adhuc Provincia foret. Duxit *Agnetem* de Merania, ab Austriaco antea repudiatam. *Dec. V. j.* 54. 55. Adjuvit *Otocarum* Bohemiæ Regem in triumpho adversus *Belam* Ungarum, pacisque ibidem Coarbiter fuit. *Dec. VI. j.* 42. Prima Conjuge defuncta fertur duxisse iterum *Agnetem*, Filiam *Hermanni* Marchionis Badensis, & *Gertrudis* Austriacæ. *Dec. VII. j.* 20. Anno 1269. defuncto *Gregorio* Patriarcha Aquilegiensi, vota impetravit Fratri suo *Philippo*, dudum antea electo, sed iterum dejecto Archiepiscopo Salisburgensi: quam Ecclesiam annis pluribus miserrimè vastaverat. Aquilegienses *Ulricum* Ducem etiam Præfectum Fori Julii constituerant. Dum autem subitò morbo correptus ibidem vita decessisset, prole carens, & antea Ducatum Carinthiæ, conscio quidem Fratre, sed inconsultò Romano Imperiò, *Otocaro* Bohemiæ Regi vendidisset, Aquilegienses etiam ab Electione Fratris restiterunt. 45. Qui sacris Principatibus ubique excidens, avitum Ducatum ambivit, magnam Carinthiæ partem subitis armis occupans, donec ab *Otocaro* depelleretur. 47. 48.

MEINHARDUS Comes Tirolis, cui nupsit *Elisabeta* Bavara, Vidua *Conradi* Romanor. Regis, Mater *Conradini* Suevi: quem Privignum suum ipse in Italiam ad vindicandum Siciliæ Regnum comitatus est. *Dec. VII. j.* 30. Eo infeliciter capto, Mater cum thesauris Neapolim festinavit, ut eum redimeret: venit autem illo jam percusso, neque facultatem à *Carolo* Siciliæ Rege accepit, Ecclesiam pro eo condendi. 44. Dicitur *Meinhardus* anno 1273. instante Electione Romani Regis Principibus *Rudolphum* quoque Habspurgicum proposuisse. *Dec. VIII. j.* 14. Ejus Filiam *Elisabetam* illico copulatam esse *Alberto* Primogenito *Rudolphi* mox electi Cæsaris, fallit. 26. Ann. 1276. interfuit Expeditioni Cæsaris in Austriam adversus *Otocarum*: ubi ad Stirios, Carnósque per ambages declinavit, ut eos Cæsari obsequentes redderet. 61. Rogante Conjuge *Elisabeta* cum ipsa inchoavit Cœnobium Stamsense in Tiroli Ord. Cisterc. ant. 1273. Ipsa verò statim defuncta, illud solus perfecit, atque dedicari curavit ann. 1284. *§. ij.* 5. 6. Item *Dec. IX. j.* 15. Non videtur duxisse alteram Uxorem, ex Matre Babenbergicam. Et, si duxerit, non illa, sed prima Uxor, fuit Parens *Elisabetæ* Filiæ, quam Pater *Alberto* Habspurgico Conjugem tradidit. 16.-19. Ipse *Meinhardus* Feuda Ducatus Carinthiæ à *Rudolpho* Cæsare non consecutus est anno 1282. 23. Ejus Filia altera ann. 1285. Viennæ nupsisse dicitur Landgravio Thuringiæ. 61. Ann. 1286. ipsi, ac posteris ejus Maribus, à Cæsare, petentibûs Filiis *Alberto* ac *Rudolpho* Austr. Ducibûs, Feuda Carinthiæ collata sunt, cum pacto, ut hærede mare nullo superstite, Austriaci succederent. 63.

Anno 1292. *Albertus* Austriæ ad Electionem Romanam profecturus, *Meinhardo* commisit Stiriæ curam, si Provinciales novi aliquid molirentur. *Dec. X. j.* 28. Eapropter *Otto* Bavariæ Dux, Comes *Heimburgicus*, & alii Carinthiam infestârunt, Oppidóque S. Viti per fraudem occupato, *Ludovicum* Filium *Meinhardi* ceperunt. Supervénit etiam Archiepiscopus Salisburgensis. Verumtamen in obs-

obsidione Castri Freiberg, nunciatô *Meinhardi* adventu, ex abscessu Bavarorum etiam Archiepiscopus fugere debuit. Ejus tamen in Carinthia Præfectus *Ottonem* alterum *Meinhardi* Filium vexare non destitit. 35. Dux, quia Episcopis, Tridentino, ac Brixiensi, durior fuit, jussu *Cœlestini* Papæ V. à *Conrado* IV. Archiepisc. Salisburgens. diris devotus fuit Anno 1294. Resipuit verò Anno sequenti, missóque Abbate Stamsensi, quod Monasterium ipse fundavit, Romæ absolutionem rogabat. Quam ei, sed interea jam defuncto, retulit Abbas, moxque eundem suo in Cœnobio Patribus suis, apposuit anno 1295. §. ij. 12.

CARNIOLIÆ.

ENGELBERTUS *de Grainburg* Carniolæ Marchio. Quo absque Liberis demortuo, Status Principatum suum obtulerunt *Friderico Bellicoso* Austriæ Duci ob famam Generositatis. *Dec. IV.* j. 39. 43.

FLANDRIÆ.

FERDINANDUS Flandriæ Comes fœderatus cum *Ottone* Imp. & *Joanne* Angliæ Rege, post cladem acceptam à *Philippo* Galliæ Rege captus, ac Parisios perductus. *Dec. II. j.* 19.

HOLANDIÆ & SEELAND.

JOANNES Holandiæ & Seelandiæ Comes Ultimus improlis toxicô necatus anno 1299. erat *Wilhelmi* Romanorum Regis ex Filio *Florentio* Nepos. Post fata ejus *Albertus* I. Imp. utrumque Comitatum ut Feuda Imperio aperta respiciens, ea postulavit à *Joanne* altero, Hennegoiæ Comite, prioris Cognato, & æque *Wilhelmi* Regis Nepote ex Sorore. Neganti eosdem ann. 1300. armis adimere voluit: sed vitæ insidias sibi proditas ægrè effugiens, opere infecto reverti debuerat. *Dec. X.* j. 82.

MASOVIÆ DUX.

CONRADUS Prutenis i. e. Prussis infidelibus, qui Polonis jam conversis admodum erant molesti, subigendis impar, contra eos Ordinem Teutonicum vocavit. *Dec. V.* j. 38.

MISNIÆ.

HENRICUS *Illustris* Misniæ Marchio Sponsam sibi paciscitur *Constantiam*, Filiam *Leopoldi* VII. Austriæ Ducis anno 1225. *Decad. III.* j. 18. Nupsit eidem apud Stadlau Austriæ ann. 1234. in præsentia Regum, Præsulum, Ducum. *Dec. IV.* j. 39. 42.

MORAVIÆ.

LEOPOLDUS Moraviæ Dux Maritus *Ithe* Filiæ *Leopoldi* III. *Pulchri* Austriæ Marchionis. *El. V.* iij. 2. 3.

THEOBALDUS Marchio. Ejus Filius *HENRICUS* Patri succedens anno 1223. & Uxor ejus *Agnes*, vel *Chunigundis*, paralytici, votô Cellarum Marianarum in Stiria visitandarum persanati, Peregrinatione sua ann. 1226. eidem quotidiano nunc Gratiarum Loco primam famam conciliâsse feruntur. *Dec. III.* j. 31.

ULADISLAUS Marchio perperam fertur, ab Austriacis lacessitus, auxilium *Premislai* Regis Bohemiæ implorâsse, quod ipsi Filius ejus *Wenceslaus* fœda Austriæ vastatione tulerit ann. 1229. *Dec. III. j.* 71. 72.

OBOTRITORUM.

PRIBIZLAUS Obotritorum, i. e. Slavorum Regulus cum *Henrico Leone*, Bavariæ & Saxoniæ Duce, profectus in Palestinam. *Elog. VIII. v.* 33.

OPPELIÆ.

WLADISLAUS Oppeliæ in Silesia Dux Fundator Cœnobii Raudæ Cisterciensis ann. 1252. *Dec. VI.* ij. 5.

POMERANIÆ.

SUANTEPOLTUS Pomeraniæ Dux Victorias Ordinis Mariani sive Teutonici contra Prutenos infideles, timens, cum his, licèt ipse fidelis, adversus Ordinem pugnavit, contrà verò Cruce signati adversus ipsum. *Dec. V.* j. 48.

SAXONIÆ.

HENRICUS *Superbus* Pater, & HENRICUS *Leo* Filius Bavariæ & Saxoniæ Duces proscripti. Vide utrumque *Class. priori* in Ducib. Bavar.

BERNARDUS Anhaltinus Princeps à *Friderico* I. Cæsare, proscripto *Henrico Leone*, Saxoniam accipit anno 1180. Primus ejusdem è Gente Ascania Dux. *El. IX. j.* 16.

SILESIÆ.

ULADISLAUS *Sputator* Silesiæ, & antea Supremus Poloniæ Dux, Maritus *Agnetis*, Filiæ *S. Leopoldi* Austriæ Marchionis, ejúsque perardua fortuna. *El. VI. vij.* 7.-10.

BOLESLAUS *Altus* Filius ejusdem, cum Fratre *Miecislao* Stirpem Piasteam longè celeberrimam in Silesia inchoans, Lubense Cœnobium Benedictinum Cistersiensibus tradidit. *Ibid.* 11. 12.

STIRIÆ.

Provinciæ hujus Comites, & Marchiones primi: quorum aliquando Sedes erat Stira Urbs, hodie Austriæ Superiori adnumerata. *El. V. ij.* 2. 3. Marchio Primus *Otocarus* nupsit *Elisabetæ*, Filiæ *Leopoldi* III. *Pulchri* Austriæ Marchionis. Pro dote verò eundem accepisse Oppidum Wilhelmspurg, & longum adhuc Tractum post illud, non videtur. Cœnobia Garstense, & Runense, horum Conjugum Fundationes. *Ibid.* 4.-6.

OTO-

OTOCARUS Junior Marchio ex fœdere cum *Guelfo*, cujus è Sorore Nepos erat, vastavit Austriam. *Elog. VIII. j.* 21. 22. Cruce signatur pro Oriente. *Ibid. §. ij.* 1. Obiit sub iter Palestinum, & laudatur. *Ibid. iv.* 33. *v.* 14.

OTOCARUS rursum Junior non videtur ob teneritudinem pueritiæ cum *Henrico Leone* in Palestinam profectus. *El. VIII. v.* 34. Instinctu Cæsaris, ipso puero, Ministeriales ejus pugnârunt cum Bohemis in *Henricum Jasomirgott* Austriæ Ducem. Penitus verò fallit, eidem à Cæsare Austriam, ob infidelitatem *Henrici*, traditam fuisse. 43. 44. Ipse à Cæsare ann. 1180. creatur è Marchione Stitriæ Primus Dux. *Elog. IX. j.* 17. Hæredem Ducatûs post se designavit *Leopoldum Virtuosum* Austr. Ducem: cujus tamen Filiam, ipse leprosus, non habuit: neque eidem hanc Provinciam vendidit: neque ante mortem resignavit. 31. - 36. Donationis tamen hujus causâ *Bela* Ungariæ Rex ei bellum comminabatur, sed non intulit. *Ibid. §. ij.* 11. Obiit, eidémque *Leopoldus* Austr. successit. *§. iij.* 1.

SWEIDNICII.

BOLCKO, sive *Boleslaus*, locum Grissowe, aut potiùs Fundum emens à Cœnobio Benedictino Opatowicensi, ibidem Cisterciense Monasterium construxit ann. 1292. à se dictum *Gratiam S. Mar. V.*, vulgò Grissau in Boëmia sub ingressum Silesiæ. *Dec. X. ij.* 3. - 5.

SUEVIÆ.

FRIDERICUS *de Hohenstaufen* Sueviæ Dux creatus ab *Henrico* IV. Imp. fuit primus Maritus *Agnetis*, Filiæ ejusdem Cæsaris, quam postea duxit *Leopoldus Pius* Austr. Marchio. Fundavit cum ea Monasterium Laureacense, eratque Avus Regum, & Imperatorum. *El. VI. v.* 2.

THURINGIÆ.

LUDOVICUS Landgravius, S. *Elisabetæ* Ungaricæ Maritus, Cruce signatus, ob longam sub æstivo calore in Apulia moram, quam *Fridericus* II. Imp. trahere coëgit, cum plurimis aliis interiit. *Dec. III. j.* 33.

HENRICUS Frater prioris, postea Romanorum Rex adversus *Fridericum* II. electus, Cæsari huic Viennæ præsens, dum eam Urbem *Friderico* Duci Austriæ eripuisset, nihilominus tunc ab hoc Duce Sororem ejus *Gertrudem* sibi Sponsam pepigit, eámque deinde ann. 1239. armis Cæsaris adhuc strepentibûs, duxit in Civitate nova, manifestô documentô, Proscriptionem Ducis umbratilem solummodo Ludum Imperatoris, Principibus non incognitum fuisse. *Dec. IV. j.* 87. 88.

VENETIARUM.

SEBASTIANUS *Zani* Venetorum Dux. Sub eo Venetiis facta est Reconciliatio *Friderici* I. Imp. cum *Alexandro* III. Papa; absque tamen eo, quòd Veneti fugitivum Româ, ac personatum Papam, subitò cognitum, receperint, Classem pro eo instruxerint, navali prelio Cæsarem superaverint, ejúsque Filium *Ottonem* ceperint, ac tanquam Arbitrum, & obsidem concordiæ tenuerint, & quidquid fabularum in hoc facto reliquum est. *Elog. IX. j.* 6. - 10.

TABULA III.
MISCELLANEA
Exhibens
Familias, Loca, Scriptores, Res disparatas, Monita & Observationes varias.

CLASSIS I.

Familiæ diversæ.

de Altenburg Domini Fundationi Campililii primùm in parte reclamârunt ann. 1209. *Dec. I. iij.* 43. 44. Iterum anno 1230. *Dec. III. iij.* 32. Tertiùm anno 1257. *Dec. VI. iij.* 5. - 7.

de Andechs Comites commemorati. *El. VI. vij.* 2. 3.

de Aufenstein *Conrado* Imp. *Rudolphus* I. Carinthiam, ab *Otocaro* vindicatam, administrandam commisit anno 1277. *Dec. VIII. j.* 75.

AUSTRIÆ vetustissimi Comites præpotentes, scripti Marchiones, *Sigfridus*, *Meginhelmus*, *Wilhelmus*, incertæ Stirpis. *Elog. III. ij.* 15.

de Berchtolsdorf *Otto* Camerarius Austriæ ann. 1281. *Dec. IX. j.* 7.

de Berck Comitissæ *Utha* & *Ludmilla*, sibi, & Sodalibus excitârunt Parthenonem Cistercienſem in Bohemia, dictum Frauenthall ann. 1265. *Dec. VII. ij.* 14.

de Berneck Comes *Gebhardus*. Ejus Filius *Smilo* Fundator Cœnobii Cisterc. Rosæ S. Mariæ in Moravia anno 1264. *Dec. VII. ij.* 12.

de Bichellee Nobiles Domini fundârunt Parthenonem Cisterc. Tannikon, seu Vallem Liliorum Helvetiæ anno 1257. *Dec. VI. ij.* 12.

de Bogen Comites *Fridericus*, & *Albertus* Cognati. *El. VI. iij.* 3. Ex his posterior Advocatus Cœnobii Altahensis, ei Monasterio gravissimè nocuit. Pugnavit in Comites Ortenburgicos, socio *Premislao* Rege Bohemo, cujus erat affinis, & Bavariam fœdissimè miscuit, concitatîs in se Bavariæ, Austriæ, Meraniæ Ducibûs. Pro quo ab *Henrico* VI. Imp. proscriptus fuit. *El. IX. iij.* 3. 4. Idem, aut junior *Albertus*, cum Cognato *Manegoldo* Episc. Patav. fœderatus, iterum in Rapotonem Ortenburgicum pugnavit. *Dec. II. j.* 14. Juvit *Fridericum* Bellicosum Ducem in recuperanda Austria Anno 1237. *Dec. IV. j.* 76.

Briennæ Comes *Gerardus* Fundator exstitit Ramerudi Cœnobii Cisterc. anno 1260. *Dec. VI. ij.* 22.

de Burthene sive *Butino* Comes *Eckebertus* Testis ann. 1156.

de Camenz Comes *Bernardus* Episc. Misnensis, Fundator Parthenonis Cisterciens. Stellæ S. Mariæ in Lusatia super. anno 1264. *Dec. VII. ij.* 12.

de Capella *Ulricus* in decretorio *Rudolphi* I. Imp. prelio cum *Otocaro*, subsidiarii Agminis Ductor, Cæsarem præsenti vitæ discrimini feliciter eripuit ann. 1278. *Dec. VIII. j.* 80.

de Cazenelenbogen, latinè *Catimellibociensis* Comes *Henricus* interfuit Expeditioni *Rudolphi* I. Imp. in Austria adversus *Otocarum* Regem ann. 1276. *Dec. VIII. j.* 61.

de Chunringen. Satorem præpotentis hujus Familiæ *Azonem* ann. 1043. *Poppo* Archiepiscopus Trevirensis *Adalberto* Marchioni transmisit. *El. III. ij.* 11. *Hadmarus* de Chunringen alter Zwetlensium Fundator ann. 1217. cum *Leopoldo* VII. Austr. Duce ivit in Palestinam, neque tamen in itinere mortuus, sed reversus. *Dec. II. j.* 41. *Henricus* & *Hadmarus* incentores intestini belli sub *Friderico* Austr. Duce anno 1231. Prior cognominari voluit *Hounde*, quod latinè reddendum *Manus*, non *Canis*. *Dec. IV. j.* 7. *sqq.* Hujus, cùm esset Rector Austriæ, fraus in abusione Sigilli Ducis, & ablatione thesaurorum ejus. Amborum perduellis molitio, humiliatio capto altero, tandem in Gratiam receptio. 11. - 16. Junior *Henricus* fidem *Otocaro* Bohemiæ Regi vel defuncto adhuc servans, & *Rudolphi* Cæsaris Gratiam quærere negligens, Castri præcipui Weitra jacturam fecit, cum Uxore *Bohemica* exulare jussus. *Dec. VIII. j.* 90. 93. Fratres *Leutoldus* Pincerna, & *Henricus*, constituti à Cæsare Consiliarii *Alberti* I. Filii ejus ann. 1281. *Dec. IX. j.* 7.

de Creuspeck *Bertoldus* primus Campililii Familiaris, primus Benefactor, & primus ibi quietem à morte capiens. Ejus Filius *Hartungus* Familiaris. *Dec. II. iij.* 25. 26. *Dec. III. iij.* 1.

à Cunstatt *Boceco* Bellidux *Wenceslai* Bohemiæ Regis adversus *Fridericum* Austr. Ducem, huic postremo in fraudem Regis favisse putabatur ann. 1233. *Dec. IV. j.* 29.

Drusiger Dapifer, *Friderici* Austriæ Ducis Militiam, Ordini Teutonico contra Prutenos infideles directam, generosè duxit ann. 1244. *Dec. V. j.* 47.

de Eberstein Comes N. Viennæ deditæ à Cæsare præfectus ann. 1236. Cæditur juxta Tulnam à *Friderico* Austriæ Duce. *Dec. IV. j.* 76. 81. Comes *Otto*, defuncto Duce, rursum ut Rector Austriæ ac Stiriæ à Cæsare missus, ob infidelitatem Terræ discedens, secum Obsides abduxit, sed interceptos vi aliena. 84. *sqq.*

de Falkenstein *Chalbochus* Fundator Monasterii Schlegel. *Dec. I. ij.* 9.

de Feldpach *Chuno* fundavit Parthenonem Cisterc. Helvetiæ Feldpach dictum ann. 1252. *Dec. VI. ij.* 5.

de Ferreto Comites Fundatores Michelbaci Parthenonis Benedictini: quem *Bertoldus* Episc. Basileensis ejusdem Stirpis ann. 1256. annexuit Cœnobio Lucellæ Cisterciensi. *Dec. VI. ij.* 11.

de Frangipanibus *Landus Sitinus* quartus Antipapa adversus *Alexandrum* III. Papam proclamatus, in Turri munita Romæ ferè biennio resedit: donec captus, & in exilium deportatus fuerit. *El. IX. j.* 12. 16. Stirpis hujus Dalmatinæ quosdam *Bela* profugus Ungariæ Rex, iterum redux in Regnum suum, à Tartaris desolatum induxit. *Dec. V. j.* 30. 31. Eorum aliquis ann. 1246. *Fridericum* Austriæ Ducem Babenbergicorum ultimum, improvidè Ungaros victos persequentem, occidit. 61. Rursum *Joannes* Præfectus cujusdam Oppidi Apuliæ, *Conradinum* Sueviæ, & *Fridericum* Austriæ Ducem, Stirpium suarum surculos ultimos, in fuga cepit, & *Carolo* Siciliæ Regi tradidit, postea capi-

capite plexos. *Dec.VII. j.* 40. Ann, 1671. *Franciſcus*, ipſe quoque ſui Generis ultimus, perduellionem ſuam in *Leopoldum* Cæſarem capite luit. *Dec. VI.* j. 66.

de Friburg Comes *Chunradus* Fundator Parthenonis Ciſterc. Vallis Rhenanæ ſub Ann. 1255 *Dec. VI. ij.* 10.

Fridbergenſes Burggravii Weteraviæ *Conradus*, *Rudolphus*, & *Hardegenus* Fratres, Nobiles *de Bicches*, item *Fridericus* Dominus *de Carbes*, collato ære fundârunt Parhenonem Ciſtercienſem, cui Nomen Vallis Angelorum, ann. 1268. *Dec. VII. ij.* 19.

de Fürſtenberg *Henricus* à *Rudolpho* I. Imp. ann. 1276. Ramandiolæ Præfectus in Italia conſtitutus. *Dec. VIII.* j. 51.

Gneuſſo Miles transegit cum Campililio ann. 1255. *Dec. VI.* iij. 3.

de Grifenſtein *Dietricus* Teſtis. *Elog. VI.* iij. 22.

de Gronnenberg Nobiles Domini *Gebhardus* Eques, & Frater ejus Præpoſitus ad S. Nicolaum in Magdeburg, fundârunt Parthenonem Ciſtercienſem S. Andreæ in Meyendorf ann. 1267. *Dec. VII.* ij. 18.

de Guetenberg *Leopoldus*, quo defuncto Uxor *Elizabet* benefecit Admontio, & Runæ. *Dec. I.* j. 26.

de Habſpurg Comes *Albertus*, Pater *Rudolphi* I. Imp. in Oriente apud Aſcalonem defunctus ann. 1240. *Dec. VIII.* j. 47. Comes *Rudolphus* (an ille, qui poſtea Auguſtus, an alius, incertum) ann. 1259. fundavit Wurmbacum Parthenonem Ciſtercienſem Helvetiæ. *Dec. VI.* ij. 19.

de Hackelborn Domini, *Albertus* & *Ludovicus* Fratres, è quorum Stirpe fuit S. *Gertrudis*, fundârunt Parthenonem Ciſtercienſem in Hadersleben ſub anno 1253. *Dec. VI.* ij. 7.

de Hadersleben Comes *Otto*, Dominus in Egelen, cum *Jutta* Conjuge Comitiſſa *de Blanckenburg*, ann. 1259. fundavit Sedem Marianam Parthenonem Ciſterc. in Principatu Magdeburgico. *Dec. VI.* ij. 19.

de Hachberg Comes *Albertus* interfuit Expeditioni *Rudolphi* I. Imp. in Auſtriam adverſus *Otocarum* Regem anno 1276. *Dec. VIII.* j. 61. Comes *Henricus* in decretorio Cæſaris cum Rege prelio ann. 1278. Suevorum Dux, Victoriæ Auguſtæ cum clamore ſuo: *Fugiunt, fugiunt*: initium dedit. *Ibid.* 81.

de Hajerlohe Comes *Albertus* Principum Electorum Nuncius erat, qui Viennâ *Albertum* Ducem ad Coronam Romanam contra *Adolphum* invitaret ann. 1297. *Dec. X.* j. 57. Idem à Duce Romam ad Pontificem Orator ſubmiſſus dicitur. *Ibid.* 62.

de Haimburg Comes *Ulricus*, Regulus dives in Stiria, cui *Otocarus* Rex *Agnetem*, Filiam *Hermanni* Badenſis, & *Gertrudis* Auſtriacæ, Viduam *Ulrici* III. Carinthiæ Ducis, ad Generis depreſſionem deſponderat, à Stiriæ Provincialibus, *Alberto* I. Duci obſequium renunciantibus, in fœdus pertractus, promiſſum Ducalis Dignitatis propter Uxorem retulit: cui ipſe Dux paulò ante ob hoc ipſum Jus Uxorium ſex millia Marcarum numerâſſe fertur. Subdolè autem omnia Seditioſi agebant, ut eum pecuniis emungerent. *Dec. X.* j. 20. 21. Erat attamen factioſorum princeps, & inter primos bellum inchoavit, in eo proſequendo pertinaciſſimus. 25. Sed ann. 1293. Ducis gratiam quærere coactus, exulare Stiriâ, ubi jam omnia propè Caſtra ſua perdiderat, juſſus eſt, & Neoſtadii ex aſſignatis reditibus vivere, paulò pòſt obeunte Conjuge ejus. Tunc redire in Patriam permiſſus, nunquam abinde læto vultu fuiſſe perhibetur. 36. 37.

de Halle Comites *Chunradus* Pater, & *Chunradus* Filius, Teſtes ann. 1156. *El. VIII.* iij. 18. Comes *Albertus* Teſtis in Privilegio *Friderici* I. Imp. pro Auſtria ann. eodem. 22.

de Hardeck Comes *Luitoldus* donavit Cl. Neoburgo Villam Höflein ann. 1248. *Dec. V.* iij. 13. Comites primæ Stirpis *Otto* & *Chunradus* Fratres ann. 1260. ceciderunt in conflictu cum Ungaris, nequaquam tamen ſui Generis ultimi. *Dec. VI.* j. 39. Comes *Henricus* Fundator primus Parthenonis S. Bernardi Ciſterc. in Sylva Nortica ann. 1269. *Dec. VII.* ij. 21. Comes *Bertoldus de Hardeck* ſecundæ Stirpis Conſiliarius *Alberti* I. ut Vicarii Auſtriæ ann. 1281. *Dec. IX.* j. 7.

de Haslau *Otto* Judex Provincialis Auſtriæ ann. 1281. *Dec. IX.* j. 7.

de Hauseck (*Huseckke*) *Otto* litem perdidit cum Cœnobio Seitenſtetenſi, ſententiâ *Leopoldi* VII. Auſtriæ Ducis ann. 1201. *Dec. I.* j. 5.

de Hohenberg *Friderici* Effigies Campililii marmoreo in tumulo ejus, incubans Pantheræ Stiriacæ pulvinaris locò, ſuæ Originis ergò: quem vulgus idcirco à ſimili beſtia occiſum fabulario rumore circumtulit. *Dec. V.* j. 63.

de Hohenfels *Conradus* Miniſterialis Ratisbonenſis *Conrado* Romanorum Regi Ratisbonæ apud S. Emeramum ſicariam necem fruſtra paravit ann. 1251. *Dec. VI.* j. 1.

de Imenerlehe *Chunradus* Miles benefecit Campililio. *Dec. IV.* iij. 3.

de Isenburg Comes *Engelbertus* Archiep. Colonien. à Propinguis Comitibus pro Justitia occisus ann. 1225. *Decad. III.* ij. 9. - 11. Comes *Rudolphus* novus Fundator Parthenonis Wohnenthalensis sub ann. 1256. *Dec. VI.* ij. 11.

de Justingen *Albertus.* Quid de eo fabuletur Enenchelius. *Dec II.* j. 5.

Iwanus Ungarus Comes Ginsiensis maximè discolus, Stirios & Austrios aliquando clade affecit sub ann. 1286. *Dec. IX.* j. 67. 68. Impugnatus, & expugnatus Ginsii ann. 1289. 82. 83.

Kala *Henricus* Calaber Vir Jllustris, *Friderici* II. Imp. Comes perdilectus in Palestinam, ibidem obiit sub anno 1228. Cujus Viduam *Lucretiam Ruffam* affinem suam Cæsar epistolâ consolatus est. Ejus Filii *Joannes* & *Henricus Kala* profugo de carcere *Henrico* Romanor. Regi, Cæsaris Filio, cum Filiolis ejus, hospitium secretum, victúmque præbuerunt, donec res proderetur, eapropter à Cæsare bonîs multati ann. 1236. *Dec. IV.* j. 65. 66.

de Kaunicz Comes *Wilhemus*, Bohemorum Ductor, scribitur Austriam barbarè vastâsse, & Viennam ad Muros destruendos coëgisse. Quapropter postea compunctus, Romam iverit, Monasterium condere jussus. Inde Origo Kaunіczii Parthenonis Præmonstratensis. *El. VIII. v.* 46.

de Landensee *Hermannus Alberto* I. Duci Austriæ, Principatum ineunti, Comes datus à Patre Cæsare ann. 1283. *Dec. IX.* j. 26. Contra Ungaros egressus, cladem accepit, & ita cum suis conclusus fuit, ut pacem, quam vellent hostes, Dux admittere debuerit. 68. Ob eum, cæterósque Suevos, nimiâ fortunâ crescentes, tam Austriæ quàm Stiriæ Provincialium seditio in Ducem oborta est. *Dec. X.* j. 6.

de Landsperg *Erchengerus* Consiliarius *Alberti* I. Ducis ann. 1281. *Dec. IX.* j. 7.

de Leiningen Comes *Fridericus* interfuit Expeditioni *Rudolphi* I. Imp. conta *Otocarum* in Austriam ann. 1276. *Dec. VIII.* j. 61.

de Lengenpach Dapifer *Fridericus* Consiliarius *Alberti* I. Ducis ann. 1281. *Dec. IX.* j. 7.

de Liechtenstein *Henricus* Cruce signatus contra Prutenos, ibi fortiter pugnavit ann. 1244. *Dec. V.* j. 47. Idem, vel alius *Henricus*, erat Nuncius Provincialium Austriæ in Misniam, cum Sociis Pragæ detentus à Rege Bohemiæ anno 1251. *Dec. VI.* j. 4. Dominus *Otto* Senior, claritate, auctoritate, prudentia per omnem Stiriam primus, à *Rudolpho* I. Imp. ann. 1281. Stiriæ Præfectus constitutus, deinde ad instantes preces suas ab *Alberto* I. Duce suæ quieti permissus, factiosis à Provincialibus in societatem pertrahi nunquam potuit. *Dec. IX.* j. 2. *X.* j. 25.

de Lilienfeld Domini, Antiqui Campililii Professores: quorum è manibus Locum Cœnobii Sereniss. Dux Fundator præponderanti concambio extraxit ann. 1201. *Descr. Monaster.* §. j. 1. Eorum deigma tria Lilia adhuc hodie sunt Insignia Monasterii. *Ibid.* Donatio *Vritlonis Lilienveldarii*, i. e. *Friderici*, à Propinguis ejus plurimîs annîs impugnata. *Dec. V.* iij. 3.

Lippiæ primus Comes creatus *Bernardus*, postea Monachus, & Abbas Cisterciensis, Apostolus Livoniæ, & Episcopus Lethalensis, consecratus à proprio Filio *Ottone* Episcopo Trajectensi: cum quo ipse rursum consecravit alterum Filium suum *Gerardum* Archiepisc. Bremensem, Beati nomen promeritus. *Dec. VI.* ij. 20.

Maderdi *Sorlius* Dynasta *de Kenthire* Fundator Cœnobii Sandel Cisterc. in Scotia sub ann. 1256. *Dec. VI.* ij. 11.

de Marka Comites *Eberhardus* Pater, & *Eberhardus* Filius, Fundatores Kentorfii Parthenonis Cisterciensis Anno 1270. *Dec. VII.* ij. 22.

de Meissau *Otto* Vir spectabilis, & amicitiâ Principum clarus, metu hujus familiaritatis ab *Otocaro* Rege capi, & occîdi jussus ann. 1265. *Dec. VII.* j. 26. Dominus *Stephanus* Fundator alter Parthenonis Cisterciensis S. Bernardi in Sylva Nortica post ann. 1270. *Ibid.* ij. 21. Eidem *Rudolphus* I. Imp. Austriam, ab *Otocaro* Rege vindicatam anno 1277. administrandam commisit. *Dec. VIII.* j. 75. Obstitit primæ vastationi *Otocari*, rursum arma inferentis. 78. Idem erat Austriæ Marescallus ann. 1281. *Dec. IX.* j. 7.

de Monteferato Comites vetusti: è quibus *Wilhelmus* IV. fuit Maritus *Judithæ* Filiæ S. *Leopoldi* Austr. Marchionis. *Elog. VI.* vij. 23. 24. Marchio *Conradus*, Princeps Tyri, occisus in Palestina sub ann. 1191. Ejus Laudes *El. IX.* iij 21.

de Montfort *Simon* Comes, in Gallia Caput Cruce signatorum, Albigenses hæreticos exscindentium. *Dec. I. & II. ubique §. ij. ferè per totum.* Comes *Almaricus* ejus Filius post Patrem Catholicorum causam contra Albigenses tuendam suscepit. *Dec. III.* ij. 4. *sqq.*

de Montfort *Simon* Anglus, perduellium coripheus, ann. 1264. *Henricum* III. Angliæ Regem, *Eduardum* Regium Principem Filium ejus, & *Richardum* Fra-

Fratrem Regis electum Romanor. Imp. in acie superatos, cepit. Dec. VII. j. 21. Ipse verò vicissim ann. 1265. ab Eduardo, ex captivitate elapso, victus, & occisus. ibid 25. Comites Guido ac Simon, hujus Filii, Romæ ann. 1271. Henricum, Filium Richardi Rom. Regis, dum in Ecclesia sacris assisteret, sacrilegè trucidârunt. Dec. VIII. j. 1. 2.

de Neitperg Dominus Gotschalcus, Conjux Gertrud, Filius Gotschalcus, & Uxor Brunhild, Nobilis Prosapiæ initium fecerunt Fundationis Capellæ S. Wolfgangi in Capitulo Campililii, ubi sepulti. Dec. VI. iij. 2.

de Neuenberg Henricus Comes Episcopus Basileen. ann. 1267. Dec. VI. ij. 5.

de Oettingen Ludovicus Comes Fundator Kirchemii Parthenonis Cisterciensis in Suevia ann. 1270. Dec. VII. ij. 22.

de Orlamünd Comes Otto Fundator Cœnobii Cœli Portæ in Voitlandia sub ann. 1265. Dec. VI. ij. 11. Idem, vel alius Otto Fundator Parthenonis Cisterc. Coronæ Cœli in Ducatu Brandeburgico Culmbacensi ann. 1281. Dec. IX. ij. 2.

Orphani: vide infrà Sirokii.

de Orte Hertnidus præpotens Dominus, à quo Leopoldus VII. Austriæ Dux emit Predium Eschenau. Dec. II. iij. 32.

de Ortenburg Comes Rapoto Testis ann. 1156. El. VIII. iij. 18. Idem, aut junior, unà verò & Henricus, cum Alberto de Bogen sub ann. 1192. acerrimè collisi sunt, Bavariâ per utrosque fœdè vastatâ. Elog. IX. iij. 3. 4. Rursum Rapoto Comes ann. 1212. pari ferocia bellum gessit cum Episc. Pataviensi Manegoldo, & iterum Alberto de Bogen. Dec. II. j. 14.

de Peilstein Conradus Comes Maritus Eufemiæ Filiæ Leopoldi III. Pulchri Austriæ Marchionis post ann. 1100. El. V. iij. 5. Domina Eufemia Comitissa junior de Peilstein donationem Campililio fecit anno 1230. Dec. III. iij. 34.

de Perge Adalbertus Testis Anno 1156. Elog. VIII. iij. 18.

de Pfannberg Comes N. in decretorio Rudolphi Imp. prelio cum Otocaro, Ductor Stiriensium, gravissimè saucius ex acie abductus ann. 1278. Dec. VIII. j. 81. Comes Ulricus inter Stiriæ factiosos adversus Albertum I. Ducem unus è Principibus: Reconciliatus ann. 1293. Dec. X. j. 25. 36. Conjux ejus, ut omnino videtur, Domina Margareta Comitissa de Pfannberg Campililii fundavit Capellam S. Cæsarii: de anno tamen certo hujus Fundationis, cùm literæ ejusdem nullæ apud nos existent, tuti nihil asserere licet.

de Phaley vel Valeya Comites Otto & Chunradus Bavari resistunt Leopoldo V. Austriæ Marchioni, & Bavariæ Duci. El. VII. j. 13. A quorum Castro obsesso is per Guelfum depellitur. Ibid. §. ij. E Occupatur verò id postea ab Henrico Jasomirgott Fratre & Successore Leopoldi, ope Conradi III. Cæsaris. El. VIII. j. 8.

de Piela Albero Nobilis paciscitur cum Campililio ann. 1233. Dec. IV. iij. 4.

de Planckenburg Comes Sigfridus cum Henrico Leone Bavariæ & Saxoniæ Duce profectus est in Palestinam ann. 1173. El. VIII. v 33.

de Polheim Philippus Strenuissimus Dux in prelio decretorio Rudolphi I. Imp. cum Otocaro ann. 1278. Eapropter Wiccardus de Polheim commendatione Cæsaris factus est Episcopus Pataviensis anno 1280. Dec. VIII. j. 96.

de Potendorf Nobiles Domini vindicantur à calumnia occisi Friderici Austriæ Ducis, ac proscriptione, & exclusione ab officiis Aulæ. Chunradus Consiliarius Alberti I. Austriæ Ducis ann. 1281. Hertnidus Senescalcus Austr. ann. 1410. Dec. V. j. 62. - 64. Dec. IX. j. 7.

de Potenstein Nobilis Dominus Ditmarus Cruce signatus in Palestinam. Dec. IV. iij. 6.

Preuselii Bernardus & Henricus Strenui Belliduces Friderici Bellicosi Austriæ Ducis, Victores in bello Bohemico anno 1245. Dec. V. j. 54.

de Prunsperch Otto districta Friderici Bellicosi Austriæ Ducis jussione desistere coactus est à diuturna usurpatione quarumdam possessionum Cœnobii Seitenstetensis ann. 1244. Dec. V. j. 44.

de Pubenkirchen Wolframus Orator S. Leopoldi Austr. Marchionis ad Concilium Pisanum ann. 1135. Elog. VI. iij. 22.

de Purckhausen Comes Gebhardus Testis ann. 1156. Elog. VIII. iij. 18. 22.

de Rosenberg Dominus Petrus Wocko Ursinus Fundator Cœnobii Altovadensis vulgò Hohenfurt Ordin. Cisterc. in Bohemia ann. 1259. Ibi ipse, cum Familia sua, in crypta non cubat, sed consident omnes in sellis. Dec. VI. ij. 17. Domina Herradis de Rosenberg, cum Liberis Chunrado & Gertrude, benefecerunt Campililio ann. 1267. Dec. VII. iij. 16.

de Schalah Comes Sighardus Maritus Sophiæ Filiæ Leopoldi III. Austr. Marchionis. Elog. V. iij. 6. Comes Henricus Testis ann. 1156. El. VIII. iij. 18.

de Schauenberg Comites Bernardus & Ulricus, Castrum Obernberg, à Friderico Austriæ Duce sibi commissum, adversus obsidionem Bavaram sex Mensium invictè

victè defenderunt ann. 1244. *Dec. V. j.* 40. Comes *Bernardus* Consiliarius *Alberti* I. Ducis Austriæ ann. 1281. *Decad. IX. j.* 7.

de Schlüsselberg Barones Fundatores Parthenonis Cisterc. Schlüsselau propè Bambergam ann. 1260. *Dec. VI. ij.* 22.

de Schweinsheut Comes *Rudolphus* Testis anno 1156. *Elog. VIII. iij.* 22.

de Seldenhoven *Cholo* Supremus in Stiria Præfectus ann. 1282. *Dec. IX. j.* 59.

de Sleunz *Ulricus Crafto* cecidit in conflictu cum Ungaris ann. 1260. *Dec. VI. j.* 39.

de Spanheim Comites *Otto* & *Henricus*, interfuerunt Expeditioni *Rudolphi* I. Imp. in Austriam ann. 1276. *Dec. VIII. j.* 61.

de Stephaning Comites, Burggravii Ratisbonenses. Ex his *Henricus* I. erat Maritus *Richardis* Filiæ *Leopoldi* III. *Pulchri* Austr. Marchionis. Ejus Nepotem *Henricum* duxerat *Bertha* S. *Leopoldi* Filia. *El. VI. vij.* 3. Hujus *Henrici* postremi tradita Sanctitas, & sacræ Fundationes. 4.-6.

de Stubenberg *Fridericus* unus è Principibus factiosorum adversus *Albertum* I. Austr. Ducem ann. 1292. *Dec. X. j.* 25. Captus ante Urbem Prukam, jam latam à Concilio sententiam capitis solâ Clementiâ Principis evasit. 27. Reconciliatur ann. 1293. 36.

de Sulzbach Comes *Eberhardus* Testis anno 1156. *Elog. VIII. iij.* 22. *Fridericus* Marchio cum *Henrico Leone* Bavariæ & Saxoniæ Duce profectus in Palestinam ann. 1173. *El. VIII. v.* 34.

de Summerau *Conradus* inquietus Austr. Regulus sub Alberto I. Duce. *Dec. IX. j.* 41. Humiliatur. *Dec. X. j.* 49.

Syrokii, latinè *Orphani*, vernaculè *die Waysen*, *Seifridus* & *Chadoldus*, strenui Belliduces *Udalrici* Carinthiæ Ducis, capti à *Friderico Bellicoso* Austriæ Duce anno 1245. *Dec. V. j.* 54.

de Tannberg *Walterus* Testis ann. 1225. *Dec. III. j.* 20.

de Taufers *Hugo* sub ann. 1286. jubente *Alberto* I. Austr. Duce, pacem coactam, fœdúsque ex libitu *Ivani* Ungari Comitis Ginsiensis ferire debuit. *Dec. IX. j.* 68.

de Tœpel *Wichardus* Fundator Capellæ S. Mauritii Campililii anno 1238. Uxor *Brunhild*. Filii *Ulricus* & *Henricus*. *Decad. IV. iij.* 10.

Tolosæ Comes *Raymundus* Albigensium Hæreticorum Archistrategus. *Dec. I. & II. ubique §. ij. ferè per totum.* Fratrem *Balduinum* Catholicum crudeliter laqueô occidit: quem Cruce signati graviter ulciscebantur. *Dec. II. ij.* 14. Obiit ipse subitò. *Dec. III. ij.* 4.

Tolosæ Comes *Raymundus* junior, prioris Filius, Patris morte subita non sapiens, rursum Albigensibus Patronum egit. *Dec. III. ij. 4. sqq.* Tandem, Galliæ Regibûs per arma cogentibûs, unà cum omni parte sua resipuit. *Ibid.* 14. Sed recidivus, & pristinos errores denuo recoquens, Prædicatoribûs expulsîs, quia media mitiora non proderant, armîs denuo per *Jacobum de Pecoraria* Cardinalem Legatum Cisterciensem ad novam cum Ecclesia reconciliationem compulsus fuit. *Dec. IV. ij.* 8. 16. Anno 1244. internuncius exstitit *Friderici* II. Imp. in Tractatu Pacis cum *Innocentio* Papa IV. re deducta usque ad jusjurandum pro Cæsare præstandum: qui tamen negotium præter omnium exspectationem abrupit. *Dec. V. j.* 37.

de Trautmanstorf Domini quatuordecim in unico prelio decretorio *Rudolphi* I. Imp. cum *Otocaro* cecidisse feruntur ann. 1278. *Dec. VIII. j.* 82.

de Tumbenowe Miles *Henricus* Familiaris & Benefactor Campililii. *Dec. II. iij.* 1. 2.

Turicenses Equites Centum à *Rudolpho* I. Imp. ann. 1278. ante decretoriam cum *Otocaro* Bohemiæ Rege in Austria pugnam Ense accincti, omnes, ne uno quidem superstite, eodem in prelio generosè occubuisse scribuntur, Scutis eorum Armísque Tiguri in Templo Minoritarum suspensîs. *Dec. VIII. j.* 82.

de Valchenberg Domini *Hadmarus* & *Rapoto* summâ insolentiâ vexabant, ac deprædabantur Cœnobium Zwetlense, & alia Loca. Quorum proinde Castrum fortissimum *Rudolphus* III. novus Austr. Dux perardua obsidione cepit, iísque ejectis destruxit ann. 1300. *Dec. X. j.* 79.

Vazo *Baltramus* Consul Viennensis, *Otocaro* fidelissimus, Urbísque Defensor ab eo constitutus ann. 1276. Cujus posteà incolumitati, Urbe *Rudolpho* Cæsari traditâ, peculiariter cautum fuit. *Dec. VIII. j.* 63. 65. Is deinde Episcopis & Clericis peculiariter gravis Grassatione sua, Tutorem habuit *Henricum* Bavariæ Ducem. *Dec. IX. j.* 8.

de S. Vito *Henricus* Vir Nobilis Feuda multa Mellicensia habuit. *Dec. I. j.* 26.

de Volckenstorf Domini habuerunt Forum Judiciale in Canonia S. Floriani. *Dec. I. j.* 18.

Waysen Domini. Vide suprà *Syrokii*.

de Waldburg *Henricus* Dapifer. Ei *Conradinus* Dux Sueviæ ultimus, Neapoli ann. 1269. capite plexus, è suggestu ferali chyrothecam suam cum Annulo Regio projecit, Petro Aragoniæ Regi Propinquo suo, supremarum Tabularum locô, perferendam, cum transcriptione universi ad Regnum Siciliæ Juris sui. *Dec. VII. j.* 43.

de

de Walsee *Eberhardus* Suevus *Alberto* Austriæ Duci, Regimen ineunti à Patre Cæsare Consultor datus anno 1283. *Dec. IX.* j. 26.

de Weisseneck *Ditmarus* Nuncius *Henrici* Bavariæ Ducis ad *Belam* Ungariæ Regem ann. 1251. *Dec. VI.* j. 5.

de Werfen *Chuno*. Ei *Leopold.* VII. Austriæ Dux committit Advocatiam Admontensem ann. 1204. *Dec. I.* j. 18.

de Wesen *Erchengerus* Præfectus Austriæ Superi. grassatus in Bavariam ann. 1233. *Dec. IV.* j. 35.

de Wide Comes *Georgius* Cruce signatus è Flandria perrexit in Palestinam ann. 1217. *Dec. II.* j. 35.

de Wildonia *Hartnidus* præpotens Regulus à *Rudolpho* I. Imp. Stiriam, ab *Otocaro* vindicatam, administrandam suscepit ann. 1227. *Dec. VIII.* j. 75. Idem postea unus è principibus factiosorum Stiriæ erat adversus *Albertum* I. Ducem. Anno 1292. *Dec. X.* j. 25. Reconciliatur ann. 1293. *Ibid.* 36.

de Winceburg Comites, Landgravii Thuringiæ. *Hermannus* Maritus *Elisabetæ*, Filiæ S. *Leopoldi* Austr. Marchionis. Ejus fatum. *El. VI.* vij. 20.-22.

de Witelspach *Otto* Palatinus sicaria manu occidit *Philippum* Roman. Regem, ipse proscriptus ab *Ottone* Imp. & ab *Henrico Calatino* interfectus. *Dec. I.* j. 37. 38.

de Wolfenbütel Comes *Eckbertus* ab *Henrico Leone* Bavar. & Saxoniæ Duce, in Palestinam profecto, suæ familiæ domi relictæ Curator constitutus ann. 1173. *Elog. VIII.* v. 33.

de Wolfgersdorf *Hermannus* in Adolescentia percharus *Friderico Bellicoso* Austriæ Duci: pro cujus ægri salute plura vota fecit. *Dec. V.* j. 42.

de Wolfratshausen Comites. *Henricus* Episc. Ratisbonensis. *Otto* ejus Cognatus. *Elog. VI.* iij. 3. vij. 2.

de Zelking *Albertus*, ut Juvenis percharus *Friderico Bellicoso* Austr. Duci: pro quo ægro restituendo omnium preces imploravit. *Dec. V.* j. 42.

de Zinzendorf *Marquardus* Miles, Uxor *Christina*, Filius *Otto*, Filiæ *Albaid* & *Christina*, Campililio, ubi alter ejus Filius *Chunradus* Monachus erat, ann. 1282. donârunt predium Slaet juxta Trasenam, eligentes apud nos sepeliri. *Dec. IX.* iij. 5.

de Zollern Comes *Fridericus*, Propinguus *Rudolphi* Habspurgici, ejus causam in Electione Romani Regis apud Principes egregiè promovit. *Dec. VIII.* j. 13. Tulit ei nuncium suæ Electionis. 16. Ab ipso Burggraviatum Norimbergensem accepit ann. 1273. 27. A Cæsare simul ac Imperio ann. 1275. ad *Otocarum* Bohemiæ Regem submissus pro repetendis Provinciis, nihil egit. 45. Interfuit Expeditioni Cæsaris in Austriam ann. 1276. 61. Cum Conjuge *Helena* excitavit Parthenonem Birckenfeldensem Franconiæ Ordin. Cisterciens. ann. 1276. *Dec. VIII.* ij. 21.

de Zwerin Comes *Gunzelinus* cum *Henrico Leone* Bav. & Sax. Duce profectus in Palestinam ann. 1273. *El. VIII.* v. 33.

CLASSIS II.

Loca Varia.

Accon Palestinæ. Vide infrà *Ptolemais*.

Alexandria Urbs ab Italis ex fœdere contra *Fridericum* I. Imp. structa è paleis loco opportuno, ad remorandum, vel impediendum primum Germanorum ingressum in Italiam, ann. 1169. Et quia simul hac ratione tueri volebant causam *Alexandri* III. Papæ, probè communierunt, & omni commeatus genere instruxerunt. Cæsar in ejus obsidione diu inutiliter hæsit. *Elog. VIII.* v. 21. 40.

S. Annæ Mons, post Campililium in Via ad Thaumaturgas Cellas Marianas Stiriæ: ibi erecta prima Monasterii Grangia anno 1217. *Descript. Monast.* §. 1. 7. Item *Dec. II.* iij. 24.

Antiochia Stiriæ à Cruce signatis capta ann. 1098. Qui mox iterum ibidem à Saracenis obsessi, repertâ sacra Christi Lanceâ, ibi defossâ, salvati sunt. *Elog. VI.* j. 3.

Cellæ Marianæ Thaumaturgæ in Stiria. Ad eas Via ex Campililio per sacros Montes, infinitis Peregrinantibus frequentata. *Descr. Monast.* §. 1. 7. Prima hujus Loci fama ex Peregrinatione *Henrici* Moraviæ Marchionis, & Conjugis ejus, ann. 1226. *Dec. III.* j. 31.

Cetius Mons, plurimis Montium jugis constans, quasi saxeus Limes Pannoniæ, & Norici. *Descript. Monast.* §. j. 3. Ibi à *Leopoldo Pio* Marchione Austriæ Curia Palatina erigi cœpta ann. 1101. *El. VI.* j. 8. Ibi Velum de Capite *Agnetis* Conjugis ejus ablatum ann. 1106. 17. Repertum ann. 1114.

COLONIA Agripina *Ottoni* IV. electo Romanorum Regi constantem fidem servans, frustra obsidebatur ab Æmulo *Philippo* Rege, Comite *Leopoldo* VII. Austriæ Duce ann. 1205. Cui tamen, ab omnibus recepto, & ipsa tandem se altero anno devovit. *Dec. I.* j. 22. 25.

Comagenus Mons Cetii Montis pars. *Descript. Monast. I. 3.*

Constantinopolis à Cruce signatis occupata ann. 1203. inchoatô ibidem Imperiô Latinorum per *Balduinum* I. *Dec. I. i. 10.*

Cremsii Capella & Parochia S. Stephani olim attinuerat ad Monasterium Scotorum Viennæ. *Elog. VIII. iv. 15.* Deinde ad Hospitale Pauperum, eadem in Urbe à *Leopoldo* VII. Austr. Duce excitatum, applicata: tandem ab eodem, unacum Hospitali, donata Campililio anno 1210. *Dec. I. iij. 46.*

Damiata, aliter *Pelusium*, Ægypti munitissima Urbs, difficillimè expugnata præcipuo cum sudore *Leopoldi* VII. Austriæ Ducis ann. 1219. *Decad. II. j. 35. - 56.* Saracenis iterum tradi debuit ann. 1221. culpâ *Friderici* II. Imp. *Dec. III. j. 5.* Eandem Saraceni ultrò deseruerunt anno 1249. S. *Ludovico* Galliæ Rege cum exercitu Cruce signato illos terrente. *Dec. V. ij. 17.* Sed Rege capto, barbaris altero anno lytri locò denuo reddenda fuit. *Ibid. 18.*

Dirnizium Oppidum Campililiense post Monasterium. *Descr. Monast. I. 7.* Ibi primus Plebanus à Campililio præsentatus ann. 1217. *Dec. II. iij. 24.*

Edessa Urbs Nobilis Palestinæ à Saracenis proditione capta sub ipsam Natalis Dominici noctem ann. 1144. *El. VIII. j. 15.*

Eschenau Predium, sive Pagus, pro Campililio emtus à Sereniss. Duce Fundatore ann. 1219. *Dec. II. iij. 32.*

Frisingæ mœnia diruta ab *Henrico Jasomirgott*, tum Austriæ Marchione, & Bavariæ Duce, ann. 1142. licèt ibi Cathedra esset Fratris *Ottonis* Episcopi. *El. VIII. j. 8.*

Ginsii Ungariæ acerrima obsidio & expugnatio sub *Ivano* inquîetissimo Comite suo facta ab *Alberto* I. Austr. Duce sub ann. 1289. *Dec. IX. j. 83.*

Greifenstein Castrum reædificatum à *Rudigero* Episcopo Pataviens. ann. 1247. *Dec. V. iij. 11. 12.*

Guetensteinia Arx à *Leopoldo* VII. Austriæ Duce munita ann. 1220. Ibi decessisse fertur *Fridericus Pulcher* Roman. Rex. Hodie est Locus Marianus Thaumaturgus sub cura RR. PP. Servorum B. M. V. *Dec. II. j. 66.*

Hainfelda Oppidum Campililiense. *Descript. Monast. I. 6.*

Herzogburg. Ibi sedisse quandoque videtur *Henricus* Marchio Austriæ unde forsitan Ducumburgi Nomen. *Elog. II. ij. 8.*

S. Hippolyti Civitas in Via ad Campililium. *Descript. Monast. I. 6.* Munivit eandem Rudigerus Episcopus Pataviens. ann. 1247. *Dec. V. iij. 11. 12.* Ibidem Synodus Provincialis acta à *Godefrido* I. Episcopo Pataviensi ann. 1284. *Dec. IX. j. 41.*

Jerosolyma à Christianis capta añ. 1099. Duce *Godefrido Bullionio* primo ibidem Rege. *Elog. VI. j. 5.* Anno 1187. reoccupârunt eam Saraceni, omni propè Palestina, ipso Rege *Guidone Lusignano*, & S. Cruce Dominica captis. *El. IX. ij. 1.* Qui eandem, insigniter antè à se munitam, metu Cruce signatorum, propè totam destruxerunt, consultantes pariter de evertendo Sepulchro Dominico, quin tamen eorum aliquis manum in illud mittere auderet, anno 1219. *Dec. II. j. 53.* Anno 1229. eam reddebant *Friderico* II. Imp. per Tractatum Pacis, sed iis conditionibus, quæ Rei Christianæ summè probrosæ, & noxiæ erant, idcirco à *Gregorio* Papa IX. damnatæ. Imperator ibi tunc se ipsum propriis manibus coronabat. *Dec. III. j. 45. sqq.* Anno 1244. sancta hæc Urbs iterum à barbaris capta.

S. Joachimi Mons in Via ex Campililio ad Cellas Marianas. *Descr. Monast. I. 7.*

S. Josephi Mons in Via Cellarum Marianarum. *Descript. Monast. I. 7.*

Kaunberga Oppidum Campililiense ad Montem Comagenum. *Descript. Monast. I. 6.* Ibidem pernoctabat prima Monachorum Colonia, è S. Cruce in Campililium inducta añ. 1206. *Dec. I. iij. 32.*

Lincium Caput Austriæ Superioris proscriptô *Friderico Bellicoso* Duce, ab Executoribus Principibus capi non potuit ann. 1236. *Dec. IV. j. 68.*

Mediolanum, acerrimè resistens, à *Friderico* I. Imp. cogitur ad sui deditionem ann. 1158. strenuè collaborante *Henrico Jasomirgott* Austriæ Duce, postea & Arbitro pacis. *Elog. VIII. iv. 8. 10. - 13.* Anno 1161. iterum obsessum ab eodem Cæsare, sequenti captum, munimentorum suorum omnium jacturam subiit. *Ibid. 24.*

Meuslingensis Ecclesia à S. *Leopoldo* reædificata, dotata iterum, & ipso petente ab *Udalrico* I. Episc. Pataviensi consecrata fuit ann. 1111. *Elog. VI. j 22. 23.* Parochiæ ejusdem limites veteres enarrati,

fati, ac confirmati à *Conrado* Episcopo Patav. S. *Leopoldi* Filio, ann. 1157. *El. VIII. iv.* 4. Eadem Ecclesia ad sustentationem Hospitalis Cremsensis applicata à *Leopoldo* VII. Austriæ Duce, deinde unacum hoc, Campililio donata sub ann. 1210. *Dec. I. iij.* 46.

Parma Urbs Italiæ à *Friderico* II. Imp. anno 1248. gravissimè obsessa, & integra Urbe lignea, cui *Victoriæ* nomen imposuit, ab ipso circumdata, cùm ad extremum redacta videretur, unica eruptione Civium Cæsarem depulit, totis Castris exutum. *Dec. V. j.* 85.

Pfaffsteten, vulgò *Cleripolis*, ubi libera Aula Campililiensis: ejus initium anno 1216. *Dec. II. iij.* 15. 17.

Ptolemais, sive *Accon*, in Palestina, à Christianis fortiter expugnata, *Leopoldo* VI. Austriæ Duce multam ibi Gloriam promerito, sed à *Richardo* Anglorum Rege variè spreto, ann. 1191. *Elog IX. ij.* 20. *sqq.*

Neoburgum ad Oenum. Ejus varii antiqui Possessores. *Dec. III. j.* 20.

Cl. Neoburgum astu captum in Expeditione *Rudolphi* I. Imp. adversus *Otocarum*. In recompensationem damnorum Cæsar huic Civitati variis gratiis favit, ejúsque Forum ex Dominico die transtulit in diem Lunæ ann. 1276. *Dec. VIII. j.* 71.

Nova Civitas à *Leopoldo Pio* Austr. Marchione jam commemorata anno 1136. Sed videtur hoc Nomine intellexisse Viennam tunc surgentem. *El. VI. iij.* 18. 19. Quippe *Nova Civitas* contra Ungaros exstructa multò clarius asseritur sub ann. 1200. *Init. Regimin. Leopoldi* VII. 12. 13. Proscripto *Friderico* Duce, ipso defendente, capi non potuit. *Decad. IV. j.* 70. *sqq.*

Schardinga Bavariæ inferior. Urbs. Ejus varii Antiqui Possessores, in quibus etiam Stiriæ, deinde Austriæ Principes. *Dec. III. j.* 20.

S. Sebastiani Mons proximè Cellas Marianas in Stiria. *Descr. Monast. j.* 7.

Septem Fontium Capella in Via ex Campililio ad Cellas Marianas. *Descr. Monast. j.* 7.

Stahrenberg Castrum. Ibi custoditi Thesauri *Friderici Bellicosi* ultimi Austr. Ducis, & ipso occiso, inter Fœminas Principes Hæredes divisi. *Dec. V. j.* 88. 89.

Stira Urbs, & ab ea dictus Comitatus, olim attinuit ad Stiriæ Principes, qui & ibi resederunt. *El. V. ij.* 2. & *El. IX. iij* 2.

Trasena, vulgò *Traisen*, Fluvius mediocris, alluens Campililium. *Descr. Monast. j.* 4.

Tulna Civitas. Ibi *Rudolphus* I. Imp. ex voto erexit Parthenonem S. Dominici in honorem S. Crucis ob summè arduam victoriam de *Otocaro* Bohem. Rege relatam añ. 1278. Quo applicuit Parochiam S. Crucis ibidem, olim ad Scotos Viennæ attinentem. *Dec. VIII. j.* 93. 94.

Vienna. Ejus initia nova. *El. VI. j.* 17. Surgens tempore *Leopoldi Pii*, videtur ab ipso intelligi sub nomine Novæ Civitatis in Literis Anni 1136. *Ibid. iij.* 18. 19. Ejus incrementum sub *Henrico Jasomirgott*, ut jam Ecclesiam Parochialem, & Curiam Palatinam haberet. *El. VIII. j.* 2. Erecta ab eo Ecclesia S. Stephani: quam postea instauratam *Rudolphus* IV. Dux volebat appellari Ecclesiam Omnium SS. Sed in plebis ore permansit S. Stephani Nomen. 14. Antiqua Urbis facies, ac Capellæ veterrimæ, excerptæ è Diplomatibus Fundationis Monasterii Scotorum, ibidem factæ ab *Henrico Jasomirgott* Duce. *Ibid.* §. *iv.* 15. 16.

Coacta scribitur Urbs ad Muros destruendos à *Wilhelmo* Comite de *Kaunicz* Bohemorum Duce, Austriam barbarè vastante, sub ann. 1176. *Elog. VIII. v.* 46. Status ejus floridus sub *Leopoldo* VII. Duce: qui cum Civibus Episcopatum ibi fundare statuerat ann. 1207. *Dec. I. j.* 30. Proscripto *Friderico Bellicoso* Duce, hoc permittente, se tradidit Principibus Executoribus, à Cæsare Urbs Libera & Imperialis dicta, gaudio brevi, ann. 1236. *Dec. IV. j.* 70. 75. An à *Friderico* II. Imp. præsente Nova Insignia, & Academiæ suæ initia acceperit, maximè incertum. 79.

Fame impulsa, se rursum *Friderico* Duci reddidit, præter spem clementer admissa ann. 1240. 89. 90. 92. Immani Tartarorum exercitu obsessa ann. 1242. barbaris aspectu Ducis duntaxat, suíque Exercitûs, territis, & aufugientibûs. *Dec. V. j* 19. 21. Feruntur Cives Viennenses ditissimi eidem Duci splendidum Comitatum Veronam ad Cæsarem præbuisse ann. 1245. 52. Ille, ut Pater, cogitabat Viennæ Episcopatum novum excitare, Corpúsque S. Colomanni illuc transferre. 57.

Tempore Interregni Austriaci Urbs cum Austria universa, quia tunc auscultabat Præfecto *Friderici* II. Imp. diris devoti, pluribus annis erat sub Interdicto. *Dec. V. j.* 81. 83. Anno 1726. post Austriam omnem Vieña quoque *Rudolpho* I. Imp. se tradidit, *Otocaro* eam eliberare non valente. *Dec. VIII. j.* 63. Ann. 1292. se opposuit *Alberto* I. Duci: fame verò urgente, Cives coëgerunt Magistratum ad Gratiam Principis quærendam. Qui Privilegia Urbis ea parte, qua licentiam præbebant adversus Principes insolescendi, abolevit, reliqua confirmavit. *Dec. X. j.* 6.

Viennæ Memorabilia. Anno 1173. hic splendidè exceptus fuit *Henricus Leo* Bavariæ & Saxoniæ Dux, in Palestinam profectus, ab *Henrico Jasomirgott* Duce. *Elog. VIII. v.* 32. - 34. Anno 1192. ibidem captus est *Richardus* Angliæ Rex à *Leopoldo* VI. Duce. *Elog. IX. iij.* 5. *sqq.* Anno 1203. nubente *Leopoldo* VII. Duce hospes erat *Philippus* Romanorum Rex. *Dec. I.* j. 12. 13. Ab hoc Duce Urbs in cæteris maximis favoribus etiam communicationem Juris Numos, dictos Viennenses, argento signandi accepit. *Dec. II.* j. 63. Anno 1236. hic primùm electus fuit *Conradus* Romanorum Rex, Filius *Friderici* II. Imp. *Decad. IV.* j. 76. Anno 1267. *Guido* Cardinal. Legatus in hac Urbe celebravit Concilium. *Decad. VII.* ij. 16. Anno 1293. *Wenceslaus* Rex Bohemiæ visitavit *Albertum* I. Ducem. *Dec. X. j.* 39. Rursum ann. 1298. ipso iterum, atque *Andrea* Ungariæ Rege, pluribúsque Principibus Imperii præsentibûs, decreta est Depositio *Adolphi* Cæsaris, & Electio *Alberti*, hoc ipso anno facta. 60.

S. Viti Oppidum Campililiense. *Descript. Monast. j.* 6.

Weinsperg Castrum, latinè *Vinimontium*, ann. 1140. à *Conrado* III. Cæsare ardua obsidione occupatum fuit, fertúrque Victor solis Mulieribus permisisse, ut exportarent, quidquid unaquæque tergo suo ferre posset, iis omnibus Maritos suos exportantibûs. *El. VII. ij.* 2. - 4.

Wilhelmspurgum Oppidum Campililiense. *Descript. Monast. j.* 6. Non videtur illud in dotem accepisse *Otocarus* Marchio Stiriæ cum *Elisabeta* Conjuge, *Leopoldi Pulchri* Austr. Marchionis Filia. *Elog. V. ij.* 6. Ibi Dux Curiam habuit, Burgum dictam. *Dec. I. iij.* 32. Primus Plebanus ibi à Campililio præsentatus. *Dec. II. iij.* 15. 17. Ejus Ecclesia olim habuit Altare SS. *Michaelis* & *Wilhelmi*, cui *Leopoldus* VII. Dux oblationem fecit. 32.

Zwetla Urbs muris cincta per Chunringios ann. 1230. Quos anno sequenti iterum diruit *Fridericus* Dux. *Decad. IV.* j. 7. 12.

CLASSIS III.

Scriptores nonnulli commendati, vel notati.

Abaëlardus *Petrus*, cujus dogmata nonnulla perversa revicit S. *Bernardus* in Concilio Senonensi Galliæ ann. 1140. damnavit postea *Innocentius* II. Papa; ipse verò *Petrus*, Cluniaci cum Doctore Mellifluo conciliatus, retractavit, piè ac catholicè obiens. *Elog. VII. ij.* 53

Adamus Monachus Cisterc. Aldersbaci universam Theologiam Moralem versibûs complexus est: quod opusculum Campililii MStum exstat. Floruit post medium Seculi XIII. *Dec. VI. ij.* 16.

Alanus Magnus *ab Insulis* ex Monacho Cisterc. Clarævallis, Abbas Ripatorii, postea Episcopus Antisiodorensis, abdicata dignitate, iterum redivit ad Claramvallem, obiens ann. 1202. Fallit igitur, eum ut conversum Cisterciensem interfuisse Concilio Lateranensi anno 1216. & confutâsse hæreticum: neque gemini fuerunt *Alani*: Ejus Opuscula nonnulla Campililii MSta: Oculus S. Scripturæ ejusdem in Bibliotheca S. Crucis retectus à *Bern. Pezio. Dec. II. ij.* 21. - 23. *Dec. IX. ij.* 14.

Albericus *Tosanus* Monachus Cisterc. in Flandria, Chronicon quoddam Terræ Sanctæ, sive Expeditionum in Palestinam, ab Anonymo Monacho Dunensi Gallicè conscriptum, latinè traduxit, multúmque adauxit, Genealogico Flandrorum usui peridoneum, ac gratum. Floruit circa ann. 1277. *Dec. VIII. ij.* 22.

Aloldus *de Pecklarn* Capellanus *Adalberti* Marchionis Austr. Tertii ab Anno 1034. usque 1056. Ejus *Chronica Illustris Stirpis Babenbergicæ in Osterreichia dominantis*: ex qua, adhuc quidem desiderata, Notulas tamen quam optimas *Ortilonis*, unius è primis Monachis Campililiensibus, habemus, hìc vulgatas. Laus, & Criteria *Aloldi*, ejúsque consensus probis cum Scriptoribus. Vide *Notas ad Proæm. Ortilonis*: consensum leges in *Elogiis* IV. *priorib. Propylei omnib. paginis.* Pro eo *Appendix Apologetica* in calce Tomi hujus.

Balduinus *de Boussu* Camberonæ in Hannonia Abbas Cisterc. Doctor Theologus, clarus usque in ann. 1293. Ejusdem Sermonarium grande MStum in Biblioth. Campilil. *Dec. IX. ij.* 18.

Bardus *Hierohym.* peculiari Libello complexus est Fabulam de *Alexandro* III. Papa *Friderici* I. Imp. collum pedibûs proterente. *El. IX. j.* 8.

de Beca *Bartolomeus* Cisterc. Monachus Dunensis prosecutus fuit Chronodromon *Joann. Bodonis* Consodalis domestici ab ann. 1414. usque 1431. *El. IX. iij.* 26.

Bodon *Joannes* Cisterc. Monach. Dunens. Flandriæ scripsit Chronodromon, sive Chronicon Magnum ab Orbe condito ad ann. Chr. 1414. Ab aliis postea Sodalibus suis productum usque ad añum 1478. *Elog. IX. iij.* 26.

Borghinus Florentinus Seculi XVI. jam affecti Scriptor Italicè edidit discursum, seu Dissertationem, *An Florentia Libertatem à Rudolpho* I. *Imp. emerit?* eâque tractum

craſſum errorem plurimorum confutavit, hunc Cæſarem Italiæ Urbibus Libertatem per Avaritiam vendidiſſe. *Dec. IX. j.* 52.

Buzius *Adrianus* Ciſterc. Monach. Dunenſis Chronodromon *Bodonis* proſecutus eſt ab ann. 1463. usque 1478. *Elog. IX. iij.* 26.

Contelorus *Felix* Canonicus S. Petri Romæ, Bibliothecæ Vaticanæ Cuſtos, fabulam de *Alexandro* III. Papa *Friderici* I. Imp. collum calcante, cum plauſu Eruditorum confutavit. *El. IX. j.* 8.

Cuſpinianus *Joann.* notatus, qui cavillatus eſt, *Fridericum* II. Imp. abſolutionem dirarum à *Gregorio* Papa IX. auro gravi emere debuiſſe. *Dec. III.* j. 62.

Dodsworth *Rogeri*, & **Dugdale** *Guilelmi* Monaſticon Anglicanum, ſeu Pandectæ Cœnobiorum diverſorum Ordinum ex Archivis & Bibliothecis digeſtæ Tomis III. fol. Londini 1682. *Dec. II. ij.* 19. & alibi ſæpius.

Ebro Abbas Claræ vallis Auſtriæ, vulgò Zvvetel, ab anno 1273. usque 1304. conſcripſit Hiſtoriam de Origine Cœnobii ſui, déque Familia Fundatrice Chunringica. Quo prælucente poſtmodum *Linckius* pariter Zvvetlæ Abbas integros Cœnobii ſui Annales condidit usque ad ann. 1645. productos, & à Reverendiſſimo D. *Melchiore* Abbate, adjectis allegatorum Scriptorum Locis ad longum exſcriptis, publico typo vulgatos ann. 1723. *Dec. VIII. ij.* 25.

ab Eckart vel *Eccardus Joann. Georgius* Vir & Scriptor Jlluſtris laudatur. *Elog. I. j.* 1. Idem, peculiari ſcripto negans, *Friderico Bellicoſo* Auſtriæ Duci ultimo Babenbergico fuiſſe Conjugem aliquam Brunsvvicenſem, refellitur. *Dec. III. j.* 26. *ſqq.*

Eccleſiaſtici Annales Eminentiſſ. Cardin. *Baronii* Tomi XII. item Proſecutoris *Theophili Raynaldi* Tomi totidem, prætereà *Abrahami Bzovii*, atque Epitome *Spondani*, ſcriptioni hujus Voluminis perpetuò præluxerunt.

Eggs *Georg. Joſephi* Purpura Docta, ſeu Elogia Cardinalium doctrina excellentium Voll. IV. cum Supplementis II. in pluribus commoda fuit, edita Monach. f. 1714. ſqq.

à Falckenſtein *Joann. Henrici* Antiquitates Nordgavienſes Tom. I. Svvabaci f. 1741.

Fotinus *Georgius* Calaber ſcripſit Chronicon Regni Neapolitani, editum Venet. Anno 1533.

Fuggeri *Joann. Jacob.* Speculum Honoris Auſtriaci vernaculè, auctum & editum per *Sigismundum Birckenium*, Norimb. f. Anno 1668.

Godefridi Reverendiſſ. D. Abbatis Chronici Gottwicenſis Prodromus Voll. II. Tegernſee f. 1732.

Gregorius Decanus Eccleſiæ Bajoceñ. Biographus *Urbani* IV. Papæ *Dec. VII. ij.* 2.

Haiden *Placidi* Epitome Chronica vernacula Cœnobii ſui Benedictini inferioris Altahæ ſive Quercus in Bavaria, edita Ratisbonæ, 4. 1731.

Hanſizii *Marci* Soc. JEſu Germaniæ Sacræ Tomus I. & II. ſive Metropoles Laureacenſis, & Salisburgenſis. Auguſt. Vindelicorum f. 1727. & 1729.

Heiſterbacenſis Monachus Cæſarius Ciſterc. Scriptis plurimis notiſſimus, juſſus eſt ſcribere Hiſtoriam *Engelberti* Archiepiſc. Colonienſis, pro Juſtitia occiſi ann. 1225. *Dec. III. ij.* 10.

Helinandus Frigidi Montis Monach. Ciſterc. Scriptor Sacer, & Hiſtoricus, percelebris Seculor. XII. ac XIII. *Dec. I. ij.* 32.

Henriquez *Chryſoſtomi* Ciſterc. Menologium Antuerp. f. 1630.

Herrgott *Marquardus* Benedict. San-Blaſianus Editor ſplendidæ Genealogiæ Auguſtæ Gentis Habſpurgicæ, editæ Vieñ. f. Voll. III. 1737.

Hiſtoria noviſſima S. Colomanni Mart. Authore *Godefrido Deppiſch* Benedictino Mellic. vernaculè edita Vieñ. f. 1743.

Hiſtoria Ducum Stiriæ f. Græc. 1728.

Hoffmannus *Joann. Guilelm.* edidit Diſſertationem Genealogico-Hiſtoricam, Stemma Babenbergico Auſtriacum emendatum ſiſtentem, pro Diſputatione Academica Francofurti ad Viadrum. f. 1731.

Hueberi *Philiberti* Benedictini & Archivarii Melliceñ. Auſtria ex Archivio Mellicenſi illuſtrata Lipſ. f. 1722.

Jchſtaedt Conſiliarii Aulici Wirtemberg. nunc Imperial. Gründliche Ausführung der Bayriſch. Erb-Folge in die Oeſterreichiſche Lande. München, f. 1741.

Joannes Fordæ Abbas Ciſterc. in Anglia, poſt *Gilbertum*, proſecutus eſt D. *Bernardi* Expoſitionem in Cantica Canticorum. *Dec. I. ij.* 32.

Joannes Lemovicenſis Claræ vallis Monachus celebris compluribus Scriptis: cujus *Oculum Spiritualem* ſive *Myſticum*, confectum anno 1287. tenere videtur MStum Bibliotheca noſtra Campililienſis. *Dec. IX. ij.* 13. - 16.

Jongelini *Gaſparis* Abbatis Montis S. Diſibodi Ciſterc. Notitiæ Abbatiarum Ciſtercienſium per Orbem Libri IX. Colon. f. 1640.

Ivo Clericus Narbonensis Epistolam dedit ad *Giraldum* Archiepisc. Burdegalensem de Vienna Austriæ, se præsente Anno 1242. à Tartarorum obsidione liberata. *Dec. V.* j. 20.

Kœler *Johann. David* Academiæ Gœttinganæ Historiar. Professoris Publici Wochentliche Müntz-Belustigungen von ann. 1729. bis 1745. 4to. Nürnberg.

Lambecii *Petri* Bibliothecar. Cæs. Diarium Sacri Itineris Cellensis in Stiriam à Leopoldo Cæsare instituti, se Comite, añ. 1665. editum Leoburgi f. 1710. unà cum ejus Prodromo Historiæ Literariæ.

de Laude, aliàs *Lauro*, *Gregorius* Sagittariæ Abbas Cisterc. Congregat. Calabriæ, scripsit Apologiam B. *Joachim* Abbatis Florensis, vulgò Prophetæ, editam Neap. f. 1660. *Dec. IV.* j. 63. - 66.

Lazii *Wolfgangi* Medici Viennæ Austriæ, Basil. f. 1546. Genealogia Austriaca, Basil. f. 1564. Commentarior. Reipublicæ Romanæ Libri XII. Francofurt. f. 1598. De Migrationibus Gentium Libri XII. Francof. f. 1600. Commentarii Rerum Græcarum Libri II. Francof. f. 1605.

S. Leopoldi Austr. Marchionis. Vita per *Balthas. Polzmannum* Præpos. Cl. Neoburgens. 4to. 1591. Per *Adamum Scharrer* Præposit. ibidem Vieñ. 8vo. 1670. Per *Augustin. Ristl* Canonic. ibidem Viennæ. 8vo. 1736.

Fr. Lewpoldus de Newburga Monachus Campililiensis fecit Excerpta ex *Rikardi* Canonici Regular. Cl. Neoburg. Historia de S. *Leopoldo* Austr. Marchion. statim ab ejus obitu scripta: quæ nunc primùm vulgantur. *El. VI. Observat. præv. n.* 3. *sqq.* Ejus Contextus integer ad calcem Volumin. hujus in *Triga Scriptor.*

Lucenæ Canoniæ Præmonstrateñ. in Moravia Series Historica Abbatum, Znoymæ 8vo. 1728.

Manriquei Angeli Ord. Cisterciéñ. Observant. Hispan. General. Doctoris & Professoris Salmanticeñ. Concionatoris Regii, Episcopi Pacensis, Annales Cistercienses ab Origine Ordinis ad ann. 1239. Lugd. f. Voll. IV. 1642.

Martinus *Polonus*, notæ ac celebris Chronicæ Scriptor, an fuerit Archiepiscopus Cusentinus Calabriæ, an Gnesnensis Poloniæ, utrùm Cisterciensis, vel potiùs Prædicatorii Ordinis, adhuc ambiguum. *Dec. IX. ij.* 8.

Meibomius *Henricus* Senior notatur, quòd reprehendat illos, qui *Ottonis* IV. Imp. obeuntis humillimam compunctionem describunt. *Dec. II. ij.* 47.

Meichelbeck *Caroli* Benedictini Benedictoburani Historia Frisingensis Tomi II. August. Vindel. f. 1724. & 1729.

Megiseri *Hieronym.* Carinthiæ Annales ab Origine Gentis ad Annum 1610. Lipsiæ f. Voll. II. vernaculè 1612.

Monasteriorum in Ducatu Wirtembergico sitorum Documenta rediviva Authore *Besoldo.* Tubingæ 4to. 1636.

Newen *Joann. Carolus à Newenstein* Poëta Cæsareus Laureatus, & Aulæ Augustæ Vindobonensi ab Inscriptionibus Publicis, Author Pandectarum Secularium Carthusiæ Gemnicensis. Vieñ. Ch. Reg. 1732. *Dec. X. j.* 69.

Oliverius *Scholasticus*, Præco Crucis, quâ & ipse signatus in Palestinam ivit, postea electus Episcopus Baderbornensis, & Cardinalis: scripsit Historiam Regum Terræ Sanctæ: item Damiatinam, obiens ann. 1228. *Dec. II.* j. 43.

Ortilo unus è primis Monachis Campililiensibus. Ejus Notulæ de Principibus Babenbergicis, & Libellus de Exordio Campililii. Prooemium ejus cum Notis. Prima illius editio, & in hoc Volumine altera. Consensus ejus cum Scriptoribus aliis per totum demonstratus. Contextus integer in calce Voluminis.

Otto Episcopus Frisingensis ex Abbate Morimundi Cisterciensi, S. *Leopoldi* Austriæ Marchion. Filius. Mendum in eo grave ex errore Librarii, *Conrado* III. Cæsari admodum probrosum, notatur. *Elog. VIII. ij* 28. 29. Historiam suæ Stirpis ex humilitate admodum negligenter tractavit: quod aliquoties in hoc Volumine remonstratur, præcipuè ad calcem in *Append. Apologetica.*

Pagi *Antonii* Ordin. Minor. Conventual. Critica Historico-Chronologica in universos *Baronii* Annales Ecclesiasticos. *Colon. f. Voll. IV.* 1727.

Pagi *Francisci* Ordin. Minor. Breviarium Historico-Chronologico-Criticum, Gesta Romanorum Pontificum, & Acta Conciliorum Generalium complectens. Venet. 4to. Partes IV. 1730.

Papebrochii *Daniel.* è Soc. JEsu Conatus Chronico-Historicus ad Catalogum Romanorum Pontificum. Antuerp. f. 1685.

Pernoldus Ord. Prædicat. Dominæ *Margaretæ* Rom. & Bohem. Reginæ, Ducissæ Austriæ Pœnitentiarius, scripsit breve Chronicon *Friderici Bellicosi* ultimi Austriæ Ducis Babenbergici, & Sororis ejus *Margaretæ* prædictæ, atque Interregni Austriaci: quod hìc primùm editur. *Dec. IV.* j. 2. Scripti hujus fatum, & conditio exterior. 3. Interior, seu Argumentum. 4. Introductio ejus acephala. 5. Contextus integer. *In calce Tomi.*

Petri Monachi Cisterc. Vallium Sarnay Historia Albigensium. *In Bibliotheca Patrum Cisterciéñ. Tom.* VII. *p.* 1.

Pezii

Pezii *Bernardi* Mellic. Tomi Anecdotorum & præcipuè Codex Diplomatico-Epistolaris. August. Vindelicorum, Voll. VI. ann. 1720. sqq.

Pezii *Hieronymi* Melliceñ. Scriptores Rerum Austriacarum. Lipf. & Ratisbonæ fol. Voll. III. 1721. - 1725. - 1744.

Pfeffingeri *Joann. Frider.* Vitriarius Jllustratus, five *Philipp. Reinhardi Vitriarii* Institutiones Juris Publici Romano-Germanici Notis amplissimis, ex omnium Scriptorum Germanicorum penu depromtis, declaratæ. *Gothæ* 4. Voll. IV. 1712. &c. Edit. 3tia.

Phœnix incineratus spe reviviscens, five Origo, progressus, & Eversio Monasteriorum Ordin. Cisterc. in Bohemia: Tractatus rarior, editus à Monachis Cisterc. Aulæ Regiæ in fol. Vieñ. 1647.

Prevenhuberi *Valentini* Annales Urbis Stiræ Libri X. Item Castrum Stirense, ejúsque Præfecti. Historia Marchionum Ducúmque Stiriæ: ac Supremorum Austriæ Superior. Capitaneorum: Genealogia *Polheimiana*. Omnia vernaculè f. Norimb. 1740.

Pusch *Sigismundi* è Soc. JEsu Chronologia Ducatus Stiriæ ab Origine ejus usque ad ann. 1230. Græcii 8vo. Partes II. 1715. - 1720.

Radulphus *Calisianus* Monachus Cisterc. scripsit Vitam S. Guilelmi Archiep. Bituricensis, cui ab Epistolis fuit, clarus sub ann. 1210. *Dec. I. ij.* 31.

Raymundi Duellii Canonici Sand-Hippolytani Miscellanea: Item Excerpta Genealogico-Historica: nec non Fridericus Pulcher Austriacus inter Impp. Romanos adhuc stans. In quibus omnibus multa occurrit eruditæ Antiquitatis Supellex.

Retenbacher *Simonis* Benedictini Annales Cremifanenses. Salisb. f. 1677.

Richardus Anglus Magister Parisiensis, Astronomus celebris, deinde Monachus Cisterciẽ. in Aldwead prope Groningam, Scriptis pluribus Orbi utilis, & pietate insignis, obiit sub anno 1266. *Dec. VII. ij.* 15.

Rikardus Canon. Cl. Neoburgeñ. S. *Leopoldi* Austriæ Marchionis Historiam statim ab ejusdem obitu scripsit. Ex qua deperdita Excerpta brevissima fecit Fr. *Lewpoldus de Neuburga* Monachus Campiliensis, quæ bono fato supersunt. *Elog. VI. Observ. præv. n.* 4. *sqq.*

Romualdus Archiepisc. Salernitanus ann. 1177. *Guilelmi* II. Siciliæ Regis Legatus ad Reconciliationem *Friderici* I. Imp. cum *Alexandro* III. Papa Venetiis factam, omnem ejus modum ac Ordinem, testis de visu accuratè descripsit in fine Chronici sui, quod confecerat ob Origine Mundi. *Elog. IX. j.* 9.

de Roo *Gerardi* Annales Habspurgico-Austriaci, è latino in vernaculam conversi per *Conradum Diez de Weidenberg*. August. Vindel. f. 1621.

de Roya *Egidius* Cisterc. Monachus Dunensis, Chronodromon *Bodonis* Congremialis sui in compendium redegit, póstque *Bartolomeum de Beca* æque Sodalem suum, ulterius prosecutus est ab anno 1431. usque 1463. *Elog. IX. iij.* 26.

Sammarthanorum Fratrum *Scevolæ* & *Ludovici* Gallia Christiana de omnibus Regni Ecclesiis, earúmque Præsulibus. Lutet. f. Voll. IV. 1656.

Sartorii *Augustini* Ossiacensis, Provinciæ Bohemicæ Secretarii, Cistercium bis Tertium, five Ordinis Historia Elogiaria per Secula sex. Latinè Pragæ f. 1700. Vernaculè ibid. 4to 1708. addito Apiario Salemitano, five Historia peculiari Salemii.

de Spanagel *Godefrid. Philipp.* Bibliothecæ Augustæ Vindobonen. Custos, & Historiographus Regius in *Palignesio* suo, five *Monitis Genealogicis Authori Vindiciarum Arboris Genealogicæ Augustæ Gentis Carolino-Boicæ* eruditissimè scriptis, non modo veram Genealogias Principum probandi rationem, sed etiam Criticæ doctæ solidas Regulas, & exeundi à præjudiciis viam, luculentè ostendit. Alestadii 4to 1732.

Steyerer *Antonii* è Soc. JEsu Historia *Alberti* II. Ducis Austr. cum Commentariis Diplomaticis ad eandem. Lipf. f. 1725.

S. Thomas de Aquino Doctor Angelicus Ord. Prædic. ann. 1274. properans ad Concilium Lugdunense Galliæ, febri correptus, divertere cogebatur in Fossa Nova Cœnobio Cisterciensi, ubi & sanctè decessit. An ibidem sit prosecutus Expositionem in Cantica Canticorum post S Bernardum? *Dec. VIII. ij.* 15. 16.

Thomas Monachus in Archicœnobio Cistercii scripsit egregia Commentaria in Cantica Canticorum, Campililii MSta. *Dec. I. ij.* 8. Claruit usque ad añ. 1200.

Vallicolor *Theodoricus* Scriptor Vitæ *Urbani* IV. Pontif. Metricus. *Dec. VII. ij.* 2.

de Veldecken *Henricus* Æneidem Virgilii rythmico Poëmate vernaculo composuit. *Elog. VI. vij.* 20.

Ughelli *Ferdinandi* Florentini Abbat. Cisterciẽ. SS. Vincent. & Anastaf. Italia Sacra, five Ecclesiæ, earúmque Antistites omnes per universam Italiam, Tomi IX. Iterum editi, aucti & emendati à *Nico-*

Nicolao Coleto Veneto Sacerdote. Venet. fol. 1727.

de Vineis *Petrus* Cancellarius *Friderici* II. Imp. Ejus Epistolarum, Imperatorio nomine scriptarum, Editores notantur, quòd illas Epistolas suppresserint, quas vulgare noluerant. *Dec. III. j.* 16.

de Visch *Caroli* Prior. Dunens. Bibliotheca, seu Catalogus Scriptorum Cisterciensium. Colon. 4to 1656.

Ulmus *Fortunatus* fabulam Reconciliationi *Friderici* I. Imp. cum *Alexandro* III. Papa affrictam, & fide sua jam ferè collapsam, toto nisu instaurare conatus est. *Elog. IX. j.* 8.

Universitatis Salisburgensis Historia Bondorfii 4to 1723.

— Viennensis Conspectus Historiæ ex Actis & Documentis. Vien. 8vo Partes III. 1722. sqq. Cancellariorum ejusdem Specimen. Vien. 8vo 1729. Scriptores ejusdem. Viennæ 8vo Libelli III. 1740. sqq.

Wiennerische vorläuffige Beantwortung auf die Chur-Bayrische Erb-Folg- und Rechts-Ansprüche. Vien. f. 1741. Vollständiger Beantwortung Erster Theil, 1742. Anderter Theil, 1745.

Witichindus Monach. Corbeiens. & Scriptor Antiquissimus, in loco vexato, aut planè supposito, contra *Aloldum* audiri non debet. *Dissert. Proœm. ll.* 2. - 5.

Wolfgangus Monachus Altaichens. Epistolarum facilitate celebris. *Decad. IX. j.* 49. 50.

à Wollern *Francisc. Ignat.* Salisburgi Juris Publici ac Civilis Professor Primarius, 12. planè singulares Prærogativas Archiepiscoporum Salisburgensium extulit in Gratiarum Actione, dum esset Orator *Joann. Sigismundi* Comitis à Küenburg neo-instituti Episcopi Lavantini anno 1704. *Dec. II. j.* 27.

à Wurmbrand Excellentiss. D. Comitis Collectanea Genealogico-Historica ex Archivio Inclitor. Statuum Austr. Infer. Item Commentarius de Officiis Hæreditariis Provinciarum Austriacarum. Viennæ, fol. 1705.

CLASSIS IV.

Observationes & Reflexiones diversæ.

I. Theologico-Morales.

Animarum Curam non nisi cum formidine admittit, qui sapit, exemplo *B. Hartmanni* primi Præpositi Regularis Cl. Neoburgensis. *Elog. VI. iij.* 8.

Bella, quibus DEUS flagellare Provinciam cupit, pavore maximè prosternunt. Tunc enim timor populis rationem, vires & animum eripit, ac omne consilium tollit. *Dec. V. iij.* 1.

Confessio secreta in aurem Sacerdotis ab *Innocentio* III. Papa in Concilio Lateranensi IV. ann. 1215. non instituta, sed rursum in annuum usum deducta fuit. *Dec. II. j.* 25.

Consilium pravum in Re sacra Præsuli intelligenti, & affectu cæco non laboranti, nec ab ore consulentis communiter pendenti, à Laico suggestum, absque omni metu incusso, ut nullius ponderis censetur, ita pravum Consultorem non probat, maximè, si is non tam suo, quàm alieno motu, invitus veluti consulat. *Elog. VIII. v.* 10.

Cruciatæ, sive sacræ Expeditiones Cruce signatorum, si corporibus infeliciter evenerint, quomodo animabus felicissimæ sint. *El. VIII. ij.* 6. Humilitas Cruce signatorum vicit, superbia confusa est. 7. Cruciatæ an justè olim prudentérque institutæ fuerint, frustra nonnemo disputavit. Judicio enim Orbis fuerunt susceptæ, Crucísque acceptio erat voti nuncupatio: quod solvi, Sodalium omnium intererat. Unde murmure populi cogebantur Summi Pontifices, Cruciatæ executionem urgere, resilientes à voto diris compellere, præcipuè eos, qui se Duces cæterorum esse velle spoponderant. *Dec. III.* j. 7. Cruciatam totam pessumdans *Fridericus* II. Imp. Reíque Christianæ summum inferens damnum, excusari à bonorum nemine potest, dirásque omnino promeruit. *Decad. III. j.* 34. Profectionis in Palestinam, sive pugnandi, sive etiam visitandi causâ, studium olim incensum, arduitas ingens, meritúmque, ac prœmium à DEO maximum. *Elog. IX. j.* 20.

Dedicatio non modò Ecclesiæ, verùm etiam Altarium, olim singulis annis celebrata, neque, nisi cum facultate Episcopi, translata. *Dec. VII. iij.* 3.

Ecclesiasticorum Bonorum causâ cur adeò frequenter litigarent invicem Præsules, ac Principes Terræ Seculares. *El. VIII. iv.* 7. Ecclesiæ Immobilitas æterna: adversus quam *Fridericus* I. Imp. omnem suam Potestatem frustra impendit. *Ibid. v.* 2. Ecclesiis Donationes omni tempore fiebant, apud Paganos, Judeos, Turcas: unde eas Politici apud Christianos immeritò cavillantur, consensu quodam Generis humani approbatas. *Dec. VIII. j.* 89.

Facti Bonitas, aut Malitia decerni nequit ex Narratione, quam Affectus composuit. Odiosam causam reddunt, dolus, vis, inso-

insolentia, contemtus, sævitia, & alia id genus, facto cuidam afficta. *Elog. VIII. iij.* 12.

Fama Principum sacra est: cui tantum calamo, quantum ore, detrahi potest, piaculo non minori. *Dec. IV. j.* 26.

Fidei formula *Bernardina* de SS. Trinitate, quia privata, in Concilio Remensi à Cardinalibus non admissa pro Regula Ecclesiæ. Quod nec voluit S. Doctor, illam edens contra *Gilbertum* Porretanum. *Elog. VIII. ij.* 10. 11.

Ingenia hominum, intemperantiâ potiùs tricandi, quàm Veritatis studio excitata, inutilibûs quæstionibûs Ecclesiam, ac Mundum perturbant. *Dec. X. j.* 43.

Jusjurandum non valet, nisi salvo jure, & Auctoritate Superioris: quæ conditio omni juramento naturâ est insita. *Elog. VIII. v.* 9.

Metus gravis, ac præsens, cadénsque in constantem Virum, excusat ab observantia Præcepti Ecclesiæ. *Dec. V. j.* 51.

Miraculum, & Eventus quidam singularis, qui naturam non superat, planè diversa sunt. *Elog. VI. v.* 7.

Morte Sancti nascuntur ad Vitam beatam. *Elog. VI. iij.* 17.

Obedientia sola, non opinio multitudinis, est secura agendorum Arbitra. *El. VIII. j.* 29.

Papæ est, curare, ne Imperio Christiano desit Rector, aut non optimus præstit. *Dec. VIII. j.* 7. An abdicare liceat Papæ, quæsitum sedente *Cœlestino* V. Papa, id per constitutionem suam afferente, ac faciente ann. 1294. Alii postea cum diserto abdicandi pacto electi, alii ad abdicandum coacti. Otiosa igitur Quæstio fuit. *Dec. X. j.* 40. 43.

Parochiæ Veteres, olim amplissimæ, cur postea disturbatæ, ac divisæ. *El. VIII. iv.* 5.

Peccatorum, etiam iniquitatem suam agnoscentium, conversionem retardant incomoda vitæ subeunda: quæ est maxima vitæ humanæ deceptio. *El. VII. j.* 6.

Peccatum *Ottonis* IV. Imp. in Connubio, cum *Beatrice* Cognata ex dispensatione Pontificis contracto, putatitiè commissum, quo sensu imponi potuerit Ordinibus, Cluniacensi, ac Cisterciensi. *Dec. I. ij.* 29.

Pœnitentia ac humiliatio quantilibet, etiam Coronati Capitis, nimia esse nequit, præcipue in morte: neque pudori est, sed honori. *Dec. II. j.* 47.

Schismata Fidei oriuntur, & roborantur superbia, præveruntur, vel extinguuntur prudentia, & humilitate. *Elog. VIII. ij.* 10. 11. Schismatis Pontificii non quælibet communio apud Laicum Principem statim lethalis est. Id porro quibus in occasionibus? *El. VIII. v.* 3.

Scripturæ sacræ multorum in ore, ac calamo tonant: neque tamen propterea ubique Veritas loquitur. *Dec. X. j.* 50.

Sancta sanctè agenda, ut sancta maneant, & sanctos reddant. *El. VI. iij.* 7.

Sancti Cives maxima Principis Gloria, & Felicitas Patriæ. *El. II. ij.* 1. Sancti morte sua regenerantur ad Vitam beatam. *El. VI. iij.* 17. Sanctos non creat Pontifex, dum publicum eorum Cultum decernit: sed eorum Sanctitatem evidentibûs à DEO signis palam comprobatam esse, fidelibus testatur. Inquisitiones præviæ, & Solemnia Renunciationis, absque grandibus impensis fieri non possunt. S. *Leopoldi* Austriæ Marchionis Canonizatio, non defectu pecuniarum, sed iniquitate temporum tamdiu dilata fuit. *El. VI. iv.* 8. 11.

Temporalium Solicitudo nimia apud Præsules & Ecclesiasticos grandia provocat mala. *Dec. IX. j.* 60.

Tolerata, cùm castigari non potuerint, non propterea probata sunt. *Decad. VI. j.* 10.

II. *Regulares.*

Charitas, neglecta Humilitate disrupta, magnam facit Ordinis concussionem. *Dec. VI. ij.* 4.

Capitulorum tam Generalium, quàm privatorum, ac quotidianorum in Ordine Religioso Utilitas. *Dec. II. ij.* 20.

Commissiones Apostolicæ honorificæ Abbatibus, sed onerosæ, neque Cœnobiis proficuæ. *Dec. III. ij.* 8.

Coquina Abbatis super se quid sit in Monasteriis? Item vox *Nonus* quid innuat? *Dec. I. iij.* 34.

Eleemosinæ & Beneficentiæ erga pauperes in Monasteriis alia ratio moderno tempori congruit. Ejus exercendæ quotidiana Monachorum singulorum occasio in Mensa, quam exemplô Majorum sedulò convenit amplecti. *Dec. III. iij.* 7.

Familiaritatis, Fraternitatis, ac Sepulturæ, apud Monachos olim tam studiosè rogatæ, ratio. *Dec. II. iij.* 2.

Florem Ordinis Religiosi novæ Fundationes cumprimis testantur. *Dec. VI. ij.* 1. Eum, dum vis externa contra eum non prævalet, mutua in Gremio Æmulatio flaccescere facit. *Dec. VII. ij.* 5.

Monachorum Orationibûs sustentatur Orbis adversus iram DEI. *Elog. VIII. ij.* 28. Eorum laboribûs manuum infinita

Loca horrida exculta, Terræ amœniores, ac fertiliores redditæ, Æraria Principum per hanc Culturam ditiora effecta. Dec. I. iij. 11. Eorum Amatores & Osores fuerunt semper. Odii causæ, Dec. II. iij. 7. 13. Recipiunt mercedem Virtutum à suis Majoribus exercitarum: quas proinde studeant imitari. Dec. III. iij. 7. Alterum eorum pro Fundatione debitum Orationis, non qualiscunque, sed acceptabilis DEO, itémque exactæ Regularis observantiæ. Decad. I. iij. 5. Quicunque sunt ætate priores, semper fiunt Patres Successorum: & ideo omnes omni tempore curare debent de bonæ disciplinæ in posteros propagatione. Ibid. 27. Maxima, & præ omnibus eorum sit solicitudo, ne pii Fundatores fraudentur fructu acceptabilium Orationum pro se, ac Patria tota. 28. Fruuntur Bonis, DEO, DEIparæ, vel Sanctis certis, in quorum honorem erecta Monasteria, donatis. Tenentur ergo ad sedulum eorum, veréque devotum cultum. Dec. II. iij. 20.

Monasteriorum Fundatio quem verum finem habeat. Dec. I. iij. 4. Ritè facta dicitur, traditô, & acceptato locô. Fabricæ initium, & arreptæ consummatæ Domus Apprehensio, consequentia sunt ad Fundationem. 15. Inter veterem, & hodiernum in Claustris habitandi morem disparitas, ejúsque ratio. 25. Oratorium, Capitulum, Refectorium, Dormitorium, dicta ab Actionibus, quæ ibi communiter fiebant, suffecerunt ad integritatem Cœnobii. Ibid. Quare Monasteriis opus Confirmatione Fundationis Pontificia. 35. Eadem sunt æterna, Provinciarum Præsidia; qualia ut maneant, eis de integritate, quiete, & securitate, per summos Principes prospiciendum. Dec. II. iij. 20. Instrumenta, & Privilegia, justo, exactôque tenore exarata, Monasteriis unicè necessaria erant, ob lites perpetuò intentatas, & procuratorum jam tum captiosas quæstiones. Sæpenumero, quod à Parentibus donatum fuerat, à reclamantibus adultis Liberis, vel Propinguis, parato Monasterii ære redimi, vel dimitti debuit. Dec. VI. iij. 5.

Nobiles, aut vicini, aut in Subditis computati, Monasteriis plerúmque graves erant, litibûs. Unde salutare fuit, predia, domósque eorum, emtione comparari ab Abbatibus. Dec. VIII. iij. 21.

Patientia Religiosi purgat, meretur, & prodest. Dec. II. iij. 14.

Superior tenax Disciplinæ, attamen à subditis amatus, omne tulit punctum, imortali laude dignus. Dec. III. iij. 16.

Talentorum, ac Scientiæ, bonus & malus in Monasteriis usus. Bonus in Ordine Cistercienſi neutiquam neglectus, sed eximiè promotus. Dec. IX. ij. 9.-12.

Tutela nulla Summorum Principum, qua Cœnobia fovent, ob hominum malitiam, nimia esse potest. Unde semper imploranda Augusta Clementia. Dec. III. iij. 17.

III. *Juridico-Politicæ.*

Asyla non favent ipso in Asylo delinquentibus. Ita nec Privilegia tuentur delinquentem in eos, qui pari Privilegio gaudent. Elog. IX. iij. 13.

Beneficio Regio, non avito & hæreditario jure, fiebat Successio Marchionum Austriæ, uti & aliorum Principum, ac Comitum. Elog. VI. iij. 19. 13. 14. El. VII. j. 3.

Comites, Marchiones, Duces, sæpè à Scriptoribus promiscuè vocati, sub Carolingis, proximisque Regibus, ac Imperatoribus, non erant Provinciarum Domini, sed meri Præfecti Regum, quorum jussa Majores minoribus denunciabant. Differt. Procem. §. iij. 5. Non erat eis facultas, Comitatus, vel Portiones Terræ, Filiabus in Dotem conferre: licuerunt autem sacræ Fundationes. Dispar utriusque ratio. El. V. ij. 7.

Dominorum & Subditorum ratio varia est, proinde & Jurisdictionis, atque subjectionis, vel Clientelæ. Diff. Procem. §. iij. 5.

Exceptio non legitimæ Vocationis adversus Cæsarem apud Principes qualis olim fuerit? El. VIII. iij. 5.

Hæredibus læsis Imperator opitulari tenetur Judiciis, aliisque communibus & facilioribus mediis, uti sententiis, Præceptis, Executionibus consuetis. At verò, si vis Occupatoris tanta sit, ut, nisi totis Imperii viribus, propriisque Augusti Capitis periculô, retundi non possit, nemo vindicationem tam arduam jure postulare valet. Quæ si fiat, quidquid obtinetur, sibi Cæsar, & Imperio acquirit. Dec. IX. j. 20.

Imperatoris Electioni discordi optimè præcavit Rudolphus I. Imp. Bohemiæ Regi Septimum Electoratum stabiliens, ut imparitas Votorum Æmulum excludat. Dec. IX. j. 65. An, quibúsque de causis deponi possit Imperator, quæstio pendens est: quam decidere ad Historicum nihil attinet. Dec. X. j. 59.

Ita-

Italicarum Urbium olim debitum, Cæsare Longobardiam intrante, harúmque reniteatia frequens, plurimorum bellorum causa fuit. *Elog. VIII. iij.* 11. Pro hoc Debito tributum imperans, & obtinens *Rudolphus* I. Imperator, cùm ipse Italiam nunquam subintraverit, non propterea his Urbibus vendidit Libertatem. *Dec. IX. j.* 47. - 53.

Jura, inter Præsules & Principes Terræ controversa, solent esse pertinacissimæ quæstionis. Rari Principes tam hìc modesti, qualis fuit *Leopoldus* VII. Austriæ Dux. *Dec. II. j.* 21. 22.

Jure forsitan quod licet, frequenter tamen non expedit. *Dec. IX. j.* 60.

Largitas Principibus propria Virtus, eos DEO simillimos reddit. *El. VII. j.* 1.

Majestati sociata Probitas multo commodior fuit Imperio, quàm vis & ira quorumdam Cæsarum. Unde fluit, perturbationibus Germaniæ non Pontifices, sed Imperatores, causam dedisse. *Dec. IX. j.* 80.

Pax Publica Imperii, propter feroces Germanorum animos, olim perpetua constitui non potuit, sed paucorum duntaxat annorum induciis constitit. *Dec. IX. j.* 5.

Pecunia imperata, & percepta, non semper *Pretium* est: sed pro Clientela *Tributum*: pro delicto *Mulcta*: pro damno *Compensatio*: pro Redemtione *Lytrum* &c.

Principis boni Elogium. *Elog. VI. ij.* 5. Facta Principum, utrùm bona, vel mala, justa, aut iniqua sint, cur tutò cognosci sæpissimè nequeant. *Dec. I. j.* 45. Eadem illi frequenter non è sola, quæ inest rei, æquitate metiuntur: sed nonnullorum privatorum damnis necessitatem & utilitatem publicam, quam sagaciter præmeditantur, antehabere solent. *Dec. V. j.* 12. 13.

Provinciæ hæreditariæ Successioni assuetæ, novum alterius Familiæ Dominum rarò ex toto pacatæ admittunt. *Elog. VII. j.* 10.

Reginarum Nomina olim in Coronatione immutata traduntur. Solebant illæ Maritorum radiis corruscare. Exemplum Conjugis *Rudolphi* I. Habspurgici, & Paradoxa Diplomatis ejus. *Dec. VIII. j.* 21. - 23.

Seditiones impetu fiunt, maximè si Nobiles rapiunt plebem. Cùm verò spatium ratio accipit, spretæ Dominationis Gratia suppliciter imploratur. *Decad. IV. j.* 82. More fluminum sunt, quæ intumescentia primum rapiunt omnia, paulò post se ipsis subsidunt. *Dec. X. j.* 25.

Statuum favore opus erat, si Cæsares Provinciis novos Rectores imponere vellent: secus turbæ. *El. VIII. ij.* 1.

Thesaurus Principis defuncti, quia Provinciæ feliciter gubernandæ necessarius, ad sortem Hæredum attinere non videtur, sed Principi Successori deberi. *Dec. V. j.* 89.

Victoriosi Elogium quandò Principi veram laudem pariat. *Elog. III. iij.* 6.

IV. *Philosophica & Philologica.*

ANTIQUA Monumenta comunicandi cum Orbe erudito debitum est apud eum, apud quem est facultas. *Prænot. Introduct.* §. v. 4.

Carnisprivium qualis dies. *Dec. II. iij.* 22.

Doctus verè non est, quisquis rectè & feliciter vivere nescit. *Prænot. Introduct.* §. ij. 14.

Exempla non nisi vera, & pertinentia, Vitam instruunt. *Prænot. Introduct.* §. j. 2. - 4.

Grangia quid rei. *Dec. II. iij.* 17.

Historiæ rectus finis, verúmque commodum ad usum Vitæ. *Prænot. Introd.* §. j. *per totum.*

Hund vox vernacula non semper latinè reddenda *Canis*, sed quandoque *Manus*, qua, atque digitis, computabant Antiqui. Unde vox *Hundert* à voce *Hund*, olim scripta *Hond*, *Hount*, i. e. *Hand*. Ejus rei exemplum in *Henrico Cane* Chunringio. *Dec. IV. j.* 7. *sqq.*

Ingenium proprium pertentandum est exercitatione, non obruendum est multitudine rerum. *Prænot. Introd.* §. ij. 7. 8.

Libri plurium Scriptorum quas ob causas inutiliter legantur. *Prænot. Introd.* §. j. 4.

Magistri, ac Libri, neminem verè doctum, & sapientem facere possunt. *Prænot. Introduct.* §. ij. & *sqq.*

Manuscriptorum Librorum Clades & strages post ortam Typographiam. *Prænot. Introd.* §. v. 2.

Meditationis propriæ necessitas & utilitas, in addiscenda scientia. *Prænot. Introd.* §. ij. *per totum.*

&

& impossibilia multa per naturam, quæ facilè præstitit Gratia. Non itaque semper, qui rem Duce ratione expendit, cum summa ratione concludit. *Decad, VIII. ij. 16.*

Laudis ac Vituperii solemnis propè apud Scriptores est ratio, Veritati multùm infesta, bona mera, sive mala cumulare, in eo, quem commendant, probare omnia, in altero, quem oderunt, nihil excusare. *Dec. VIII. j. 83.*

Lectorum varietas difficillimam reddit scriptionem. *Prænot. introd. in Proœm.*

Librariorum, qui olim Libros transcripserunt, gravissima erant, & multiplicia menda, summa cum circumspectione cavenda. Exemplum ex Chronico *Ottonis* Frisingensis notatum. *Elog. VIII. ij. 28. 29.*

Licentia verborum Historico non par est, cum Oratore. Quæ verè nequit, asserere planè non debet. Famæ Principum caveat maximè, cui tantum calamo, quantum ore, crimine non impari detrahi potest. *Dec. IV. j. 26.*

Nomina, persæpè à Scriptoribus perperam posita, non illico ad contradicendum temerè arripienda sunt. *El. IV. iij. 5.*

Odii causâ Scriptores talia sæpè tradunt, quibùs ipsi proprii sui judicii, atque prudentiæ jacturam apud sanæ mentis homines faciunt. *Dec. X. j. 76.*

Origines rerum obscuræ retectis novis Monumentis præter spem claræ sunt. *Diss. Proœm. ij. 2.*

Rationis propriæ discussio omnem nostram Lectionem, extra Codicem Divinum, comitari debet: ne nudæ Authoritatis adhæsione error alienus post se trahat & nostrum. *El. VIII. ij. 29.*

Reges Germaniæ, Romæ non coronati, à Scriptoribus Italis, & qui eos insequuntur, Imperatoribus non adnumerantur. *Elog. IV. iij. 12.*

Rhetorici Scriptorum Colores multum turbant in Veritate. *Elog. III. ij. 5. El. IX. iv. 11.*

Scriptorum in Historia fides, & Usus, plurimæque in hoc necessariæ Cautelæ. *Prænot. Introd. §. iv. per totum.* Eorum plurimi persæpe, quod ex conditione loci, temporis ac personarum fieri potuisse autumabant, absque sale dubitationis adhibito, ut revera factum adstruxerunt. *Elog. VIII. v. 4.* Alii multi, è Veteribus maximè, veram vocum notionem, ac vim, præcipuè in Jure, aut ignorantes planè, aut non curantes, absona penitus ac falsa tradiderunt, si voces eorum premantur, quibùs maximè impropriâ synonimiâ sunt abusi. *Dec. IX. j. 48. 50 63.* Omnes igitur probè excutiendi, antequam arripiendi: nec ante probam plurium Collationem sententia amplectenda. *Dec. X. j. 14.*

Silentium Scriptorum haud semper probum est argumentum, aliquid negandi. *Dissert. Proœm. ij. 8.* Ubinam illud fortius infirmiúsque probet. *Dec. III. j. 28.*

Verba optima cum fraude artifici adhibita, palliant vitia pessima. *El. IX. ij. 26.*

VI. *Diplomaticæ.*

Autographa Diplomata, si genuina sint, maximam fidem faciunt, quamquam nec ipsa Notariorum erroribus imunia sint. Transumta verò eorum, propter Scribarum creberrimos errores, frequenter contextu fallentia, quin id semper advertatur, invictè non probant. *El. VIII. iij. 17. El. IX. j. 17.*

Bullæ solemnes & prolixæ Pontificum raræ in Monasteriis, extra primam, qua instituuntur. *Dec. III. iij. 9.*

Clarus Diplomatum sensus gravem fidem facit: obscurus æquè gravem parere potest errorem. *Dissert. Proleg. in Præfat n. 2.*

Diplomata sunt præcipua Historiæ Probatio: sed Usus eorum eget insigni cautela. *Prænot. Introd. §. iij. per totum.* Eorum Recensus merè Chronologicus valde molestus Lectori. *Ibid. §. vj. 6.*

Exordia, tam in Bullis Pontificum, quàm Chartis Regiis, fiebant per Notarios ex certis Formularibus Libris, & frequenter quasi eadem sunt. Quod verò non obstat, ne aliquando singularia, & ex præcepto Principum peculiari tenore concepta credantur. *Decad. VIII. iij. 14.*

Nativitatis Ordo inter Liberos è Chartis, etiam quas Parentes ediderunt, tutô argumentô erui non potest, ob incuriam Notariorum, ætatis debitam rationem non habentium. *El. VI. vj. 3.*

Necrologia, quæ Chartis accenseri solent, fidem certam frequenter non faciunt. *Elog. II. ij. 9.*

Nomen, quod plures gesserunt, absque determinatione expressum, non statim è Diplomatibus arripiendum, & ad unam cer-

certámque personam determinandum, conditionibus non probè expensis. *El. VI. vj.* 4.

Præsentes tantummodo res, eásque certas, Testibúsque adscriptis apertè constantes, clarè & asseveranter stabilire Diplomata possunt, non item res epochâ suâ multùm antiquiores, vel dubiæ opinionis, ac famæ. *El. VI. v.* 7.

Testium Vita non semper probatur per epocham Diplomatis, quo laudantur: quia Actio celebrata, cui quis adfuit, sæpè longo postea tempore publicis tabulis descripta fuit, cum eorum, qui Actioni ipsi intererant, Nominibus, licèt interea defunctorum. *Dec. III. j.* 63.

Vernaculæ, sive Germanicæ Linguæ Usus in Instrumentis publicis fertur à *Rudolpho* I. Imp. præceptus. Qua ratione id accipi possit. *Decad. VIII. j.* 40. Charta prima vernacula Judicialis, non tamen Regia, Archivii Campiliiensis de Anno 1268. *Dec. VII. iij.* 20.

VII. *Genealogicæ.*

Familiarum, etiam Extinctarum, Tractatio valde confert ad Historiam, plenámque Provinciarum Cognitionem. *Prænot. Introd. §. vj.* 9. 10.

Genealogi indiligentes in Personis haud satis adultis adnotandis esse consueverunt cum non minimo Historiæ detrimento. *Dec. III. j.* 27.

Sigilla plures diversorum Cognominum sæpè produnt eadem Origine fuisse. *Dissert. Proleg. I.* 4.

CLASSIS V.

Personæ ac Res penitus disparatæ.

Academia Tolosana Galliæ ubi S. Thomæ Aquinatis Corpus publicè colitur, ex pactis Pacis, cum Albigensibus reconciliatis initæ, instituta ann. 1228. *Dec. III. j.* 14.

Albertus M. Ordin. Prædicat. S. *Thomæ* Aquinatis Magister, priusquam fieret Episc. Ratisbonensis, *Rudolpho* I. Imp. ab Arcanis conscientiæ fuit. *Dec. VIII. j.* 48.

Albertus Cardin. Episc. Ostiensis, *Eugenii* III. Papæ Legatus, unacum S. *Bernardo*, ann. 1147. in Provincia Tolosana Galliæ suppressit *Henricum* hæresiarcham, Albigensium præcursorem. *Elog. VIII. ij.* 9.

Albigensium Hæreticorum (qui ab *Albi* sive *Albiga* Urbe nomen acceperunt, & quorum hodie Reliquiæ sunt *Waldenses*) prima Origo, & Extinctio. Eorum Inquisitio, Correctio, Reductio, Condemnatio, Expugnatio per arma Cruce signatorum, Cistercienſibus commissa fuit. Videatur *El. IX. j.* 12. 16.

Repullulantium fatalis Historia. *Dec. I. ij. ferè per totum.* Ut Cruce signatos à se averterent, incitârunt Mauros in Hispaniam. *Dec. II. j.* 6. Prosecutio Historiæ eorum, & quomodo à Cistercienſibus, & Cruce signatis, ad officium tandem compulsi sint, prolixiùs docetur. *Dec. II. & III. ubique §. ij. ferè per totum.*

Angelum exhibuit Signum princeps Militare, dum *Henricus* I. Auceps Imp. añ. 933. de Hunnis Avarísque apud Merseburg triumphavit. *El. I. j.* 6.

Assassini in Palestina pretio conducti quorumlibet hominum Sicarii. Eorum Princeps appellatus est *Senex*, aut *Vetus de Monte*, vel Montanis. *El. IX. iij.* 21. 22.

Beham *Albertus* Archidiaconus Pataviensis ejectus, deinde Legatus indiscretus *Gregorii* Papæ IX. grandem in Austria, vicinísque Provinciis fecit turbationem, Diras intorquens, & ipse vicissim ferens à Præsulibus, cum ingenti quotidianâ anathematis contemtu. *Dec. IV. j.* 94. Ab *Ottone* Bavariæ Duce, quamdiu hic Pontifici devotus erat, fortiter protectus, cùm ad partes Cæsaris transiisset, ejectus fuit, nullibi sui securus, donec eum *Fridericus* Dux Austriæ in tutelam reciperet. *Dec. V. j.* 40.

Bella Seculis antiquis aut semper fiebant populatione ferri, & ignis, aut sic facta esse, perpetua Chronicorum phrasi describuntur. Unde, quod omnibus tunc Principibus ex barbaro usu fuit, uni peculiarius exprobrari non debet. *Dec. IV. j.* 36.

Bella, & Prelia religiosè acta. *Henrici* I. Imp. contra Hunnos apud Merseburg. *Elog. I. j.* 6. Item *Ottonis* I. Imp. contra eosdem. *Ibidem II.* 5. Cruce signatorum in Palestina ante Damiatam. *Dec. II. j.* 49. 50. Eorundem in Gallia contra Albigenses. *Ibid. II.* 1. S. *Ladovici* Galliæ Regis in Oriente. *Dec. VI. ij.* 2. Imperatoris *Rudolphi* I. adversus *Ottocarum* in Austria. *Dec. VIII. j.* 79. 81.

Bellum, & Victoria, quando Principi veram gloriam pariant. *El. III. iij.* 6.

Beneficium. Hæc vox, juridicè accepta pro *Feudo*, discordiam excitavit inter *Hadrianum* IV. Papam, & *Fridericum* I. Imp. donec gramaticè pro *Bono facto* exponeretur. *El. VIII. iv.* 3. 6.

Cal.

no 1190. versus Tharsum Ciciliæ progressus, amne infeliciter mersus est: cum quo pariter omnis hujus Expeditionis fortuna naufragium fecit. Exercitum quippe ex jactura Capitis Augusti tristitiâ absorptum, Antiochiæ contagio pestilens ad perexiguas Reliquias redegit: quibus nihil supererat, nisi, ut Ptolemaidis obsessoribus jungerentur. *Elog. IX.* ij. 5. - 7. 9. 10. 15. 16. Illuc pariter advenientibûs *Philippo* Galliæ, & *Richardo* Angliæ Regibûs, Ptolemais capta, *Saladino* clades inflicta, deinde Pax, vel potiùs induciæ triennales initæ, sed cum permissa Ascalonis destructione. Ante Ptolemaidem gloriosè egit *Leopoldus* VI. Austr. Dux. *Ibid.* 20. *sqq.*

Anno 1197. novi Pugiles Crucis successerunt in Orientem, absque coronati alicujus Capitis ductu: qui, ruptis induciis, occupârunt Berythum, Turonem obsederunt. Dum verò jam sibi dedenda fuisset, audita *Henrici* VI. Imp. morte, domum festinârunt. Paucos inter, qui perstiterant, fuit *Fridericus* I. Austr. Dux: sed paulò pòst æger, ibi piè defunctus. *Elog. X. j.* 9. - 12. Ann. 1201. denuo Itali, Galli, Flandríque multi Orientem cogitârunt: sed à Venetis, qui naves dederant, conducti, eorum in hostes Christianos, multùm dolente *Innocentio* III. Papa pugnârunt. *Dec. I. j.* 4. Ann. 1203. grandis rursus multitudo mare ingressa, cepit Constantinopolim, latinum ibidem Imperium inchoans, Imperatore primo *Balduino* Flandro. *Ibid.* 10. Ann. 1212. suscepta est fanatica infinitorum Puerorum in Palestinam Expeditio, subsecuto innumerorum interitu. *Dec. II. j.* 15.

Anno 1217. Exercitus iterum grandis in Orientem terra maríque contendit, Antesignanis præcipuis *Andrea* Ungariæ Rege, *Leopoldo* VII. Austriæ Duce, *Wilhelmo* Holandiæ Comite. Ab his anno 1219. summè arduo labore capta Damiata. *Dec. II. j.* 35. *sqq.* Quæ, cum altero anno alii succedentes Ægyptum imprudenter ingrederentur, & hostibûs, aquísque conclusi, exire aliter non possent, barbaris reddi denuo debuit ann. 1221. *Dec. III. j.* 4. 5. *Fridericus* II. Imp. & his, & pluribûs postea annîs, Expeditionem semper urgens, ejúsque se Ducem futurum promittens, Orbem totum spe inani delusit, usquedum ann. 1227. congregatam ad se multitudinem infinitam in Apulia planè perdiderit. *Ibid.* 33. 34. Anno 1228. subitò cum paucis mare transiens, summè invito Pontifice, traditâ sibi à Suldano Jerosolymâ destructâ, pacem cum eo composuit, Rei Christianæ maximè noxiam ann. 1229. *Ibid.* 44. 45. *sqq.*

Anno 1248. nova Expeditione rem tentavit S. *Ludovicus* IX. Galliæ Rex, comitibûs *Wilhelmo de longa Spata* Anglorum Duce, Regibúsque Cypri, & Achaiæ. Felici res initio fuit, capta etiam Damiata: deinde verò, ut semper, discordia fortunam sustulit. Captus Rex ipse; pro quo redimendo Damiata restitui debuit, ipsíque solus reditus superfuit. *Dec. V.* ij. 16. - 18.

Cruce signati pro Oriente Crucem affigebant humeris: Signati contra Albigenses, deferebant eam in pectore. *Dec. I.* ij. 22. Imp. *Fridericus* II. Romam obsidens, egressos contra se Cruce signatos, quos capere poterat, in contemtum Crucis, barbara crudelitate, vel Capite, vel corpore Crucis formâ discindi jussit. *Dec. V. j.* 2.

S. Crucis Dominicæ Portio insignis unde venerit *Adalberto* Victorioso Austriæ Marchioni. *Elog. III.* ij. 4. 7. Ab eo donata Mellicio ann. 1045. *Ibid.* iij. 1. Altera Monasterio S. Crucis collata à *Leopoldo* VI. *Virtuoso* Austr. Duce ann. 1182. *Elog. IX.* j. 19. Tertia Campililio obveniens Gratiâ *Leopoldi* VII. Austr. Ducis Fundatoris sui ann. 1219. *Decad. II.* iij. 27. 29. Hujus Theca pretiosa descripta, item Cultus. *Descript. Monast.* §. iij. 11. - 14.

Cruce locò Sceptri utebatur *Rudolphus* I. Imp. Feuda Principibus conferens. *Dec. VIII.* j. 24. Preliari assolebat feria sextâ. Ante pugnam cum *Otocaro* vovebat condendum S. Crucis Monasterium. Primogenitum *Albertum* in acie sibi præferre jussit. Vexillum cum Imagine Crucifixi. Tessera clamoris Militaris erat Vocula *Christus. Ibid.* 79. Diviso in acie suorum Ordine, equo desiliens, de genu supplicavit Crucifixo: qui ei Jovem Statorem egit, suósque rursum consistere fecit. 81.

Cumani Gens cruda, à *Belâ* Ungariæ Rege hospitio excepti, & ex parte ad fidem conversi, Ungaris invisi erant, maximè postquam Tartari irrupissent, quorum socii credebantur. *Dec. V. j.* 6. Eorum Rex *Cuthenus* ad sui occisionem adactus. 8.

Defunctorum Corpora in frusta concidendi, coquendi, & usque ad Ossa exurendi morem barbarum, ut illuc, ubi sepeliri constituerant, deportarentur, vetuit *Bonifacius* VIII. Papa anno 1299. *Dec. X. j.* 75.

S. Dominicus Prædicatorii Ordinis postea Institutor, cum *Didaco* Episcopo Oxomiensi Hispaniæ, ut ejus Ecclesiæ

Cano-

Manibûs, ac Digitis, variè exporrectis, aut inflexis, olim computabant, & loquebantur Veteres. *Dec. IV.* j. 9. *sqq.*

B. MARIÆ Virg. Officium, seu Cursus Marianus Clericis præcipitur in Concilio Claromontano ann. 1095. Expeditionis Orientalis causâ. *Elog. V. iv.* 20. Festum Nativitatis ejus dudum agebatur à piis, antequam pro Universali Ecclesia decerneretur. *Decad. I. iij.* 29. Eius Imago picta pervetusta, fabricæ & Ornatus Græci, cum imaginibus SS. Joachim & Annæ, Campillilio à Serenissimo Fundatore donatæ. *Dec. II. iij.* 30. Nomen ejus adhuc ingeminavit jam resectum Caput *Friderici* Austriæ Ducis, Neapoli securi percussi. *Decad. VII.* j. 44.

S. Mauritii Capella Campililii fundari cæpta à Dominis de Töpel ann. 1238. *Dec. IV. iij.* 10.

Militum licentia summa seculis anterioribus, quam Principes cohibere satis non poterant. Et unde illa. *Elog. VII. ij.* 8. - 10.

Militum Creatio Actus Antiquis maximè solemnis. De ejus causis, modo, fine, exemplis variis. *El. VI.* j. 9. - 12. *vj.* 6. - 8. Milites in Diplomatibus laudati erant Nobiles. *Dec. VI. iij.* 3.

Numi cusi in honorem S. *Leopoldi* Marchionis. *Elog. VI. v.* 6. Alii etiam cum imagine B. *Agnetis* Conjugis ejus. 12. Numi à Christianis in Palestina cum Nomine & Æra Mahometis signati, ab *Ottone* Cardin. Legato, in Oriente cum S. *Ludovico* Rege præsenti, anathemate vetiti. *Dec. VI.* ij. 6. Numus Coronationis *Rudolphi* I. Imp. Habspurgici. *Dec. VIII.* j. 20.

Parens Optimus *Leopoldus* VII. Austriæ Dux quomodo Filiolis Amores Religionis, ac Campililii sui, instillare contenderit. *Dec. II.* iij. 31.

Perfidia, ut omnis Malitia, odit Lucem, & frustra quæritur ejus confessio publica. *Dec. VIII.* j. 80.

S. Philippus *Benitius* Ord. Serv. B. M. V. Arbiter conscientiæ *Rudolphi* I. Imp. *Dec. VIII.* j. 48. Item à Concionibus, & Inquisitor in sectam Flagellantium. *Ibid.* Introduxit usum Scapularis in honorem 7. Dolorum B. M. V. eòque vestivit *Rudolphum* Cæsarem: cujus multa, & magna Regni Negotia sæpius feliciter expedivit. Pro ejus Apotheosi supplicârunt *Ferdinandus* III. & *Maria* Augusti, item *Leopoldus* Imp. Fuit sui Ordinis Quintus Generalis Magister, sanctè obiens ann. 1285. Catalogo SS. adscriptus ann. 1671. *Dec. IX.* j. 57.

Plagæ terribiles Ventorum, fulminum, grandinum, ariditatis, famis, morborum, per omnem ferè Europam anno 1193. Non in sola Austria. *Elog. IX. iv.* 22. *sqq. El. X.* j. 2.

Pruteni quinam, & cur adversum eos Crux prædicata. Fuerunt hostes Ordinis Teutonici. *Dec. V.* j. 48.

Puerorum ac Puellarum fanatica in Orientem Expeditio, cum innumerorum interitu ann. 1212. *Dec. II.* j. 15.

Religio ac Devotio *Leopoldi* VII. Austriæ Ducis in Accessu Campililii sui: ubi Operi DEI, Mensæque Fratrum semper interfuit, compunctus ipse, Monachósque compungens. *Decad. I. iij.* 9. *sqq. Dec. II. iij* 8. *sqq.* 22. 23. 27. *sqq.* 33. *sqq.*

Reliquiæ SS. ad Actiones publicas adhibitæ. *Elog. VI. iij.* 18. 19.

Sanctis è Gremio suo universi Ordines Ecclesiæ maximè, & æquissimè gloriari solent. Aliter Cistercium sentiens, prohibuit, de ulla deinceps Persona Ordinis in Album SS. inferenda mentionem fieri. *Dec. VI.* ij. 14.

Sepulchrum Domini Saraceni, munitionem Jerosolymæ destruentes, temerare ausi non sunt. *Dec. III.* j. 20.

Sepulchra singularia in Monasterio Benedictino Weingartensi, ubi *Guelphi* Duces, & Altovado Cisterciensi Bohemiæ, ubi Domini *Rosenbergii* in Crypta sua non cubant, sed consident in sellis. *Dec. VI.* ij. 17.

Siculæ Vesperæ, omni Mundo perhorrescente, omnium Gallorum cæde perpetratæ ann. 1282. *Dec. IX.* j. 9.

Spolia Opima apud Romanos quæ? *El. VIII. iv.* 112.

Spolia Ecclesiarum, i. e. Proventuum unius Anni à morte Præsulum, quos olim usurpabant Reges & Imperatores Romani, remisit, eisque renunciavit *Fridericus* II. Imp. ann. 1216. *Dec. II.* j. 28.

Suspicio levis *Ludovicum* Electorem Palatinum præcipitavit in cædem innocuæ Conjugis. *Dec. VI.* j. 26.

Tartarorum irruptio terribilis, & plurium Regnorum vastatio. *Dec. V.* j. 4. Eorum pugnandi mos. 7. Ungariam im-

immaniter exſciderunt. 10. Viennam quoque Auſtriæ anno 1242. aggreſſi, territi tamen receſſerunt. 19.-21.

Teſtes olim auribus attracti. *Elog. VI. j.* 22. *iij.* 18. 19. Eorum, qui Actioni intererant, tametſi ſubſcripti non eſſent, olim onus ac debitum. *Dec. VII. iij.* 20.

Traditionis Rei in Jus alterius Actio publica, & maximè ſolemnis. *Elog. VI. iij.* 18. 19.

Turcarum primus Tirannus *Otomannus* ſub ann. 1300, Otomannici Imperii fundamenta jeciſſe traditur, primùm Pruſiæ, quæ Myſiæ Civitas eſt, Prætorianos Milites, quos *Portas* dixit, aſſumens, ibique Regiam ſuam conſtituens. Cui Tirannidi DEUS Auguſtiſſimam Domum Habſpurgicam opponens, eam incremento tam celeri ad ſummum provexit, hominibus, qui ignorabant Conſilium DEI, incaſſùm invidentibus. *Dec. X.* j. 87.

Ventus horribilis Moguntiæ, confundens pompam Auguſtam, dum Filii *Friderici* I. Imp. Gladio accingerentur, ann. 1184. *Elog. IX. j.* 27.

Ver in hyeme anno 1290. in Auſtria. *Dec. IX. j.* 95.

SS. Viti & Modeſti Corpora ab *Eberhardo* II. Archiepiſcopo Salisburgenſi apud Lavantum Carinthiæ reperta anno 1223. & ab ipſo Salisburgum delata, maximóque ritu depoſita. Inde Cultus eorum invaluit, plurimæque Eccleſiæ, Pagi, & Oppida S. *Viti* nomen indepta. *Dec. III.* j. 12.

S. Wolffgangi Capella in Capitulo Campililii fundari cœpta à Dominis *de Neitberg* anno 1251. *Dec. VI. iij.* 2.

FINIS.

